NAZIONALE CENTRALE V. E. II ROMA
9
17 M
8 H

Digitized by Google

Digitized by Google

I. 17. M. 8

PII SECVNDI PONTIFICIS MAX. COMMENTARII

RERVM MEMORABILIVM, QVÆ TEMPORIBVS SVIS CONTIGERVNT, A R. D. IOANNE GOBELLINO Vicario Bonnen. iamdiu compoſiti, & à R. P. D. Franciſco Bandino Picolomineo Archiepiſcopo Senenſi ex vetuſto originali recogniti.

Quibus hac editione accedunt

JACOBI PICOLOMINEI, CARDINALIS PAPIENSIS, QVI PIO PONT. coæuus & familiaris fuit, Rerum Geſtarum ſui temporis, & ad Pii continuationem, commentarii luculentiſſimi:

Eiuſdemque EPISTOLÆ *perelegantes, rerum reconditarum pleniſſimæ.*



Proſtat Francofurti in Officina AVBRIANA.

ANNO M. DC. XIV.

Digitized by Google

GREGORIVS PAPA XIII.

Venerabili Fratri Franciſco Archiepiſcopo Senenſi.

VEnerabilis Frater ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Cùm, ſicut nobis nuper exponi feciſti, Tu ad commune bonum commentaria rerum memorabilium, quæ temporibus fe. re. Pii Papæ ſecundi prædeceſſoris noſtri toto terrarum Orbe contigerunt, à quondam Joanne Gobellino Vicario Bonnenſ. & ipſius prædeceſſoris à ſecretis compoſita ex vetuſto videlicet originali recognita cum aliis rebus ibidem de nouo additis & nondum in lucem editis propriis tuis impenſis per dilectum filium Dominicum Baſam & ſocios Vrbis Typographos typis cudi facere decreueris, dubites tamen ne poſtquam ipſa commentaria impreſſa fuerint, ab aliis bibliopolis abſq; tua licentia in diuerſis locis imprimantur, quod in maximum tuum damnum vergeret & præiudicium. Quare nobis humiliter ſupplicari feciſti, quatenus tibi in præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur tuæ indemnitati conſulere, teq; ſpecialis gratiæ fauore proſequi volentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi vt ne quis commentaria præfata in toto vel in parte per decem annos proximos ſine tuo, aut ius ſeu cauſam à te habentium expreſſa licentia imprimere vel imprimi facere, aut impreſſa vendere vel venalia tenere poſſit, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium concedimus & indulgemus. Nec non vniuerſis & ſingulis librorum impreſſoribus, ac bibliopolis quibuscumq;, tàm in Vrbe, quàm aliàs vbiq; locorũ, tàm in Italia, quàm extra Italiam in ſtatu Eccleſiaſtico & terris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ mediate vel immediate ſubiectis ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac etiam quingentorum ducatorum auri de Camera, pro vna Cameræ Apoſtolicæ ſeu Fiſco noſtro, & altera medietatibus

¶ 2

tibi applicandorum, & inſuper amiſsionis ſuorum librorum & alio-
rum vt ſupra applicandorum pœnis totties quoties per contraueni-
entes ipſa facto incurrendis, ne dicta commentaria modo quo ipſe
Dominicus ea imprimet, aut aliàs in toto vel parte quouis quæſito
colore cauſa vel occaſione, infra dictos decem annos proximos im-
primere ſeu imprimi facere, vel venalia tenere aut proponere poſsit
diſtrictius inhibemus & interdicimus: Mandantes præterea dile-
ctis filiis Camerario ac Vicario dictæ Vrbis, nec non Gubernatori,
& Senatori, ac Cameræ Apoſtolicæ generali Auditori, aliisq; Vrbis
iudicibus, Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Poteſtatibus ter-
rarum, locorum & Ciuitatum S. Romanæ Eccleſiæ mediate, vel im-
mediate ſubiectorum: eorumq; locatenentibus, Bariſellis, executo-
ribus, aliisq; miniſtris quibuſcumque, Nec non venerabilibus fra-
tribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, eorumq; Vicariis & Officiali-
bus in toto Orbe Chriſtiano nunc & pro tempore exiſtentib. Quo-
tiens à te vel tuis hæredibus & ſucceſſoribus ac ab eis ius & cauſam
habentibus, vel eorum nominibus requiſiti fuerint, tibi ſeu hæredi-
bus, & aliis prædictis efficacis defenſionis præſidio aſsiſtentes, ac in
præmiſsis omnibus & ſingulis contra inobedientes, & cõtrauenien-
tes ad executionem cenſurarum & pœnarum prædictarum omni &
quacunq; appellatione remota, & abſque aliqua deſuper facienda
declaratione, ac omni mora ceſſante, de facto procedant, & quilibet
eorum procedat, inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit, brachii ſæcu-
laris auxilio. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus
Apoſtolicis, cæteriſq; contrariis quibuſcumq;. Et inſuper quia diffi-
cile foret præſentes litteras ad quælibet loca deferri, Volumus &
dicta Apoſtolica auctoritate decernimus, quod ipſarum littera-
rum exemplis & commentariis præfatis per impreſſorem præfigen-
dis plena & eadem prorſus fides vbique tam in iudicio, quàm extra
adhibeatur quæ eiſdem litteris adhiberetur ſi exhibitæ & oſtenſæ
forent. Datum Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris Die prima Octobr.
M. D. LXXXIII. Pontific. Noſtri Anno Duodecimo.

Alexander Peregrinus.

A. Stephanellus.

BEATIS-

BEATISSIMO PATRI, ET DOMINO D. GREGORIO XIII. PONT. OPT. MAX.

Franciſcus Bandinus Picolomineus Archiepiſcopus Senenſis perpetuam felicitatem.

CVM Ioannes Picolomineus Cardinalis Senenſis, Oſtienſiſque Epiſcopus humaniſſimus auunculus meus, apud quem perbenigne educatus ſum, in me Archiepiſcopatum Senenſem tranſtuliſſet, opesque mihi præterea non paucas dediſſet, addidit etiam ſuam bibliothecam inſtructam plurimis & optimis codicibus ad omnes hominis ingenui ſtudio dignas artes pertinentibus, quarum ipſe peritiſſimus erat. Qui quidem codices mihi pergrati fuerunt; ſed vnus longè gratiſſimus inter cosinuentus accuratiſſime manuſcriptus, & delineatus in membranis, quo res geſtæ temporibus Pii Papæ ſecundi, qui ipſius Cardinalis Senenſis auus fuerat, continebantur à quodam Ioanne Gobellino ipſius Pii ſecundi familiari ſatis luculenter, vt ea erant tempora, in commentarium relatæ, atque deſcriptæ. Hunc ego dum eſſem iuuenis perlæpe legi; multaq; in eo, ne dicā omnia nō cōmendatione ſolū, ſed admiratione digna iudicaui: cumq; iāpridē in animo haberē eū librariis publicè deſcribendum dare ad publicam vtilitatem, multa acciderunt, quæ me à ſuſcepto conſilio retardarunt: verum cum interea animaduerterem multa ipſorum commentariorum fragmenta variis ſcatentia erroribus paſſim legi; haberique à nonnullis libros manuſcriptos ſub titulo *Commentariorum Pii Papæ ſecundi*, qui adulterina multa, & falſa continerent; dolui equidem vehementer, tum quòd ipſius Pii res præclariſſime geſtas ita turpiter fœdari ægre ferrem, tum quòd vereter ne ab hæreticis in deteriorem partem omnia accipientibus, recta deprauantibus, ſincera corrumpentibus tam turpiter mutatus, & à ſe ipſo diuerſus diuulgaretur. Hę itaque, atque aliæ cauſæ me (vt dixi) iampridem cupientem impulerunt, vt quamprimum liber hic ſuo proprio nitore ornatus, & puræ veritati conſentiens prælo ſubiiceretur: idque eò libentius feci, quòd cum Dei Opt. Max. auxilio ad hæc veſtra Sanctiſſime Pater, felicia tempora ſuſtentatus fuerim, in quibus ampliſſimus datus eſt Veſtra liberalitate omnibus virtutibus campus, licet illum excellentibus Typographis, quorum ingens numerus in Vrbem maximis à Beatitudine Veſtra præmiis excitatus conuenit, nouo & venuſto charactere imprimendum tradere; ſicuti permulti ad omne genus honeſtarum artium

pertinentes libri Veſtræ Sanctitatis ſumptibus ab iiſdem imprimuntu, vt facilius iuuenes & Latini, & Græci, & Hebræi quoque in tot ampliſſi mis collegiis à Beatitudine Veſtra ædificatis commorantes puram, ac v ram doctrinam haurire queant, habeantque Veſtro beneficio templ & monaſteria eadem Veſtra liberalitate conſtructa, atque dotata, v meritas Deo Opt. Max. laudes quotidie concinant. Vobis itaque Pater Sanctiſſime pio in primis, & in omne hominum genus benefico Pontifici, Pii Pontificis commentariorum librum dicare volui, vt ſub tanti ſucceſſoris nomine tutus haberi & legi poſſit. Huc accedit, quòd cum ego à Sanctitate Veſtra tot gratiis, & beneficiis affectus fuerim, nec meæ vires eæ ſint, ex quibus aliquid Veſtro nomine dignum Vobis offerri queat; hoc ſaltem ſigno mei deuoti animi obſeruantiam, & beneficiorum memoriam oſtendere volui. Sanctitatem itaque Veſtram ſupplex oro, vt munus qualecunque eſt, ipſius Pii Veſtræ Beatitudinis prædeceſſoris exemplo, qui à paſtore lac vaſculo ligneo incluſum blandè & comiter accepit, grato animo accipere ne dedignetur.

Bene valeat & diutiſſimè viuat, Chriſtianæ reipublicæ decus ac columen. Romæ VIII. Cal. Martias.

M. D. LXXXIV.

SAN-

SANCTIS. D. N. GREGORIO XIII. PONTIFICI MAXIMO

M. Antonius Muretus.

QVi tibi ab Eoo repetitas littore conchas,
Diuitis aut auri pondera multa ferat,
Illum ego ſcire negem, quæ tu, Pater optime, dona
Longe auro & gemmis anteferenda putes.
Vna tibi virtus, virtus in amoribus vna eſt,
Vera & virtutis gloria vera comes.
Ergo vt amans tabulis dominæ referentibus ora
Gaudet, & ante oculos ſemper habere cupit:
Sic te expreſſa iuuat veræ virtutis imago:
Nec tabula eſt oculis gratior vlla tuis.
Tale igitur munus tibi nunc Picolominus offert
Senenſis præſul gloria magna ſoli:
Biſſeno Æneæ concluſa volumine facta
Pontificis vere nomine req; Pii.
Qui virtute olim ſedem prouectus ad iſtam,
Ad quam eadem virtus te Pater alme tulit.
Ingentes toto compeſcuit orbe tumultus,
Et placido reges fœdere compoſuit,
Hortatus bellum Chriſti conuertere in hoſtes
Atque Aſiam illorum faucibus eripere.
Ad quæ ſe accingens magno molimine cœpta,
Multa bonis fruſtra flentibus, occubuit.
Forſan & hanc Chriſtus, Princeps ter maxime, laudem
Seruatam in tempus diſtulit vſque tuum:
Thracius vt tandem, poſita feritate, tyrannus
Colla tuis vltro ſubiiciat pedibus.
O ita ſit: cumuletq; tuas hæc gloria laudes:
Gregorii hic titulis adiiciatur honos.
Interea hæc placido vultu cape munera: eiq;
Qui tibi ſummiſſus porrigit illa, faue.
Ille Pii, vt noſti, genus alto à ſanguine ducit:
Nec vixit priſcis inficiandus auis.
Plurima ſed tractans, & maxima munera, ſemper
Se culpis expertem omnibus exhibuit.
Nunc exacta ætate illud ſibi poſtulat vnum,
Vt ſe haud ingratum ſentiat eſſe tibi.

DE PII SECVNDI PONT. MAX. COMMENT. AB ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. DN. FRANCISCO

Bandino Picolominco Archiepiſcopo Senen. in lucem editis, Cæſaris Maluicini Viterbienſ. V. I. D. carmen artificio contextum.

EDDITNVNCORBINOTVMPIETATEVOLVME
NTEANONREGISCONSVLTINEVETRIBVNA
OVITVELATVMNEBVLOSAENOCTISAMICT
ANDIDEDVXVATVMDICTABISTALIADONE
VNGATEVMDIVISAETERNAEGLORIAFAMA
EROISPROPATRIAENEXVVOTOQ;SVPREMV
LARIOPVSINSOLISMETASEDVXITABORC
IRSAPIENSCVRISQ;BONISVNAPOTIORSV
PESOLANSDIAMITISPACEASPERAMENTI
RAESTETDIVINOMOT PIACOPIAPOSTHA
ISLVCEMLIBRISSITLVXDVRABILISORT
CVELVTIECAELOLVNAECVMLVCEFERATV
EBETEOFELIXNOSTRIPROTEMPORESECL
RATORMANEVTSOLEXCRIENTECATHEDRA
OMENREVIVAXORNARECOLORIBVSAVREI
BSINTCOCYTIENORONASCENTIAINAEST
RONAVTSICOPERIVISAEVICEDATEDACI
MONESELETHESHAC INGVRGITEMERGA
NFELIXDVRVMQ;IVGVM CRVCEMILITEMOT
AVIGIIDEMATCOLLOGRAIVMOBVIVSEXV
INDEXOLIMGRAECIAEVOCITVTORAVIT
EVICTOVIVIRESEXCVTITARMAQ;FRANGI
HDVXLVCISOVANSEREBITVNVBILAPELL
VVOTAHISTORIISETNOMENDAFOREFELI
LMAPIISANCTOPIETASEPECTOREFVLSI
AEVAPEREVROPAEFINESDVMBELLAFVER
TRVITIMPERIINOTVMVISTVRCICANOME
ENTVMREXVRBESCEPITIAMMOENIATVTA
IDITETITALIAEATDVRISCONFIDERERE
ONEAROMAVALETBELLIVISIMPIAFERTV
EBESERGOPIOILLIDEINQVITALIACAEL

Idyllium ∞. CLXXXIX. *eſt contextum litteris. Tria enim & triginta ſunt carmina, quæ primum ſe legentium oculis offerunt; quattuor verò latent: ſed quodlibet tres & triginta litteras continet. Ex primis & vltimis litteris ſingulorum carminum à ſummo ad imum ſimul iunctis, duo colliguntur. ex interiore ſpatio, vbi poſſunt inſignia Pontificis apponi, vnum à nono vſque ad 18. alterum à 19. vſque ad 26. Ea ſunt:* Bis potuit Lunas triplex ornare corona: Acre iugum collo Græciæ vt excuteret. *Nam ex hac familia duo fuerunt Pontifices. Quarum litterarum omnium numerus ſi diſponetur in perfecti quadrati ſpeciem, cum inſignibus in medio ſinu expreſſis, facilè quiuis vno coniectu oculorum intelliget.*

COMMEN-

COMMENTARIORVM PII II. PONTIFICIS MAXIMI PRÆFATIO.

SI perit morte animus (vt falſo cenſuit Epicurus) nihil habet fama quod ei conferat: ſin viuit corporea mole dimiſſa, aut miſeram accipit ſortem, aut felicibus commiſcetur ſpiritibus. Miſeriæ nulla ineſt voluptas, vel famæ conſolatio; & beatorum plena felicitas nec laude mortalium augetur, nec vituperio cōminuitur. Quid eſt igitur quod tantopere boni nominis gloriam quærimus? fortaſſe qui purgantur animi dulcedinem aliquam hauriunt relictæ in terris famæ? At dicant contentioſi quicquid velint, dum viuentes oblectari gloria, quæ adeſt, & quæ poſt obitum futura ſperatur, minime negent. Hæc eſt enim, quæ clariſsimas alit mentes, & vltra ſpem vitæ cæleſtis, quæ cum aduenerit, numquam finietur, humanum fouet, ac recreat animum. Magnopere vero intereſt boni principis de ſua fama eſſe ſolicitum, quem in terra viuentem, (vt mortalium felicitas comitem habere ſolet inuidiam) plerunq; omnium fere linguæ vituperant, at pereunte cum vita ſimul inuidia, mortuum laudant: maxime vero Ro. Pontificē, quem ſummo loco conſtitutum pro ſuo quiſq; liuore diiudicat. Martinum quintum vidi, & Eugenium quartum, & Nicolaum item quintum, & Caliſtum tertium, quos dum vixere damnauit populus, fato defunctos magnis extulit præconijs. Sequuntur Vicarij ſuum Dominum ſaluatorem Chriſtum, quem dum vixit inter homines, dæmonium habere dixerunt, pendentem in cruce mortuum filium Dei recognouerunt. Non eſt ſeruus maior domino ſuo, non parcet Pio ſecundo Pontifici Max. lingua doloſa, quæ tot Chriſti Vicarijs, & ipſi Chriſto nō pepercit. Ceſsabit inuidia poſt obitum, & ſublatis qui iudicia peruertunt priuatis affectibus, vera reſurget fama, Piumq; inter claros Pontifices collaudabit. Interea nos de Pontificatu ſuo hiſtoriā conſcribemus: in cuius fronte non ab re fuerit pauca de origine ſuæ familiæ, atq; de his quæ ante Apoſtolatum ab eo geſta fuere, quam breuiſsime præmittere, vt intelligant poſteri quo modo Aeneas Siluius antea dictus ad beati Petri cathedram peruenerit, & Pij ſecundi nomen aſſumpſerit. Tu qui hæc aliquando legeris, ita demum boni conſule, vt mentienti nihil ignoſcas.

COMMENTARIORVM PII II. PONT. MAX.

LIBER PRIMVS

De origine Picolominea domus, & Pii Maioribus.

FAMILIA Picolomineorum ex Roma in Senas tranſlata, inter vetuſtiores & nobiliores ciuitatis habita, dum optimates reipublicæ præfuerant, & litteris & armis claruit, pluresq; arces & caſtella obtinuit, ſed à nobilibus in plebem deriuato regimine, ſicut & ceteræ nobilium, ſic & Picolominea domus humiliata eſt. Superfuit tamen auo Aeneæ Siluio non tenue patrimonium, ex quo potuit vitam honeſtam ducere: ſed iuuenis immatura morte deceſſit, relicta Montanina vxore prægnante, ex qua natus eſt Siluius poſthumus, quo pupillo bona eius ſub tutoribus & actoribus diſſipata ſunt. Hic tamen educatus ingenue litteris ediſcendis traditus eſt, qui liberalibus artibus eruditus, vbi adoleuit, in militiam profectus, variiſque caſibus actus, tandem domum rediit, vendicataque patrimonii tenui portione, Victoriam ex domo Forteguerrarum, qui patroni ſunt eccleſiæ Senenſis, quamuis nobilem virginem, tamen pauperem duxit vxorem, quæ adeo fœcūda fuit, vt ſæpe gemellos pepererit. Ex ea Siluius duodeuiginti liberos ſuſtulit, non tamen vltra decem ſimul aggregauit: quos vrgente inopia Corſiniani, quod eſt oppidum vallis Vrciæ, nutriuit: ſed omnes tamen iniqua lues extinxit, duabus tantum ſororibus Laudomia, & Catherina cum Aenea ſuperſtitibus.

Aeneæ ortus & pueritia diſcrimina ac rudimenta, & progreſſus ætatis.

Aeneas etiam patris Siluii nomen accepit: & ob reuerentiam Apoſtoli, quem Indorum barbari decoriarunt, Bartholomæi, (tritonimus enim fuit) Aeneas Siluius Bartholomæus appellatus: editus autem eſt in lucem ipſa luce ſancti Euangeliſtæ Lucæ, xiiii. Kal. Nouembris, anno ſalutis quinto ſupra milleſimum, & quadringenteſimum. Hic in pueritia trium annorum, dum ludit inter æquales, muro lapſus alto, & in ſaxum alliſus, ingens capitis vulnus accepit, quod præter ſpem, & opinionem parentum Nicolaus Monticolanus, qui eum de ſacro fonte leuauerat, ſine litteris medicus (vt dicunt) empiricus breui curauit. Annum agens octauum in bouem cornuperam cum incidiſſet percuſſus, & in altum iactus, diuino magis auxilio, quam ope humana mortis periculum euaſit. Exinde cum diu apud patrem ciuili exercitatione quæuis officia ruris, animi leuandi cauſa, prout à nobilibus fieri ſolet, obiiſſet, annos iam duodeuiginti natus in vrbem migrauit, exceptuſque apud neceſſarios, qui bonæ frugis adoleſcentem minime relinquendum exiſtimabant, audire grammaticos cœpit, deinde poetas, & oratores auide ſectatus, poſtremo ad ius ciuile ſe contulit: cuius profeſſores cum aliquot annos audiuiſſet, exorto inter Senenſes, ac Florentinos graui bello, & litterarum ſtudia intermittere, & patriæ dulce ſolum relinquere coactus eſt. Fortefortuna tunc affuit Dominicus Capranicus, quem Martinus Papa Quintus ad cardinalatus honorem vocauerat, ſucceſſor Eugenius Quartus repudiauerat.

Aeneas Firmani ſecretarius, profectus cum eo in Baſileam, & reditus in Italiam cū Bartholomæo Epiſcopo Nouarienſi, eiuſque Oratio in ſchola Papienſi.

Concilium eo tempore apud Baſileam Heluetiæ vrbem Rheno adiacentem indictum, cœptumque fuit: Dominico, qui Romæ contemnebatur, Baſileæ ſuam dignitatem vendicare propoſitum erat. Ab hoc Aeneas in ſecretarium receptus, Plumbinum, quod Populinum alii vocant, ex Populoniæ ruinis ædificatum, cum eo venit. Ibi, cum Dominicus, quia terra non patebat, iter per mare Liguſticum Genuam petere inſtituiſſet, iamque nauis in conſpectu eſſet, qua traiicere animus erat, Iacobus

Appia-

Appianus tyrannus loci, quamuis amicum ſe fingeret, Dominicum, ne quod veheret nauigium, inhibuit: at ille vbi dolos ſenſit, egreſſus oppidum vno tantum comite ad littus profugit: atque ibi lembum nactus, ad nauim, quæ in alto pelago vagabatur, excurrit. Quo intellecto, ceteris, qui de familia Dominici fuerunt, data eſt nauigandi facultas: nec enim plumas tyrannus inſequendas putauit, qui carnes amiſiſſet. Sequenti die Aeneas, & Petrus Noxetanus, qui etiam Dominici ſecretarius fuit, omneſque domeſtici, qui noctem in Ilua inſula ſub diuo pergelidam duxerant, in nauim ad Dominicum peruenerunt. At cum Genuam tenderent, ingentibus iactati procellis in conſpectum Libyæ delati ſunt, timentibus admodum nauris, ne barbaris portubus redderentur: quamuis mirabile dictu, & auditu prope incredibile, certum tamen eſt eos vna die, ac nocte ab Italia ſoluentes inter Iluam, & Corſicam in Africam propulſos: rurſus mutatis ventis retrouectos inter Corſicam, & Sardiniam fluctuantes magis quam nauigantes ad Italiam reuerſos portum Veneris appuliſſe: vbi recepta triremi felici nauigatione Genuam, atque inde Mediolanum terreſtri itinere petierunt: ibi magnum illum Ducem, & fama clarum Philippum Mariam viderunt: nec diu morati per alpes quas ſancti Gothardi appellant, niue glacieque rigentes, ac prærupto s& cælo vicinos montes Baſileam venere. Sigiſmundus Imperator per id tempus Parmæ hiemabat, Romam æſtate ſequenti conceſſurus. In Baſilea Dominicus apud ſynodum cardinalatus cauſam mouit; atque Aenea procuratore reſtiturus eſt dignitati. At cum Dominicum paupertas premeret, quia prohibente Eugenio nil ei propinqui miniſtrabant; Aeneas ad Nicodemum Scaligerum epiſcopum Friſigenſem, cuius pater apud Veronam tyrannidem obtinuerat, & illo ex Baſilea recedēte ad Bartholomæum vicecomitem epiſcopum Nouarienſem ſeſe recepit, ab vtroque dictandi, atque ſignandi epiſtolas officio præpoſitus. Cum Nicodemo ad Principes electores, qui Frankfordiæ conuenerant, profectus eſt: cum Bartholomæo in Italiam rediit: diuque apud Philippum ducem Mediolani, cui Bartholomæus ſeruiebat, verſatus eſt. In eius ſenatu cum duo de rectoratu ſcholæ Papienſis contenderent, alter Mediolanenſis, genere clarus, ex domo Crottiadum, alter Nouarienſis, humili familia natus, & Mediolanenſi pars maior vniuerſitatis, faueret, qui iam magiſtratus inſignia aſſumpſerat; ac duos patruos in conſilio principis admodum potentes habebat, Aloiſium, & Lanzellottum; Aeneas Nouarienſis partes accepit, tantumque ſua oratione contendit, vt erepta Mediolanenſi dignitas Nouarienſi traderetur.

Interiecto deinde tempore ad Eugenium, qui Florentiæ ſedebat, cum Bartholomæo perrexit: inde ad Nicolaum Piccininum clarum illius ætatis & præcipuum belli ducem, apud balneas Senenſes lauantem, non paruis de cauſis diuertit, ac tum primum ſuos neceſſarios, & amicos reuiſit veteres, dies quinque apud eos manens. At cum rediiſſet Florentiam, comperit Bartholomæum apud Eugenium magnis de rebus accuſatum capitali iudicio laborantem: ob quam cauſam ad Nicolaum cardinalem ſanctæ Crucis probatiſſimum, & laudatiſſimum patrem confugit, qui & ipſum in ſecretarium accepit, & Bartholomæum è manibus Eugenii liberauit. Thoma Sarezano magiſtro domus, qui poſtea ſummi Pontificis cathedram aſcendit; Nicolaus Papa Quintus appellatus, ac Petro Noxetano, cuius ſupra mentio facta eſt, fauentibus; atque optantibus, cardinalis ſanctæ Crucis eo tempore legatus in Franciam deſignatus erat, inter Carolum Francorum, & Henricum Anglorum reges pacem compoſiturus: cum eo Aeneas tertio Mediolanum, & vrbis ducem vidit, atque inde montem Iouis, quem ſancti Bernardi melius hodie vocitant, ad Amedeum Sabaudiæ ducem, qui tunc ſpreto ſæculo in eremo apud Thononium ſupra lacum Lemanum magis voluptuoſam quam pœnitentialem cum ſex viris equeſtris ordinis, qui ſecum penulam, & baculum aſſumpſerant, vt mos eſt eremitis, vitam degebat: credo, quod poſt annis octo ſecutum eſt, expectans ad ſummi Pontificatus cathedram per patres, qui Baſileæ conuenerant, euocari: nam & tunc rumor increbuerat Amedeum Papam futurum. Eo ſalutato Cardinalis Baſileam venit; atque inde per Rhenum Coloniam Agrip-

Fit Aeneas Secretarius cardinalis Sanctæ Crucis, cum quo in Franciā proficiſcitur, ab eodemq; poſtea in Scotiā mittitur.

pinam nauigauit: vbi rurſus equis conſcenſis per Aquiſgrani, Leodiumque, atque Lonanium, Duacum, & Tornacum in Atrebates deſcendit, vbi conuentus totius Galliæ, & Angliæ cardinalis morabatur. Dux Burgundorum Philippus per id temporis aduerſus regem Franciæ, qui patrem eius occiderat, Anglicorum parti fauebat. Cardinalis primum pacem vniuerſalem componere ſtuduit: id vbi ſucceſſit, Philippum, qui regni Angliæ tamquam regnum Franciæ ad eum pertineret, fidem dederat, iuramento abſolutum Regi Franciæ reconciliauit: tum quoque de bono pacis Aeneas ad Philippum epiſtolam verſu conſcripſit. Prius autem quam Philippus ab Anglicis deficeret, cardinalis Aeneam in Scotiam miſit, qui prælatum quendam in regis gratiam reduceret.

Alphonſi captiuitas, & Aeneæ in itineribus grauia pericula mariſq; procella, & Anglia mirabilia.

Per id temporis rex Aragonum Alfonſus cum fratribus, & omni nobilitate regnorum ſuorum per Genuenſes, ſub auſpiciis Philippi ducis Mediolani, maritimo bello victus, & captus eſt. Aeneas, vt Caleſium venit, quod eſt oppidum continenus in Oceani ripa obiectum, Anglis mox quaſi ſuſpectus, apud hoſpitem commendatus, neque progredi, neque regredi permiſſus: auxilio fuit cardinalis Vintonienſis, qui ex Atrebato rediens dimitti eum iuſſit. At cum veniſſet Aeneas ad regem Angliæ, litteraſque peteret, quibus in Scotiam tutus iret, retrocedere iuſſus eſt, timentibus Anglicis ne apud regem Scotiæ hoſtem ſuum contra ſe aliquid moliretur, quem conſtabat cardinalis ſanctæ Crucis eſſe ſecretarium: & illum Anglici ſingularibus inimicitiis inſectabantur, qui ab eis Burgundorum ducem alienaſſet, quæ res penitus Aeneam latebant, grauis ſibi, ſed neceſſarius reditus fuit, quo fruſtra ſe maris periculo commiſiſſet: placuit tamen, quia populoſas ditiſſimaſque Lundonias vidit, & ſancti Pauli nobile templum, regumque mirificas ſepulturas, & Themiſiam fluuium non tam velocius euntem, quam redeuntem, pontemque inſtar vrbis, & villam in qua naſci caudatos homines fama prædicat, & (quod omnibus nomen aufert) aureum diui Thomæ Cantuarienſis mauſoleum adamantibus, vnionibus, atque carbunculis tectum, ad quod materiam argento viliorem nefas offerre ducunt. Remenſo igitur mari ad oppidum, quod Bruggis vocant, ſe contulit, atque inde Cluſas petiit, vbi portus eſt totius Occidentis frequentiſſimus: vbi nauem ingreſſus, dum Scotiam petit, in Noruegiam propellitur, duabus maximis iactatus tempeſtatibus, quarum altera quatuordecim horas mortis metum incuſſit, altera duabus noctibus, & vna die nauim concuſſit, atque in fundo perfregit, adeoque in Oceanum, & Septentrionem nauis excurrit, vt nulla iam cæli ſigna nautæ cognoſcentes ſpem omnem ſalutis amitterent: ſed affuit diuina pietas, quæ ſuſcitatis aquilonibus nauim ad continentem repulit, ac duodecimo tandem die terram Scotiam patefecit: vbi apprehenſo portu Aeneas ex voto decem millia paſſuum ad beatam Virginem, quam de Alba eccleſia vocitant, nudis pedibus profectus, cum illic boris duabus quieuiſſet, aſſurgens moueri loco non poterat debilitatis atque obſtupefactis hiemali frigore pedibus. Saluti fuit nihil edendum illic inueniſſe, atque in aliud rus migrandum fuiſſe: quo dum famulorum ope magis portatur, quam ducitur, pedetentim terram quatiens calefactis pedibus ex inſperato ſanitate recepta ambulare occepit. Ad regis denique præſentiam intromiſſus, nihil non impetrauit ex his, quæ petitum venerat; ſumptus ei viarum reſtituti ſunt, & in reditum quinquaginta nobilia, ac duo equi quos gradarios appellant, dono dati.

Scotorũ mores varii, & quæ apud eos naſcũtur, & Aeneæ contingentia eiſq; diuina ope ſublatum periculum, ac per Angliã vaferrimus tranſitus.

De Scotia hæc relatu digna inuenit. Inſulam eſſe Angliæ coniunctam, in ſeptentrionem portentam ducenta millia paſſuum longitudinis, quinquaginta latitudinis habentem, terram frigidam, paucarum frugum feracem, magna ex parte arboribus carentem: ſubterraneum ibi eſſe lapidem ſulphureum, quem ignis cauſa defodiunt: ciuitates nullos habere muros, domos magna ex parte ſine calce conſtructas, villarum tecta de ceſpitibus facta, boſtia ruſticana corio boum clauſa: vulgus pauper, & incultum, carnes, & piſces ad ſaturitatem, panem pro obſonio comedere: viros ſtatura paruos, & audaces, feminas albas, & venuſtas, atque in venerem procliues: baſiationes feminarum minoris illic eſſe, quam manus in Italia tractationes: vinum non haberi niſi importatum, equos natura gradarios

rios omnes, paruique corporis inueniri, paucis pro ſemine ſeruatis reliquos caſtrati ſolitos, neque fricari equos ferro, aut ligno pecti, neque frænis regi: oſtrea illic maiora quam in Anglia reperiri: ex Scotia in Flandriam corium, lanam, piſces ſalſos, margaritaſque ferri: nihil Scotos audire libentius quam vituperationes Anglorum: Scotiam duplicem dici, alteram cultam, alteram ſilueſtrem, agro carentem: ſilueſtres Scotos lingua vti diuerſa, & arborum cortices nonnunquam habere pro cibo: in Scotia non inueniri lupos: Cornicem nouam eſſe, atque idcirco arborem, in qua nidificauerit, regio fiſco cedere: hiemali ſolſtitio (tunc enim illic fuit) diem non vltra quatuor horas in Scotia protendi. Peractis rebus cum redeundum eſſet, è veſtigio magiſter nauis, qui eum vexerat, ad Aeneam accedens locum redeunti in naui obtulit, quem prius habuerat: cui Aeneas non tam futuri præſcius, quam præteriti periculi memor, Si fruſtra Neptunum, inquit, accuſat, qui bis periculum incidit, quid in eum dicere oportet, qui tertio naufragium patitur? hominum ego quam maris experiri miſericordiam malo: dimiſſoque nauta, iter ſibi per Angliam delegit. Nec mora, ſoluens à portu, nauis in conſpectu omnium tempeſtate vexata colliſa & ſubmerſa eſt, magiſtro, qui rediturus in Flandriam nuptias cum noua ſponſa celebraturus erat, & omnib. aliis voragine maris abſorptis, præter quatuor, qui arreptis quibuſdam tabulis nantes euaſere. Tunc ſe diuino nutu, beneficioque ſeruatum Aeneas intelligens, diſſimulato habitu ſub ſpecie mercatoris per Scotiam tranſiuit in Angliam. Fluuius eſt, qui ex alto monte diffuſus vtramque terram diſterminat: hunc cum nauigio tranſmeaſſet, atque in villam magnam circa ſolis occaſum declinaſſet, in domum ruſticanam deſcendit, atque ibi cœnam cum ſacerdote loci, & hoſpite fecit: multa ibi pulmentaria, & gallinæ, & anſeres afferebantur in eſum, ſed neque vini, neque panis quicquam aderat, & omnes tum feminæ vtrique villæ, quaſi ad rem nouam accurrerant: atque vt noſtri vel Aethiopes, vel Indos mirari ſolent, ſic Aeneam ſtupentes intuebantur, quærentes ex ſacerdote cuias eſſet, quidnam facturus veniſſet, Chriſtianam ne fidem ſaperet. Edoctus autem Aeneas itineris defectum, apud monaſterium quoddam panes aliquot, & vini rubei metretam receperat, quibus expoſitis maior admiratio barbaros tenuit, qui neque vinum, neque panem album viderant. Appropinquabant autem menſæ prægnantes feminæ, earumque viri attrectantes panem, & vinum odorantes portionem petebant, inter quos totum erogare neceſſum fuit. Cumque in ſecundam noctis horam cœna protraheretur, ſacerdos, & hoſpes cum liberis, viriſque omnibus Aenea dimiſſo abire feſtinantes, dixerunt ſe ad turrim quandam longo ſpatio remotam metu Scotorum fugere, qui fluuio maris refluxu decreſcente noctu tranſire, prædarique ſoleant, neque ſecum Aeneam multis orantem precibus quoquo pacto adducere voluerunt, neque feminarum quampiam, quamuis adoleſcentulæ, & matronæ formoſæ complures eſſent: nihil enim his mali facturos hoſtes credunt, qui ſtuprum inter mala non ducunt. Manſit ergo illic ſolus Aeneas cum duobus famulis, & vno itineris duce inter centum feminas, quæ corona facta medium claudentes ignem, cannabumque mundantes, noctem inſomnem ducebant, plurimaque cum interprete fabulabantur. Poſtquam autem multum noctis tranſierat, latrantibus canibus, & anſeribus ſtrepentibus ingens clamor factus eſt: tumque omnes feminæ in diuerſum prolapſæ, dux quoque itineris diffugit, & quaſi hoſtes adeſſent, omnia tumultu completa. At Aeneæ potior ſententia viſa eſt in cubiculo, id enim ſtabulum fuit, rei euentum expectare, ne ſi foras curreret ignatus itineris, cui primum obuiaſſet, ei ſe prædam daret: nec mora, reuerſæ mulieres cum interprete nihil mali eſſe nuntiant, atque amicos, non hoſtes veniſſe. Qui vbi dies illuxit, itineri ſe commiſit, atque ad Nouum caſtellum peruenit, quod Cæſaris opus dicunt: ibi primum figuram orbis, & habitabilem terræ faciem viſus eſt reuiſere: nam terra Scotia, & Angliæ pars vicina Scotis, nihil ſimile noſtræ habitationis habet, horrida, inculta, atque hiemali ſole inacceſſa. Exinde Dunelmiam venit, vbi ſepulchrum venerabilis Bedæ presbyteri ſancti viri hodie viſitur, quod accolæ regionis deuota religione colunt. In Eboracum quoque deſcendit, magnam, & populoſam vrbem, vbi templum eſt & opere & magnitudine toto orbe memorandum, & ſacellum lucidiſſimum, cuius

parietes vitrei inter columnas ad medium tenuiſſimas colligati tenentur. Inter equitandum comes ei vnus ex iudicibus Angliæ factus eſt, qui tunc Lundonias ad iudiciũ properabat, hic omnia quæ apud Atrebatum geſta erant, quaſi ignaro Aeneæ referebat: multaq; in cardinalem ſanctæ Crucis maledicta iactabat, quem lupum ouina pelle veſtitum appellabat. Quis non eiuſmodi fortunæ caſus demiretur? Is Aeneam vſq; Lundonias ſecurum perduxit, qui ſi nouiſſet hominem, mox in carcerem conieciſſet. In Lundoniis autem comperit Aeneas interdictum regis eſſe, ne quis peregrinus abſque litteris regis inſula exiret, neque illas petere tutum videbatur. Corrupit igitur pecunia cuſtodes portus, quod apud id genus hominum minime arduum eſt, quibus nihil eſt auro dulcius. Ex Dubla igitur Daleſium nauigauit, atque inde Baſileam petiit, & itinere continuato Mediolanum: vbi certior factus cardinalem ſanctæ Crucis ex Florentia miſſum per vallem Atheſis, & montes, quos Arelatenſes appellant, Baſilienſe concilium adire, ad eum ſuperatis alpibus, quas Brigæ vocitant, per vallem Seduni profectus eſt.

Dignitas Aeneæ in concilio Baſilienſi, & eius beneficia. & morbo apud Mediolani grauiſſimo.

Referam nunc paucis, quæ in Baſilienſi concilio Aeneæ obtigerunt, & quæ illic ab eo cum laude geſta ſunt. Agebatur eo tempore de tranſlatione concilii in alium locum, ad quem Græci venturi putarentur: quatuorq; in electionem loca dabantur, quæ pecuniam ad rem Græcorum neceſſariam offerebant, Florentia, Vtinum, Papia, & Auennio: cumq; in laudem cuiuſque loci in auditorio maximo copioſe peroratum fuiſſet, ſolique Papiæ commendationes defuiſſent, quod Iſidorus Roſatenſis, quem Philippus Maria dux Mediolani ad eam rem miſerat, inepte atque inſulſe verba faciens, quieſcere iuſſus erat: Motus Aeneas & vrbis egregiæ, & principis eius contemptu, conſcripta per noctem oratione ſequenti die ad conuentum veniens, obtenta ex auctoritate Iuliani legati copia dicendi, orationem duabus horis cum omnium ſingulari attentione & admiratione perorauit, cuius exemplar omnes, qui aderant, edi poſtmodum ſibi curauerunt. Abhinc Aeneæ & concilium gratius, & dux Mediolanenſium fauentiſſimus fuit: namque quamuis ſolo pſalmiſtatus charactere inſignitus eſſet, tamen & ſcriptoris, & abbreuiatoris officium aſſecutus eſt, in duodecimuiratu ſæpe fuit, quod munus quamuis trimeſtre, tamen magni ponderis erat, nihil enim deputationes deliberare poterant, niſi materiam à duodecimuiris accepiſſent: neque ad cõcilium quiſquam admittebatur abſque horum decreto. In deputatione ſua, cui fidei nomen erat, ſæpe præſedit. Claues plumbi, quo Synodales litteræ ſignabantur, frequenter in eius cuſtodia fuerunt: inter ſcriptores nemo ad Reſcribendariatum ſæpius electus eſt: inter Abbreuiatores parci maioris locum habuit: quoties è nationibus aliqui ad res ſingulares delecti ſunt, raro is vnus non fuit: legationes ſynodales ei ad Argentinam tres, ad Conſtantiam duæ, ad Frankfordiam vna, ad S. baudium vna demandatæ ſunt, atque omnes feliciter obiuit. Cum præpoſitus ſancti Laurentii Mediolanenſis baſilicæ diem claud ſſet extremum, Franciſcus Mediolanenſium pontifex ingenti & doctrina & ſanctimonia commendatiſſimus, mox approbante concilio Aeneam illi ſuffecit, quamuis eſſent complures & doctores, & magni viri natione Mediolanenſes, qui ſe promotos optabant. At cum in concione generali res agerentur, Iſidorus Roſatenſis æmulus Aeneæ, quod in laudanda Papia ſe inaudito fuiſſet auditus, Quid agitis patres? inquit: electiuam præpoſituram Aeneæ homini extero committitis? vbi decretum veſtrum quod tantopere ſeruari præcipitis? beneficia in terra Mediolanenſi abſque ſcitu, & voluntate principis de vobis optime meriti confertis? ciues, & doctores ſpernitis? alienos eligitis? niſi capitulum in ſuo iure dimittitis, ruent conatus veſtri, ridebiturq; prouiſio. Tum Aeneas, Vehementer, inquit, admiror, patres optimi, Iſidorum aduerſum me verba facere, qui nuper ex Mediolano reuerſus litteras Philippi ducis ad me detulit, quibus ille princeps gratias mihi agit, quod eius cauſam hoc in loco perorauerim: atque ob eam rem gratum ſibi eſſe affirmat in eius territorio quodcunque beneficium me acceptare, cuius libenti animo poſſeſſionem ſit mihi daturus. Non igitur ille me extraneum habet: neque noua res eſt, vnius regionis homines in altera dignitates habere, ſi modo linguam norint: nam & archiepiſcopus ex Bononia Mediolanum venit. Neque mouere quemquam debet, quod de decreto electionis obiicitur: inferiores enim, non concilium obligat:

illis inſuper capitulis electio dimittenda eſt, quæ plures graues canonicos, non quæ duos tetiue habent & leues, & indoctos, vt in eccleſia ſancti Laurentii, de qua nunc agimus, qui tales ſunt, vt habentes eligendi poteſtatem non eligant quidem, niſi iuſſi hunc aut illum eligere. Vos patres agetis vt libebit: nihil peto, quod veſtro ſit honori aduerſum: quod ſi mihi prouidendum duxeritis, voluntatem veſtram ſine poſſeſſione electioni capitulari cum poſſeſſione prætulerim. Ad quæ cum Iſidorus reſpōſurus aſſurgeret, vniuerſæ concionis clamore correctus obticuit. At Aeneas Mediolanū profectus, nobilem quendam ex magna domo Landrianorum iuſſu ducis per capitulum ad eam præpoſituram vocatum, & in poſſeſſionem adductum inuenit, quem ſibi mox cedere compulit, tantum Aeneæ & princeps, & curia fauit. Sed obtenta præpoſitura, lectum ægritudinis incidit, ingenti febre correptus, ad quem Philippus ſuum medicum doctum & lætum virum Philippum Bononienſem, qui poſtea Nicolao Papæ ſeruiuit, ſingulis diebus mittebat. In hac ægritudine cum pharmacum accepiſſet, neque id quicquam operatum eſſet, potionemque alteram ſequenti nocte ſumēdam medicus præparaſſet, ipſa hora, qua miniſtrari ſecundum pharmacum debuit, moueri venter cœpit, atque adeo vexauit hominem, vt nonaginta vicibus aſſurgere cogeretur: ob quam rem mente alienatus ad portas (vt aiunt) mortis vſque cucurrit: quod ſi potionem alteram ebibiſſet, animam proculdubio extenuatus atque conſumptus exhalaſſet: quod certiſſimūm Dei beneficium intelligēs, quamuis quinque & ſeptuaginta dies continuo febris ardore quateretur, nunquam tamen adduci potuit, vt incantatores auſcultaret, quamuis homo ad ſe adduceretur, quem nouiſſime in caſtris Nicolai Piccinini duo millia virorum ex febribus liberaſſe diceretur. Sed Deo fidēs, cuius ope ſeruatus in vita fuerat, adhuc febricitans iter arripiens, inter equitandum liberatus, Baſileam reuerſus eſt: vbi cum ſolemnitas ageretur Diui Ambroſii Mediolanenſis, inuitante archiepiſcopo ſermonem de laudibus ſancti patris ad ſynodum habuit, quamuis theologi reſtitiſſent, qui ſibi id muneris expetebant: ſed prælatus cunctis Aeneas incredibili attentione ab omnibus auditus eſt.

De Sigiſmundi Cæſaris morte, & Alberti ſucceſſione, Aeneæ peſtilenti morbo, & mirabili cura.

Interea mortuo Sigiſmundo Cæſare, atque Alberto in eius locum ſubrogato, miſſus ad eum Bartholomæus Nouarienſis epiſcopus à Philippo duce Mediolani, cum Baſileam veniſſet, Aeneas vt in Auſtriam ſibi comes iret, non paruis precibus impetrauit. Nondum Albertus imperium acceptauerat, aduerſantibus Hungaris, qui ea conditione ſuſceptum Hungariæ regnum dicebant, ne vel oblatum imperium aſſumeret: incertus autem quid ageret Albertus, legatos principum, qui aderant, cōſulendos cenſuit, tempuſque deliberantibus indulſit. Interim Bartholomæus rationes ab Aenea conſcriptas accepit, quibus & imperium acceptandum, & Hungari ad cōſentiendum induci poſſe videbantur. Quas cum in concilio recitaſſet, gratiæ ei publicæ actæ ſunt: & Albertus non conſentientibus modo, ſed vltro ſuadētibus Hungaris, imperatorem ſe dixit. At Aeneas Auſtriæ moribus offenſus, quos nondum plane norat, dimiſſo apud Viennam Bartholomæo, cum Ludouico patriarcha Aquilegiēſi, homine nobili ex Ducibus Deck, Baſileam rediit, neſcius quod magnam vitæ partem in Auſtria poſtmodum eſſet acturus: nulli, hac non ibo, dicere licet: prudens premit Deus caliginoſa nocte futurum. Hic annus apud Germanos neque vini, neque tritici ferax fuit. In Baioaria pueri paſſim, innuptæque puellæ ex tranſeuntibus panem petebant, atque vt inter canes oſſa proiecta, ſic inter illos buccellæ panis iactatæ litem mouebant: nec diu poſt aſſecuta eſt acerbiſſima lues, quæ totam Alemaniam infecit: hæc in Baſilea Ludouicum patriarcham, Ludouicumque protonotarium Romanum, quē dicebant iuris lumen, extinxit ac admodum multos prælatos morti dedit, infinitam plebem proſtrauit: tantaque rabies morbi fuit, vt amplius quam trecenta cadauera vna dies ſepelierit, tumque cariſſimos amicos Aeneas amiſit, Iulianum Romanum, & Arnoldum Theutonicum, quibus ægrotantibus vſque ad animæ tranſitum comes intrepidus aſtitit. Sed neque ipſi peſtis ignouit, qui vt ſe tactum intellexit, vocatis comitibus vt abirent ſuaſit, ne ſibi morituro aſtantes inficerentur. Ex his Iacobus Caluetius territus ex Baſilea receſſit: Andreas Panigalius conſtantioris amicitiæ ſocius, etiam ſi mori oporteret abiturum ſe negauit: Ioannes Steynoſius Theutonicus tunc illi ſeruiebat: ac Petrus Iuliani Romanus cum his habito de medicis conſilio, cum ac-

Digitized by Google

cepiſſet duos eſſe in ciuitate celebres, alterum Pariſienſem, & doctũ, ſed irreligioſum, alterum Theutonicum indoctum ſed pium, Æneas pietatem ſcientiæ prętulit: quia morbi peſtiferi incertam eſſe curam ſciebat. Curatio hæc fuit. Quoniam ſiniſtrum inguen læſum erat, ſiniſtri pedis vena aperta eſt: tum die tota, & in partem noctis prohibitus ſomnus, exin puluis quidam ebibitus, cuius materiam reuelare medicus noluit: vlceri, & loco læſo nunc rafani viridis ſucci pleni inciſæ portiones, nunc madidæ cretæ fruſta ſupponebantur. Inter hæc aucta febris ingentem capitis dolorem, ac ſalutis deſperationem adduxit: quibus ex rebus vocari ad ſe ſacerdotem Æneas iuſſit, atque mox confeſſus, communicatus; atque innunctus eſt, nec diu poſt mente alienatus, interrogantibus aliena reſpondit. Tumq; fama vulgata eſt Æneam mortuum eſſe, quæ res illi Mediolanenſem præpoſituram abſtulit, altero in poſſeſſionem recepto, qui propter diuiſionem Eccleſiæ repelli non potuit. Sed miſerante diuina pietate, poſt ſex dies Æneas conualuit, qui cum ſex aureos medico in mercedem offerret (mira fides, bonitaſq; viri, atque in medico forſitan inaudita) indignum ſe tanto præmio medicum exiſtimans, Si hoc, inquit, auri me vis accipere, ſex pauperes ſine pretio ægrotos curabo, idq; facturum iureiurando ſe aſtrinxit. Exin vacantibus per obitum Ioannis Andreæ Poloni canonicatu, & præbenda eccleſię Tridentinæ, concilium illos Æneæ ſummo fauore contulit, quamuis competitores eſſent non pauci, neque contemnendi homines: ad quorum poſſeſſionem capiendam profectus, Vilichinum quendam Theutonicum litigioſum, & verſutum hominem, qui ſe ex auctoritate capituli in illis intruſerat, placatis canonicis, & in ſuum fauorem adductis extruſit.

Depoſitio Eugenii in Concilio, & Felicis creatio, cuiuſque Secretarius Æneas.

Hoc tempore Baſilienſes Eugenium Papam ſuis decretis è ſummo pontificatu temere deiecerant, ac de includendo aliquo pro ſucceſſore ſolliciti, ex qualibet natione octo viros aſſumpſerant, ita vt eſſent duo & triginta, quibus eligendi Romani pontificis poteſtatem conceſſerant: cumque Italicos nominarent, Æneam vocabant: & quia nondum ſacris ordinibus initiatus incapax eius officii videbatur, litteras ei dedere, quarum vigore vna die extra tempora à iure ſtatuta ſubdiaconatum, & diaconatum cum minoribus ordinibus aſſumere poſſet: ſed noluit Aeneas eam ob cauſam ſacris ſe imbuere: conclaue tamen velut cæremoniarum clericus intrauit, viditque cæremonias omnes, quibus vſi ſunt Baſilienſes in electione Amedei ducis Sabaudię, quem Felicem Quintum Papam appellauerunt: ad quem Aeneas adhuc eremum colentem perrexit, atq; ab eo in ſcriniatium receptus, & in Ripalia, & in Thononio, & in Gebennis, & in Lauſana, & in Baſilea tamdiu ei ſeruiuit, donec Federicus tertius Romanorum rex, qui Alberto defuncto ſucceſſerat, Frankfordiam, & Alemaniæ partes inferiores petens, apud Aquiſgrani regni coronam accepit: ad quem cum Felix legatos mitteret, Aeneam quoque iuſſit eo pergere: qui cum conſiliarios Federici ſæpius alloquitur, in amicitiam grauis & docti viri Silueſtri Chiemenſis epiſcopi recipitur.

Æneas poeta laurea corona donatur, ab Imperatore Protonotarius efficitur, eiusque ſumma patientia, & legationes variæ.

Deinde Iacobi Treuerenſis archipontificis, & electoris imperii, hominis qui nobilitatem cũ virtute coniunxerat, in notitiã familiaritatẽq; venit: atq; ab his in gratiam Cæſaris adductus, ac laurea corona, poetarũq; priuilegiis donatus, ei vt ſeruiret, ſuamque curiam ſequi vellet rogatus eſt: cui Aeneas cum nulli iuſtius quàm imperatori ſeruiturum reſponderet, quia tamen apud Felicem ſecretarii locũ tenebat, indignum exiſtimauit, iniuſſu eius in alterius domini poteſtatem tranſire: ſed ait Baſileam ſe reuerſurum, Feliciſq; voluntatẽ quæſiturũ: quã ſi aſſequi poſſet, non inuitum Cæſaris curiã ſecuturum. Cæſari, qua Baſilea tranſiturus erat, non ingratum reſponſum fuit. At Aeneas cum ad Felicem rediiſſet, neque ſuopte ingenio abeundi poteſtatem obtinere poſſet: interpoſitis tandem amicis ægre dimiſſus eſt: qui ad Federicum tranſiens, cum is ex Burgundia reuerſus Baſileã petiuiſſet, in ſecretarium admiſſus, in Romana cancellaria protonotarii locum obtinuit: iuſiurandum apud Briſcinam Cæſari præſtitit: nam & ibi Gaſpar Slichius cancellariam accepit, quã prius apud Sigiſmundum, & Albertum Cæſares obtinuerat, nobilis eques, ingenio prompto, & facundia grata, cui vel inaudita, vel rara laus obtigit, vt trium Cæſarum cancellarius fieret. Is, cum legatum Cæſaris apud Nurembergam ageret, regimen cancellariæ Wilhelmo Tat

mo Tat

mo Tez homini Baioario, & Italici nominis hoſti commiſit, à quo miris modis Aeneas afflictus eſt: qui cum ſtatuiſſet malum in bono vincere, auriculas declinauit, vt iniquæ mentis aſellus, cum grauius dorſo ſubit onus: atque ita, licet vltimus omnium haberetur, neque io menſa, neque in cubiculo dignum ſe locum haberet, ac inuiſus, vt hoſtis ſperneretur, irrideretur que, æquo animo tulit omnia: vnus tamen inter conſecretarios fuit, qui cum manſuetiores amaret muſas, & ſtudia ſectaretur humanitatis, Aeneam bene ſperare iubebat, quia redeunte cancellario meliorem conditionem inueniret: neque mentitus eſt: nam cum rediiſſet Gaſpar, atque quid Aeneas valeret, nunc vna, nunc altera in re tentaret, cum reperiret ingenioſum, induſtrium, & laboris patientem hominem, magnifacere, & præferre eum cœpit. Ad hæc acceſſit, quia cum Senis ageret Gaſpar, eo tempore quo Sigiſmundus Imperator illic erat apud Nicolaum Lollium ſpectatum virum, eiuſque coniugem nobilem matronam Bartholomæam Ptolemæam, Aeneæ amitam hoſpitium habuit, ac nepotem eius ex Margarita natum ſacro de fonte leuauit, quem ſuo ex nomine Gaſparem vocauit: ob quas res carior Gaſpari factus, cum iterum ille in legationem abiiſſet, gubernationi cancellariæ præfectus eſt, eamque rexit quotiens Gaſpar abfuit. At Vuilhelmus, qui primum Aeneam conculcabat, vereri eum coactus eſt, vt intelligerent omnes humilitatem facile tolli ſurſum, ſuperbiam facilius deorſum ruere. Vuilhelmus tamen inuidiæ ſuccumbens, imperialem curiam paulo poſt reliquit, ceteri in gratiam cum Aenea redierunt: qui apud Cæſarem in dies creſcens, ad res magnas, & arduas vocatus, in conſilium ſecretius tandem receptus eſt. Prima ei legatio apud Tergeſtinos fuit, q·os Cæſari fidelitatem iurare ſuaſit, atq; ab eis iuſiurandum recepit. Exinde cum apud Nurembergam imperator, & principes electores ad ſublationem controuerſiæ intenderent, quæ inter Eugenium Quartum, & Felicem Quintum vigebat, placuiſſetq; vt imperator quatuor viros eligeret, elector quilibet duos, & alius quiuis princeps vnum, qui auditis Eugenii, ac Felicis oratoribus prouiderent, ne quid reſpublica Chriſtiana detrimenti pateretur: Federicus Cæſar hos nominauit, Silueſtrum Chiemenſem epiſcopum, Thomam Haſelbachium theologum, Vlricum Sonnembergium, & Aeneam.

Interim Aeneas Sarantanæ vallis parochialem eccleſiam fauore Cæſaris aſſecutus eſt, quæ aureos ei ſexaginta quotannis reddidit: ſita in alpibus, quæ Germaniam ab Italia diſterminant. Ea vallis vno tantum aditu, eoque altiſſimo, & perdifficili, patens niuibus & aſperrima glacie tribus anni partibus obtecta rigeſcit. Loci accolæ totas hiemes domi ſe continent, ciſtas, & quæ ſunt opera carpentariorum ſolerter agentes, quæ per æſtatem Bulzani, Tridenti q; vendunt: ſcaccorum, ac alearum ludo tempori plurimum terunt, illumq; mirum in modum callent: nullos hos belli metus occupat, neque honoris cupido cruciat, neque auri magna fames atterit: horum opes pecora ſunt, quæ per hiemem fœno nutriunt, hiſq; viuunt: inter quos & homines inuenire eſt, quos nunquam bibiſſe conſtat, quibus pro potu eſt cibus lacteus. Qui procul ab eccleſia degunt, corpora hiemis tempore defuncta ſub diuo reponūt, atq; adſtricta gelu in æſtatem ſeruant: tunc plebanus parochiam circumiens longum funeris ordinem ducit: dicenſq; nouiſſima verba, in cœmeterium plura ſimul cadauera recipit, illi ſiccis genis exequias proſequuntur. Feliciſſimi mortalium ſua ſi bona cognoſcerent, libidini frænum ponerent: ſed diu noctuque commenſati, ſtupra & adulteria paſſim admittunt, neque virgo apud eos nubit. Verum hanc eccleſiam Aeneas breui dimiſit, meliorem aſſecutus in Baioaria ſanctæ Mariæ Aſpacenſis non longe ab Aeno flumine, quam ſibi Leonardus Patauienſis epiſcopus genere, atque magnificentia æque nobilis vltro contulit: litteriſque ei ſine pretio ad Stitiam miſſis.

Sarantana Vallis deſcriptio, & incolarum mores.

Poſt hæc cum iam Baſilienſes conditiones pacis refutaſſent, Aeneas ad Eugenium miſſus eſt: qui cum Senas veniſſet, vnanimi propinquorum voce prohibebatur Romam petere, qui Baſileæ infenſus Eugenio fuiſſet. Contra Aeneas oratorē Cæſaris non arbitrari ſeſe aicbat Romæ non tutum: onus legationis à ſe receptum aut abſoluendum eſſe, aut ſibi moriendum, atque parentibus inuitis & flentibus Romam perrexit. Gerardus Landrianus cardinalis Cumanus, cum quo ſibi vetus familiaritas

Æneas legatio ad Pontificem Eugenium, & cũ eo reconciliatur, & Thomæ Sarzanæ amicitia

erat, rectus pater, & amicitiæ tenax, ad Eugenii præſentiam ipſum introduxit. Libet
hic coram ſummo ſacerdote quibus verbis Æneas fuerit vſus referre: nam pauca
ſunt, & memoratu digna. Duo cardinales pontifici aſtabant, Cumanus, & Mo-
rinenſis, qui prius auctoritate apoſtolica ab omnibus cenſuris Aeneam abſolue-
rant, quas fauendo Baſilienſibus inciderat. In conſpectu ergo cum Eugenii veniiſſet
Aeneas, ad oſculũ pedis, manus, & oris ab eo receptus, reſtitutiſq; litteris iuſſus fuiſ-
ſet dicere, Prius, inquit, ſanctiſſime præſul, quam Cæſaris mandata referam, de me
ipſo pauca dicam. Scio multa de me tuis auribus inculcata eſſe neque bona, neque
digna relatu: ſed neq; mentiti ſunt, qui me tibi detulerunt. Plurima ego dũ Baſileæ
fui dixi ſcripſi, & feci, nihil inficior: at non tã tibi nocere, quàm Dei Eccleſiæ prodeſ- 1
ſe mẽs mea fuit. Errauí: quis neget? ſed neq; cum paucis, neq; cũ paruis hominibus:
Iulianum ſancti Angeli cardinalem, Nicolaum archiepiſcopum Panhormitanum,
Ludouicum Pontanum tuæ ſedis notarium ſum ſecutus, qui iuris oculi, & veritatis
magiſtri credebantur. Quid vniuerſitates, & alia orbis gymnaſia referam, quorum
pleraque aduerſum te ſentiebant? quis cum tantis hominibus non errauerit? verum
ego vbi errorem deprehendi Baſilienſium, fateor, non ſtatim ad te conuolaui, quod
plerique fecerunt: ſed veritus ne ab errore in errorem prolaberer, vt ſæpe in Scyllã
incidunt cupientes vitare Charybdim, ad eos me contuli, qui neutrales habebantur,
vt ab altero duorum extremorum ad alterum non ſine conſultatione, ac mora tranſ-
irem. Manſi ergo apud Cæſarem tribus annis: vbi dum magis ac magis contentiones 2
audio, quæ inter Baſilienſes, & tuos legatos fiunt, nihil mihi dubii relictum eſt, quin
te penes ſit veritas. Atque hinc factum eſt, vt cupienti Cæſari ad tuam me clemen-
tiam viam facere, non inuitus paruerim: Sic enim me tuam in gratiã redire poſſe ſum
ratus. Nunc apud te ſum, & quia ignorans peccaui, mihi vt ignoſcas oro: deinde cau-
ſam Cæſaris explicabo. Cui Eugenius, Scimus te, inquit, cum multis deliquiſſe: ſed
erratũ fatenti non poſſumus nõ ignoſcere. Eccleſia namq; pia mater neganti debitũ
nunquã remittit, fatenti nunquã retinet. Tu iam veritatem tenes, caue ne relinquas
eam, atq; bonis operibus diuinam gratiam quærito: eo in loco iam degis, vbi & veri-
tatem tueri poſſis, & eccleſiæ prodeſſe: nos iniuriarũ poſthac præteritarũ obliti, te be-
ne ambulantem bene amabimus. Atq; his dictis, ad res eccleſiæ ventũ eſt, ſuper qui- 3
bus Eugenius deliberandi tempus accepit. Medio tẽpore dum cardinalem Aquile-
gienſem Aeneas peteret, Thomã Sarezaneum tunc epiſcopum Bononienſem forte
fortuna obuium habuit, quẽ cum pro veteri beneuolentia ſalutãdum adiret, inuitũ,
ac ſe fugientem & horrentem offendit, vt qui Aeneam Baſilienſibus adhuc rebus
fauentẽ coniectabatur, quas ille ſingulari odio inſectabatur. Quod miratus Aeneas,
ac paululum indignatus ſubſtitit, neque illius vltra quæſiuit alloquium: at cum in-
teriectis deinde paucis diebus apud Iulianum Barattum veterem, & Baſilienſem a-
micum Aeneas decumberet iliorum graui dolore oppreſſus, commiſeratus Thomas
Martinum Hiſpanum fidum & probatum familiarem ad eum miſit, qui conſolare-
tur ægrotum, atq; in medicos offerret pecuniam. Ioannes Caruaiales, qui ſæpe apud 4
imperatorem legatus fuerat, ac poſtea cardinalatum obtinuit, nulla non die viſitauit
Aeneam: cardinales quoque ad eum mittebant: ſed & ſummus Pontifex Ioannem
Papienſem ſpectatum virum miſit, qui Aeneæ cuncta polliceretur; ad quærendam
ſanitatem neceſſaria. Ingens illa ægritudo fuit, tantaq; vis doloris, vt duodecim die-
bus quibus Aeneas decubuit, nulla non hora mortem optauerit. Sed reſtitutus deni-
que, reſponſo ab Eugenio recepto, qui ſe miſſurum ad Cæſarem dixit, Senas repetiit:
& conſolatus patrem, quem poſtea numquam vidit, ſalutatiſq; propinquis omnibus,
in Alemaniam rediit. In via autẽ apud ſanctum Caſſianum Thomæ epiſcopo Bono-
nienſi, qui Romã ibat, datus obuiã gratias egit, quod ſui ægrotãtis memor Romæ fuiſ-
ſet, atq; ibi combibentes priſtinam beneuolentiam integrarunt. Non tamen adhuc 5
vera hæc reconciliatio viſa eſt Thomæ: nam cum interiecto deinde tempore legatus
ad Cæſarem proficiſceretur, Petrum Noxetanum familiarẽ & propinquum ſuum, at-
que Aeneæ verum & antiquum amicum interpellauit, ſibi vt litteras commendato-
rias ad eum daret: ſed minime his opus erat. Aeneas enim nullius rei conſueuit, quã
inimicitiarum facilius obliuiſci: receptis tamen Petri litteris in omne officiũ Thomæ

præſtan-

præſtandum tanto ſeſe magis voluntarium exhibuit, quanto duarum amicitiarum quam vnius eſt ſolidior nexus: quibus ex rebus deterſa eſt omnis rubigo ſimultatis, & amicitia, quam olim fuit, eo maior innouata eſt.

Venit & Thomæ comes, qui paulo ante à Cæſare receſſerat, Ioannes Caruaiales, atque is litteris Eugenii ad Aeneam detulit, quæ ſecretariatus apoſtolici ſibi officium demandabant, cuius poſtea iuramentum Romæ præbuit, magnum, vt mihi videtur, & ſingulare viri præconium: nec ſcio an alteri vmquam contigerit, eo gratiam Dei vnum efferre hominem, vt apud duos Romanos pontifices, vnum imperatorẽ, & vnum antipapam, ſecretariatu potiri poſſet. Nam hoc Aeneas muneris cum Felice primum, deinde Federico Cæſare, poſtea cum Eugenio, & demum cum Nicolao, non ſolum nomine, ſed re quoq; obtinuit. Per idem temporis electores imperii apud Frankfordiam conuenientes ob depoſitionem Colonienſis, & Iacobi Treuerenſis archiepiſcopi ab Eugenio factam commoti, occultum inter ſe fœdus percuſſerunt, niſi Eugenius irritam depoſitionẽ hanc decerneret, nationis onera tolleret, & auctoritatem conciliorũ, vt Cõſtantiæ declarata fuerat, profiteretur, ſe ſuam depoſitionem in Baſilea factam amplexuros: legatoſq; ad Cæſarem miſerunt, qui hæc ei ſoli, & ſex iuratis conſiliariis exponentes, vt fœderi ſe adiungerent, atq; cum eis mitterent Romam, orarent. Cæſar vt audiuit electorum mentem, miſſurum ſe ad Eugenium dixit, rogaturumque, vt eorũ petitionibus morem gereret. Fœdus autẽ ſpreuit, indignum atq; impium dicens, niſi Papa, quæ petuntur conceſſerit, ab eo deſcire. Miſit igitur Aeneam ad Eugenium, vt ſuaderet ei ne principes electores contemneret: maxime vero, vt depoſitis archiepiſcopis priſtinam ei redderet dignitatem. Sic enim futurum, vt Germani omnes depoſita neutralitate ad eius gremium redirent. Quod ſi durior in ſententia perſeueraret, timendum eſſe ne ſcandalum perpetuæ diuiſionis oriretur: quicquid autem electores inter ſe concluſerant, iniuratus Cæſar aperuit Aeneæ, atq; vt Papæ referret imperauit. Et quia rurſus Calendis Septembris apud Frankfordiam electores habituri conuentum erant, vt audito reſponſo Papæ ſecundum fœdus neutralitatem exuerent, Aeneam monuit, vt recta via Frankfordiam peteret, vbi legatos alios conuenturus, animum Eugenii eis notum efficeret. Legati inter hæc Apoſtolici quid rerum principes electores Frankfordia concluſiſſent, quid ex Cæſare peterent, quid Romam mitterent, cum diu quæſiſſent, nec certum aliquid excudere poſſent, vt alter eorum Romam pergeret, decreuerunt. Et quia Ioannes Caruaiales languens apud veterem hoſpitem ſuum Ioannem Gers mordacem, & inuidæ mentis hominẽ, acutis incenſus febribus iacebat, Thomæ Bononienſi epiſcopo hæc prouincia ceſſit, qui Æneam itineris comitem accepit. Tempus tunc vernale fuit, in quo tanta cælo pluuia cecidit, vt omnes in Carinthia pontes ruperit, & ſecum flumine tulerit: ob quã rem per altiſſimos & inuios montes, atq; abruptas & niuoſas petras, monſtrantibus accolis, triduanum iter coacti ſunt pergere.

Fit Æneas Eugenii ſecretarius, & quidem ſingularis cum virtute fortuna, & electorum Imperii aduerſus Pontificem conuentu.

Cum Romam veniſſent, Eugenius, admonente Thoma, prius Æneam quam legatos electorum audiuit, facturumq; omnia promiſit, quæ Cæſar ſuaſit: atque inde Thomam ad Philippum Burgundorũ ducẽ direxit, cõſenſum vt archiepiſcoporũ reſtitutioni præberet, q, nepos eius in Coloniẽſis, & frater eius naturalis in Treuerenſis locũ vocatus eſſet: itaq; non videbatur illo incõſulto reſtitutio promittẽda. Mandatũ autẽ Thomæ fuit, poſtquã Philippi voluntatẽ intellexiſſet, vt Frankfordiam ſe cõferret: ſed cum is in expediendis litteris cunctatior videretur, Æneas, qui ſecum vſque Parmam iturum ſe dixerat, præcedendum exiſtimauit: atque cum Senas ſe apud ſuos recepiſſet, è veſtigio calculi ægritudinem incidit, ad quem lectulo decumbẽtem poſtridie Thomas venit, & quia feſtinandum erat, eo ſalutato receſſit: neque Æneas vinci morbo voluit, ſequenti die nondum ſanus eum ſecutus apud Carthuſiam Florentinorum apprehendit, atque cum eo Piſtorium, Lucamque profectus eſt. Aeneas tamen Florentiam intrauit: Thomas ingredi prohibitus. Apud Lucam cum Petro Noxetano diem morati ſunt, qui eos per vallem Carfanianæ comitatus eſt, donec ad Catherinam Thomæ ſororem venerunt. Ea Cæſaris nobilis hominis, & in valle potentis vxor erat, quæ fratrem iam longo tempore non viſum incredibili amore, & ingenti honore ſuſcepit: vbi relicto Petro per altos & aſperrimos Sillani montes Par-

Æneas Eugenium conuenit, agit orator eius, & Thoma, vt Æneas ſingulari prudentia in diſſoluendo Frankfordenſi conuentu, & neutralitate deponenda.

mam petierunt. Illic Thomas itinere pedeſtri fatigatus, & quia noctes apud ruſticanos hoſpites inſomnes duxerat, acutiſſimas in febres cecidit: qui mox Ænea vocato, flens rogauit iter ſuum pergeret, ne rebus agendis ſua mora impedimento eſſet, eique litteras apoſtolicas ad Ioannem Caruaialem dedit, dicens ſe, niſi breui conualeret, ſcripturum Eugenio, alium vt ſuo loco ſufficeret. Æneas inuitus ægrotum dimiſit, intelligens tamen neceſſitatem itineri ſeſe dedit, ac per Brixellum traiecto Pado Mantuam, & inde Veronam venit, ac per vallem Tridentinam, & montes Brixinenſes Sigiſmundum Auſtriæ ducem in Eni valle morantem viſit: quo cum venationem ingreſſus id ſpectaculo & relatu dignum animaduertit, quod ceruus miræ magnitudinis diu canibus agitatus, tandem coactus eſt in flumen ſe deiicere, ac viuum in coquinam reddere principis. Illinc Æneas diſcedens, per Nazareth, & vallem, quam infernalem vocant, ſuperato non paruo montis dorſo, ad Campidenam, & Maningam, Vlmamque penetrauit: neque vlterius progredi poterat, latronibus omnes aditus verſus Frankfordiam obſidentibus. Anxius igitur, ac incertus animi, dum quid agat conſilium quærit, quaſi ex induſtria dies illic dicta ad conueniendum fuiſſet, mox præcurſores applicant, qui nocte futura Petrum Auguſtenſem, Siluestrum Chiemenſem epiſcopos, atque Gaſparem cancellarium, candidas animas, legatos Cæſaris affuturos nuntiant. Nihil tum Æneæ gratius contingere potuit, cum propter notitiam hominum, tum propter ſecuritatem itineris. Mox ſimul omnes Frankfordiam petiere, ad quos inter dies paucos Iacobus Badenſis, & Albertus Brandeburgenſis marchiones in legatione coniuncti ſunt. Thomas cum decem diebus ægrotaſſet, tandem conualeſcens iter continuauit, ac per Sabaudiam incognitus ad ducem Burgundorum tranſiuit, impetratiſque petitionibus, circa finem conuentus ad Frankfordiam diuertit. Interea Ioannes Caruaiales, & Nicolaus Cuſa cum litteris, quas Æneas attulerat, principibus ſatisfacere nitebantur: ſed fruſtra erant omnes conatus, cum legati principum, qui Romæ fuerant, Eugenium duriſſime ſibi reſpondiſſe referrent. Itaque deſperata res Eugenii videbatur, quia ſolus imperator aduerſus omnes electores declarationem facere non audebat. In eo conuentu egregium facinus Æneas auſus eſt, quod negligere nulla ratione poſſum. Maguntinus, qui fœderi aliorum electorum & pro ſe, & pro Federico Brandeburgenſi ſigillum appenderat, rogantibus oratoribus Cæſaris, vt ſententiam mutaret, non erat inuitus, id ſi certa poſſet ratione tueri, ne promiſſi violator videretur. Tunc Aeneas bono animo collegas eſſe iuſſit, quod Maguntino facile ſatisfaceret: noctem ipſe inſomnem duxit, atque ex notulis principum ſecundum quas Eugenium litteras dare volebant, alias notulas compoſuit, omni expreſſo veneno, quod Eugenius abhorrebat, ſententiaſque omnes extendit, per quas & nationi prouideretur, & archiepiſcopi reſtituerentur. Quibus peractis eas oſtendi Maguntino iuſſit, ſibique dici voluntatem Cæſaris eſſe ſecundum eas notulas: Eugenium nationi prouidere: neque dubitandum eſſe, quin illa ex eius ſanctitate poſſent impetrari, ſi rurſus ad eum mitterentur oratores. Viſa eſt res Maguntino & ſufficiens & iuſta: moxque cum imperialibus, & archiepiſcoporũ Magdeburgenſis, Bremenſis, & Salburgenſis, & Federici marchionis, multorumque aliorum principum legatis fœdus iniit, vt notulæ, quas Aeneas confecerat, ſigillis omnium munirentur, mitterenturque Romam. Quod ſentientes electores, ceterique principes, animo conſternati, non ſunt auſi contra niti: nationis enim pars maior notulas ſequebatur Aeneæ. Ludouicus cardinalis Arelatenſis, vbi ſpe deiectum ſe nouit, accerſito Aenea, qui ſibi Baſileæ notus, & inter familiares dilectus fuerat, mutatã eius ſententiam multis verbis accuſauit. Cui Aeneas non ſe mutatum, ſed Baſilienſes non eſſe dicebat, qui olim fuerant: qui cum primo pacis cauſa transferre concilium ex Baſilea in alterum locum promiſiſſent, poſtea negauiſſent, tanquam extra Baſilienſes muros veritatem tueri nequirent. Ioannes quoque Lyſura vir prudens, & iure pontificio conſultiſſimus, obuius Aeneæ apud Ioannem Caruaialem datus, Et tu, inquit, ex vrbe Senenſi daturus legem Theutonicis adueniſti? vtinam domi manſiſſes, & nos noſtram regere terram dimiſiſſes. Cui Aeneas tranſiens nihil reſponſi reddidit, inuidiam ne ſibi maiorem pararet.

Ioannes Caruaiales & ... Finito conuentu Thomas Bononienſis antiſtes, & Ioannes Caruaiales per nouam

ciuitatem Auſtriæ tranſeuntes, actis Cæſari ingentibus gratiis, qui magnos & fideles legatos ad Frankfordiam miſerat, dum Romam pergunt, vt qui res bene feliciterque geſſiſſent, ad cardinalatus eminentiam prouecti ſunt. Cæſar paucis poſt diebus Æneam, & nobilem equitem Procopium Rabenſteynum Bohemum ad Romanam curiam legatos inſtituit, hiſq; poteſtatem dedit, ſi Eugenius notulas in Frankfordia concluſas acceptaret, concurrente præſule Moguntino, & Brandeburgenſi marchione, neutralitatem deponerent, ac nationis nomine ſanctæ ſedi apoſtolicę obediẽtiam reſtituerent. Interea Ioannes Lyſura, vt res ſuam non ſequi mentem animaduertit, rebus mentem aptauit, ſummittenſq; ſe Maguntino archiepiſcopo, legationẽ eius ad Eugenium obtinuit, quem cum pluribus aliis oratoribus principum apud Senas legati Cæſaris inuenerunt, atque ſimul Romam euntes, ad primum lapidem familiam Papę & cardinalium, & vniuerſos curiæ prælatos obuiam habuere: ac veluti duces recipi ſolent, cum victis hoſtibus domum repetunt, in vrbem ſunt intromiſſi. Tertia die ad Eugenium vocati in conſiſtorio ſecreto auditi ſunt, quo in loco nomine omnium Aeneas orauit: quem cum Papa, tum cardinales mirum in modum laudauerunt: at Eugenius ea ipſa die correptus ægritudine in lectum ſe dedit: cardinalibusq; rem tractandam commiſit. Cum iam res ad calcem deducta eſſet, plerique ex Theutonicis pedem retrahebant, obedientiamq; Pontifici, medicorum iudicio infra decimam diem morituro, præſtandam negabant: quibus Aeneas magnis rationibus aduerſabatur, multumque nationi conducere affirmabat, accelerari declarationem debere, cum Eugenius iam voluntati principum beneuolus eſſet: nam quod ipſe feciſſet, ſucceſſorem eius gratum habiturum. Quod ſi ante moreretur Eugenius, quam declaratio fieret, timendum eſſe ne ſucceſſor nationi durus inueniretur, quamuis ſiue aſper, ſiue mollis ſucceſſor ei daretur, nihil cum eo tractari poſſe, quorum mandata in Eugenium ſonarent: ab Vrbe vero ſi rebus infectis decederent, omne fœdus principum ſolui, nationemq; nunc maiori ex parte concordem in magnas diuiſiones, contentioneſq; dari: quodq; grauiſſimum videri deberet, ad ſolidandum roborandumque ſchiſma periculoſiſſimum, in eccleſia viam, quam præcluſerant, aperiri. Nec Ioannes Lyſura alterius ſententiæ fuit, qui tantopere faciendam declarationem ſuadebat, vt mortuis omnibus Eugenii membris ſatis eſſe diceret, ſi vel digitus ſiniſtri pedis minimus viueret. Ob quam rem perſuaſis omnibus collegis, cum iam notulas omnes Eugenius approbaſſet, atque litteras ſuper his decreuiſſet, ad cubiculum eius omnes legati intromiſſi ſunt, qui iacenti Pontifici obedientiam præſtiterunt. Ille confeſtim bullas apoſtolicas in manus Aeneæ dedit: nec mora, rurſus in conſiſtorio publico præſidentibus cardinalibus publicatis Cæſaris & aliorum principum mandatis repertæ ſunt cæremoniæ. Inde tota vrbe ob publicam lætitiam ignes facti, & campanæ, tubæq; ſine modo ſonuerunt: ſequenti die iuſtitiũ indictum, ſuperiſq; rogationes decretæ: cardinales, ceteriq; prelati cum populo in ordine procedentes, Siluestri coronam, Ioannis Baptiſtæ caput, pręcipuaſq; ſanctorum reliquias, ex templo ſancti Marci Lateranum detulerunt, ibique ſacrificatum, atque de Federici, Eugeniique laudibus habitus eſt non breuis, neque inornatus ſermo.

Thomas … fiunt cardinales, Æneas Romam legatus proficiſcitur, & cum omnium admiratione perorat. Germani obedientiam præſtant.

Dum hæc agerentur, rumor fuit Nicolaum epiſcopum Tergeſtinum mortem obiiſſe, idque primus cardinalium Thomas Bononienſis decanus Aquilegienſis ei narrauerat, qui eccleſiam illam ambiens, cardinalis opem expetiuerat. At cardinalis re cognita Ioannem ſancti Angeli eiuſdem ordinis parua cedula certiorem facit, dicens iam tempus datum, quo poſſent Aeneam prouehere. Is forte apud Ioannem cœnatus, diuerſa ex more fabulabatur, cui Ioannes cedulam legendam porrigens, quid ſibi videretur percunctatus eſt. Ad quem Aeneas, Dignitatem, inquit, imparem meis meritis non petam, at vltro datam non recuſabo. Sequenti die cum Ludouicus cardinalis Aquilegienſis eccleſiam Tergeſtinam decano ſuo, alii aliis peterent, omnes ab Eugenio repulſi ſunt, qui pontificatum ipſum Aeneæ ſeſe commiſſurum conſtanter affirmauit, ſed cum certitudo vacationis exquireretur, vanum fuiſſe rumorem conſtitit: Aeneas tamen in ſubdiaconum apoſtolicum aſſumptus eſt. Eugenius vero poſt obedientiam Germanorum receptam, diebus ſexdecim cum mor-

Æneas ab Eugenio eligitur epiſcopus Tergeſtinus, quem ſi ſuccedenti[illegible] fit ſubdiaconus. Mors Eugenii, ſucceſsio Nicolai. Æneas ſecretarius & venit Tergeſtinum.

bis ac morte pugnauit, victuſq; tandem in feſto, quod Petri cathedram vocant, naturæ conceſſit, anno ſalutis M.ccccxlvij. Exequiis per nouem dies actis, cardinales ad electionem ſucceſſoris ingreſſi, Æneam, atq; Procopium cum ceteris legatis regum ad cuſtodiam conclauis delegerunt: vbi cum duas noctes vigilaſſent, Thomas cardinalis Bononienſis in ſummum pōtificem aſſumptus eſt, dictus Nicolaus Quintus ob memoriam, vt multi arbitrantur, Nicolai cardinalis ſanctæ Crucis, qui magiſter eius fuerat: papatumq; perdidiſſe defuncto Martino, dum legatum ageret in Francia, credebatur. Is vt ædes ſancti Petri primum aſcendit, Ænea ad ſe accerſito ſecretariatũ ei, ſubdiaconatumq; confirmauit, atq; in die coronationis ante ſe Crucem deferendam commiſit. Vt autem Æneas ex vrbe receſſit, poſt dies viginti certum nuntium de morte pontificis Tergeſtini maximus pontifex Nicolaus accepit, qui nullum cardinalem in dicto conſiſtorio conſulens, paludatus, mitratuſq; in collegium venit, & admirantibus primum, deinde fauentibus ſacri Senatus vniuerſis patribus, Æneā epiſcopum Tergeſtinum pronuntiauit, litteraſq; abſque pecunia expeditas ad eum miſit. Federicus quoq; Cæſar, vt eius vacationem eccleſiæ cognouit, hanc, inquit, Æneæ impetrabimus, quæ noſtri eſt dominii naturalis: litteraſq; Pontifici in ea re iam ſe ignaro peracta conſcripſit, atq; ſic neſcius Æneas cum rediſſet ad Cæſarem, ad epiſcopatum & Papæ, & Cæſaris voto ſeſe vocatum inuenit: neq; ciues Tergeſtini, qui omnibus exteris infeſti eſſe conſueuerunt, Aeneæ reſtiterunt: ſed cum primariũ ciuem decanum ſuum canonici elegiſſent, ſilere illum iuſſere, poſſeſſionemq; vel abſenti Aeneæ concordibus animis tradiderunt.

Conuentus apud Aſciaſburgium, & Germanorũ obedientia ad nouum Pontificem. Philippi Mariæ Ducis mors, ac Æneæ legatio ad Mediolanenſes, deinde ad Hiſtros.

Inter hæc imperator apud Aſciaſburgium, quod eſt oppidum Maguntinenſis eccleſiæ ſupra Moganum, conuentum prælatorum, & principum indixerat, eoque eum Hartungo iuriſconſulto Aeneam miſit, qui Maguntinum præſulem, & alios Frankfordienſes participes fœderis in obedientia Nicolai Papæ confirmarent, atq; ad eam rem traherent Ludouicum comitem Palatinum Rheni, & Coloniēſem archiepiſcopum: neq; incaſſum labor ceſſit, in conuentu decreta ſunt, quæ Cæſar optauit: interq; ſacrificandũ Nicolaus Pontifex maximus declaratus eſt, Deoq; pro ſua ſalute ſupplicatum. Palatinus, etſi Felicis filiam vxorem habebat, in reuerentiam tamen, deuotionemq; Nicolai deſcendit. Colonienſis archiepiſcopus eo tempore aduerſus Suſatenſes eccleſiæ ſuæ rebelles bellum gerebat: cumq; inſecurum ad eum iter eſſet inter diſſonas gentes, Aeneas Colonię manens litteris ſecum egit, & is facturum ſe omnia ſpopondit, quæ optauit: atq; aurũ expenſarum, quas viginti diebus Agrippinæ Coloniæ Aeneas fecerat, vltro ei ad Viennam miſit. Dũ hæc aguntur, Philippus Maria dux Mediolani ventris profluuio vitam reliquit, Alfonſo rege Aragonum hærede palā nuncupato. Ideo Federicus Cæſar Aeneam Mediolanum miſit, & cum eo Federicum epiſcopum Secouienſem, Gaſparem Slichium cancellarium, Ioannem magiſtrum cameræ, Iacobum Landronium phyſicum: & Pancratium Rinzatem nobiles equites, vt principatum imperio deuolutum vendicarent. Vno itaq; tempore dominium potentis vrbis, & Federici Cæſaris, & Alfonſi regis Aragonum, & Caroli ducis Aurelianenſis expetebant: nam & hic ſe ius habere dicebat ex fœdere inter ſuos & Philippi maiores matrimonii cauſa percuſſo. At Mediolanenſes libertatis auidi, ſenatum ex primoribus vrbis delegerant, ac magiſtratus aſſumpſerant, qui rempublicam adminiſtrarent: cumq; regem, ducemq; ſpernerent, audito Aenea, qui Cæſaris nomine verba fecit, imperatorem ſuum dominum faſſi ſunt: ſed habere ſe priuilegia dixerunt, quibus ciuitatem regere poſſent. Tandem vero Federicum modo certo dominantem admiſſuri erant: quæ res, etſi non debito reſpondebat, Aeneæ tamen tēpus conſideranti nō aliena videbatur. At collegæ Theutones dum plurima volunt, omnia perdiderunt. Aeneas autē Viennam reuerſus, aſtante Ioanne cardinale ſancti Angeli apoſtolicæ ſedis legato, conſecrationis munus accepit, atq; inde Tergeſtum profectus, à ciuibus cupide ſuſceptus, rem primo diuinam fecit. Nec diu moratus in Hiſtriam iuſſus ire, de finibus inter Cæſarem, & Venetos compoſuit litem, quamuis poſtea rurſus excitata ſit. Cum rediſſet Tergeſtum, comperit Ropertum Vualſcum bellũ aduerſus Tergeſtinos agere, in quo ſua potiſſimum eccleſia læſa eſt, cuius coloni ex agro pulſi, & abacta pecora ſunt: ob quam rem cum Cæſari queſtum iret,

Roperti,

Roperti,qui eum capere magnopere ſtudebat, ſola celeritate vitauit inſidias. Interea Gaſpar Slichius apud Cæſarem falſo delatus,eccleſiam Frizingenſem, quam fratri obtinuerat,dimittere compulſus eſt, qui cum eſſet in dies magis inuiſus Cæſari, Aeneam quoque propter amicitiam & conſuetudinem pene aſſiduam ſuſpectum reddebat: itaq; conditio Aeneæ deterior fieri videbatur: ſed vſus ipſe temperamēto, ne vel hinc amicitiam, vel inde dominum offenderet,rurſus in gratiam rediit, atque parochialem eccleſiam in caſtro Vindelico admodum inſignem,ex munere ſibi Cęſaris commendatam accepit.

Per idem tempus Franciſcus Sfortia vicecomes Mediolanum vrbem obſidebat: ciues autem exanimati Cæſaris opem petebant: eo rurſus proficiſci Æneas iuſſus eſt, & Artongus iuriſconſultus,qui obſeſſis ciuibus auxilium promitterent, ſi ſe Cæſari ſubderent. In eo itinere multa his aduerſa fuere: nam cum viſitato Sigiſmundo duce apud Eni pontem,& ad rem Mediolanenſem perſuaſo,per altiſſimas alpes Vormii in vallem Tellinam deſcendiſſent, diuiſum populum, alios ciuitati Mediolanenſi, alios Franciſco Sfortiæ fauentes, lacum Comanum in poteſtate hoſtium magna ex parte, nihil tutum inuenere. Itaque modo noctu per aquam, modo die per abruptos & deuios montes viam fecere: vbi Comum venerunt, octo & decem dies moram facere oportuit,quoniam inter Mediolanum,& Comum omnia hoſtis tenebat: qui poſtquam legatos Cæſaris aduenisſe didicit,aditus cuſtodiri iuſſit,legatoſque, ſi comprehendi poſſent, ad ſe vinctos deduci. At illi ſuſceptis equitibus, ac peditibus admodum ducentis,cum viarum gnaros tris,quos guidas vocant,fideles inueniſſent, circa ſolis occaſum ex Como recedunt Mediolanum petentes: ſed cum horis forte duabus iter feciſſent,iamq; nox obſcuriſſima ſuperueniſſet, equitatus inter tenebras retrofugit: aderant & legati ducis Sabaudiæ,& plures ciues Mediolanenſes,qui negotiati per Alemaniam domum redibant. Hi vbi fugam equitum cognouere, inſidias veriti, trementeſq; admodum retrocedendum aiebant: Æneas vero vocatis peditatus ducibus, vbi eos conſtantes inuenit, & alterum eorum Senenſem ex loquela cognouit, verſus ad negotiatores, Nolite,inquit,timere: anguſtias montium prætergreſſi patentes in campos venimus,inſidias iam euaſimus,quas in arctis locis inſtruunt: nunc mille ſe nobis offerunt ſemitæ: in manus hoſtium ſolum nos infortunium ducere poteſt, id bonitas ſummi Dei auferet: ite mecum, vos hac nocte laribus veſtris ſaluos reddā. Sic profecti ad horam decimam paulo poſt ſolis ortum Mediolanum ingreſſi, magna totius populi feſtiuitate recepti ſunt. Sed iam regimen ciuitatis ex populo Romani nominis amante, dum Comi legati manſerunt, in paucorum potentia erat deductum,qui Franciſci Sfortiæ clam partes fouebant: eam ob cauſam rogauit ſenatū Aeneas,ſibi vt populi copia fieret, cui Cæſaris verba referret. Guarnerius Caſtillioneus iuriſconſultus genere ac facundia nobilis tum primum in ſenatu locū tenebat, Sfortiæ occultus amicus. Is per leges ciuitatis vocationem populi prohibitam dicebat,tumultum timendum in ciuitate obſeſſa, poteſtatem populi omnem habere ſenatum, huic dicenda quæcunque mandaret Cæſar. Contra Æneas imperatoris iuſſum legibus non teneri aiebat,quæ ab ipſo robur haberent: eius mandata quietis eſſe, non ſeditionis altricia: obſeſſum, fatigatumque longo belle populum imperatoris legatione leuandum, mirum videri ſi domini ſui vocem noluerit audire: atq; ſic inuito Guarnerio ſenatus populi vocationem decreuit. Is cum poſtera die in curiam frequens conueniſſet,& oblatis lectiſq; publice Cæſaris litteris, Æneas in hanc ſententiam orauit. Ait enim Philippo mortuo Cæſarem ad eos miſiſſe legatos,qui gubernationem ciuitatis expoſcerent,neq; auditum, quamuis æqua peteret: ſed Mediolanenſes ipſos noua libertate gaudentes, magiſtratus ſibi conſtituiſſe,qui rempublicam adminiſtrarent,idq; factum eſſe in eā vſq; diē, Cæſare pro ſua manſuetudine quāuis indigne ſpreto, nihil tamen irato: veniſſe interim Franciſcum Sfortiam vicecomitem ex amico factum hoſtem, municipia in poteſtatem ſuam redegiſſe, ciuitatem obſeſſam magnas pati calamitates, milites ad Franciſcum defeciſſe, inopia frumenti premi populum, ex vicinis principibus neminem ferre opem, ſolum autem Cæſarem eorum commiſerari fortunam, omnis repulſæ oblitum. Quod ſi iam tandem ſacro imperio parere velint, dominumq; Cæſarem recognoſcere, paratum eum auxilium

Æneas altera legatio ad Mediolanēſes, atque opera pro Imperatoria dignitate.

Franciſcus Sfortia poſt obſidionem à Mediolanēſibus caſo legato Veneto, ciuitati Dux præficitur.

Digitized by Google

ferre. Iamq; cum Sigiſmundo duce patrneli ſuo vicino Inſubribus res orditas, breui magnam manum ſuperatis alpibus in eorum agrum deſcenſuram cogitarent, ne ſibi ipſis fruſtra confiderent, neq; ſic libertatem amiſſuros putarẽt, Cæſaris dominatũ recipientes: nã iuſtis & naturalibus dominis ſeruire, eam demum veram eſſe libertatẽ: in ciuitatibus, quæ populi nomine reguntur, inueniri ſemper aliquos, qui plebi iugum imponunt: deinde aduerterent Cæſarem ſibi, an Sfortiam imperare mallent: quoniam niſi Cæſari ſe ſubiiciant, ſic res deductas eſſe, vt dominatũ Sfortiæ nequeãt euadere. Cæſarem, ſi ab eis recipiatur, ſingulares gratias, magna priuilegia daturum ſuis ciuibus, quos in Alemania libere negotiaturos, auream ciuitatem facturos, & Italię caput aiebat. Poſt hæc, cum Guarnerius de libertatis dulcedine diſſeruiſſet, eligẽdos tamen ait ex populo viros primores, qui cum legatis de mandatis Cæſaris agerent. At dum res penderet, poſt aliquot noctes tres ciuitatis portæ (ſic enim partes vocitant) ſumptis armis dominum Cæſarem vocauere. Sex portæ in vrbe ſunt, atq; ad earum numerum diſtributus eſt populus: quod quatuor portarũ plebibus placet, id ratum eſſe oportet: cum ergo iam tres vitam imperio peterent, ſenatores audito tumultu, prius quam portæ quartæ multitudo aſſurgeret obequitantes vrbem, ſilere plebem, ac poſitis armis domum petere iubebant, quoniam & ipſi dominatum Cæſari ſaluo ciuitatis honore admiſſuri eſſent, idq; cum legatis agitenr ſedulo. Poſt hæc viri delecti, qui cum legatis in hanc ſententiam loquebantur, ſi Cæſar opem ferret aduerſus Sfortiam, in has leges venturos ſeſe aiebant. In Mediolano qui ius diceret Theutonicum, in aliis ciuitatibus, quem vellet Cæſar, gubernatorem poneret: appellationes quæ ab aliis gubernatoribus interponerentur, Mediolanenſis audiret, ab eo prouocationi locum non eſſe: vectigalia ciuitatum, quæ Mediolanenſibus ſeruirent, ad Cæſarem, & Mediolanenſes æquo iure pertinere: ex Mediolano quotannis auri quinquaginta millia Cæſari, feuda eccleſiarum & nobilium collationi Cæſaris remanere: vaſallos omnes & imperatori & ciuitati fidem iurare, ſi quod amplius oppidũ, aut dominium Mediolanenſes armis acquirerent, id à Cæſare ſub decenti cenſu in feudum debere peti. Interea Carolus Gonzaga, qui tũ forte vnica Mediolanenſium ſpes videbatur, magnanimus belli dux, Aeneã intempeſta nocte acceſſit: & Artongo vocato, iterũ populi vocationem vt peterent, ſuadebat, ſpondens ſe illo venturũ, incitaturumq; plebem, quę ſibi maxime credebat, imperatorem dominũ petere: nihil ſe dubitare, quin deiectis magiſtratibus, mox legatis Cęſaris regimẽ ciuitatis cõmitteretur, donec aut veniret Cęſar, aut vicariũ mitteret, idq; iã ſe prouidiſſe apud aliquos in vrbe potẽtes aiebat. Hoc quãuis erat veriſimile, tamẽ diſcriminis plenũ Æneę videbatur: & licet magnũ facinus, & memorabile nõ fieri ſine periculo ſciret, tamẽ ſacerdoti ſibi eam rẽ minime ratus conuenire, quod Cæſar imperauerat, à ſe factum dixit, audiuiſſe populum Cæſaris voluntatem, poſſet iam ſi vellet parere: vim facere, neq; factu facile, neque mandatum Carolum amandum: Cæſari, qui ea cogitauerat, relaturumque ſuam fidem. Ille tamen poſt hæc Æneam Sfortiæ fauentem prædicabat: vt nihil ſit, quod non ſiniſtrorſum malæ mentes interpretentur. At Æneas, & Artongus vbi aliud ex Mediolanenſibus exculpere non potuerunt, obtentis Sfortiæ litteris, ad eum in caſtra venerunt, qui ſe admodum mirari aiebat, quo pacto Mediolanum intraſſent, ſuas excubias euadentes. Plura igitur cum eo Venetorum & Florentinorum legatis præſentibus fabulati ſunt. Deinde amotis omnibus ſoli cum eo ad horam manſere, mentem ſibi Cæſaris exponentes, atq; honorati ab eo dimiſſi ſunt: qui redeuntes in Alemaniam, Cæſarem apud ſanctum Vitum, quod eſt Carentanæ oppidum, inuenerunt. Placebant Cæſari, quæ Mediolanenſes promiſerant: verum illi dum menſibus duobus reſponſum expectant, veriti ne Sfortiæ viribus opprimerentur, occiſo Galeotto Toſcano, pulſiſque ceteris Senatoribus, fœdus cum Venetis percuſſere: atque cum ii quoque parcius ſubuenirent, trucidato per tumultum Leonardo Venerio, qui legatus Venetorum apud eos agebat, Franciſco Sfortiæ portas aperuere, eique, vt eſt inſania populi, ducatus inſignia contulerunt.

Æneæ legatio ad Alfonſum regem de matrimonio contra-

Æneas inter hæc ad eccleſiam Tergeſtinam cum ſe recepiſſet, in anno iubilęi reuocatus ad Cęſarem cum Gregorio de Populoſa, & Michaele de Pienauilla, Alfonſum regẽ Aragonum, & Siciliæ iuſſus eſt petere matrimonium Cæſaris nomine cum

Leonora

Leonora regis Portugalliæ ſorore, vt ibi contraheret: nam legati Portugallenſes eo conuenerant. Quam rem diebus quadraginta tractatam, cum denique concluſiſſent, coram rege, cardinali Morinenſi apoſtolico legato, Cliuenſi, Calabriæ, Sueſſæ, Scleſiæq; ducibus, & magna prælatorum, comitumq; multitudine, in curia noui caſtri Neapolitani, de nobilitate, virtuteque contrahentium orationem habuit, quæ poſtmodum à multis conſcripta eſt. Hinc ad ſummum pontificem reuerſus, circa finem iubilæi, in conſiſtorio publico contractum coniugium manifeſtauit: ſequenti anno Cæſarem ad coronationem venturum dixit: Concilium quod Galli petebant, in Franciâ diſſuaſit, præſente Alberto Auſtriæ duci imperatoris germano, qui natiuitatis dominicæ nocte apoſtolico gladio donatus fuit, quamuis duci Cliuenſi antea promiſſo, dicente Pontifice promiſſionem ſuam, niſi dignior aduenisset, intelligendam fuiſſe. Neque in hac via defuerunt pericula. Ligula flumen eſt apud Volſcos altum, & vndiq; cinctum ſiluis, quarum arbores aquam contegunt, ponteſq; plurimos faciunt: naues ibi admodum paruæ ſunt, quas cum Aeneas, ſociique conſcendiſſent, nautarum peruicacia decepti, noctuq; nauigare compulſi, ſæpius in ramos arborum impegerunt, demumq; ingenti hærentes trunco, cum eſſent tenebræ denſiſſimæ, duabus horis periclitati ſunt, ibiq; paulo poſt nauis vna ſubmerſa eſt, & homines vndecim periere: neq; procul a Cumis, cum flumen aliud prope littus maris tranſituri eſſent, nauiſq; famulos veheret, cum nimium oneris accepiſſet, euoluta homines & equos in fundum proiecit, ſed viri funem quandam manu tenentes, equi nantes euaſere. Verum vt aduerſa retulimus, ſic etiam ſecunda referre par eſt. Inter eundum, cũ Ferrariam Aeneas appuliſſet, Iacobum Tholomæum fratrem ſuum patruelem inuenit, inſignem iuriſconſultum, & curiæ Ferrarienſis iudicem, quem poſtea Cæſar ſacri palatii Lateranenſis comitem creauit. Hic ſe litteris vxoris inſtructum ait, Nerium epiſcopum Senenſem naturæ feciſſe ſatis, atque Aeneam ſibi ſuſpectum dici, quod poſtea Bononia verum eſſe ex legato didicit: ea res ſic geſta eſt. Mortuo Nerio, Senenſes bonum quendam virũ nomine Comitem abbatẽ monaſterii ſancti Galgani conciuẽ ſuum, regenn bus acceptum, ſummis precibus apoſtolicæ ſedi commendauerunt: atque vnum hunc eſſe dixerunt, quem præſulem cuperent: cardinales alii alios proue hebant. At ſummus Pontifex ſolus Aeneæ memor abſentis, eum ſacro collegio nominauit, perſuaſitque ab eccleſia Tergeſtina in patriam transferendum: Senenſibus autem egregium ſe pontificem dediſſe reſpondit: qui vbi nominatum Aeneam agnouerunt, ingentes apoſtolico culmini gratias reddidere, quia nobilem, doctumque virum, conciuem ſuum, quod minime ſperauerant, in patriam rediturum intelligebant: atque eum Senis haberet Aeneas tranſitum, non expectatis litteris apoſtolicis, in epiſcopali eum palatio recipere feſtinabant. rerumq; omnium ei poſſeſſionẽ offerebant: ipſe autem expectandas litteras ait. Igitur cum Romã ex Neapoli rediiſſet, relatis ſummo Pontifici gratiis, litteris ex apoſtolica camera gratis redemptis, vrbem Senam, patriamque domum repetens, obuiante cleri & populi proceſſione, ſub vmbella exceptus aurea, tanto in vrbem ciuium plauſu, tantoque honore intromiſſus eſt, quantum antea nulli epiſcoporum delatum aiunt. In hoc quoque itinere apud Nicolaum pontificem egit, vt ſanctum virum Ioannẽ Capiſtraneum diui Bernardini diſcipulum in Germaniam mitteret, exactam tota Germania beati Franciſci regulã denuo plantaturum, quem poſtea Viennæ prædicantem audiuit, gratum populis, & miraculorum effectorem credidum. Verum Aeneas in Auſtriam reuerſus, non ſolum matrimonii contractum imperatori gratum retulit: ſed Romanum præſulem, Senenſes, Florentino, Bononienſes, marchionem Eſtenſem, Venetoſque ad coronationem tranſeunti Cæſari tranquillum iter daturos affirmauit, quod apud eos omnes ex ſententia tranſegerat.

Interea Bohemi cum ſæpe Ladiſlaum regem petentes non obtinuiſſent, conuentum regni apud Pragam indixerant, rebus vt ſuis conſulerent: quod niſi Alberti filius, hereſque regni ad ſe mitteretur, alium ſe ſe regem aſſumpturos minabantur: ad eos igitur Æneas, & alii proceres miſſi ſunt. Verum peſte apud Pragam mirum in modum graſſante, conuentus in villam tranſlatus eſt, quæ Benedicti appellatur. Ibi ergo cum Aeneas publica mandata Cæſaris expoſuiſſet, pupillumq; regẽ guber-

[illegible] imperatoris & Leonora, & eius opera concluſa. Aeneas eligitur Senenſis Epiſcopus abſens.

Æneas Cæſaris legatus ad Bohemos, eorumque reconciliatio, & hæreſis.

nationis egentem, in nulla melius, quam in Cæſaris manu eſſe, eoſque breue poſt tēpus vori futuros compotes affirmaſſet, feroces mentes leniuit, nec alium ſe poſtea vocaturos regem dixere. Multa illic cum Georgio regni gubernatore de bono pacis, & vnionis eccleſiæ ſcite locutus, hominem magis dominandi cupiditate, quam hęreſis errore deceptum exiſtimauit: idque pleriſque Bohemis inſitum eſt, quibus dominari hæreticis, quam ſeruire fidelibus antiquius eſſe videtur. In hac legatione bis Thaboritas adiit hæreticos, qui Bohemiam incolūt, omnium peſſimos, cumque his acerrime de fide diſſeruit. Sed quoniam mores Thaboritarum, vrbis ſitum, gentis errores, & omnem ſuā diſputationem cardinalis ſancti Angeli clariſſimo viro Aeneas ſcripſit, deq; his rebus extat epiſtola, quam nos cum aliis in vno volumine inſeruimus: his prætermiſſis ad alia feſtinabimus.

Apparatus Leonoræ & Æneæ cura in commeatib. perquirendis, & Senarum conditio, atque Italiæ motus, & imperatrix ab Ænea deducta.

Annus, qui ſequebatur is erat, quo Leonora imperatrix ex Portugallia nauibus ad Thalamonis portum Senenſis agri ex condicto adduci, Italiamq; Federicus Cæſar intrare, atque Romæ coronam imperii ſuſcipere debuit. Studium autem illud erat, ſimul vt ambo Romam petentes, ex manibus ſummi pontificis diademata tollerent. Delectæ ſunt igitur matronæ nobiles, & innuptæ puellę duodecim, quæ ſponſam regiam in portu reciperent ſeruituræ: nominati quoq; barones duo, equites duo, qui eas comitarentur. Tum Aeneas, & Michael Fulendorfius ſecretarius additi, qui legationis onera ſuſtinerent: his autem cōmiſſum eſt, Imperatricem apud Thalamonem poſtquam ſalutaſſent, Senas vti deducerent, ibique Cæſaris præſtolarentur aduentum, verum Æneę, Michaeli que amplius mandatum erat, Italiæ communitatibus, atque principibus, maxime vero ſummo ſacerdoti Cęſaris aduentum, qui iā dubius videbatur, vt certum ad feſtum Martini renuntiarent, tranſitum peterent, commeatibus æqua pretia ſtatuerent, atque ad eam rem litteræ præmiſſę ſunt. Quibus cognitis Italię potentes trepidare, ſperare tenues, nutare principes, impleri omnia rumoribus, timeri motus, quos in aduentu Cæſarum excitatos vetuſtas nouerat: maxime vero Senenſes timor inuaſit, quod Æneam ex magna, & nobili familia natum, ciuitatis epiſcopum, apud Imperatorem auditum, magnoque loco habitum, nouarum rerum cupidum arbitrabantur. Vrbs autē Senarum in Hetruria prima poſt Florentiam habetur, quæ pluribus & ambitioſis oppidis dominatur, latumque agrum poſſidet: in ea primum nobiles rerū potiti ſunt. His inter ſe diuiſis, & ſua ſponte cedentibus, regimen in populum deriuatum eſt, in eo quoque, vt fit, excellentiores aliis alii potentiam adepti rempublicam per vices inuaſere, atq; horum alii Nouem, alii Duodecim, quamuis numeroſi eſſent, quia totidem priores inter ſe dominantes instituerunt, vocati ſunt: aliis, cum ciuitatis leges in ſuo regimine, muroſq; reformaſſent, Reformatorum nomen indictum eſt. Ex his Duodecim qui vocantur (ſunt autem admodum quingenti viri) quamuis negotiatores opulenti, abiecti tamē habentur, atque omni imperio abdicati, vitam pene ſimilem ducunt: Nouem, & Reformatores munera ciuitatis æquo iure cum Populo partiti, nobilibus certam officiorum portionem, precario quodammodo tribuunt. Quibus ex rebus exiſtimabant Senenſes Æneam natu nobilem in aduentu Cæſaris aliquid moliturum, quo ſuā familiam ad priſtinam dignitatem, potentiamq; reduceret. Cū igitur Venetiis, Ferrariæ, Bononiæ, Florentiæque mandata Cæſaris expleuiſſet, ad ſe venientem eum timere, obſeruare quidnam ageret, & prohibere vulgo ad eum irent, quoſdam etiam, vt eſt populi mos, inceſſere maledictis, odioſum regentes habere. Ridendus eſt mundi curſus, in quo nihil ſtabile, nihil ſecurū inuenitur. Anno, qui præceſſerat, nemo ſatis Æneam intueri potuit, nemo ſatis commendare: nunc inuiſus omnibus cum vrbem intraret, honoris cauſa nullum obuium habuit: domi à paucis ſalutatus eſt, in plateis maledicere ſibi pleroſq; animaduertit: ſed omnia moderate tulit, riſitque ſecum fortunæ mutationem. Accedens ergo vrbis ſenatum, poſtquam Cæſaris legationem abſoluit, rogauit magiſtrum, ne quid de ſe male ſentiret, ſe pluribus beneficiis ab eorū regimine cumulatum nullam habere cauſam cur ei officere vellet, ſe primum in vrbe honoratum, qui pontifex eſſet, pacē cupere, motus omnes horrere, familiam Piccolomineam, de qua ſibi origo eſſet, inter alios nobiles à regentibus ſemper honeſtius habitam, Gregorium Lollium nobilem iuriſconſultum inter primos guber-

natores

natores vrbis ex Bartholomæa ſorore patris ſui natum fratrem ſuum eſſe, ſorores ſuas in regmine nuptas, illarum liberos heredes ſibi futuros: nihil demum inueniri, quod ſe regentibus infeſtum reddere poſſet: Cęſarem præterea Italiam non regnaturum, ſed coronam accepturum petere: comites habere, principes nobiliſſimos, potentes proceres quietis amatores, amicos omnes venire, non hoſtes: nihil ab eis eſſe timendum, qui ſolo tranſitu contenti eſſent: Cæſari numquam ſeditiones cordi fuiſſe, ſtabilem eius fidem, inconcuſſum, quod promitteret: ſic pacatis aliquantiſper animis, tutior apud eos manſit. Inter hęc Michael Fullendorfius eius collega, & amicus in primis carus febre correptus, magnum, & illuſtrem ſpiritum exhalauit, corpus illius Aeneas in æde beatę Virginis magnifice ſepeliuit. Inde vt inuidiæ cederet, & quia non deerant Senis murmurantes, Thalamonem quantocyus ſe cum collegis contulit, ibi vt aduentantem imperatricem maneret: & ne Senis inueniri poſſet, ſi Cæſar interim proficiſceretur. Romanum autem Pontificem adire non potuit, ne dum Romæ teneretur, imperatrix portum applicaret, cuius receptio ſibi potiſſimum cõmiſſa fuerat. Pontifex, cui Romanorum mores cogniti erant, quiq; multos nouitatis auidos intellexerat, timens populi motum iam Cæſari nuntiauerat, & commeatuum penuriam cauſatus, aduentum ſuum in æſtatem vt differret, Æneæ vero vt ad ſe quantocyus iret, imperauit. Ipſe autem cum ſe litteris excuſatum feciſſet, quoniam quæ Cæſari nuntiata fuerant, non ignorabat; mirari ſeſe ait mutationem apoſtolicam, neque videri honeſtum Romani Pontificis dictum indictum fieri; memoriæ ſe tenere Pontificem maximum dixiſſe ſibi Cæſari, ſi venire Romã vellet, hiemale tẽpus eligendũ, quod ſalubrius eſſet, rebuſq; victui neceſſariis magis abundaret, præſtoq; eſſe ad coronationem omnia: vltro petitum aduentum: nunc mandari cõtraria indignum eſſe, quando & is accinctus itineri, & coniux eius propediem littus Italicum appulſura ſciretur: accepiſſe ſe maximo Pontifici metum iniectum, timerique Romæ Cæſarem, & timorem vanum, ſcire Cęſarem iuſtum, Nicolai amantem, nil æque odiſſe quam turbas, moriturumq; prius quam fidem falleret, comitatum habere nobiliſſimum, quietis cupidum, religioni & eccleſię fauentem. Quibus verbis Nicolaus motus litteras ad Cæſarem ſcripſit, ſuo ex arbitrio iter vt faceret: eaſque ad Æneam primum direxit, vt ſi ſibi videretur, illas ad Cæſarem mitteret. Placuit Æneę ſcriptum apoſtolicũ, moxque tabellarium ad Cæſarem direxit. Verum interea motus in Auſtria excitatus, dies plurimos aduentum Cæſaris retardauit: Imperatricem venti contrarii, & horridæ tempeſtates diu retinuerunt. Itaque ſexaginta diebus apud Thalamonem Aeneas, non ſine magno ſuo & collegarum tædio, demoratus eſt: vidit tamen interea montem Argentarium, & non obſcurum Herculis portum, & non indignam viſu Lanſedoniam; cuius etſi diruta ſunt ædificia, mœnia tamen adhuc extan ex quadratis, ſectiſque lapidibus ingentis magnitudinis, ſine cemento, mirabili iunctura connexis, in colle, qui mari Tuſco imminens ad Carthaginem reſpicit. Verum, mirabile dictu eſt, cum Cæſar ex Alemania in Italiam deſcendiſſet, iterque celeri curſu perageret, diuino quodam flatu factum eſt, quo is die Florentiam intrauit, eodem imperatrix Liburni portum applicuit: Aeneas quoq; ſimul die vna & imperatoris, & imperatricis litteras accepit, quæ ſe, ſuoſque collegas propere Piſas petere iubebant: parens cum collegis, ac dominabus per Groſſetum, & Scarlinum, ac per agrum Volterranum impigre Piſas venit. Iam Cæſar Ioannem epiſcopum Ratiſponenſem, Vanconem Scleſiæ ducem conſanguineum ſuum, Michaelem comitem Magdeburgenſem, Ioannem magiſtrum cameræ, Vlricum Sõnenbergium Auſtrię cancellarium, Vlricum Montisfortis, Iacobum Laandroniũ phyſicũ, & nobiles equites ad Imperatricem miſerat, nihil tamen adhuc concluſum erat. Ibi ergo cum diu de conſignanda, mittendaq; Cęſari ſponſa tractaretur, tandem marchio Portugalenſis, qui Leonoram à fratre receperat, imperatori tradendam, poſtquam de ceteris rebus tranſactum eſt, vocatis oratoribus; & qui Piſis erant, viris nobilitate claris, rogatis tabellionibus, imperatricem dextera manu apprehendens, ad manus Aeneæ conſignauit: eam vt ad Cæſarem tranſduceret, quæ res Vãconi duci admodum moleſta fuit, qui ſibi hoc honoris iure ſanguinis, quo Cæſari propinquabat, deberi putauit: ſed Portugalenſibus, ceteriſq; legatis Cæſaris aliter viſum fuit.

Florentinorum motus, Aduentus Cæſaris, & Leonoræ in Italiam, primumq; ingreſſus, ac matrimonii ſeries omnis, & Cæſaris & Leonoræ coniunctio. Aeneæ oratio apud pontificem ac pontificis, & Cæſaris ſomnia.

Dum Piſis hæc agerentur, Florentini, qui ciuitatem duro imperio premunt, Piſanoſque omnes ſuſpectos habent, tot aduentaſſe illic exteros, tantamq; moram facere, iniqua mente ferebant; verbis tamen Aeneæ, qui eis notior erat, indieſque receſſum ſpondebat, ne quid nouitatis agerent, retenti ſunt. Imperator interea Senas venerat, ibique ſponſam manebat, quam poſtquam properare cognouit, emiſſis primum ciuibus obuiam, deinde Alberto germano duce Auſtriæ, poſt Ladiſlao patruele, Vngariæ, ac Bohemiæ rege, quarto loco cum reliquiis ſanctorum, clero poſtremum, & ipſe medius inter duos legatos apoſtolicos, ſanctæ Suſannæ Nicolai Pontificis germanum, & ſancti Angeli cardinales, intra ſecundam, & tertiam vrbis portam egreſſus, coniugem expectauit: ibique ambo ex equis deſcendentes, in ſpatioſo, & patenti loco ſeſe mutuis amplexibus exceperunt. Verba nomine Cæſaris Henricus Leubin pontificii iuris interpres fecit, Imperatricis vice loquutus eſt Aeneas, atque ibi paulo poſt Senenſes marmoream columnam erexerunt, memoriale diuturnũ, quo poſthac, Imperatorem ab oriente, Imperatricem ab occidua ſolis parte venientes, illic ſeſe primum vidiſſe poſteri cognoſcant. Inter hæc Senenſes omnes, qui ferre arma poterant, ex ordinibus duodecim, ac nobilibus extra vrbem relegauere, maxime vero cognatos Aeneæ Picolomineos: At vbi Cæſaris clementiam, atque manſuetudinem intellexerunt, Aeneamq; vera locutũ rurſus in eam admirationem conuerſi, bonum eum, & patrem, & ciuem prædicauere, reuocatiſq; cognatis eius, ſuſpicari deſiuerunt, ac legatum Aeneam ad ſummum Pontificem deſignarunt. Cum Cimini mõtis iugum, qui Vituruio imminet, aſcendiſſet Imperator; accerſito inter equitandum Aenea, Ecce (inquit) Romam petimus, videre videor te Cardinalem futurum, neque hic tua fortuna conquieſcet, altiùs eueheris, beati Petri te cathedra manet, eaue ne me contempſeris vbi hoc honoris aſſecutus ſis. Cui Aeneas, Nec Pontificatum Maximum mihi arrogo, neque cardinalatum. At ego, ſubintulit Cæſar, hoc ita futurum video. Aeneas tamquã iocantis verba ſuſcepit, & Romam cum eo profectus, primus inter prælatos eius fuit, ſalutantibuſque cardinalibus, & vrbis primoribus, qui obuiarunt, reſponſa pro Cæſare dedit. Cumque Cæſar nocte extra mœnia vrbis remanſiſſet, Aeneas ad Pontificem lectulo cubantem vocatus, bonam, fixamque Cæſaris mentem eſſe oſtendit, admiratumque ſeſe ait, tanti principis fidem in dubiũ potuiſſe venire. Cui Pontifex cum verba multorum expoſuiſſet, minus (inquit) timentis error, quam fidentis nocet. Cum vero Cæſar vrbem intraſſet, atque ante fores baſilicæ ſancti Petri, ſacros ſummi Pontificis pedes exoſcularetur: Aeneas Imperatoris iuſſu ſermonem habuit, ei quoque in petitione Mediolanenſis coronæ, quæ Longobardorum dicitur in benedictione ſponſalium, cum ſacro maximi præſulis ore Leonora Federico iungeretur. In coronatione demum Cæſarea apud aram ſancti Petri imperatorio nomine, quæ fierent verba commiſſa ſunt, inter Papam & Imperatorem ſecretas res multas abſoluit. Neque hic vnum prætereundum arbitror, quod de ſomniis memoratũ dignum videtur. Sequenti poſt coronationem die, Cæſar cum tribus Conſiliariis, inter quos Aeneas fuit, Nicolaum Pontificem adiit: vbi ſermone ad longum producto, Meminiſti Pater (inquit) dicturum me tibi ſomniũ, poſtquam coronam accepiſſem, id huiuſmodi eſt. Ex Vienna cum receſſiſti à me vltimo, vidi per quietem nocte proxima, me Romam veniſſe, tuiſque manibus meo capiti coronam imponi mirabar: inter dormiendum, neque me legitime coronatum putabam, quem non Romanus, ſed Bononienſis epiſcopus coronaſſet; euigilans autem contempſi viſum: at poſtquam te cardinalem creatum, deinde Papã aſſumptum, Aeneæ primũ litteris intellexi, è veſtigio ratũ credidi, quod ſecutum eſt tuis me manib. coronandum. Tum Nicolaus ſæpe verum ſomniant qui præſunt populis. Ego quoque (inquit) nocte, quæ mortem Eugenii præceſſit, ſopori deditus, in hoc me cubiculum vidiſſe videbar, quod tunc, vt tu noſti Aenea, bipartitum fuit. Eugenius pallium, deinde tunicam exuens, illis me induit, mitramque longam, qualẽ geſtare Pontifices ſolent ſuo capiti, demens impoſuit meo: poſtremo manu me apprehendens, oſtenſaque hac ſella: ſede hic inquit, ego ad ſanctum Petrum pergam: ſic ille in craſtinum mortuus in Aedem ſancti Petri delatus eſt, forſitan & anima glorioſi præ-

deceſſoris

deceſſoris conſortio gaudet, mihi poſt duodecim dies ſummus Apoſtolatus commiſſus eſt.

Pontificis promiſſio de cardinalatu Aeneæ, qui tamen legatus de latere factus. Fuga Ladislai. Ducatus Borſii, & Aeneæ oratio.

Dum hæc agerētur, frequens opinio fuit Aeneam in Cardinalatus ordinem recipiendum, qui Papæ carus, Cęſarique videbatur, neque ab re: promiſerat enim imperatori Nicolaus inter primos, quos creaturus eſſet cardinales Aeneā primo loco nominatum iri, neque mentitus eſt nullo deinde ad cardinalatum aſſumpto, mortuus. Poſt hæc Imperator Neapolim profectus, Aeneas pauliſper ægrotans Romæ remāſit, Ladislaique regis impuberis cum aliis curam geſſit. Interim relatum eſt Papæ; regem fugam meditatum, niſi cuſtodiatur, domum exiturum. Tum Pontifex quinta eius noctis hora, quæ ad fugam electa ferebatur, Aeneam ad ſe accerſiuit, iuſſitque regis domum diligenter cuſtodiri. Aeneas regis ædes ingreſſus, cuſtodes eius admonuit, ne malis inſidiis locum darent, redeuntique Cæſari pignus ſaluum reſtituerent: verum eius rei nulla poſtmodum certa ind. cia reperta ſunt, quamuis pædagogus regis apud Florentiam maius flagitium tentauerit. Redeunte Cæſare, conſpectuique Maximi Præſulis, ac ſacri ſenatus, ſe reſtituente, vice ſua Aeneas duas orationes in auditorio publico recitauit, in altera gratias egit ſummo ſacerdoti atq; cardinalibus pro maximis, quæ Cæſari præſtiterant beneficiis: in altera, vt generale paſſagium aduerſus Chriſtiani nominis inimīcos indiceretur, atq; inſtrueretur; Papam hortatus eſt, ne Chriſticolæ per Græciam, & orientem amplius vexarentur. Poſtremo cum Cæſare ab Vrbe recedens Aeneas, orator apoſtolicæ ſedis cum poteſtate legati de latere per Bohemiam, Scleſiam, Auſtriam, Morauiam, Stiriam, Carinthiam, Carniolamque miſſus eſt; nec diu poſt legationem eius, inſtante Cęſare, Romanus Præſul ad Hungariæ regnum extendit. Cum Senas rediiſſet, timeretque Cæſar Florentia tranſitum facere, quia ſuſpectam eius morā apud Neapolim Florentinis exiſtimabat; Aeneas ad eos præmiſſus iter Cęſari tutum reddidit, innouata publica fide. Legati Hungariæ, & Auſtriæ ibi Cæſarem expectabant, qui Gaſparem pædagogum Ladislai regis ad colloquium vocantes, perſuaſerunt ei regem vt ex poteſtate Cæſaris raperet, cuius rei hunc ordinem dederant. Inſtigandum puerum aiebant, vt poſtquā Cæſarem abeuntem ad portas vrbis ſecutus eſſet, velle ſe Florentiæ immorari dies aliquot diceret, atque petita venia retrouerteret equum, daturos ſe apud magiſtratus vrbis operam Cæſarem, ſi puero vim velit inferre, præſto viros in armis habeant, qui reſiſtant. Sed tātum flagitium ſenatus Florentinus exhorruit, atq; honeſti tenacior, increpatis internuntiis, libere, atque magnifice honoratum Cæſarem à ſe dimiſit. Qui poſtquam Ferrariam venit, animo repetens Borſii magnificētiam, qua fuerat receptus, quaque recipiebatur, ac generoſum animum, ditionis amplitudinem, Eſtenſium nobilitatem, a conſiliariis ſuis, præſertim ab Aenea rationibus ſuaſus, ex agro Mutinæ, & regii ducatum erexit, ac Borſium ducem creauit, quod bene factum, bene locatum omnis Italia dixit. Cum nouellus dux inſignibus ex more publico donaretur, de Cæſaris beneficētia, de laudibus domus Eſtenſis, de virtute Borſii, deque dignitatis eminentia, dicendi partes ad Aeneam delatæ ſunt. At neque ventum Venetias poſtquam eſt, de rebus magnis, apud ſenatum, ducemque reipublicæ, alius quam Aeneas ex imperio Cæſaris loquendi prouinciam accepit.

Bellum Auſtrialium & Aeneæ legatio promotioque ad principatum imperii, orationesque eius, & conſilio pacis.

Poſtremo cum Cęſar in patriam ſe recepiſſet, Auſtrialeſque magnum exercitum aduerſus eum duxiſſent, atque ipſum diebus nonnullis apud Nouam ciuitatem obſediſſent, bombardis, & aliis belli machinis quatientes muros, intrepidus Cæſari comes adhæſit, factiſque induciis, emiſſo rege Ladislao, conuentu apud Viennam indicto, in quo de pace tranſigeretur, cum plurimos, atque præſtantes oratores eo Cęſar miſiſſet, Aeneas primus omnium fuit, apud quem legati totius Alemaniæ, magni pręlati, clari comites, inſignes barones, conuenerunt: bis illic apud primores Hungarię, qui ex toto regno aderant, ſemel apud Bohemos, Cæſaris nomine verba fecit: Ladislaum iam regnantem, bis ſalutatum adiit. Per hoc tempus inter Albertum marchionem Brandeburgenſem, & ciuitatē Naremburgenſem in curia Cæſaris, de rebus arduis, graue iudicium magnis contentionibus agebatur, quod ſolos diffinire principes oportebat. Cumque Albertus vnum Auſtriæ, duos Baioariæ, vnum Saxonię, duos Scleſiæ duces, & pleroſque alios principes, vt eloquentia potēs, & induſtria

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſolers, in ſuam ſententiam adduxiſſet, coactus iam Cæſar videbatur iniquam ferre ſententiam, niſi Aeneas interueniſſet, qui iam pridem poſt Senenſis eccleſiæ delatam dignitatem, inter principes imperii per Cæſarem aſſumptus fuerat. Hic enim poſtquã ſententiam rogatus eſt dicere, honorem Cæſaris ante omnia tenendum ait, cuius nomine ſententia promulgaretur, illum vero ſaluari non poſſe, niſi iuſte iudicaret, qui ſuſpecti nominabantur, quique belli participes fuerant, quod Albertus contra Nurembergenſes geſſerat, his iudicium minime conuenire, reliquos, qui Cæſari aſſiderent, iuuenes inexpertos eſſe, paucoſque qui rem tantam dirimeret, ſibi, neque iuſtitiæ, neq; animæ ſaluti detrahendum eſſe, vtileq; illud videri conſilium, ſi res in aliud tempus protraheretur, in quo Cæſar plures principes cauſæ non affectos, ſibi aſſidentes habere poſſet. Quibus dictis Ioannes Eyſtetenſis epiſcopus; vbi ſe tangi animaduertit: (nam, & is bellum Nurembergenſibus intulerat,) ad conſcientiam reuerſus, in ſententiam Aeneæ conceſſit, idemque Ratiſponenſis pontifex, & Carolus marchio Badenſis: qui etſi Alberti ſororem, vxorem duxerat; affinitatem tamen iuſtitiæ ſe minime prælaturum ait, dignus cui populi pareant, & paternæ virtutis ſectator adoleſcens. Ceteri Eyſtetenſis epiſcopi verbis, quæ haud bene intellexerunt, ducti fuere; ſic res in aliud tempus ſuſpenſa eſt, Cæſarque turpi nota liberatus, quam ſine culpa pene inciderat, iniquam ſententiam, iudicio principum, qui aſtabant, & factione laturus. Poſt hæc cum legati Ladislai regis ad tractandam pacem, de qua Viennæ deſperatum erat, ad Federicum Cæſarem veniſſent, Aeneas his publice reſpondit, deinde tractatu durante, parum tamen ſpei pręſe ferente, hortantibus conſiliariis, cubiculariiſque pluribus, Aeneas, vocato Vlrico Sonnembergio Cæſarem adiit, eamq; pacem magnis rationibus, & honeſtam, & recipiendam oſtendit, quæ ſequenti die concluſa eſt.

Conſtantinopolis captiuitas, Conuentus Ratiſponenſis, Burgundi aduentus, & Æneæ ad Pontificem legatio atq; Oratio.

Turcæ dum hæc aguntur, iampridẽ minoris Aſiæ, & maioris Græciæ partis domini, Conſtantinopolim Orientalis Imperii ſedem, quæ ſola in terra Thracia Mahumetis iugum obtrectabat, ingentib. copiis, terra, marique obſident, & tredecim oppugnata diebus, expugnant, capiunt, diripiunt, Imperatorem gentis Conſtantinum interficiunt, & omnem fere nobilitatem obtruncant, plebem in ſeruitutem redigunt, nobiliſſimumq; ſanctæ Sophiæ templum, cunctaſque Regiæ vrbis baſilicas ſpurcitiis fœdant Maumeteis. Triſte id nuntium Chriſtianis fuit, maxime vero Nicolao Quinto Pontifici Maximo, & Federico tertio Imperatori, quod ipſorum temporibus hoc tantum Chriſtianæ religioni opprobrium accidiſſet. Imperator apud Ratiſponam Baioariæ vrbem, quæ Danubio adiacet, iubet Germanos adeſſe, eoque Philippum Burgundiæ Ducem vocat, clarum, & cõpetentem principem, qui mox relictis Flandriæ motibus, ad quos comprimendos ierat, receptis imperialibus litteris, longiſſimo itinere Ratiſponam ſe contulit: vnus enim Chriſtianorum erat principum, qui Turcarum nomini infeſtiſſimum ſeſe oſtendebat, ſiue patrem vlturus, quem Turcæ olim captum multo auro vendiderant, ſiue religionis amore, quod hac potiſſimũ via æternam vitam quæreret, ſiue rumores hinc populi venaretur, cui mortalium pars maxima inſeruit, multum in eius aduentum auctoritatis acceſſit Ratiſponenſi cõcilio. Nam & Baioariæ Dux Ludouicus, & Albertus Marchio Brãdeburgenſis, & alii cõplures principes, audita Burgundi profectione excitati, Ratiſponã petiere, qui alioquin domi remanſiſſent. Imperator quamuis ſpem fecerat ſui aduentus nõ tenuẽt mutato tamẽ conſilio, in Auſtria commoratus eſt: veritus ne vicina Hungariæ flamma ſuam demũ incenderet. Gilles, & Hantrauter latronum principes per id temporis Auſtriæ, Stiriæque proximi Hungariam vaſtabant, aduerſus quos Ioannes Hunnates regni gubernator propediem conflicturus exiſtimabatur, vt victor quiſquis eſſet, Imperatori timẽdus erat, qui more hominum res proprias per ſe ipſum, communes per legatos curare ſtatuit. Miſit igitur Ratiſponam egregios ex curia ſua oratores, barones duos, epiſcopos duos, quorũ alter Vlricus Gurgenſis, alter Aeneas Senenſis fuit, & his adiunctus eſt Nicolaus ſancti Petri cardinalis, qui tum apud Eccleſiam ſuam Brixinenſem morabatur. Nicolaus Pontifex Maximus Ioannem epiſcopum Papienſem eo tranſmiſit, qui tuitionẽ fidei Catholicæ concilio cõmendaret, & opem ſuam offerret. Conuentu iam pleno, cũ prælati eccleſiarum, & principes

Chriſtia-

Digitized by Google

Chriſtiani multi adeſſent, concione in prætorio ciuitatis vocata, Aeneas vice Imperatoris verba fecit, quibus in expugnatione Conſtantinopolitana, quantum detrimenti Chriſtiana reſpublica accepiſſet, & quantũ inſtaret periculum, niſi Turcharum conatibus occurreretur, plane, dilucideque monſtrauit, capiendaque publice arma pro communi vtilitate ſuaſit, excuſato Imperatore qui domi neceſſario remanſiſſet, quamquam manca omnis ratio videbatur. Habuit & orationem Apoſtolico nomine Ioannes epiſcopus Papienſis, & pro Burgundo locutus eſt Ioannes Tullenſis epiſcopus, quem poſtea Pius ſecundus ad Tornacenſem tranſtulit eccleſiam. Cardinalis quoque ſancti Petri nonnihil ad perſuaſionem belli effatus eſt, & alii non pauci pro ſuo quiſque captu perorarunt, vt aſſolet in multitudine congregata. Philippus cum audiſſet Aeneam, Quid opus eſt, inquit, multis verbis? ſatis Aeneas oſtendit, quę nobis incumbunt: dicant de ſe ceteri, quæ volunt; ego de me ipſo loquar. Noui in quo diſcrimine Chriſtiana res eſt: ſi fidem noſtram, ſi libertatem, ſi vitam retinere volumus, neceſſe eſt obuiam Turcis ire, eorumque vires opprimere, priuſquam amplius inualeſcant cui rei neque corpus meum, neque facultates negabo: modo princeps alius ad eam rem idoneus ſeſe accingat, cui poſſim comes ire. Laudatus eſt à toto conuentu Philippus, & vnus omnium iudicatus aptus, dignuſque, qui rempublicam adminiſtraret. Exin ſententiis cunctorum dictis, in verba Aeneæ decretum factum eſt, nec quiſquam fuit, qui non expeditionem in Turcas ducendam cenſeret. Placuit tamen auxilia Francorum exquirere, qui equites expeditioni adiungerent, & Italorum, qui claſſem validam in Græciam, Aſiamq; traducerent, ac Turcarum præcipuas infeſtarent ſedes. Germanorum vero alium conuentum eſſe cogendum apud Frankfordiam Mogano adiacentem, qui Rhenum è regione Maguntiæ influit: vt ibi delectus militũ fieret, & altrices bello pecuniæ perquirerentur. Hæc & alia pleraq; Germanorum propria Ratiſponæ acta.

Alius conuentus Frankfordiæ celebratur, & per Æneam ad bellum contra infideles accenſi ſunt.

Diſſoluto concilio, Aeneas ad Imperatorem reuerſus, Italiam reuiſere ſtatuerat, atque in patria, quod vitæ ſupererat, viuere, quod cum peteret à Cæſare, non impetrauit, retentus eſt, ad Frankfordienſe concilium, vicem ibi vt Imperatoris ageret: quando is vnus eſſe videbatur in palatio de tuenda religione curioſiſſimus, & qui dicendo perſuadere aliquid poſſet. Adueniente concilii die, & ſibi, & Gurgenſi antiſtiti, & Brandeburgenſi, Badenſique marchionibus, hæc prouincia demandata eſt, qui Frankfordiam accedentes, admodum paucos ibi conuenerunt, & eos ipſos Imperatori, atque Papæ infenſos. Poſt dies aliquot affuerunt Theodoricus Maguntinus, & Iacobus Treuerenſis Archiepiſcopi, & legati ex tota fere Germania, ex Italia Pontifex Maximus, & duo Marchiones, Eſtenſis, & Mantuanus oratores miſere. Alphonſus Rex Siciliæ, & Veneti tardiores fuere, quorum legati iam dimiſſo conuentu Germaniam ingreſſi ſunt. Hungari, & Burgundi affuere, illi petentes auxilium, hi offerentes. Aderat & Ioannes Capiſtranus ordinis Minorum profeſſor, vitæ ſanctimonia, & aſſidua verbi Dei prædicatione clarus, quem populi velut prophetam habebant, quamuis in bello contra Turcas ſuadendo paucum proficeret. Mutati erant Theutonum animi; nec cuiquam placebat expeditionem in Turcas fieri: infectæ veluti venenis quibuſdam aures, neq; Imperatoris nomen, neque Romani præſulis ferre poterant, dicebantq; eos corrodere aurum velle, non bellum gerere: ſed alium futurum concilii exitum, quem ſibi perſuaſiſſent: nec pecuniam collaturos Germaniæ populos; nec in militiam daturos nomina, atq; in eam ſententiam perſuaſi omnes, Imperatori, & Papæ maledicere, legatos eorum contemnere, Burgundos irridere, qui proni ad expeditionem videbantur, Hungaris duriſſima verba dare, qui, cum ſuum regnum tueri nequiuiſſent, nunc Germaniam ſuis calamitatibus inuoluere vellent; nec vlla ſpes reliqua erat rei bene gerendæ, cum decretum Ratiſponenſe prorſus reiiceretur: At cum in concionem itum eſt, locuto Aenea, omnium repente animi in priorem belli gerendi ardorem rediere. Orauit ille duab. ferme horis, ita intentis animis auditus, vt nemo vnquam expuerit, nemo ab orantis vultu oculos ſuos auerterit, nemo non breuem eius orationem exiſtimauerit, nemo non inuitus finem acceperit: fuerunt & alii quampluręs auditi, verum tædio, & irriſione, orationem Aeneæ ab omnibus laudatam multi tranſcripſere, & ſecundum eam Ratiſponenſe decretum de bello gerendo innouatũ eſt, & Hungaris auxi-

linm promiſſum equitum decem millium, peditum trigintaduo, ſtatutumque vt ad Cæſarem electores Imperii ceterique Germaniæ principes feſto Pentecoſtes proximo ſeſe conferrent: vt quæ reliqua eſſent ad expeditionem maturandam, ibi abſoluerent. Atq; ita dimiſſo conuentu legati Cæſaris in Auſtriam rediere.

Conuentus in noua ciuitate, Aeneas oratio. Mors Pontificis Nicolai, Sarzana oppidum. Nicolaus geſta, Cōclaue. Creatio Caliſti, eiuſq; votū.

Nec diu poſt noui concilii tempus aſſuit, veneruntque ad Imperatorem in nouam ciuitatem Iacobus archiepiſcopus Treuerenſis, Albertus Brandeburgenſis, & Carolus Badenſis Marchiones, & alii nonnulli ex Germania principes, reliqui legatos miſere, ex Hungaria epiſcopi & barones præcipui auxilia petitum venere, multaque de gerendo in Turcas bello, & de ſpe victoriæ diſſeruerunt. Ex Italia legatus apoſtolicus aſſuit idem, qui Ratiſponam, & Frankfordiam adierat Ioannes epiſcopus Papienſis ſuo iudicio valde ſapiens, & eloquens, multorum tamen iudicio, neque ſtultus, neque d cendi prorſus ignarus, quem ſequebatur Michael Pitius Alphonſi Regis Siciliæ, & Aragonum in vituperando, quam in laudando orator vehementior. Nec Ioannes Capiſtranus defuit aſſiduis prædicationibus populum contra Turcas ad arma excitans. In hoc concilio Aeneas iubēte Imperatore, legatis Hungaris publice reſponſum dedit, quod in ſcriptis reductum, editum eſt, & inter eius orationes habetur. Inter hæc dum omnia propemodum concluſa ſunt, & ſpes pulcherrima eſſet, æſtate proxima ingentes copias in hoſtes eductum iri, ecce mors Nicolai Quinti renuntiatur Pontificis maximi, quæ telam longo iam tempore ordiri cœptam vno momento interrupit, vanaſque hominum cogitationes oſtendit, & inanes curas. Nam quæ futuri cognitio, quæ conſilii capiundi certa ratio? Decidunt omnes humani conatus, quos dextera Dei non adiuuat: non placuit diuinæ pietati per id tempus extendi Turcarum Imperium, ad correctionem noſtrarum iniquitatum diutius conſeruatur. Sederat Nicolaus in Beati Petri ſolio annos circiter octo, non tam genere clarus, quam doctrina, & animi dotibus excellens. Sarczana oppidum in Tuſ ia non procul a Macra fluuio ſitum illi patria fuit, quamuis antiquam originem ex Luca duceret, celebrauit annum Iubilei magna populorum frequentia. Bernardinum Senenſem in ſanctorum catalogum aſſumpſit: Imperatorem Federicum tertium, & Imperatricem Leonoram ex Portugallia natam Romæ coronauit, vnxitque in Baſilica ſancti Petri Apoſtolorum principis: Vrbis ædificia magnifice inſtaurauit; etſi plura inchoauit quam perfecit: Cardinales creauit ſeptem, inter quos fratrem ſuum aſſumpſit, Philippum Bononienſem epiſcopum amæno ingenio virum, & amici amicum: & facta vnione eccleſiæ, ex his qui fuerant in ſchiſmate creati, recepit aliquos, Stephanum Porcarium non ignobili apud Romanos loco natum, res nouas in Vrbe, & ipſum Chriſtum Domini capere atque occidere parantem intercepit, necarique iuſſit, multis, & magnis operibus clarus, fœlixque fuit: verum Conſt .ntinopolitana clade infelix, quæ in ſuum incidens Pontificatum, maximam illi moleſtiam attulit: à qua dum releuari curat, arteticis doloribus vniuerſum corpus inuadentibus extinguitur, & cum eo ingentia in Turcas cœpta corruerunt. Cardinales peracto funere de ſucceſſore ſolliciti, ac conclaue (vt moris eſt) ingreſſi, variis conſultationibus agitati ſunt: eratque admodum difficile duas collegii partes in vnum conuenire: ſcrutinioque ſemel, atque iterum incaſſum peracto, collocuti ſunt inter ſe aliqui extra locum ſcrutinii, Beſſarionemque cardinalem Nicænum eligere decreuerunt, quod is omnium aptior ad rempublicam gubernandam videretur, conueniebatque numerus in eum ſufficiens: nec dubium videbatur, quin ſequenti ſcrutinio Pontifex à duabus partibus eligeretur, iamque ad eum ſupplicationes deferebantur. Quod vbi ad alias alterius partis delatum eſt, Adanus cardinalis Auinionenſis, nunc iſtum, nunc illum circumiens, Ergo (inquit) eccleſiæ latinæ Græcum pontificem dabimus? & in capite libri neophitum collocabimus? nondum barbam raſit Beſſarion, & noſtrum caput erit? en paupertas eccleſiæ latinæ, quæ virum non reperit ſummo Apoſtolatu dignum, niſi ad Græcos recurrat. Sed agite Patres quod libet: ego, & qui mihi credent, in Græcum præſulem numquam conſentiemus. Mouerunt ea verba nonnullos: adeo vt duæ partes collegii nullo pacto ad Beſſarionem accederent. Qui cum vna nocte Pontifex conſtanti omnium opinione habitus eſſet, adueniente luce cardinalem ſeſe reperit, aliquanto minoris famæ, quam antea fuerat: vt his accidere ſolet, qui

magna

magna è ſpe ceciderunt. Cum ventum eſt denuo ad ſcrutinium,& via quæ per acceſſum vocatur tentata: in eum duę partes conſenſere, de quo minor erat expectatio populi. Is fuit Alfonſus cardinalis ſanctorum quatuor coronatorū,natione Hiſpanus, ex ciuitate Valentia nobili loco natus,ſcientia iuris eminentiſſimus,& multarum rerum experientia præditus,verum ſenio grauis,ac propemodum decrepitus: nam ſeptuageſimum annum tranſcenderat. Qui & ſi ante aliquot annos,& vacante tum ſede apoſtolica ſuam aſſumptionem fere omnibus prædixiſſet, ſeque proculdubio futurum Pontificem maximum affirmaſſet,nullius tamen opinionem ad ſe traxerat, & delirare potius more ſenū exiſtimabatur. Sed fuit eius vaticinium verax,quod à Beato Vincentio ſe habuiſſe narrabat, ſuæ nationis homine iam defuncto: quem poſtea inter ſanctos Chriſti confeſſores retulit. Alfonſo in Petri cathedra conſtituto, Caliſto tertio nomen eſt inditum,qui mox votum vouit aduerſus impios Turcas omnia ſeſe ſtudia conuerſurum. Nec moratus bellum eis indixit, in quo militantibus peccata dimiſit: ac legatos in Galliam, & Hungariam ad congregandos exercitus direxit.

Hæc cum audita eſſent in Auſtria,fuere non pauci, qui Cęſari ſuaſerint nunc tempus eſſe coercendi Apoſtolicam ſedem;ne tantum in Germania poſſet: conuentiones,quæ cum Eugenio Quarto factæ fuerant, diminuras eſſe, nec prius obediendum Romano Pontifici,quam ea concederet,quæ natio Germanica optaret,ancillā eam videri,libertatem aliquando mereri. Atque hoc ipſum Iacobus Treuerenſis archiepiſcopus obnixe requirebat,qui ex lite lucrum aliquod expectabat. Contra Aeneas non eſſe è re Cæſaris aiebat,Romani Pontificis auctoritatem reprimere, vt populi gratia iniretur,quæ ſui natura inconſtantiſſima eſt; nec multitudini relinquendas habenas,quam noſſet principatibus inimicam: inter principes aliquando amicitiam inueniri,inter plebem,& regem odium immortale: Papam Imperatoris, & Imperatorem Papæ auxilio indigere: ſtultum eſſe illi nocere, cuius expectes opem: cum Pontificatus nouus initur; nunc Romani præſulis gratiam beneficiis emerendā. Quod ſi ab iniuriis incipias, difficile in beneuolentiam patere aditum: mittendam more maiorum obedientiam, fœduſque cum nouo præſule honeſtum ineundum, eoq; pacto Germanos Imperatori obedituros. Vicit Aeneæ ſententia,atq; ipſe miſſus eſt,qui ea perageret,quæ ſuaſerat, & cum eo profectus Ioannes Inderbachius Iuriſconſultus,prius tamen quam Romam peterent, iuſſi ſunt in Foro Iulii litem quandā de finibus intercipere,quæ Venetos inter,& Auſtriæ ſubditos verſabatur. Pro qua re cū diebus pluribus apud Naonis portum moram feciſſent, nec Venetorum legatos euincere poſſent, Venetias ſe contulerunt,& ingreſſi ſenatum, quamuis aduerſaretur Imperatoris cauſæ Franciſcus Foſcarus ciuitatis princeps,eloquentia & auctoritate potens,ſenatores tamen Aeneæ verbis perſuaſi decretum reuocauerunt, quo Naonenſes cum Venetorum ſubditis communicare prohibebantur. Exin Romam ventum eſt;vbi collegæ ambo tanto maioribus honoribus excepti ſunt, quanto diutius,& auidius fuerant expectati,coactum eſt in eorum aduentu publicum conſiſtorium,in quo Aeneas præſtita pro vetuſta conſuetudine obedientia , orationem habuit de imperatoris,& imperii laudibus,ſimulq; de bello in Turcas gerēdo,quæ poſtea reſcripta in multorum manus peruenit.

Aeneæ ſuaſio pro Pontifice, & ipſius ad eum legatio pro Germanorum obedientia præſtanda.

Increbuerat per id tempus fama, Caliſtum in quatuor temporibus aduentus, qui prope aderat, nouos cardinales creaturum,inter quos aſſumendum Aeneam cōſtans extabat populi rumor; adeo vt quocunque iret digitis monſtraretur tanquam cardinalis propediem aſſumendus; & id ipſum Caliſtus affirmauerat. Cumque dies adeſſet, conſiſtoriumque eius rei cauſa ſecretum haberetur, exiit ſermo ex palatio, aliquos in ordinem cardinalatus eſſe aſſumptos,atque inter eos Aeneam , ad quem multi congratulatum venere,dolore pedum in lectulo laborantem: qui accepto nuncio nulla in parte mutato vultu, ſedatoque prorſus animo, ſi verum eſt inquit quod fertur ante horas duas innoteſcet: interim in vtramque partem ero accinctus, neque metu frangar,neque ſpe ludar inani. Ioannes autem Zamorenſis epiſcopus pari modo ſalutatus,iam tandem (inquit) aſſecutus ſum quod annis vno de quadraginta expectaui anxius. & donato nuncio ante beatæ Virginis effigiem genua flectens, ei ac

Rumor vanus de cardinalatu Aeneæ eiuſq; modeſtia, & Zamorenſis inſana lætitia, & creatio aliorum cardinalium à Caliſto.

Elio gratiàs egit.tam diſpar hominum natura eſt,alii quod cupiunt facile credunt, alii quod metuunt.In conſiſtorio vero cum diu res agitata eſſet, tres cardinales creati ſunt,quorum duo nepotes Papæ fuerunt, Ludouicus ſanctorum quatuor coronatorum presbyter,& Rodericus ſancti Nicolai diaconus, & tertius eiuſdem ordinis Iacobus ſancti Euſtachii ex regia Portugallenſium domo natus. Iuuenes omnes, quamuis indolis optimę. Non tamen ſtatim publicata eſt creatio cardinalium, ſed ita diſſolutum conſiſtorium,ac ſi nihil actum eſſet, cunctis patribus ſilere iuſſis, & ſi nonnulli ex thalamo Pontificis coniecturam rei geſtæ fecerunt, ex eo quod pugillare petitum eſt, & nonnihil nutibus indicatum:ſed Pontifex per æſtatem, quæ primum ſecuta eſt,paucis cardinalibus aſtantibus,cum ceteri caumata effugiſſent, publicationem fecit.

Bellum Picinini contra Senenſes, eius fuga, atque neceſſitas, Æneæ legatio ad Alfonſum efficax, & Lucretia amor.

Per idem tempus, cum tota Italia recenti pace reſpitaſſet, (nam potentatus omnes ab armis receſſerant) nouus turbo exortus eſt,qui virgineam terram non ſineret quieſcere,Iacobus Picininus,Nicolai Picinini filius, qui iam pridē Venetis militarat,copiarum ductor non ferens otium magna equitum manu tranſmiſſo Pado in Romandiolam penetrauit, ac deinde in Tuſciam aduerſus Senenſes ſigna conuertit, omnium Italię potētatuum minus validos,vt eorum occupata republica nobilis vrbis tyrannus fieret & iā ſeſe ducem Senarum appēllari ſinebat. Erat in Senenſes ſubirato animo rex Siciliæ Alfonſus,quod hi ſibi affœderati,bellique ſocii ſe minime cōſulto duci Mediolanēſi,Florentiniſq; pacem reddiderant,atque ob eam cauſam Picininum fouebat Senēſem agrum vaſtātem.Nec vel ſic Senenſes Picinini tyrānidem declinaſſent,qui iam Citonium ac Montē Maranum cum arcibus occupauerat,non ignobilia oppida Senenſis agri, niſi affuiſſent illico Franciſci Sfortiæ Mediolanenſium ducis,ac Venetorum,& Caliſti Pontificis Maximi auxilia, & inſignes copiarum duces,qui Picininum vrgentes,in fugam verterunt.Ceſſit Picininus potentioribus,adeoque territus eſt, vt nunquam ſe tutum putarit, donec ad caſtrum Leonis, quod Alfonſus in maritima Senenſium obtinebat,celeri curſu peruenit, quo in loco clauſus,dies aliquot ſiluestribus tantum prunis vitam egit: ſaluti ei fuit Lucas Sclauus,qui Vrbetellū pro Senenſi republica cuſtodiēs auro corruptus, decepto, captoq; arcis præfecto,Picinini præſidium,& ipſum mari aduectum intrōmiſit, quo in loco rurſus obſeſſus eſt Picininus,ſed erat difficilis expugnatio, his præſertim qui vincere nolebant.Animaduerterant bellatores Italici,expugnato captoque Picinino ſibi ad excolendos agros redeundum fore, cum pax vbiq; vigeret: Picininumque quaſi Deum colebant,qui ſolus belli materiam miniſtraret.Suggerebant igitur fame laboranti panē,conſilia ducum ad eum deferebant, neq; dicto maiorum parebāt. Alfonſus quoque mari alimenta mittebat,producebatur in dies obſidio, & omnes incaſſum conatus ibant.Nec iam Senenſes exhauſti auro, atque frumento ſumptum ferre amplius poterant,& Caliſtum tędebat expenſarum,nec ceteri bello ſocii, vt ab initio alacres ferebant ſuppetias:eoque deducta res erat, vt non minus obſeſſores quam obſeſſi periclitarentur. vnicum igitur ſalutis iter,Senenſi populo viſum eſt Alfonſum rogare,vt pacē elargiretur, opemque ab eo petere cuius ſocietatem contempſerant, quando is vnus erat,qui Picinino poſſet imperare. Redierat iam Senas in Germaniam profecturus Aeneas:vocāt eum magiſtratus vrbis,quos Priores appellant, & hi quib.Balia commiſſa eſt, multiſque precibus orant, ne grauetur pro patria iter ad Alfonſum facere,pacemque Tuſciæ ab eo petere, rogato prius Caliſto vt ęquo animo ferat,legatos Senenſium Alfonſum adire. Annuit Aeneas, ne patriæ in tanto diſcrimine deeſſet,quæ niſi pacem aſſequeretur, quamprimum neceſſario libertatem erat amiſſura.Rediit ergo Romam, Pontificemque non fine magno labore in ſententiam traxit,vt pacem ab Alfonſo peteret qui Ioannem Selerium inſignem Theologum: quem poſtea Pius ſecundus Barchinonenſi præfecit eccleſię,cum Aenea miſit,vt ſuo nomine de pace ageret.Senenſes duos Aeneæ comites addidere Galganum Burgheſium iureconſultum,& Leonardum cognomento Beneuolentem.Cum eſſet eundū,podagra Aeneā arripuit,atq; octo dieb. Romæ retinuit,præceſſerunt collegæ, & Alfonſum apud Traiectū conuenere, vbi ſepulchrum prioris Africani oſtendunt, non procul ab Lyri fluuio,quē noſtra ætas Garilianum vocat. Auditos Galganum &

Leonar-

Leonardũ, Alfonſus duriſſima excepit oratione, multa de Senenſibus queſtus eſt, nec oratores ipſos pacificis oculis intueri poterat. At eum acceſſiſſet Aeneas hilari vultu & honeſto ſermone receptus: quem vt primum Rex intuitus eſt; Nunc inquit, libet de pace loqui, quando mediator acceſſit, quem diligimus: moxque tractatum iniit. Sed cum res multos haberet nodos, & nouæ in dies emergerent difficultates, ad menſes aliquot producta, & modo Neapoli, modo Puteolis, & aliquando apud turrim Græcam tracta eſt: quib in locis Lucretia morabatur ſpecioſa mulier ſeu virgo: erat nobilibus inter Neapolitanos nata parentibus, licet pauperibus. Hanc rex perdite amauit, adeo vt in conſpectu eius conſtitutus extra ſe fieret, neq; videret quicquã, neque audiret quemquam niſi Lucretiam, oculos in eam ſemper habebat intentos, laudabat verba eius, ſapientiam admirabatur, probabat geſtus, excellentiam formæ rarã eſſe iudicabat: & cum multa ei donaſſet, & quaſi Reginam honorari iuſſiſſet, ad extremum ſeſe illi permiſit, neque enim exaudiri quiſquam ea nolente potuit. Mira vis amoris. Rex magnus Hiſpaniarum nobiliſſimæ partis dominus, cui Baleares inſulæ, cui Corſica, Sardiniaque & ipſa Trinacria parebat, qui plurimas Italiæ prouincias ſibi ſubiecerat, viceratque potentiſſimos in armis duces, ad extremum victus amore quaſi captiuus mulierculæ ſeruiebat. Nec eam cognouit (ſi vera eſt fama) ſolitamque eam dicere ferunt, virginitatem volenti mihi nunquam Rex auferet: quod ſi vim inferre tentauerit, non imitabor Lucretiam Collatini coniugem, quæ admiſſo ſcelere mortem ſibi conſciuit. ego facinus morte præueniam. Sed dum Aeneas obtinendæ pacis gratia etiam venantem ſequitur, Baias inuiſit, & Cumas, & antiquatum cadauera ciuitatum adiit: & Salernum & Amalphium, atque apoſtolorũ Andreæ & Matthæi venerabiles tumulos, in quib. ſacra corpora exſudare nobile manna experiuntur: vidit & fontem Sarni fluuii, cuius tanta frigiditas eſt, vt miſſa in eo vina nigriora paruo albeſcant ſpatio, quo in loco non diu poſtea, eius iam Pontificis, & Ferdinandi regis copiæ ab exercitu Gallico, dum nimis audent, fuſæ fugatæq; ſunt, & Simonettus eccleſiaſticæ militiæ ductor ictu lapidis tormentalis confoſſus interiit. oppidum hic eſt ex flumine Sarni nomen ſortitum. exin Nolam venit, Paulini confeſſoris ſanctiſſima vita multo magis quam Romanorum hiſtoriis, & Marcelli morte nobilitata.

Inter hæc rumor exoritur, Turcarum innumerabiles copias, cum ipſo imperatore ſuo, & machinarum ingenti vi, terra & aqua Thaurinum obſidiſſe, quod eſt oppidum inter confluentes Sauum & Danubium in Ruſcia, quæ olim ſuperior Miſia dicta eſt, ſitum, hodie Belgradum, alii alteram Albam vocant. Anxius eius nuncio Alfonſus percunctatus eſt a circunſtantibus, quonam pacto ſubueniri obſeſſis poſſet: cui Aeneas, Fruſtra, inquit, de auxilio cogitas: neque enim Hungarica atque Turcanica bella ſicut Italica ſunt, in quibus perraro confligitur, & quæ noſtri milites pulchre negotiationes appellant, hac ipſa hora, qua loquimur, aut hoſtes aut Hungari profligati ſunt, cuius rei mox aderit nuncius. ſecuti ſunt octo dies, & ecce litteræ adſunt ex Hungaria Chriſtianos cruce ſignatos, qui Thaurini obſidebantur, erupiſſe in Turcas, & maxima edita hoſtium cæde, diuina magis ope quam humana victoria glorioſiſſima potitos, ſub Mamilla Turcarum imperatorem vulneratum, diſperſo exercitu, relictis omnibus machinis, cum paruo comitatu diffugiſſe trepidum: atque ita certa res allata eſt, vt nihil amplioris fidei deſideraretur. Nec diu poſt tam felix nuntium Senenſium pax ſecuta eſt, ea lege, vt Picininus accepta pecunia Vrbetellum Senenſibus redderet. Tuſciaque excedens in Aprutiis, & Aquilanorum hiemaret agris. His rebus abſolutis, Aenea, Romam rediit: & cum vellet reuiſa patria ad imperatorem in Germaniam proficiſci, à Caliſto pontifice retentus eſt, qui remanenti cardinalatum pollicebatur. Paruit Aeneas.

Profligatio Turcarum, & pax Senenſis.

Cumque adeſſent aduentus Chriſti ſaluatoris tempora, quæ cardinalium propemodum comitia dici poſſunt, Caliſtus cardinales nouos ſex creauit, Raynaldum Piſcicellum archiepiſcopum Neapolitanum Lucretiæ patruum, quem vt illi morem gereret enixiſſime petebat Alfonſus, Ioannem epiſcopum Zamorenſem natione Hiſpanum, ſcientia iuris excellentem, qui annis vno de quadraginta in muneribus curiæ prudenter caſteque fuerat obuerſatus, Ioannem Papienſis eccleſiæ præſulem,

Aeneæ promotio ad cardinalatũ & omnium gentium congratulatio, Vormatienſis eccleſia adeptio, Polonorumq; defenſio.

Caſtilionenſi nobili domo apud Mediolanenſes natum: Aeneam pontificē Senenſē, quem non Imperator ſolum, ſed Hungariæ quoque Rex Ladislaus, & cuncti ferme Germaniæ principes efflagitabant: Iacobum Feretranum natione Romanum Simonis Medici fratrem: & Riccandum Conſtantium Normanicū ſacerdotem, quē Carolus Francorum rex expetebat. Laudata eſt horum creatio: Aeneam vero, vbi donatum pileo rubeo audiuit populus, mox fama exorta eſt, ſucceſſorem ſibi creaſſe Caliſtum, & ingens tota vrbe lætitia. Sena quoque, vt accepit ſuo Præſuli ornamenta quæ acceſſerant, feſtos dies celebrauit, fuitque publice gaudium. At Federicus imperator mirum in modum exultauit, cum accepiſſet legatum, & conſiliarium ſuum in ordine cardinalatus aſſumptum. Nec Alfonſus Aragonum, & Siciliæ rex mediocri gaudio affectus eſt, ſed & Germaniç omnes principes Aeneæ per epiſtolas congratulati ſunt, tanquam in eo Germania ipſa decorata fuiſſet: nec decepti Nā Aeneas Germanorum ſemper & laudator & defenſor extitit, nō modo in cardinalatu, verum etiā in Pontificatu maximo: & Caliſtus eum præ ceteris cardinalibus in rebus Germanicis audiuit. In Pruſſia, quæ olim Vlmerigia dicta eſt, & ad mare Baltheum iacet, eccleſia nobilis ac prędiues fuit, quā Varmienſē vocāt, multis arcib. & oppidis, ac latiſſimo imperio potēs, ſed orto inter religioſos beatæ Mariæ Theutonicorum, qui Pruſſię dominabantur, & regē Poloniæ ad quem Pruteni defecerant, crudeli & aſperrimo bello eccleſia ipſa admodum defecit, partē religioſis, partem Polonis ad ſe trahentibus, & villas atq; oppida diripientibus. Obiit interea Franciſcus eius eccleſiæ pontifex: canonicorum pars magna Aeneā ſibi pontificē poſtulauit, pars altera bifariā diuiſa eſt: & quidā Luticonē regis Poloniæ cōſiliarium elegerunt, quidā ſacerdotē alium quēdā, ex his qui cum religioſis Theutonib. erant. Poſſeſſio eccleſię à principio Luticoni data eſt: ſed cum Caliſtus canonicorum poſtulationi annuens adminiſtrationē eccleſię Aeneæ cōmendaſſet, poſſeſſio quoq; ad eius procuratorē delata eſt eius partis quā Luticoobtinuerat, qui minime auſus eſt cardinali aduerſari. Aeneas vero exinde Pontificium maximum aſſecutus, Paulum Leghendorfium ei eccleſiæ præfecit, qui abſq; aduerſario in hanc vſq; diem illā gubernat. Eodem ferme tēpore, & altera eccleſia vacauit in Pruſſia epiſcopio prædita, quā vocant Culmenſem In ea Poloni vnum, religioſi Theutones alterum petebāt. Dominicus cardinalis Firmanus religioſorum protector Polonorum cauſam prorſus odioſam Papæ, cardinalibuſq; reddiderat: Aenea excepto, qui cum animaduerteret eo ſententias in collegio tendere, vt Poloni prorſus excluderentur, & is promouendus, qui poſſeſſionē minime aſſecutus eſſet: cum ad ſe ventum eſt, rem ab exordio quomodo inter religioſos Theutones, & Polonos acta eſſet, in medio expoſuit: oſtenditq; Polonos quamuis iniuſte, more tamen hominum in alienam terrā veniſſe nō armis, ſed accerſitos à ſubditis religioſorum: neq; perſonæ prouiſum iri, neq; eccleſiæ, quia nō admitterentur: rurſusq; nō mereri Polonos eccleſiā pro ſua voluntate impetrare, qui alienum agrum inuaſiſſent. Neutri ergo auſcultandum eſſe, ſed tertium vocandum, qui tamquā œconomus eccleſiam tam diu regeret, quoad res in meliorem ſtatum cōducerentur: oſtenditq; plurib. verbis nō oportere fieri: quod iam collegii pars maior ſuaſerat, & Caliſtus amplecti cupide videbatur. Qui audito Aenea, Placebat, inquit, nobis Firmani ſententia, ſed tu Aenea mutaſti animum noſtrum: decretumq; pro tuo conſilio facimus.

Æneæ auctoritas in ſenatu cardinalium, & contentionibus finiendis.

Vacauit Eccleſia Ratiſponenſis apud Danubium in Baioaria ſita, cui præfuit olim Albertus philoſophus, & theologus inſignis, quem Germani Magnum appellant, & quem doctor ſanctus Thomas ordinis Prædicatorum Aquinas audiiſſe traditur. Hanc Eccleſiam petebat Ropertus Baioarius ex Imperatorum ſanguine natus: canonici præpoſitum ſuum elegerant, cumque in epiſcopum dari ſibi magnis precibus inſtabant. Aeneas Ropertum iuuabat, quod eius promotio & vtilior, & nobilior videbatur. Papienſis electum tuebatur, non tam eius cauſa, quam vt in rebus Germanicis Aeneam ſuperare videretur. Caliſtus vtrique cauſam audiendam commiſit, vt electionis decreto, & vtriuſque competitionis meritis diligenter penſatis, in cōſiſtorio ea referrent, quæ inueniſſent, & ſuas dicerent ſentētias. Dum res diſcutitur, Papiēſis cardinales ambit, atq; vnumquemq; domi conuenit: electum laudat, merita eius longe

longe maiora eſſe [illegible],quam Roperti:iniquum videri,niſi eligenti capitulo mos gereretur:conuenta exinde nationis Germanicæ in medium affert,quæ magnopere electionibus fauent:hunc ætatem habere:Ropertũ nondum annos quinque & viginti natum. Adit & Papã,atque eadem repetit:&,iam cardinales in Papienſis ſententiam pedibus ibant. Caliſtus dubius erat:ſed cum in conſiſtorium ventum eſt, & Æneas auditus,repente omnium animi commutati ſunt,& Caliſtus omne dubium reiecit. Monſtratum eſt enim electionẽ malis artibus factam,& electum extra communionẽ fuiſſe cum diligeretur,nec frugi conuerſationis eſſe,nec tanta eccleſia dignum: contra Roperti ætatis defectum,& bonam indolem, & mores egregios, & maiorum merita abunde ſupplere. Expectabatur conſiſtorii exitus non minori frequentia populi, quam cum de cardinalibus agitur. Et curia in duas partes diuiſa, alii hunc, alii illum ſuis votis expoſcebant:ſed longe maior opinio erat ad electum: vicit tamen Ropertus defenſore Ænea,atque is licet annis minor, Ratiſponenſi eccleſiæ adminiſtrator eſt datus. Quæ res numen Æneæ inter cardinales non parum adauxit.

Ingentes terræmotus in Neapolitano regno, Sueciæ regis eiectio, Alfonſi mors, Ferdinandiq; ſucceſſio & Caliſti Papæ obitus,

Per hos dies terræmotus regnum Neapolitanum multis diebus agitauere, quales patrum noſtrorum memoria neque viſi ſunt,neque auditi. Neapoli multa & præclara ædificia corruerunt. Arrianum,& aliqua pleraque oppida à fundamentis cecidere. Fama fuit ſupra triginta millia corpora hominum ruinas oppreſſiſſe: populi paſſim relictis vrbibus in agros migrauere,& facta eſt publica pęnitentia,viris,ac mulieribus ieiunio & verberibus ſeſe macerantibus. Tum quoq; & in Egeo pelago inſula emicuit,nunquam antea viſa:parua circuitu,verum alta ſuper aquas quadraginta cubitis:arſitque diebus aliquot,donec flãmæ defuit bitumen. Per hoc tempus & Carolus Rex Sueciæ,cũ ſæuiret in Chriſti ſacerdotes,& auaritiæ libidiniq; ſeruiret, adnitente Vſpalenſi archiepiſcopo,qui duxit exercitũ,regno deiectus eſt,& Chriſtigernus ei ſuffectus,qui vſque hodie regnat. Æneas autem cum podagræ doloribus plus ſolito vexaretur,indulgente Caliſto ad balnea Viterbienſia ſeſe contulit, leuamen ægritudini non finem ſperans:quando is morbus eſt, quem ſola mors terminat, vbi cõfirmatus eſt,& altas egit radices. Inter lauandum hiſtoriam Bohemicam cõſcripſit, atque Alfonſo Aragonũ,& Siciliæ regi dedicauit:ſed prius ille è vita exceſſit, quam hiſtoria finiretur. Ceperat Alfonſus ægrotare,cum eſſet Aeneas in balneis, & lento morbo correptus quadraginta dies inter ſpẽ vitæ & mortis metum aſſumpſit, fecitq; demum naturæ ſatis,inſtituto hærede filio Ferdinando extra matrimoniũ nato, quẽ Nicolaus,& Eugenius Romani pontifices regni capacem reddiderãt. religioſus principis obitus fuit,nam Chriſtiano more peccata confeſſus, & ſacramentis eccleſiaſticis communitus in alteram vitam migrauit,onerato filio vt auri ſexaginta millia nummum in expeditionem contra Turcas Romano Pontifici traderet:legauitq; multa ad pias cauſas:& oſſa ſua in Aragoniã trãsferenda mandauit: quæ omnia ſuperueniente bello impedita ſunt. Etſi enim mortuo Alfonſo regni principes ac ciuitates omnes Ferdinandum ſupra ſe regem acceperunt, & in eius verba iurarunt: Caliſtus tamen Pontifex Alfonſo extincto regnũ Siciliȩ ad Romanã eccleſiã deuolutum declarauit. Veruntamẽ,dum hæc agũtur,& Ferdinãdus ſe tueri conatur, & Põtifex regni poſſeſſionẽ procurat: Caliſtus dies quadraginta morbo captus,& extremo confectus ſenio, è vita migrauit,ipſumq; nepotes in Baſilica ſancti Petri ſepelierunt in loco quem vocant beatæ Mariæ febris,olim Apollinis templum. Obiit autem octauo idus Auguſti, anno Saluatoris Chriſti quadricenteſimo quinquageſimo octauo ſupra milleſimũ. Cardinales pro more egregias exequias fecere.

Conuentus cardinalium in conclaui, Æneæque ad pontificatũ electio, ac Pii appellatio.

Hæc cum accepiſſet Philippus cardinalis Bouonienſis, qui apud Balneum regium per æſtatis caumata declinauerat, Viterbium venit:& cum Aenea ſimul ad electionẽ futuri Præſulis Romã profectus eſt. Cumq; ambo vna Vrbẽ peterent, vniuerſam curiam,& maiorem populi partẽ extra mœnia occurrentem inuenere: affirmantibus cunctis eorum alterum in pontificem maximum electum iri. Reuerterunt & ceteri cardinales intra centeſimum lapidem cõmorantes: decem & nouem in Vrbe adfuere. Sed dum celebrantur exequiæ, cardinalis Firmanus lenta febre correptus Caliſtum,cui ſuccedere aſpirabat,ad ſepulchrum ſequitur: vir,niſi iracundiæ ſuccubuiſ-

ſet, exemplaris, & optimus: fuit enim vitæ mundiſſimæ, doctrina & rerum experientia magnus. Reliqui cardinales duudeuiginti decima die poſt Caliſti obitum conclaue ingreſſi ſunt, tota ciuitate ſuſpenſa in euentum rerum: quamuis ſermo communis Æneæ cardinali Senenſi Pontificatum maximum attribueret: neque enim quiſquam fuit, de quo maior eſſet opinio. Conclaue in apoſtolico palatio apud ſanctum Petrum perſtructum eſt, in quo duæ clauſæ ſunt aulæ & ſacella duo: in maiori cellulas fecere in queis cardinales ederent, dormirentque. Minus (quod ſancti Nicolai appellatur) conſultationi, electionique pontificis aſſeruauerunt: deambulationi omnium aulas. Ipſa die ingreſſus nihil actum eſt circa electionem: ſequenti capitula quædam edita ſunt, quæ obſeruari à nouo Præſule ſtatuerunt, iurarúntque ſinguli ea ſeſe ſeruaturos, ſi electio ſuper ſe caderet. Tertia die facta re diuina, cum ventum eſſet ad ſcrutinium, inuentum eſt Philippum cardinalem Bononienſem, & Aeneam Senenſem paribus vocibus ad ſummum Pontificatum præſtolari, vtroque vocibus quinque vocato: ex reliquis nemo tres ſuperauit. Sequenti die itum eſt de more ad rem diuinam, qua peracta, ſcrutinium incepere. Calix aureus in ara poſitus eſt, & tres cardinales eum obſeruauere Ruthenus epiſcopus Ru homagenſis presbyter, & Columnenſis diaconus, inſpicientes ne qua fraus intercederet. Reliqui cardinales in ſuis locis conſederunt, & ſurgentes ex ordine dignitatis, ac ſenii accedentes ad altare, ſchedulas in calicem mittebant, in quibus nomina eorum ſcripta erant, quos ad pontificatum eligebant. Cumque hoc omnes feciſſent, menſa in medio ædis poſita eſt, & tres cardinales memorati ſupra ea ſchedularum calicem euerterunt, ſchedulaſque legentes ſingulas alta voce nomina eorum annotauerant, qui erant in illis conſcripti. Nec quiſquam erat cardinalium, qui non pari modo nominatos annotaret, ne qua poſſet interuenire fraus & deceptio. Schedularum modus hic erat: ſcripſerat quilibet manu propria, *Ego Petrus ſiue Ioannes ſiue alio nomine fuerit, in Romanum Pontificem eligo Aeneam cardinalem Senenſem, & Iacobum Vlixbonenſem:* nam & vnum, & duos, & plures eligere permiſſum eſt, tacita conditione, vt prior nominatus præferatur; Quòd ſi non habeat vota, quæ ſufficiant, ſuccedat proximus, vt eo facilius in vnum conueniatur. Publicato ſcrutinio compertum eſt nouem cardinales Æneam elegiſſe, Genuenſem, Vrſinum, Ilerdenſem, Bononienſem, ſancti Marci, ſanctorum quatuor Coronatorum, Zamorenſem, Papienſem, & Portugallenſem, Rothomagenſem vero tantum ſex, reliquos longe inferius reſediſſe. Cardinales omnes admirati ſunt: neque enim memoria hominum in tam paruo cardinalium numero ad nouē voces per ſcrutinium quiſquā aſcenderat. Cum nemo ſatis votorū haberet, placuit conſedere, & viam quam vocant per acceſſum experiri, ſi forte ea die poſſet haberi pontifex. Sedebant omnes ſuis in locis taciti, pallidiq;, & tamquā à Spiritu ſancto rapti eſſent. Nemo aliquandiu loqui, nemo hiſcere, nemo partem corporis mouere præter oculos, quos varias in partes iactabant. mirum erat ſilentium, & mira hominum effigies, neque vox audiebatur, neque motus cernebatur vllus. Manſere in eum modum aliquantiſper, expectantibus inferioribus vt ſuperiores acceſſum inchoarent. Exinde Rodericus Vicecancellarius aſſurgens, ad Senenſem cardinalem accedo, inquit. Subſecutum eſt ſilentium, & alter alterū intuens, ſuos nutibus indicabat affectus. Iam prope erat vt Æneam pontificem videre viderentur, quod verentes aliqui è loco abiere, vt eius diei creationem eluderent. Hi fuerunt Ruthenus, & ſancti Sixti cardinales, ſed cum nulli eos ſequerentur, mox rediere. Tum Iacobus cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ: Et ego, inquit, Senenſi accedo. Vna iam Aeneæ tantum vox deerat. Duodecim ſiquidem pontificem efficiebant, quod animaduertēs Proſper cardinalis Columnenſis, eam ſibi gloriam acquirendam putauit, vt pontificem ipſe pronunciaret. Cumq; eſſet Aeneæ veteri beneuolentia coniunctus, verſus ad reliquos cardinales: Et ego, inquit, Senenſi accedo, eumq; Papam facio. Quo audito, cardinales vniuerſi nihil morati ad pedes Aeneę ſeſe proiecerunt, eumq; pontificem ſalutauerunt: & rurſus in ſuis locis reſidentes electionem factam approbauerunt nullo prorſus aduerſante. Ibiq; Beſſarion cardinalis Nicænus ſuo & eorum nomine, qui Rhotomagenſi fauerant: Laudamus, inquit, pontifex maxime, tuam aſſumptionem, quā ex Deo eſſe non dubitamus: & ſane dignum te hoc

munere

munere & cenſuimus antea,& nunc cenſemus. Quod autem te non elegimus,id fecit ægritudo tua:nam cum pedibus ægrotares,hoc tantum ſufficientiæ tuæ deeſſe putauimus:eſt enim Eccleſia egens viro actiuo,qui poſſit itineribus corpus exercere, & imminentibus periculis occurrere,quæ à Turcis formidamus. Tu contra quietis eges. Hoc nos ad Rhotomagenſem traxit: quod ſi fuiſſes corpore validus,nullus erat, quem tibi præferendum exiſtimaremus. At cum Deo placuerit,& nobis placet. Nos te pontificem veneramur,& denuo quantum in nobis eſt eligimus, tibique fideliter ſeruiemus. Ad hæc Aeneas, Exiſtimaſti,ò Nicæne,quantum animaduertimus,de nobis longe melius quam nos ipſi,qui nobis pedum defectum tantummodo attribuiſti. Nos imperfectum noſtrū latius vagari non ignoramus:defectuſq; noſtros pene innumerabiles eſſe cognoſcimus,quibus potuimus à ſummo pontificio reiici. Merita vero,quæ huc nos eueherent, nulla ſcimus:diceremuſq; nos prorſus indignos, neque delatum amplecteremur honorem, niſi vocantis iudicium timeremus. Nam quod duæ ſacri collegii partes efficiunt,id profecto à Spiritu ſancto eſt,cui non licet aduerſari. Obedimus igitur vocationi diuinæ:ac te Nicæne,& reliquos cum quibus ſenſiſti,laudamus. Si conſcientiæ iudicium ſecuti,nos tamquam inſufficientes, non cenſuiſtis eligendos,eritis omnes accepti nobis,qui vocationem noſtram non iſti,aut illi attribuimus,ſed toti collegio,& ipſi Deo,à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum Nec plura locutus,priora exuit indumenta, & albam Chriſti tunicam accepit:& interrogatus quo nomine vellet vocari,Pio reſpondit, & mox,Pius ſecundus appellatus eſt:& iuratis quibuſdam capitulis nudiuſtertius in collegio editis,in altari poſitus,ruſus à cardinalibus adoratus eſt, pedes eius & manus,& ora oſculantibus:atque eo facto,publicata eſt populo pontificis electio ex alta feneſtra, acclamatumque Pium ſecundum pontificem haberi qui fuerat cardinalis Senenſis. Tum qui erant in conclaui miniſtri cardinalium,cellulam eius ſpoliauere,atque argentum quamuis erat modicum,& veſtes,& libros diripuere,& domum eius in Vrbe viliſſima plebs,atq; infamis non expilauit tantum,ſed diſrupit,etiam marmoribus aſportatis. Fuerunt & alii cardinales affecti damno:nam ſuſpenſo in expectatione populo,cum variæ voces iactarentur,& modo hic cardinalis, modo ille diceretur electus,procurrere vulgus ad illorum ædes,ac rapinam facere, & Genuenſis pro Senenſi auditus,partem ſubſtantiæ amiſit:cumq; plures nominarentur, nullius vox cū maiori gaudio exaudita eſt quam Senenſis: quem cum certum fuit Aeneam in ſolio Petri conſtitutum eſſe,nemo non exultauit. Vidiſſes non homines tantum, ſed vrbis ædificia geſtire:vbique riſus,vbique gaudium,vbique voces clamantium exaudiebantur, *Sena,Sena,viue Sena.* Et cum eſſet armata ciuitas,nec quiſquam in alio,quam in ferro videretur habere fiduciam,mox,vt certior factus eſt populus Aeneæ pontificatum obueniſſe,depoſita ſunt arma,adeoq; mutata Vrbis facies, vt quæ paulo ante Martis,è veſtigio Pacis,& quietis ciuitatis effecta ſit:vbique læta atque ſecura. Interim nouus Præſul paululum cibo recreatus,in baſilicam ſancti Petri ductus eſt, & in ara maiori collocatus,ſub qua iacent beatorum Apoſtolorum corpora: & paulo poſt, in ſublimi ſolio,ipſaque Apoſtolica cathedra pro conſuetudine ſedit. Quo in loco rum cardinales & epiſcopi,tum multi ex populo eius pedes exoſculati ſunt,& in throno ſedentem Chriſti vicarium adorauerunt. Nec diu moratum, cum iam aduesperaſceret,in palatium reduxere:aduentu noctis lucere in omni triuio, atque in omni turri ignes,cantus exaudiri,vicinus vicinum inuitare,nulla in parte cornua tubaſque non ſonare,nullumq; in Vrbe locum non publico geſtire gaudio. Ferebant ſeniores, numquam ſe Romæ tantam populi alacritatem vidiſſe.

Lætitia Romanorū & omnium gentium ex Pii Pontificatu, variaq; Principum legationes ad cōgratulationem & obedientiam.

Sequenti nocte primarii Vrbis ciues equis inſidentes,ardenteſq; cereos in manu ferentes,ad palatium ſalutaturi pontificem acceſſere, quorum ordo ex mole Hadriani ad ædem beati Petri protendebatur. Nec Romæ tantum,ſed multæ Italiæ ciuitates,& multi principes,audita Pii pontificis aſſumptione ſingularem lætitiam oſtenderunt: præcipue vero Senenſes exultauere,quorum ciuis adeo exaltatus eſſet, vt omnium in orbe primus haberetur. Corſiniani,quod oppidū octuaginta paſſuū millib. ab vrbe diſtat,qua hora Pontifex electus eſt,oppidani populariter ex agris redeuntes,

Fama miraculoſa celeritas.

Laudomiam Pii ſororem ſalutatum iere, bonum ſe nunciũ accepiſſe concordi teſtimonio affirmantes Aeneam cardinalem Senenſem ad ſummum pontificatus faſtigium eſſe aſſumptum. Quod vaticinium memoratu dignum ſequenti die litteræ ab amicis confirmauerunt. Ferdinando Siciliæ regi felix hoc nuntium fuit, qui patris amicum in ſede Petri ſuffectum intellexit. Franciſcus Sfortia dux Mediolani, etſi alium Pontificem expectabat, Aeneæ tamen cognita electione gauiſus eſt, quem olim in caſtris contra Mediolanum honoraſſet. Borſius Mutinæ dux militares ludos inſtituit, & multa magnaq; ſuæ lætitiæ ſigna oſtendit. Erat enim ei cum Aenea vetus beneuolentia, ab eo tempore quo ducatum à Federico imperatore accepit: cuius adipiſcendi Aeneas non inutilis auctor fuit: ſperauit Borſius Aenea pontificatum tenente, fortunas ſuas, & gloriam aucturum: atque idcirco Ferratiam, & omnem ditionem ſuam ſingularem oſtendere voluptatem noui præſulis aſſumptione curauit. Marchiones Mantuæ, Montisferrati, & Salutiarum pariter gauiſi ſunt. Nulli enim eorum Aeneas non notus & non amicus erat. Veneti, & Florentini ſicut ceteri potẽtatus Italiæ legatos miſere viros honoratiſſimos: qui Romam petentes, nouo Pontifici congratulati, obedientiam præſtitere. Ex vltramontanis principibus admodum lætatus eſt imperator Federicus, ex cuius fauore Aeneas ad cardinalatum vocatus, tandem beati Petri ſolium aſcendiſſet. Cuncti quoque Hiſpaniæ reges, qui Chriſtum colunt, gaudium oſtendere. At Scotus, Danus, Polonus, Francus, & Hungarus, & Cyprius, imperatoris amicum non libenter audiuere Chriſti vicariatum obtinuiſſe. Bohemus vero apprime indoluit, vt qui noſceret hæreticum ſeſe Pontifici notum eſſe. Philippo Burgundiæ, & Ludouico Sabaudiæ ducibus Aeneæ pontificatus amici veteris acceptiſſimus fuit.

COMMEN-

COMMENTARIORVM PII II. PONTIFICIS MAXIMI

LIBER SECVNDVS

PIVS ſecundus Pontifex maximus Romæ coronatus eſt apud baſilicam ſancti Petri, tertio nonas Septembris, anno ſalutis quinquageſimooctauo ſupra mille quadringentos, petiitque ipſa die Lateranum ſolemni pompa: quo in loco vix necem euaſit inter eos, qui propter equum, quo inſederat, gladiis decertabant: ſeruatus eſt diuina ope: peractiſque ſolemnibus, regale conuiuium apparuit, non cardinalibus tantum, ſed omnibus legatis principum, & qui aderant proceribus vrbis, & optimatibus, eademque nocte in ſuas ædes ad Vaticanum rediit: atque inter omnes curas, quæ animum eius indaſere, nulla maior fuit, quam vt in Turcas excitare Chriſtianos poſſet, atque illis bellum inferre. Hoc genus hominum ex orientali quondam Scythia digreſſum Cappadociam, Pontum, Bithiniam, & omnem fere Aſiam, quæ minor appellatur, armis ſubegit. Nec diu poſt, tranſmiſſo claſſibus Helleſponto, maiorem Græciæ partem occupauit, & vſque ad Sauum, & Danubium memorabiles amnes ſigna protulit. Reſtabat in medio Thraciæ vrbs regia Biſantium, quam prior Conſtantinus cognomento magnus cum inſtauraſſet, ac mirum in modum ampliaſſet, nouam Romam appellauit: ſed vicit obſtinatio vulgi, vt ab innouatore Conſtantinopolis vocaretur. Hanc quoque ſedente Nicolao Quinto Pontifice maximo Mahumetes Turcarúm imperator obſidione cinxit, & deiecta mœnium parte, vt ante relatum eſt, vi cepit atque dirupit, Conſtantino eius nominis vltimo imperatore obtruncato, ſiue vt fama eſt, inter equinm turmas oppreſſo. Qua victoria elatus ad Europæ imperium aſpirare cepit, coactiſque ingentibus copiis per ſuperiorem Myſiam in Vngariam traiicere ſtatuit: ſed remoratus apud Albam, qui locus Danubio, Sauoque confluentibus abluitur, Thautuinum vetuſtas dixit, ſedente Caliſto tertiò Romanæ vrbis antiſtite, à Chriſtianis cruce ſignatis, quos Ioannes Capiſtanus ordinis Minorum profeſſor opinione ſanctitatis inſignis, & Ioãnes Huniates Hungarici regni gubernator duxere, magnam ſtragem perpeſſus eſt, & caſtris deiectus, turpem fugam arripere compulſus: non tamen aut animum, aut odium in Chriſtianos remiſit, ſed nouos in dies exercitus comparans, nunc Albanos, nunc Ruſcianos, nunc alios vicinos, qui Chriſtũ colerent, vexare adortus eſt, vt qui ſanctum Euangelium, ac diuinam Chriſti legem conculcare prorſus, ac delere ſtatuiſſet. Hæc gens inimica Trinitatis. Mahumetem quendam pſeudoprophetã ſequitur, qui fuit Arabs, gentili errore & Iudaica imbutus perfidia, audiuitq; Chriſtianos, qui Neſtoriana & Ariana labe infecti erant. Creuit potentis viduæ ſtupro, & nobilitatus adulteriis, latronum manum coegit, qua dominatum inter Arabes vendicauit, & habens veteris nouiq; teſtamẽti notitiam, vtrumque corrupit: auſuſq; prophetam ſe dicere, & angelorum potiti colloquio, adeo rudes illexit populos, vt legem iis nouam dederit, & a Chriſto ſaluatore diſcedere ſuaſerit. Vtebatur enim incantationibus & præſtigiis, & vſum Venetis, ac nefarios indulgens concubitus voluptati deditam plebem facile ad ſe traxit. Cui ſubtracto vino nihil non conceſſit, vt legis ſuæ cultum perſuaderet, quem quamuis Chriſtum Dei flatum

De Pii coronatione, & de Turcarũ origine & progreſſu.

eſſe fateatur, ex Virgine natum, mirabilium operum effectorem, ei tamen diuinitatẽ adimit, & tormenta, mortiſque cruciatum pro noſtra redemptione toleratum. Nec prophetas recipit, nec Apoſtolorum aut Euãgeliſtarum dictis auſcultat: adeoq; portentoſæ legis huius auctoritas creuit, vt pene omnis Aſia, & Africa eius veneno infecta ſit, & ducentibus Turcis in Græciam penetrauerit, & Bethieam in Hiſpania per Mauros occupauerit: & quamuis Romani præſules multa aduerſus hanc peſtem arma parauerint, ea tamen hactenus paulatim aucta eſt, & ad interiora noſtra dilapſa.

Pii aduerſus Turcas deliberatio, & indictio concilii Mantuani, eiuſq; vrbis deſcriptio ac vaticinium.

Timuit Pius pontifex hoc venenum, & occurrere ſtatuit ne ſerperet vlterius, non tamen in ſe ſolo, hoc eſt in Apoſtolicæ ſedis viribus confidebat. Nam vincere Turcas non huius aut illius regni opus, ſed totius Chriſtianæ reipublicæ videbatur. Neceſſaria igitur eorum conſilia exiſtimauit, quorum auxilia requireret: conciliumque principum, & liberorum populorum conuocare decreuit, in quo de communi ſalute communiter ageret. Sed vbi concilium habendum eſſet in conſultationem venit: cardinalium alii Romæ, alii tranſalpes, aut in Germania, aut in Gallia conuentum habendum eſſe dicebant. Pio nihil horum placuit: neque enim ex honeſtate arbitrabatur, reges qui tranſalpes morarentur, Romam vocari: neq; in Gallia, aut in Germania vtile concilium futurum, ad quod propter valetudinem Pontifex ipſe tranſire nõ poſſet. Antiquius viſum eſt, non procul ab alpibus cõuentum cogere in loco qui medius inter Romanum Præſulem, & tranſalpinos reges exiſtimaretur. Duo nominata ſunt loca, Vtinum in foro Iulii ſubiectum Venetis, & Mantua in Gallia ciſalpina, vt ſi alter negaretur, alter præſto adeſſet. Veritus eſt enim Pontifex (id quod poſtea ſuceeſſit) ne Veneti Turcarum arma timentes, Vtinum clauderent: & hac de cauſa Mantua electa fuit à Præſule, etiam ob loci commoditatem. Eſt enim vrbs ampliſſima, in ſolo fertili, & vicina montibus, qui Gallos atque Germanos ab Italia ditterminant, lacui adiacens, quem Mincius effecit amnis. Is ex Benaco in Padum decurrit: idque præſtat vtilitatis, vt ex omni Gallia ciſalpina commeatus ad Mantuanos nauigio valeant importari. Diu res agitata eſt in concilio cum cardinalibus, quorum etſi multi aduerſarentur, quibus res præſentes abunde ſuppetebant, & placebat otium in Vrbe: vicit tamen Præſulis conſtantia, & in eius ſententiam itum eſt. Vocati ſunt in ſacrario palatii, epiſcopi, abbates, notarii, oratores regum, & omnes quibus munera curiæ creduntur, vt horum quoque conſilia audirentur. Ibi Pontifex, quod diu tectum fuerat, propoſitum ſuum publicauit, quantas in Chriſtianos Turcæ clades intuliſſent, quibus modis Euangelicam euertere legem molirentur: expoſuit nihil ſibi acerbius eſſe, quam intueri Chriſtianæ gentis ruinam: ſacratiſſimæ religionis ſe curam gerere: ſtatuiſſe occurrere hoſtium conatibus. At cum id abſque auxilio Chriſtianorum regum perficere non poſſet, habere concilium aut in Vtino, aut in Mantua decreuiſſe, vt eorum ibi ſententias audiret, quorum opem imploraturus eſſet: durum ſibi videri Romam relinquere, beati Petri Apoſtoli ſedem, & Chriſtianæ religionis arcem: durius ſe Pontifice ſanctum Euangelium expugnari, pro cuius conſeruatione non orbem ſolum, ac beati Petri patrimonium, ſed corpus & vitam ponere ſtatuerit: atq; idcirco quamuis ſenex & ægrotus, tamen Apennini iuga, & Padi fluenta tranſire propoſuerit, vt cum potentatib. Chriſtianis de ſalute Chriſtianæ religionis conſulat, & multa in hunc modum grauiter perorauit. Laudauerunt omnes animum ac eius propoſitum, & in cælum extulerunt, qui vnus eſſet omnium ſaluandæ religionis curioſus. Exin publicum de more conſiſtorium eſt habitum, & litteræ Apoſtolicæ recitatæ ſunt, in quibus ſtatuta dies conuentionis eſt: & principes ad alterum ex deobus locis vocati. Epiſtola eius rei ab ipſo Pontifice dictata in aliarum volumine continetur. Romanos cognito decreto ingens mæror afficit, qui ſe priuatum iri emolumentis curię aduertebant. Pontificem morbis, & ætate grauem haudquaquam reuerſurum aliquando ſperabant: & alii Senas peti non Mantuam aiebant: fingiq; conuentum Mantuanum, vt in itinere Senis remoraretur, Pontificis patria ditaretur. Alii non ſolum Mantuam, ſed in Alemaniam quoque profecturum Præſulem affirmabant, qui nutritus inter Germanos, libens ad eos rediret, neq; indignum putaret, Apoſtolicam ſedem tranſalpes haberẽ. Deſperauere omnes de reditu: eiulare per vrbem

bem fœminæ, ac pueri blaſphemare, ac viri maledicere: ſenes qui plus ſenſi haberent, cateruatim adire Pontificem: damnare receſſum, rogare vt in Vrbe ſua maneret: polliceri multa remanenti. Solabatur eos Pontifex, neceſſitatem profectionis oſtendens, & reditum celerem promittens: nec tamen ipſe abſque lacrimis ſuam plebem affari poterat: erant omnia plena luctu, nec tanta in aſſumptione Pii lætitia populi fuit, quãta viſa eſt triſtitia, cum profectionis decretum in plebe auditum eſt: adeo nullum eſt gaudium, cui non ſuccedat ſubito mœror. Reddebant iter Præſulis difficilius, ac periculoſius, nondum compoſitæ regni Siciliæ res.

De Siciliæ nominibus, ſitu, & magnitudine, & regno Neapolitano, ſuſceptiſque pro eo contentionibus & bellis, & quã Caliſtus aduerſatus Ferdinan.

Sicilia etſi eadem eſt, quam priſci Trinachriam vocauere, paruo freto ab Italia diſcretam, qua Scyllæ & Charvbdis monſtra feruntur: hodie tamen duo Siciliæ regna vulgo appellant, alterum in inſula, alterũ in Italia continenti, cuius amplius quã tres partes ſupero & inferq mari abluuntur: quod reliquum eſt, montibus ac fluminibus à reliqua Italia diſiungitur: longitudo eius à finibus Reatini agri, quem vmbilicum Italiæ dicunt, per Aquilam Marſorum vrbem vſq; in Brutios, & Leucopetram millib. paſſuum circiter quadringentis protenditur: multæ in ea præclaræ vrbes, ſed omnium metropolis eſt Parthenope, quam Auguſtus Neapolim appellauit, olim Capua principatum habuit, cum altera Roma diceretur, nondum Romanorum, & Annibalis armis vexata. Hoc regnum directo iure ad eccleſiam Romanam pertinet: diu gens Gallica eius feudo potita eſt, cenſum pendens annuum Romano Præſuli vnciarum auri octomillium. Sed, cum Regina Ioanna, quæ ſecunda eius nominis regnũ tenuit, Ludouicum Andagauenſem, quem prius in filium adoptauerat, aſpernari cepiſſet, atq; Alfonſum Aragonum regem ex Hiſpania in regni ſucceſſione vocaſſet, mutata eſt conditio, & pro Gallicis Cathelanos, ſiue Aragonenſes introiere. Plura inter Ludouicum, & Alfonſum prælia fuerunt, ſorte & humanarum rerum vario ſtatu nunc iſtum, nunc illum erigente. Ludouico febribus extincto, ius eius ad Renathem fratrem deriuatum eſt. Regina Alfonſum modo diligere, modo habere odio. qua vita functa Rhenatus in regnum veniens, cupide à pluribus exceptus eſt, & tamquam rex adoratus, qui non paucis annis aduerſus Alfonſum de regno dimicans, victus tamen abiit. Alfonſus in regno remanſit, non tamen ab Eugenio quarto Pontifice maximo Romano, qui Rhenatum elegiſſet, obtinere feudum potuit, niſi poſtquam conſtitit Rhenatum quæ promiſerat neglexiſſe, ac iuſiurandum violaſſe. Inueſtitus Alfonſus ab Eugenio, regnumq; conſecutus, non fuit ingratus, ſed Franciſcum Sfortiam, qui Picentes ab eccleſia deficere coegerat, armis expulit, & prouinciam Eugenio pacatam reddidit. Erat vnicus Alfonſo filius Ferdinandus nomine ex femina nobili, verum alteri nupta genitus. Hunc Eugenius ad regni ſucceſſionem idoneum reddidit: idemq; fecit Nicolaus quintus ſucceſſor eius, qui regnum Alfonſo confirmauit. Quãdiu igitur poſt Eugenius, & Nicolaus vixere, Alfonſus abſq; aduerſario in ſumma pace, atque otio regnum tenuit. Mortuo autem Nicolao, Caliſtus tertius ſucceſſit in Alfonſi aula diu verſatus, & illi apprime obnoxius, qui eius precibus cardinalatum obtinuiſſet. Quas ob cauſas putauit Alfonſus ab eo Pontifice, qui ſibi aliquando ſeruiſſet, & qui ſuo fauore magnificatus eſſet, nihil ſe fruſtra petiturum: eaq; fiducia ductus, non ſolum regni feudum, ſed Marchiam quoque Anconitanam, & alia pleraq; eccleſiæ loca tradi ſibi efflagitauit. Pontifici longe alia ſententia fuit, qui cum ſe iam Chriſti Vicarium eſſe cerneret, nec regi cedendum, nec iura Eccleſiæ alienanda cenſuit: exortæ ſunt inter eos graues inimicitiæ, quæ vſq; ad finem vitæ vtriuſq; perdurarunt. Obiit prior Alfonſus quadraginta diebus: quod audiens Caliſtus illacrymatus eſt humanæ conditionis fragilitati, & riſit, cũ propheta dicẽs, Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus: nec Ferdinando paternum regnum petenti aures accõmodauit: ſed erraſſe principes, ac populos ait, qui eum ſupra ſe regem accepiſſent: accerſitiſque cardinalibus, & qui docti ex Romana curia erant prælatis, regnum Siciliæ ad Romanam Eccleſiam deuolutum eſſe declarauit: eratque eius animi, quod prædictum eſt, vt armis illud vendicaret: & iam non paruam militum manum coegerat, ſed morte præuentus, cogitationibus ſuis defuit, dum ſucceſſoris electio tractatur.

Piccinini ingenio, & bel-

Iacobus Piccininus inter duces equitum non ignobilis, qui Alfonſo, & deinde Fer-

Digitized by Google

ſum in eccleſiam Romanam & arcium redemptio.

dinando aduerſum Sigiſmundum Malateſtam militauerat, hoſte dimiſſo Aſſiſium occupat, munitam Vmbriæ ciuitatem præfectus arcis natione Cathelanus auro corruptus vrbem prodidit: Gualdenſes quoque & Nucerini ad Piccininum defecere. Nam patris eius, qui aliquando eos ſubegiſſet, memoriam colebant. Arx Gualdi fide & diligentia præfecti ſeruata eſt. Fulginates, & Spoletani, & ferme omnes Vmbri vix in officio præ terrore conſiſtere, cum vacante ſede Apoſtolica tantus hoſtis ex improuiſo emerſiſſet. At vbi Pius electus eſt, ſubito animi hominum erecti, & ſpes pulcherrima oblata eſt eccleſiæ ſubditis. Arx Spoletana ſexdecim millibus auri numum redempta. Narnia quoque, Sorianum, Vrbs vetus, Viturium, Ciuitas Caſtellana (in qua Veios olim fuiſſe quidam opinantur, nos nihil aſſerimus,) & alia multa oppida non niſi placatis auro præfectis recuperari potuerant. Molem Hadriani, quæ olim Caſtrum Creſcentii, nunc ſancti Angeli nuncupatur, collegium cardinalium viginti millibus aureis à Borgia Caliſti nepote redemit. Is in Vrbem vetulam, & arcem munitiſſimam, non procul à Centumcellis ſe recepit, ibique breui febre correptus interiit. Pius miſſo Vicecancellario eius fratre, & ſimul theſaurario locum obtinuit: nec multis poſt diebus vniuerſum beati Petri Patrimonium recuperauit, iis exceptis, quæ Piccininus inuaſerat, mira populorum inclinatione, qui ſe Cathalanorum iugo liberatos, ad manus rediiſſe Italas geſtiebant: adeo leuius ſuorum ciuium quam ceterorum imperium mortales ducunt. Piccininus tantum in omni agro Eccleſiæ contumaci animo Pii mandata contemnere, atq; in armis ſpem ponere, quamuis oppida, quæ inuaſerat paterni iuris fuiſſe diceret.

De coronatione Regis Ferdinandi & conditionibus adiectis.

Inter hæc legati Ferdinandi Pium adeuntes memoriam Alfonſi præſetulerunt, qui Pium apprime dilexiſſet, cum Senenſis eccleſiæ pontifex legatione apud ſe Cæſaris fungeretur, orauerunt ne filium amici ſperneret, neue paternum regnum ei negaret, quem populi omnes peterent. Ad quos Pius, Alfonſum, inquit, pro ſua præſtanti virtute & dileximus, & admirati ſumus: idque Ferdinandi rebus admodum conducet, ſi erga Romanam Eccleſiam quod ſuum eſt fecerit. Interrogatus quid ei faciendum eſſet: Cenſum, ait, Apoſtolicæ cameræ debitum à regina Ioanna in hunc vſq; diem non ſolutum quotannis exoluet: Pontifici Romano quoties auxilium petierit libenter afferet: Eccleſiarum iura non attinget. Piccininum ex agro Eccleſiæ iubebit excedere, niſi paruerit armis coget. Sigiſmundo Malateſtæ eam pacem largietur quam Pontifex dixerit. Beneuentum eccleſiæ reſtituet: Terracinam in annos decem ſub cenſu tenebit, ex in Romano Præſuli tradet. Duræ leges Ferdinando viſæ ſæpeque oratores miſſi, ac remiſſi ſunt, qui mentem Pontificis ad pauciora deflecterent. Quibus reſponſum eſt, Pium haudquaquam mercatorem eſſe, qui multa petat, vt vel pauca reportet: dixiſſe illum in primo colloquio, quod in vltimo dicendum erat. Nec regi conditionem ſperandam fore meliorem, quamuis Pontifex Roma ſit abiturus: aut his legibus regnum obtinendum, aut eo carendum eſſe. Victus eſt tandem Ferdinandus, cum vna ſemper ſententia, & vna vox Pontificis eſſet. Res ad collegium deducta eſt, cardinales exceptis Gallicis, qui & ſedis & regis erant, Pontifici auſcultabant. Verum & illi rationibus tandem victi conſenſere, & vtile conſilium iudicarunt, Ferdinando regnum concedi, quamuis ne decreto ſubſcribere cogerentur, impetrauere. Erat eo tempore Romæ Decanus Carnotenſis regis Franciæ legatus, qui ad Caliſtum de rebus Turcarum acturus venerat. Is ſuæ gentis ſtudio magnopere inſtabat, ne regnum Ferdinando concederetur, laturum id ægre regem ſuum, atque in Apoſtolicam ſedem vlturum dictitans. Aduenerat & Maſilienſis epiſcopus homo loquax à rege Rhenato miſſus, qui regnum domino ſuo aſſeruari petens ingentibus promiſſis curiam replebat, ſi preces audirentur ſuæ, ſin minus, ruituram curiam affirmabat. Audiuit eum ſæpenumero Pius, & multa promittentem interrogauit, poſſetne Rhenatus Piccininum Eccleſiæ ceruicib. imminentem armis expellere. Quod cum negaret: Et quid ergo eſt, inquit, quod expectemus ab eo, ſi nobis pereuntibus opem nullam valet afferre? nobis in regno neceſſarius eſt, qui & ſua poſſit & noſtra tueri. Vos regno iampridem caruiſtis, ac tamdiu carebitis, donec vires adſint, quibus hoſtem nobis indulgentibus poſſitis eiicere: atque ita verboſæ legationi verbis occurrit. Ferdinando regnum conceſſum eſt ex decreto ſenatus: &

Latinus

Latinus cardinalis Vrſinus, qui regem in verba Pii ac ſucceſſorum eius iurantem corona donaret in Apuliam miſſus, & cum eo Nicolaus Thyanenſis electus, qui poſtea cardinalatum conſecutus eſt, iter fecit, vt occultiora quædam cum rege tranſigeret. Exin vocatis ad Vrbem baronibus agri Romani, mandatum eſt, ne quis abſente Pontifice res nouas moliretur, pacemque inter ſeſe iureiurando vt obſeruarent adacti ſunt. Qui contra feciſſet, in eum ingens pœna ſtatuta. Et quoniam Romanos magnus timor inuaſerat, ne abeunte Pontifice in perpetuum Romana curia priuarentur: decreuit Pius annuente ſenatu, vt ſi extra Vrbem claudere ſe diem extremum contingeret, ſucceſſoris ſui electionem alibi quam Romæ fieri non poſſe, ſtatuto dierum termino quo cardinales, qui Romæ reperirentur, expectare abſentes deberent: & relictis nonnullis cardinalibus, & auditoribus Rotæ, aduocatis ac litigatorib. in Vrbe toto abſentiæ ſuæ tempore, Romanam curiam apud eos non minus quam ſecum eſſe declarauit. Legatis ciuitatum & regulorum qui ex vniuerſo patrimonio Eccleſiæ Romam venerant, priuilegia quæ ab antiquis Pontificibus obtinuerant, quoad ſine controuerſia iis vſi fuiſſent, confirmauit: & amplius haud paruam cenſuum partem ad tres annos remiſit: quæ res ſupra octuaginta millia auri nummum aſcendit. Referendarios inſtituit eos, qui fuerant prædeceſſoris, & nouos aliquot adiecit ex omni natione diligenter admonitos, ac iureiurando adactos ne pecuniam, neve dona ſui officii cauſa, vlla reciperent: nam ſimoniacam prauitatem præcipuo inſectabatur odio. Atque ob eam rem cum ſecretarios more maiorum peracto prandio aliquot diebus ad ſe admiſiſſet: atque his fidem habens epiſtolas, quas illi attulerant obſignaſſet, reperiſſetque poſtea infideliter ſecum eſſe actum, & iniqua per pecuniam abſoluta negotia, deinceps aditum ad ſe cunctis inhibuit, exceptis duobus Iacobo Lucenſi, qui poſtea cardinalis effectus eſt, & Gregorio Lollio fratre conſobrino, quorum ſpectata virtus ab omni procul labe aberat, è manu cardinalium ſupplicationes noluit accipere: ſi quas obtulerunt, ad referendarios remiſit. Supplicationibus vna partium concernentibus Eberardum epiſcopum Spoletanum egregium iureconſultum, & integritate morum, ac opinione iuſtitiæ laudatiſſimum præfecit, qui & ipſe demum rubeo pileo donatus eſt, ac per hunc modum & facilis expeditio rerum erat, & incorrupta, & Romanam curiam ſequentibus admodum recepta.

Ordinario Repub. Romanæ & Curialium constitutio.

Per idem tempus venit Romam Ioannes Solerius diuinarum ſcripturarum ſublimis interpres, de quo ſupra mentionem fecimus. Hunc Caliſtus viuente Alfonſo rege Aragonum Barchinonenſi præfecerat eccleſiæ: deinde illo mortuo inuitum ad alteram tranſtulerat in regno Siciliæ, ſibique apud Barchinonenſes Bartholomæum Ragazium theſaurarium ſuum ſuffecerat. Iniuria ſe affectum Ioannes querebatur, ſuamque repetebat eccleſiam, atque amicitiam præſeferebat, qua Pio Pontifici apud Neapolim iunctus fuerat nondum pontificatum adepto. Maximum exaudiuit amicum Præſul, & abrogato Caliſti decreto, ad priorem eccleſiam remiſit, quam ille ſumma cum laude gubernauit, accepti beneficii & memor, & gratus. Petrus cardinalis ſancti Marci per eoſdem fere dies, econtra non mediocrem à Præſule confuſionem reportauit. Vnus is fuerat ex cardinalibus, qui ſummo conatu Pium in adipiſcendo apoſtolatu adiuuerāt, atq; idcirco non æqua tantum petenti ſibi, ſed iniqua quoq; negari nefas arbitrabatur. Pius etiam amicis indigna quærentibus durus erat. Obiiſſe fama fuit per eos dies apud Viturbium rectorem parochialis eccleſiæ ſanctæ Mariæ Prunetanæ agri Florentini, in qua Virginis imago eſt, quam mira religione populi venerantur, tamquam pluuiæ ſerenitatiſque donatricem, cum neceſſitas ingruit: diues illic templum eſt, & aſſiduis mortalium votis inſigne: accepit vacationem eius cardinalis, & adiens Pontificem, id commendari ſibi efflagitauit, nec aliud honeſtatis ſuæ petitioni adiunxit, niſi familiarem ſuum fuiſſe, cuius morte ſacerdotium vacaret: quamquam neque hoc ipſum erat verum, ſed cardinalis omnes in familia ſua aſcribebat, qui ſe aliquando ſalutaſſent. Pio indigna petitio viſa eſt, reſponditque parochialem eccleſiam, ad quam plebes multæ concurrerent, cardinali non eſſe commendandam, & eam præſertim, quæ laicos haberet patronos, monuitque cardinalem, vt maiora expectans, æquo animo ferret non impetraſſe.

Ioannes Solerius ab epiſcopatu priore pulſus à Pio reſtituitur, & Rouerius ingratus punitur. Pii integritas.

Petri S. Marci cardinalis poſtulantia, Pii redargutio.

minora.Ille indignatus tamquam graui contumelia fuiſſet affectus:Si parua, inquit, non impetro,qui ſperem magna?Non eſt,vt video,cur amplius ad te morer: melius in eccleſia mea Vicentina ſeruiam Deo:ſine me domum ire,atque illic tandem poſt multos labores otio frui.Cui Pontifex,Perge, ait,& ſine te Romana Eccleſia ſuam gloriam retinebit:nemo facultatem abeundi petat,qui noluit impetrare,decipietur, nulli negabitur,quando nemo eſt in cuius locum æque bonus,aut melior ſuffici nequeat. Cardinalis his auditis tamquam in alteram diem Romanam curiam relicturus,exoſculatis Pontificis pedibus in ædes ſuas apud ſanctum Marcum conceſſit,iuſſitque ad receſſum cuncta parari. Sed nocte conſilium maturante cogitare cœpit,quam minima eſt cardinalium exiſtimatio, qui abſque legatione à Romana curia procul agunt,& quam contemptui ſint omnibus, quos ſequitur Pontificis odium:nam ſicut tenebroſum eſt lunare corpus cum terra interpoſita non illuſtratur à ſole,ita & cardinalis extra Pontificis gratiam agens luce caret,& obſcurus habetur atque abiectus. Interpoſuit igitur Philippum cardinalem Bononienſem,qui ſe Pio reconciliaret,& ipſe mox ſecutus,errorem ſuum profeſſus in gratiam rediit:nec diu poſt in alium incidit errorem,ſchedulam per Thomam cubicularium Pontifici mittens,in qua petebat litteras arreſtari,quæ de rebus ſub ditione Venetorum conſiſtentibus,ſe inconſulto decernerentur,atque hoc idem a Caliſto conceſſum aſſeuerabat. Schedulam cum legiſſet Pius:Ergo,inquit,non me Veneti,ſed cardinalē ſancti Marci ſummum Pontificem adorabunt?ſi potuit Caliſtus ſuperiorem ferre,non poteſt Pius mortalem hominem:Deo tantum & ſacris litteris ſubiecta eſt auctoritas noſtra atq; his dictis ſupplicationis papyrum reiecit. Quod cum accepiſſet cardinalis ſubticuit, ne maioribus vrgeretur ſtimulis.

Prometio Bernardi ad eccleſiam Agrigentinā.

Vacauit & tunc eccleſia cathedralis in Agrigento,quæ vrbs in Trinacria olim celeberrima fuit,& apud veteres rerum ſcriptores late memoratur. Hanc Pius Bernardo Boſco præſtanti iuris interpreti,& auditori Rotæ nihil petenti, & prorſus ignoranti commiſit:quia & boni nominis erat,& olim baſilicæ ſocius eius fuerat. Atque vno hoc opere,& amico ſatisfecit,& Auditores omnes in ſpem erexit,eadem præmia ſuis laboribus expectantes,quæ ſuum collegam aſſecutum viderant,nec decepti ſunt:nam Pius pleroſque poſtea excellentes viros ex eis ad pontificales aſſumpſit eccleſias. Verum Bernardo pernicioſa fuit Pontificis gratia,qui dum eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem ſummo ſtudio quærit,nec aſſequi poteſt obſtante non æquo rege, labore ſimul,& tædio confectus,ægritudinem incidit,quæ vitam eius breuiorem reddidit, atq; ipſum extinxit,& ſi viro bono in lucro ſit quantocyus mori: ad cuius regimen Nicolaus ſancti Petri cardinalis dimiſſus eſt.

Pii diſceſſus, & eius diſſuadentibus amicis conſtantia.

Pontifex maximus ad tertiodecimo Calend.Februarias,quæ dies profectionis dicta eſt ex palatio Apoſtolico, quod eſt apud ſanctum Petrum in Vaticano intempeſta nocte ad ædem ſanctæ Mariæ maioris in Exquilio monte ſe contulit, ibique ſequenti die commoratus,frequenti populo, ac vehementer lacrymanti lacrymans ipſe benedixit,& poſtridie Sole nondum orto per thermas Diocletiani, & collē Suburræ ad portam Flamineam,nunc Populi vocant,& deinde ad pontem Miluium deſcendit,cardinales eo vſque ſecuti ſunt,& optimatum Vrbis, plebiſq; maxima pars, ibi equitum in armis expectabant turmæ,quæ Pontificem tutum deducerent. Tum dimiſſo populo ſex cardinales delecti ſunt,qui Papæ ſeruirent iter agenti: Vilhelmus Rothomagenſis è regia ſtirpe natus, Alanus Auinionenſis nobilis Brito, Philippus Bononienſis Nicolai Pontificis quondam frater,Petrus ſancti Marci,Proſper Columnenſis,Rodericus Vicecancellarius, qui Romanorum Pontificum nepotes fuerunt,Eugenii,Martini,Caliſti:cardinales reliqui,ex quib.nonnulli valetudinarii fuerunt,iuſſi ſunt Romæ manere,aut mitius veris tempus expectare,ac tū pone ſequi. Et cum aliorum ægritudinib.Pontifex ignoſceret,ſuæ nequaquam pepercit, qui pedaneo dolore,& pluribus affectus morbis,ſubire mortis periculum maluit, quam conſtitutam profectionis diem negligere:obſtabant amici,multiſq; artib.remorari Præſulem adnitebantur,horridam hyemem & rigidas Appenini alpes,& itineris mille pericula memorantes.Quæ cū fruſtra obiectarentur,nō defuere qui dicerent: En Pontifex,ſi nulla tui corporis retinet cura,reſpice ſaltem quæ tibi commiſſa eſt, Romanā

Eccle-

Eccleſiam,& quot ei inſidiæ præparentur animaduerte: & quis patrimonium beati Petri te abſente tuebitur?quamprimum Padum tranſmiſeris,inuadent regnum tuum lupi rapaces:nam quæ terra eſt tyrannis,ne dicam latronibus, magis fœcunda quam tua?Picenum alii,Vmbriam alii,alias alii prouincias dilacerabunt,nudabuntq; prorſus ſponſam tuam:cum redieris,non inuenies locum,vbi reclines caput, quem poſſis tuum dicere. Ad hæc Pontifex: Meliora,inquit,præſtabit Deus,cuius acturi cauſam peregre proficiſcimur. Quod ſi permiſerit diuina miſeratio id fieri,quod times,priuari his temporalibus bonis Eccleſiam,quam fide malumus: niſi ſeruamus quod promiſſum eſt,perit fides noſtra:& quis amplius crederet nobis?Religio quoq; in diſcrimine ponitur, quam Turcæ oppugnant,aduerſus quos conuentus indictus eſt:ſin pergimus, nutat temporale regnum Eccleſiæ,& hoc ſæpe amiſſum eſt, & ſæpe recuperatum: ſpirituali,ſi ſemel exciderimus, difficile vendicari aliquando poterit:pereant hæc fluxa,dum ſolidiora illa retineamus. Nec plura locutus iter ingreſſus eſt.

Pontificis profectio, & Aſſiſii reſtitutio, Euerſi callida mandata, & Pii ad Picciniunum reſponſum.

Prima illi pernoctatio apud Campanianum fuit,qui locus eſt Vrſinotum, paſſibus ab Vrbe ſexdecim millibus diſtans:hic Tranenſis archiepiſcopus, Latini cardinalis frater,& Pium Pontificem,& vniuerſam curiam magnifico apparatu excepit. Nondum Piccininus Aſſiſium reſtituerat,nec tamen Pontifex ab incepto itinere deſtitit,etſi per agrum,quem ille occupauerat,tranſeundum eſſet. Ibat ſpe plenus, nec auxilium Dei ſibi quouis pacto defuturum arbitrabatur, cuius cauſam ageret,neque fruſtrata eſt Pii Præſulis intentio:nam die ſequenti cum iter Nepeſum & ciuitatem Caſtellanam medio ferme ſpatio viam faceret,litteræ allatæ ſunt, quæ reſtitutionem Aſſiſii,Gualdique ac Nuceriæ certiſſimam nunciauere. Vix eas legerat,cum feſtinanter equitans cancellarius quidam Euerſi Anguillariæ comitis Pontificem petit,& habere magna,quæ referat mandante comite dicit;iuſſus fari:Herus,inquit,meus eunti tibi longinquam viam prædicit,antequam adſint Auguſti Calendæ,non paruas in regno tuo oborituras turbas,tumque cognituram te qui fidem tibi aſſeruauerint. Cui Pontifex:Redito,ait,ad eum qui te miſit,Aſſiſium eccleſiæ reſtitutum referto, atque his nuntium triſtem dimiſit:ſciebat enim id futurum moleſtiæ Euerſo, qui Piccininum meretriculæ nomen mereri aiebat,ſi ſe aliquando Aſſiſio, & tam egregia munitione extrudi fineret:Piccininus autem antequam occupatas vrbes reſtituere ſtatuiſſet,ſæpe per internuntios Papæ dixerat:Videto quid agas Pontifex aduerſus fortunæ hominem arma capiens. Ad quæ Pontifex:Stulte,inquit,Piccininus egerit,ſi fortunam ſuam experiri cum noſtra tentauerit:nam ſi fortunæ aſcribere ſtatus hominū licet,longe maior fortuna eſt in ſolio beati Petri ſedere, quam equitum aliquot alas ductare:quamquam ſi recte loqui velimus,Deus eſt,qui regna & ſtatus omnes diſtribuit:fortunæ inane nomen,& vana gentilium inuentio.

De Euerſi origine.

Hic quia Euerſi mentio incidit, & ſæpe huius hominis faciendus eſt ſermo, pauca de ipſo dicenda ſunt,vt intelligant poſteri cum quibus Pio Pontifici concertatio fuerit. Anguillaria vetus eſt oppidum quattuordecim millib. paſſuum ab Vrbe diſtans,lacui adiacens, qui propter Anguillarum capturam oppido nomen dedit.hoc ſibi nobiles quidam è Germania profecti vendicarunt,qui ſucceſſu temporis dominatu,& opib. aucti,comites tandem Anguillariæ dicti ſunt, Vrſinorum familiæ fœderib.& amicitia coniuncti. Horum domus noſtra ætate ad duos fratres redacta eſt, quorum alteri Dulcis nomen fuit, Euerſus alteri. Dulcis rei bellicæ apprime peritus multis facinoribus nobilitatus,relictis duob. filiis exceſſit è vita. Euerſus nepotum tutelam iniit:deniq; Vrſinorum relicto fœdere, Columnenſib. iunctus eſt: cum de ſucceſſione comitis Taliacotii cum illis non conueniret,diuq; bellum inter Vrſinos, & ipſum agitatum eſt euentu vario,tandem induciæ in annos triginta factæ ſunt: nepotib. Anguillariam,quæ fuerat eorum hereditas,abſtulit occaſione recepta, quod Vrſinorum parti fauerent. Hæc de Euerſo hoc in loco dixiſſe ſat fuerit, cuius in ſequentibus ſæpe fiet mentio:nunc ad Pium reuertamur, qui vbi Aſſiſium abſque armis recuperatum cognouit,longe iucundior iter ſuum ſecutus eſt, intelligens Deū, qui cœptis aſpiraſſet ſibi fauentiſſimum eſſe,& optimis auſpiciis res inchoatas: non tamen recta via per Tuſciam eundum cenſuit, vt qui Senas ingredi nolebat, priuſ-

mnitas in medio maioris ieiunii Dominica dies, cui Roſæ vocabulum impoſuere. Pontifex vt ciuitatem honeſtaret, Rotam auream, quæ quotannis dari conſueuerat, Priori dominorum vrbis, cuius magiſtratus triduanus eſt, tradidit, adhibita oratione, in qua de Senenſium laudibus diſſeruit: iuſſitq; cardinales deferentem Roſam ad palatium vſq; comitari, medium inter vltimos euntem: quæ ſors in familiam Reformatoriam incidit, cui Boninſigni cognomentum dedere. Poſt hæc de reſtitutione ordinis nobilium gentiles homines appellati, agere cœpit: & accerſito ad ſe vrbis ſenatu, in hunc modū locutus eſt. Ingentes gratias vobis habemus viri Senēſes, qui nobiles noſtros Picolomineos in parte regiminis admiſiſtis. Nobis quoque, cum in minoribus ageremus, ſæpe adiumento, præſidioq; fuiſtis. Verum nec nos ingrati, aut onerosi patriæ fuimus, qui diu procul à domo, & inter exteras nationes vitam agentes, in Mediolano apud Philippum Mariam, in Baſilea apud generale concilium, in Sabaudia apud Amedeum, quem pars orbis pro Chriſti vicario coluit, Felicem appellatum, in Auſtria apud Federicum imperatorem, Neapoli apud Alfonſum regem, & in vrbe Roma apud Caliſtum Pontificem maximum, & ante cardinalatum, & in cardinalatu res veſtras ſummo ſtudio & adiuuimus, & defendimus. Nunc quoque ad ſummum præſulatum diuino vocati conſilio, libertatem veſtram prorſus labantem, remq; ſimul & dignitatem conſeruauimus: nihil enim tam nobis cordi eſt, quam patriæ incolumitas, atque libertas, quas res per noſtram aſſumptionē aſſecuti eſtis diuino munere. Sed non erit hæc felicitas diuturna, niſi alium ſumitis viuendi modum: niſi veſtrum regimen in melius reformetis. Non poteſt veritas Euangelica mentiri, quæ ruiturum omne regnum in ſe diuiſum in Euangelio tradit. Et quæ vnquā ciuitas tam diuiſa fuit quam veſtra? In aliis vrbibus ſæpe duas fuiſſe partes conſtat, quæ inter ſe diſſidentes ruinam fecere. Apud vos pars populi ſpem omnem regiminis amiſit: gentilitas, & ſi bonorum aliquorum eſt particeps, ex palatio tamen reiicitur. Rurſus qui rempublicam tenent, alii Nouem, alii Reformatores, alii Populares appellantur: neque abſque inuidia, & ſimultatibus inter ſe viuunt, & ſuperare alios alii, ac videri meliores volunt. Nutrit proculdubio factiones in populo, & animos in diuerſa trahit ipſa nominum diuerſitas: & paulo ante noſtrum pontificatum (quod grauius eſt) nouum diſſidium emerſit. Ciues aliquot ex his, qui nobiſcum vrbi præſidebant, aut ſecuri percuſſiſtis, aut in exilium miſiſtis, aut pecunia multatos relegaſtis: fortaſſe digna expenderunt ſupplicia, at non ſine iactura ciuitatis, morte affecti è numero veſtro periere: qui exulant, & qui relegati ſunt, reditum in patriam meditantur, vobiſque dies, atque noctes inſidias parant: neque deſunt in ciuitate, qui eis ſtudent vel ſanguine, vel beneuolentia illis adiuncti: nā quāto plures è ciuitate deieciſtis, tāto maior eſt numerus eorum, qui vobis infenſi ſunt, & res nouas in ciuitate moliuntur. Hęc & alia pleraq; in corpore veſtro ſunt mala: extra vero quib. inimicitiis implicati ſitis, vos ipſi noſtis: vicina in vos odia ſunt, amicitiæ procul abſunt. Quis ei ciuitati bene ſperet, quæ nec foris, nec intus tuta eſt? At ſalutē aperuit vobis Deus ab externa vi, qui nos in cathedra ſancti Petri collocauit: in qua dum ſedemus, nemo aperto marte inuadere vos audet. Norunt inimici veſtri Apoſtolicę ſedis vires: & ſciētes nos huius vrbis ciues eſſe, tā vobis quā nobis ipſis inferre bellum verētur. Sub vmbra noſtra ab his qui foris ſunt, ſatis tuti eſtis: ab his qui ſunt intus, nō eſt opis noſtræ vos tueri: cōſulere tantū poſſumus, & id ſuadere, q. vnicum eſt omniū ciuitatum firmiſſimum tutamentum: id eſt vt inuicē ametis, & concordib. animis rempublicam gubernetis: nam difficile munimentum, & inſuperabile eſt amor ciuium. Noſtis illud Saluſtianū, Concordia res paruas creſcere, diſcordia magnas dilabi. Concordia eſt, quæ ſeruat ciuitates: hæc perpetuo vos cōiunget, & hanc ciuitatem tuebitur, ſi iuſtitia inter ſuos dominabitur, quæ vna eſt mater, atque regina virtutum. Iuſtitia æquitatis quædam ratio eſt, quæ pro meritis inter homines pœnas ac præmia diſtribuit. Beata ciuitas, quæ iuſtitiæ vtitur moderamine: & vos Senenſes beati eritis, ſi honores publicos inter merentes partiemini, quod iam eſt à vobis neglectum: qui ciuibus nobilitate præſtantibus, quorum maiores hanc vrbem condidere, & qui non coacti, ſed ſponte ſuæ ciuitatis regimen in vos tranſtulere, annos ſupra quinquaginta tamquā mancipiis vſi eſtis. Redeundum eſt iam denique ad iuſtitiam, & honerandi

Oratio Pii.

ſunt nobiles,& eorum loco ſufficiendi,quos eieciſtis: implendus eſt qui vacat locus, & tot amici aſſumendi,quot inimicos feciſtis. Aut enim cauēdum eſt,ne quis vos oderit:aut ſi hoc non poſſumus aſſequi, parandæ ſunt amicitiæ, quæ odia ſuperent: hæc abunde præſtabunt nobiles, ſi damnatorum loca conſcenderint: vtilitas hæc, & honeſtas ſuadet. Nam quomodo grati eritis,niſi hos honoratis, quorum parentes vobis rempublicam cōmiſere?& qui,licet contumeliis á vobis affecti quamplurimis fuerint,nunquam tamen rebellarunt,ſed æquo animo cuncta tulerunt, & ad omne imperium veſtrum præſto fuere?Potuiſſent aliquando per diuiſiones veſtras cornua erigere:maluerunt in ciuitate per quietem ſeruire,quam per ſeditionem dominari.& quis nō eiuſmodi ciues dignos regimine arbitretur?Bene inſtituta ciuitas, & quæ radices vult altius figere,malos ciues pœna,bonos præmio afficit:nemo qui ſapiat,ea in vrbe manendum duxerit,in qua virtuti non adſint præmia. Vos, ſi ſapietis, gentiles iam omni timore diuitiarum depoſito veſtri ſimiles,& aliquanto humiliores effectos in ſocietatē gubernandæ ciuitatis amplectemini, nec vobis ipſis minores eſſe patiemini:atq; hoc ſummum eſt retinendę libertatis, & vrbis conſeruandæ remedium. Hoc eſt conſilium noſtrum,quod amantiſſimæ damus patriæ:ſi ſpernitis hortamenta noſtra,non poſſumus de hac republica bene ſperare. Imminet enim diuiſæ ciuitati ruina,nec pax illic habitat,vnde iuſtitia exulat. Vos ſi gentilibus, quod ſibi debetur, attribueritis,ſi qua ingruerit aduerſitas,ne dum auxilia noſtra præſto erunt, ſed ipſius Dei,qui iuſtis partibus ſemper adeſt,omnipotenti manu adiuti,& protecti eritis.

De gentilitate reſtituta, & conceſſio Radicofani Senenſibus.

Hæc cum dixiſſet Pontifex,cardinales quoque qui aſtabant, pro ſuo quiſque ingenio in eandem ſententiā verba fecere. Reſpōſum eſt,Priores vrbis ſenatum de more coacturos:& quod ab eo decretum fuerit,Pontifici relaturos. Exin abeuntes inter ſe aliqui ciues fremere,atque animos in diuerſa iactare:& quidquid vnquam peccaſſent nobiles dum regnabant, in medium afferre, nihil difficilius dicere, quam regni ſocios aſciſcere:illis partiti honores ægreferebant, hi lucra communicare excluſum ſe iri exiſtimabant. Nemo regni comitem facile admittit. Difficile ſenatoribus videbatur negare Pontifici quod peteret,difficilius concedere. Reddebantur poſtulata eo impetratu magis laborioſa, quod in ſenatu ex tribus ſuffragiorum partibus duas concurrere,& trecentos adeſſe ſenatores per leges oportebat:nec ſuum ſatis bonum intelligere multitudo poterat. Diu fruſtra in ſenatu res agitata eſt:cum ſeniores, è quibus plus conſilii erat,Pontifici auſcultandum cenſerent:iuniores & imperiti aduerſarentur:quibus erat ſanior mens, dolebant tam miſerum reipublicæ ſtatum. Horum nonnulli clientelis potentes,clam Pontificem adeunt, & quod verbis obtineri non poſſet,ferro quęrendū ſuadent:haud dubium eſſe dicentes,quin armato populo,Pōtificis partes ſuperiores inuenirentur:cuncti enim regiminis expertes, quorum ingēs multitudo eſt,Pontificem ſequerentur. Quibus Pontifex, etſi victoriam ſuā eſſe, vbi prælium fieret,nō dubitabat:patriæ tamen,inquit,vim non afferemus: ſi ſpernimur à ciuibus noſtris, beneficam ſubtrahemus manum. Publicata eſt vox hæc in populo, quæ multorum terruit animos:ſæpe conſilium congregatum, ſuffragia iterum atque iterum reddita:nec tamen haberi duæ partes ſenatorum poterant, qui poſtulata admittenda cenſerent. Sed cum Pōtifex vrgeret, ac reſponſum expoſceret prius quam abiret:ad extremum cēſuit ſenatus nobiliū ordinē ad honores omnes admittendum eſſe:& munerum aliquorū quartam, aliquorum octauam partē ei indulſit. Publicatum decretum vniuerſā mox vrbē impleuit gaudio:ſenatus frequens,&cuncti magiſtratus vrbis rē geſtā expoſituri Pontificem conuenere. Pontifex etſi nō ſatis ſuo deſiderio factū animaduertit,ne tamen ciuitatē triſtitia afficeret, hilarem ſe oſtendit, egitq; ſenatui gratias,laudans quod factum erat, ſperare ſe tamen amplius aliquid dixit,cum ex Mantua reuerteretur. Ad noctem ſigna lætitię paſſim viſa,per vrbē lucere ignes,cāpanæ ac tubę concentū reddere,ſalutare,inuitare alter alterū,& in amplexus ire mutuos populares ac nobiles. Pontifex maximus, vt gratitudinis vicē ſuis ciuibus redderet, Radicofanum,quod eſt in Amiate monte munitū oppidum, & ad Romanā eccleſiam iure directo pertinet, de conſilio fratrum Senenſib. perpetuo tenendum conceſſit:præſcripto cenſu,quē cameræ Apoſtolicæ quotannis ſoluerent. A prædeceſſorib. præfinitum fuerat tempus, q; iam deſiturum erat. Id oppidum Nannes Picolomineus

lomineus copiarum dux non illaudatus, armis olim ex manu prædonis cuiuſdam eripuerat, tradideratq; Senenſibus: atq; ita factum eſt, vt Picolominea domus & poſſeſſionem, & titulum eius loci in ciuitatem ſuam tranſtulerit.

Eccleſia quoq; Senenſis tum primum ad metropolitici iuris honorem erecta eſt: Groſſetana, Maſſana, Suanenſi & Cluſina ei ſubiecta, tantopere ſuam decorare patriam Pontifex adnitebatur. Primus archiepiſcopus Antonius fuit ex familia Picolominea, quem ſibi Pius vt primum Petri cathedrā aſcendit, ſucceſſorem in eadem eccleſia deſignauerat. Mater Pontificis quatuor ante annis obierat, pater bis totidē: hic Corſiniani iacebat, mater Senis, ambo in monaſteriis Minorum. Pierius quidā eques ex gente Picolominea apud Minores, qui pro foribus vrbis collocati ſunt, ſibi ſuiſq; poſteris marmoreum ſepulchrum magno ſumptu iam pridē ſtruxerat, in quo & ipſe, & multi ſuorum conditi ſunt. Fratres eius ordinis matrem Pii tunc Senenſis epiſcopi in Germania cōmorantis, quæ apud Creulā epiſcopatus munitā arcē dormiuiſſet, & in monaſterio Minorum ſepultură elegiſſet, in hoc tumulo ſepelierunt. Id ægre fuit Pierio primi Pierii nepoti, rem protſus indignā exiſtimanti, inter oſſa maiorum ſuorum alieni ſanguinis carnem miſceri. Nam Victoria mater Pii, quāuis nupta in domo Picolominea fuerit, Forteguerrarum tamen nō Picolomineorum ſanguis erat. Iuſſit igitur nocte, quæ ſecuta eſt, illinc extrahi cadauer, & alio quocunq; loco recondi. Monachi nobilē feminā intra eccleſiā apud altare maius repoſuere, humi tamen, & abſq; marmoreo lapide, ſperantes filium aliquādo genitricis corpus honoraturum. Nec fruſtra ſpes fuit: veniens .n. in patriā ſuam Pius iam pridē edoctus, quæ circa funus matris obtigerāt, Siluii patris oſſa ex Corſiniano Senas deferri iuſſit: & vtriq; parenti nobile ſepulchrum ædificari è candido marmore, quod ex Lyguſticis montib. allatum eſt: epitaphiumq; ipſe dictauit hoc diſticho:

Siluius hic iaceo, coniux Victoria mecum eſt:
Filius hoc clauſit marmore Papa Pius.

De eccleſia Senenſi metropoli facta, & Siluii ac Victoria parentum ſepulchro nobiliſſimo.

Dum Senis moratur Præſul, imperatoris Federici legati, & Henrici Caſtellæ, & Matthię Hungariæ, & Alfonſi Portugalliæ, & Georgii Bohemiæ regis, & Philippi Burgūdiæ, & Alberti Auſtriæ ducis, & Federici atq; Alberti marchionū Brandeburgenſiū aduentarunt, Chriſti vicarium pro veteri more adoraturi: inter quos magni & præſtātes viri fuerunt, ex quis duo paulo poſt ad cardinalatus honorē aſſumpti ſunt, Ioānes epiſcopus Atrebas, & Brocchardus præpoſitus Salzburgenſis, alter ab imperatore miſſus, alter à Burgūdo. Verum Brocchardus, & eius collegæ Ioānes Inderbachius, & Arthongus cognomēto Capel, iureconſulti, cum Florētiæ applicuiſſent, aliquandiu illic remorati ſunt, indigne ferētes Matthiā Hungariæ regē à Romano Pōtifice appellatum eſſe, eiuſq; oratores eos in curia conſecutos honores, qui regū legatis exhiberi cōſueuere: cum barones Hungarię imperatorē ſupra ſe regē elegiſſent, atq; ipſe delatū titulū accepiſſet. Pōtifex, ea re cognita, iniuſtā eſſe querelā dixit: quando mos eſſet Apoſtolicæ ſedis eum regē appellare, qui regnum teneret: & priot ante ſe Caliſtus Matthiam regem appellaſſet, atque hoc modo imperatoris legationi ſatiſfactum eſt. quæ deinde in templo diuæ Mariæ Virginis publice præſtitit obedientiam. Legatus vero Bohemiæ regis in Conſiſtorio ſecreto idem egit, veritus ne domino ſuo regni partem alienaret, ſi eum Apoſtolicæ ſedi palam ſubmitteret. Regnum Bohemiæ bifariam diuiſum eſt. Alii Romanam eccleſiam ſequuntur, alii reſpuunt: qui appellantur Huſſitæ, multis hæreſibus infames, quemadmodum in hiſtoria Bohemica ab ipſo Pio ſcriptum eſt. Georgius Poggebracius Huſſitarum partium fuit, & eorum errore reſperſus: quorum armis atque præſidiis, regnante Ladiſlao Alberti filio regni gubernationem, & illo mortuo coronam arripuit, vocatis ex Hungaria duobus epiſcopis Lauri nenſi, & Vaccienſi, qui ſe vnctum coronarent, illi homini qui hæreticus cenſeretur, id honoris negauere, niſi errorem prius abiuraret, & Romani Præſulis obedientiæ ſe ſubiiceret. Georgius ſeu vere, ſeu ſimulate, quod vero ſimilius eſt, in penitiori parte palatii vocatis nonnullis teſtibus, atq; tabellionibus Huſſitarum hæreſim abiurauit, & Apoſtolicæ ſedis auctoritati, iuſſioniq; ſeſe ſubmiſit. Cuius rei publicata documenta epiſcopi acceperunt, atq; deinde regem coronarunt: cui mox Bohemi omnes paruere. Morau i cum aliquātulum reſtitiſſent, poſtea imperata fecerunt. Apud Sleſitas maior fuit renitentia. Vratiſlauienſes miſſis ad Pium legatis, nullo pacto ſe

Multorum legationes, maxime regis Bohemiæ, & eorum hæreſis.

ſuſcepturos regem dixere, quem de fide ſuſpectum haberent: inuentoque Seni· Pon-
tifice multa de Georgio queſti ſunt, qui neque hominibus, neque Deo fidem ſerua-
ret: ind gnumq; eſſe dixerunt, quem ſuis litteris Apoſtolica ſedes regem appellaſſet,
Pontifex cum vocari ad Mantuanum conuentum principes iuſſiſſet, regem ne Ge-
orgium nominaret aliquandiu hæſit: erant enim in vtramque partem ſuaſiones. Cali-
ſtus antea regem vocauerat, & ipſe abiurauerat hæreſim, verum ſimulata eius opera
putabantur. Conſulentibus denique cardinalibus, & ſcribere & regem appellare pla-
cuit. Verum litteras imperatori tranſmittere, quod ſi ſibi videretur eas Georgio tra-
deret: regnum enim Bohemiæ imperii feudum eſt, & vacante regno ad imperato-
rem pertinet Bohemis regem conſtituere: imperator litteras Apoſtolicas Georgio re-
ſtituit, quas ille ingenti gaudio accepit, iuſſitq; pro ſua gloria maioribus in vrbibus
publicari, vt intelligerent omnes Apoſtolicam ſedem nomen regium ſibi tamquam
catholico detuliſſe: quæ res multorum offendit animos, ac præſerim Vratislauienſi-
um, qui ob eam rem legatos, vt diximus, ad Pium miſere, à quo cum facti rationes ac-
cepiſſent, ſubueniri ſibi petierunt, ne vel fraudibus Georgii, vel armis Chriſtianam
fidem perdere cogerentur. Pontifex conſilium ſuum eſſe dixit, potentis regis vti fu-
rorem declinarent, ſcripturum ſe illi ab armis abſtineat: & quas habet aduerſus Vra-
tislauienſes Scleſitarum principes controuerſias Apoſtolicæ ſedis arbitrio dimittat,
niſi paruerit, aliis ſe remediis vſurum, atque hoc reſponſo Vratislauienſium legatos
dimiſit.

Diſſuaſio multorum à ſu-mo Pio pro-poſito, & per-fidia Tarentini.

Exin Mantuam verſus iter continuare decreuit. Multi hoc diſſuadebant. Senen-
ſes patre ſanctiſſimo, & emolumentis carituri curiæ, receſſuro Præſuli mille inſtare
pericula affirmabant, iter diſcrimine plenum eſſe, timendum eſſe, & omnis generis
inſidias formidandas. Alii fruſtra Præſulem Mantuam petere, in qua pauciſſimi con-
uenturi eſſent, prouocaturum in ſe odia principum, quaſi eorum contumaciam ac-
cuſaturum: ſatius eſſe manere Senis quam vlterius proficiſcentem nihil aliud quam
ære magno regum inimicitias emere, quorum reprehenſurus deſid am atque igna-
uiam videretur. Alii magnos in Italia inſtare motus: Pontificem, ſi Apenninum tranſ-
ierit, nunquam in Tuſciam rediturum, perditurumq; Romam, & patrimonium Ec-
cleſiæ vniuerſum: nec defuerunt qui dicerent non recte factum, non exploratis re-
gum animis ad conuentum pergere, potius ſe domi quieſcere, donec certa princi-
pum accepiſſet reſponſa, & hi rumores paſſim exaudiebantur: nihilominus omnes
contempſit. De Florentinis, qui vere prudentes eſſent, & graues nihil timendum eſſe
cenſuit, nec ſibi recta vadenti formidandas inſidias, nec tam hoſtem humani generis
metuendum, qui bonis operibus aduerſatur, quam Dei ſperandum auxilium, cuius
cauſam acturus iret in Galliam. Quod ſi reges conuentum negligerent, illos in culpa
futuros: ſe qui pergeret laudem mereri, neque alienam deſidiam ſua negligentia ex-
cuſandam fore.

De oppido Bonitii, & occurſu Ga-leatii & Flo-rentia in-greſſu.

Ingreſſo Præſuli Florentinorum agrum legati ad oppidum Bonitii occurrerunt:
primates vrbis magnificis verbis Chriſti vicarium honorantes. Id oppidum tempe-
ſtate noſtra parui momenti eſt, & in plano iacet, apud Elſam fluuium, olim in alto
monte, qui ei ſupereminet, ſitum: fuit ambitu magnum, populo plenum, neq; expu-
gnatu facile: quod cum eſſet Gibellinarum partium, Florentiniſque ſæpe multa at-
tuliſſet incommoda, ab eis muro primum apertum eſt, deinde prorſus deletum, & in
eius locum translatum, quem ante diximus. Hic Pontifex nocte peracta, ſequenti die
apud Caſtellum ſancti Caſſiani nouos legatos habuit obuios, numero plures, & di-
gnitate præſtantiores, qui eum non longe ab oppido in prædium pulcherrimum di-
tiſſimi ciuis deduxere, atque ibi pernoctatum eſt. Poſtera die dum Carthuſiam pe-
teret Pontifex, Fauentinum, Foroliuienſem, & Cornelienſem vicarios occurrentes
inuenit, & paulo poſt Galeatium primogenitum Franciſci Sfortiæ Mediolanenſium
principis. Adoleſcentulus hic egregia ſpecie nōdum ſextumdecimum impleuerat
annum: verum his moribus, ea eloquentia, eo ingenio, atq; induſtria præditus, vt plus
quam virilem prudentiam præſeferret: erat in vultu geſtuq; grauitas digna principe,
loquebatur ex tempore, quod vix alius diu cogitans effari potuiſſet: nihil pueriliter
agebat, nihil leuiter: ſtupor fuit audire ſeniles ex iuuenili ore ſententias, & nondum
[illegible] barba-

barbatum cani hominis ſenſa proferre. Hunc genitor ex Mediolano cum quingentis equitibus ſplendido & ornatiſſimo comitatu Florentiam, eoſq; miſit Pontifici obuiā: qui ad tertium lapidem paulo citra Carthuſiā ei occurrens, & ab equo deſiliens, ſacros de more pedes exoſculatus eſt. Pontifici prandium in monaſterio Carthuſienſi apparatum: atq; eo peracto in vrbem properanti extra portā duobus circiter ſtadiis Guelfarum duces partium occurrere, & prætor vrbis & multi magiſtratus in porta, priores quos vocant dominos, qui Pontifice verbis humilibus ſalutato, & pedibus oſculatis, vrbē & populum ei cōmendarunt: propter ęgritudinē pedum nō poterat equo Pontifex vehi, ſella ſedens aurea humeris hominum portabatur. In ipſo vrbis ingreſſu poſtquā ſacerdotes ſacra ferentes benedictionem Pontificis acceperunt, & pompā ducentes præceſſerunt, Sigiſmundus Malateſta, & alii eccleſiæ vicarii, quorū ſupra meminimus, ſellā Pōtificis ſubiere, ſuumq; dominū humeris aliquādiu portauere. Galeatius qui minor eſſet, & crurib. paululū inualidis, quāuis onus ferre non poſſet, manum tamē appoſuit, quaſi adiutor vnus cupiens videri portantium: priores vrbis hinc atq; inde pedib. incedebant. Mutabantur autē portantes per dimenſa loca, & honoratiores ciues id ſibi muneris expetebant. Galeatius cum aliquantiſper pedibus ambulaſſet, iuſſu Pōtificis equum aſcēdit, & paulo poſt Eccleſiæ Vicarii: vrbs plena populo fuit & ſuo & alieno, vicini ex oppidis & agris nouum viſuri Præſulē vndiq; concurrerāt, feminarumq; diues ornatus viſebantur: mira veſtium varietas domeſticus ſimul vt peregrinus cultus. Ingreſſus Præſul eccleſiā S. Reparatæ & ſacellum B. Ioannis vtrobiq; populo benedixit. Diuerſorium ei apud S. Mariam fuit, cui Nouella cognomen eſt, vbi & Martinus, & Eugenius ſui prædeceſſores collocati fuerunt.

Florentia Hetruriæ nunc caput eſt, creuit ex ruinis Feſulanum: quas Totila diruit. Gothorum imperator Volaterras, Piſtoriū, Aretium, Cortonā, Piſas ſub iugum miſit: Lucenſib. magnam agri partem ademit: Senenſes magnis affecit cladibus, à quibus & aliquando detrimentum paſſa eſt: Germanis imperatoribus ſæpenumero aduerſata. Henricus ſeptimus circa mœnia caſtra tenuit, duraq; vrbem cinxit obſidione, domuiſſetq; prorſus niſi vocatus Neapolim aduerſus regem Robertum, dum eo pergit cum parte copiarum apud Bonumconuentum, vt ante diximus, veneno periiſſet. Carolus quartus ad portas vſq; Florentinas cum exercitu profectus Gibellinos vrbe pulſos in ciuitatem reſtituit. Mediolanenſium duces acerrimis odiis Florentinos inſecuti ſunt, damniſq; permultis affecerunt, neq; ipſi ſine detrimento fuere. Franciſcus Sfortia eorum ope Mediolani ducatum aſſecutus iis amiciſſimus fuit. Neapolitani reges modo amici modo hoſtes habiti, & aliquando vrbis imperio potiti ſunt, in qua & dux Athenarum dominatus eſt. Quo tandem pulſo populus in libertatem ſe vendicauit, quamuis tum maxime ſeruire cœpit, cum ſe liberum exiſtimauit, vt qui vno eiecto domino multos admiſit. Exagitata ſæpe vrbs eſt ciuilibus procellis, cum optimates inter ſe de primatu contenderent. Præſtantiſſimi ciues viſi ſunt ætate noſtra Pallas Strozius, Nicolaus Vzanus, & Rodolphus Peruzius. Pallas opibus cunctos ſuperauit, Nicolaus prudentia, Rodolphus armis, aduerſus hos factionem excitauit Coſmas Medices, propter quam rem vrbe pulſus, Vzano iam vita functo exilium aliquandiu tulit: deinde ſub Eugenio Pontifice maximo Florentiæ ſedēte, ſtudio partium ab exilio redit, & tumultuante ciuitate, deterritis qui ſibi aduerſabantur, ſuum locum recuperauit: Rodolphum & Pallantem, plureſq; alios ciues vrbe pepulit, qui poſtea nunquam rediere, quamuis Rodolphus Nicolaum Piccininum aduerſus patriam alliciens, Mugellanum agrum ingreſſus vaſtauerit: nam poſtea in exilio deceſſit. Pallas æquo animo fortunam aduerſam ferens, Patauii vſque ad extremam ſenectutem philoſophiam ſectatus eſt, ibiq; obiit iam ferme nonagenarius, quem ſui ciues eiecisſent non meritus. Coſmas deinde ſublatis æmulis pro ſuo arbitrio rempublicam adminiſtrauit, eaſq; opes accumulauit, quales vix Creſum poſſediſſe putauerim: ædificauit in vrbe palatium rege dignum: eccleſias alias inſtaurauit, alias à fundamentis erexit: monaſterium ſancti Marci miro conſtruxit opere, in quo bibliothecam Græcis & Latinis voluminibus referſit: villas magnifice adornauit. Videbatur iam præclaris operibus inuidiam ſuperaſſe: ſed populi excellentem virtutem oderunt: inuenti ſunt qui potentiam Coſmæ ferendā negarent, eiuſq; conatibus mul-

Florentiæ origo eiuſque geſta & fata.

De Coſmæ dominio & potentia.

tis modis obuiam irent. Et quia æſtimatio bonorum, quę quiſque poſſideret, per idem tempus facienda fuit, Cataſtum Florentini vocant, Senenſes Libram, per quam magiſtratus facultates ciuium non ignorantes, ex ęquo poſſint inter ſubiectos onera partiri. Suadebat Cataſtum innouari Coſmas, inimici aduerſabantur: ob quam rem parlamentum fieri placuit: quod dum cogeretur armati vndique collecti iuſſu Coſmæ forum circumdedere, manifeſtumque imminere periculum oſtenderunt his qui conſilium eius damnarent. Decretum eſt cataſtum armorum metu: & ciues, qui prius contradicebant, alii relegati ſunt, alii ære multati: poſt hęc nihil Coſmę negatum. Is belli, paciſq; iudex & legum moderator, non tam ciuis, quam patriæ dominus haberi: conſilium de republica domi ſuæ agitari, magiſtratum hi gerere, quos ipſe deſignaſſet: nihil ſibi ad regnum niſi nomen & pompa deeſſe. Ægrotabat Coſmas, cum Pius Florentiæ fuit. Ioannes, qui eius pater fuit, ex Medicorum familia ingentes opes liberis ſuis Coſmæ, & Laurentio reliquit. Coſmas iupra quam credibile ſit eam ampliauit, per omnem Europam negotiatus, & ad Ægyptum vſq; fuit. Hic egregio corpore, ſtatura plus quam mediocri, aſpectu & alloquio placidus: litterę in eo plures, & Græcarum non prorſus ignarus: ingenium ei perſpicax, & ad omnia promptum quæ ageret: animus ingens atq; e fortis laborem & inediam facile pertulit, & noctes crebro inſomnes duxit: nihil ignorauit eorum quæ in Italia gererentur: quippe quod eius conſilio magna pars vrbium, & regulorum duceretur: nec eum extera latuerunt, cui ex orbe fere toto mercatores reſponderent, & quæ apud eos fierent, crebris epiſtolis indicarent. Ad extremum podagra laborauit: cuius antea quam vita excederet, ſucceſſores filios ac nepotes vidit. Annum agebat, Florentia tranſeunte Pontifice, ſupra ſeptuageſimum.

De Antonino Præſule Florentino, eiusq; ſanctimonia, & morte.

Per idem tempus migrauit in Domino Antoninus eccleſiæ Florentinę archiepiſcopus, ordinis Prædicatorum profeſſor, vir memoria dignus, domuit auaritiam, conculcauit ſuperbiam, libidinem prorſus ignorauit, potu ciboque parciſſime vſus eſt: non iræ, non inuidię, non alteri paſſioni ſuccubuit: doctrina Theologica emicuit: ſcripſit plura volumina, quæ docti laudant: prædicator acceptus in populo quamuis ſcelerum inſectator vehemens: correxit cleri, & populi mores: lites diligenter compoſuit. inimicitias, quoad potuit, ex vrbe pepulit: prouentus Eccleſiæ inter Chriſti pauperes diſtribuit, in cognatos, & affines ſuos, niſi admodum inopes eſſent, nihil contulit: vitreis ac fictilibus tantum vaſis eſt vſus: familiam, quæ parua illi fuit, contentari modico voluit, & ad philoſophiæ leges viuere. Mortuo nobile funus ex publico ductum: in domo nihil repertum eſt, præter mulum, quo inſedere ſolitus erat, & vilem ſupellectilem: cetera manus pauperum aſportauere. Ciuitas (nec vana putanda opinio eſt) ad vitam illum migraſſe beatam putauit. Magiſtratus vrbis vbi ſe tanto priuatum patre, & orfanorum tutore, viduarumque iudice defeciſſe animaduertit, accedens Pium Pontificem, non iſtum, aut illum, ſed aliquem ex ciuibus ſuis in eius locum ſubrogari petiit. Laudauit Pontifex Florentinos, qui obſtinate vnum aliquem non petiuiſſent, auditurumque ſeſe ait honeſtas preces.

De viris illuſtribus Florentinis.

Superiori ætate complures viri apud Florentinos illuſtres fuere, quorum hodie quoq; nomen extat: verum Dantes Aldigherius cunctos ſuperaſſe videtur, cuius inſigne poema, & nobilis illa de ſuperis, inferis, ac mediis inuentio doctrinā pene diuinam redolet, etſi vt homo nonnihil errauit. Proximus ei Franciſcus ſucceſſit cognomento Petrarcha, cui vix parem inueniremus, ſi Latina eius opera, his quæ Tuſco ſermone conſcripſit, æquari poſſent. Tertio loco Ioannem Boccacium haud iniuria collocauerim, quamuis laſciuior fuerit, neque admodum terſus. Hunc ſequitur Colutius, qui & proſa ſcripſit & verſu ad ſuam ætatem accommodato, ad noſtram rudi. Is dictandis epiſtolis apud Florentinos præfuit, cuius calamum plus ſibi obeſſe Ioannes Galeatius Mediolanenſium dux ſolitus erat dicere, quam Florentinorum equitum, qui ſibi hoſtes erant, triginta cohortes. Erat enim vir prudens, & quamuis elegantiam ſcribendi non teneret, locos tamen egregie callebat, quibus moueri homines ſolent, eoſq; ſcribens cautiſſime attingebat. Succeſſit pluribus poſt

annis,

annis, Leonardus natione Aretinus, verum Florentia ciuitate donatus Græcis & Latinis litteris apprime imbutus, multis operibus è Græco in Latinum tranſlatis,nihil ex propria minerua, egregiam laudem aſſecutus: par prope huic oratione ſoluta, carmine maior iuuentus Carolus, & ipſe Aretinus origine,priuilegio Florentinus. Fuit & Poggius in hac vrbe clarus, qui cum aliquandiu apud Romanos Pontifices ſecretarium geſſiſſet, & aliquot opera egregia ſcripſiſſet, poſtremo in patriam reuerſus,ac cancellariæ præfectus inter cognatos ſuos vitam finiuit. In armis qui ex Florentinis claruerunt magna eſt Pipponis gloria è familia Scholarium,qui regnum Hungariæ multis annis adminiſtrauit, in qua rege potentior viſus eſt. Ex Acciaiolis quoque magiſter militiæ in regno Siciliæ Nicolaus fuit præclari nominis,cuius filius arma in Græciam proferens, Thebas, atque Athenas occupauit, & poſteris poſſidenda reliquit, quas illi noſtra demum ætate perdiderunt,à Mauhumete Turcarum imperatore deiecti. Aliqui etiam ex nobiliſſima Altouitorum familia,tum in armis,tum in litteris floruere. Et in Eccleſia Dei inſignis theologus fuit Iacobus epiſcopus Feſulanus apud etiam reges Apoſtolicus nuncius,& Bartholomæus copiarum ductor, & generalis dominorum Pataui, qui eam ciuitatem ab exercitu Mediolanenſi tunc temporis obſeſſam ſumma virtute liberauit:& Palmerius legum doctor Henrici imperatoris à ſecretis. Quæ quidem familia quamuis ex Longobardorum regibus ſe eſſe aſſerat, attamen quia temporibus noſtris in domo magnifici Bindi marmoreum tumulum in agro Feſulano inuentum apportatum dicebant,Romano charactere inſculptum cuiuſdam C.Camilli Altouitæ,potius à Romanis ortum habuiſſe dicunt,quam à Longobardis, cum apud omnes monimenta de nomine & cognomine fidem non paruam faciant. Permulti præterea viri commemorari poſſent,quorum virtute Florētia & opibus & gloria eſt aucta.

Florentiam qui laudant, non ſolum viros illuſtres, qui fuerunt in ea, commemorant,verum vrbis amplitudinem,murorum ambitum,qui præaltus eſt, & ſpiſſitudinem præcipue viarum, & platearum munditiem, quæ tum amplæ ſint, tum ad longum directæ proſpectum,templorum magnificentiam, ac palatiorum & publicorum & priuatorum,quæ & altiſſima,& ornatiſſima ſunt. Ceterum inter ædificia nullum memorabilius eſt æde ſanctæ Reparatæ, in qua fornix eſt ad amplitudinem eius proxime accedens,quam Romæ in Agrippæ templo admiramur, quod Pantheon vocauere. Proximum ei eſt palatium,quod Priores inhabitāt,& tertium à Coſma ædificatum. laudant & diui Baptiſtæ ſacellum, & ædem quam Coſmas idem beato Laurentio conſtruxit Efferunt pontes,qui ciuitatem Arno diſciſſam coniungunt, & numeroſum populum,& ornamenta tum virorum,tum feminarum, & omnis generis opificia,& prædia,& villas egregias,quæ ciuitati adiacent plenę delitiis, & non minori ſumptu quam ciuitas ipſa exædificatæ, & ingenia hominum dexterrima, quamuis in mercatura magis excellunt. Impenſa erga Pontificem non minima fuit, & in apparandis ludis magni ſumptus facti, cum leones in forum produxerint, aduerſus equos,& alias beſtias pugnaturos,& equeſtria inſtituerint certamina, in quis multi valoris præmia condonarunt. Hic Pontifex octo diebus commoratus eſt, per quod tempus à Sigiſmundo Malateſta multis precibus oratur ſibi vt pacem daret cum Ferdinando Siciliæ rege bellum gerenti.

De magnificentia ædificiorum Florentinorum & ludicro apparatu.

Sigiſmundus ex Malateſtarum nobili familia, verum extra matrimonium natus multa vi animi & corporis fuit,eloquentia, militari & arte præditus: nouit hiſtorias, philoſophiæ non paruam peritiam habuit, quamcumq; rem ſectatus eſt, ad eam natus videbatur,ſed mali mores plus apud eum valuere : pauperes oppreſſit, diuitibus bona diripuit,nec viduis nec pupillis pepercit, nemo ſub eius imperio ſecurus vixit. Reos nunc opes,nunc vxores,aut liberi forma præſtantes fecere. Sacerdotes odio habuit,de venturo ſæculo nihil credidit, & animas perire cum corpore exiſtimauit: ædificauit tamen nobile templum Arimini in honorem diui Franciſci: verum ita gētilibus operibus impleuit, vt non tam Chriſtianorum, quam infidelium dæmones adorantium,templum eſſe videretur,atq; in eo concubinę ſuę tumulum erexit & artificio,& lapide pulcherrimum,adiecto titulo gentili more in hunc modum : Diuæ

De Sigiſmundo Malateſta.

Iſottæ ſacrum. Rogatus aliquando à ſubditis, vt quieti tandem ſe traderet, parceretq; patriæ, quę ſua cauſa ſæpe rapinis expoſita fuiſſet. Ite inquit, & bono animo eſtote, nunquã me viuo pacẽ habebitis. Huiuſcemodi Sigiſmundus fuit quietis impatiens, voluptatum ſequax, quãuis laboris patiens & belli cupidus. Hunc Alfõſus in eo bello, quod cum Florentinis geſſit, vt ſibi militaret, magno cum põdere conduxit. Ille nouo auro inharratus ad Florentinos defecit, atq; in Alfonſum arma conuertit, perfidiæ ſuę id cauſæ prętẽdens, quod nõ omne ſibi ſtipendium in tempore perſolutum fuiſſet. Grauis hæc regis iactura fuit, qui eum hoſtem paſſus eſt, quem propugnatorem parauerat. Nec dubium quin ea Sigiſmundi proditio rẽ Florẽtinam ſaluauerit: ob quam cauſam cum pax vniuerſalis facta eſt, & inter potentatus Italiæ fœdus percuſſum, Sigiſmundus, & Genuenſes, & Æſtor Fauentinus excluſi ſunt, rege in eos, qui ſibi iuſiurandum, fidemq; rupiſſent, liberum ſibi bellum reſeruante. Atque idcirco valida in Genuenſes ab eo claſſis parata eſt: & aduerſus Sigiſmundum, vltimo Caliſti Pontificis, & ſuæ vitę anno, Picininus Nicolai filius cum magna militum manu tranſmiſſus, procurante id potiſſimum Federico Vrbinate, qui priuatis inimicitiis Sigiſmundo erat infenſus, bellum aliquandiu tractum eſt, viuente Alfonſo, & eo fatis functo, cum filius æque ac pater Sigiſmundo indignaretur: ferebant ſubditi pro peccato domini ſupplicium, & impio ſuperbiente pauper incendebatur: vaſtabatur ager tota Italia nobilis, quamuis tyranno ſubiectus, directo tamen iure ad Romanam eccleſiam pertinens: quod miſeratus Pius Pontifex, vt ante retulimus, inter alias leges quas Ferdinando impoſuit, regno Siciliæ honeſtato, illam adiecit, vt pacem Sigiſmundo his conuentionib. donaret, quas Pontifex ipſe dictaret. At cum Aſſiſium recuperauit, hæc libertas reſtricta eſt, conſtitutumque, vt præſcripto quodam modo pax conſtitueretur: aut ſi hoc ex Sigiſmundo obtineri non poſſet, cõpromiſſum remitteretur, quod liberum in Pontificem factum fuerat, cautumque ne vltra menſem Februarium poteſtas compromiſſi duraret. Additus poſtea Martius eſt, & Aprilis menſis: reſtabant ex compromiſſi tempore quattuor dies tantum, cum Pius Florentiæ fuit, nec regis procuratores aderant, qui cauſam agerẽt: aduenerant tamen Federici Vrbinatis, & Iacobi Picinini legati, ad quos rex id negotii remiſerat. Iuſſit Pontifex quattuor cardinales audire partes, & ad concordiam reducere: fruſtra id fuit. Audiuit & per ſe ipſum Põtifex diſceptationes, & iura partiũ, nec dubium erat quin reus proditionis Sigiſmundus eſſet: ventũ eſt ad trãſactionẽ, vt delictum pecunia redimeretur: & cum illa deeſſet, oppignorarentur caſtella. Sed cum regis nomine multa peterẽtur, Sigiſmundus pauca offerret, res propemodum deſperata videbatur: legati victoriã in manu ſua eſſe aiebant: Sigiſmundus nondum ſe victum affirmabat: paſſurumq; prius extrema quæque, quam ea traderet, quę petebantur. Cumq; ferocius loqueretur: Tace, inquit Pontifex, generi tuo, non tibi ſtudemus: populi tibi ſubiecti, non tui miſeremur, qui pro tuo viuendi modo nil mereris. Et quamuis multis te verbis excuſas, tua vita contra te eſt: ſtant pro te tantum maiorum tuorum opera, qui de Romana eccleſia bene fuerunt meriti. Hac de re pacare te hoſtibus quærimus: at ſi recedis à bono & æquo, in quo te gurgite reperimus, in eodem relinquemus. nec mirabimur ſi pauperes ad tempus permiſerit diuina pietas affligi, vt tandem puniaris, & aut in bello pereas, aut perdito patrimonio miſer in exilium eas. Territus his auditis Sigiſmundus conſenſit, quæ proxima concordiæ videbantur. Sed altera pars victorum more ſuperba nihil mutari expoſtulans voluit. Pontifex quamuis arbitrari poſſet de Sigiſmundo quæ vellet, indignum tamen putauit victoriam magis quam æquitatem reſpicere: diuq; adnixus eſt ex voluntate partium litem dirimere. Quod poſtquam non ſucceſſit, & regi, & Sigiſmundo compromiſſum remiſit, non ſatis intelligens bellum huiuſcemodi, an pax rebus eccleſiæ magis conduceret: cum cõſtaret Picininum quieſcere non poſſe, veroq; ſimile eſſe liberatum eum Sigiſmundi bello, aduerſus eccleſiã infeſtis ſignis iturum. Iudicauit igitur voluntatem Dei eſſe pacem non potuiſſe componi: idemq; Florentini exiſtimarunt: quibus veniſſe diem placebat, in qua flagitioſus tandem homo meritas daret pœnas.

De Auſtria & eius ducibus.

Inter hæc & legati Sigiſmundi Auſtriæ ducis Põtificem adiere, qui Suizzeros propediem in armis dixerunt futuros, Auſtrialemq; domũ bello aggreſſuros. Id ſi fiat,

magnam

magnam Germaniç partẽ vexatum iri,cunctoſq; Præſulis cogitatus aduerſus Turcas eo pacto perituros fore. Auſtrialis familia apud Germanos nobiliſſima eſt, atque latiſſime dominatur. In ea quinque fuerunt imperatores,duo Alberti,duo Federici:quorum primus victus prælio ceſſit Ludouico Boioario: & qui prior his ſuſcepit imperium,Rodulphus:qui non magnus in Sueuia comes, imperator electus aduerſus Octocarum Bohemiæ regem,cui & Auſtria, & Styria parebat, bellum geſſit, ac prçlio,vt dictum eſt,ſuperatum interfecit, & Auſtriam ſuis poſſidendam reliquit: quæ circa Danubium nobilis prouincia eſt,& aliis pluribus regionibus imperat. Olim quod eſt citra Danubium Norici & Pannonii tenuere: quod vltra Barbari partim Sarmatiæ,partim Germani. Noſtra ætate tres Auſtriæ principes fuere, Federicus,& Herneſtus, germani fratres: & patruelis eorum Albertus, qui eam partem ſortitus eſt,quæ proprie Auſtria dicitur,in qua Vienna priſci Flauianum dixere. Vrbs nobiliſſima,mercatura & liberalium artium ſchola illuſtris. Federicus in montibus regnauit,ex quis Atheſis,& Enus memorabiles amnes defluunt ſalis & argenti mineris inexhauſtis. Herneſtus Styriæ præfuit,quæ olim Valeria dicta eſt,ac Carinthiã, & Charnes vſque in Adriaticum ſinum protendit imperium. Albertus Bohemis, atque Hungaris,& deinde Romanis imperauit,ſed breui functus vita Ladislaum filium poſthumum reliquit:qui editus in lucem,Romano dẽpto imperio, in ceteris regnis patri ſucceſſit,atq; apud Bohemos in adoleſcẽtia(vt fama eſt) veneno periit. Herneſto duo filii fuere, Federicus,& Albertus; qui patre defuncto ſæpe de ſucceſſione armis contenderunt. Federicus Romanum imperium ſortitus eſt,cui in hanc vſq; diẽ præſidet, variis fortunæ caſib. actus. Federicus ſenior Sigiſmundũ impuberẽ filium reliquit:cuius tutelã Federicus geſſit iunior. Attigerat hic iam duo de viginti annos: nec tamen de tutela dimiſſus eſt, niſi poſtquã prouinciales aſſumptis armis, magiſtratus,quos Federicus in vallib Atheſis Enique conſtituerat,eiecerunt. Tum quoq; certis conditionibus emiſſus eſt,quæ ſibi & ſuis grauiſſimę viſæ ſunt, receptę tamen cum aliter Sigiſmundus libertatem conſequi non poſſet. Hinc multæ inter eum & Federicum ſubortæ contentiones,quæ nõdum ſopiri potuerunt: cum alter male adminiſtratam tutelam diceret,alter non ſeruari conuenta quereretur.

De Suizzaris & eorum geſtis atque virtute, & Delphini bello.

Sigiſmundi prouinciæ Suizzari contermini ſunt,quos (vt diximus) ipſe in Auſtriales arma moturos Pontifici ſignificauerat. Suizzari quamuis in Gallia ſiti, Germani tamen lingua & moribus habentur. Montani vt feroces populi paruam olim villam incoluere,quæ lacui Lucernenſi adiacet euntibus ex Mediolano Baſileam per alpẽ,quæ ſancto Gothardo dicata eſt:& hunc lacum nauigantibus vallis ipſa ad dexterã occurrit,quam vix homines quingenti incolunt, ſolis pecorib. abundantes. Inter hos & Auſtriæ duces leues ob cauſas graues emerſerunt inimicitiæ, quæ armis agitatę ſunt:cumq; priores inſultationes proſperæ Suizzaris eueniſſent, qui Auſtriales acie ſuperatos,Leopoldum gentis ducẽ interfecerunt: & animis, & amicis aucti ſunt, adeo vt vicinorum montium accolæ,& oppida permulta in eorum clientẽlam tranſierint:quorum præcipua ſunt,Lucerna,Sophinga, Balneum, Solotrum, Berna, & alia pleraque: quæ licet populoſa & potentiſſima eſſent, vocari tamen Suizzari non recuſarunt, quorum nomen a lacu prope Lemanno, & Rhodano fluuio vſque ad Brigantinas aquas,& flumen Rhenum protenditur,& ab alpibus Italicis Baſilienſem contingit agrum:facileq; bellatorum triginta millia, vbi neceſſitas ingruit, expeditorum in armis habet virorum, qui fugere neſciant. Iuſtitiæ his hominibus præcipua cura:fures acriter puniunt,acrius latrones: hoſpitalitatem diligenter obſeruant: ſacerdotes honorant:religioni parent: pace gaudent: & ſuo contentantur: bella non mouent,niſi irritati: ex prælio fugiſſe capitale eſt: eorum, qui cadunt in pugna, liberos atque vxores publice alunt:robuſta his pectora, & inſuperabiles animi. Aduerſus Philippum Mariam Mediolani ducem tranſgreſſi alpes, non procul à Belionzona infelici pugna decertarunt,quamuis cruentam victoriam hoſti reliquere. Angelus Pergula eos deleuit:occiſus eſt in prælio, magnę ſtaturę vir, cuius cadauer Mediolanum delatum gigantis propemodum ſtaturam præſeferebat: cum Thuricenſibus diſpari euentu bellum geſſere, cum illi ſocietate eorum dimiſſa ad Federicum Cæſarem defeciſſent:nam circiter octingentos viros vnica pugna obtruncauerunt:

Angelus Pergula.

Auſtriales cladib. affecerunt, & partẽ agri illis ademerunt. Poſtremo in quinquaginta annis pax ſtatuta: quæ tunc rupta eſt, cum Dalphinus Viennenſis regis Franciæ primogenitus, magnis equitum copiis circumdatos Baſilienſibus bellum intulit. Tunc enim Auſtriales ſubditi in ſpem erecti, Dalphini partes ſecuti, fœdus ruperẽ. Miſerant Suizzari quattuor millia militum auxilio Baſilienſib. bello ſociis, quæ manus, prius quam vrbem ingrederetur, non tam virtute hoſtium, quam ſua temeritate cæſa eſt: quæ cum eſſet pedeſtris, aduerſus ingẽtes equitum copias (vt poſtea dicetur) congredi nõ dubitauit: nec tamen inulta cecidit, magna ſtrage Gallorum edita. Abeunte Dalphino Suizzari Albertum Auſtriæ ducem bello perſecuti ſunt, & varia cũ eo fortuna aliquandiu certauerunt. Poſttemo feſſis partibus, & multo ſanguine fuſo, rurſus pax in quinquaginta annos reintegrata eſt: non vt tanto tempore quies eſſet, ſed quod ſupererat priorum annorum paci tranquillitatiq; cederet: neque hoc ſtare poſſe videbatur nouis litium ſubortis cauſis, & iã Suizzari veluti feruciores, & qui ſeſe læſos crederent, bellum minabantur. Quod intelligens Sigiſmundus Auſtriæ dux, nec ſuis fidens viribus, ad Pontificẽ, qui bellum interciperet (vt ante diximus) oratum miſit. Pius id minime negligendum ratus, notarium ſuum Stephanum Nardinum egregia virtute virum, quem poſtea Mediolanenſi præfecit eccleſiæ, vt tantum incendium reſtingueret, in Germaniam miſit.

Apenninus mons quantus, & vnde dicatur.

Ipſe Pontifex Florentia diſcedens, prima nocte in villa Coſmæ Florentinorum (vt ante dixi) facile primi, quæ eſt in Mugello pulcherrima quieuit: ſequenti die ſummum Apennini iugum tranſmiſit; & in oppido, cui Florẽtiola eſt nomẽ, pernoctauit. Apenninus mons eſt altiſſimus, qui ab alpibus deſcendens vniuerſam Italiam percurrit, a dextris Liguriam, Tuſciam, Vmbriam, Campaniam, & alias quamplures prouincias dimittens, à ſiniſtris Galliam Ciſalpinam, Flamineum, Picenum, Aprutium, Apuliam, & alias Italiæ partes reſpicit: ex cuius dorſo fluentes amnes alii in ſuperum, alii in inferum mare deuoluuntur. Quidam Apenninum à Pœno dictũ putant, eo quod Pœnus Hannibal in eius trãſitu alterum oculum amiſit. Illyrii ſumma montium iuga Planina vocant: hinc alii vocabulum paucis mutatis litteris receptum exiſtimant, nobis neutrum placet, nominum interpretationem atque originem difficillimã iudicantibus. Si quid tamen coniecturari licet, non ab re fuerit, Apenninum quaſi Alpinum per diminutionem appellatum arbitrari, vt eſt Italicæ linguæ modus. Flurentiola dimiſſa, alterum Apennini iugum non ſine labore atq; incõmodo Pontifex ſuperauit: ac Planorium venit, Bononienſium legatis paulo ante Capreum inuentis, vbi Flotentinorum, ac Bononienſium terminantur agri.

De Bononia & Bauaris, & Xante tyranno eius, & ciuibus.

Bononiam prius Boioniam dictam Galli quando Boi eiectis Etruſcis occupauere: qui à Romanis pulſi tranſalpes migrauerunt, Danubioq; adiacentem agrum, atq; omnem Oeni fluminis vallem poſſederunt. Inde Noricorum gente deiecta retinuerunt non paruo tempore Boiorum nomen, deinde Boioarii, & poſtea Baioarii appellati ſunt: noſtra ætas corrupto vocabulo Bauaros vocat, quibus ab oriente auſtriales occurrunt, ab occidente Sueuorum gens, qua in parte fuit ager Rheticus, à meridie Italici mõtes, ab aquilone Francones, & Bohemi, quos Boiorum reliquias nonnulli arbitrantur, quamuis eorum hiſtoria genus eſſe Sclauorum dicat. Bononienſis ager inter Apẽninum & Padum iacet. Regionem hanc Æmiliã dixere Romani, nunc Romandiolam vocant. Sic enim intrantibus Italiam Longobardis eam Ciſalpinæ partem vocare placuit, quæ in officio cum Romanis manſit. Ciuitas ad radicem Apẽnini ſita eſt, in quam parui Rheni fluuii pars deriuatur. Abundat vrbs tritico, vinoque, ſericum plurimum colligit, aer hic ſaluber & lætus, ſchola inſignis legum & philoſophiæ, quæ mores bonos non tam ciues, quàm exteros docet. Ciuitas Eccleſiæ Romanæ iure ſubiecta eſt, male parẽs populus factionib. ſtudet: ſæpe noſtra ætate tumultuauit: nunc Bentiuolii, nunc Canneculi, ſeu lambeccarii illic tyrannidem exercuere. Martinus quintus vrbem amiſit, Eugenius quartus recuperauit: deinde Nicolaum Picininum pulſo præſidio Eccleſiæ cum equitatu intromiſere, nec Picininus lõgo tempore placuit, Franciſcus eius filius hic captus malo modo mulctatus eſt. Nec mora oborto tumultu fugatis Canneculi partibus, Bentiuolii, & Maluecii, & Maliſcotti vrbis principes facti ſunt. At cum Bentiuolii capite carerent (nemo enim erat

in ea

Digitized by Google

in ea familia ad regimen vrbis aptus)& filius Hannibalis Ioannes impuber egeret tutore, Xantum quendam nomine ex Florentia vocauerunt, quem Bentiuoliorũ ſanguine natum(memorabile dictu)ignotus homo, laniſicio vitam ducens,& nihil prorſus tale expectans ad tutelam nobilis pupilli,& ad gubernationem potentis, atque indomiti populi fauore incredibili eſt aſſumptus: in quibus rebus ita ſe geſſit, vt non tã ſordidam qua vixerat artem, quam ſanguinem ex quo natus dicebatur, præſeferre,& inter vrbis principes primum tenere locum haud iniuria videretur, ac ſi cum veſtib. & ingenium mutaſſet & animum. Interea cum obiiſſet Eugenius, Nicolauſq; illi ſuffectus eſſet, qui adoleſcens olim in ea vrbe nutritus, ac epiſcopatum poſtea ſortitus fuiſſet, ciuitas cum eo in gratiam rediit, præſcriptiſq; nonnullis legibus legatum admiſit, qui verius ligatus appellari potuit, cum omne vrbis imperium penes ſexdecim viros eſſet, quorum princeps Xantus habebatur, qui ſeruitute ciuitatem oppreſſit, quando aliter inquietus populus in officio retineri non poterat. Is cum accepiſſet Pium Pontificem ſtatuiſſe Mantuam petere, accerſitis factionis ſuæ ducibus: Quid agimus? inquit: ſi nobis prætermiſſis Mantuanum concilium adierit Pontifex, amaro in nos eſſe animo iudicabitur, exulibus noſtris cum ſpe creſcet animus, & auxilia præſtabunt amici, quibus nos vrbe pellant: ſi hac iter habuerit, populus, qui nos odit, omne ad eum imperium deferet, & noſtra peribit auctoritas. Diu res agitata eſt in conſilio, cum anceps periculoſaque videretur: tandem ſuadente Franciſco Sfortia Mediolanenſium duce, quem ea de re conſultum habuere, Iacobum cognomento Ingratum Romam miſere, qui Pontifici Mantuam ituro ſuam Bononiam, vt intereundum viſeret, quam efficaciſſimis precibus ſupplicaret, idq; magiſtratibus & vniuerſæ ciuitati gratiſſimum futurum diceret. Verum cum exularent in agro Ferrarienſi complures Bononienſes, qui res nouas per omnes dies molirentur, & vrbis non ſatis placata plebs illis aliquando aures accommodaret, opus eſſe non parua militũ cuſtodia, qui prouiderent, ne res Bononienſis per ingreſſum Pontificis aliquid detrimenti pateretur, ad quam rem Mediolanenſe præſidium quærere ſtatuiſſent. Intellexit Pontifex quorſum ea tenderent verba, remq; in vtramq; partem cogitans, neq; armatam intrare Bononiam, neq; ciuitatem Eccleſiæ præterire honeſtum cenſuit: reſponditq; demum ituro ſibi ad conuentum animum eſſe Bononia tranſitum habere, nec tantam ſibi occurrere, cur Bononienſes metuant: conſulerent tamen ſuo timori, & armarent ſi poſſent formidinem, vrbemq; pro ſuo arbitrio cuſtodirent, dũ milites ad cuſtodiam accerſiti in verba Pii iurarent. Placuit ea conditio Bononienſibus, qui accerſita ex Mediolano magna equitum manu in aduentu Pontificis vrbẽ armis compleuere: cohortes decem affuere, quarum duces ad Planorium Pontifici occurrentes iuramento ſe illi aſtrinxere. Galeatius cui parere omnes iuſſi erant, in manu Pii Florentiæ iurauerat, & præcedens eum Bononiã venerat, vbi equitatu patris accepto, iterũ Pontifici obuiam factus eſt, cohortibus non aliter inſtructis, quam ſi prælium eſſent inituræ, catafractis equis & fulgentibus armis inſignes.

Intrauit Pius Bononiam ingenti plebis alacritate. Primorib. vrbis ſellam eius portantibus, ſequentiq; die apud ſanctum Petroniũ peracta re diuina populo publice benedixit: & reuerſus in palatium dicendi quæ vellent ciuib. qui frequentes aderant, copiam fecit. Venerant enim Pontifici gratias acturi, qui ſuam viſere vrbem haud aſpernatus fuiſſet. Orandi partes Bornio iureconſulto demandatæ ſunt, viro qui multa legiſſet, & cuius os dulce ſonaret. Is non quod iuſſus erat, ſed quod ſibi placuit longo ſermone diſſeruit. Laudato enim Pontifice quantum ſufficere arbitratus eſt, de Bononienſis agri fertilitate, de cæli clementia, de litterarum ſtudiis, de tẽplis, de mœnibus, de priuatis, & publicis ædificiis multa pulchre locutus eſt. Inuectus autem in malos ciuitatis mores, leges parum cuſtoditi, ac iuuenes nullis teneri frænis. Orare igitur, vt vrbis ſuæ curam gereret, daretq; operam, vt eliminatis vitiis, ciuitas tandẽ reformaretur, quando ſuperũ ope eo hoſpes aduentaſſet. Quæ cũ audacter atq; intrepide,& in modũ torrentis fluenti oratione depromeret, ciues qui aderant, contra ſe magnopere excitauit, exteros in admirationẽ adduxit. Quis enim de ſua patria quẽquã talia dicturũ putaſſet? patriæ omnes ignoſcunt, cuius dedecus ſuũ ducit. Põtifex facũdiã eius, doctrinamq; laudauit, & ad reformãdos ciuitatis mores

Ingreſſus Pontificis Bononia, & Bornii oratio, Bononienſiumq; licentia.

ſuam operam eſt pollicitus, ſi tamen eum populum inueniret; qui coerceri legibus poſſet. Schola Bononienſis non apud Italos tantum, ſed apud exteros quoq; clariſſima eſt, multoſq; viros erudiuit, qui poſtea ſapientiæ ciuilis arcem tenuere, cum ſuorum ciuium, tum aliorum, quorum commentaria vigorem quodammodo legis habent. Nec philoſophia hic ſterilis fuit, cuius auditores adeo profecerunt, vt multis poſtea in locis cathedras rexerint: opinione ſanctitatis duos ætate noſtra memoria dignos nouimus, Nicolaum cardinalem ſanctæ Crucis ordinis Carthuſienſium profeſſorem, & Franciſcum Paruipaſſus, qui Mediolanenſi præfuit eccleſiæ. Ille Francis Burgundos reconciliauit: iſte in bello, quo Braccius hoſtis Eccleſiæ Romanæ cecidit, Martini Papæ vices geſſit.

De Orlando præſule Florentino, & eius ſtulta morte.

Manſit Bononiæ Pius ſex diebus, & in primo conſiſtorio quod illic habuit, Orlandum Florentinum cauſarum ſacri palatii auditorem, patriæ ſuæ præſulem deſignauit, qui rei accepto nuncio præ gaudio illacrymatus eſt: fuerat enim in omni vita pauper, verum doctus, & iuſtitiæ tenax: & quamuis de Pio bene ſperaret, nec tamen epiſcopatum vrbis alicuius ambiuit, ſatis ſe felicem arbitrabatur, ſi aureos quotannis trecentos ex minoribus dignitatibus conſequi poſſet. At cum certior factus eſt, Florentinam ſibi eccleſiam eſſe creditam, more hominum inſanire cœpit, qui nunquam adeo ſublimem gradum aſcenderunt, quin altiora quærant: & tum miſerrimi ſunt, cum ſibi felices eſſe videntur. Exiſtimauit Orlandus non tam facile atque inſperato pontificatus ſibi obueniſſet, cardinalatum longe facilius obuenturum, tantum ſibi de Pontificis beneuolentia blandiebatur: ad quam rem ſi non ſatis ſua ſponte inſaniebat, neceſſariorum & amicorum verbis inſtigabatur, nihil de Pio deſperandum eſſe dicentium, qui ſibi abſenti, & prorſus ignoranti archiepiſcopalem mandaſſet honorem. Ille infelix adeo ſpem hanc arripuit, vt nunquam ad ſe nuncium ex curia venientem viderit, quin ſibi allatum pileum exiſtimaret, atque idcirco creatis poſtea cardinalibus, cum ſui nullam mentionem factam intellexit, mœrore confectus morbum incidit, ex quo mortuus eſt. Pius amicum occidit dum honeſtare contendit. adeo parum eſt, quod mortalibus ex ſententia cadit.

De Ferraria, eiuſq; origine, & qui in ea fuerint dominati, & hiſto enſium.

Ipſe deinde relicta Bononia per flumen Rhenum, & deinde per Padum Ferrariam petiit. Borſius eius loci pro Romana Eccleſia Vicarius ad agri fines obuiam factus eſt, magno nobilium comitatu ſtipatus. Ferraria enim vna ex inſulis Padi fluminis ſita eſt, priuſquam ciuitatis nomen ſortiretur eccleſiæ Rauennati paruit. Ferunt Rauennatem præſulem tribus oppidis ſuis ex trib. metallis indidiſſe nomen Aureolum ex auro, Argentam ex argento, ex ferro Ferrariam appellaſſe, quæ fortior ceteris videretur. Smaragdus patricius, & Exarchus Italiæ primus hanc vrbem muro cinxit, quæ vaſtantibus Italiam Longobardis in Rauennatum, Romanorumq; partib. conſtantiſſime perſeuerauit. Victor Carolus Magnus inter alias Rauennatis exarchatus vrbes, Ferrariam quoq; Romanæ Eccleſiæ, ac beato Petro dono dedit: perſequentibus Eccleſiam nonnullis Germanorum imperatoribus, hæc vrbs ad eos defecit, ſed Comitiſſa Mathildis fama excellens femina, Henrico tertio armis eam arripuit, Eccleſiæq; reſtituit, Salinguerra deinde priuatus ciuis ſuaſu marchionum Eſteoſium, & auxiliante Federico primo perfidia vſus tyrannidem arripuit. Hunc Innocentius quartus Pontifex maximus expulit: paulo poſt marchiones Eſtenſes introiere, qui cũ annos octo & ſexaginta regnaſſent, à Venetis ſunt repulſi. Quos Pontifex maximus Clemens quintus marchionum Eſtenſium rebus impenſius quam par erat, fauens, extra communionem Eccleſiæ fecit, & bona eorum per Galliam diripi permiſit. Cum neq; hoc modo parere viderentur, miſſo legato armis Ferrariam aggreſſus eſt, victorque ciuitatem recuperauit: ac marchiones Eſtenſes, qui auxilio fuiſſent, & egregiam Pontifici operam in bello nauaſſent: vicarios in ea conſtituit qui poſtea in hoc vſque tempus Eccleſiæ cenſum præbuere. Eugenius quartus decem mille aureos, quos illi ſingulis annis Apoſtolicæ cameræ diſſoluebant, ad quattuor millia reduxit, & concilium Latinorum ac Græcorum in ea vrbe celebrauit: quod eius opes mirum in modum auxit. Ii marchiones Francorum genus aliqui eſſe dicunt, neq; Franciæ reges id negant, à quib. inſignia liliorum acceperunt: alii ex Germania profectos, & Bauariæ duces fuiſſe aſſerunt & Saxoniæ. Tempeſtate noſtra Nicolaus eius gentis princeps fuit.

fuit,magno vir ingenio.Huic plures fuerunt nati,cum ex matrimonio,tum ex adulterio,legitimos pueritia excluſit,& magnitudo animi Leonelli ex concubina Senenſi geniti,qui imperium arripuit,& regis Alfonſi filiam,& ipſam ſpuriam duxit vxorē, cum prius ex domo Gonzagæ legitimam duxiſſet alteram. Leonello ſucceſſit Borſius frater eadem matre natus,filius Leonelli præteritus eſt quia abſens & ætate minor.

De Borſio, & eius moribus & ingreſſu Ferrariæ.

Borſius egregio corpore fuit,ſtatura pluſquam mediocri,crine pulchro, & aſpectu grato,eloquens,magnificus ac liberalis.Federicum Cæſarem Romam euntē atq; inde redeuntem magnis honoribus ac donis perſecutus fuit,à quo Mutinæ comitatum,in ducatū erigi,& ſe ducem creari(vt ante diximus)obtinuit. Vxorem nunquam duxit eo vt dicebant animo optimo quidem & Chriſtiano,vt quod occupauerat legitimis heredib.tunc pueris imperium eiſdem relinqueret. Vir quidem prudens & pacificus,iuſtitiæ abſq; ſeueritate amantiſſimus, adeo quod ei viuenti ſtatuam in foro erexerint,quæ ſedens ius dicere videretur,titulis heroicis ac præclaris ornatam: œconomiæ ac venatui,quamquam difficillime coniungantur,operam dedit:coemit capillos pretioſos quamplurimos: & nunquam non gemmis ornatus in publicum prodiit:ſupellectilem domus ditiſſimam cumulauit: argenteis & aureis vaſis etiam ruri vſus. Is cum Pius electus eſt multa oſtendit lætitiæ ſigna:ludos militares inſtituit, victorib.præmia propoſuit:donauit nuncios,ignes tota in ditior. ſua incendi iuſſit, epulumq; amicis fecit,inter quos Pium ſibi affinem eſſe gloriabatur:quoniam mater eius Senenſis fuiſſet ex domo Ptolomea,quæ Picolomineæ ſanguine iungitur: agebat quoq; Deo gratias,qui eum ſibi Pontificem dediſſet, à quo nihil impetrare non poſſet.Neq; id falſo fuiſſet opinatus,ſi magis concedenda petiuiſſet. Ferrariæ enim ſe ducem creari petiit,& cenſum ſibi remitti.Non eſt exauditus : noluit enim Pontifex Romanam Eccleſiam ſuo cenſu priuare:ducatum conceſſit tributo retento, quē ille contempſit,obtinuit tamen conceſſiones alias magni ponderis,ſperauitq; maiores in dies accipere,atq; ob eam rem,& quod aliorum exemplis admonebatur, ſummis honoribus Pium excepit,adnixuſq; eos ſuperare per quos iter fuerat habitum.In porta claues vrbis Pontifici obtulit,pedeſtriſq; ad ſellam eius inter portantes tamdiu profectus eſt,quod equum aſcendere iuberetur,tecta pannis omnis via fuit, & ſtrata floribus,per quam itum eſt ad maiorem eccleſiam adornatæ domus , & omnia plena cantibus ac perſonantibus erant, acclamante populo, Pio Pontifici vita , cardinalib. & vniuerſæ curiæ miniſtrata cibaria ex palatio, ludi multiplices exhibiti, orationes complures ab oratoribus diſertiſſimis habitæ,celebritas hic ſacratiſſimi corporis Domini acta eſt,ſolemnis pompa per forum ducta,Pontifice populo benedicente,& hoſtiam immaculatam portante. Manſum eſt hic octo diebus , multa in ſecreto colloquio,pro negatis ſibi petitionibus queſtus eſt Borſius , quem Pontifex facile confutauit,retulit & ad conſiſtorium litem quam contra epiſcopum ſuum haberet, & in arbitrio Pontificis poſuit, qui cognito negotio pollicitus duci eſt quamprimum facultas adeſſet,epiſcopum ad aliam eccleſiam ſe tranſlaturū,idq; Senis poſtea factum eſt:ſpopondit q; dux in conuentu Mantuano ſeſe minime defuturum, vt qui rē Chriſtianam inter omnes qui viuerent confirmari maxime cuperet.

De Guarino Auriſpa, Poggio, & Iannotio oratoribus & eorum morte.

Guarinus Veronenſis grandæuus & venerabilis ſenex,magiſter fere omnium qui noſtra ætate in humanitatis ſtudio floruerunt,Pontificem adiit, dignamque ſuo nomine,ſuiſq; moribus orationem habuit.Adiit & Ioannes Auriſpa Siculus, græcæ ac latinæ linguæ peritiſſimus,annum prope nonageſimum agēs,qui paulo poſt mortem obiit.Fuit hic annus trium eloquentiſſimorum virorum dormitionib. inſignis. Nam & Poggius,cuius antea meminimus Florentia,& Iannotius Manettus Neapoli ex hac luce migrauit.Iannotius & ipſe Florentinus fuit,vir admodum doctus, qui cū latinis græciſq; litteris,coniunxit hebræas.horum nemo de naturæ legibus conqueri potuit,ſeptuageſimum cuncti annum exceſſere,& ſortem vicere communem : iniurius eſt,qui plus ſibi deberi cenſet.

Padi fluminis origo & magnitudo.

Relicta Ferraria aduerſo Pado Roueriū nauigio petiit marchionis Mantuæ oppidū,Padus in alpibus Cocciis ortum habet, omnemq; Galliam Ciſalpinam percurrens multis amnibus,quorum pleriq; nauigantur,in ſe receptis,quinque oſtiis in A-

driaticum mare defertur. Græci Eridanum vocauere, Eliadum fabulis, & Phaethontis incendio, cui reſtitiſſe creditur, memorabilem, eorum, qui ſunt in Europa fluminū nulli cedentem, quamuis Rhenus, & Iſter longiora dimenſi ſpatia pluribus fluuiis augeantur. Nauigante Pio duo inter ſe claſſes concurrere, altera ducis, marchionis altera: illa Pium ferebat, iſta ferre optabat: tubicines hinc, atq; inde omnes circum valles mirabili clangore replebant. Vexilla ventis agitata, inſtat ſiluæ præſeferebant: accolæ in vtraq; ripa conſedentes Pontificis benedictionem expoſcebant, ac benedicenti vitam acclamabant. Poſtquam marchionis in fines nauigatum eſt, & Pontifex noui hoſpitis nauigium intrauit, Borſius ſalutato marchione, & impetrata à Pio diſcedendi poteſtate, retro abiit. Secuta nox Rouerii peracta eſt, quo in loco regium palatium ſemiædificatum, ſtructura & artificio ſingulare architecti oſtendit ingenium.

De Mintio flumine, & Virgilii villa, de Mantua origine, ac Mathildis dominatione, & Gonzaga, & Ludouici præfectura.

Poſtera die ad oſtium Mintii fluminis peruentum, & in ſtagnum vſq; nauigatum: in cuius ſiniſtro littore tumulus oſtenditur magno honore habitus, in quo Maronis fuiſſe lares affirmant. Villa circum parua iacet, quæ tantum peperit vatem. Ab eo loco ferme milliario in prædio principis Pontifex pernoctauit, vt ſequenti die vrbem ingrederetur. Mintius amnis ex lacu Benaco defluit: ſtagnumque efficit, quod Mantuam magna ex parte ambit. Ipſa vrbs in paludibus iacet, neq; adiri poteſt, niſi pontibus, aut nauibus. Ampla eſt, & ingentis populi capax: multæ in ea ſplendidæ domus, & palatia regibus apta: verum æſtate puluis, hieme lutū incolas moleſtat: populus perhumanus & amans hoſpitum: monaſteria multa inſunt virorum & feminarū, in quis ſanctæ degunt animæ. Aethrieſei trans Apenninum, in Gallia, & vltra & citra Padum duodecim colonias condidere, quarum vnam fuiſſe Mantuam tradunt: opus nobile, Byanoris, Tyberini regis: & Mantinis filii. Multas hæc vrbs perpeſſa eſt calamitates: nam præter illud, quod ait Virgilius: Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ, & Hunnorum, & Gothorum, & Longobardorum, & Baioariorum armis inuaſa Mantua, nunc diruta, nunc deiectis mœnibus immunita protſus relicta. Memoriæ proditum eſt, per tempora Caroli Magni ſanguinem hic Domini noſtri Saluatoris Ieſu Chriſti miraculoſum apparuiſſe: atq; ad eum viſendum Leonem ſecundum Pontificem maximum acceſſiſſe: qui rem cognouerit, atq; probauerit. Hic Carolus Caluus Magni filius veneno interiit, quod Hebræus medicus propinauit. Mathildis glorioſa mulier, cuius ſupra meminimus, huius olim vrbis dominatum habuit: qua defuncta multæ regiminis mutationes factæ ſunt: & modo imperatores Germani, modo Romani Pontifices imperium tenuere: poſtremo nobiles, quis Gonzagæ cognomen dedit, fauore populi ad principatum peruenere, eoq; longo tempore potiti ſunt. Primus eius familiæ dominatum arripuit Aloyſius Gonzaga: cuius poſteri adeo clementes habiti ſunt, vt vicariatum vrbis à Romanis imperatoribus obtinuerint. Demum vero Ioannes Franciſcus magno vir ingenio, & armorum gloria illuſtris, ætate noſtra à Sigiſmundo Cæſare, cum Roma rediret, in Germaniam marchionatus honorem adeptus eſt: cui coniunx clariſſima fuit Paula moribus & litteris excellens: cuius ſolertia monachi omnes, qui Mantuam incolunt, inſtituta patrum ad vnguem, vt aiunt, vſq; in hanc diem cuſtodiunt. Ex his ortus eſt Ludouicus, qui per tempora Pii Papæ huic vrbi præfuit, armorum & litterarum peritia clarus: nam & parentis gloriam militans adæquauit: & Victorinum oratorem audiens, præceptoris propemodum doctrinam aſſecutus eſt, mitis ingenii, & iuſtitiæ obſeruantiſſimus. Vxorem duxit ex familia Brandeburgenſi, Barbatam nomine, præſtanti animo ac ingenio feminam, & quæ dominandi artem calleret: quæq; viro prolem pulcherrimam pepetit, quamuis gibbus & ſtruma in nonnullis apparuit, poſtquam pueritiam exiuere: quod in ea puella accidit quæ prior Galeatio Mediolanenſi deſponſata eſt, propter quod repudiata in monaſterio ſe clauſit, ſorori cedens, quæ in locum eius ſubrogata eſt. Frequenter enim pulcherrimi eius familiæ pueri, poſtquam adoleuerunt, deformes facti ſunt. Felix alioquin domus, ſubditorum & vicinorum beneuolentia gaudens.

De Blanca ducissa Mediolani, &

Ingreſſus eſt Mantuam Pius ſexto calendas Iunii quinq; diebus ante præſtitutum terminum. Ciuitas plena hoſpitum fuit: vicinarum vrbium populi frequentes aderant:

aderant: & Blanca Mediolanenſium princeps affuit Philippi Mariæ quondam ducis filia, nunc Franciſci Sfortiæ coniunx magni animi & ſingularis prudentiæ mulier, & cum ea nobiliſſima proles vtriuſq; ſexus: mares quattuor non alio aſpectu quam miſſi è cœlo angeli, & deſponſata filio Siciliæ regis puella Hippolyta nomine, vultu moribuſq; præſtans, multæ inſuper virgines & matronæ nobiles & illuſtrium virorum comitatus. Blanca in ſuggeſtu apud eccleſiam maiorem apparato, & Barbara ſimul Pontificis aduentum expectauere. Qui pompam huiuſcemodi ducens intrauit vrbem. Præceſſerunt ſeruitia curiæ, & cardinalium miniſtri, tum minoris ordinis curiales: exin equi candidi abſq; ſeſſoribus duodecim frænis ſelliſq; aureis ornati: tum vexilla tria, in primo ſignum crucis reſplenduit, in altero clauium eccleſiæ, in tertio quinq; lunarum, quod eſt Picolomineorum inſigne: & ea viri nobiles armis tecti, & phaleratis inſedentes equis portauere: mox vmbella ſecuta eſt rubro & croceo colore diſtincta, proximi ſacerdotes vrbis diuiti apparatu ſacra ferebant: poſt hos regum & principum legati: tum crucem auream comitantes ſubdiaconi apoſtolici auditores palatii, ſcriniarii, & aduocati: his arcula iungebatur aurea equo albo vecta, & multis luminaribus circumdata, in qua condita fuit Euchariſtia, id eſt, hoſtia Saluatoris ſacrata, & ſiriceum deſuper vmbraculum: huic proximi Galeatius Mediolanenſis, & Ludouicus marchio: & poſt eos cardinalium venerabilis ordo: tum Pontifex ipſe ſella ſublimi ſedẽs, ſacerdotali paludamento & onuſta diuitibus gemmis mitra fulgens, nobilium procerum portatus humeris, benedicens populo incedebat: & iuxta eum cubicularii, & corporis cuſtodes, epiſcopi & notarii, & abbates, & ingens prælatorũ turba Pontificem ſequebantur. In porta vrbis Ludouicus equo deſiliens claues ciuitatis Pontifici obtulit. Idem fecere omnes, ad quos Pius in itinere declinauit, præter Senenſes & Florentinos. A porta vrbis vſq; ad eccleſiam S. Petri, quæ cathedralis eſt, nihil non tectum pannis fuit, & parietes vndiq; & floribus & auleis ornati: mulieres, pueri, ac puellæ feneſtras ac tecta compleuerant: nec tamen preſſura defuit, cunctis aditibus populo occupatis. Altaria multis in locis incenſo ture fumabant: nec alia vox audiebatur, quam populi clamantis Pio Pontifici maximo vita. Vbi ad eccleſiam ventum eſt, ſupplicationibus Deo factis, & hymno decantato, & annunciata cunctis qui aderant plenaria peccatorum remiſſione, Pontifex in ampliſſimo palatio exceptus eſt, & manſiones ſuas quiſq; petiere. Poſtridie Blanca, & Barbara Pontificem viſitarunt: exoſculatiſque ſacris pedibus, ſpirituales, quas optauerunt gratias, impetrauere. Hippolyta Blancæ filia Latine coram Pontifice orauit adeo eleganter, vt omnes qui aderant, in admirationem adduxerit.

Hippolyta filia, ac ... Hippolyta puella ...

COMMENTARIORVM PII II. PONTIFICIS MAXIMI

LIBER TERTIVS.

De initio conuentus, ac prima Pontificis oratione, & Blaca diſceſſu.

CALENDIS Iuniis, quæ dies ſtatuta initiando conuentui fuit, Pontifex ex palatio cum cardinalibus, epiſcopis, & omni clero ad eccleſiam deſcendit, vrbis regionis ex omni ordine iuſſis adeſſe. Res diuina ſolemni apparatu, & ingenti aſtantium deuotione peracta eſt. Tum Coronenſis epiſcopus vir doctrina, & honeſtate inſignis, ſermonem habuit. in quo & Pontificis propoſitum, & conuentus cauſam, & neceſſitatem rei gerendæ explicauit: hortatus eos, qui aduenerant, puris & volentibus animis deſiderium Præſulis adiuuarent. Pius autem ex ſolio ſuo, cum iam omnes aſſurgere vellent, manu ſilentium indixit, atq; in hunc modum effatus eſt. Sperauimus fratres ac filii hanc vrbem adeuntes, frequentes, qui præceſſiſſent, regum legatos inuenire: pauci adeunt, vt videmus, decepti ſumus. Non eſt religionis cura apud Chriſtianos, quantam credidimus. Conuentionis diem longiſſimam ſtatuimus: nemo temporis breuitatem accuſet: nemo viarum incommoda cauſetur. Nos ægritudine laborantes, & affecti ſenio, Apenninum, & hiemem contempſimus: nec nos alma Roma remorari potuit: quamuis medios inter latrones conſtituta, noſtram præſentiam magnopere deſideraret: reliquimus Eccleſiæ patrimonium, non ſine periculo, vt fidei catholicæ ſubueniremus, quam Turcæ peſſundare nituntur. Videbamus illorum opes in dies augeri, & arma, quæ iam Græciam, & Illyricum obtinuiſſent in Pannonia graſſari, & Hungarorum fidelem gentem multis affligtare cladibus. Verebamur quod futurum eſt, niſi ſapimus deuictis Hungaris, & Germanos & Italos, & omnem prorſus Europam ſubactam iri: quod abſque religionis noſtræ ſubuerſione fieri non poſſet. Cogitauimus hoc malum auertere: indiximus hoc in loco conuentum: vocauimus principes, ac populos, vt communi conſilio rem Chriſtianam tueremur: venimus ſpe pleni, quam vanam fuiſſe dolemus. Pudet nos tantam eſſe Chriſtianorum negligentiam: alii deliciis indulgent: alios auaritia tetinet. Turcæ pro ſua damnatiſſima ſecta non recuſant mortem: nos pro ſancto Chriſti Euangelio, nec ſubire ſumptus, nec labores perferre vel minimos poſſumus: ſi ſic pergimus, actum de nobis fuerit: peribimus breui, niſi alios aſſumimus ſpiritus. Ob quas res vos hortamur viri religioſi, vt orationibus aſſiduis Deum precemini, Chriſtianis regibus aliam mentem præbeat, ſui populi animos excitet, corda fidelium incendat: vt iam tandem arma ſumentes iniurias vlciſcantur, quibus religionem noſtram in dies Turcæ afficiunt. Agite fratres, agite filii: conuertimini ad Deum toto corde: vigilate, orate, ieiuniis & eleemoſynis peccata veſtra redimite, facite opera digna pœnitentiæ: ſic enim placatus Deus noſtri miſerebitur, & audentibus nobis hoſtes tradet in manus noſtras. Nos hic tamdiu manebimus, donec animos principum exploremus. Quod ſi venturi fuerint, ſimul cum ipſis reipublicæ conſulemus: ſin minus, neceſſarium erit domum repetere: eamque ſortem ferre, quam Dominus dederit. Verum defendendæ religionis propoſitum, quoad vires vitaque ſuppetant, nec deſeremus, nec durum putabimus, ſi res petierit, pro noſtris ouibus animam ponere. Exceperunt cardinales, & epiſcopi mira attentio-

attentione Pontificis verba,eiuſq; mentem magnis præconiis extulerunt: ac rebus gerendis honeſtum putauere principium datum, venia delictorum omnibus conceſſa qui ſuam conſcientiam per cõfeſſionem rite purgaſſent. Blanca his viſis admodum læta,cum pleriſq; vicib. Pontificis alloquium obtinuiſſet,& animo ſuo abunde ſatisfeciſſet,ſeſe virum,ac liberos Apoſtolicæ pietati commendans,Deo deuota,Mediolanum rediit.

De variis peruerſis multorum calumniis in Pontificem, & diſſuaſione perſeuerandi.

Poſt aliquot dies,cum pauci conueniſſent,nec fama eſſet conuenturos plures: ſpernebatur conſilium Præſulis,qui tantum labores fruſtra ſuſcepiſſet: murmurare paſſim curiales de Pontifice,neq; parcere calumniis: hi per Italiam,illi per Gallias,& ad omnes Vltramontanas regiones epiſtolas miſſitare: qui per ſeipſos ſcribere non auderent,aut amicis,aut ſeruis hanc prouinciam demandare: veniſſe Mantuam abſque conſilio Pium,oratores principum pauciſſimos aduentaſſe,pauciores venturos: locũ paluſtrem,atq; inſalubrem eſſe,cuncta æſtu feruere,neq; vina ſapida,neque res alias ad victum neceſſarias placere,ægrotare quamplurimos,febres admodum multos abſumere,nihil audiri niſi ranas. Fuerunt & qui regi Franciæ litteras dedere,in quis cõſilium ad alium locum transferendum aſſeuerarunt, nonnulli prolatum conuentionis diem nunciauere. Accedentes autem nonnulli ex cardinalib. Præſulem: Quid agis? aiebant: fruſtra hic nos retines, niſi aere hoc peſtifero nos paras interficere. Quin abis? veniſti ad præſtitutam diem: ſatisfeciſti termino: principes domi manent, & te,noſque contemnunt. Intellexerunt omnes curam tibi fuiſſe tutandæ fidei: ſufficit honori tuo. Quis te arguat,ſi ſolus vincere Turcas nequeas? repetamus propriam ſedem: ſi qui ſunt,qui bene conſultum rei Chriſtianæ velint,non recuſabunt te ſequi quocunq; ieris. Inter has voces conſtans atq; immobilis perſtabat Præſul: nec rumores ponebat ante ſalutem,Deo placere,non multitudini ſtudens. Fuerunt & inter cardinales pleriq; melioris conſilii,qui perſeuerantiam ſuadebant, vt Beſſarion Nicænus,& Ioannes ſancti Sixti,Græcus alter,Hiſpanus alter: quidam, etſi aliud mente gerebant,Pontifici tamen blandiebantur,tanquam non inuiti manerent, qui abeundum dixerant: cum non impetraſſent,per vicina caſtella dilapſi,vrbanum æſtum euitauerunt. Aquilegienſis ſub ſpecie lauandi apud balneas,Patauium petiit,deinde Venetias profectus eſt: quibus in locis aduerſus cardinalem ſancti Marci multa molitus,ne Patauinam conſequeretur eccleſiam: de conuentu Mantuano non bene loquebatur,quæcunq; illic agerentur,extenuans.

De Peloponneſo ſiue Morea, eiuſq; ſitu & Deſpoti legatis, ac Pii & Blancæ præſidio ad eum miſſo, & Demetrii perfidia.

Dum hæc aguntur,legati Thomæ Deſpoti Moreæ præſulem adeunt. Hæc olim prouincia Peloponneſus dicta eſt,& arx quondam Græciæ habita: formam Cheroneſi habet: Aegei,atq; Ionii pelagi fluctibus illiditur. Hic nobilis Corinthus fuit,& Delis ludorum memoria inſignis: & vetus Lacedæmon Agamemnonis, & Menelai ſedes,qui rapinam Helenæ vindicantes Ilion deleuere,& vetuſtiores Argi & Neſtorea pilus. Hæ olim præclaræ vrbes fuere,nunc ſine nomine iacent, præter Corinthũ, cuius ad Iſthmum nonnullæ viſuntur reliquiæ,& Corſtellum Argos. Occupata per Turcas Conſtantinopoli,vt ante diximus,& interfecto Conſtantino Paleologo gentis imperatore,fratres eius Thomas,ac Demetrius huc ſe receperunt: & modo Turcis penderunt tributum,modo arma in eos verterunt,Latinorum auxiliis, & loci munitionibus freti. Exin orto inter eos diſſidio,Demetrius Turcarum partes ſecutus eſt, filiam ſuam Mahumeti deſpondit: Thomas auxilio Albanorum, qui Peloponneſum frequentes incolunt,& fratrem magna regni parte multauit,& Turcas qui arma in ſe verterant,prælio fudit,captiuoſq; multos cepit: ex quibus ſexdecim per legatos quos diximus,Pontifici dono miſit,auxilium ſecundis reb. efflagitans: nec magno exercitu opus eſſe dicebat: Italorum paruam manum ſufficere ad eiiciendos Peninſula Turcas. Re in ſenatu diſcuſſa,placuit trecentos illuc pedites mittere: Blanca Mediolanenſium centum ſuo ære conduxit: Pius reliquos,quamuis non probaret ceptis ingentibus tam debile fundamentum apponi: Beſſarioni noluit denegare, cui ea res cordi erat. Cuncti Mantuam ad Pontificis pedes ſe contulere,egregie armata, & robuſta iuuentus. Iannotus Cremonenſis his præfecit,quos Blanca delegit, pedeſtriũ copiarum non ignotus ductor: aliis Dotha Senenſis,propter ciuiles diſcordias patria

extorris,qui ſuſcepta benedictione per Padum Rauennam petiere. Dein terra profecti apud Anconam ingreſſi mare,felici vento in Peloponneſum nauigauere: vbi comiter à Græcis excepti,Patraeenſem vrbem primo congreſſu expugnauere. Verum dum alia quædam ſumma contentione oppugnant oppida, ſeu virtutis æmulatione,ſeu prædæ cupiditate inter ſe diſſidentes,incepta reliquere: diſperſiq; milites in diuerſa cum dedecore abierunt:infauſtum rebus gerendis omen.

Germanorũ diſſidia,& Sueicenſium pax legati opera confecta.

Inter hæc grauiſſima Germanos exagitare principes diſcordia cœpit: Ludouicus Baioariæ dux auro,& amicitiis potens Verdeam imperiale oppidum armis inuaſerat,atq; in deditionem acceperat. Id ægre tulit Federicus imperator,iuſſitq; marchionem Albertum Brandeburgenſem arma capere,& inſolentiam Ludouici compeſcere,quem declarauerat hoſtem. Paruit non inuitus Albertus, qui alioquin propter iudicium Noremburgenſe Ludouico erat infenſus: vocati vtrinq; amici ſunt. Alberto Saxoniæ duces,comites Vuembergẽſes,Maguntinæ,Bambergenſis,& Herbipolenſis eccleſiarum præſules,& ciuitatum,quas vocant imperiales, pars maior arma coniunxerant: Ludouicum ſequebatur Federicus comes palatinus,& non pauci ſuæ familiæ principes. Iam vexilla imperij Albertus dux belli deſignatus acceperat:iam vndique arma & auxilia concurrerant:nec dubium videbatur,quin ſuperior Germania omnis rueret in ferrum.Incendium atrox,& nulli parſurum excitabatur:hinc Federico imperatore,illinc Baioariæ ducibus bellum cientibus. Quæ res magno mœrore Pontificem affecit:cum & rem fidei hoc modo perituram,& nobilem Germaniam exuſtum iri animaduerteret. Querelæ Germanorum ad eum vndique deferebantur,aſſerentium niſi Papa ſuccurreret,alium eſſe neminem qui tantum ignem reſtinguere poſſet.Nationis principes bifariam diuiſos,alios Cæſarem, alios Baioarios ſequi: qui belli expertes eſſent, minus idoneos pacis miniſtros eſſe. Anxius inter hæc Præſul felici nuncio recreatus eſt, quod apud Conſtantiam Nardini legati ſua opera inter Eluetios,& Auſtriæ duces, Albertum,& Sigiſmundum ita compoſitæ res fuerant, vt reſtitutis ducibus Rapiſuilla, in quinquageſimum annum dicta pax olim ſeruaretur,cuius adhuc tres anni reſtarent: medio tempore cum Pio Pontifici maximo,& Carolo Franciæ regi placeret,dies inter partes conſtitueretur, ad quem cum legati,aut in Conſtantia, aut in altero vicino loco conuenirent, de controuerſiis ſuis regis,& Papæ arbitrio iudicium recepturæ. Qua re cognita iuſſit Pontifex Nardinum propere Norembergam petere,quod eo in loco Germanorum principes conuenturi eſſent,collegaſq; illi dedit,Spirenſem epiſcopum,& Henricũ

† Senſtleben.

Semſeben † aulicum ſuum:qui ſummo conatu Germanorum animos ad concordiã traherent,belloq;,priuſquam initium caperet,finem imponerent. Conuenerant iã Norembergæ Ludouicus,& Albertus belli futuri duces amicorum ſtipati gregibus, Sigiſmundus & Albertus Auſtriæ principes, & cum his Ioannes epiſcopus Eſtetenſis,ac Magiſter Alamaniæ ordinis Prutenorum,qui tanquam pacis arbitri, illos acceſſierant. Verum legatis Papæ plus fidei atq; auctoritatis inerat, minus ſuſpicionis. Concordia pluribus diebus quæſita eſt difficilis,& prope deſperata res fuit, animis partium ita ſuccenſis,& ad bellum paratis Albertus quattuor & viginti millia militum expedita in armis coegerat,plenuſq; victoriæ ſpe maiora belli quam pacis emolumenta ſibi perſuadebat. Ludouicus,etſi non tam pugnæ accinctus erat, munitionib.tamen locorum ferre hoſtis impetum,& auri diues propediem maiores ſe copias habiturum non dubitabat:cum obſtinatius vtraq; pars detrectaret pacem,accedentes conuentum Apoſtolici legati locuti ſunt.

Oratio legatorum Pontificis ad Germanos de pace eiuſq; cõfectione, & Palatini pertinacia.

Sæpe & multum,illuſtres principes cohortati ſumus,vt depoſitis odiis in pacẽ coeatis. Vobis plus cordi bellum eſt: vaſtare agros,villas incendere,vrbes delere, Chriſtianum ſanguinem fundere paratis:non iura propinquitatis,nec patriæ caritas, non religionis zelus vos retrahit:non cædes innocentium,non virginum raptus,non adulteria matronarum,non eccleſiarum incendia,non alia prope infinita mala, quæ bella pariunt,horrere videmini,furore atq; ira pleni non cernitis Chriſtianæ reip. vulnera,quæ veſtra inferunt odia.Pius Pontifex maximus melius intuetur,qui nobilis Germaniæ miſertus,ferre non poteſt tot viros illuſtres,tot fortia pectora, tantum

Chri-

Chriſtiani robur exercitus in ſeſe ferrum ſtringere. Intelligit ſapiens Præſul Germanorum calamitatem; Turcarum felicitatem eſſe; tantumque vires illorum creſcere, quantum veſtræ diminuātur: atque illorum ferocitati veſtro diſſidio portas in Chriſtianos aperiri. Dolet vicem veſtram, dolet communem cladem, dolet hoc pacto Chriſtianam fidem conculcatam iri. Facit quod ſui officii eſt: Chriſtianos in concordiam reuocat, ne ſanctum Euangelium detrimentum ſuſtineat: ſuumq; eſt prouidere, veſter eſt communis pater, & iudex, & catholicæ caput Eccleſiæ: cui qui reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, & mancipium ſe diaboli facit. Cupidus Chriſtianæ quietis iubet vos Pius arma deponere, quæ veſtra in viſcera ſtringere paratis: & fraterna pace compoſita, aduerſus fidei hoſtes de bello cogitare: niſi hæc agitis, extra Eccleſiam vos faciet, & in omni ditione veſtra ſacris interdicet: eritis gehennæ filii, Deo, & hominib. infeſti, & omnis veſtra poſteritas infamia notabitur. Diximus quæ ſedes Apoſtolica iuſſit: deinceps innoxii ſumus à veſtro ſanguine. His commoti principes, paulo poſt concordiam iniere, cuius hæc formula fuit. Faceſſant inimicitiæ: pax ex integro redeat: Verdea imperatori reſtituatur: iudicium Norimbergenſe Alberto liberũ eſto. Ludouicus arbitrio Imperatoris plectitor: aut Pii precibus abſoluitor. Federicus Palatinus viduæ quam frater reliquit, auri quindecim millia nummum, quamprimum diſſoluito: & deinceps quoad vitam duxerit, tria millia quotannis capito. Eccleſiæ Maguntinæ chirographum nouem millium aureorum, vi extortum reddito. Feudum Berchzabrenſis oppidi ad naturam ſuam reducito. Stephardum comitem ſub publica Imperatoris fide captum, libertati dimittito. Reliqua quæ compendia reſtant, in feſto ſanctæ Crucis Noremberga iterum conuenientes arbitri, deciduto. His compoſitis, exercitus hinc, atq; inde dimiſſi ſunt, & datæ dexteræ. Non interfuit conuentis Federicus Palatinus, nec oratores eius aſſenſum præbuere: verũ Ludouicus Baioariæ, & Albertus Auſtriæ duces, itemq; Ioannes epiſcopus Eſtetenſis facturum illum, quæ iuſſus eſſet, in ſe receperunt. Federicus autem, vbi res compoſitas accepit, litteras in hunc modum ad Ludouicum dedit. Federicus palatinus, Ludouico duci ſalutem. Dexteram inimico dediſti: eamq; pacem amplexus es, quæ te, & noſtram familiam inhoneſtet: timuiſti ferrum, & exertos expectare gladios horruiſti: & amator videri vis. Et quæ mulier deinceps amare te poterit: ſæculi noſtri dedecus, & Baioariæ domus, aut reſcinde conuenta, aut me hoſtem habeto, longe ferociorem Alberto. Quæ meo nomine promiſiſti, ſcito me neq; precibus neq; vi facturum. Vale. His receptis illacrymatus eſt Ludouicus: & pænitentia ductus cauſas quærere cœpit, quibus pactam diſſoluere fidem poſſet. Federicus ipſe miſſo ad Pontificẽ Bernardo Hembetſtemenſi comite, multis ſe rationibus excuſatum reddidit, quod apud Mantuanum conuentum, vt ante pollicitus fuerat, pro ſuo deſiderio non accederet. Exin cauſas adiecit, cur pacem Norembergæ compoſitam ſibi oneroſam, & minime amplectendam putaret, iudicium eius litis, aut in Imperatorem, aut in Papam referens.

Interea legati ex Cypro, Rhodo, Leſbo, ac nonnulli ex Aſia præſto adſunt. Tũ vero Albani, Epirotæ, Boſnenſes, & omnis ora Illyrici miſſis oratoribus auxilium petere & iam frequentes tota vrbe apparere ex Oriente homines, qui aduerſus Turcas opem efflagitarent: hinc ortũ verbum Orientales, quos Leuantes vocant celeres, ac ſolertes eſſe: Occidentales, qui Ponentes nominantur, & pigros & inertes: quod perinde eſt ac ſi dicas moroſi, & difficiles ſunt, qui opem ferant: diligentes, qui petant: ab occiduis nanq; partibus, auxilia expectabantur, atq; inde pauci aduentabant. Ab Oriente nulla legatio non querula venit. Raguſei tantum pro ſuis facultatibus auxilia in Turcas promiſere. Rex Boſnæ, quamquam Turcis clam reconciliatus eſſet, legatos tamen ad Pontificem miſit aduerſus illos opem flagitans. Regnum Boſnæ in mõtibus ſitum Raſcianis, Hungariſq; coniungitur. In eo multi ſunt Manichæi, qui etſi Chriſtiani videri volunt, longe tamen abſunt à Chriſti lege, blaſphemi homines, & erroribus pleni: aduerſus quos ſanctus Aurelius Auguſtinus librum ſcripſit. Raguſei, & Tripurienſes ad littus Adriatici maris iacentes vicini ſunt Boſnenſibus, quos Illyricam fuiſſe gentem non eſt ambiguum. Hos Croatini, qui & Dalmatæ ſunt Orientales, & Boreales habent. Sicut Romani quondam ſuos principes, vel Cæſares,

De variis legationib. orientaliũ, & perfidia Boſnenſium in prodenda Senderona.

vel Auguſtos vocauere, Aegypui, vel Pharaones, vel Ptolemæos: ita & Boſnenſes ſuos reges appellauerunt Stephanos: quorum qui legatos Mantuam miſit, vafer homo fuit, & inconſtantis animi. Is paulo ante ad Matthiam Hungariæ regem profectus interuentu Ioannis ſancti Angeli cardinalis Apoſtolici legati, fœdus cum eo inierat: multa in Turcas pollicitus, plura mentitus. Raſciani per id tempus Turcarum impetum ægreferebant: ob quam rem paſſus eſt Hungariæ rex, vt Sendorouiam oppidũ apprime munitum, & ad ripam Danubii ſitum, Stephani filius defendendum acciperet: qui paucis poſt menſibus quam intromiſſus eſt, accerſitis Turcis magno auri pondere oppidum vendidit. Quæ res non minus Hungarorum animos fregit, quam perdita olim Conſtantinopolis. Eſt enim Senderouia porta quædam ex Raſcia in Valachiam, ad bellum Hungaris inferendum opportuna: quo in loco multæ ſunt naues ad fluuium tranſeundum, & in alteram ripam deſcenſus facilis. Verum prius legati Boſnenſes ex Mantua receſſerunt, quam proditio innoteſceret, quæ ad legatos Hungaros primum delata eſt. Ii fuerunt epiſcopi duo Cenadienſis, & Segnienſis: & cum his Stephanus Croatiæ comes ab origine Romanus, Frangepania gente, quæ ſanctiſſimum olim Pontificem Gregorium produxit præſulum decus, ac norma: & Taruiſinus quidam doctor, cui poſtea Pius apud Dalmatas epiſcopatum commiſit.

Lex lata de contentione præſidentiæ, & epiſcoporũ aduerſus Protonotarios prælatione.

Cum iam legati regum, principumq; conuenire cœpiſſent, magna de ſedibus orta contentio eſt: nec reges regibus, nec duces ducibus cedere, locum ſibi quiſq; in conſeſſu primum arrogare verbis, nutibuſq; contendere: quod ne reb. gerendis officeret, Pontifex legem edidit, ne vel poſtpoſiti detrimentum, vel prælati lucrum honoris iuriſve aliquod ferrent: nec tamen hoc pacto pacari omnes potuere, ſicut poſtea dicemus. Nec ordo epiſcoporum conſuetudinem Romanæ curiæ animo ferebat æquo, quæ notarios Apoſtolicos anteponebat. Contra plurimi morem curiæ ſacram eſſe legem, & nullo mutandam pacto cenſebant, ſcandalum ingens futurum, & orbẽ quodammodo ruiturum affirmantes, ſi quid aduerſus notarios ſtatueretur. At Pius, altitudinẽ epiſcopalis eminentiæ animo voluens, qua nihil eſt in Eccleſia ſublimius, & quod ipſe Romanus Præſul Ieſu Chriſti vicarius, epiſcopi nomine contentatur, notarios corruptela quadam, non conſuetudine prælatos epiſcopis iudicauit: idque deinceps prohibuit, edita lege, quam totus ferme orbis collaudauit. Notarii etſi ambiendo contra niterentur, & multa in Præſulem probra iactarent, legem tamen vel inuiti receperunt.

De Maguntina vrbe, ac Dyetheri ſimoniaca electione.

Migrauerat ex hac luce Theodoricus archiepiſcopus Maguntinus, non multis ante diebus, indoctus homo: verum hac laude memorandus, quod in ſchiſmate Baſilienſis concilii Apoſtolicæ ſedis partes ſecutus eſt. Maguntia præclara vrbs eſt, ſiniſtram magni Rheni ripam obſidens è regione intrantis in eum Mogani amnis, a quo nomen accepit: olim Gallica fuit, nunc Germanica eſt: in ea diuitem eccleſiam veteres fundauere, cuius archiepiſcopus inter electores imperii primum obtinet locum. Suffraganeos habuit treſdecim, qui ab Italia vſq; in Saxoniã parochias protenderent: nã & curia in alpibus Lepontiis, & Hildeſemenſis ciuitas apud Saxones, Metropolitico iure, Maguntinæ ſubeſt eccleſiæ, cuius temporale imperium, inſtar ampliſſimi regni longe lateq; patet. Atq; idcirco vacantẽ multi ad eam aſpirauere potẽtes viri: quorum ardentiſſimus fuit Dyetherus Hiſemburgenſis nobili loco natus, quãuis nõ tam genere, quam perfidia, & ambitione inſignis. Hic cũ ſedente Caliſto Treuerẽſem eccleſiam, pro qua magnũ auri põdus offerens emere non potuiſſet, ad Maguntinã deinde cõuertit animũ, cuius erat canonicus: & cũ certo ſciret in capitulo per ſuffragia maioris partis electionẽ in ſe cadere nõ poſſe: quia difficilime corrũpitur multitudo, in paucos cõpromiſſum fieri ſtuduit: ſeptẽ viri nominati ſunt, hiſq; data poteſtas Põtificis eligendi, quorũ tres iampridem corrupti Dyetherum elegerunt: tres Adolphum Naſſaum genere, ac probitate illuſtrem, cuius maiores ad imperium aſcẽdiſsent; ſeptimum alium quendam nominauit: ſed tandem tribus millibus aureis inhiatus, ad Dyetherum acceſſit, qui mox electus eſt declaratus, & ad poſſeſſionem bonorum eccleſiæ malo exemplo receptus. Is legatos Mantuam miſit, ſuperbe & arroganter munus confirmationem petens. Pius qui rem geſtam ignoraret, conuentum, inquit, hoc in loco de rebus Chriſtianæ religionis agimus: acceſſimus Theodoricum

cum dum viueret archiepiſcopum qui magnæ Pontifex Eccleſiæ conſilio, & auxilio eſſet catholicæ fidei, quã Turcarũ impietas, ac feritas delere conatur: illo fatis functo veniat electus æquum eſt, quẽ è veſtigio confirmabimus. Legati febricitare Dyetherum dixere, & inopia laborare: longa eſſe itinera, & inſecura. Pontifex conualeſcentiam expectari poſſe reſpondit: paupertatem & viarum incommoda confutauit. Remiſſi & iterum miſſi oratores ſunt, vicit pietatem impietas, & manſuetudinem peruicacia: perſuaderi aduentus ad conuentum tantum, de tam ſancta re indictum Dyethero non potuit. Pontifex facta relatione per cardinalem ſancti Marci abſentem confirmauit ea lege adiecta, vt intra annum ſanctam ſedem apoſtolicam accedere teneretur: & ab ea viuendi normam recipere, idq; iureiurando affirmaret, quod per legatos poteſtatem habentes promiſſum & iuratum eſt, ſed vt poſtea ſuo loco dicemus, conficta fides, nec promiſſo facit ſatis, nec iuriſiurandi religioni.

Federicus imperator ad conuentum interea tris oratores legauit, Antonium Tergeſti epiſcopum, Ioannem Inderbachium Tridenti præpoſitum, & Henricum Senfleben decanum Vratiſlauienſem: qui licet viri præſtabiles eſſent, Pontifici accepti, & mandatum plenum attuliſſent, non tamen eam præ ſe auctoritatem ferebãt, quam tanti conuentus dignitas ac maieſtas expoſcere videbatur: ideoq; iuſſit Præſul Henricum cum hiſce mandatis ad imperatorem reuerti. Cœptus Mantuæ conuentus, de tutela religionis ſollicitus eſt aduerſus potentiſſimos hoſtes, quos perdere poſt Hungaros tua in primis intereſt. Pius Pontifex maximus relicto Eccleſiæ Romanæ regno eo ſe contulit: nec pericula, nec ſumptus horruit, dum reipublicæ bene conſulere poſſet. Spetauit te ſimul conuenturum, cum non plus itineris, quam ſibi faciundũ fuit. Tu neq; veniſti: neq; legatos tanta re, te ve dignos miſiſti. Qui hæc animaduertunt, aut te ſumptibus parcere per auaritiam putant, aut orthodoxæ fidei defenſionem contemnere, neq; te dignum exiſtimant, qui Chriſtianis imperes. Nam quo pacto protector, & aduocatus Eccleſiæ dici potes, qui non modo Eccleſiam deſeris, ſed ipſam quoq; religionem Chriſtianam & fidem negligis? Pio fortaſſe inuides, qui tibi honorem præripuerit, nec vis ob eam cauſam cum eo conuenire? erras: non tam honorem ſuum Pius, quam tuum quærit, qui te anima ſua chariorem habet. Degloria tua cogitat, atq; vt eam conſerues hortatur, vt ſecum de communi ſalute acturus conuenias. Si non potes: at ſaltem legatos illuſtri loco natos, & auctoritate præditos mittas: neque hac tua diſſimulatione, ſiue auaritia vocanda eſt, Eccleſiam Dei perire ſinas.

Legatio imperatoris nõ ſatis digna, & Pii ad eũ mandata.

Profecto cum his mandatis Henrico, Philippus Burgundiæ dux qui ſe venturum ad conuentũ ſcripſerat, & vnus omnium ardentiſſimus iudicabatur, qui Turcarum genus perdere cuperent, mutato conſilio domi remanere ſtatuit: non tã ſuo ingenio quã ſuorum ſuaſu, qui res in Gallia nouas ſuboriri verebantur. Succenſebat rex Franciæ Philippo, qui Ludouicũ Delphinũ Viennenſem primogenitũ ſuum ad ſe fugientem domi recepiſſet, neq; curaſſet patri reconciliare. Contra Philippus indigne agere regem aiebat, qui nonnulla in ducatu Lucembergenſi id eſt in imperii ditione oppida occupaſſet aduerſus antiquum fœdus, quod Frãciæ reges cũ Romanis imperatorib. apud Tullum percuſſere, in quo cautũ ſit, Imperator in regno Franciæ, rex in imperio ne dominatum ſibi vendicet, etiã ſi volentes aliqui ſeſe dedant: iniuſte regẽ agere, qui fœdus violet, & oppignoratum ſibi Lucemburgenſem ducatũ moleſtare audeat. Sic inter ſe rex duxq; mandata miſerant, neq; alter alteri cedebat. Augebantur indies querelæ: & ſimultates in aperta euaſerant odia. Quibus ex rebus inconſulte agere ducem ſuum Burgundi exiſtimabant, ſi domo abſcederet: & alii inſidias in itinere timendas aiebant, alii ſeni non eſſe laborem ſubeundum, alii Italicum cælum & æſtiuum ardorem timendum, alii alias viarum incommoditates obiiciebant. Victus Philippus cum remanere in patria decreuiſſet, Ioannem ducem Cliuenſem ſororis ſuæ filium mittendum cenſuit, & Ioannem Croium, qui multorum præliorum victor tota Gallia clariſſimus habebatur. Tum plures equites, & alios diuini & humani iuris interpretes famæ celebris: quibus adiunctus eſt Ioannes epiſcopus Atrebas apud Pontificem referendariũ agens, litterarũ ferme omnium doctrina præditus. Iter Cliuenſi ex curia Philippi recedenti, per Flandriam, Picardiam, &

Philippi ducis Burgũdię mutatũ propoſitum, legatioq́; eius ſplendidiſſima.

Pariſios,& reliquam Galliam,ac Sabaudiam fuit. Videtũt Franci ſplendidam legationem, qualem antea nunquam: adeuntesq; regem maiora de magnis referebant. Laudare Burgundum,qui rem fidei curæ haberet,augnere Francum, qui negligeret Pontificem magnis de rebus concilium indixiſſe,eoque Roma relicta ſenem veniſſe:nec eſſe regiæ dignitatis tanto in conuentu deeſſe. Quibus clamoribus excitatus Carolus,& ipſe magnam & claram legationem decreuit. Cliuenſis, & qui eum ſequebantur per Sabaudiam, & montem Iouis, qui hodie ſancti Bernardi melius appellatur,Auguſtam prætoriam petiit,& per Hyporegiam, Vercellas,& Nouariã Mediolanum venit Inſubrium caput.Quo in loco nonnullis immotatus diebus,à Franciſco duce ſummis honorib. e mulatus eſt:deinde per Laudam, & Cremonam iter ad conuentum habuit.Quæſitum eſt in ſenatu intranti quis honor impendendus eſſet.Pontifex duos cardinales è collegio mittendos cenſuit.illi ſuæ dignitatis amantes indignum eſſe aiebant,atq; inſolitum minori dignitati maiorem occurrere. Cardinales pares regibus haberi:vileſcere ſi duci obuiam mitterentur. Pontifex de dignitate cardinalium nihil aduerſari,quæ pontificali proxima eſſet:nihil tamen ei deperire,ſi ducem venientem paulo extra vrbem exciperent. Vidiſſe ſe Cæſarem,qui non eſſet cardinalibus minor,ſæpe ducibus,ac marchionib.ad ſe venientibus occurriſſe: Cliuenſem ex vltimis Galliarum finibus, atq; ab Oceani littore iuſſione apoſtolica Mantuam petere:non parem eſſe cauſam eorum qui priuata, & eorum qui publica curant negotia,Romanum Pontificem adeunt:tribuendum plus aliquid honoris his qui dicto parentes fidem catholicam defenſuri accedunt : fugiendam arrogantiam cunctis odioſam:humilitati,quam nemo non laudat inſeruiendum. Vicit Pontificis ſententia duobus cardinalibus electis,qui duci occurrerent,Latino Vrſino, & Proſpero Columnenſi:quod reliquum fuit curiæ ad honorandum legationem his adiũctum.Exceptus eſt ſummo honore Cliuenſis dux,cunctis admirantibus & hominũ maieſtatem,& ornatum externum,procerum,ac doctorum.

Oratio Burgundorum, & Pii reſpõſum.

Sequenti die conſiſtorium publicum habitum eſt:vbi epiſcopus Attrebas, ſedente in maieſtate Pio,orationem habuit,in qua & Præſulis propoſitum de tuenda religione,& deſiderium Philippi,& legationis dignitatem,& genus ſui principis, & vetuſta nouaq; Burgundorum geſta magnifice collaudauit:& cur Philippus ipſe ad conuentum non aduentaſſet,expoſuit: poſtremo facturum illum cuncta profeſſus eſt,quæ pro tutela Chriſtiani nominis expectari ab eo poſſent. Auditus eſt cupide & attente omni concione Philippi animũ laudante. Pontifex è ſublimi throno reſpondens,clariſſimum Philippi genus ignorare neminem,inquit, in quo Burgundionũ, Francorumq; ſanguis eluceſceret,& vtramq; gentem extendiſſe factis famam: quãuis non egeret Philippus amicorum imaginibus,qui virtute propria ſuam illuſtraret ætatem:audiſſe ſe illum iam ſæpe cum eo miſcente ſermones apud Baioarios in Ratisbona intellexiſſe ex eo tempore quo animo eſſet in Turcas,qua fide ferueret,quo zelo teneretur tuendæ atq; ampliandæ religionis:non eſſe mutatam mentem:quantum legatio eius affirmaret ſtare propoſitum, votumque principis vtinam veniſſet quẽadmodum ſpem dederat:cognouiſſet profecto quanti fieret apud Apoſtolicam ſedem. At retentum domi nouarum metu rerũ venia dignum fore: & præſertim tot viris excellentibus,qui ſuam vicem agerent emiſſis. Collaudauit & Cliuenſem ducem, qui longiſſimo & laborioſiſſimo itinere ad eum conuentum ſe contuliſſet,in quo de ſeruanda religione agendũ eſſet,quã Turcæ paſſim dilaniarent:feciſſe enim quod ſuum erat:atq; vt principem Chriſtianũ, quæ ſunt digna principe procuraſſe. Quod ſi reliqui pari ſtudio tenerentur,neq; Chriſtianis inſultarent Turcæ, neq; ſepulchrum Domini Saraceni cuſtodirent:facturũ fortaſſe Dominum miſericordiam cum populo ſuo:& exemplo Philippi ducis,atq; Cliuenſis,Chriſtianos alios cõmoturum:mendaceſq; redditurum qui Mantuanum contemnentes concilium, cuncta quæ fierent in eo deriſoriis verbis extenuarent :reliqua in alios dies reſeruanda eſſe: atq; his dictis concio ſoluta eſt.Cardinalis Eduenſis ducem Cliuenſem ad hoſpitiũ vſq; ſuum,honoris cauſa ſecutus.

De diſcordia Cliuenſis ducis cum

Huic duci multa odia,& plura fuerunt prælia aduerſus Theodoricum antiſtitem Colonienſem,cauſa belli Suſatum magni nominis oppidũ,quod ab Eccl. Colonienſi

Colonienſi præſule Suſatenſium & Xantenſium cauſa.

nienſi deficiens dux tũtandum recepit. Suſatum in Veſtfalia ſitum eſt, lata & nõ ignobili terra: in qua latrones facili' quam ſtultos inuenias. Iacet Veſtfalia inter Rhenum, & Viſurgim amnẽ: eam interſecat Amaſia fluuius, qui ex montibus oritur, quos Anobos Claudius Ptolemæus appellat, & Veſtfaliã ab Haſſia diſiungunt. Ex hac olim prouincia Longobardos exiſſe cõpertum habemus: qui peragrata Germania in Panoniam migrauere: & deniq; vocatu Narſetis Iuſtiniani Cæſaris eunuchi Italiam inuaſere, à quibus in hanc vſq; diem Longobardia nomen habet, quæ olim Gallia Ciſalpina dicta eſt. Traiectenſium agri, & ſtagnantes terræ Veſtfaliam ad Septentrionis oram concludunt. Habet Veſtfalia nomen ducatus, qui ad eccleſiam Colonienſem iure feudi pertinet, vbi nunc Suſatum eſt. Pauper quondam villa fuit, quam annos ſupra ſexcentos Colonienſis emit epiſcopus: & cum diu poſtea confluente populo mirum in modum coaluiſſet, ſucceſſores cinxere mœnibus, & ad ius oppidi reduxere. Quod cum aliquoties rebellaſſet, armis euictum eſt, & ad obediẽtiam redactum. Verum ſub Theodorico præſule grauior rebellio facta: propter quam nõ paruo tẽpore in curia Federici Cæſaris litigatum eſt: ſed cum damnati Suſatenſes iudicia eluderent, Theodoricus ad arma recurrit: vocatiſq; in auxilium Bohemis & maximis copiis cõgregatis, Suſatenſem agrum ferro & igne vaſtauit, ipſamq; vrbẽ duriſſima cinxit obſidione: illi ad Cliuenſem ducem defecere, cuius paulo ante fecimus mentionem. Cliuenſe oppidum in Belgia ſitum eſt, populo plenum & nobile. Sigiſmundus imperator Ducalem in eo dignitatem erexit, cum eſſet antea Comitat': agrum habet nõ admodum latum, verum diues & frugum ferax. Inſula Rheni duci paret, quam Batavi quõdã incoluerant. Viri bellicoſi atq; adeo robuſti, vt armati Rhenum tranarent. Ex his Cliuenſis militem legit: obſeſſiſq; Suſatenſib. auxilio miſit. Coloniẽſis, etſi omni tormentorum genere aggreſſus eſt oppidum, atq; admotis ſcalis muri partẽ aſcẽdit, expugnare tamen nõ potuit, oppidanis cũ præſidio ducis ſumma vi reſiſtentib'. Diu ducta obſidio eſt, & multi mortales periere. Cliuenſis vt à Suſato cladẽ auerteret, in Colonienſis eccleſiæ ſubditos duxit, Theodoricus ab obſidione recedens in Cliuenſem agrum ſe conuertit, atq; alter alterius incendit agros. Suſatenſe oppidum eſt nõ procul à Cliuis, cuius pars altera ad eccleſiã Colonienſem ſpectat, ad ducem altera: in eo nobile fanum habetur Helenę Cõſtantini matris opus, cui' prępoſiturã Pius obtinuit cũ cardinalis eſſet: ad Põtificatum aſſumptus, nepoti reliquit. Hoc oppidum Cliuẽſis iure belli ad ſe totum traxit: Colonienſis pleraq; alia, quæ Cliuenſis erant, armis euicta in deditionẽ accepit: exarſitq; bellum atrox, quod magno partium detrimento tãdiu ductũ eſt, donec Nicolaus Põtifex maximus, miſſis legatis arma deponi iuſſit. Nicolaus S. Petri, & Ioannes S. Angeli cardinales pacem in hunc modum cõpoſuere. Arma vterq; ponito: captiuos dimittito: occupata ſeruato, donec cauſa cognita, Nicola' cum conſilio Philippi Burgundiæ ducis litem dirimat. Agitata eſt cauſa longo tempore: teſtes in partib. auditi: dicta eorum ad curiam miſſa: conſilium Philippi habitũ: nunquam tamen viuente Nicolao ſententia ferri potuit: tot fuerunt interceſſores, qui iuſtitiæ curſum impedirent: neq; ſub Caliſto tertio iudicio locus fuit. Apud Pium cum legati Colonienſes adminiſtrari ſibi iuſtitiã petiuiſſent. nõ cenſuit Põtifex relinquenda eſſe nobilis eccleſiæ iura: ſed admonendos Suſatenſes, ac Santenſes, vt ad dominum ſuum aliquando redirent. Illi ſcriptis apoſtolicis, & quę comminabantur plane cognitis, Cliuenſem adeunt: parumq; ſibi fuiſſe dicunt materiali gladio viciſſe, ſi ſpirituali mucrone feriantur: vereri ſe apoſtolicum anathema: nec ſacris carere poſſe, quibus interdicturus eſſet Pontifex, niſi ad priorem dominum redirent. Commotus his Cliuenſis cum Mãtuam petiuiſſet, nihil de republica tractare voluit, prius quam rei ſuæ conſuleret: iniuriatum ſibi Pontificem aſſerens, qui & ſi apoſtolicis litteris pollicitus fuiſſet aduerſus ſe prius quam vocaretur nihil acturum, nihilominus non vocato eo, Suſatenſes ac Santenſes redire ad Colonienſem eccleſiam ſub cenſuris grauioribus commonuiſſet. Pontifex ſeruatum eſſe promiſſum ait. Non enim Cliuenſes, aut ei ſubiectos monitorio comprehendi, ſed Suſatenſes atq; Santenſes, quos ad Colonienſem eccleſiã pertinere exploratiſſimum eſſet: ipſum præterea monitorium vim vocationis habere. Cliuenſis contra, hos ſuos eſſe ſubditos cõtendere, qui iuſto bello in ſua iura veniſſent: inſtare, vrgere, vt monitorium tolleretur: niſi

hoc impetraret, abiturum ſe retro dicere: nec de re fidei quicquam acturum. Superba ducis verba, & aliena videri, quæ prodirent ex ore nobilis principis. Aderant & legati à Colonienſi antiſtite miſſi, viri præſtantes, quorum princeps fuit Robertus nobilis comes Firnemburgenſis, vir forma egregia, & moribus prudentiaque ſingularis, nondum quinque & viginti natus annos. Qui poſtea cum domum rediret, magno ſuorum damno, & Theoderici maiori mœſtitia non longe à Baſilea diem obiit. Hic multa de iure Colonienſis eccleſiæ in medium adduxit: Cliuenſem peruerſe atque inique agere, qui cum eſſet eccleſiæ vaſallus, & inter parochiam natus, aduerſus matrem, & dominam ſuam arma ſumpſiſſet, neq; imperio paruiſſet, neque Deum veritus fuiſſet: pœnas eum incidiſſe, quæ aduerſus fellones & dominorum ſuorum proditores ſtatutæ ſunt: egregias ſuas virtutes nunc apparere, qui miſſus ad reſpublicas, priuatas agitat: faciendum ergo quod petiit: iudicium in eum de priuata cauſa reddendum, id Colonienſi antiſtiti grauiſſimũ eſſe, æquitatis & iuſtitiæ cupido. Põtifex cõcordiam, atque iuſtitiam Cliuenſi propoſuit, vtrum vellet. Ille plane intelligens nec vno, nec altero modo ſe tutum eſſe, Piumque omnia facturum quæ vellet, antequam ſe rebus, ad quas venerat infectis, dimitteret: vtrumque negauit. Erat in eo inſtituta res, vt vel iuſtitiæ partes ad tempus negligere oporteret, vel conuentum abſque fructu diſſoluere. Siquidem retrocedente per indignationem Cliuenſi, nec Veneti, nec alii multi ad cõcilium venturi erant: eã occaſionem, per quam domi honeſte remanerent, cupide arripientes. Anxius Præſul, atq; incertus quid ageret, etſi grauiſſime ferebat ius poſtulanti negare, non tamẽ adeo periculoſum exiſtimauit iudicium ſuſpendere, quam fidẽ catholicam indefenſam relinquere. Conſueuerunt enim Romani præſules, vbi iuſtitia ſine publico ſcandalo miniſtrari non poteſt, tam diu diſſimulare, donec temporis opportunitatem capiant: neque id legum conditores vetant: ſemper enim maiori malo eſt occurrendum. Reuocauit igitur monitorium, Cliuenſi vt morem gereret, promittens Colonienſibus id denuo cõceſſurum, poſtquã fidei negotia ſuum curſum accepiſſent: idq; Atrebas epiſcopus clam ſuis Pio ſuaſit. Quibus peractis ad publica tranſitum eſt.

Mandata Burgundi, & Pii confutatio eorum.

Interrogati Cliuenſis atq; collegæ quid conſilii, quidve auxilii Philippus afferret, ſe miſſos à ſuo principe dixere, vt audirent Pontificis mentem: ex in cogitata Philippo referrent. Rurſus dicere iuſſi, Philippi ſæpenumero inter amicos de propoſito Pontificis cogitaſſe affirmauerunt: quod quamuis ſanctum eſſet, difficile tamen & pene impoſſibile videretur. Gerendum enim in Turcas bellum maximas vires expoſcere, qui victoria in multos annos potiti, auctoritate famaq; ipſa apud Chriſtianos terrori eſſent. Maiores quoties in oriẽtales duxere, ex Gallia, Germania, & Anglia copias quæſiuiſſe: has prouincias, aut domeſticis agitari diſcordiis, & ciuilia inter ſe arma vertiſſe, aut cum finitimis de agri poſſeſſione certare: pacandas prius eſſe: bellum deinde Turcis indicendum: male in exteros ferrum ſtringere, qui domi cum ſuis ciuibus contenderent: Philippum vt concordibus principum animis bellum decernatur, ea facturum, quæ Pontifex iuſſerit. Pius ad hæc non ſe ignorare ait ad ſuperandos Turcas magnis viribus opus eſſe, atque idcirco euocatos ad concilium Chriſtianos reges, vt communib. auxiliis expeditio fiat. Valere Turcas & armis, & ingenio, aliquanto tamẽ minus, quam fama ferret, qui cum vna Hungarorum gente per annos ſeptuaginta varia victoria contenderint, claritatem adeptos, Græcorum ignauia, quos inermes atque effeminatos vicerint. Quod ſi Germanorum, Gallorum, Italorum, aut Hiſpanorum arma tentauerint, cum viris ſibi pugnandum intellecturos: pudere ſe tam fœdam gentem Chriſtianis eſſe timori, qui omnibus olim timorem incuſſiſſent: ſalubre conſilium Philippi, qui componendas eas cẽſeret regiones, ex quibus eſſent legẽdi milites: fateri quod diceretur, raras in orientem pro tutela religionis expeditiones ſine Francis ductas: propriumq; Francorũ videri bellare pro fide: daturum ſe operam, vt lites inter Francos, & Anglos componantur: ac Germanorum quieti cõſulturum. Verum hęc lõgum expoſcere tempus: mittendos legatos, vocandos ad communem locum diſſidentes ex longinquis regionibus: tractandum, ſuadendum, artibus diuerſis vtendum. Nam quo pacto diebus paucis multorum annorũ tollerẽtur odia? Interea Hungaros propemodum exhauſtos bello perituros: his Turcas im-

minere:

minere:neq; dubium quin proxima æſtate omni conatu in eos ducant: iam Raſcianos ſentire cum eis,& Boſnenſium defectione Sinderouiam occupatam: qua copiæ per Danubium facile traiiciantur. Si cedat Hungaria Turcis,& in Germaniam,& in Italiam patere illis apertam ianuam, vireſq; pene adduplicari: nec ambigẽdum, quin Hungaria reliquis deſerti Chriſtianis aut deleantur, aut ſocietatem cum hoſte iungãt: vtrumq; pernicioſum. Ponenda ante oculos exempla veterum Hunnorum, Gothorum, Longobardorum, aliorumq; Barbarorum innumerabiles fere irruptiones per Pannoniã quæ nunc appellatur Hungaria, ſæpenumero in Italiam ac Germaniã factas, quæ deinde ad Gallias, atque Hiſpanias penetrarunt: cauendum ne hac tempeſtate idem fiat: quando certiſſimum ſit, Turcas ad occidentis imperium aſpirare, occurrendum eſſe dum vinci poſſunt: & antequam Hungaros ſibi ſubiiciant: neque tanti faciendos, vt inſuperabiles videantur: occidiſſe apud Albam triẽnio ante ipſorum exercitum, Chriſtianorumq; impetum ferre non potuiſſe: cum tamen armati aduerſus inermes,& multi aduerſus paucos cruce ſignatos præliarentur: virtutẽ Chriſtianam ſemper Turcis fuiſſe formidini: neq; vnquã ſuccubuiſſe, niſi aut fraude deceptam, aut vincendo defatigatam nimia multitudine circumuentam, aut Domino Deo noſtro ſuper noſtris iniquitatibus indignato. Quod ſi comparentur vires, non ſolum Chriſtianitatem, quæ tot latiſſimis prouinciis continetur, ſed Italiam ſolam, ſi concors fuerit, ad delendos Turcas ſufficere. Nihil tam illis prodeſſe, quam Chriſtianorum inter ſe odia, qui ſe inuicem laceſſentes priuatas potius iniurias, quã publicas vleiſcerentur: & domeſticos fidei acrius quam hoſtes perſequerentur: neq; iam hoc tempore ſperandum vel Francos, vel Theutonicos, aut alios collectis copiis expeditionem in Turcas ducere, qualem, aut Gotfredus, aut Corradus, aut alii cõplures in hoſtes fidei duxere: quãdo nemo regum inueniatur, qui nõ vicinum, & relinquere vacuam domum timeat. Quæ quãuis ita ſe haberent, non tamen de communi ſalute deſperandum, neque ſociis auxilia deneganda: patere viam, qua poſſit Hungaris ſubueniri, modo principes velint: conãdum eſſe ſummo ſtudio, vt diſſidẽtes inter ſe reges, miſſis legationibus, in pacem coeant; eoq; facto generalis expeditio decernatur: interea, cum id longum eſſet, Hungaris auxilia mittenda ex milite, qui æquali contributione facta deligeretur. Neque enim aut Burgundo, aut Franco, aut Anglo timendum, hoſte ſuo, æque atque ipſo conferente: neque vt ipſi, & alii multi exiſtimarent, ducenta aut tercenta armatorum millia ad id operis neceſſaria. Nã qui res Turcarum noſcerent, non amplius quàm pugnatorum, aut quinquaginta, aut ad ſummum ſexaginta millia cogenda dicerent: maiores copias, neque regi, neque ali facile poſſe, neque in acie explicari. Hunc numerum Chriſtiano populo non eſſe magnum, citoq; colligẽdum, ſi quælibet prouincia vel paucos milites daret. Poſſent & reges aurum conferre, quo milites ex Hungaria, Theutonia, Bohemia, ac Polonia conducerentur: qui duce legato Apoſtolico,& Hungariam tueatur, & proximas prouincias, donec viribus vnitis, ſi tandẽ placuerit, maiores parentur exercitus. Niſi horum alterum fiat, verendum ne amiſſa Hungaria Chriſtiana res peſſundetur. Debere Philippum hæc animo voluere, qui quãto potentior eſſet, tanto ſeruire Deo magis ac magis teneretur: bellum Turcarum ſibi hæreditarium eſſe, cuius pater ab illis in prælio captus, non niſi auri magno pondere libertatem obtinuerit: meminiſſe ſui voti debere, qui audita Conſtantinopolitana clade, ducere in Turcas Deo promiſerit: niſi voto ſatisfecerit, vltionem ei diuinam imminere.

Attenti hæc audiere legati: & quamuis eſſent nonnulli eorum rei militaris peritiſſimi, ac facundia valerent, nihil tamen aduerſari Præſulis orationi ſunt auſi: dixerunt pauca in excuſationem principis, qui non per ſe ſolum ducere in Turcas vouiſſet, ſed conditione adiecta, ſi vel rex Franciæ, vel Imperator, vel alius princeps, ſe non inferior in eam expeditionem proficiſceretur: nullum adhuc inuentum qui ſe offerret, quamuis Alfonſi duo, alter Aragonum rex, alter Portugalliæ, ſignum crucis corde impreſſerint, & veſti conſuerint. Pontifex aliter cum Deo agendum, quàm cum hominibus, ait: cogitandum Philippo eſſe, quantis à Deo donis cumulatus eſſet, qui tot ditiſſimis prouinciis imperaret: tot deliciis afflueret, tandiu valetudine inoffenſa frueretur, qui filium haberet, quem relinqueret ſucceſſorem: qui vnus inter

Burgundi oblatio, & Cimenſis agratatio.

Chriſtianos principes feliciſſimus exiſtimaretur: niſi Deo, à quo acceperit, gratum ſe
redderet, non alia erga ſe diuinam pietatem expectaret, quoniam ipſe in eos eſſet,
quos pro receptis beneficiis offenderet ingratos Multa ſuper his & legati ſimul, &
Pontifex locuti ſunt: fruſtraq; non pauci dies inter tractandum abiere. Nec proficit
cardinales adhibuiſſe: nihil enim ex legatis haberi potuit, niſi poſtquam ſemel, atq;
iterum ſoli cum Pōtifice verba fecerunt. Tunc enim demum victi ſunt: promiſeruntque
Philippum, quando Pontificis nomine requireretur, miſſurum in Hungariam,
aut ibi ſuo ære cōductūrum equitum duo millia, peditum bis totidem, qui tandiu cōtra
Turcas militarent, quandiu reliquus Chriſtianorum exercitus in bello perſeueraret.
Hac promiſſione facta, mox Cliuenſis de regreſſu agere cœpit. Præſul eum tā- 1
diu immorari cupiebat, donec Mediolani, & Mutinæ duces aduentarent, qui propediem
affuturi credebantur. Manſit ea de cauſa Cliuenſis, plus quàm ſtatuiſſet, diebus
octo: ſed cum alter illorum Borſius promiſſa reuocaret, alter differret, impetrata Præ-
ſulis poteſtate receſſit. Difficilis eſt magnorum conuentio principum, qui neque
ſe amant, neque inuicem cedunt: rara inter potentes concordia, rarior fides: nihil tutum
relinquit inuidia. Abiit Cliuenſis paululum ægrotans: Ioannes Croius grauiſſimas
perpeſſus febres, mortis filius à medicis iudicatus eſt; quorum conſilia ſpernēs,
ſalutem recuperauit: graui enim æſtu laborans attenuatis viribus itineri ſe commiſit:
& paucos intra dies curru vectus priſtinæ valetudini reſtitutus eſt. Manſerunt nihil-
ominus ex Philippi legatis aliqui vſq; ad finem: duo ad Imperatorem profecti ſunt. 2

De Francisco Sfortia eius origine & rebus gestis, ac gloria rei bellicæ singulari.

Paucis poſt diebus Franciſcus Mediolanenſium dux affuit, belli domique cla-
rus. Sfortias Attendolus pater eius fuit apud villam, cui Cotiniola nomen eſt, in Æ-
milia tenui cenſu, & mediocrib. parentibus ortus: qui paterna rura relinquēs in mili-
tiam profectus ad Brolium Brandulinum Foroliuienſem egregium ſui temporis co-
piarum ducem, ſe contulit. At cum equis & armis careret, ſordida mulionis arte pri-
ma ſtipendia meruit: & paulo poſt inter Calones receptus, cum egregiam in quodam
certamine nauaſſet operam, equeſtri militia ornatus eſt. Erat præſtanti corpore vita
militari facundia præditus, manu promptus, præſenti animo, atque ingenio verſati-
li: qui cum excelleret inter equites ætatis ſuæ, multaq; rei militaris inſignia edidiſ-
ſet facinora, Brolio mortuo non paucis copiis præfectus eſt. Prima eius incrementa 3
apud marchionem Eſtenſem fuerunt, cum Ottonem Parmenſem, clarum in armis
ducē dolo captum apud Riueriā interfeciſſet, de qua re celebre carmen extat, quod
in hanc vſque diem vulgo cantatur. Militauit & in regno Siciliæ ſub regina Ioanna,
aduerſus Alfonſum regem, Troiamque, & alias nonnullas ciuitates in Apulia te-
nuit. Martino quoq; Pontifici maximo ſtipendia fecit, Vexillifer Eccleſiæ declara-
tus: ſed cum Braccium Peruſinum Romani Pontificis, ac reginæ Ioannę hoſtem per-
ſequitur, in flumine, quod Piſcariam vocant, periclitanti puero opem ferens, ſub-
merſus eſt: cadauer eius nuſquam repertum. Adoleſcens Franciſcus eius filius in ca-
ſtris agens, magna indole mox paterni exercitus concordi militum voto ducatum
accepit. Ferunt ex cōcubina natum, Sfortiamq; ſæpe dicere ſolitum: Franciſcus, ſi vi- 4
xerit & virtutem, & dignitatem meam ſuperabit. Occupauerat per id tempus Brac-
cius Peruſinus patriam ſuam, Aſſiſium, Tuderium, multaſq; ciuitates Eccleſiæ Ro-
manæ ademerat: & Aprutiorū caput Aquilā magnis copiis obſeſſam tenebat, breuiq;
potiturus vrbe, & infeſtis ſignis, Romā petiturus ferebatur. Quod veritus Martinus
Pōtifex, conducto milite, obſeſſis opem ferendā cenſuit. Dux copiarum Franciſcus
deſignatus eſt, vix quattuor & viginti natus annos. Cōmiſſo prælio diu Marte dubio
pugnatum: ad extremum cum cedere ſuos Braccius animaduerteret, ex pugna dila-
pſus fuga ſalutem quærere coactus eſt: ſed cognitus à ſuis ciuibus, qui patria eiecti Ec-
cleſiæ militabant, ex fuga retractus ad Franciſcum victorem in caſtra relatus, ex vul-
nere, quod fugiendo acceperat, mortem obiit. Cadauer eius Romam vectum apud 5
ſanctum Laurentium extra muros Vrbis, in agro ſepulturā obtinuit: quamuis paulo
poſt Eugenio permittente in patriam fuerit translatum. Creuit hac victoria mirum
in modū Franciſci nomē: qui à Philippo Mediolanēſium duce vocatus, diu ſibi ad-
uerſus Venetos militauit: & Blancam eius filiam, vt ſibi deſponderetur, obtinuit quā
cum ducere pro ſuo arbitrio non poſſet, (nam Philippus id matrimonium
in dies

in dies ſuſpendebat)ab eo tandem defecit. Erant eo tempore Florentini ſimul & Veneti fœdere coniuncti. Philippus vtroſque armis vrgebat. Reſtauerat ex Braccio proles nomine Oddo, qui ad Florentinos defuncto patre confugerat: eorumque ſtipendia merebatur. At cum per ætatem exercitum gubernare non poſſet; Nicolaus Picininus, qui patris commilito fuerat, eius copias regebat. Is aduerſus Philippi duces in vallem, quam vocant Amonis, miſſus, prælio fuſus, ab agreſtibus terræ occiſus eſt. Nicolaus captus, & Fauentiam ductus, ciuitatis regulum, vt Florentinorum partes adiuuaret, perſuaſit. Verum ipſe non diu poſt ad Philippum defecit. Non ferebant ſe duo duces inimicarum gentium: iam enim factiones duæ clariſſimorum tota Italia militum emerſerant: alii Sfortiani, alii Bracciani vocabantur, & magnis inter ſe odiis diſſidebant. Itaque non tulit Franciſcus ſub eo principe militare, qui æmulum ad ſe traxiſſet: & deſponſam ſibi filiam retentando negaret. Quærebat abeundi occaſiones. Exortum iam erat inter Baſilienſe concilium, & Pontificem Eugenium grande diſſidium.

De bello Philippi ducis Mediolani, aduerſus Eccleſiam, & Venetos, & eius morte.

Philippus Eugenio infenſus, qui ſuperiori bello Venetorum partes iuuiſſet, concilio adhæſit, miſſo Franciſco, qui Picenſem agrum inuaderet, ac concilii nomine poſſideret: neq; ſic Pōtificem ſatis vltus, paulo poſt Picininum ire iuſſit, qui pari modo reliquum Eccleſiæ patrimonium laceraret. Ingens tum motus Eccleſiæ terras inuoluit, Franciſco Picenum, Nicolao Vmbriam vexante. Eugenius paulo ante ciuili tumultu Romæ captus, pleriſque diebus apud eccleſiam beatæ Mariæ Transtiberim cuſtoditus, tandem clam fugerat, & Florentiæ ſeſe receperat. Cumq; nullo a Venetis auxilio iuuaretur: (nam populi fere omnes calamitoſos oderunt) victo apud Anglarium Picinino è Florentia Senas conceſſit: & reconciliatus Philippo fœdus cum eo percuſſit. Alfonſi quoque, qui regnum Siciliæ armis obtinuiſſet, ſocietatem quæſiuit: quibus adiutoribus & Picininum ad ſe traxit & Franciſcum magna Piceni parte exuit, quamuis à Venetis Florentiniſq; obnixe iuuaretur, ad quos iādudum relicto Philippo defecerat: & oppida, quæ alieno nomine peruaſerat, in proprietatē ſuā receperat. Multa Frāciſcus in Picenu rei militaris facinora egregia edidit, Picininūq; prælio fudit. Tandē Alfonſi armis inuaſus perpauca retinuit. Venetus aduerſus Philippum in Gallia militans ſocerum magnis afflixit cladibus, coniugem extorſit Blancam Mariam, & dotalem Cremonam, inuitoq; patre inuaſit: ſed cum denuo bellum ſuſcitaretur, vocatus in auxilium, periclitanti ſocero non potuit opem negare.

Franciſcus Mediolanū in deditionē recipit, cæſo legato Venetorum.

Laborabat Philippus, & ægre admodū defendebatur: ac modo Alfonſi regis, modo Federici Imperatoris, & aliquando Gallorū implorabat auxilia, neſcius quid potiſſimum ageret. Nā Veneti ad duodecimum lapidē prope Mediolanū caſtra locauerant: prædabundiq; adeo prope vrbē excurrebant, vt clangor tubarum intra mœnia exaudiretur. Feſtinabat Franciſcus ex Piceno ſuppetias afferre: ſed Philippus morbo ſimul & mœrore confectus prius obiit, quàm ille veniret, Alfonſo herede inſtituto. Mediolanenſes vero tanquā tyranno priuati in libertatem ſe vendicarunt: venietiq; cum copiis Franciſco ſtipem dedere, atque aduerſus Venetos arma cepere, qui tum Placentiam per deditionem acceperant. Comani, Laudenſes, Nouarienſes, Therdonenſes, in fide Mediolanenſium manſere: plerique ad Sabaudienſes, pleriq; ad Francos defecere. Papienſes Franciſco ſe dederunt, qui benigne eos complexus eſt, Mediolanenſibus etiam inuitis: deinde Placētiam magno Venetorum præſidio munitā vi cœpit, in qua expugnatione ictu lapidis tormentalis equus ſub eo interfectus eſt. Franci, qui audita morte Philippi manum militarem in Italiam miſerant, Mediolanum, atq; omnē Inſubriā inuaſuri, virtute Bartholomæi Colleonis apud Alexandriam deleti ſunt. Veneti quibus fortuna Mediolanenſium ſuſpecta eſſet, Franciſco ſuadent rem ſuam potius, quam alienam agat. Mediolanum ſibi acquirat, ad quā rem inito fœdere auxilia pollicentur. Franciſcus occaſionibus longe quæſitis, aduerſus Mediolanenſes arma conuertit, eoſq; dura obſidione cinxit. Illi ad Venetos confugiunt, qui mutato conſilio, tanquam Italiæ pacis arbitri, huiuſmodi leges dicunt. Mediolanenſes liberi ſunto, ac ſuis legibus vtuntor: ciuitateſq; quibus imperant, retinento. Franciſcus Papia, Cremona, Placentiaq; contentus eſto: Florentini, Mediolanenſes, Franciſcuſq; præſcriptas equitum, peditumq; copias non excedunto. Verum

neque Franciſcus,neq; Florentini ratas leges habuere. Franciſcus,etſi graue duceret cum Venetis ſimul ac Mediolanenſibus contendere,dubium tamen belli euentum experiri maluit,quam eam complecti pacem,quæ manifeſtam ſibi perniciem pararet. Florentini clam eum adiuuere pecunia omni exutum: veriti ne Venetus Mediolano potitus Italiam omnem inuaderet,qui dum ſimulat Mediolanenſibus aduerſus Franciſcum opem afferre,eos ſuæ ditioni ſubiicere quærit. Sed Venetus dum Mediolanenſi populo commeatus inopia circumuenteus frumentum parce miniſtrat; impatiens ieiunii plebs,& rerum nouarum cupida;Leonardum Venerium legatum Venetum Marci filium clariſſimum virum,per indignationem crudeliter obtruncat: ac Franciſcum intra vrbem recipiens dominum,ac ducem,vt ante diximus, appellat. Magna hæc Franciſci laus,qui relictus à Venetis,tantam belli molem ſuſtinuit,atq; illis contra nitentibus,nobiliſſimæ vrbis imperio potitus eſt.

Bellum Alfonſi,& Venetorum contra Franciſcum,& Florentinos & eorum concordia.

Exin Veneti cum rege Alfonſo ſocietatem inierunt,vt ille Florentinos adoriretur, ipſi Franciſcum opprimerent,Braccianis in militiam receptis indicto bello leues ſæpe congreſſus habiti ſunt:nunquam totis viribus certatum. Franciſcus ſuæ virtuti innixus caſtra contulit caſtris; neq; vnquam hoſti ceſſit: Renato rege in auxilium accerſito,& Mantuano principe ſuas partes tuente; Alfonſus quamuis in Tuſciam duxiſſet,& in agro Volaterano caſtella quædam expugnaſſet, parum tamen Florentinis nocuit,à Sigiſmundo Malateſta,vt dictum eſt,deceptus. Obſedit Populinum in littore maris inferi: quod cum expugnare non poſſet, non ſine dedecore domum abiit:deinde remiſſo filio Morando bellum trahebat. Quo factum eſt,vt Veneti,cum hinc Turcarum arma,inde Franciſci inſtarent,pacem cum Turcis, quam ſupra retulimus,& cum Franciſco Sfortia eodem fere tempore conſtituerint. Pax Laude clam tractata eſt, arbitro Simonetto boni nominis eremita Auguſtiniano: atq; ita confirmatum Franciſco regnum,cum paulo poſt & Alfonſus,& omnis Italia cum eo fœdus percuſſerit,& ipſe affinitatem cum Alfonſo inierit, Hippolita filia eius nepoti deſponſata. Sic mortalia vertuntur,Lombardiæ olim potens regnum, & diues opum terra,ad Sfortiados delata eſt;quorum maiores patrum noſtrorum memoria, vix terram poſſederunt,quantam arare poſſent. Infima ſummis, & ſumma infimis mutare, conditio humana gaudet. Verum raro abſq; virtute , ex paupere domo ad regnum quiſquam aſcendit:diligentia,fortitudine,prouidentia quæruntur imperia: inertia; ignauia,negligentia perduntur.

Simon Camertes.

De Franciſci fortuna & dotibus, & quæ ei acciderunt.

Franciſcus & ſuis,& patris meritis ducale ſolium adeptus eſt. Is Mantuam cum peteret,ſexageſimum agebat annum,matre adhuc viuente, quæ biennio poſtea deceſſit: atq; in modum iuuenis equitabat:ſtatura eminens, maieſtate corporis eximia, vultu grauis,ſermone placidus,conuerſatione benignus,mores vniuerſi principe digni,vnus noſtra ætate viſus,corporis & animi dotibus excellens,bello inuictus,ad regnum ex humili genere peruenit: vxorem duxit,forma, genere, virtute præſtantem, ex qua ſobolem pulcherrimam ſuſtulit; valetudine raro pulſatus aduerſa , nihil non potitus quod magnopere deſiderauerit;aduerſa tamen nonnulla ei acciderunt; Perpetuam concubinam,quam perdite amauit, coniux Zelothipia interfecit. Troilus, & Brunorius commilitones,& amici veteres,ad Alfunſum eo relicto defecere. Ciarpollonem item amicum,& commilitonem proditionis reum laqueo ſuſpendit: Alexandri fratris inſidias pertulit,qui profectus in Galliam vlteriorem , Francos in eum prouocare conatus eſt: Sfortiam filium nouas res molientem coniecit in carcerem: Picenſem agrum armis quæſitum,armis amiſit. Nemo tam compoſitæ felicitatis extitit,qui non aliqua ex parte cum ſui ſtatus varietate rixetur. Ille felix eſt, quem pauca vrgent incommoda.

De Franciſci magnifico ingreſſu, magnifico excepto,& Philippi oratione, Pii reſponſo.

Venienti Mantuam Franciſco,duo cardinales occurrerunt: iter illi ex Cremona per Padum,& Mincium nauigio fuit ſtagnum,quo Mantua cingitur. Vbique lembi, & alia nauigiorum genera venientium, & occurrentium operuere. Egreſſa multitudo ad viſendum ducem fama clarum,nec intueri ſatis potuit aut forma eius, aut geſtus: Imperio dignum cuncti cenſebant. Comitatus illi permagnus fuit, admodum nobilis,in quo nemo viſus eſt,cuius veſtimenta non auro fulgerent,aut argento ſplendida eſſent. In eius ingreſſu multa de ſedis Apoſtolicę dignitate,ac gloria vulgata ſunt: audieban-

audiebantur paſſim dicentes: En quàm ſublimis & excellentiſſima eſt Romani Præſulis auctoritas ac maieſtas: ad cuius deoſculandos pedes, tantus princeps aduenit. Poſtea die Pōtif. x in publico conſiſtorio Franciſcum ad ſe admiſit: qui poſtquam ſacros pedes deoſculatus eſt, & aliqua verba per ſe fecit, ſedere iuſſus in loco, qui diaconib cardinalibus deſignatus erat. Franciſcum Philelphum ſcriptorē inſignē, poetam Latinis, ac Græcis literis ornatū, qui ſuam cauſam oraret, interpoſuit. Is aliqua de Franciſci, deq; Pontificis laude locutus, multa de Turcis, plura de Græcis dixit, & quàm neceſſaria eſſet in Turcas expeditio, & quantum Franciſcus eam probaret, & quanta Chriſtianis promitteret auxilia, expoſuit. Quo audito laudauit Pontifex magnificis verbis orationē Philelphi, eumq; muſam Atticam appellauit. Deinde Franciſcum intuēs ſatisfeciſſe eum ſuo nomini, & omni expectationi reſpōdit: veſtigia ſui clariſſimi genitoris ſecutum, qui pro Romana Eccleſia fidelium matre olim magnis ſe periculis obieciſſet: egregium illum fuiſſe virum, & omnium, qui ſuo tēpore arma induiſſent, excellētiſſimum: alterum in prælijs Aiacem, alterum in conſilio Neſtorem, neminem metuentem, metuendum omnibus. Res ab eo geſtas mortales, qui viuerent cunctos celebrare: ſe illos ex Ioanne Ptholemæo Patruo ſuo, qui ſub ipſo militaſſet, & ordines duxiſſet, adoleſcentem didiciſſe, & admiratum tanti viri virtutem, ac gloriam fuiſſe: ſuperaſſe filium inſuperabilem patrem: victorē omnium quibus eum aliquando contendiſſet: idq; nomen conſecutum, quod fortiſſimis Romanorū veteres attribuerunt; & quod apud Italos maximi eſſet honoris: Inſubriæ gentis ducatum, non ſucceſſione paterna, ſed electione populi, quod eſſet virtutis adeptum: in vna re tantum a patre ſuperatum. Nam ille cauſam Eccleſiæ ſemper defendiſſet, ipſe aliquando impugnaſſet. Verum neq; in hac re patri omnino ceſſiſſe, qui è Saule factus Paulus, Calixto prædeceſſori aduerſus Picininum auxilio fuiſſet, & ſub præſulatu ſuo multa Eccleſiæ adiumenta præbuiſſet: & modo ad concilium profectus, non ſolum Eccleſiā Romanam, ſed ipſam religionem, ipſam fidem catholicā, ipſum Chriſti nomen aduerſus impios Turcas magno & excellenti animo pro ſuis facultatibus tueri promitteret: facere ipſum quod Chriſtianum deceret principē. Quod ſi reliqui eius ſimiles inuenirentur, non modo Turcarum arma Chriſtiani nō timerent, ſed vltro eos inuadentes, & Græciam & Aſiam, maiorum negligentia perditam, facile recuperarent. Sperare ſe Franciſci exemplo multos ex principibus Chriſtianis, qui dormire viderētur, excitatum iri: & tandē cognito periculo, in quo res Chriſtiana verſetur, aduerſus hoſtes arma ſumpturos. Quod ſi fieret, vt ſpes eſſet, Franciſcum inter primos futurum, cui Romana Eccleſia, & omnis Chriſtiana religio præcipuas gratias referre deberet. Atq; his dictis ſummo eius applauſu ſoluta eius diei cōcio eſt.

Promiſerat (vt retulimus) Mutinenſium dux, ac pro Romana Eccleſia Ferrariæ Vicarius, iturum ſe Mantuam: cum Pius vocaret, vocatus reſcripſit non bene valere, & egere quiete: ſed venturum ſe Auguſto menſe peracto. Et interim oratorem vnum ex fratribus ſuis nomine Gurronem miſit cui duos adiunxit iuriſconſultos: hiſque mandatum dedit pro neceſſitate reipublicæ, auri vt tercenta millia nummum pollicerentur. *De Borſo.*

Aderant iam Florentinorum legati, & Senenſium, & Lucenſium, & Bononienſium, viri ſuarum vrbium primarii, ſuas partes ad tuendam rempublicam oblaturi. Genuenſes epiſcopum quendam ex Corſica virum bonum clam miſerant, qui Pontificem certiorem redderet, non defuturum illius vrbis ſenatum, ſi quod pro tutela fidei decerneretur: publice ſe offerre non audebant iniuſſu regis Franciæ, cuius paulo ante dominatum ſubierant. Ferdinandus rex Siciliæ archiepiſcopum Beneuentanum, & Adriæ ducem tranſmiſerat, qui ſuā vicē implerēt. Archiepiſcopus ꝓ cōſiſtorio publice auditus, acriter in Genuēſes inuectus eſt, perfidiā, ac inſolentiā eorum accuſans, qui Ferdinando regi cōtra fœdus moleſti eſſent. Pōtifex grauiter eū correxit, qui priuatas inimicitias eo in loco cōmemoraret, vbi de publica Chriſtianorum pace, ac ſalute agendum eſſet. Litteræ Ferdinandi multo meliores quàm verba legatorū fuere: illi pauca de tuēda religione locuti ſunt, hæ præclarum, & magnum regis animum ad tutelā fidei oſtēderunt. Cum recitarentur pro concione legatorum omnium, qui aderant, mandata, nullum plenius viſum eſt, eo quòd Ferdinandus miſit: id .n. vocum &

iuramentum continebat, de gerendo in Turcas bello: ad q; cum ſe accingere ſtatuiſſet, Tarentini principis agitatus inſidiis, in magnas incidit calamitates, de quibus ſuo loco dicemus. Miſit & ille legatum ad concilium Pyrrhum quendã ordinis Minorũ profeſſorẽ, nõ indoctum virum; qui cum aliquando Præſuli de ſuo domino verba faceret, eumq; fidelẽ Eccleſiæ filium diceret, & ſingulari virtute prẹditum: quid tibi dicam, inquit, Põtifex? *Dominus tuus periurus eſt & proditor, qui aduerſus Chriſtum ſuũ arma ſuſcepit: qui miſſa legatione, Turcas aduerſus Chriſtianos prouocat. His dotibus pollere tuũ dominũ à multis didicimus: an virtutibus aliis præditus ſit, ignoramus.* Hæc de principe Tarentinorum effatus Pontifex: ſequenti die laborantibus Turcanio bello Hungaris, & opem obnixe petentibus, auri viginti millia nummum tranſmiſit; quæ numerata Venetiis, Stephanus Croatiæ comes domum rediens apportauit.

De Sigiſmũdi pace diu agitata, & tandem à Pio confecta.

Dum hæc agerentur, Sigiſmundus Malateſta, cum magis, ac magis Picinini armis premeretur, pacem petens, modo Franciſco Mediolanenſium duci, modo Pio Põtifici ſe cõmendabat. Aderant ob eam cauſam miſſi à Ferdinando epiſcopus Bituntinus, non minus callidus homo, quàm feſtiuus, & Antonius Cincinellus, vnus ex purpuratis, qui Pium magnopere vrgebant, vt pacem inter partes componeret. Pius nil ſe facturum aiebat, niſi ſtatuendæ pacis libera ſibi facultas cõcederetur: nam primum iampridem compromiſſum ſpirauerat, eratq; Pontificis animus ex bono & æquo litem dirimere. Ferdinandus, & Federicus Vrbinas, & Iacobus Picininus præſcriptis quibuſdam legib. concordiæ annuebant, quæ duriores videbãtur; multos dies agitata res eſt. Poſtremo conſenſere omnes pro ſuo arbitrio pacem vt Pontifex ſtatueret. Dubia res fuit, pax ne Pontifici, an bellum magis conduceret. Cõſtabat Picininum quamuis Sigiſmundo reconciliaretur, copias tamen retenturum, reſq; nouas moliturum; neque alios quàm Eccleſiæ ſubditos, aut Senenſes inuaſurum: nam Venetis, Florentinis, duci Mediolanenſi, aut regi Siciliæ, qui potentiores eſſent, non auderet bellum inferre, neq; duci Mutinæ, quem diligeret. In agro Eccleſiæ multas eſſe factiones, quæ abſente Pontifice Picininum auertere poſſent. Contra, ſi bellum fineret, alterum è duobus euenturum: aut ſcilicet Malateſtam Venetorum auxilio rem ſuã defenſurum, aut bello victum Picininum cuncta dimiſſurum. Vtrumq; pernicioſum. Si Veneti pro Sigiſmundo arma capiant, futurũ vt omnis rurſus Italia diſſenſionibus agitetur, & aduerſus Turcas expeditio negligatur: ſi ſuccumbat Malateſta, ventura omnia in Picinini poteſtatem, vicinum Eccleſiæ pernicioſum parari, murem in pera nutriri, aut in ſinu ſerpentem. Poſſe quoque & tertium emergere; Picininum ſcilicet, & Sigiſmundum ſimul coire, & iunctis armis agros Eccleſiæ vaſtare: atque inter ſe partiri prouincias: vt ſunt arma tenentium varia & alta ingenia, mutabiles voluntates, & regni cupidæ. Anxius inter hæc Pontifex honeſtatẽ prætulit vtilitati: pacem ſtatuere pulchrius & acceptius Deo cenſuit: neque timenda eſſe incommoda vadenti recta; agrum, in quo bellum graſſaretur, ad Eccleſiam ſpectare: ſubditis quietem dandam: miſerendum inopum agricolarum, qui domo pulſi, bobus, vxoribus, ac liberis amiſſis, panem in alienis laribus mendicarent: illudq; animaduertendum quòd nõ actorẽ, incẽtoremq; malorum, ſed innoxios pœna ſequeretur: pueri, ac puellæ indigna ſuis moribus ferrent: fana diriperentur: cædes, atque incendia paſſim cõmitterentur: diuina ac humana iura perirent: iam annum belli furore prouinciã agitatam, niſi mox pace donetur, funditus perituram: attribuendum aliquid Sigiſmundi maioribus, quorum virtus militiæ quondam, ac domi ſpectata fuiſſet. Statuit igitur Pontifex, quamuis rei ſuæ nõ nihil timeret, in pręſenti rebus afflictis cõſulere: de futuro magni Dei benignitatem ſperare, cuius eſt in optimum finem cuncta dirigere. Iudicii ergo ſuſcepto in ſe arbitrio, iuſſit quamprimum partes arma deponere, captiuos dimittere. Pergulam & alia pleraque loca Federico Vrbinati cedere, Senogalliam, Mundauium, cum Vicariatu, & Mõtem marcianum nomine pignoris in manu ſua manere, donec ſententiæ, quæ ferenda eſſet, ſatisfieret: de reliquis intra duos menſes iudicaturum ſeſe promiſit: poteſtate retenta, ſi ſibi videretur quoties vellet prorogandi terminum: hac declaratione adiecta, quòd Sigiſmundum neque ſupra ſexaginta millia aureos, neq; infra quinquaginta millia pro erratis damnaret diſſoluenda, priuſquam annus efflueret: alioquin pignora in ſolutũ regi cederẽt: ne-

que

Digitized by Google

que Sigiſmundo fas eſſe intra biennium aduerſus regem militare. Miſſi qui ſententiã exequerentur, ægre ſunt auditi. Dura vtriq; parti mandata videbantur: Picinino maxime, qui ſe victoriæ præmiis ſpoliatum iri non ignorabat: depoſuerunt tamen paulo poſt ex decreto Pontificis arma, & oppida tradita ſunt, excepta Petra rubra, in qua per dolum Sigiſmundi rebellionem incolæ ſimularunt: & Picininus pleraque loca vi capta militi diripienda conceſſit. In reliquis paritum eſt, & Sigiſmundus Italici fœderis commoditate donatus, cuius antea fuerat expers, vt otio frui poſſet: quamuis inquietus animus, & iniqua mens, bellum paci ſemper antepoſuerit.

Viturium ab Euerſo occupatum, & à Rauennate præſule recuperatum.

Euerſus Anguillariæ comes, dum hæc aguntur, Viturium per traditionem paucorum ciuium occupat Miſſo Antonello Foroliuienſi genero ſuo Bartholomęus archiepiſcopus Rauẽnas, qui poſtea cardinalis effect⁹ eſt, coactis ſubito copiis captę iã ciuitati ſubuenit. Antonellus vbi auxilium appropinquare cognouit, vrbe direpta, & multis ciuib. in captiuitatẽ abductis, præda onuſtus receſſit. Arx recuperandæ ciuitatis cauſa fuit, quã Martinus olim à fundamentis diruit, Caliſtus reſtaurare cœpit, Pi⁹ ad ſummum ædificauit: per hãc auxilia intromiſſa, ciuitatẽ Ecclesię reddiderunt, quę alioquin in poteſtate hoſtiũ diu perſeueraſſet. Pius accepto peruaſæ vrbis nuncio, Hoc, inquit, eſt quod Euerſus cõminabatur, cum Roma receſſimus: verum neq; hoc pacto defeoſionẽ fidei negligemus, adiuuabit Deus cauſã ſuã, neq; ſuperiorẽ eſſe patietur iniquitatẽ: effluxere deinde quattuor circiter dies, & ecce nuncius, qui fugiſſe hoſtes aſſerit, & ſupplicium de proditoribus ſumptum eſſe. Gubernator eius vrbis pro Romana Eccleſia Oddo quidam Peruſinus erat, Apoſtolicæ ſedis notarius: ſed aberat, cum Antonellus ingreſſus eſt; qui audita rei nouitate, circumuicinos populos in arma corgit: iunctuſque Rauennati ad victoriam conſequendam non parum adiumenti præbuit. Verum cum ſe cauſam recuperationis fuiſſe multis verbis gloriabundus aſſereret, memor illius quod de Fabio apud Liuium legitur: Rauennas probe, inquit, nunquam Viturium recuperaſſem, niſi tu prior amiſiſſes.

Legatio Polonorum, & Sabaudienſium & Venetorum.

Inter hæc legatus Caſimiri Poloniæ regis in ſplendido comitatu Mantuam ingreditur, vir doctus Sbignei quondam Cracouienſis epiſcopi, & cardinalis nepos: multi ei fuerunt famuli vatius veſtis more gentis pennatos pileos, & pharetram, & baliſtam geſtantes, equis præpinguibus inſidentes, venerunt & Ludouici Sabaudiæ ducis oratores, & alii domi nobiles, ac diſerti viri. Soli ex Italia Veneti aberant: qui etſi Pontifici, antequam Roma diſcederet, pluribus & nunciis, & epiſtolis affirmauiſſent, ſe inter primos legatos miſſuros, vocati tamen minime parebant. Duæ hos cauſæ tenebant: altera quòd eccleſiam Patauinam pro ſuo deſiderio non fuerant aſſecuti; altera quòd magnopere verebantur, ne ſoli cum Turcis in bello remanerent, ſi Mantuam petentes Chriſtianos reges non ſatis voluntarios ad tuendam religionẽ inueniſſent. Multa præterea Veneti, qui curiam ſequebantur, ad amicos ſuos domi ſcribebãt, quæ populares animos à bono propoſito retrahebant: maledica eſt enim curialium plerunque natura: nam cum inſanæ ambitioni omnes ferme inſeruiant: Pontifex vero ex multis paucos extollere, ditareq; poſſit: qui neglecti ſunt, tanquam iniuriam paſſi Pontificem dictis, ſcriptiſq; aliquando damnant: nec ab illis laudatur Romanus Põtifex dum viuit, mortuus aliquando probatur: ſucceſſoris opera anteceſſorem commendant. Quicunq; igitur ex Venetis curiam ſequentes optata non impetrauere, ad amicos epiſtolas dedere, quas Papæ deſiderio contrarias putauere: mercatores præſertim, quibus in lucro erat cum Turcis pacem habere.

De Venetorum origine, & finitimis locis, & qui primum habitarunt, cognitu digniſſima.

Libet de Venetis altius hoc loco diſſerere, quãdo terra mariq; hodie potentiſſimi ſunt, ad imperiũ quo maius aſpirant (vt ſunt hodie hominum mores) optimi videntur. Venetia & vrbis, & prouinciæ nomen eſt, apud veteres Veneti omnes appellati, qui eas paludes incoluerunt, quæ mediæ ſunt inter aquas Gradenſes, & Oſtium Padi, quod Fornaces vocitãt. Id ſpatium octuaginta millib⁹ paſſuum cõtinetur, & rurſus ab Adriatico mari, quatenus infra terram ſalſæ fluunt ac refluunt aquæ: quidam etiam Rauennam addidere Venetiæ. Strabo eius ſententiæ videtur, qui de paludibus, & magno portu, quem Brenta fluuius efficit, loquens: Intra paludes, inquit, vrbs maxima Rauenna poſita eſt, tota ligneis compacta ædificiis, aquis diffuſa, pontibus &

lembis peragrata:cum à mari fiunt inundationes, non medioerem recipit maris partem,adeo vt vniuerſa cœnoſitas hinc fluctu marino,illine fluminibus abluentib⁹ eiecta terrũ medicetur odorem. Verum ſicut Adria, quæ olim in continenti fuit, nunc mari,ac paludibus immerſa eſt:ita & Rauenna, quæ fuit in aqua, remanſit in arida. Aquileiam vero,quamuis idem maris ſinus per Natiſonem fluuium ſalſa contingat aqua;extra Venetiam nihilominus Strabo ponit;nõnulli ab Abdua fluuio omnem regionem,quæ Pado mari, & alpibus clauditur ad Brentam vſq; Venetiæ tradiderunt. Nonnulli Vicentinum,& Veronenſem agrum huic deſcriptioni ademerant. Venetorũ originẽ alii ex Gallis dicunt,qui extremas ad Oceanũ oras incolunt, vbi nunc ciuitas eſt Venetenſis nõ ignobilis,quam Pius II. liberalium artium, & omnium litterarum, quæ mortales honeſtãt,ſchola donauit:alii Venetorum gentẽ eſſe affirmant,qui poſt bellum Troianum cum Antenore ſalutem aſſecuti, curſum huc è Paphlangonia tenuere. Hæc de prouincia. Vrbem non auctor vnus, ſed plurium populorum cõcur-
421. ſus ædificauit poſt Chriſti Saluatoris ortum primo, & vigeſimo anno ſupra quadringenteſimum,maximum augmentum recepit: adeo vt primum tunc conditam aliqui dicant. Cum Athila rex Hunnorum Aquileiã armis captam excidiſſet; attonitæ ciuitates finitimę relictis antiquis ſedibus in eas paludes populariter migrauere,quib. à priſcis Venetiæ, vt diximus,nomen inditum Ii fuerunt Altini, Concordienſes, Patauini,& qui Montem ſilicis incolebant,Opitergini Heracliani, Equilini, Gradenſes,Caprulenſes,Laurentini,& ipſæ Aquilegienſis excidii reliquiæ. Ferunt ex Vicentia. Verona,Mantua,Brixia,Mediolano, ac Papia opulentiſſimos huc ciues cõfugiſſe,cum Athila eorum vrbes affligeret: nec tamen ab his mox vna vrbs cohęrentibus ædificiis,ſed diuerſa in plures inſulas erecta eſt ciuitas. Nomine inſularum, quæ veluti cyclades quædam paluſtribus aquis abluuntur, Torcellum, Maiorbum, Burianũ, Amoriacum, Conſtantiacum, Aimanum, Riuus altus, Durſum durum, Metamaucũ, Albiola,Peleſtrina,& Foſſa clodia,quæ ciuitas nunc Clugia nomen habet. Narſes eunuchus Iuſtiniani primi copiarum ductor auxilio Rauennatum, Patauium inſtaurauit: Arnolphus Longobardorum rex paulo poſt ferro & igni abſumpſit. Patauini ſecundo migrare coacti in ſtagna Venetorum confugientes, Riuum altum impleuerunt,& Oliuente caſtrum, vbi nunc Caſtellanum eſt,Epiſcopium condidere. Diruta Aquileia,Gradenſes Patriarchalem ſedem acceperunt; Longobardis vero Iulii forum obtinentibus,dux gentis eius Giſulphus, conſentiente Agiulpho rege Aquileię ſuam dignitatem reſtituere aggreſſus, Ioannem quendam abbatem, Patriarcham appellauit:lis quinquennio cum Gradenſibus ducta eſt. Exin Pontifex Romanus conſenſu partium inſtituit, vt Aquileienſis Patriarcha omni continentis regioni moderaretur:Gradenſis Venetiarum genti præeſſet. Diruit & paulo poſt Opitergium Rotharites Longobardorum rex vrbis epiſcopus nomine Magnus ad ſtagna cõfugiens,ſedem ſuã annuente Seuerino Pontifice maximo,in Heraclea collocauit;& Paulus Altini epiſcopus,eodem Pontifice permittente, adducto ſecum populo qui cladibus ſuperfuerat, Torcellum ſe contulit. Epiſcopus quoq; Patauinus ex vrbe pene deſerta, & Arianam hæreſim ſapientem,Metamaucum petiit Fuerunt initio inter Longobardos,& Venetos plures de finibus controuerſiæ: tandem proceſſu temporis factum eſt,vt omnis Venetia ab Abdua vſque ad Aquas ſalſas mutato ſenſim nomine Longobardia vocaretur; Venetiæ paludib. tantum ſalſis fluctib. agitatis, continerentur. Vicum,qui eſt in Torcello primarium, Conſtantius Imperator Heraclii filius cũ

Conſtantiacum.

Romam peteret,eoq; tranſitum faceret, de ſuo nomine Conſtantiacum appellauit. Heraclea ex patre ſuo vocabulum acceperat,quæ cum populo aucta multitudinem capere non poſſet,partem plebis in vicinam iuſſit inſulam commigrare: vbi Equilium a Venetis duce Anglo inſtaurata,Nouæ ciuitatis obtinuit nomen.

De forma, & modo gubernandi Venetorum, & locorum mutatione, primiſque regiminis Italicis, & Adrienſibus victis, atque Hungarorũ incurſum.

Forma regiminis apud Venetos multiplex fuit. Primo tribunis paruere,poſtea ducibus, tertio magiſtris militum: quos cum antiquaſſet, rurſus ad duces rediere. Tribunitia poteſtas annis duobus,ac triginta durauit ſupra ducentos;quib. ſubmotis, primum ducem geſſit Paulinus eius vrbis ciuis apud Heracleã: in Heraclea enim res Veneta primum gubernata eſt. Paulino ſucceſſit Vrſus,& ipſe Heracleanus, qui ciuili tumultu interfectus eſt, & ad magiſtratus militum reſpublica perducta, quorum

primum

primum Dominicum Leonem creauerunt, quattuor, eo defuncto, alius poſt alium rem Venetam gubernarunt. Vltimus Ioannes Fabritiacus domeſtica ſeditione magiſtratu depoſitus, & oculis priuatus eſt: moxq; anno ſalutis ſeptingenteſimo & quadrageſimo ſecundo, ſedes Imperii Veneti ad Metamaucũ translata eſt: rurſuſq; ducalis dignitas eleuata: filius Vrſi, quem ſupra interfectum retulimus, nomine Deodatus ducatum accepit; qui cum ad hoſtia Brinthæ amnis, quem Modoacum Strabo vocitat, caſtellũ ædificare cœpiſſet, in ſuſpitionẽ tyrannidis adductus, haud patre felicior magiſtratu ſimul, & lumine priuatus à ſuis ciuibus miſerrimam egit vitam. Parem fortunam Galla ſucceſſor eius inuenit. Tunc quarta regiminis forma reperta, duci Dominico Monegario Metamaucenſi duos annales tribunos, ad Clauum pari poteſtate conſeſſuros creauerunt. Nec ſic vel audacia ducis, vel populi temeritas correcta; Dominicũ tumultuans populus, & ſolio, & oculis priuauit: rurſuſq; ad Heracleanos res Veneta rediit. Mauritio duce in locum Dominici ſuffecto, qui poſt annum inuſitato exemplo filium ſui magiſtratus conſortem aſſumpſit, auſuſq; eſt, manꝰ in Ioannem Patriarcham Gradenſem iniicere, qui paulo poſt ex percuſſione interiit. Fortunatus ſucceſſor eius vindictam meditatus, cum conſpiraſſet in ducem exorto tumultu, pulſus in Franciam ſe contulit; nec diu poſt pater, & filius magiſtratu eiecti ſunt; & Obelerius Metamaucenſis vnicus tribunus creatus, qui eodem anno patria pulſus, apud Treuiſium exulauit; vbi à Venetis ſimul exulantibus, ducis nomen conſecutus, Beatum fratrem Imperii conſortem accepit; & venientem in Italiã Pipinum Caroli magni filium, quem Hadrianus Pontifex regem Italiæ conſtituerat, adiuuante Patriarcha Fortunato in Venetos arma ſumere perſuaſit. Prælio apud Treuiſium commiſſo, Veneti victi, fugatiq; manus dedere: non tamen Obelerius, aut Fortunatus priſtinas dignitates vendicauere, apud Metamaucum in exilio dimiſſi eo anno Heraclea à Venetis deleta eſt; & populus in eas inſulas, in quibus hodie Venetiæ conſtitutæ ſunt ductus: tuneq; rurſus ex Aquileia multi eo confluxere: ita vt ſecunda eius ciuitatis fundatio videretur. Agnellus aut Partitiacus Heracleanus, qui patriam ſuam inſtaurauit, primus fuit, qui apud inſulam Riui alti dux eligeretur: is palatium ducale, quod nunc extat, erexit, & tunc Oliuenſis eccleſia, Caſtellana eſt appellata: ꝑ Veneta, Riuusaltus ciuitas dicta. Idem Agnelius duos filios ſuos Imperii conſortes aſſumpſit, aduerſus quem conſpirantes Ioannes Ternaricus, & Bonus Bragadinus capti, & appenſi patibulo interierunt: eam paſſi mortem, quam victores intuliſſent victo. Defuncto Agnello, Iuſtinianus Partitiacus ſolus Venetos duxit. Corpus ſancti Marci Euangeliſtæ ſub eo ex Alexandria Venetias aduectum eſt. Iuſtiniano ſucceſſit Ioannes frater eius, qui eccleſiam ſancti Marci ædificauit, & in Metamaucum ducens Obelerium ibi exulantem occidit: vrbemq; olim rei Venetæ caput, deleuit. Vocatus in Franciam propter necem Obelerii, eò profectus eſt. Interea Caſtellanus epiſcopus. & duo ciues Riui alti curam ciuitatis geſſere. Reuerſus ciuili tumultu magiſtratu deiectus, atque in monaſterio clauſus mœrens obiit. Succeſſor ei datus eſt Petrus Trandenicus Pola oriundus, qui ſibi conſortem aſciuit, ſub eius Imperio Sclaui Caprulas Venetorum vrbem vi captam deſtruxerunt, eo vita functo Ioannes filius ſolus ducatum obtinuit, quem ab eccleſia ſancti Zacheriæ redeuntem, concitatus populus interfecit, & in eadem eccleſia ſepeliuit. Vrſo Partitiaco ſucceſſore delecto, domeſtici ducis occiſi, palatium tandiu defendere, donec Pupiliam inſulã magna immunitate colendam obtinuere. Vrſꝰ ſibi filium conſortẽ poteſtatis accepit: campanas duodecim, anno ſalutis octingenteſimo ſeptuageſimo, Imperatori 870. Conſtantinopolitano dono miſit, quas ferunt primas fuiſſe in Græcia viſas: huic filius ſucceſſit in ducatu ſolus, qui Comaclum ciuitatem de Rauennatibus vi cœpit; & denique Petrum fratrem ſuum in ducatu ſocium obtinuit: ambo tamen infra tertium annum magiſtratu ſe abdicarunt. His ſucceſſit Petrus Candianus, qui cum Sclanos vno prælio ſuperaſſet, in altero ab eis ſuperatus & interfectus eſt: Ioãnes Partitiacus, qui ſe ducatu abdicauerat, rurſus vt patriæ conſuleret, principatum accepit, ſextoq; menſe depoſuit: ſuffectus ei Petrus cognomento Tribunus. Tũm primũ Italia, poſthabitis Francis, duos reges ſui generis ſibi delegit Berengarium Foroiulienſem, & Guidonẽ Spoletanum ducẽ. Petrus partem vrbis muro cinxit à Riuo caſtelli

vſque ad ſanctam Mariam in Iubanico, ibiq; canale maius ferrea catena concluſit.
Hungari eo anno Italiam ingreſſi à Triuiſio Mediolanum vſque, cædibus omnia, in-
cendiiſq; vaſtarunt, & ingreſſi Venetiarum ſtagna pelliciatis nauibus tumultuariè
fabricatis, Ciuitatem nouam, Clugiamque, & caput aggeris populati ſunt. Quos Be-
rengarius nō armis, ſed pecunia ingenti data retro in Hungariā miſit: Petro Tribuno
Vrſus Partitiacus ſecundus ſucceſſor datus eſt, imperante Corrado Alemanno ex ea
gente primo, Vrſum ſecutus eſt alter Petrus Candianus, qui potentiam Venetorum
in Liburnis, ac Dalmatis magnificè auxit: quo tempore Genuam Saraceni ex Afri-
ca venientes populati ſunt: hunc ciues cum ducali ſolio vellent eiicere, & is ſe armis
in palatio tueretur, iniecto igne pice & ſulphure miſto palatium ipſum exuſſere: quo
incendio, & eccleſiæ multæ, ac ciuium ædes arſerunt, duxq; cum filio, & complici-
bus interfectus eſt Petrus Vrſeolus Candiani ſucceſſor exuſta ædificia reparauit, &
1000. Gradum ciuitatem muro cinxit. Circa idem tempus anno ſalutis milleſimo Adrien-
ſes apud Lauretum cum Venetis congreſſi ad internitionem vſq; deleti ſunt, atque
memorabilis vrbis, quæ nomen Adriatico mari dederat, reliquiæ funditus defecere.
Poſt Vrſeolum Petrus Bartiolanus rei Venetæ præfuit, quem Dominicus Vrſeolus
per arma deiecit, & ducatum inuaſit. Quietum deinde vrbis regimen fuit, vſque
1171. ad annum ſalutis primum & ſeptuageſimum ſupra milleſimum centeſimum, quo tē-
pore Vitalis Michael dux à ſuis ciuibus eſt occiſus: tumultuatum quoq; in ciuitate
non multis annis poſtea inuenimus propter vectigal molituræ. Inuentoribus noua-
rum rerum captis, atq; ſuſpendio necatis. Fuit & ingens in vrbe metus, cum Baio-
mons Theopolus regnum affectans: Quirinos, Baroceos, Doros, Badoarios, & Baſi-
lios primarias in vrbe familias ſibi pellexit, in quos non ſine magno labore, ac peri-
culo publico conſilio animaduerſum eſt. Deinceps etſi non paucæ ſeditiones rem
Venetam agitauere, non tamen dignæ fuerunt, quæ adæquari ſuperiorib. poſſent, et-
ſi Franciſcus Foſcari non ſine iniuria ducali ſolio fuerit amotus. Cur autem ciuitas
libera ſeſe aſſerat, paucis referendum eſt.

De Venetorum libertate.

Fuerunt Veneti ab initio conditionis ſuæ liberi, ſub protectione tamen Impe-
rii Græcorum, vſque ad tempora Caroli Magni: hinc cum Imperium orbis terræ,
q; apud Græcos erat, Romanus Præſul Ieſu Chriſti, cui dedit pater omnem poteſta-
tem in cælo, & in terra verus Vicarius ad Germanos in perſona Caroli Magni trāſtu-
liſſet; neque paruiſſent Græci, ſed vltro reſiſterent, Imperiumq; retinere contende-
rent: ſciſſum eſt Imperium, & Orientales quidem Græcis, Occidentales Germanis
paruerunt. in Italia vero à Neapoli, & Manfredonia quicquid vltra Siciliam verſus
excurrit, in partibus Græcorum fuit: citeriora ad Germanos pertinuere, excepta Ve-
netia, & Beneuentana vrbe, quæ nullarum partium habitæ ſunt, & in fœdere, quod
olim cum Hyrene Imperatrice, & demum cum Nicephoro Imperatore Græcorum,
Carolus ipſe percuſſit. Cautum eſt vt Veneta vrbs Italiæ maritima, vtriuſque amica
Imperii, ſuis legibus vteretur: neque bello, neque pace huius, aut illius partis cen-
ſeretur. Fortunatus autem Patriarcha Gradenſis cum aduerſus Ioannem, & Mauri-
tium duces conſpiraſſet, ea potiſſimum ratione Pipino ſuaſit, in Venetos ducere: quia
cum Græcis contra fœdus ſentirent. Niceta vero patritius, qui Populoniam depo-
pulatus eſt, Venetorum auxilio aduerſus Pipinum claſſem inſtruxit, & Comachi-
um, quod tunc Pipini fuit; expugnare aduerſus turpiter repulſus eſt; Obeletio, ac Bea-
to rei Venetæ ducatum tenentibus, quos cum pacis arbitros Græci, Franciq; admi-
ſiſſent: Pipinus tandem recuſauit dolos ineſſe tractatibus arbitratus: re integratoque
bello Venetos tanquā Græcis amicos magnis afflixit cladibus. Illud conſtat Pipinū
Brodulenſibus, qui primi ad Orientem ſolem Venetorum populi ſunt Cluſienſibus,
& Peleſtrinenſibus ſubactis in Albiolam duxiſſe: & priuſquam eam caperet, Valenti-
num ducem ſedem rei Venetæ, ex Metamauco in Riuum altum tranſtuliſſe; mox-
que Albiolenſes, & Metamaucenſes deditionem feciſſe. Expugnatio Riuialti incer-
ta eſt: quidam affirmant pontem ligneum à Metamauco in altum Riuum à Pipino
deductum, quem cum Veneti excuſſiſſent, Pipinus obierit: alii territum redeunte claſ-
ſe, Pauli Ceſſaranæ Dalmatarum, Venetorumq; copias afferente, effugiſſe tradunt,
veritas in obſcuro eſt: pax tamen inter Nicephorum Græcorum Imperatorē, & Impe-

ratoris

Digitized by Google

ratoris filium Pipinum conuenit, in cuius fœderibus conceſſit Pipinus, vt Veneti libertatem, qua fuerunt à Carolo genitore donati, conſtantiſſime retinerent. Inuenimus Michaelem, qui ſecundus huius nominis apud Græcos imperauit, Venetis inhibuiſſe, ne merces Occidentis in Orientem veherent, niſi aduerſus Saracenos Siciliam vaſtantes claſſem ducerent. illoſq; ita feciſſe pro ſua & re Chriſtiana tuenda, & vehementer augenda. Imperante quoq; Baſilio cum Saracenis nauali prælio decertaſſe: idemq; feciſſe contra Bohemundū Normannum Dirachium obſidentem adiuuante Nicephoro Bataniate Græcorum Imperatore. Apparet itaq; Venetos cum Græcorum Imperio amicitiam conſeruaſſe, vt commercium pro mercatura continuare poſſent. Verū illo deficiente deſeruiſſe, & multa de Græcis ad ſe traxiſſe. Hinc poſtea clara libertas Veneta: nam cum Orientales Imperatores protſus elanguiſſent, exorti ſunt Veneti, qui rempublicam & Imperii fines longe lateq; propagarunt: cum neq; Græci poſſent amplius reſiſtere, neq; Latini curarent.

Alexandri tertii Senenſis beneficia in Venetos, bellaq; varia cum Genuenſibus & Piſanis ferme diuerſa, & Italica eorum bella. Auxit maxime dignitatem Venetorum Alexander tertius Romanus Pōtifex, natione Senenſis, qui Venetorum armis, & Sebaſtiani Tiani principis ope, aduerſum Federicum Imperatorem adiutus, innumerabilibuſq; beneficiis ornatus, præclaris eos, ratiſq; priuilegiis honeſtauit: ipſi vero qui Græcorum Imperium expilauerant, etiam multarum prouinciarum regnum opprimere conati ſunt: nam in dominatu reſpublica nil veretur. Duces ſuos Veneti cōplures damnauere, alios oculis, alios vita priuarunt; nec tribunis, nec magiſtris militum mitiores fuere: quia Veneti genus hominum ſunt pro republica conſeruanda, & augenda acie, & ſuarum maxime legum obſeruantiſſimum. Pro religione ſæpe claſſes armauere. Cum Saracenis diu vario rerum exitu contenderunt, illoſq; cum oram Dalmatiæ diripuiſſent, & Gradum vſque infeſtis claſſibus excurriſſent, nauali prælio ſuperatos, Adriaticum ſinum relinquere penitus coegerunt. Chriſtianis Hieroſolymam obtinentib. magna ſæpe auxilia præſtitere. Cum Francis ſocietate inita bis Conſtantinopolim vi cœperunt, Aegeique maris inſulas omnes obtinuerunt. Cretam, quæ nunc Candia dicitur, pecunia coemerunt à Bonifacio marchione Montis ferrati, ad quem Cretenſes delero Græcorū Imperio inclinauerant aduerſus Hungaros propter Iaderam, & alias Dalmatiæ ciuitates crebro dimicauere. Andreas Hungarorum rex, cupiens Chriſtianis apud Syriā laborantibus opem ferre, vt nauigia, quib. veheretur à Venetis obtineret, eis Dalmatiam ceſſit, non tamen ſucceſſores potiri quiete Venetos permiſerunt: Ludouicus enim Genuenſibus, & Auſtriacis ducibus iunctus, aduerſus eos auxilia miſit; & Sigiſmundus ætate noſtra miſſo Pippone Florentino cum magnis copiis in Italiam, rem Venetam per multos Annos ingentibus affecit cladibus, quamuis ad extremum victus, non ſine ignominia retroceſſerit. Romanos Pontifices Alexandrum tertium, & Gregorium nonum aduerſus Federicum primū magnifice adiuuerūt. Mathildi comitiſſæ aduerſus Henricum tertium Romanorum Imperatorem opem tulere, qua Ferrariā egregia mulier vendicauit. Verū Ferrarienſibus, qui poſtea ad ius Eccleſiæ peruenerāt, Romano Pontifici rebellantib. auxilia non negauerunt; ac Ferrariam ipſam in poteſtatem acceperunt: propter quā rē extra Eccleſiam facti, non prius gratiā meruere, quam dicto Pontificis paruerunt. Cum Bohemundo Nottmanno, qui regnū in Italia obtinuit apud Dyrachium ab Imperatorib. Græcis, ex fœdere requiſiti, nauali prælio ter congreſſi, priori certamine ſuperiores fuere, in aliis ſuccubuerunt: deinde terram eius in Italiam inuadentes, vt pacem Græcis redderet, compulerunt: ſedente Clemente tertio cum Piſanis ſocietate inita triennio pro religione in Aſiam claſſem habuere, neq; dignum laude quicquam fecere: cum ſociorum æmulatione impedirentur, reuerſi domum, cum Piſanis, qui Polam in Iſtria cœperant, bellū geſſere: & Pola recuperata, muriſq; vrbis ad mare deiectis, Piſanos complures occiderunt: apud Metonem duas eorum naues onuſtas mercibus intercepere. Exin pax cōpoſita eſt. Imperante deinde Federico ſecundo cum Piſani triremes centum, contra Genuenſes armaſſent, requiſiti ex fœdere ſexaginta triremes Genuenſibus auxilio miſere. Claſſis præfectus cū appuliſſet Dyrachiū, accepto nuncio quod Piſana claſſis apud Corſicam fugata fuiſſet, reuerſus Polā, quæ medio tempore rebellauerat, ferro

atque igne vaſtauit. Deinceps Veneti ſimul, & Piſani contra Genuenſes fœdera percuſſerunt; ſæpe enim inter Genuenſes, & Venetos decertatum eſt: ſæpe pax facta, ſæpe interrupta: & Piſani modo iſtorum, modo illorum ſocii fuere. Cum Henricus Piſcator, Maleæ comes claſſe Genuenſium fretus, Cretam auferre Venetis conaretur: bellum inter Genuenſes, & Venetos primum cœpit: duobuſq; præliis, non admodum magnis, Veneti ſuperiores fuere. Maior deinde contentio inter hos duos populos emerſit; Sedente Gregorio nono propter res Græcas, quibus diripiendis vterque inhiabat. Pontifex partibus ad ſe vocatis ea lege pacem compoſuit, ne alter ſine altero Vattarim Græcorum Imperatorem, vel amicum, vel hoſtem aſſumeret: ſi quis cõtra faceret, excommunicationem, & interdicti pœnam incurreret. Tertio deinde pro monaſterio ſancti Sabæ, quod erat apud Ptolemaidam, vbi & Veneti, & Genuenſes frequentes inhabitabant, inter ſe contendere cœperunt. Philippus natione Gallus, qui vrbi præerat, tanquam diuiſionum incentores Venetos, vrbe deiecit, illi Tyrum conceſſere, cuius vrbis tertiam partem obtinebant, & Piſanis in fœdera tractis Ptolemaidam reuerſi, Philippum, & Genuenſes expulerunt, eoſq; rurſus congredi audentes, inter Ptolemaidam, & Tyrum ſtrage magna cæciderunt. Cum Michael Paleologus filiorum Theodori tutor Vatraris proditione ciuiũ, expulſo Balduino Imperatore Conſtantinopolim recepiſſet, & pupillis occiſis, arrepto Imperio aduerſus Vilhelmum Achaiæ dominum arma mouiſſet: Genuenſes Græco, Veneti Latino, ſuppetias tulere, & congreſſi ſimul inferior Genuenſis fuga, ſalutem quæſiuit. Venetus onerariam nauim Genuenſi arripuit apud Tyrum, apud Lylibeum tres triremes intercepit: apud Drepanum octo & viginti triremium claſſem ſuperauit. Rurſuſq; inter Ptolemaidam, & Tyrum Genuenſium claſſis à Veneto ſuperata eſt: Ludouicus deniq; rex Franciæ, qui Philippo in Aſia defuncto ſucceſſerat, Cremonam veniens, vocatis ad ſe Venetis, Genuenſibus, ac Piſanis, pacem inter eos quinq; annorum cõſtituit, qua finita Nicolaus Piſanus præfectus Venetæ claſſis congreſſus Genuenſi in Egeo pelago victor euaſit. Philippus Auria interea præfectus, alterius claſſis Genuẽſium, Eubœam multis cladibus affecit: & Choum inſulam in eodem mari vi cæpit. Cum Genuenſium oneroſa potentia Venetis videretur, regem Aragonum, & Imperatorem Græcorum in ſocietatem vocauere, claſſemque octuaginta quattuor triremium ſimul inſtruxere; quam Genuenſis præfectus Paganus Auria circa Boſphorum Thracium, ingenti pugna ſuperatam, diſiecit; nec diu poſtea Aragonenſes, & Veneti ſimul iuncti, duce Nicolao Piſano, conſerto cum Genuenſibus apud Corſicam prælio, vnam & quadraginta triremes hoſtium captas, cum hominibus in profundũ demerſere. Genuenſes eo affecti detrimento, Ioanni archiepiſcopo Mediolanenſi ſe dedidere, cuius auſpiciis apud Sapientiam Peloponneſi promontorium, Nicolaum Piſanum Venetorum præfectum cum quinq; millibus hominum captum, abduxere: & ſecundum hanc victoriam pax mortuo archiepiſcopo æquis conditionibus recepta eſt. Nec diu poſtea memorata apud veteres inſula Thenedos, nouum bellum excitauit, quam Calo Ioannes Græcorum Imperator Venetis tradiderat. Filius eius Andronicus Genuenſibus promiſerat. Pugnatum eſt apud Antium, & Genuenſes conflicti ſunt & rurſus ſex eorum triremes ex Cypro redeuntes captæ, quæ Barnabouis filiam inſulæ regi nuptam eo vexerant. Verſa deinde vice Lucianus Auria Genuenſium claſſis præfectus, Victorem Piſanum apud Polam aggreſſus, duodeuiginti triremes ei abſtulit. Elati ea victoria Genuenſes mare ſuperum duabus claſſibus Venetis clauſere, quarum altera in Piceno ſtationem habuit; altera apud Iaderam, nec terra patebat Venetis Franciſco Carraria Romanum oppidum de Taruiſinis obſidente. Cæperunt Genuenſes Bebas caput aggeris, & ſancti Lazzari vicum, & Clugiã, Motamaucum cremauere: Lauretum vi expugnauere, deinde ad capiendam vrbem animos intendere: ſed concluſi paludibus, & breuibus aquis à leuioribus Venetorũ nauigiis magnum detrimentum accepere: & paulo poſt Clugia obſeſſi, multis affecti cladibus, fame laborantes, deditionem fecere. Decimo calendas Iulii anno ſalutis
1380. milleſimo trigenteſimo octuageſimo, ingens ea Venetorum victoria fuit. Andreas Contarenus dux ciuitatis, Victor Piſanus, Dominicus Michael, Carolus Zenus, & Thaddæus Iuſtinianus eius præcipui auctores habiti ſunt: Hoſtium quattuor millia

tercenti

tercenti quadraginta viui in Venetorum poteſtatem venere: Nec tamen victi, & prope ad internecionem deleti quieuere, & pacẽ petiuere Genuenſes, ſed claſſe in Iſtriã miſſa, bellum reintegrarunt: & Tergeſtinos ad rebellionem compulere: Iuſtinopolim incendio abſumſere: ad portum Venetum per contemptum venere: Polam, & Signiam vi cepere: à Parentio ægre repulſi ſunt: tandem arbitro Sabaudiæ duce ſequẽti anno pax concluſa eſt, ea lege adiecta, vt Caſtellum in inſula Thenedos demoliretur, quod fuerat diſcordiæ cauſa, idq; factum eſt. Poſtremo ſub Philippo Mediolanenſium duce rurſum Genuenſes nauali prælio cum Venetis contenderunt, victiq; ſunt; & Franciſcus Spinola claſſis præfectus in captiuitatem ductus. Deinceps Veneti domini maris habiti, qui diu in continenti Italiæ nihil obtinuere. Prima eorum poſſeſſio Taruiſium fuit, quæ ciuitas, cũ modo Auſtrialibus, modo Patauinis paruiſſet, tandem ſeſe Venetis dedit, anno ſalutis quatto & trigeſimo ſupra milleſimum trigenteſimum. 1334. Contenderunt & Veneti cum Bononienſibus annis tribus. Quadraginta millia militum Bononienſes in armis aliquãdo coegerunt, & caſtellum in oſtio Padi erexerunt: vicerunt tamen eos Veneti, & caſtellum deſtruere compulerũt: Anconitanos ſæpe armis afflixerunt: Carrarios, ſubacto Patauio, eiecerunt: Scaligeris, quorum potentia olim in Italia ingens fuit, Veronam, & Vicentiam ademerunt: Cũ vicecomitibus Mediolani dominis, varia ſæpe fortuna terra, mariq; decertarunt: Ioannem archiepiſcopum, & Barnabouem, & Ioannem Galeatium admodum timuere: Philippum Mariam Florentinis iuncti bello attriuere: Brixiam, Bergamum, & inſignia pleraque oppida ei abſtulerunt: Abduaque tranſmiſſa ad Mediolani vſque mœnia prædabundi excurrerunt: Illo mortuo, cum Placentiam, & Laudam occupaſſent, à Franciſco Sfortia, qui Philippo ſucceſſit, eiecti ſunt; & cum eo demũ æquis conditionib. (vt ante diximus) pacem fecere: Regi Alfonſo aduerſus Frãciſcum, & Florentinos ſocii fuere, deinde hoſtes, tandem in amicitiã rediere, cũ pariter timerent, & timori eſſent: Appoſuerunt & in reb. Eccleſiæ manus: Patriarcham è ſoto Iulii deiecerunt: Rauennã occuparunt: Eugeniũ quartũ, quamuis ſuæ vrbis ciuem, aliquandiu perſecuti ſunt: Poſtremo cum tota Italia, exceptis Genuenſibus, & Romandiolæ tyrannis, in fœdera coiſſent, priores Veneti reperti ſunt, qui Ferdinando Siciliæ regi aduerſus Francos ex fœdere auxilia petenti denegauerunt.

De Venetiarum ſitu, & nauali maxime, ac templo diui Marci, aliiſque ædificiis, & claris viris.

Venetia (vt diximus) ab initio inſulas, quæ ſunt inter Gradenſes aquas & Lauretum, fere omnes occupauit: vno ciuitatis corpore ex plurib. ciuitatib. conſtituto. Hodie continua ſunt ædificia, quæ vnam, & eam quidem pulcherrimam vrbem efficiũt: canalibus tantum. in quis aquæ ſalſæ decurrunt, tanquam viis quibuſdam inter ſe diuiſis: Latitudo canalium maiorum, triremem capit remigio vadentem: Sunt & viæ lateribus ſtratæ, quas pedibus ambulant: Merces huc ex toto fere orbe conuehuntur: neq; aliud eſt Europa tota nobilius emporium: negociatores totius Occidentis huc res deferunt, & Orientales accipiunt merces: Armamentarium, & nauale quod Arſenal quaſi naualem artem vocitant, ditiſſimum habent omni machinarum genere refertum, in quo biremes, triremes, & alia omnis generis nauigia abſq; intermiſſione ædificant; opinio eſt, atq; ea conſtans, eos cum velint breuiſſimo tempore ducentum amplius triremes, & maiores etiam onerarias quamplurimas armare poſſe; quod aliquando fecerunt. Vrbs tota lateritia pulcherrimis ædificiis exornata: Verum ſi ſtabit Imperium breui marmorea fiet, & iam nobilium patriciorum ædes marmore vndiq; incruſtatæ plurimo fulgent auro. Beato Marco Euangeliſtæ in media vrbe, nobiliſſima conſtructa eſt ædes, ex Orientali teſtudines teſſellato opere, quod Muſaicum vocant, vndiq; deauratæ: hic theſaurum eſſe aſſerunt in æde Marciana ſub Procuratorum cuſtodia regales opes excedentem, carbunculis, adamãtibus, ſmaragdis, & omni gemmarum genere, refertiſſimum Orientalium olim Imperatorum gaza. Hæc omnia noſtra ætate Græculus quidam Stamate nomine ſubtili furatus ingenio; tandẽ captus, & vltimo ſupplicio affectus eſt, diſſuadente duce Franciſco Foſcari, qui auſum talia ſeruandum eſſe dicebat. Turris campanariæ pinnaculum multis aureorum millib. inauratum ferunt: ducale palatium ampliſſimum eſt, quod ſupra incenſum, & deinde inſtauratum diximus. Huic proxime curia, vbi ſenatus habetur, & comitiũ ſuper columnas marmoreas ædificatũ, omnib. ornamẽtis illuſtre. Sunt & alia permulta

templa per vrbem miro ſumptu & opere Deo, cælitibuſq; exædificata; creſcit indies ciuitas, nullis circumdata mœnibus, aqua tantum pro muro eſt, continens vbi propius accedit paſſuum tribus millibus diſtat. Viros habuit noſtra ætate litterarum doctrina illuſtres: Paulum ordinis ſancti Auguſtini profeſſorem, cuius dialecticos libros hodie multi ſequuntur: Franciſcum Barbarum equitem inſignem patricium Græcis ac Latinis litteris eruditum, & qui ex Græcis multa in latinum vertit: Leonardum Iuſtinianum Bernardi filium, & Bernardum Iuſtinianum equitem ipſius Leonardi filium: Zachariam Triuiſanum, & plures, quos nimis longum eſſet ſingulos recenſere. Hæc de Venetis paulo altius repetiuimus, qui etſi diu legatos ſuos ad Mātuanum conuentū mittere recuſarunt; poſtremo tamen cum accepiſſent ducem Cliuenſem aduenaſſe, oratores Francos propediem venturos, ipſumq; Franciſcū Sfortiam Mediolanenſium ducem adeſſe, neq; alios ex tota Italia, quam ſeipſos deſiderari; duos oratores cum delecta nobilium iuuentute Mantuam miſere, Vrſatum Iuſtinianum, & Ludouicum Foſcarenum iuriſconſultum clariſſimum, adiunctis equitibus circiter quingentis, qui honoris cauſa itineris eſſent comites. Franciſcus Sfortia ob reuerentiam vrbis Venetiæ his extra mœnia obuiā proceſſit, mediuſq; inter duos oratores introiuit. Ludouicus alter ex legatis in conſiſtorio publico luculentam orationem habuit: erat enim non iuriſconſultus modo, verum etiam eloquentiæ ſtudioſus; orationis hæc ſententia fuit. Deteſtari Venetos Turcarum audaciam, qui aliena inuaderent, Chriſtianorum ignauiam accuſare, qui ſua non tuerentur, neq; arma pro religione capere auderent. Laudare Pontificem, qui de communi ſalute anxius non ſine labore, & ſumptu Mantuam petiuiſſet; bellum contra Turcas ſuſcipiendum ſuadere: ſi vnitis Chriſtianorum virib. geri poſſet, atq; in eum euentum ſeſe magna facturos promittere. E contra Pius Pontifex de origine Venetorum, deq; glorioſis eorum geſtis, nonnulla præfatus, oblata eorum pro tuenda religione collaudauit, quāuis eam conditionē haberent, quæ difficillime poſſet impleri: tarditatem legatorum accuſauit, qui cum eſſent conuentui propinquiſſimi, vltimi tamen omnium veniſſent. Commemorauit & Alexandri tertii Romani Pontificis quanta in Venetos charitas, nec ſe minus erga eos dilectionis habiturum affirmauit, ſi ad tutelam religionis (vt par eſt) ſuam operam nauarent.

Aduentus & oratio legatorum Venetorum, & Pii reſponſio.

Progreſſus concilii, & Pii oratio luculentiſſima, Beſſarionisq; reſponſum, & Franciſci Sfortiæ vulgaris oratio.

Cum plenum iam concilium eſſet, quamuis nondum Franci veniſſent: placuit Romano Pontifici, prius quam Franciſcus dux Mediolani abiret, qui diu retineri nō poterat, ſimul omnes alloqui, qui præſentes aderant, atq; ad belli ſuſceptionem cohortari: facta igitur re diuina in eccleſia cathedrali principes ac legati omnes, in cōcionem accerſiti ſunt. Multæ ibi de ſeſſione contentiones fuere, ſed nulla maior, quā Venetorum, & Sabaudienſium: illi potentiam, & antiquitatem ſui Imperii præferebant: iſti nobilitatem ſanguinis, & conſuetudinem. Pontifex, cum alio modo ſopiri controuerſia nequiret, creſcerentq; paulatim iurgia, & iam Vrſatius Iuſtinianus orator Venetorum accinctus ad rixam videretur, Venetis poſt oratores ducis Burgundiæ collocatis, Sabaudienſes ad ſcabellum ſui ſolii ſedere iuſſit, atq; imperato ſilentio horis circiter tribus perorauit, tanta auditorum attentione, vt nullum exciderit non intellectum verbum: & quamuis tuſſi per eos dies laboraſſet grauiſſime, diuina tamen ope adiutus inter orandum, neq; tuſſiuit vnquam, neque vel minimum oſtendit impedimentum. De bello in Turcas gerendo multa copioſe locutus, id non modo vtile, verum etiam iuſtum, facillimum, ac neceſſarium demonſtrauit. Eius oratio poſtmodum edita eſt, & inter alias continetur. Pontifex cum finem feciſſet, Beſſarion cardinalis Græcus pro collegio locutus, non pauciora quam Pontifex verba fecit, oſtendens quantam paſſi iacturam Chriſtiani eſſent, perdita Conſtantinopoli, & quæ inſtarent mala, niſi Turcarum conatib. obuiam iretur. Docuit facilem eſſe audentibus victoriam; ſuaſitq; multis rationib. bellum eſſe capeſſendum; laudare probareq; omnia ſacrum collegium affirmauit, quæ Pontifex maximus orando dixiſſet; laudata eſt eius oratio, etſi Græcam facundiam quantum Latina præiret oſtēderit. Aderat ab Imperatore miſſus Antonius epiſcopus Tergeſtinus, qui nihil auſus eſt in tanto conuentu perloqui. Collega eius Ioannes Inderbachius ægrotabat. Ce-

teri

teri oratores regum, principum, ciuitatum, concordibus votis verba Pontificis probauere. Franciſcus Sfortia militari eloquentia, & verbis patriis, ſuſcipiendum in hoſtes fidei bellum magnopere ſuaſit, ſeq; & ſua in eam rem obtulit.

Oratio Hungarorum, & Pii reſponſum.

Aderant & oratores Hungariæ, qui ſuo loco dicendi copiā adepti: (vltimi enim fuere qui loquerentur) cum petituri opem veniſſent; Pontifice laudato, qui de communi ſalute ſollicitus eſſet, Imperatorem plurib. verbis criminati ſunt, qui laborantibus Turcarum bello Hungaris moleſtias addidiſſet, nouis tumultibus regnum inuoluens. Fremebat his auditis aduerſus Imperatorem, tota concio: nec orator eius in tāto conſeſſu obiecta diluere audebat, vt qui concione non eſſet alloqui ſolitus. Tum Pontifex præter rem & contra rem inquit: Hungari locuti eſtis, de bello contra Turcas gerendo, nunc agimus, & cauſæ veſtræ conſulentes, Imperatorem, & Chriſtianos reliquos in auxilium veſtrum armare conamur: vos opem quæritis, & qui poſſunt opitulari verbis laceſſitis? non eſt hoc, quod regno veſtro conducat, neq; hic locus eſt, in quo iurgia iactare conueniat. Male miſeria, & arrogantia ſimul habitant. Nos Imperatorem amantem iuſti nouimus, nec regem veſtrum ab honeſto diſcedere arbitramur, quamuis de regno diſſentiant; nemo tamen iniuſtam habere ſe cauſam arbitratur, cum veritatem nouerint, obedient veritati, danda eſt opera, vt in amicitiam redeant. Miſimus ad eos legatum vnum, mittemus & alium, ſi opus fuerit, ne quid ad reconciliandos inter ſe principes, deſit: interea quod in manibus eſt abſoluamus; faceſſantque prorſus hoc in loco diſſentiones, nec maledictum aliquod audiatur: Siluere his auditis Hungari: reliqui omnes verba Pontificis probauere, & vnitis animis bellum eſſe gerendum aduerſus Turcas decreuerunt; & concio eius diei ſoluta eſt.

De belli conſultatione, quo milite, quibusve modis eſſet ineundum, cum Italicis habita.

Poſtridie cuncti qui aderant Italici nominis oratores, ac principes ad præſentiam Pontificis accerſiti ſunt. Conuenere in palatio Franciſcus Mediolanenſiū dux, Ludouicus Mantuanus, & Vilhelmus Montis ferrati marchio, ac Sigiſmundus Malateſta. Et quoniam rex Aragonum Siciliam, Corſicam, ac Sardiniam, Italici iuris inſulas poſſideret, oratores eius interfuere. Tum regis Ferdinandi legati, archiepiſcopus Beneuentanus, & Andriæ dux; deinde Veneti, Florentini, Senenſes, Ferrarienſes, Lucenſes, ac Bononienſes, Sabaudienſes, quamuis eis alpes late dominentur, ad Frācos inclinantes, cum Italicis adnumerari noluerunt. Genuenſes nondum publice aderant, clam tamen auxilia pollicebantur. Cardinales ſiniſtrum, dextrumq; latus Pōtificis obtinebant. Principes, ac legati è regione ſedebant, quibus audire paratis, decreuimus, inquit Pontifex, veſtro conſilio filii bellum Turcis inferre; nec dubitamus quin arma, equi, homines, naues, pecuniæ abunde ſuppetant, ſi Chriſtiani ſuæ ſaluti affuerint. Nunc cogitandum eſt mari, an terra, an vtrobiq; aggrediendus ſit hoſtis; & quæ claſſis, quive terreſtris exercitus ſit neceſſarius, & quibus ex populis legendi ſint milites: verum pecunia Hungari, an milite ſint adiuuandi, conſulite in medium; & quæ promittitis auxilia palam proponite. Primus ad hæc Franciſcus reſpondit, & quæ pridie promiſerat confirmauit; deinde hoc conſilium dedit: videri ſibi neceſſarium eſſe mari, terraq; Turcas ſummis viribus inuaſum iri. De quantitate exercitus, ſequi vires hoſtium neſciret, loqui non poſſe. Milites autem ex his regionibus delegendos fore, quæ Turcis eſſent proximæ, noſſentque mores hoſtium, & inſidias callerent: ex Italia, ceteriſque prouinciis remotioribus pecunias cogendas, quibus Hungarorum, & aliorum exercitus alerentur; incognitas Hungaris gentes haudquaquam mittendas, quæ facile cum illis tumultuarentur, nec ſine grauiſſimo ſumptu, aut mitti eo poſſent, aut retineri. Aragonenſes, quorum princeps erat Cliuenſis epiſcopus, multa & magna ſui regis nomine, promiſerunt; & Franciſci conſilium laudarunt: Veneti, qui nihil polliceri auderent, cōſilium, tanquam priuati homines dantes mari, terraq; hoſtem eſſe premendum, cenſerent: claſſem triginta triremium, & octo nauium cetearū in mari ſufficere, quæ in Helleſpontum traiiciens, littora hinc Græciæ, inde Aſiæ infeſtaret; ſic fieri vt multi Turcarum ad cuſtodienda maritima loca deſtinarentur: terreſtres copias ex Hungaria, viciniſq; locis cogendas eſſe: equitum quadraginta millium, peditum viginti millium: nec minores eſſe oportere: argētum bello neceſſarium, ex reliquis Chriſtianorū prouinciis hauriendū. qui poſtea locuti ſunt

omnes fere in hanc ſententiam pedibus iuerunt, præter Sigiſmundum Malateſtam, qui vbi ad eum ventum eſt, aſſurgens militari quadam, & præcipiti facundia: Ego, inquit, Pater ſanctiſſime, rem nauticam prætereo, cuius me fateor ignarum Venetis hanc prouinciam relinquo, in bello campeſtri exercitatus; qui ante me locuti ſunt, omnes eas gentes armandas dixere, quæ Turcis cohærent, & illorum mores norunt; mihi longe alia ſententia eſt: nam, qui Turcis proximi habitant Hungari, Valachi, Raſciani, Bulgari, Epyrotæ, Græci, ſæpe ante illorum ora ceciderunt, neq; vultum poſſunt Turcarum ferre: ego ſi hoc bellum ſim geſturus, Italici generis equites, ac pedites armauerim, eo numero, qui ſatis fuerit; nec de victoria dubitauerim: præſtant enim noſtri milites, ac duces longe alios; equos prætetea, & armaturas meliores habemus; neque illud obſtat, quòd genus pugnæ neſcimus, quo illi vtuntur, quando neque illi noſtrum norere, & facilius nos illorum inſidias, quam illi noſtras vitabimus, ut ſunt Italorum dexterrima ingenia: quare ſuadeo vt reliqui pecuniā contribuant, Itali bellum gerant. Laudata eſt Sigiſmundi oratio; poſtquam vero cuncti finiere, Pius in hunc modum locutus eſt. Et nos quidem ſi fieri poſſet ò filii hoc bellum Italico milite gereremus; quando nulla eſt alia gens, quæ ſit præſtantior armis: ſed hoc difficillimum eſt, atque propemodum impoſſibile: quis enim tantum auri ſubminiſtret, quantum hæ copiæ conſumant, quæ ab Italia in Græciam proficiſcantur? nec duces noſtri ſunt, qui militare extra Italiam velint, inter nos ſine vitæ diſcrimine, & magno cum emolumento belligerant; cum Turcis cruenta fiunt prælia, nec lucra magna quæruntur, niſi animarum. Rurſus Theutones, atque Hungaros, ſiue Bohemos pecunia conducere, qui bellum gerant, arduum eſt: nam ſi Italia pecuniam dederit, nulla prouincia dabit. Auari & ſuſpicioſi ſunt illi, ſemperque falli circa pecuniam exiſtimant; fortaſſe armatum militem dabunt, aurum non dabunt, & ſi eo pacto plus conferant, pecunia Italica vix claſſi ſufficiet: quod poſſumus, non quod volumus neceſſe eſt facere, eo milite gerendum eſt bellum, qui haberi poteſt: Galli, & Angli, & Theutones, & Bohemi, & Poloni copias pollicentur, hiſque terreſtre bellum inſtruemus: ex Hiſpanis, qui Caſtellani vocantur propter Mauritanos, quibus cum certamē habent, excuſatum ſe mittent: Cathelani, & Aragonenſes, & Portugallenſes, ſi quid obtulerint, ad rem nauticam pertinebit. labor erit non imus inficias, tot diuerſiſſimas gentes in vnis caſtris continere; licebit tamen & plures duces, & plura caſtra conſtituere, ea moderatione adhibita, vt altera ſubueniant alteris, cum neceſſitas ingruerit: vnum tamen ducem cuncti reſpicient Apoſtolicæ ſedis legatum, & vnum ſignum ſequentur, viuificæ Crucis: verum hæc præmatura eſt cura.

Quanto militis opus, & unde pecunia exigenda ſit, & Venetorum tergiuerſatio.

Nunc vnde copias habeamus, in conſultationem venit; & quam multas cogere oporteat; his habitis & de ducibus, & de concordia gentium tranſigemus. Multa de potentia Turcarum in medium adducta ſunt: nobis compertum eſt plus quam ducenta hominum millia eos ad bellum adducere non poſſe & in his ruſticos, inermes, atque imbellem turbam contineri: robur ſui exercitus in Genizeris conſiſtere, qui quadraginta millia non excedant; nec dubitandum eſſe de victoria Chriſtianorum, ſi vel quinquaginta millia ad pugnam ierint, quando & armis multu, ac virtute præſtant; verum equites eſſe oportet, maiori ex parte, qui bellum gerant: loca enim campeſtria ſunt, in quibus pugnandum erit, & Turcarum equitatus eſt magnus, & maiores copiæ; neque regi facile, neque ali poſſunt, bello maritimo, triginta triremes, & octo ceteras naues affirmant Veneti victoriam traditura: id eſt ferme omniū, qui Turcas nouere iudicium; quod ſi decem triremes adiiciantur, non eſt dubium quin noſtri mare poſſideant, neq; ſinant, ex Aſia tranſire Turcas, quorum maxima pars ad tuenda, quæ circa mare ſunt, oppida diſtinebitur: & multo minores erunt copiæ ad campeſtre bellum ituræ: ſic rerum gnari loquuntur. Diximus vnde legendi ſint milites, & quantas terra, mariq; copias haberi oporteat: nunc de pecuniis tranſigamus. Noſtra ſententia eſt, ſi conſulitis, vt clerici ſuorum prouentuum in hunc vſum triennio decimam afferant, laici trigeſimam, Iudæi omnium quæ poſſident vigeſimam, hinc pecunias abunde corrademus, huic bello neceſſarias; ſi qui plus conferri voluerint in lucro erit; vos ſi melius aliquid cogitaſtis, proponite in medium, nos conſilia veſtra ſequemur. Placuit omnibus Pontificis ſententia, & ſe-

cundum

cundum eam decretum ediderunt, oui præter oratotes Venetos, ac Florentinos ceteri omnes ſubſcripſerunt. Florentini admodum reprehenſi, quod ad concilium miſſi tantum verba dediſſent ſemotis arbitris Pontificis colloquium petiere, quod cum obtinuiſſent, tandem duob. intromiſſis cardinalib. Beſſarione Nicæno, & Ioanne ſācti Sixti, Florentinum populum ad obſeruationem decreti obligauerunt; petentes id occultum eſſe, donec nauigia mercibus onuſta ex Conſtantinopoli rediiſſent, quod ante Natalem Saluatoris diem futurū eſſe confidebant, de qua re ſolemnis ſtipulatio interceſſit; & nihilominus ne Florentinorum negligentia res Chriſtiana impediri videretur, Franciſeus Mediolanenſium dux, pro Florentinis publice ſe vadem conſtituit. Poſt hæc multa cum legatis Venetis agitata ſunt, qui etſi generale mandatum à republica non haberent, vt ſolidi, certiq; aliquid promitterent, rem tamen verbis trahebant, verentes ne inito cum Turcis bello, omnis in Oriente negociatio ceſſaret: & ne Mediolanenſis, dum ipſi Turcarum bello eſſent occupati, arma contra res ſuas inferret. Sed cum preſſius vrgerentur, dixerunt, Venetos ita demum ſocios futuros, ſi rem nauticam ſoli adminiſtrare permitterentur: ſi ſua facerent ex hoſte rapienda: ſi claſſis impenſa leuarentur: ſi exercitus ex Hungaria contra Turcas quinquaginta millium equitum, & viginti millium peditum proficiſceretur: claſſem autem ſexaginta triremium, & nauium viginti cetearum neceſſariam eſſe aiebant: & in his vltra remiges & reliquos nautas, octomillia militum requirebantur: corpora nauium, & armamenta tantum ſe gratis exhibituros, promittentes: pro cæteris rebus pecuniā exquirebant: atq; in hunc vſum decimas, vigeſimas, ac trigeſimas ſuæ ditionis, quas centum quinquaginta millia auri nummum conferre arbitrabantur: neq; his contēti, amplius auri quindecies centena millia ex publico poſtulabāt: & huiuſcemodi Venetorum oblatio fuit. Quib. Pōtifex ita reſpondit. Mercedē Veneti fere impoſſibilē quæritis: dolendum eſt ciuitatem veſtram, quæ olim maximas claſſes pro tutela fidei libenter armauit, hodie ne vnā quidē nauim armare velle. Contra Piſanos, cōtra Genuenſes, reges & Imperatores pro ſociis, ac ſubditis ingentia ſæpe bella veſtro ære geſſiſtis: nunc pro Chriſto pugnaturi aduerſus impios Turcas pretium poſcitis? Nos veſtræ ciuitatis procuratores ſumus, ſuam rem agimus, dum bellum Turcis inferro quærimus, hoſtem veſtris ceruicibus imminentem ſtudemus auertere. Quis regum vnquam tantum auri in apparatu alicuius belli promptum habuit, quantum ex nobis quæritur? ſufficit tantum adeſſe, quantum principia requirunt: reliquum decretæ decimæ miniſtrabunt: & duces, ſi modo homines fuerint, non fœminæ. Vos inſuper oratores, ſexaginta triremes & viginti naues exigitis: nuper dimidiatam claſſem ſatis eſſe dixiſtis: ſeptuaginta millia pugnatorum ad bellū campeſtre depoſcitis, qui res Turcarum inſpexere quadraginta millibus confici poſſe bellū diiudicant; difficultates ingeritis, ne bellum fiat; agite non fiat, vos primi dabitis pœnas. Multa in hūc modum, & ſæpe dicta ſunt. Oratores, vt erant cauti artificioſe reſpondebant, ex ſuperiorum temporum ſucceſſibus Turcarum rerum peritiſſimi, nunc iſtam, nunc illam viā aperiebāt; hoſtiumq; vires augentes, noſtras attenuantes, tempus trahere conabantur, donec ſolueretur conuentus.

Legati Frā- corum Bri- tannorum, Genuenſium & Rhenati.

Interea de legatis Francorum aduentantibus rumor oboritur quod amici Venetis, infeſti Papæ propter regnum Siciliæ, ad concilium veniant. Dux itaq; Mediolani ſubſcripto promiſſionis decreto domum repetiit. Ex oratoribus regis Franciæ, qui nominati erant, vnus præceſſit decanus Carnotenſis, cuius ſupra meminimus: is cum eſſet electus ſuæ pontifex Eccleſiæ, & ſecundum pragmaticam ſanctionem à ſuo metropolitano confirmatus, non tamen ſatis tutum ſe exiſtimabat, niſi à Romano Præſule approbaretur. Accepto itaq; legati titulo, vt cauſam ſuam melius ageret, ante alios oratores iter arripuit; cumque Mantuæ præmiſſus eſſet, ſignificauit ſe tanquam electum epiſcopum veſte linea ſub pallio ingreſſurum, idq; licere ſibi ex venia Pontificis arroganter petebat: nec arbitrabatur ob dignitatem legationis id poſſe negari, ſed iuſſus eſt aut id veſtis deponere, aut retro in Franciam reuerti; ille humiliatus Pōtifici obediuit, & obtenta demum confirmatione, prius domum rediit, quam ceteri legati adeſſent; ſecuti ſunt paulo poſt oratores, alii non minori admiratione, quam fuerant expectati: legationis principes fuere Turonenſis archiepiſcopus venerabilis

ſenex, epiſcopus Pariſienſis diſputator acutus, Thomas Corcellus inſignis theologus, & Bailiuius Rhotomagenſis. Rhenatus Siciliæ rex oratores ſuos his adiunxit, epiſcopum Maſſilienſem, quem ſupta nominauimus, & militiæ ſuæ magiſtrũ. Sequebantnr & ducis Britanniæ legati, nepos eius, & Maclouienſis epiſcopus, & alii quam plures viri præſtantes. Adfuit & legatio Genuenſium, qui Francis tanquam dominis adulabantur.

De Britannia.

Britannia hodie Galliæ portio eſt ad Oceanum ſita, olim inſula fuit, quæ apud Ptolemæum Coſmographum Albion appellatur; Angli Germanicum genus; Biitannis inſula pulſis, à ſe Angliam vocauere; illi in continentem nauigãtes inter Guaſcones, & Nortmannos, ſedes ſortiti ſunt, in quis nomen, & linguam retinuere, multis ciuitatibus occupatis, quarum vna eſt Venetenſis appellata, cuius ante meminimus, cum de Venetiis Italicis ageremus. Dux Britanniæ, etſi eſt minor Francorum rege, eiuſq; terra circumdatur: ſuis tamen legibus viuit, neq; recognoſcit in temporali ditione ſuperiorem: ea propter cum Franci pragmaticam quandam ſanctionem edidiſſent, quæ Apoſtolicæ ſedis eminenriam, gloriamq; circumſcribere videbatur, non obtemperauit illi, neq; Gallicas ſanctiones ſecutus eſt. In obedientia primæ ſedis more maiorum perſeuerans: legati ſui Mantuã profecti, cum animaduerterent cunctari Francos in exhibenda Pontifici obedientia, non expectatis illis conſiſtorium petiere, in quo ſui principis mandata referrent: impetratoque, adſumus, inquit, Maclouienſis epiſcopus Britãniæ ducis legati, filii tui obſequentiſſimi obedientiam tibi, & reuerentiam, more maiorum exhibemus: te Chriſti vicarium profitemur: verũ beati Petri ſucceſſorem, militantis Eccleſiæ caput, & magiſtrum: Chriſtiani ſumus, & te ducem ſequimur Chriſtiani exercitus: maiores noſtri, poſt accepta ſemel Chriſti ſacra, nunquam apoſtatarunt: vixere Romanis legibus, nec vnquam primæ ſedis mandatis aduerſati ſunt: pragmaticam ſanctionem Gallicæ gentis inuentum reſpuere: prædeceſſoribus tuis conſtanti animo adhæſerunt: ſequitur princeps noſter ſuorum veſtigia progenitorũ: te iubente nos hunc adire conuentum voluit: auditurus, facturuſq; mandata tua: accepit te velle in Turcas expeditionem ducere: laudat propoſitum tuum, & neceſſarium, ſanctumq; opus eſſe affirmat, quod meditaris: non deerit tibi, cupit eſſe particeps præclari huius operis: arma, equos, naues, viros apparabit, cum iuſſeris, pro ſuis facultatibus, teque ſequetur; tantum curato, vt aduerſum potentiſſimum hoſtem potenter proficiſcaris.

Pollicitationes legatorũ, & Pii reſponſa.

Lætatus eſt Pontifex legatione Britannica, & ampliſſimis verbis ducem, & gẽtem collaudauit. Inter legatos Francos dies aliquot diſceptatum eſt, obedientiã prius præſtarent, an res Siculas aggrederentur; ſed cum Pius inobedientib. audientiam negaret, coacti ſunt obedientiam præmittere. Verba fecit Pariſienſis epiſcopus, qui Dauidicum illud pro themate, vt aiunt, prætulit: Secundum nomen tuum, ita & laus tua in fines terræ, iuſtitiæ plena eſt dextera tua. Deinde orationem ſuam partitus, de laude Pontificis, de ſedis Apoſtolicæ eminentia, de gloria ſui regis, ac regni multa locutus; tandem obedientiam regis nomine præſtitit, filialẽq; illam appellauit, vt ſeruilẽ excluderet: de Turcis pauca libauit, paucioraq; aduerſus eos auxilia promiſit. Maſſilienſis deinde Rhenatum regem obedientem obtulit: & Broccardus Genuenſis orator pro ſua ciuitate orationem habuit, ornatam quidem; ſed quæ ſuperbam olim vrbem, iam ſeruam oſtenderet, Francorum arrogantiæ, ac tumori ancillantem. Pontifex omnibus auditis, indignum ſe eſſe reſpondit, qui tantis præconiis extolleretur; vilem ſe vermiculum puluerem, ac cinerem vocitans, nec ſuis meritis, ſed occulto quodam diuinitatis iudicio, ad beati Petri cathedram accerſitum; optare, vt miniſterium iniunctum pro diuina gloria poſſit explere; attributas Apoſtolicæ ſedi laudes veras eſſe, quamuis reipſa minores, quæ cæleſtis regni claues accepiſſet, diuinitatemque referret in terris, cuius iudicium qui ſperneret, anathema eſſet: regnum Franciæ inter cetera excellere armorum gloria: regum illuſtria fuiſſe opera, & antiquum ſanguinem; Carolum, qui regnare, & à ſuis progenitoribus haudquaquam degenerare; obedientiam eius erga Romanam Eccleſiam laudem mereri; quamuis aduerſus Turcas pauca promiſſa eſſent, ſperare ſe magna de illa domo, cuius proprium fuiſſet, & Romanam Eccleſiam, & Chriſtianam religionem ad-

uerſus

uerſus hoſtes defendere: Rhennati quoq; regis obedientiam, & Genuenſis populi deuotionem commendauit. Admirati ſunt omnes qui aderant Francorum legatos, qui multa minabantur, tam humiles ac ſubmiſſos fuiſſe. Expectabant curiales dura & acerba Francorum audire verba, negari obedientiam, generale cócilium peti, ſpe fruſtrati in admirationem Pontificis rediere.

Poſt dies aliquot adeuntes Franci Pontificem, habere ſe aliqua dixerunt de regno Siciliæ, quæ præſentibus nonnullorum principum legatis exponere vellent: Pótifex libertatem fecit aduocandi quos cuperent. Aduenerat Imperatoris noua legatio, cuius principes fuere Ioannes epiſcopus Eſtetenſis, virtute & auctoritate inſignis, & Georgius Tridentinus Pontifici iampridem notus. Tum Carolus marchio Badenſis, cui ſoror Imperatoria nupſit. Aderant & legati Caſtellæ regis, epiſcopus Ouetenſis, & monachus quidam ordinis Minorum ex Iudæis ad Chriſtianam religionem conuerſus. Indigna tanto principe legatio. Miſerat & Alfonſus Luſitaniæ rex oratores ſuos non ignobiles, hos & alios plures acceſſiuerunt Franci: adeunteſq; Pontificem Rothomagenſi Bailiuio dicendi prouinciá mandauere. Qui facto ſilentio Francorū, quos appellauit Liliatos, egregia pro religione facinora, & quot in Apoſtolicam ſedem beneficia contuliſſent, longa oratione narrauit: regnum Siciliæ quo pacto ad eos perueniſſet, & quanto ſanguine fuiſſet emptum, expoſuit: Alfonſum armis non iure vſum, qui eos eiecit indigne Pium feciſſe, qui filium Alfonſi ſpurium, ac corona indignum, tanto regno prætuliſſet: Rhenatum ſpreuiſſet verũ regẽ, quod Caliſtus quãuis Aragonenſis efficere noluiſſet, iniuriam paſſos eſſe à Pontifice Francos, Pium, qui nobiliſſimo Liliatorũ ſpreto ſanguine prætuliſſet Aragonenſes, petere, vt inconſulte facta conſulte reuocaret: Rhenato regnum decerneret: Ferdinandum reiiceret, ſic futurum, vt contumelia Francis illata cõpenſaretur. Hæc orationis ſententia fuit, quib. auditis criſtas cuncti erigere, qui Francis erant amici, & quaſi victores exultare, nec auſurum reſpondere Pontificẽ arbitrari. Ipſe vero paucis pro tempore vſus. Audiuimus, inquit, oratores regii, quæ pro Rhenati cauſa dixiſtis non ſine accuſatione noſtra. Nos quæ fecimus in regno Siciliæ, conſulente cardinalium ſenatu, geſta ſunt, nunc ſi reuocari tanquam iniuſte acta petuntur, æquum eſt vt eorum conſilium exquiramus: quo habito, reſponſum & querelis, & petitionib. veſtris dabimus: atq; ita conuentum dimiſit. Poſt hæc Pontifex graui ægritudine ſtomachi affectus eſt, & arida tuſſi adeo vexatus, vt de vita eius & ipſe, & medici dubitarent. Franci vero ea re cognita ſimul...tionem eſſe, non ægritudinem dicere, reſponſum exigere, properare, inſtare, victum Pontificẽ ſuis rationibus exiſtimare, ac propterea reſponſum effugere. Quod cum Pius cognouiſſet: Et ſi me, inquit, media in concione mori oporteat, reſpondebo nec vincet animum dolor, nec faciet ægritudo vt timere videar. Vocatis igitur cardinalibus, & communicato reſponſo, quod facturus erat, quamuis nonnulli inter paucos reſpondendum ſuaderent, ipſe legatos omnes principum accerſiri iuſſit, & qui præſtantes erant in curia viri, qui cum frequentes conueniſſent, Pontifex languidus, & ingenti dolore oppreſſus, cubiculum exiit, & in aula ſua, ſublimi ſedens ſolio, indicto ſilentio pallidus, & admodum anxius vix fari poterat. At vbi calor inualuit, ardens dicendi vi, dolore ſuperato, affluentibus verbis, ſine vllo labore locutus trium horarum habuit orationem, quæ maxima omnium attentione audita eſt. In ea Pontifex Francorum laudes, longe melius, quam Bailiuius explicauit: confeſſus eſt multa illos in Romanam Eccleſiam beneficia contuliſſe; verum nõ minora ab ea recepiſſe: quæ in regno Siciliæ facta eſſent, nec iure, nec ratione carere: iniuſtas eſſe Francorum querelas, quorum iuri non eſſet derogatum: Verum iniurios ipſos negari non poſſe, qui legem in regno ſuo promulgaſſent, Apoſtolicæ ſedi aduerſam quæ multas animas in gehennam raperet: extat oratio inter alias ſcripta, non eſt cur ſingulas eius partes hoc loco inſeramus, in volumine orationum quærenda eſt, ſi quis quam pulchre Gallorum dicta fuerint confutata, cognoſcere cupit. Cum Pius dicendi finem feciſſet, Franci ſuum regem laeſum dixere, cupere audiri, ne indefenſum ſui principis honorem relinquere viderentur. quib. Pontifex: Vos, inquit, audiam & quando, & quoties placebit, & ſtatim ex aula in cubiculum rediit, omni languore, ac dolore liberatus, ita calor orationis frigus omne deiecit è ſtomacho. Car-

Francorũ querela de regno Siciliæ, & Pij reſponſio vehementiſſima & cum ægrotatio, & animi magnitudo.

dinales lætabundi ad eum ingreſſi pro ſeruato ſedis honore, gratias egere: curiales qui Pontificem contemnere videbantur, in admirationem eius conuerſi ſunt, illud præcipue laudantes, quòd de pragmatica ſanctione fuerat dictum, affirmantes memoria patrum noſtrorum nunquam fuiſſe Papam, qui verba feciſſet magis Papalia.

Altera Francorum querela in conſiſtorio ſecreto, alteraque Pii confutatio.

Poſtridie cardinales Galli Pontificem accedentes, oratoribus Francis publicā audientiam petiere, ita illos cupere affirmantes. Pontifex conceſſurum ſe ait, verum publice dicta, publice cōfutaturum: eligerēt publice, an priuatim confundi vellent, quia non eſſet elinguis Pontifex, neq; partes iniuſtæ cauſæ tueretur. Cōſiderauerunt verba Pontificis Franci, priuatamq; audientiam elegere, octo tantum cardinalibus accerſitis, atque horis duabus Rhenati cauſam orauere; ea locuti, quæ nullo pacto confutari poſſe arbitrabantur. Verum Pontifex cunctis memoriæ commendatis, quæ pondus habere videbantur, ex tempore nihil moratus, adeo efficaciter obiecta diluit, adeo acute ſua cōfirmauit, vt gratiſſimū Francis fuerit, corā paucis fuiſſe certamen, quippe qui ſuarum memor actionum, qua ratione hoc, aut illud feciſſet non ignorabat. Nulla fuit argumentatio Francorum, quam non è veſtigio diſſoluerit, qui rubore, ac confuſione, & ipſo denique ſilentio, palam ſe victos reddidere; quorum plurimi, qui antea Pontificem blaſphemauerant viri nobiles, & legationis principes ad pedes eius proſtrati veniam petiuerunt. Reliqui ad impetrandas gratias ſe conuerterunt, neq; amplius de regno Siciliæ verbum facere præſumpſerunt. Quorum Fecialis, ſiue vt noſtra ætas vocat, Araldus vir prudens cum in corona curialium rogaretur, quid nam Franci ſilerent? quorum minæ tanquam tonitrua prius auditæ fuiſſent, facete reſpondit: Dæmonia, inquit, vexati ad Eccleſiam dum trahuntur clamoribus, omnia complent, at vbi ſacerdoti in conſpectum venere, & ſacris tacti velaminibus, veluti mortui conquieſcunt. Idem nobis accidit, viſo & audito Pio Pontifice, cecidit omnis furor.

Legatio Francorum parū ad rem communem afferens, ſuis tantum querelis occupata.

Poſt hæc rogati oratores Franci, quid auxilii contra Turcas afferrent; vanum eſſe dixerunt de Turcis cogitare, niſi res Gallicæ, atque Anglicæ componerentur; quia nemo vellet indefenſam patriam hoſti relinquere, quærendam domi pacem, tum de bello in exteros agendum: ad quos Pontifex prius inquit quàm Franci, & Angli reconcilientur, delebunt Turcæ Hungaros, ſero deinde auxiliū afferetis, licebat ſi non milite, at ſaltim pecunia rem Chriſtianā iuuare: Quamuis cur militē quoq; nequeatis mittere non videmus, qui & à vobis requiritur, & ab Anglis; quòd ſi pares copias, proportione habita, ambo miſerint, nil minor erit veſtra domi potentia, quàm nunc eſt aduerſus hoſtes. Cumq; rationibus ſatisfacere non valerent, mandatum ſibi fuiſſe dixerunt ea de re, vt nihil promitterent, niſi venientibus Anglis, & pacem accipiētibus: cum illi non veniſſent, ſilendum ſibi eſſe: vtile tamen illud videri conſilium: Anglos citra mare ad locum aliquem accerſiri Francis, & illis accōmodum, eoq; legatum Apoſtolicum deſtinari, qui partes componeret: Quod facturum ſe Pontifex nō recuſauit, ſed rebus deinde mutatis, cum Franci ſedem Apoſtolicam magis ac magis perſequerentur, & Angli magnis inter ſe odiis laborarent, res ipſa neglecta eſt: nec plura cum Francis acta.

De rebus Angliæ, & legati fraude, ac pace confecta.

Miſerat Pius prius quàm Roma recederet Franciſcum Interamnenſem epiſcopum in Angliam, qui regis auxilia aduerſus Turcas exquireret, regnique lites componerc⁻. Henricus eius nominis ſextus, per id tempus Anglorum regno præſidebat, vir muliere timidior, conſilii, atque animi prorſus inops, & qui vxori cuncta cōmiſiſſet: erat tamen religionis amans, & circa res diuinas valde attentus, qui iuſſus legationem mittere ad conuentum Mantuanum nomine regio, & rebus, quæ ibi tractandæ forent, non indignam, epiſcopos, & proceres regni præclaros deſignau⁻t oratores: ſed nemo illorum iter ingreſſus eſt, contempſerunt omnes regis iuſſionē. Ille duos presbyteros, modici nominis, ad Pium tranſmiſit, qui & obedientiam offerrent, & cur legati maiores non veniſſent, cauſas redderent. In litteris mandati non fuerunt de more, aut teſtes nominati, aut ſubſcripti tabelliones; ſed adnotata erat regis manu huiuſcemodi ſubſcriptio, Henricus teſte me ipſo: & ſigillum regni appenſum. Contempſit Pontifex, deriſitque tanti regis tam vilem legationem; nec

vltra

vltra ad conſpectum ſuum admiſit. Interea ſpretus in Anglia Interamnenſis epiſcopus, cũ legationis officium non permitteretur exercere, indignatus ex Anglia receſſit, & tranſmiſſo mari, Caleſium venit. Ioannes Varuici comes, vir ſtrenuus, & audax ob indignationem regis eo confugerat, qui paucis diebus ante, cum accepiſſet regiã claſſem aduerſus ſe breui nauigaturam eſſe, quæ in portu Sanduciæ inſtruebatur cũ octingentis viris noctu nauigans imparatos hoſtes aggreſſus, edita non parua cæde, multiſq; cum præfecto claſſis interceptis, victor redierat. Is accerſito epiſcopo, & cognita ſui receſſus cauſa: Mane, inquit, noli abire. Ego te in Angliam reducam, & tuæ legationi locum faciam: rex noſter ſtupidus eſt, & mente captus regitur, non regit: apud vxorem, & qui regis thalamum fœdant, Imperium eſt. Ego cum ferre iſta non poſſem, & aliam regni formam requirerem, eiectus ſum à facie regis; breue exilium meum erit. Multi mecum ſentiunt, quorum princeps eſt dux Eboracenſis, cuius regnum eſſet ſi iura ſpectarentur: armatæ nobis copiæ propediem aderunt, ferro fortunam experiemur, ſi dabit victoriam Deus, eiiciemus hoſtes à latere regis, & nos ipſi regnum gubernabimus: Rex nudum nomen retinebit: recipiemus te ſummi præſulis legatum, & breui regno compoſito, claſſem pro religione parabimus. Acquieuit epiſcopus, & cum illo in Angliam reuerſus eſt. Comiti armatorum viginti millia præſto affuere, & paulo poſt duplicatus exercitus eſt; in eo epiſcopus vexilla erexit Eccleſiæ Romanæ, & quaſi aduerſus hoſtes fidei præliandum eſſet, plenariam peccatorum remiſſionem indulſit his, qui pro parte Varuici comitis pugnarent aduerſus hoſtes eius anathema promulgauit, literis Apoſtolicis pro caſtris oſtenſis, quæ licet aliud continerent, id ipſum credebantur habere. Commiſſa pugna ingens occiſio facta eſt; & nonnulli proceres periere. Rex Angliæ captus Londinium ductus, ibiq; non abſque honore regio eſt habitus: Regina cum filio, & pleriſque ſuæ factionis proceribus in Galliã fugit. Conuocati ſunt apud Londinium prȩlati, & proceres regni, parlamentum vt ipſi vocant, de rebus publicis habituri: in quo illud ante omnia placuit, vt acta prioris parlamenti, quod anno præcedenti fuerat habitum, reſcinderentur; in eo enim dux Eboracenſis comes Sarem, & comes Varuici hoſtes regni fuerant declarati, reſciſſione obtenta, dux Eboracenſis regnum ad ſe ſpectare dixit: qui Riccardo regi quondam occiſo propinquior eſſet; nec ferendum, vt ii regnarent, qui occiſori ſucceſſiſſent. Impium id genus hominum, qui regnandi cauſa parricidium cõmiſiſſent. Henricum quartum patruum ſuum occidiſſe, regnumq; per tyrannidem occupaſſe: illi filium ſucceſſiſſe Henricum quintum, & quinto ſextum, qui tum impii, & violenti regis hæres eſſet: parlamenta, quæ vi adhibita per metum aliquid decreuiſſent non valere: regnum ſibi iure deberi, qui parricidiali excluſo genere, regii ſanguinis primus extaret, coronam petere. Henrico vt priuato viuendum, iuſta petitio videbatur: obſtabat iuſiurandum regi præſtitum, & longa poſſeſſio, & patris beneficium, qui Gallos gentem infeſtam Anglico nomini compreſſiſſet: ſed cum pertinaciter Eboracenſis inſtaret, prope ad arma ventum eſt: neq; enim Varuicius, cuius audacia res acta erat, paſſurus videbatur eum regno deiici, qui rex eſſet receptus. Deniq; legati prouidentia, diſcordia in hunc modum compoſita: Henricus quoad vixerit rex eſto, cum obierit Eboracenſis, aut eius filius ſuccedito: interea ad priora ſtipendia marcharum auri decem millia quot annis ex regio fiſco accipito: reliquis in reb. pacem habeto. Sic res geſtæ ſunt ad Calendas vſq; Nouembris, anno ſalutis Milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo nono: legati toto regno magnum eſt nomen habitum, in quo multum auri corraſiſſe creditus eſt; ſed arma vicere: nullum ferrum tam aptum fodiendo auro, quam enſis.

1459.

Aliud bellũ in Anglia, & regis prioris occiſio, uxoriſq; pugna; & tandem exilium.

Paulo poſt regina congregatis in Gallia nouis exercitibus, quaſi virum è manibus hoſtium ereptura ducere Londoniũ ſtatuit; occurrentemq; ducẽ Eboracenſem in prælio ſuperauit, & cum pleriſq; baronibus interfecit. Recognita, trepidare Londoniarum populus reginæ deditionem faciendam dicere, minari qui contra ſentirent. Legatus non tam in aduerſis audax, quam cautus in ſecundis rebus, mortem veritus ſi remaneret, relicto Varuicio in Flandriam propere nauigauit. Regina animo, & viribus aucta non procul à Londoniis caſtra poſuit; & fugientem ad ſe regem

in eis recepit;obtinuiſſetque procul dubio ciuitatem, niſi muliebri ſuperbia, & vlciſcendi nimia cupiditate, duriores imponere leges ciuibus voluiſſet, quorum pleroſque ad ſupplicium expoſcebat:illi enim poſtquam implacabilem reginæ animum cognouere,ſpemque ſolam in armis eſſe,Eduardum Eboracenſis interfecti filium,ac Varuicium ſecuti ad pugnam egreſſi ſunt. Regina in prælio ſuperata, multis ſuorum amiſſis,cum viro, ac filio fugam arripuit. Victores Londonias reuerſi nouum parlamentum indixere,in quo Henricus cum filio, & coniuge hoſtis regni; Eduardus vero rex Anglorum declaratus eſt. Nec diu poſtea alio commiſſo prælio ſuperatis Henrici partibus,Anglia fere tota ad victores defecit; victi ad Scotos confugere,atque apud eos, ludente fortuna, miſeri ſaluati ſunt, quos ſæpe felices timuerant.

Oblata Germanorum, copiarumq; numerus, & legatus Apoſtolicus miſſus.

His motibus laborantibus Anglicis,nihil fuit,quod ad tuendam fidem Pius Pontifex illinc haurire poſſet:atque ita ſpei ſuæ magna ex parte cecidit, cum opem religioni afferre Franci nollent: Angli non poſſent. Conuertit ſe tandem ad Germanos, ne quid inexpertum dimitteret. Aderant, vt diximus, Imperatoris oratores, tum Electorum Imperii, & multorum ex Germania principum, ac ciuitatum legati; his ad ſe Pontifex accerſitis, quid Imperator, quidve ceteri contra Turcas offerrent percontatus eſt;nec facile reſponſum obtinuit,cum legati principum ab Imperatoris ſententia diſſentirent. Sator maxime diſcordiarum erat Gregorius Hamburgenſis iuris interpres celebratus, & eloquentia Theutonica inſignis. Oratorem ſuum Albertus Auſtriæ dux, & Imperatoris germanus eum miſerat, qui per id temporis cum fratre diffidebat. Gregorius quoque, cum Imperatori dicacitate ſua ſæpe diſpliciuiſſet,& à latronibus captus, ſex millibus aureis ſe redemiſſet, quæcunque ſibi acciderant,ab Imperatore prodiiſſe arbitrabatur,eamque ob cauſam ſingulari eum odio proſequebatur: neq; vlli rei conſentiebat, in qua putaret exiſtimationem Imperatoris creſcere. Et quoniam expeditio in Turcas Federici gloriam auctura videbatur,toto ingenio impedimenta ſuggerebat. Superauit tamen obſtinata Pii Pontificis diligentia, cum modo iſtum, modo illum ad ſe vocitans, Eccleſiæ, ac fidei cauſam dulcioribus verbis commendaret. Conuenerunt tandem omnes in vnam ſententiam Germanorum legati, eumque Pontifici exercitum promiſere, qui pridem Frankfordiæ ſub Nicolao præſide promiſſus fuerat id eſt pedites duo & triginta millia,equites decem millia; ad quam rem duos conuentus neceſſarios eſſe dixerunt. Alterum Norembergæ in Franconia, alterum apud Cæſarem in Auſtria, legatumque de latere mittendum,qui conuenta proſequeretur. Annuit Pontifex, & Beſſarionem cardinalem Nicænum ei prouinciæ præfecit: ducem vero exercitus Federicum Imperatorem dixit,data poteſtate, vt ſi per ſeſe id muneris obire non poſſet,alium,quem vellet principem ſubſtitueret. Rogati oratores Franci,cum hæc agerentur, intereſſe recuſarunt; vt qui aliorum gloriam ſuam eſſe ignominiam exiſtimabant.

De Sigiſmundo Auſtriæ duce, & ingenio eius peruerſo.

Dum hæc aguntur, Sigiſmundus Auſtriæ dux, qui ſe venturum ſæpe promiſerat, cum quadringentis equitibus,multaque nobilitate,& ſplendido apparatu, Mantuam venit:obuiam iere duo cardinales, & omnis ordo curiæ, exceptus eſt in auditorio publico;verba eius nomine fecit Gregorius Hamburgenſis,qui multa de domo Auſtriæ commemorauit,digna relatu, & principis animum in Turcas accenſum dixit, qui nationis oblata quantum ad ſe pertinerent præſens confirmaret. Pontifex,qui Sigiſmundum à teneris nouiſſet vnguiculis pueritiam, & adoleſcentiam eius, ſumma cum laude peractam oſtendit, reliquam ætatem præteriit. Laudes familiæ à Gregorio explicatas & probauit, & auxit:auxilia contra Turcas receprauit. Inter cetera dixerat Gregorius, Sigiſmundum Pii, cum in minoribus ageret fuiſſe diſcipulum,qui ſuas epiſtolas auide legiſſet,quarum volumen apud ſe haberet, & aliquæ illarum Sigiſmundo eſſent ſcriptæ;quod verum inueniet, ſi quis epiſtolas ſæculares legerit, quas Pius nondum ſacris initiatus ſcripſit. Verum Sigiſmundi multo melior pueritia fuit,quàm adoleſcentia,cuius ingenii mores, cum ætate vt paulo poſt dicemus,perierant. Poſt eos dies Franciſcus Sfortia Mediolanum reuerſus, tres boues miræ pinguedinis ad Pontificem miſerat, quos rapis enutriuerat, aquis calidis lauare

lauare ſoltos, pectinarique per ſingulos dies, & ſtrato iacere mundo: horum Pius vnum Sigiſmundo dedit, alterum inter oratores principum partitus, reliquum ſibi, & cardinalibus retinuit: caro ita omnibus placuit, vt ſuauiori cibo nunquam ſe paſtos fuiſſe dixerint. Vigebant per idem tempus inter Sigiſmundum, & Nicolaum ſancti Petri cardinalem, graues inimicitiæ de feudis, & iuriſdictione diu contenderant; tentatum eſt, ſi quo pacto reconciliari poſſent: ſed cum fruſtra diebus aliquot cardinales, & ipſe Pontifex concordiæ operam nauaſſent, diſceſſit Sigiſmundus. Hic cum eſſet puer, & deinde adoleſcens, ad ſextum & decimum vſq; annum ſub tutela patrui fuit, vt ante diximus, indolis ſupra quàm dici poſſit egregiæ, vultu decoro, & geſtibus honeſtis; amauit litteras, viros coluit bonos, nullius rei tepidior, quàm virtutis apparebat. At dimiſſum ab Imperatore, poſtquam in prouinciam euolauit, & magno tutore caruit; breui mutatum fuiſſe oſtẽdit, vita quæ ſecuta eſt. Vxorem duxit filiam regis Scotiæ ſanctam, & prudentem feminam, ſed infelicem; quia arctiſſima eam cuſtodia clauſit. Cum accepiſſet aliquando gladium eſſe in Auſtria, quo duæ humanæ ceruices vno ictu amputatæ fuiſſent, quieſcere non potuit, donec adnitente Ioanne Imperatoris quæſtore eo potitus eſt: & talis tandem Sigiſmundus fuit, vt Auſtriali familia multum diſſimilis videri potuerit.

Aduentus fortiſſimi ducis Alberti marchionis Brandeburgenſis.

Hoc è concilio diſcedente, Albertus marchio Brandeburgenſis ad Pontificem venit; vir celſi animi, & rei militaris peritiſſimus, qui & in Hungaria, & in Bohemia, & in Polonia, & in omni Germania militauit; ordines duxit, & magnorum exercituum extitit imperator; cuius tot victoriæ fuerunt, quot prælia. Norimbergenſes octo certaminibus ſuperauit, vno tantum ſuccubuit, non magno accepto detrimento: octo & decem vicibus clypeo tantum, & pileo tectus, ad ſingularem pugnam vocatus, victor euaſit. Torneamenta tot deuicit, quot adiit. Achillem plerique Theutonicum vocauere. Cum Ludouico Baioariæ duce bellum geſſit, victorq; pacis, leges pro ſuo arbitrio dixit. Rurſus bello renocato, relictus à ſociis, pacẽ ab hoſte recepit. Tertium bello reſumpto illatis, receptiſq; damnis, æquis conditionibus, interuentu archiepiſcopi Cretenſis, quem Pius in Germaniam miſerat, inducias belli ſub ſpe pacis amplexus eſt. Huic Mantuam venienti, cardinalis ſancti Petri extra ordinem occurrit. Pontifex in auditorio publico eum excepit, laudauitq; magnificis verbis, qui ſua opera contra Turcas alacri, & magno animo promiſiſſet, donauit quoque decem mille aureis, & equis Apulis duobus. In feſto vero Epiphaniæ enſem, quo pro natalitio Domini dignior qui adeſt ſæcularis princeps ornari ſolet, & pileum margaritis ornatum, dono ei inter ſolemnia dedit.

Prouocatio ad futurum concilium à Pio ſublata, ac decretum interpoſitum

Irrepſerat iampridem in Eccleſia Dei exitialis conſuetudo aduerſus Romani Pontificis cenſuras, victi enim, damnatiq; Apoſtolica ſententia ad futurum concilium appellabant. Iudicem qui non erat, & ſuperiorem Romano Præſuli dabant, qui non inuenitur in terris; & cum ipſi à ſuis ſententiis appellari non ſinerent, à Chriſti Vicario appellandum eſſe conſentiebant. Conſuluit Pius in ea re patres, qui aderant in conuentu quid cenſerent. Illi concordi voto reſponderunt, appellationes huiuſcemodi cum ſuis auctoribus, damnandas eſſe; atque ita decretum editum eſt, quòd appellantes à Romano Præſule ad futurum concilium tanquam hæreſis fautores, & læſæ maieſtatis reos plectendos eſſe ſtatuit. Quod Pontifex poſtea diplomate confirmauit, atq; ſanciuit, eiuſq; ſeriem inſerendam fore valde vtilem exiſtimaui.

Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam. Execrabilis, & priſtinis temporibus inauditus tempeſtate noſtra inoleuit abuſus, vt à Romano Pontifice Ieſu Chriſti Vicario, cui dictum eſt in perſona beati Petri: Paſce oues meas, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælo. Nonnulli ſpiritu rebellionis imbuti, non ſanioris cupiditate iudicii, commiſſi euaſione peccati ad futurum concilium prouocare præſumunt, quod quantum ſacris canonibus aduerſetur, quantumque reipublicæ Chriſtianæ noxium ſit, quiſquis non ignarus iurium, intelligere poteſt; namque, vt alia prætereamus, quæ huic corruptelæ manifeſtiſſime refragantur, quis non illud ridiculum iudicauerit, quòd ad id appellatur, quod nuſquã eſt, neq; ſcitur quod futurũ ſit? pauperes à potentioribus multipliciter opprimuntur, remanẽt impunita ſcelera, nutritur aduerſus primam ſedem rebellio, libertas delinquendi conceditur, & omnis eccleſiaſtica diſciplina, & hierar-

chicus ordo confunditur. Volentes igitur hoc peſtiferum virus à Chriſti Eccleſia procul pel-
lere,& ouium nobis cõmiſſarum ſaluti conſulere, omnemque materiam ſcandali ab ouili, noſtri
Saluatoris arcere;de venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cardinalium cun-
ctorumque prælatorum, ac diuini, humanique iuris interpretum curiam ſequentium concilio,
ac aſſenſu,ac certa noſtra ſcientia,huiuſmodi prouocationes,introductiones damnamus, & tan-
quam erroneas,ac deteſtabiles reprobamus, caſſantes, & penitus annullantes, ſi quæ hactenus
taliter interpoſitæ reperiantur,eaſque tanquam inanes,ac peſtiferas nullius momenti eſſe decer-
nimus,ac declaramus;præcipientes deinceps, vt nemo audeat quouis quæſito colore ab ordina-
tionibus,ſententiis,ſiue mandatis quibuſcunque noſtris, ac ſucceſſorum noſtrorum talem ap-
pellationem interponere, aut interpoſitæ per alium adhærere, ſeu eis quomodolibet vti. Si
quis autem contrafecerit, à die publicationis præſentium in cancellaria Apoſtolica, poſt duos
menſes,cuiuſcunque ſtatus,gradus,ordinis,vel conditionis fuerit,etiam ſi Imperiali, Regali, vel
Pontificali præfulgeat dignitate, ipſo facto ſententiam execrationis incurrat; à qua niſi per Ro-
manum Pontificem,& in mortis articulo abſolui non poſſit.Vniuerſitas vero, ſiue collegium eccle-
ſiaſtico ſubiaceat interdicto;& nihilominus tam collegia,& vniuerſitates,quàm prædictæ, & a-
liæ quæcunque perſonæ,eas pœnas, ac cenſuras incurrant, quas rei maieſtatis, & hæreticæ prauI-
tatis fautores incurrere dignoſcuntur.Tabelliones inſuper,ac teſtes, qui huiuſmodi actibus inter-
fuerint,& generaliter,qui ſcienter conſilium,auxilium dederint, vel fauorem talibus appellanti-
bus pari pœna plectantur.Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum voluntatis,
damnationis,reprobationis,caſſationis,annullationis,decreti, declarationis, & mandati infringe-
re,vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentari præſumpſerit, indignationem o-
mnipotentis Dei,& beatorum Petri,& Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurũ. Datum Mã-
1459. *tuæ anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quadringẽteſimo quinquageſimo nono,quinto deci-*
mo calendas Februarii,Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Summa rerum in conuentu Mantuano conſtitutarum, & Pii ſupplicatio, diſſolutioque concilii.

Paucis deinde diebus congregatis in templo beati Petri patribus,& vniuerſis prin-
cipum legatis,re diuina peracta,Pontifex è ſolio ſuo indicto ſilentio: Octauum hic a-
gimus menſem, inquit, fratres, ac filii eos exſpectantes, qui ad conuentum vocati
fuerunt:noſtis qui venere,deinceps ſperare alicuius aduentum,qui conferre aliquid
ad rem noſtram poſſit,vanum eſt,licet iam hinc abire. Peregimus quæ hoc in loco
facienda fuerunt:vtinã Dei bene acta ſit cauſa,quãuis meliora concepimus,quàm in-
uenimus;non tamen nihil omnino peractum eſt,neq; ſpes omnis cecidit: dicendum
eſt quò res deductæ ſint, vt ſciant omnes quid adſit ſpei,& qui reges, quiq; populi ad
tuendam fidem,vel prompti fuerint, vel negligentes: Hungari ſi adiuuentur ſummo
conatu,& vniuerſis viribus ſuis Turcas inuadẽt:Germani exercitum pollicẽtur duo-
rum & quadraginta millium bellatorũ:Burgundus ſex millium:Itali(exceptis Vene-
tis,ac Genuenſibus)cleri decimas,populi trigeſimas annuorum reddituum, ac vige-
ſimas Iudaicæ ſubſtantiæ,ex quibus nauales copiæ ſubſtentari queant: Idem facit Io-
annes rex Aragonum:Raguſei duas triremes offerunt:Rhodi quattuor. Hæc tanquã
certa ſolemni ſtipulatione per principes, ac legatos promiſſa ſunt. Veneti quam-
uis publice nihil promiſerint,cum tamen expeditionẽ paratam viderint, haudqua-
quam deerunt;neque patientur,vt ſuis maioribus deteriores videri poſſint: Idem de
Francis,de Caſtellanis,de Portugallenſib.dicimus: Anglia ciuilibus agitata motibus
ſpem nullam pollicetur,neque Scotia in intimo abſcondita Oceano: Dacia quoque,
Suetia,ac Noruegia,remotiores prouinciæ ſunt,quàm milites poſſint mittere;nec ſo-
lis contentæ piſcibus pecuniam miniſtrare poſſunt: Poloni Turcis per Muldauiam
contermini,ſuam cauſam deſerere non audebunt:Bohemos mercede licebit condu-
cere,ſuo ære extra regnum non militabunt.Sic res Chriſtianæ ſe habent.Claſſem pe-
cunia Italica parabit,ſi non Venetiis,ac ſaltim Genuæ, aut in Aragonia; nec minor
erit,quàm res ipſa depoſcat. Hungari viginti millia equitum armabunt, peditum
haud minorem numerum,qui Germanis iuncti,ac Burgundis duodenonaginta mil-
lia militum in caſtris habebunt.Et quis non his copiis ſuperatum iri Turcas arbitre-
tur?his accedet Georgius Scanderbechius,& Albanorum fortiſſima manus,& multi
per Græciam ab hoſte deficient:& in Aſia Chatamãnus,& Armenorũ populi Turcas
à tergo ferient:non eſt cur deſperemus, tantum Deus ipſe cœpta ſecundet. Ite &

narrate

narrate domi, quæ hic geſta ſunt, & vt promiſſa in tempore faciant dominos veſtros admonitos reddite; vtque propitia nobis ſit diuina pietas, orationibus, & operibus piis operam date. His dictis oblationes ſuas cuncti qui aderant confirmauere, qui nihil obtulerant confuſi tacuere. Oratores Borſii, vt plus aliquid feciſſe, quàm reliqui viderentur, aureorum tercenta millia in expeditionem aduerſus Turcas polliciti ſunt, non ſine auditorum admiratione. Poſtquam omnes finière, iuſſit Pontifex cardinales, epiſcopos, abbates, & ſacerdotes cunctos, qui aderant ſacras induere veſtes: & ipſe ſuo ſolio deſcendens ad gradus maioris aræ ſe conuertit; ibique flexis genibus ſuſpirans, atque illacrymans ſupplici voce, delectos è pſalmis verſiculos, qui ad rem acommodati viderentur reſpondentibus prælatis, & omni clero, longo ſpatio decantauit; & oratione præmiſſa populo benedixit. Atque in hunc modum Mantuano conuentui finem impoſuit.

COMMENTARIORVM PII II. PONTIFICIS MAXIMI

LIBER QVARTVS.

Ioannis Rhenati in bellis initio ſacrilegium, & principis Roſſani perfidia, & Traiectum oppidum.

DVM hæc aguntur, Ioannes Rhenati regis filius, neque ingenio, neque corpore piger, claſſem in Rodano parauit, vt in regnum Siciliæ aduerſus Ferdinandum proficiſceretur. Alanus cardinalis Auinionenſis à Caliſto miſſus in Galliam de latere legatus, vt opem aduerſus Turcas ex gente Francorum peteret, indulgente Carolo rege decimam clero impoſuit: collegit eo pacto vim magnam pecuniæ, triremes quattuor, & viginti apud Auinionem conſtruxit, ex auro quod ſupererat, Caliſto nihil tradidit. Ioãnes corpora nauium ꝓ Chriſtianorum tutela ædificata aduerſus Chriſtianos armauit: profectuſq; Genuam, quæ tunc Frácis parebat, auxilia eius populi obtinuit, Gaieta, Tranio, & aliquot aliis maritimis vrbib. in regno promiſſis, ſi hoſtẽ inde repelleret; cũ nauigaſſet in Cãpaniã aliquandiu in oſtio Vulturni fluminis delituit, inter ſpẽ metumq; dubiꝰ, cum nemo eorum à quibus fuerat vocatus, occurreret. Primus omnium Marinus princeps Roſſani ad eũ venit; Theanumq; illi aperuit, ſe ac ſua cõmittens, hic ſororẽ Ferdinandi vxorem duxerat, Alfonſo viuente extra matrimonium natam; & quamuis eſſet ingenio rudi ꝓpter nobilitatẽ tamen, & patris fidem in aula regia inter caros locum obtinuit. Vacante eccleſia Theanenſi Pius Pontifex Nicolaum Piſtorienſem, qui poſtea ad cardinalatum aſcendit, virum doctum præfecit; negauit princeps poſſeſſionem, propter quod anathema factus eſt, & Theano ſacris interdictum, quamuis contumacia cleri principem magis, quàm Deum timentis, ſeruatum non fuerit. Princeps à Deo ſimul, & à rege receſſit, non aliam ob cauſam, niſi quia Traiectum nobile oppidum impetrare non potuit. In alto Monte non procul à Lyri flumine ſitum, in quo primi Scipionis Africani ſepulchrum oſtendunt.

Rebellio principis Tarentini, & aliorum multorum, & qui in fide manſerunt.

Huius hominis exẽplum, & princeps Tarentinus Vrſinorum familia natus, cuius ſupra meminimus, paulo poſt ſecutus eſt, quamuis antea de rebellione rediiſſet in gratiam; poterat Grandæuus ſenex abſque virili ſobole diues admodum, & longe, lateq; dominans feliciter æuum, quod ſupererat traducere; ſed impatiens quietis canos ſuos ſine bello deducere noluit. Rebellauit & ipſe Ferdinando, vt idẽ Cathelanos regno deiiceret, qui prius introduxerat, ſiue quod poſtea demõſtrauit euẽtus, vt arbiter regni ſolus, & moderator eſſet. Secuti ſunt & Caudolæ domini Iacobum imitati genitorem. Acceſſit & Ioſias Aprutinorum tyrannus crudelitate, atq; impietate celebratus: acceſſerunt & Aquilani Cathelano ſanguini nunquam ſatis placati, & Soræ dux, & Honoratus Caietanus Sermonetæ dominus, & Campi baſſi comites, & marchio Crotoni, qui ſemel captus, atque minus diligenter cuſtoditus aufugit: defecit & Carolus de Sanguinis, & Amalphitanus dux inter alios, & Hercules Eſtenſi gente natus, Nicolai marchionis quondam filius præter omnium opinionem, qui Ferdinandi nõ venationis ſolum, ſed omnium ſecretorum comes fuerat: is Luceriam Saracenorum, in qua cum magna equitum manu hiemauerat, hoſti aperuit: Mira rerum mutatio, pauci in fide manſerunt, quorum principes fuere Honoratus Fundorum comes, ac Salerni princeps, qui vſq; ad mortem in fide permanſit, quãuis aliquando nutare ſit viſus. Filii eius mortuo patre ad hoſtes defecere. Familia ſancti Seuerini aliquan-

liquandiu in officio manſit; poſtea conflicto rege apud Sarnum fortunæ man⁹ dedit. Poſtremo vt eſt Regnicolatum variabilis natura melioribus effectis Ferdinandi rebus, ad eum rediit.

Ferdinandus tot malis circumuentus, cum iam hoſti prorſus imparem ſe cognoſceret, legatos & ad Pontificem maximum, & ad reliquos Italiæ potentatus oratum miſit; ſibi vt ꝓ fœdere opem ferrent. Pontifex ex Mantua Nicolaum electum Theanenſem ad Franciſcum Mediolani ducē ire iuſſit, ſciſcitatum quid ei agēdum in tanta rei nouitate videretur, nā etſi æquum erat fœderi ſatisfacere, ſolus tamen tantum belli pondus aſſumere nō audebat Franciſcus ſubueniēdum op preſſo cenſuit, Florētinoſque, ac Venetos, vt fidem ſeruarent requirendos Ferdinandi nomine; quo facto nec Florentini, nec Veneti ſuæ fidei fecerunt ſatis. Borſius, qui & ipſe ſextum locum in fœdere obtinuit, apertus iam hoſtis effectus erat. Inuentus nemo eſt, qui Ferdinando ex fœdere reſponderet, præter Pium Pontificem, & Franciſcum Mediolani ducem, qui poſtea fere omnem belli ſumptum moleſtiamq; ſubiere.

Auxilium Pii & Mediolanenſis erga Ferdinandum regem cum ceteri Italici fœderis iura neglexerint.

Pius qui nondum ſpem omnem in re fidei de Venetis amiſerat, Gregorium Lolliũ fratrem ſuum conſobrinum, Picolominea familia donatum, ad eos internunciũ miſit, qui ſępe in ſenatu de claſſe contra Turcas paranda locutus, nihil profecit: illud tamen fecit, quod raro in ea republica eſt auditum. Proſequebantur Veneti acerrimo odio Petrum Barbum cardinalem ſancti Marci propter eccleſiam Patauinam, de qua ſupra diximus; eiuſq; beneficiorum bona ad publicam manum receperant, fratrem ē ſenatu amouerāt, ne quis poſſeſſionem eccleſiaſticorum beneficiorum iniuſſu rogatorum conſequi poſſet, lege ſancierant. Quæ omnia in Pii Pontificis gratiam Gregorius abrogari fac le obtinuit apud eam rempublicam eloquentia, grauitate, & animi fortitudine, magni habitus Pontifex legar onibus per Germaniam, & alias prouincias abſolutis, ex Mantua recedens, cardinalibus quattuor comitantibus, Rouerium nauigio peruenit, alii terra iter fecere. Cardinalis ſancti Petri ad eccleſiam ſuam profectus eſt, atque ibi ſicut poſtea dicemus, ſcandalum paſſus, Proſper Columnenſis cardinalis ſancti Georgii, in Velabro viſere Venetias ſtatuit; quò cum veniſſet, ciuitate donatus eſt, & inter patricios vrbis aſcriptus. Ruthenus cardinalis eum in Græciam tranſire decreuiſſet, collectis ad vſum belli pluribus armis, quibus in auxilio ſuæ gentis vteretur, tandem apud Anconam remanſit: erat hiems admodum frigida, & omnia gelu, niueq; (Ianuario menſe iam inclinante) rigebant. Mirabantur curiales ſenem Papam tam aſpera tempeſtate iter ingredi; ſed qui eundo non horruit æſtus, nec algorem redeundo pertimuit. Nocte in Rouerio peracta, ſequenti die Borſium occurrentem in Pado habuit: naui Bucentoria vectum, & magna minorũ nauigiorum multitudine circundatum, adeo vt nullam fluminis partem non agitarint, pulſarintq; remi, vexilla multi coloris impulſa vētulo, aſpectum mirabilem reddidere. Tubæ, tibiæ, & omnia muſicorum genera in altioribus collocata puppibus, dulcem præbuere concentum. Perſonatus apparere diuerſi Deorum, ac Dearum, & Gigantum, & Virtutum, pueri, ac puellæ cantare in aggerib⁹, qui amnis inundationē cohibent, quaſi ad ſpectaculũ viri, ac mulieres ſedere. Illi Papæ, iſti Borſio vitam precari: Ludouicus Mantuanus inuento Borſio, cum ſe Papæ ſæpius commendaſſet, domum rediit. Pius Buccentoria Borſii naue conſcenſa Ferrariam adnauigauit; vbi occurrentibus ſacerdotibus ſacra ferentibus, & magna populi pompa, in arce, quæ ſupra litus iacet collocatus eſt; & quamuis magnis precibus rogaretur vt ſequenti die maneret, non acquieuit. Borſius in naui decretum de decimis, vigeſimis, ac trigeſimis manu ſua vltimus ſubſcripſit.

Legatio Pii ad Venetos, & diſceſſus à Mātua, profectus Ferrariam, Borſiique occurſus.

Per idem tempus Iacobus Picininus in agro Ceſenate hiemabat, Ferdinando infenſus regi, qui Sigiſmundo pacem dediſſet: nec dubium erat quin ad Gallos inclinaret; ob eam rem accedens intempeſta nocte Pōtificem Borſius: Magna, inquit, diſcrimina Eccleſiæ imminent, & vniuerſæ Italiæ, niſi ſapis Papa: Picininus ad Francos tranſiturus eſt: tu Ferdinandi partes adiuuas: Ego illi amicus, atque idcirco ſuaſerim, ne tantum belli ducem ad hoſtes deficere ſinas, ſi mihi hāc prouinciam cōmiſeris, reconciliabo illum Ferdinando, atque ita res eius in tuto erit. Pontifex etſi ſciebat Picininum ita Francis obnoxium eſſe, vt abſq; ſummo dedecore eos relinquere non poſ-

De Picinino, & Borſio, & Pii à Ferraria diſceſſu, ac laboribus.

ſet, percontatus tamen eſt, quo pacto Picininus auferri hoſtibus poſſet? Cui Borſius, auri certam ſummam tradendam Iacobo dixit, & filiam ducis Mediolani, quæ promiſſa eſſet vxorem, & oppidorum aliquid in regno; poſtremo terrarum depoſitum, quod Sigiſmundus in manu Papæ feciſſet, in poteſtatem ipſius Borſii trāsferendum. Pontifex, qui Mediolanenſis principis exploratum haberet animum, de pecunia, & oppidis, atque vxore nihil aduerſatus eſt; depoſitum ſine conſenſu partium mutare non poſſe reſpondit. Conueniebant omnia præter vltimum: inſtabat tamen Borſius, ſed Pontifex dimiſſo poſtera die magnifico principe, Padoq; tranſmiſſo, per paludes vſque ad flumen Rhenum, de quo ſupra eſt facta mentio, nauigio peruenit. Id iter difficillimum fuit, cum ſerena hiems aquas omnes glacie adſtrinxiſſet, ſecuribus aperire viam oportuit.

De Rheni fluminis glacie, & itinere Bononiam verſus continuato, defectioneq; Picinini, ac deliberatione eligendi ducis.

Sed cum ad Rhenum ventum eſt, adeo profunda glacies occurrit, vt frangi non poſſet, nec Bononienſes vehicula apparauerant. Neceſſe itaq; fuit, vt Præſul ſella portaretur, & qui eum ſequebantur, pedibus irent: ob quam rem nocte præuenti, vt quiſque ruſticorum caſas inuenit, in eis non ſine incommodo remanſere. Pontifex in rure Xanti Bentiuolii eum paucis pernoctauit: ſequenti die Bononiam ingreſſus, in Apoſtolico palatio quieuit, neque petentibus ſuam præſentiam Bononienſibus, ad ſecundam diem concedere voluit. Cum Planorium perueniſſet, illic certior factus eſt, Picininum ad Francos defeciſſe, neque id nouum eſſe, duobus antea menſibus eum illis conueniſſe. Intelligens igitur Præſul duriores Ferdinandi partes futuras, eiq; magno auxilio opus fore, ſcripſit Mediolanenſi è re videri, vt tanto bello dux idoneus eligeretur; cuius & auctoritas, experientia, & fides probata eſſet, quæ res apud Ludouicum Mantuanum inuenirentur: ſuaſitque illum communibus expenſis, communi præfici bello. Mediolanenſis, verbo conſilium approbauit, re non eſt amplexus; cũ ſi enim Ludouicus ſeſe obtulit, ipſe tamen nolle eum tam longinquam accipere prouinciam reſcripſit. Credibile eſt Mediolanenſem aut hoc honoris Alexandro germano ſuo reſeruaſſe, aut marchionis abſentiam timuiſſe. Venit deinde Præſul ad locum, cui nomen eſt Scaragliaſini, in ſummo Apennino, non ſine graui labore, niuoſa, pluuioſaq; die peracta, & modo vehiculo, modo ſella portatus. Cum Florentiolā veniſſet, dolore ſtomachi ægrotauit, altera die Caphagiolum petiit in valle Mugellana, rus Coſmæ magnifice ædificatum, in quo Mantuam petens pernoctauerat. Hic Federici Vrbinatis nuncius affuit, homo ſagax, qui de Picinino, quæ comperta eſſent, confirmauit: iturum illum in Aprutios, Ferdinandi hoſtem Federicum, ni iubeat Pōtifex, iter illi clauſurum; quæ res ad Franciſcum remiſſa eſt.

Introitus Florentia, & Coſmæ conuentus, & rerum Italiæ diſceptatio.

Præſul Florentiam intrauit mirificis honorib. ab ea republica cumulatus. Venere oratores obuiam primarii, ciues, magiſtratus vrbis in porta ciuitatis occurrerunt, vbi de conuentu Mantuano locuti, non ſine Pontificis laude, ſequentem apud ſe diem tranſigi petiere, neque negatum eſt. Coſmas vero, qui proficiſcentem in Galliam Pōtificem adire propter infirmitatem non potuit, nocte multa ad eum venit, & inter loquendum admirari viſus eſt de bello Ferdinandi cauſa aduerſus Gallos recepto. Pōtifex haud ferendum fuiſſe ait, regem à ſe conſtitutum, armis eiici; neque id Italiæ libertati conducere: Gallos ſi regnum obtinuiſſent, Senas haud dubie ſubacturos: Florentinos aduerſus Lilia nihil acturos: Borſium Mutinæ ducem Gallis galliorem videri: Flamminiæ regulos ad Francos inclinare: Genuam Francis ſubeſſe, & ciuitatem Aſtenſem, ſi Pontifex Romanus aliquando Francorum amicus aſſumatur, nihil reliqui in Italia remanere, quod non tranſeat in Gallorum nomen: tueri ſe Italiam dum Ferdinandum tueretur, atq; id honeſtatem expoſcere per fœdera, quæ cum Alfonſo inita fuiſſent, non licere ſibi fidem abrumpere ſicut aliis, qui facta pro vtilitate metirentur. Laudauit Coſmas Pontificis animum, verumq; faſſus eſt, popularem multitudinem nihil honeſti facere, niſi cogat vtilitas, aut metus, petiitq; aliqua non ſine modeſtia, & nepotem inter cardinales aſſumi, ſi dignus videretur. Poſtremo, cum iam abiturus, Pontificis pedem obſculari vellet, nec moueri poſſet, podagra impeditus, Pontifex eum dimiſit; iuſſitq; poſtera die cardinales aliquos de decimis, vigeſimis, ac trigeſimis, cum Florentinis agere, ne cum tempus eſſet apparandæ claſſis, rem veluti nouam incipere oporteret. Delecti ciues ad Pontificem venere, quibus commemorata eſt

rata eſt legatorum promiſſio Mantuæ facta,& fideiuſſio Mediolanenſis: falſi ſunt omnia Florentini. Verum legatos ſuos, qui ciuitatem obligauerunt, à prioribus vrbis, & rogatis quibuſdam ciuibus mandatum habuiſſe dixerunt; idq; fieri ſolere, ſed nullius eſſe momenti, niſi poſtea in magno ciuitatis conſilio ratum habeatur. Perraro negari, quod legati huiuſmodi mandatum habentes promiſiſſent: verum in hac re, quæ maxima eſſet, haudquaquam ſperandum fore populi conſenſum; quia pauciſſimi eſſent, quibus perſuaderi trigeſimarum ſolutio poſſet: decimam fortaſſe cleri non iri negatum. Demiratus eſt Pontifex tantam Florentini populi varietatem, multiſque verbis iniuſtitiam eorũ accuſauit: turpe eſſe inualida mittere mandata, turpius illis vti, & ſi ceteris in rebus confirmari ſolent, in hac potiſſimum, quæ omnium eſſet maxima, ſeruari oportere. At cum fruſtra tempus tereret, accepit quod potuit, nec moratus amplius ciuitatem dimiſit, & tertio die Senas rediit.

Ingreſſus Senarum magnificentiſſime exceptus, & Senenſis eccleſia nepoti cõmendata; Vrbinatiſq; aduentus, atque eius origo, & belli duces electi.

Hic ſummo ſuorum ciuium deſiderio expectabatur. Introiuit vrbem quaſi triumphans, maximis, atque incredibilibus exceptus honoribus: nam ciues, qui ſe nunquã reuiſurum ſuum patrem arbitrabantur, præter ſpem ſubito recreati reditu, mirabili gaudio ſunt affecti, præcipue mulieres, quarum natura religioni eſt indulgentior, & amantior ſacerdotii. Vrebant omnia, quamuis Februarius ſua conſuetudine rigeret, nec platea non ornata floribus, & non herbis odoriferis ſtrata inuenta eſt. Plantatæ vbique arbores fuere, quæ nullo tempore comas perdunt: vbique cantus, & exultantis populi voces audiebantur; biduo ante Purificationem maximæ matris & intemeratæ Virginis reditio fuit, duodecima die poſt quam Mantua receſſum eſt: ſolemnitas ſummo ciuium gaudio peracta, Pontifice ſua manu ſacras elargiente candelas. Obierat paulo ante, cum valetudinis cauſa apud balneas ageret, Antonius vrbis archiepiſcopus: Pontifex Franciſcum ex ſorore nepotem, tres & viginti annos natum, adminiſtratorem ei ſuffecit. Federicus Vrbinas per idem tempus ad Pium venit, ingenioſus homo, & loquendi peritus; ſed vno captus oculo, quã haſta ludens amiſerat, Guidonis Vrbinatis Reguli filius. Guidoni vita functo ſucceſſit Oddantonius, qui Ducatus honorem ab Eugenio conſecutus, à ciuibus ſuis interemptus eſt, & vna ſecum Manfredus Carpienſis notarius Apoſtolicus libidinum comes, ac ſuaſor ſcelerum, non ſine conſcientia, vt creditum eſt Federici, qui mox patrata cæde pro portis affuit, & vltro ab oppidanis intromiſſus principatum arripuit, tanquam Guidonis filius. Hunc Pontifex multa promittentem audiuit, pecunias ei largitus, qua Picinini commilitones ad ſe traheret, neque ſineret Ferdinandi hoſtem in regnum penetrare; increbuerat enim fama, præclarum belli ducem Piccininum, qui à Ferdinando defecerat, in regnum breui profecturum; nec iam quiſquam in regno erat Ferdinandi amicus, qui tantum nomen non formidaret. Placuit igitur & Mediolanenſi duci, & Pio Pontifici, Alexandrum Sfortiæ filium ducales copias, Federicum regias, Ioannem Malauoltam Eccleſiaſticas, Picinino ne tranſire poſſet in agro Piceno opponere: atq; ita rebus compoſitis, Federicus domum rediit.

De creatione nouorum cardinaliũ, contentioneque repugnantium.

Aderant tempora Quadrageſimalis ieiunii, quæ veluti cardinalium comitia cenſentur, & iam fama vulgatior nouum Pontificem, nouos creare cardinales velle, tanquam perfectus per omnia Pontifex non habeatur, niſi cardinales aſſumpſerit. Tum preces multorum porrectæ ſunt: Imperator vnum efflagitauit, cui Pontifex cupide annuebat: Rex Franciæ duos: vnum rex Aragonum: Ferdinandus rex Siciliæ, & Franciſcus Mediolanenſis dux plures: dux Sabaudiæ vnum: dux Burgundiæ vnum: marchio Montis ferrati vnum: Florentini, & Coſmas vnum. Pontifici ex nominatis pauci placebant, & habebat ipſe alios ſuo iudicio digniores, & quos ſibi fidos exiſtimabat fore. Cœpit itaque ſingulos cardinales alloqui, vt eorum præſentiret animos. Poſtquam vero magna ex parte ſibi ſatisfacturum iri cognouit, vocato conſiſtorio ſecreto, ipſa quarta feria, in qua de creandis cardinalibus ſermo fieri ſolet, in hunc modum præfatus eſt. Meſſis quidem multa, operarii autem pauci. Meſſis noſtra fratres, animarum ſalus eſt, ager in quo metimus Eccleſia, quam veſtro conſilio regendam accepimus, hanc contra Turcas, & infideles alios tueri debemus, ex hac tribulos, & malas herbas, hoc eſt hæreſes, & prauos mores extirpare cogimur: ſi volumus meſſem ad aream Domini multam afferre, & denique puri, purgatique tritici in horreo multum

I

recondere, vos ad hæc operarii nobiſcum eſtis conſtituti, ſed pauci eſtis, & nonnulli ex vobis aut ſenio, aut ægritudine impediti ſunt, ne ipſis vti poſſimus. Neceſſe igitur eſt, vt numerum veſtrum augeamus, & aliquos aſſumamus, qui debilium vires ſuppleant: curare tamen oportet, quamuis eſt difficile, vt dignos tanto munere eligamus, ne dicat quiſpiam: Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam: verum ſi dignitas hæc merentibus danda eſt, in cælo quæramus oportet, quos rubeo pileo donemus. Nos tamen, vt homines, eligemus homines, quando non cælum, aut Anglos, ſed terram, & homines recturi ſumus: miramur autem tantam eſſe petentium turbam: nam quis eſt clericali charactere inſignitus, qui non ſe dignum cardinalatus honore diiudicet? qui non petat? qui non inſtet, & inter candidatos, vt ita dicamus, videri & eſſe velit? Nimium viluit hæc dignitas, quando vel pueri eam ſibi deberi exiſtimant; ſed incidimus in mores iſtus, non poſſumus prohibere petentes, non admittere facile poſſumus. Cogitate, qui ſunt idonei, de numero ipſi iudicabimus, curaturi ne vel nimietate vileſcat dignitas, vel paucitate reipublicæ non ſatisfaciat. Atque his dictis nominauit quinam eſſent, vel per ſe ipſos, vel per alios cardinalatum petentes. Conſenſere cardinales, quinque aſſumi nouos, ea lege adiecta, vt nepos vnus eſſet. Pius his obtentis: Sextum, inquit, non negabitis, quem nominauero omni exceptione maiorem, & quem procul dubio laudabitis nominatum. Illi nominationem petere, Pontifex conſenſum exquirere ante nominationem. Vicit tandem Pius, & aſſenſu habito, ſextum nominauit: Alexandrum Oliua de Saxoferrato oriundum, ordinis ſancti Auguſtini, generalem magiſtrum, virum theologica doctrina celebrem, & vitæ ſanctitate illuſtrem, qui vbi nominatus eſt, non habuit aduerſarium: nam vera virtus, quamuis occulte ſæpius impugnatur, propalam tuta eſt. Ordo nouorum cardinalium hic fuit. Angelus Capranicus Romanus epiſcopus Rheatinus primo loco nominatus eſt, Dominici cardinalis quondam Firmani frater, vir caſtus & innocens, quem priuſquam Pontifex Roma diſcederet Bononienſibus legatum præfecerat: poſt eum Bernardus Herulus epiſcopus Spoletanus moribus, & doctrina inſignis, & iuſtitiæ cultor habitus, apud Narniam natus, & tunc referendarius & domeſticus Pii familiaris: hunc ſecutus eſt Nicolaus Fortiguerra electus Theanenſis, ex Piſtorio oriundus, iuris ſcientia clarus, ex aula Pontificis aſſumptus: quartum locum tenuit Broccardus præpoſitus Salsburgenſis, quem publicare non placuit, donec alii crearentur ex Tranſalpinis: quintus fuit quem memorauimus Alexander: ſextus atq; vltimus Franciſcus Pontificis nepos, qui per id temporis in ſchola Peruſina iuri Pontificio operã dabat, & iam doctoratus inſignia acceperat: hic Diaconatus dignitatem in ordine cardinalatus, cum eſſet adoleſcentior, obtinuit: ceteri Presbyteratus honorẽ aſſecuti ſunt: cum eò conueniſſent, non expectauit Põtifex ſextam feriã, in qua pnunciari cardinales, & publicari conſueuerunt; ſed ipſa die præter omnium opinionem, pronunciationẽ, & publicationem fecit. Quæ res non paruam moleſtiam antiquis cardinalibus abſtulit, quibus ante ora competitorum nulla quies dabatur.

De vi animi Pontificis in perficiendo quod voluit, & probatiſſimo iudicio eligendi, & de Alexandro vero ſancto & digniſſimo, atque vniuerſali lætitia ex eius promotione.

Viſus eſt Pontifex Italiæ optime cõſuluiſſe, quinque cardinalibus ex ea creatis; rem quoque prius inauditã feciſſe, qui duos ex familia ſua cardinales, & nepotem ſuum, vno in conſiſtorio creaſſet. Illud vero laude dignum ſine cõtrouerſia cuncti iudicauerunt, quòd nominatus nemo tanta dignitate videbatur indignus, nec vllam aliquando creationem factam fuiſſe quiſpiã memoriæ tenebat, quæ in tam paruo numero tot prçſtantiſſimos viros cõplexa fuiſſet: huc accedebat, quòd abſq; principum interceſſione, excellentiſſimi viri electi fuerant. Multum vero admirationis Alexandri aſſumptio cunctis præbuit, quæ prius audita eſt, quàm cogitata: nec enim quiſquam erat, qui pauperem monachum anguſtæ cellæ cultorem; quamuis egregium verbi Dei prædicatorẽ, & ſanctum, præſtantemq; virum, inter cardinales aſſumendum expectaret, ſumma enim faſtigia cardinalatus quærit. At Pius etiam in paupere cenſuit virtutem honorandam, haud ignotus primos Eccleſiæ principes, pro mundi conſuetudine ignobiles, pauperesq; fuiſſe. Quæſiuit etiam in abditis monachorum excellentem animum, nec inopiam auri in eo cõtempſit, quem bonarum artium copia illuſtraſſet: intellexerunt omnes Pio Præſuli gratam eſſe virtutem, atq; hinc multi

poſtea probitati ardentius incubuerunt. Nulla res adeo virtutem excitat, quàm ſpes ipſa præmii, qui eſt honor. Cum nuncius ad Alexandrum venit rem geſtam expoſiturus, acceperat homo cœnam, & paucis inrentus curis, emiſſis fratribus, ſolus in ſcãno dormiebat, pulſato ter quaterq; cellæ oſtio; apud Auguſtinenſes enim moram trahebat, tumultum audiens excitatus eſt, & aperiens pulſanti, nihil minus ſperans, quàm cardinalis appellari, intromiſit hominem, qui mox ait. Salue Alexander, bonum tibi nuncium affero; nam te hodie Pontifex maximus cardinalem creauit; irriſionem eſſe monachus arbitratus eſt: at cum turba ſalutantium concurreret, & certã rem affirmaret, ſiluit aliquantiſper ſtupore mentis attonitus, deinde ad ſe reuerſus: Miror, inquit, vnde Præſulis hæc in me charitas: quid promerui? quid feci? propter quod hæc dignitas ad me deferatur, dignum me tam ſublimi honore, ſola Præſulis bonitas fecit: incredibile fuerit, quantum & monachi ſui ordinis, & ciues Senenſes & omnes ferme Itali hoc factum laudauere: multæ ciuitates ei dona miſerunt, & ciuem ſuum eſſe voluerunt: Pont fex argentum miſit, quo dignitatem ſuſtineret, & cardinales, & aulici magnificis eum muneribus donauere.

Sabbaro deinde indicto conſiſtorio in eccleſia cathedrali, Pontifex iuſſit cardinales nouos qui aderant, tres accerſiri, & priuſquam venirent de creatione facta, deque meritis ſingulorum pleraque locutus; oſtendit omnibus & dignam, & neceſſariam ordinationem fuiſſe. Poſt hæc aduenrantes illos, ad cancellum ſtare præcepit, & dirigens ad eos verba: Maxima, inquit, filii, & excellentiſſima dignitate donati eſtis, ad collegium Apoſtolicum vocati conſiliarii noſtri, & conıudices orbis terrarum eritis, inter cauſam & cauſam, inter ſanguinem & ſanguinem, inter lepram & lepram diſcernere vos oportebit; ſucceſſores Apoſtolorum circa thronum noſtrum ſedebitis; vos ſenatores vrbis, & regum ſimiles eritis, veri mundi cardines, ſuper quibus militantis oſtium Eccleſiæ voluendum, ac regendum eſt. Cogitate animo, quos viros, quæ ingenia, quam integritatem, hæc dignitas requirit: humilitatem non ſuperbiam, liberalitatem non auaritiam, abſtinentiam non ebrietatem, continentiam non libidinem, ſcientiam non ignorantiam, virtutes omnes nullum vitium hic honos expoſcit. Si fuiſtis hactenus vigilantes, nunc vigiletis oportet aduerſus malignum hoſtem, qui nunquam dormit, cogitans quem deuoret: ſi liberales fuiſtis, nunc opes in rebus honeſtis profundite, & maxime in alendos pauperes: Si cibi potuſque abſtinentes, nunc præcipue luxuriam fugite; abſit auaritia, faceſſat crudelitas, exulet arrogantia, ſint libri ſacri ſemper in manibus veſtris, dies noctéſque, aut diſcite aliquid, aut alios docete, opera efficite per quæ lux veſtra coram omnibus luceat, & denique tales eſtote, quales eſſe debere cardinales diiudicaſtis, antequam ipſi hoc culmen aſcenderitis. Quibus dictis, vocauit eos ad oſculum pedis, deinde manum, oſque porrexit, & antiqui cardinales ipſos pariter ad oſculum exceperunt, locumque ſedentibus præbuerunt. Mox aduocati cauſas aliquas perorarunt; quibus deciſis cardinales antiqui ſtantes coram Papa fecere coronam, nouigenibus flexis, votum pro veteri formula vouerunt: exin Pont fex vniuſcuiuſque capiti inſigne cardinalatus impoſuit rubrum de more galerum: chorus hymnum cantauit, gratias Deo reddens. Cardinales antiqui pompam ducentes, exceptis duobus, qui cum Pontifice remanſerunt, nouos ad altare beatæ Virginis deduxerunt, ibique ſenior cardinalium orationem ſuper capita illorum fudit, bona eis, & Eccleſiæ ſanctæ multa precatus: atque ita rebus peractis, ad Pontificem maximum reuerſi ſunt, qui diſſoluto conſiſtorio, in palatium abiit. Par quoque ſolemnitas paucis poſt diebus in aduentu Rheatini, & Senenſis cardinalis ſeruata eſt, cum alter ex Bononia, alter ex Peruſia Romam peteret. Laudauit Pontifex Rheatinum, digne pro meritis, Senenſem, quia nepos ſuus erat, & annis minor; negauit ſe promoturum fuiſſe, niſi cardinales multis precibus id exegiſſent.

Pii oratio ad nouos cardinales, quales eſſe oporteat tanta in dignitate conſtitutos, & votum electorum.

Iiſdem fere diebus Ioannes cardinalis Papienſis, qui Picenum cum legatione tenebat, anxius ne Picininus tranſiret in regnũ; huc equitans, & illuc armatus febrẽ incurrit, quæ ſibi vitã eripuit, nõ ſine gaudio prouincialium, qui nouã ſemper gubernatiõe appetunt, quãuis ex familia Caſtillionea nobili loco apud Mediolanenſes natus

Mors Ioannis cardinalis Papienſis, & tranſitus Picinini in regnum, & Federicus electus.

eſſet,& artis oratoriæ,& ciuilis ſapientiæ peritiſſimus: Pontifex ei nepotem ſucceſſorem ſuum dedit,cui per ætatem (eſt enim iuuenta imperandi neſcia) præceptorem adhibuit epiſcopum Marſicanum,virum grauem,& regendi peritum. Datis mandatis,vt ab eius conſilio nunquam diſcederet,priuſquam Senas iret. Iacobus Picininus iampridem anceps quid ageret,tranſire in regnum cupiens eccleſiaſticas, ac ducales copias verebatur,quæ ita collocatæ fuerant,vt Picenum,Tuſciam, Vmbriamq; reſpicerent,poſſentq; iter quocunq; iretur præcludere. Electa eſt hoſti Piceni via propter maris litus,& impoſitis in nauibus impedimentis,& commeatibus, iuſſi funt milites cibaria trium dierum ſecum aſſumere, quibus ordinatis Picininus nocte iter ingreſſus,veloci curſu fluuium tranſmiſit, quem aiunt Marchiæ principium facere. Sigiſmundus Malateſta,cuius vitam ſupra deſcripſimus,non recedens à ſuis moribus, ducentos aſſumens equites,& pedites aliquanto plures,per montana, non procul à Picinino viam fecit,ei (ſi forte opus eſſet) vt ſuppetias ferret, quamuis Pontifici ſcripſerit,partes Eccleſiaſticas ſe adiuturum. Vrbinas vero, qui nullo pacto viam Picinino per Marchiam poſſe patere affirmauerat,creditus eſt tergiuerſando, & differendo iter expeditum hoſti præbuiſſe,bellum vt tandem procul à domo repelleret: ſed multum opinionis id factum Federico ademit; nam ſi diligens fuiſſet,facile ea die Picininum,vt aiunt,profligaſſet. In caſtris Eccleſiæ octo millia pugnatorum fuere: Picininum vix tria millia ſequebantur, qui paſſuum quinquaginta millibus vno curſu peractis,feſſus,atque exanimis ad Tronti amnem peruenit,tum nouo imbre tumidum,quem vix cum quadraginta comitibus timens,trepidanſque tranſmiſit. Reliqui labore,atque inedia defatigati ſine ordine,& abſq; ducibus in citeriori ripa pernoctarunt,futuri procul dubio præda,ſi vel pauci inſecuti fuiſſent.

Militia fraudulenta, & perfida, & Pii prouiſio in Ferdinando defendendo.

Sed Alexander,& Federicus,tum primum inſectandi hoſtem diligentiam oſtenderunt,cum euaſiſſe compertum eſt.Perfida eſt noſtri temporis militia, quæ ſtipendio veluti mercaturæ vtitur lucro,quod ne deficiat bellum producit. Rara eſt in prælio cædes,nec qui rapitur aliud amittit, quàm equos , & arma , perraro totis viribus,vnica pugna certatur.Si coeunt,hinc atque inde vires,& ſigna conferuntur, ad pugnam pars partem admonet, ita pugnandum eſſe , vt materia bello non deſit. His artibus non ſua virtute tutus in regnum Picininus effugit, quem qui laudant,non pugnandi,ſed fugiendi peritum dicunt:qui poſtquam ad Aprutios peruenit,nonnullis oppidis potitus eſt,nondum eccleſiaſticis eum aſſecutis. Terruit eius tranſitus Ferdinandi amicos, hoſtes in ſpem erexit, cum de virtute tanti ducis rem ſuperaret opinio.Statuit idcirco Pontifex alias copias in Campaniam mittere petenti Ferdinando ſuppetias, conductoq; mercede Simonetto egregio copiarum duce, qui diu Florentinorum ſtipendia mœruerat; iuſſit ipſum, & Ioannem Malauoltam nobilem Senenſem, cum equitatu, peditatuq; non paruo in Campaniam traiicere, prouiſuros, ne violentia Gallorum Ferdinandum incognita cauſa deiiceret regno; exercitumq; in Aprutios miſſum,& ſuis,& Franciſci Mediolanenſium ducis, nouis adauxit ſupplementis.

Patauina, Feltrenſis, Ferrarienſis, Anconitana, & Veneta eccleſiarum prouiſiones, Pii ſeceſſio ad Capriolam, & loci amœnitas.

Dum hæc aguntur,audiens Pontifex Venetos iam ſua decreta reuocaſſe, & Petro Barbo cardinali ſancti Marci ſua bona dimiſiſſe, cum cardinalis eccleſiæ Patauinæ ſponte ceſſiſſet;epiſcopum Feltrenſem à vinculo quo ſuæ tenebatur eccleſiæ abſolutum Patauinæ præfecit. Franciſcum vero epiſcopum Ferrarienſem, cum ſuis ouibus,principis odio,prodeſſe non poſſet,ad Feltrenſem tranſtulit.Ferrarienſibus Laurentium Rouarellam aulicum ſuum,antiſtitē dedit,egregium theologum, & honeſta vita præcipuum. Nec diu poſt Mapheo Contareno Patriarcha Veneto diem functo, Andream Bondelmerium ſubſtituit,ex ordine canonicorum regularium diui Auguſtini,quem Venetus ſenatus ſummis poſtulauit precibus. Deceſſit & Anconitanus epiſcopus, cui ſuffectus eſt Agapitus natione Romanus, ciuili ſapientia, & morum probitate conſpicuus; cui & proſa eleganter ſcribere, & carmen facere promptiſſimum fuit,ex auditoribus Rotæ in familiam Pii iampridem euocato. Poſt hæc ſeceſſit Pontifex ad Minores , qui Obſeruantes appellantur, non longe à ciuitate Senenſi, monaſterio Capriola nomen eſt: diuus Bernardinus erexit, ob eius memoriam & ampliatum,& adornatum eſt, & à viris eius religionis ſanctioribus incolitur. Manſit hic

ſit hic Pontifex diebus quindecim, Spoletano, & Theanenſi cardinalibus comitatus, vt aliquantulum quieſceret a negociis; non tamen aut ſignaturam, aut ſecreta conſiſtoria prætermiſit, neque audientiam negauit aduentantibus. In nemore, quod perpetuo viret lauro, & ilice frequenti auditorium ſibi conſtituit loco aptico ſub monte; idque tantum voluptatis auxit ſolitudinem quærens, quòd ver ante tempus inuenit.

Pii agrotatio ac profectio ad balnea, tractatio reformandæ ciuitatis Senenſis, & agri eius amœnitas.

Reuerſus Senas ante Palmarum diem, ſolemnitates omnes congrua deuotione peregit, quæ vel pro paſſionis Chriſti memoria, vel pro Reſurrectionis eius gloria quot annis fiunt: deinde podagra languit, & fluxu capitis maxillas doluit. Curatus aliquantiſper balneas adiit apud Maccretum, non ſine conſilio medicorum; quamuis pleríque minus docti diſſuaderent: atque hæc cauſa fuit cur Senis tandiu manſerit, quamuis & ſuæ patriæ ſtudere, ac benefacere voluerit, quæ bellis, peſtibus, ac diſſenſionibus vexata ciuilibus, paupertate premebatur, vt emolumentis curiæ paululũ reſpiraret. Prius autem quàm balnea peteret, voluens animo infirmitatem ſuæ patriç, quæ pluribus in populo ſciſſuris iampridem factis, diu ſtare non poſſet: accerſitis viris ex regimine prudentioribus, & qui priuatis affectibus nudi viderentur, percontatus eſt, quiſnam modus eſſet reformandæ, ſolidandæq; ciuitatis. Illi vocandos eſſe ad regimen eos, qui Duodecim appellantur, reſpondere, qui viri circiter quadringenti inuenirentur, & inter eos plures opulenti mercatores. Placuit conſilium Pontifici, quamuis factu difficile videretur: commiſitq; ſanctæ Cæciliç, & ſanctæ Suſannæ cardinalibus, vt primariorũ ciuiũ ſententias exquirerent. Illi pluribus auditis retulerunt multos conſentire, plures aduerſari: re diuulgata venerunt magiſtratus vrbis cum capitaneo populi (ſic enim digniorem ciuitatis magiſtratum appellant) & magna ciuiũ caterua, ſupplicaruntque Præſuli, ne de Duodecim verba faceret. De Gentilhominibus, ſi quid amplius vellet, inuenturum Pontificem, ciues Senenſes volenti animo ſua iuſſa facturos. Motus his Præſul, plura quærere deſtitit, ne amplius inſtans ciuitatem triſtitia afficeret, neque aliud quàm odium acquireret. Hortatus tamen eſt circa Gentilhomines ea facerent, quæ cardinalis ſanctæ Suſannæ expoſiturus eſſet. Illi multa promittentes, læti abierunt, quòd Duodecim cauſas excluſiſſent: de Gentilhominibus deliberandi tempus haberent. Pontifex, vt ſtatuerat, ad balneas conceſſit. Cœperat vernum ſuaue tempus, & circa Senas omnes ridebant colles veſtiti frondibus, ac floribus, & luxuriantes in agris aſſurgebant ſegeres: ſitus ipſe Senenſis agri maxime ciuitati vicinus, ſupra quam dici poſſit, amœnum habet aſpectũ, colles clementer eleuati, aut domeſticis arboribus, vitibuſq; conſiti, aut ad fruges arati, iucundiſſimis imminent vallibus, in quibus vel ſata virent, vel prata, & riui decurrunt perennis aquæ. Adſunt & frequentes ſiluæ, ſeu natura, ſeu arte paratæ, in quis dulciſſime modulantur aues; neque tumulus eſt, in quo ciues ſuburbana prædia nõ magnifice ædificauerint. Hic egregia monaſteria ſanctis habitata viris, illic io arcis modum erectæ viſuntur ædes ciuium. Per ea loca lætus tranſiit Pontifex; nec minus iucunde fuit in balneis: locus ab vrbe decẽ millibus paſſuum abeſt in valle, quæ latitudinis duo, triaue ſtadia continet, longitudinis haud minus quàm octo millia paſſuum. Merſa flumen irrigat agros perpetuis aquis in Vmbronem decurrens, & anguillis ſcatens pluribus albiſſimis, ac ſuauibus, quamuis paruis: Vallis qua incipit cultiſſima eſt, multis referta caſtellis ac villis qua deſinit prope balneas ſilueſtrior: Saxo ponte clauditur, non parui operis, & nemoroſis, atque opacis rupibus. Ilex arbor nunquam non virens montes qui vallem à dextris cingunt, veſtit ferme omnes à ſiniſtris glandifera querqus, & ſuber: circa balneas domus humiles pro diuerſoriis habentur. In his Pontifex menſem egit, & quamuis ſingulis diebus bis lauaret, nunquam tamen ſignaturam, aut alia reipublicæ negotia prætermiſit. Circa horam vigeſimam & ſecundam exibat in prata, & ſupra litus fluminis, vbi plus erat graminis, ac viriditatis conſedit, atque ibi legationes, & ſupplices audiuit. Agreſtium coniuges ſingulis diebus flores afferre, ac viam ſternere, qua Pontifex balneum peteret: Idque tantum mercedis expectare, vt pedes eius oſculari poſſent.

Indulgentia Senenſis Eccleſiæ, & reditus ad balnea.

Conceſſerat Pontifex in gratiam ſuorum ciuium plenarias indulgentias, omnibus Senenſem eccleſiã viſitantibus, in die Pentecoſtes: cui ſolemnitati vt initium daret,

ex balneis nondum curatus Senas rediit, interfuitq; diuinis officiis, ad quæ ingens populi multitudo confluxit ex Tuſcia, Liguria, Gallia, Vmbria, ac Piceno. Præſul ob eum motum grauius ægrotauit, Seniſq; amplius quàm cogitauerat coactus eſt immorari. Exin nocte intempeſta vrbem egreſſus Maceretum repetiit, ibiq; paucis diebus aſſumptis, ad Petriolenſes balneas ſe contulit, quis & plus ſulphuris, & plus creditur ineſſe virtutis. Hic locus quinque millibus à Macereto abeſt, via quæ Groſſetum, & ad mare ducit, in valle profunda, quam Farma fluuius efficit, trutas gignit, montes vndique altiſſimi ſurgunt, quamuis lapidoſi, nemoroſi tamen, herboſique: circa balneas non multæ domus ſunt, verum capaces hoſpitum plurimorum, quas Senenſes patrum noſtrorum memoria muro cinxerunt, ne quod ante nonnunquam acciderat, inſidiari lauantibus latrones poſſent. Pontifex aquas calidas in hoc loco viginti diebus, per canale ductas, in vertice capitis accepit; ſic factu ſalubre dixeruut medici, quia nimis humidum eius cerebrum videretur.

Cardinalis S. Petri capitur à Sigiſmundo Auſtriæ duce.

Per copias in regnum penetrant Ferdinandum adiutura, belli auſpicia, & principis Roſſani perfidia.

Inter hæc Sigiſmundus Auſtriæ dux cum accepiſſet Nicolaum de Cuſa epiſcopũ Brixionenſem cardinalem ſancti Petri ad eccleſiam ſuam profectum eſſe, iræ impatiens ac furoris, coactis vt potuit raptim copiis, quæ ſufficere videbantur, Bernecham petit, id eſt oppidum Brixionenſis eccleſiæ, in cuius arce cardinalis ſeceſſerat, atq; in ipſo Reſurrectionis Dominicę ſacratiſſimo die, oppidum expugnat, & arcem aggreſſus, omni genere machinarũ, oppugnat. Cardinalis veritus ſuorum cædẽ (iam enim pleriq; vulnerati fuerant) arcem, & ſeipſum tradidit, & in cuſtodia retentus, tandem iuratus abſolutionem Sigiſmundo procurare, iniuriaſq; nullo vnquam tempore vindicare, dimiſſus eſt. Interea Simonettus, & Ioannes Malauolta in Campaniam iter facientes, cum iam vias arctiores, & loca periculoſa euaſiſſent; dum metari caſtra volunt, non paruam iacturã paſſi ſunt; Malauolta enim, & Robertus Vrſinus, qui ſe inter eundem comitẽ addiderat, dum ſpeculatum cum paucis pergũt, in equites peditesq; Sorani ducis incidunt, cum quibus & filius Iacobi Sabelli fuit, ferox adoleſcens, qui relicta militia eccleſiaſtica (canonicus enim in baſilica principis Apoſtolorum aſcriptus fuerat) mundiali ſe dedit. Pugnatum eſt atrocius, quàm tanta paucitas requireret. Sabellus vulneratus occumbit, gladio per ora transfoſſus; ſed cũ hoſtes continuo creſcerent, Robertus ad caſtra cõfugit: Malauolta caſu equi in terrã delapſus ab hoſtibus intercipitur, atque ita eſt penſatum Sabelli damnum; plus tamen momenti in Malauolta fuit, cuius erat in armis non paruum nomen, quamuis minus proſpere ei ſæpius res ſucceſſiſſent, huiuſmodi fuerunt eius belli primitiæ; quod Pius pro Ferdinando geſſit, inde mors, captura hinc, his qui futura inquirunt, augurandi materiam præbuit: Simonettus iter ſuum peregit, & ad regem profectus ingenti fauore exceptus eſt, & aduentu eius magna rerum mutatio facta. Rex qui breui periturus exiſtimabatur, iam bello ſuperior, victorque mox deleturus hoſtes iudicabatur. Cum Pontifex maximus, & Mediolanenſis princeps auxilio eſſent, ſic natura comparatum eſt, vbi plus virium, ibi & fauor hominum ſe inclinat: quod cum animaduerteret Roſſani princeps, & Deiphebus Euerſi comitis filius, ac Iacobus Montagana ſceleſtiſſimum facinus, & iampridem inauditum circa idem tempus meditati ſunt; ſimulantes enim pænitentiam, quòd ad Francos defeciſſent, Ferdinandum ad colloquium vocauere, ad quod cum rex hinc, & Ioannes Vintemilius, ac Gregorius Corelia maiordomus regis, illinc princeps Deiphebus, & Iacobus, relictis procul exercitibus, in agrum ſoli ſeceſſiſſent, poſtquam paululum collocuti non cõuenere. Princeps frænum equi regalis arripuit: Deiphebus ferrum ſtringens veneno tinctum iugulum regis quæſiuit: ille inſidias cernens, calcaribus vrſit equum, qui cum eſſet potens & altus, regem periculo ſubtraxit; ſic ſcelerati homines defectionis ſceleri, maius ſcelus addere tentauerunt: Illud voluẽtes animo, quod impii dicunt: Victoribus omnia ſancta.

Populi Senenſis diuiſio, & in Pium vaniſſima calumnia.

Pontifex cum hæc audiſſet Senas iam æſtate feruente rediit, & apud Minores amœno, & ſalubri loco manſionem ſibi delegit. Iam Senenſes in duas partes diuiſi, alii de Gentilhominibus concedendum, quod Pontifex cuperet aiebant, alii negabãt: hi cum recta non poſſent Papæ reſiſtere, obliquã quæſiuere viam: multa de Duodecim viris locuti, qui regentibus infeſtiſſimi eſſent; nihil aliud quærere Pontificẽ dixerunt,

[illegible] ad rempublicam reducere. Confinxerunt etiam litteras, quibus ſi-[illegible] vrbis exulum, ac relegatorum Pium eſſe amiciſſimum, eiſque ſubueni-[illegible] vt viuerent in reipublicæ detrimentum. Manſionem apud Minores extra muros elegiſſe, vt in fornicibus templi, qui ampliſſimi eſſent, clam pedites, equiteſq; collocaret, atque vno impetu ciuitatem irrumpens exules introduceret: his & aliis nugis ita [illegible] animum infecerunt, vt verbum amplius de Gentilhominibus audire non poſſent: & quamuis Pontifex vocatos ad ſe vrbis magiſtratus, multis verbis hortaretur, his fidem ne haberent, qui diſſidium quærentes ſuſpiciones ingererent; nihil tamen perfecit: plebs male credula eſt. Pollicebantur ſinguli multa ſeorſum, coniunctim qui non audebant.

Legatio regis Caſtellæ, & trium Patriarcharũ Orientalium erga Romanam Eccleſiam reconciliatio.

Dum hæc aguntur, Henricus Caſtellæ, ac Legionis rex, cui maxima pars Hiſpaniæ paret cum ad Mantuanum conuentum, vilem, atque indignam ſuo nomine legationem miſiſſet, quaſi famæ ſatisfacturus, Legionenſem epiſcopum ad Pontificem item ſit, & vnum ex proceribus regni primarium, qui egregio comitatu Senas ingreſſi, & in conſiſtorio publico auditi, non tam vera, quã pulchra, ac magnifica verba fecerunt: diſcuſſa enim legationis ſuæ facultate nihil habuere, quod pro tutela fidei aduerſus Turcas offerre Pontifici valerent. Epiſcopus paulo poſt apud Senas diem clauſit, Pius Ioannem cardinalem ſancti Sixti eiuſdem nationis, hominem theologica ſcientia illuſtrem, & multis ſcriptis voluminibus clarum illi ſuffecit: rex poſſeſſionem non conceſſit, propter quam rem multæ & magnæ contentiones inter regem, & Pontificem emerſerunt.

Orientalium obedientia.

Circa hoc tempus adiit Pontificem Moyſes archidiaconus Antiochenus, vir Græcis, ac Syriacis litteris eruditus, & magni apud Orientales nominis: hunc tres Patriarchæ miſerunt, Antiochenus, Alexandrinus, ac Hieroſolymitanus, & plurimi alii principes Chriſti cultores: legatio eius huiuſmodi fuit: Veniſſe olim ad Pontificem Eugenium, inquit, Imperatorem & Patriarcham Conſtantinopolitanum, & in concilio Florentino nomine Orientalis eccleſiæ cum Occidentali de proceſſione Spiritus ſancti, de igne purgatorio, de pane azimo, de primatu Romanæ Eccleſiæ, & aliis pleriſq; de quibus antea diſceptauerant conueniſſe, decretumque deinde fuiſſe factum, quod tres Patriarchæ, qui ſe miſerant, non ſuſcepiſſent, ſatore zizaniarum impediente, deinde bono commotos ſpiritu, conuentu ſubditorũ habito, ſuſcepto per omnia decreto, Romano Pontifici ſeſe commiſiſſe, velleq; illi tanquam Ieſu Chriſti vicario deinceps obtemperare, atq; ad ea enuncianda ſe miſſum. Audiuit Pontifex legationẽ & priuatim & publice; & collaudatis Patriarchis ſcripta, quæ Moyſes attulerat in latinum tranſlata, in archiuiis Eccleſiæ Romanæ recondi iuſſit, ipſumque donatum ad propria remiſit.

Monouaſsiæ ſitus, & legatio, atq; deditio.

Paucis deinde ſecutis diebus legati ex Monouaſſia Pontificem adeunt, ſe atque vrbem dedẽtes; ea eſt Peloponneſi ciuitas ad Orientẽ Cherſoneſſi in altiſſimo monte iacens, rupibus vndique præruptis, tuta vnico tantum aditu iuncta continenti portu, & naualibus quondam ornata. Lacedæmonem hic olim fuiſſe quidam opinantur, Græciæ robur, ac columen, nobis incertum, legati publice auditi. Reſpice nos Pie Pontifex, dixere, niſi manum porrigis, præda Turcarum ſumus, Demetrius Paleologus noſter dominus fuit; is ad Turcas defecit, noſque in eorum poteſtatem traducere adnixus eſt: Senſimus, ac præuenimus dolos, arcem inuaſimus, vxorem eius ad virum remiſimus, Turcis aditum clauſimus, acceſſimus Thomam Demetrii fratrem, rogauimuſque vrbem, quæ ſua eſſet germano ad hoſtes deficiente vt acciperet ac defenderet. Negauit Thomas eas ſibi vires eſſe, quibus tueri nos poſſet; hortatuſque eſt, vt vel [illegible] vel alium dominum aſſumeremus. Conſilio his de rebus habito, placuit omnibus ad pietatẽ tuam recurrere, tibique populum, & ciuitatem tradere. Accipe igitur ſupplices, ac ſubueni miſeris, ne contempſeris vrbem noſtram, ad res in Græcia gerendas accommodatiſſimam: ſi claſſem ſtatueris in Orientem mittere, apud nos ſtationem, & tutiſſimum refugium inueniet. Si nos relinquis, cogimur iugum ſubire Turcarum, non ſine tuo dedecore, & reipublicæ Chriſtianæ maximo detrimento. [illegible] Pontifex illacrymatus eſt, mundanarum rerum varietatẽ animo voluens; nam quæ olim ciuitas Græciæ domina, Aſiam, & Orientẽ potentiſſimis claſſibus in-

feſtauit, orbiſq; magnam partem ſibi ſubiecit, eò demum redacta eſt, vt ſtare non poſſet, niſi domino in Occidenti quæta, atque illis ſeſe dedat, & commendet, quorum ingenia prius, & opes contempſerat. Iannoriu quem ſupra in Peloponneſum ex Mantua miſſum retulimus, legatorum comes fuit, multaq; de Monouaſſia locutus locū natura munitum, ſi paruo præſidio defendatur, inexpugnabilem dixit: Pium magnopere exhortatus, ne tantā recuperandæ Græciæ occaſionē prætermitteret. Annuit Pontifex, iuſſiſq; legatis in ſua verba iurare, Monouaſſiam ſuo, & Eccleſiæ Romanæ nomine in deditionem accepit, miſſo præfecto qui populo ius diceret, & annonam, cuius erat vacua ciuitas miniſtraret.

Iacobi Lucēſis viri præſtantiſſimi promotio ad eccleſiam Papienſem inuito duce, & Pii animus inuictus.

Vacauit circa idem tempus eccleſia Papienſis apud Inſubres nobilis, & quæ ſoli Romano Pontifici ſubeſt, diues opum, & liberalium artium ſchola inſignis; Ioannes cardinalis ex familia Caſtilionea ei præfuerat, quem in Piceno dum legatū agit, obiiſſe diximus. Pontifex Iacobum Lucenſem ſecretarium ſuum ei ſufficere ſtatuerat, virum Græcis ac Latinis litteris eruditum: Franciſcus Mediolanenſium dux animum aduerterat, nec paſſurus videbatur ſententiæ Pōtificis locum fore. Miſſus eſt Angelus Volſinenſis ordinis Minorum profeſſor, qui Franciſcum leniret, nec quicquam profuit, dicente per iracundiam Franciſco epiſcopum Papienſibus, ſi alterum quàm cupio præfecerit Romanus Pontifex, experietur nō eſſe viui principes irritare: reconciliabor Picinino haud difficile, eiq; agrum Eccleſiæ diripiendum mādabo, & quis erit qui Pontifici opem ferat? ea cum retuliſſet Angelus magis ac magis Pontificis animum obfirmauit, vt Iacobum promoueret: ſcripſitq; Pontifex manu ſua Franciſco admonens, ne pugnam aduerſus Pontificem amplecteretur, in qua neceſſe ſibi eſſet ſuccumbere, quia non mutaret propoſitum, nec arma ſua timeret Pius: victus tandem Franciſcus annuit, & Iacobus magno ſenatus aſſenſu, & vniuerſæ curiæ applauſu Papienſi eccleſiæ præfectus eſt.

Sarnēſis pugna, in qua aduerſante fortuna, Ferdinandus occumbit, & Simonetto clara, notaq; mors, & Caſtris maru prodita.

Per hos dies auctus animo Ferdinandus Siciliæ rex aduentu Simonetti, & aliorum Eccleſiæ ducum exercitum in campum eduxit, pugnandiq; copiam hoſtib. facit, detrectantibus prælium acrius inſtat, eoſq; loco pellit, nec ceſſat vrgere, donec omnes intra oppidum Sarni fugientes concludit. Id paſſibus circiter triginta millibus à Neapoli abeſt. Pars eius in arduo colle ſita eſt, pars in plano iacet, non tam muris, quàm aquis munita, ex radicibus montis limpidiſſimi ſcaturiunt fontes, qui Sarnum efficiunt fluuium, cuius antea mentionem fecimus, tantæ frigiditatis, vt herbas atq; arbores enecet, neque piſces alat præter cancros. In hoc oppido Ioannes Rhenati filius, & Tarentinus princeps, & omnis nobilitas ſuarum partium, atque omnis equitatus, & peditatus ex fuga ſeſe receperant, cum Ferdinandi impetum ferre non potuiſſent. Nec dubium erat quin breui vrgente fame, aut ſeſe dederent, aut in diuerſa dilapſi hoſti cāpum relinquerent; clauſi enim cōmeatus introducere nulla ex parte poterant, & iam conſilium cœperant, quo potiſſimum itinere fugā arriperent. Quorum ſaluti nihil tam conſuluit, quàm Ferdinandi audacia; illum cum natura, tum neceſſitas ſupra quam par fuit audaciorem præbuit. Erat in caſtris ſuis non tam validior hoſte, quam animoſior miles. Verum importunus, & querulus ſtipendia petere, minari niſi argentum daretur: regi nihil eſſe quod daret, & iam ducenti Barbati, quos vocant Scoppeterios, ob negatam mercedem ad hoſtes defecerant: Vereri ne diſcedentibus pluribus obſidionem ſoluere cogeretur, militi abſq; auro nihil ſuaderi poſſe. In his anguſtiis conſtituto vtile viſum eſt oppidum repente aggredi, vt eo expugnato ex ſpoliis hoſtium exercitui ſatisfieret. Re in conſilium ducta, probantib. pluribus, Simonettus contradixit, qui loco munito hoſtem non facile dimouendum putabat, meliuſq; fame, quam ferro vinci. Placere tamen ſibi turrim quandam oppido propinquam inuadi, qua capta, impoſſibile eſſet hoſtes pabulatum exire. Itum eſt in ſententiam Simonetti; verum expugnata primo impetu turri creſcentibus animis, victor fureuſque miles retineri nequiuit. Prætergreſſi autem audaces turmæ iuſſa ducum ſecutæ fugientes hoſtes, cum his oppidi portas intrauerunt: pugnatum eſt intra mœnia ſumma contentione, nec pauci ceciderunt, plures tamen Eccleſiaſtici, quorum magnam ſtragem ediderunt Scoppeterii, quos diximus, a rege profugiſſe. Inſtrumentum eſt Scopplettum in Germania, primum hac de-

mum

mum ætate noſtra repertum, ferreum, ſeu cupreum ad menſuram hominis, longum pugillaris ſpiſſitudinis, concauum fere totum, in cuius ore plumbea ponitur pilula ad magnitudinem nucis auellanæ, immiſſo prius puluere, qui ex carbone ſicl, aut ſalicis conficitur, ſulphure & nitro commixto, mox ignis per foramen paruum in poſterioti parte adhibetur, qui receptus à puluere, tantam vim concipit, vt pilulam inſtar fulminis iaciat, in eius exitu quaſi tonitru ſonitus exauditur, quem vulgus Scoppium appellat, hinc Scoppeterii appellati: ictum eius tormenti nulla ſubſtinet armatura, robora etiam penetrantur. *Sclopp.* Regius igitur miles, atque Eccleſiaſticus, quamuis oppidum introiſſet, & hoſtes aliquos manu cepiſſet, ab hiſce Scoppeteriis non ſine vulnere ac cæde repulſus eſt, hoſtis inſecutus longo ſpatio extra oppidum ſigna protulit: cui dum Simonettus occurrit, ſuorumque fugam retinere conatur, tormentali pilula percuſſus, ex equo deiectus eſt, nec locutus è vita deceſſit: qui etſi diutius viuere optauiſſet, hunc tamen exitum cupiebat, ſæpe inter ſuos dicere ſolitus: Det mihi Deus vt in arte mea, & in Eccleſiæ ſeruitio moriar. Corpus eius ab hoſtibus iauenrum honorifice tumulatum eſt. Ioanne regis filio, & omni nobilitate funus ducente, multorum in hoc prælio virtus enituit, præcipue Roberti Vrſini, qui primus Sarnum ingreſſus aſcendere ſuperiores oppidi partes tentauit, ſed vulneratus in facie, coactus eſt pedem referre. Ioannis quoque Malauoltæ filius egregia ſuæ iuuentutis rudimenta præbuit, qui paulo poſt Senas reuerſus febre interiit. Primi Eccleſiaſtici pugnam ciebant, primique cæſi ſunt, aut capti, cum tormentorum ictus ferre nō poſſent. Rex fuga ſaluatus eſt impedimentis amiſſis: caſtra direpta ſunt: equi ſupta duo millia in prædam venere: ſecundum hanc victoriam princeps Salerni ad Francos defecit, cui & Nola parebat: idemque dux ſancti Marci & vniuerſa ſancti Seuerini domus effecit. Quod ſi victoriam ſecutus hoſtis ad Neapolim caſtra mouiſſet, haud dubium quin profligatus Ferdinandus regno ceſſiſſet: princeps Tarenti curſum fortunæ retinuit, qui Marte dubio regni moderator habebatur, & arbiter, finito bello victori pariturus. Ioannes Andagauenſis cum Neapolim inhibente principe nequiret accedere, copias ad Caſtrum maris victor admouit; & oppido vi potitus, arcem auro redemit; aureorum quattuor millia præfect⁹ accepiſſe traditur. Verum eſt quod vulgo dicitur, nullam non expugnabilem arcem eſſe, in quam onuſtus auro intrare poſſit aſellus.

Hæc in terra Laboris geſta, quæ olim Campania dicta eſt. In Apruttiis vero Picininus accepto victoriæ nuncio, veritus ne ignauiæ accuſaretur, ſi nihil ab eo fieret: congregatis Aquilanis, Toſcanis, Caudolianis, & omnibus Aprutinorum viribus, magnum equitum, peditumque ducens exercitum, ducales, atque Apoſtolicas copias, quæ non procul ab Eſculo caſtra tenebant, inuadere ſtatuit. *Prælium Apruſinum Picinini, & Eccleſiaſticorum, & rumor varius, quique in ea pugna claruerunt.* Alexander Sfortia, & Federicus Vrbinas, alter ſocer, alter gener Picinino oppoſiti erant, equitatu pares hoſti, aut ſuperiores, peditatu longe inferiores. Ii planum tenebant, Picininus collem occupauerat, qui ſigno dato, magno impetu in hoſtes delatus eſt. Alexander ei occurrit, commiſſum atrox prælium, diuque anceps: verum vrgente pedite Picinini, Alexander non paucis ſuorum amiſſis, loco paulo ceſſit; fuiſſetque omnino profligatus, niſi Federicus, huc atque illuc diſcurrens, ſuppetias miſiſſet, ac pro ſauciis integros ſuffeciſſet. Pro ceteris vero Petripauli Forolíuienſis excellens virtus adiumento Eccleſiaſticis fuit, qui locum ſibi commiſſum nunquam deſeruit; equis quattuor ſub eo confoſſis, Federicus ei ſubmittebat equos, cuius præſtanti audacia omne robur hoſtium retentum eſt. Pugna ad horam noctis ſecundam, ſumma contentione, & ardentibus animis producta, luna præſtāte lumen, ad extremum Eccleſiaſtici cum loco dimoueri non poſſent, Bracciani ad mōtem vnde venerant redire, victores, ac victi ambo exercitus, Eccleſiaſtici plus equorum amiſere, hoſtes plus hominum: ingens enim & peditum & equorum ſtrages edita eſt: mutauere tamen Eccleſiaſtici locum, cum Picinini copias augeri cognouiſſent, caſtraq; amplius atq; amplius munierunt. Picininus in Aprutinorum interiora conceſſit, vbi à Mattheo Capuano haud ignaro copiarum duce, ſæpe damnis, atque ignominia affectus eſt. *Gallorum curioſorum leuitas.*

Senis cum nunciata eſſet Ferdinandi clades apud Sarnū accepta, Galli qui frequē-

tes erant in curia vociferari, per vrbem ſaltare, ignes incendere, inſultare Cathelanis, Aragonenſes irridere, familiam quoque Pontificis probro afficere, Lombardos, Florentinos contumelia laceſſere, pulſare manibus, ac ferro, ſi quis non ſatis eorum inſaniæ applaudere videretur; nam & Burgundioni cuidam oculum effoderunt, & Senenſem quendam ciuem interfecerunt, qui paululum aduerſus eorum clamoribus videbatur. Tolerauit omnia Pontifex æquo animo, ſecumque ait: Quid agent ſi Italiæ regnum obtinerent? Ego te Italia quantum potero adiuuabo, ne vllos patiare dominos, quamuis nec Veneti, nec Florentini opẽ afferant, quorum populi dum te ſibi ſubigere conantur, nec inter ſe conuenire ſtudent, externum tibi dominium parant. Sic locutus inter amicos Pontifex, nihilo deiectus animo reparare atque inſtaurare copias decreuit: Ferdinandoque noua auxilia mittere, ne regno deiici poſſet. Interea Aquilanorũ legati ad eum veniunt, & paulo poſt Ioannis Andegauenſis oratores ſuaſuri, vt relicto Ferdinando Pontifex, aut Rhenati cauſam adiuuet, aut à bello prorſus abſtineat, multorum & populorum, & principum regni literas afferentes, qui Ferdinandi regimen, atq; imperium prorſus reſpuebant. Quibus auditis Pontifex, ſe nihil aliud bello quætere dixit, niſi vt violentia ſublata lis de regno per iudicium tolleretur: id ſi Rhenatus annueret, ab armis ceſſari poſſe. Tum vnus ex oratoribus Ioannes, inquit, Coſſa hæc ad te verba tranſmittit. Si Chriſtus nobiſcum eſt, non curamus quo ſe vertat vicarius eius: vicimus apud Sarnum auctore Chriſto. Cui Pontifex: Quamuis vno prælio ſuperiores fuiſtis, inquit, non tamen affirmare poteſtis Chriſtum auxilio vobis eſſe, cuius occulta iudicia ſunt. At Chriſti vicarium veſtris aduerſari conatibus, & ſenſiſtis hactenus, & ſentietis deinceps magis: atque ita legati infectis rebus abierunt.

Romæ tumultus multi, auctore Tiburtio, & Valeriano fratribus, & ſcelerata flagitia.

Succeſſit & alia interim calamitas, raro infortunium ſolum eſt. Romæ Tiburtius & Valerianus fratres pacificum vrbis ſtatum multis modis turbauere. Qui cum viderent Vrbem, abſente Pontifice, minus rigide gubernari, neque rectoribus ad corripienda facinora ſatis animi eſſe; tempus idoneum arbitrati, quo iuuentutem Romanam corrumpere poſſent, ac rebus tandem mutatis imperium ſacerdotale deiicere. Bonannum quendam iuuenem audaciſſimum, & manu promptum, ac Ioãnem Philippum nullius facinoris expertem, & alios pleroſque ſceleribus inſignes, ſibi ſocios aſciuerunt, quibus cum facta coniuratione leuia primum furta vilium rerum audere cœperunt; poſt adulteria, & precioſarum rerum rapinas committentes: tandem neq; à raptu virginum, neque à cædibus, aut incendiis temperarunt. Nec magiſtratuum cohiberi armis poterant, cum eſſent trecenti circiter iuuenes in armis experti, ac feroces auxilia ſibi præſto ferentes. Ciues in filios ciuium extendere manus non audebant: expectabant omnes quid gubernator, quid ſenator ageret, vterque timore correptus domi ſe continebat: Gubernator cum habitaret in campo Florum, regiam in atrio Pompei domum, & Coniuratorũ minas in dies audiret, in Apoſtolicum palatiũ inde migrauit. Coniurati ob eam rem, quaſi victores effecti, inſolentius agere, bachari per vrbem, licentius euerberare, ciues pecunia mulctare, pauperum ſubſtantias diripere, vxores proſtituere, virgines iugulare, aut in Tyberim ſubmergere, quæ vim perpeti nollent, libentius optimatum expugnaſſent ædes, ſed verebantur ne potentiam vrbis in ſe prouocarent, ſatiſque eſſe putabant, ſi opulentorum ciuium abuſi patientia inopum bona quamuis pauca diripere, & in eorum feminas explere libidinem poſſent, donec aucti numero, & fortiores effecti illorum quoq; fortunas daretur inuadere. Fuit inter eos quidam cui propter amorem Inamorati cognomentum indidere. Is perdite puellam Tranſtyberinã alteri deſponſatam adamauit, pariter vt fama erat amatus, quam ipſo die nuptiarum ad virum euntem, media in vrbe vi rapuit. Nõ potuere tantum facinus tolerare magiſtratus, quos capita regionum appellant: facto mox impetu Inamoratum ceperunt, vinctumq; ſenatori tradiderunt, qui publice in eum animaduerteret. Coniurati audita re, veriti ne ſupplicium de reo ſumeretur, correptiſq; armis per vrbẽ dilapſi, Catũ quendam ſenatoris familiarem interceperunt. Commoti ciues ad rei nouitatem frequentes gubernatorem adeunt, ſumere animum, & arma ſuadent, operas ſuas offerentes, facile Coniuratos intercipi poſſe aſſerunt: audeat modo gubernator, ac ſenator, & ciuiũ conſilia ſequantur. Coniurati ciui-

ti ciuium arma timentes in templo ſe receperunt, quod Marcus Agrippa diis omnibus, ſiue (vt melius loquamur) dæmonibus dedicauit, Pantheon veteres appellarunt, nunc B. Mariæ ſacrum eſt, & ab ea nomē habet. Non præſumpſere rectores vrbis ciues cum ciuibus expugnare, veriti ne multitudine armata ciuitas diſcuſſo ſacerdotū iugo, libertatē aſſereret. Illi pleriſq; diebus in templo ſe continuerunt, cum circum habitantes, metu ne noctu inuaderentur alimenta præberent; tandē ea lege perſuaſi ſunt ædem relinquere, vt accepto Inamorato familiarem ſenatoris redderent. Neque vel hoc pacto quieuit ciuitas. Bonannus vnus ex Coniuratis, paucis poſt dieb. armatus per vrbem incedens, cum familiam ſenatoris incidiſſet, rogaretutq; arma deponere, nec parere vellet, incepta rixa, manum conſerens, vnum ex Mareſcallis obtruncauit, victorq; ſatellites omnes ſenatoris diſſipauit, atque diſiecit. Exin liberi omni metu iuuenes armati, atq; inermes per vrbem vadere, nullumq; nō ſcelus impune committere. Quos cum Antonius Pontificis nepos turrim quandam in extrema ciuitatis parte inuaſiſſe, nō procul à ſancto Laurentio in Lucina didiciſſet, mox accepta equitum cohorte ex Vaticano ad pontem Miluium ſe contulit; & ingreſſus portam vrbis, quæ Populi appellatur, feſtinus ad turrim cucurrit, Coniuratos ibi vt comprehenderet. Illi audito eius aduentu, turrim dimiſere, & interiora vrbis petentes, in ædibus quas cardinalis olim Firmanus magnificas ædificauit ſeſe receperunt. Antonio non fuit conſilium externum equitem intra frequentia vrbis ædificia ducere, nondum plane cognita ciuium voluntate, quos in ſuos ſæuire cognatos non erat veroſimile, nec gubernatori è republica videbatur ciues cum ciuibus comprehendere. Coniurati in ædibus Firmani, tamquam in publico palatio conuenientes, illic conſilia de rapinis, de patrandis adulteriis capiebant; conuiuiaq; ſimul agitabant, noctes latrociniis, dies ludis dantes. Tiburtius omnium princeps, & dominus habebatur, cuncta ex eius arbitrio pendebant. Quærentibus quid ageret Tiburtius dominus, reſpondebant aut hoc, aut illud agit. Pudebat bonos ciues eò eſſe deductā vrbem, vt in Tiburtii poteſtate videretur, cupiebantq; armis tantam ignominiam delere; quod poſtquam per gubernatoris ignauiam efficere non potuerunt, cōgregati ſimul optimates, Tiburtium adierunt, ſuadentes vt vrbe diſcederet, nec vellet patriam ſuam latronum ſpeluncam efficere: ſi pergeret craſſati amplius in ciuitate, non paſſuros magnates, facile manum militum cogi poſſe, quæ temerarios iuuenes in vincula coniiciat: parum vero eſſe in iuuentute præſidii, quæ inops conſilii facile diſſipatur; vrbis ſenatum ſi ſemel arma corripuerit, non quietutum donec Coniuratos omnes perditum eat, ciuitatemq; tam miſera ſeruitute prorſus liberet: Pontificem quamuis procul abſit cito reuerſurum, neque Tiburtio, neq; complicibus veniam daturum, ſi eos in vrbe latrocinantes inuenerit, cedāt ſuis ciuibus potius, atq; abeant, ita fieri poſſe vt rogante ciuitate, in gratiam deniq; Pōtificis redeant. Victus his Tiburtius diſcedere ſtatuit, egreſſusq; domo per vrbem tanquam magnus aliquis princeps inter conſeruatorem, & prothonotarium Apoſtolicum Georgium Cæſarinum, ad portam vſq; medius inceſſit, magna populi ſequente caterua, quæ ad viſendum Tiburtium, quaſi ducem aliquē numeroſi exercitus accurrerat. Ille plenus animi, ſalutatis in porta ciuibus, cum Coniuratis ad oppida Sabelli conceſſit, nihil dubitans reuerti poſſe cum vellet. Inter hæc ex Coniuratis nouem fuere, qui horrendum auſi ſcelus, noctu ad monaſterium diuæ Agnetis extra portam Salariam profecti, fractis portarum repagulis, ſacrarum virginum penetralia, atq; abdita irrumpentes, non modo vim pudicitiæ intulerunt, verum etiam corruptarum virginum bona & ſacram ſupellectilem diripuerunt. Quæ cum Pontifex accepiſſet, nec iam vllum eſſe aliud remedium ſeruandæ vrbis cognouiſſet, quàm ſedem ſuam repetere, nihil moratus, edictum poſuit intra dies viginti ſe verſus vrbem iter accepturum, curiales admonens, vt ſe per id temporis ad vrbem cōferrent. Quod vbi Romæ auditum eſt, haud alia exultatio facta, quàm ſi magna quædam victoria nunciata eſſet, aut ipſa vrbs tum primum fundata, ædificataq; videretur. Pompa per vrbem ducta, ignes accenſi, ſupplicationes per omnia templa factæ, vt felix, fauſtuſq; ac celer Pontificis reditus eſſet.

Caſtrum Leonis maritimum Antonio nepoti

Cupiebat per id tempus Pius caſtrum Leonis ſibi, vt à Ferdinando traderetur, quod ſæpe promiſerat, id eſt in Etruria Tirrheno mari adiacens, iuxta emiſſorium piſco-

datum, & multo ſtudio redemptum, vnà cum inſula Lilii.

ſæ paludis non longe ab vrbe Groſſeti, atque Vmbronis oſtia. Rex Alfonſus olim exorto bello armis obtinuit, & compoſitis rebus retinuit: huc ſe Picininus contulit, cum Caliſti copias fugeret, hic magnæ piſcationis mugilum, & pinguia pecorum paſcua. Ioannes Lyritanus natione Hiſpanus, arcis præfectus erat, quamuis Ioannem de Caſtro ſuſtinuiſſet. Inuitus arcem Lyritanus relinquebat, voluntarium tamen ſe finxit, & quaſi traditurus arcem Pontifici eò ſe contulit; quò cum veniſſet multa ſibi deberi ait, non redditurum niſi diſſoluta ſumma, negante Pontifice tantum auri numerare, quantum peteretur; Florentinis, ac Genuenſibus arcem & oppidum vendere perrentauit. Interea vnus ex oppidanis qui amicos haberet in arce, Plumbini tyrãnum adiit, tradere arcem pollicetur, ſi ſibi aureorum quattuor millia numerentur. Adhibet aures tyrannus, & hominem cautum cum pecunia mittit. Is traditis aliquot aureis, iubet deſcendere cuſtodes è turri, & dum reliquam pecuniam numerat, famulos ſuos paulatim aſcendere & locum capere. Quod vbi factum eſſet, iam numerata pecunia: Error eſt, inquit, & quaſi numeraturus iterum aurum ad ſe traxit, atq; in turrim propere conceſſit, & oſtio clauſo, ea deberi proditoribus ſtipendia dixit, ſignumque dedit militibus qui prope latebant, quibus accurrentibus, potitus eſt oppido, & vexilla regis erexit Aragonum, quaſi pro illo poſſideret, atque in hunc modum non Lyritano ſolum, qui erat in oppido, ſed Ferdinando, & Papæ illuſum eſt. Ferdinandus ea re cognita, vnum ex ſecretariis Talamanchum nomine ad tyrannum miſit, vafrum hominem, qui magno vſus ingenio arcem recuperauit, & Pio tradidit. Ioannes Lyritanus minorem arcem, quam tenebat in littore maris, Papæ tradendam reliquit, & cum Ioanne de Caſtro per agrum Senenſem iter faciens Neapolim rediturus, ab agreſtibus obtruncatus eſt, & pariter Caſtrenſis occiſus, in vltionem damnorum, quæ viuente Alfonſo prouincialibus intulerat. Sic infelices homines priorum malorum, quæ perpetrauerant, pœnas dederunt. Pontifex Caſtrum leonis, & arces & inſulam Lilii nepori Antonio tradidit; non tam ei quàm patriæ conſulturus, cuius maritima loca, & horrea ciuitatis hoc oppido clauduntur.

Sigiſmundus Malateſta fidem frangit, oppida pignori data inuadit, mendacia conficta.

Inter hæc Sigiſmundus Malateſta ſuarum non immemor artium præfectum arcis Montis marciani dolo intercipit, arcemque occupat, & oppidum in poteſtatem ſuam redigit, quod antea pignoris nomine Pio Pontifici obſeruandum tradiderat, quemadmodum ſupra commemorauimus. Rogatus cur id feciſſet, reſpondit præfectum mulieroſum fuiſſe virum, vxores oppidanorum dies ac noctes infeſtaſſe, petentibus oppidanis ſe illum intercepiſſe: cui Pontifex in hunc modum reſcripſit. Eſto ſit verum quod fingis, tu ne in alio corriges, quod in te ipſo gloriaris? ſi peccauerat præfectus, noſtra erat vltio, accuſandus apud nos fuit, non ſiuiſſemus inultum facinus, aut reddito præfectum, & arcem, aut Eccleſiæ Romanæ declaraberis hoſtis. Contempſit ea Sigiſmundus, nec multo poſt proditiones proditionib. accumulans; Mundauium cum equitatu profectus intromiſſus ab oppidanis, quos prece, pretioq; corruperat, arcem inuaſit, territumq; præfectum, paruo corrupit auro, atque ita Vicariatum fere omnem Mundauienſem è poteſtate Pontificis fraudibus, ac dolis eripuit. Vulgata fama quòd ideo id fecerit, quoniam exploratum haberet Pium Pontificem ea oppida Federico Vrbinati traditurum fore: quod cum non ſatis crederetur, ad aliud confugit mendacium; ſcripſitq; Italiæ potentatibus, ideo ſe Mundauium occupaſſe, quia ſtatuiſſet Pontifex ſuas illuc copias ad diſcretionem, vt aiunt, hiematum mittere: in qua re prophetauit, neſciens quid diceret: eliciente Domino etiam de mendaci ore veram aliquando prophetiam; ſequenti enim anno, vt ſuo loco dicemus, id oppidum ad diſcretionem ducibus Apoſtolicis redditum eſt. Diſcretionem vocant, cum permiſſa militi poteſtas eſt in oppido quod capitur, pro ſuo arbitrio debachari, corporibus liberis tantum ſaluis.

Coniuratio grauis aduerſus Pium detegitur.

Dum hæc aguntur, Lucas quidam ciuis Romanus, quem ſæpe cardinalis Columnenſis ad principem Tarentinum miſerat, Romæ capitur; & quoniam ſecreta noſſe principis, & multorum baronum exiſtimabatur, in arce ſancti Angeli recluſus, iubetur quæ norit dicere. Is abſq; tormentis ſua manu hæc ſponteq; ſcripſit: Principem Tarenti, & comitem Euerſum, & Iacobum Sabellum, & Columnenſes aduerſus Põtificem conſpiraſſe, ſtatuiſſeque Iacobum Picininum in agrum Romanum accerſere, Vrſi-

te, Vrſinis atque Eccleſiæ infenſum; nec dubium eſſe quin Roma caperetur abſente Papa, dantibus aditum Coniuratis: Tiburtium, Ioannem Andagauenſem, Tarentinum principem Iacobum Picininum aduiſſe, promiſiſſeque Vrbem tradere cardinalem Aquilegienſem, qui apud ſanctum Laurentium in Damaſo moraretur, auro abundantem intercipere, pecuniaq; mulctare: Antonium Papæ nepotem, cum per Vrbem ad cardinalem iret obtruncare: opulentorum ciuium, mercatorum, curialiumque plenas domos diripere, inde militi ſtipendia daturum; nihil horum ſibi eſſe difficile, patere ſibi die, noctcque aditum in vrbem; in qua iuuenes haud minus quingentis robuſti & audaces, & primariorum ciuium filii ſentirent ſecum, quorum parentes tumultuante ciuitate, non auderent arma capere aduerſus filios, ſatis habituri ſi domus eorum ſaluarentur. Hæc Pontifici relata maturandum iter magis ac magis ſuaſerunt.

Per idem tempus duæ vacauerunt eccleſiæ Metropoliticæ, Raguſea apud Dalmatas, & Roſſana apud Calabros: illi præfectus eſt Franciſcus ordinis ſanctæ Mariæ Seruorum profeſſor, ac generalis miniſter, natione Senenſis, moribus, ac doctrina excellens: hanc ſortitus eſt Matthæus Reginus inter Minores fratres, qui Obſeruantes appellantur, prædicationis gratia inſignis: hunc olim Nicolaus Pontifex maximus Eccleſiæ Reginenſi, cũ præficere ſtatuiſſet, quę tũc forte vacabat, iuſſit accerſiri a cardinali Firmano, rogarique an vellet ſuæ ciuitatis pontificalem curam ſuſcipere. *Collatio eccleſia Raguſea, & Matthæi Regini* Paruit Firmanus, vocatoque ſeorſum in cubiculo Matthæo: Diligit, inquit, te Pontifex maximus, tuiſque ciuibus pręſulem dare ſtatuit, ſi modo animum ad hoc induxeris, neq; honorem hunc in patria tua pulcherrimũ refugeris. Matthæus nihil reſpondens cubiculum egreſſus ad fratres, qui erant in aula eiulans, ac lacrymans: Accurrite, inquit, adeſtote, opem afferte: admirantibus fratribus, percontantibuſq; quidnã ſibi accidiſſet, aliquãdiu nihil aliud reſpondit niſi accurrite, iuuate, opẽ afferte miſero. Poſtremo cum ſæpius ac ſæpius interrogaretur, vt quid auxilium tantopere efflagitaret: Heu, inquit, miſero mihi, ætatẽ in religione conſumpſi, vixi pauper & obediens, præcepta beati patris Franciſci nunquam violaui, verbum Dei prædicaui populis, in cellula mea prædiuitem egi pauperiem, diuina contemplatus arcana, nunc ad epiſcopatum vocor, ad negocium, ad labores, ad honores, quos optaui nunquam. O immaculata religio, ô ſacri penates clauſtri, ô dulcia cellarum ſilentia, ô amantiſſimi fratres, ô conſolationum mearum ſocii: ergo vos tandem relinquam? & me dulciſſima conuerſatione veſtra priuabo? nõ faciam accurrite, iuuare, liberate me his moleſtiis, defendite, ne me Firmanus vobis eripiat. Audiuit cuncta Firmanus è cubiculo ſuo, atque accedens propius: Tace, inquit, Matthæe, pone metum, bono animo eſto, libero te, non vrgeberis à Pontifice vltra quàm velis, ito quo placet, & rei tuæ conſulito: atque in hunc modum eo dimiſſo, Nicolao Pontifici cuncta, quæ geſta erant non ſine riſu expoſuit. Poſt dies octo rediens, ad Firmanum Matthæus, conſilium ſe cœpiſſe cum amicis ait, rebuſque in vtramque partem plane diſcuſſis, viſum illis eſſe, vt Pontificis deſiderio ſatisfiat; ponere igitur ſe in manu Papæ, cui nefas ſit non obedire. Firmanus Nicolaum accedens: Matthæus, inquit, mutatus eſt: epiſcopatum ſi voles accipiet: cui Pontifex: Et ego, ait, mutatus ſum: volui epiſcopatum illi committere cum noluit, cum vult nolo, atque ita Matthæus dignitate excidit; manſit tamen in religione, nec reliquit prædicandi officiũ: ſub Caliſto triremes duas ex eleemoſynis contra Turcas armauit: atque in Aſiam profectus captiuos aliquos abduxit. Pius miſertus hominis, qui labores multos in Eccleſia pertuliſſet, vocauit eum cum Senis ageret, aitque præfeciſſemus te vel ignorantem eccleſiæ Roſſanenſi ſi putauiſſemus non recuſaturum id oneris ſicut olim Reginenſem ſpreuiſti eccleſiam, nunc animum tuum patefacito. Tum ille, Nicolai ordinationem olim refugiens, nunc in manus tuas me dedo, tua voluntas mea erit, ſi iubes in religione perſeuerare, manebo quoad vixerim, ſi ad epiſcopatum me vocas, præſto adſum, nec ignoro in culmine perfectionis eſſe, qui pontificalibus implicitus curis, ſuo ſatisfaciat officio. Atque ita Matthæus Roſſanenſem conſecutus eccleſiam, illi poſtea non ſine laude præfuit.

His apud Senenſes peractis, Pontifex quarto idus Septembris ab eis receſſit; quæ *Pii diſceſſus*

à Senis ad Corſinianũ & eius ægrotatio, monitaque ad Senenſes vtiliſſima.

dies profectionis ſtatuta erat: flebat vniuerſa ciuitas, neque curiales ex amœniſſimo loco, mitique populo abeuntes continere lacrymas poterant. Pontifex etſi vehementer angebatur, dulcem relinquens patriam, ignarus an aliquando rediturus eſſet, lacrymas tamen continuit, nec ſororibus cum fletu occurrentibus commutatus eſt. Secuti ſunt magiſtratus vrbis extra mœnia ad monaſterium vſq; Angelorum, illic cum ciuibus benediceret, rogatus ſi quid iuberet: Iubeo, inquit, filii concordiam ſectemini, quæ ſola ciuitatem ſeruare poteſt, ponite odia, quæ corda veſtra exedunt, faceſſant diuiſiones, ſectæ conuenticulæ, conſulite in communi, quæ reipublicæ vtilia ſunt: diligite iuſtitiam, iniquitatem pellite, nolite quenquam opprimere, defendite viduas ac pupillos, honorate ſacerdotes, eccleſiarum immunitatẽ nolite infringere, plectite facinoroſos, legibus quæ ſunt ex bono, & æquo his vtimini, reliquas abrogate, iuuenibus veſtris vxores date, celibes atque inertes à magiſtratibus arcete, dotibus modum ponite atque ſumptibus, quæ datis extra, quæve accipitis æſtimate: male ſe ciuitas habet quæ plus emit, quàm vendit. Hæc pro tempore monimenta relinquimus, quæ ſeruantibus non erunt inutilia. Atque his dictis iter ingreſſus, ſecunda die Corſinianum peruenit, quo in loco grauiter ægrotauit, humoribus ex capite deſcendentibus, pectus, brachia, ac totum corpus adeo debilitantibus, vt nullam in partem non adiutus moueri poſſet, & morti proximus videretur, languit duodecim diebus.

Roberti ducis aduẽtus, Pii diſceſſus à Corſiniano, & per Radicofanũ, & Abbatiã ad Percenum iter, & Aquapendentẽ, ac Vulſinios deinde acceſſus.

Exin ſanitati reſtitutus, mirabilem oblectationem accepit in ſolo natali ſurgentibus ædificiis, quæ nullis Italiæ ceſſura viderentur, quemadmodum poſtea ſuo loco dicemus. Huc Robertus ex ſancti Seuerini comitibus egregius copiarum ductor, ad Pontificem venit, quem Franciſcus Mediolanenſium princeps auxilio Ferdinandi in regnum cum magna militum manu mittebat, victoriam hoſtium apud Sarnum habitam remotatutũ. Picininus in Aprutio audita Pontificis ægrotatione vocatus à nonnullis baronibus celeri curſu, dimiſſis impedimentis, cũ omni exercitu per aſperrimos montes in comitatum Albi peruenit, in agrum Romanum propere deſcenſurus. Miſerat Pontifex prius quàm diſcederet è Senis Nicolaũ cardinalẽ Theanenſem ad exercitũ Apoſtolicũ, qui erat in Aprutio prouiſurũ, ne ſubditi Eccleſiæ aliquid detrimenti paterentur. Is audita Picinini profectione, mox Federicũ atque Alexandrũ copiarum duces commouit, vt dimiſſa parte exercitus, quæ Ioſiæ Aprutini ſufficeret, impedire conatus ſecum pergerent, pernicioſa Picinini conſilia præuenturi; nec mora per alpes Nurſiæ & difficilima montium clauſtra in agrum Rheatinũ cum illis peruenit: Pontifex quoq; receſſu ex Corſiniano maturato Radicofanũ appulit: deinde per Abbatiam, cuius loci amœnitatem infra deſcribemus, & Plani oppidum ad confinia tranſiuit Eccleſiæ, quæ medio fere ſpatio inter Percenum, & Planum reperiuntur. Ibi Percenates in prato viridi non procul à Riuo perenni ex ramalibus tabernacula fecerant; in quis ſuum dominũ, miro clamore, atq; ingenti lætitia excepērũt, peregre redeuntem, eique prandium parauerunt. Quo peracto Percenum itum eſt: nobile olim oppidum & vix expugnabile, altis vndique rupibus cinctũ: ſępe in manibus latronũ fuit, ſępe mutauit dominos, & multis ſubiacuit calamitatibus, modo direptum, modo incenſum: ſub Eugenio quarto ad Eccleſiam rediit, cum antea Franciſci Sfortiæ præſidio teneretur, nunc reſpirat ſub Pio Pontifice, & opibus augeſcit & populo. Quo benedicto Pontifex ad Aquampendentem ſe contulit: locum inſtar vrbis habentem, & quem Antonius cuiuſdam Pettucii filius natione Senenſis pro Franciſco duce Mediolanenſi gubernans, Eugenio vendidit, cui fuerat armis ablatus: hic nocte peracta, ſequenti die ad Vulſinios peruentum, vnam è duodecim ciuitatibus Etruriæ, apud veteres late memoratam, fuit & patrum noſtrorum memoria populoſum, & amplum oppidum; Britones vaſtauere, nunc vile caſtellum eſt: ſoli bonitas, & lacus vtilitas cui adiacet, & quod iter hac eſt ad Vrbem nõ ſinit in totum perire: Ceruariæ nobiles vetus familia Vrbis veteri hic diu dominati ſunt. Sub Nicolao Pontifice quinto ſeditione oppidanorum deiecti locus ad Eccleſiam rediit. Oppidani diu poſt a cõtendentes ſub Caliſto tertio mutuis ſeſe cædibus lacerarunt. Pius vna apud eos die moratus, diſcordes animos in amicitiam reduxit.

Vrbs vetus, & eius anathema, Pi 9;

Deinde ad Vrbem veterem iter ingreſſus eſt; in quo de finibus periculoſa ſuborta contentio: Vrbeuetanis, & Vulſinenſibus Pontificem in agro ſuo, cuius limes erat du-

rat dubius portare volentibus. Pugnatum eſt & manibus & ferro, & aliquot hinc atque inde vulnerati. Vix que ſedata tandem contentio, cum equitatus Pontificis accurrens vtramque partem ſagittis, ac lanceis inuaſiſſet; appropinquantem vrbi Pontificem, vt primum videri mœnia potuerunt, accedentes legati ciuitatis ex hoc inquiunt loco, cum ex vrbe noſtra pulſus abiret Romanus olim quidam Præſul, populo noſtro maledixit, ex illo tempore ſeditionibus agitati nunquam reſpirauimus: vrbis noſtræ quæ nulli per Tuſciam inuidebat, iam nemo non miſeretur, diuina hæc vltio eſt: Apoſtolicum anathema ſentimus, benedic ciuitati, & aufer indignationem, redibit cum tua benedictione diuinus fauor. Annuit Præſul, & ſigno crucis ſuper ciuitatem facto, magna populi alacritate vrbem ingreſſus eſt. Mons lapideus in media valle conſurgit, ſex circiter ſtadiis altus, in cacumine planicies eſt tria millia ambitus paſſuum complexa; præruptæ pro muris ſtant rupes, quarum altitudo nuſquam minor eſt vlnis viginti: Hic ædes ciuium nobiliſſimæ fuere; & ampla ex ſecto lapide palatia, vetuſtas multa conſumpſit, plura incendit ac vaſtauit ciuilis diſcordia, extant adhuc turres ſemidirutæ, & collapſa templa: verum beatæ Mariæ virgini dicatum fanum in media vrbe incorruptum viſitur, templorum, quæ ſunt in Italia nulli cedens amplitudine, materia, artificio, forma memorabile, parietes ac pauimentum ex marmore diuerſi coloris, frons altiſſima, & admodum lata, plena ſtatuis, quas optimi ſculpſere artifices maiori ex parte Senenſes, nec Phidiæ nec Praxiteli inferiores, viui apparent ex candido marmore vultus, & membra ita expreſſa hominũ, atque ferarum, vt natura æquaſſe artificium videatur; vox ſola deeſt animantibus: Reſurrectionem mortuorum, Saluatoris iudicium, damnatorum pœnas, electorum præmia, quaſi res vera geratur, intueri licet. Apud Vulſinienſes ſacerdos quidam, cum rem diuinam perageret, atque in ſacramento altaris diuinitatem, humanitatemque Chriſti ſaluatoris adeſſe dubitaret, mox hoſtia in conſpectu eius cruentata fidem egit, miraculoſuſque ſanguis corporale totum ſuper quo iacebat obſignauit. Quæ res ab Vrbano quarto Pontifice maximo plane cognita & approbata eſt; atque hinc celebritas ſacratiſſimi Chriſti corporis inſtituta, quæ quot annis toto in orbe Chriſtiano, ſumma populorũ deuotione, ac ſolemnitate peragitur; corporale tanti miraculi veſtigia ſeruans in hanc ædem tranſlatum, honore ſummo ac religione præcipua cuſtoditur. Iuxta templum Pontificale palatium ſitum eſt ampliſſimum, & Apoſtolico culmine dignum: verum magna ex parte dirutum: Nicolaus quintus cubicula quædam, & aulas pleraſque reſtituit, quas Pius Pontifex inhabitauit. Idem Nicolaus arcem quoque in angulo ciuitatis conſtruxit, quæ nondum perfecta eſt, cuſtoditur tamen, nec facile oppugnari poteſt, rupibus altis, & foſſis munita profundis. Fontes in ciuitate deſunt, ciſternarum vtitur aquis, & quæ per fiſtulas ex propinquo monte deducuntur. Ad radices montis fons quidam perennis aquæ reperitur, quem difficile prohibere ciuibus hoſtes poſſunt: circum colles conſiti vitibus vina non aſpernenda ſufficiunt, in montibus multa materies, in plano ferax ager tritici, in valle ima Palea fluuius, & Clanius amnis, è regione arcis concurrentes, ad quintum inde milliarium in Tyberim deuoluuntur; capi tantum fame defenſa, concordibus animis, ciuitas poteſt, quando nullis perrumpi machinis mœnia queunt, nec præ altitudine ſcalis aſcendi defenſa, ſed defuit vnitas, nec vllus in Italia populus minus concors quam hic fuit. Muffati, & Bergolini vrbem ad internitionem prope deduxerunt, familiæ potentes & vetuſtæ & ciuitatis principes inter ſe perpetuis diſſidentes odiis: ager olim late patuit, & multa concluſit oppida, quorum declinante ciuitatis potentia partem Senenſes inuaſere, partem vicini reliqui. Nobiles quoque eius vrbis caſtella quędam vſurpauerunt, quæ poſtea partim ad Eccleſiam Romanam, partim in alienas manus tranſiuere: mille & quadringenti quondam ciues Senenſes huc exularunt ex factione Reformatoria, à quibus ciuitas lanificium accepit, vnde magna emolumenta prouenere, hodie fere extinctum eſt.

benedictio, ac templũ nobiliſſimum.

Hoſtia cruentata.

Manſit hic Pius triduo, ciuibus inuicem diſſidentibus leges dedit, quibus in concordiam redeuntes ciuitatem in pace gubernarent, quæ poſt nouitatem Gentilis receptę ſunt; hic vir nobilis fuit ex gente cui de Sala cognomẽ eſt, verſutus homo, & audax; qui cum aliquando exulaſſet, tandem vocatus ab amicis furto reductus in vr-

Gentilis de Sala nequã, & nouator rerum, Salla diruta, Ficulla capta,

In exilium mittitur.

bem,excitato tumultu,aduerſantem ſibi partem deiecit,multis trucidatis ciuibus,ob vindictam fratris,qui ante fuerat interfectus, ciuitatemque quaſi tyrannus oppreſſit; quamuis Eccleſiam acclamaret dominam:fuit tamen iterum vrbe pulſus,& plenum ad Eccleſiam imperium redit. Illi Pontificum benignitate relicta ſunt paterna bona, & oppidum Ficullæ commendatum Eccleſiæ nomine gubernandum, vt inde familiam aleret. Quæ res Vrbeuetanis admodum fuit moleſta, propinquitatem eius ſuſpectam habentibus,qui non ceſſaret res nouas in ciuitate moliri. Pius ad Pontificatum aſſumptus,quieti conſulturus,Gentilẽ ſub honoris obtentu in Picenũ relegauit, Vicariatumq; Mundauii ſibi regendum commiſit. Verum ille quietis impatiens,inde diſcedens non ſine infamia,quod cum Sigiſmundo conſpiraſſet,Ficullam rediit; nec diu moratus,coniuratione cum plerisque nobilibus inita, in ipſa ſolemnitate ſacratiſſimi Chriſti corporis,quę apud Vrbeuetanos eximia pompa celebratur,inuadere vrbem ſtatuit, occupatosq; religione ciues adoriri, atq; aduerſæ factionis principes obtruncare,ſeq; rurſus ſub Eccleſiæ titulo dominum cõſtituere. Non tulit diu na pietas tantum ſcelus, detecta res eſt prius quàm Gentilis vrbem ingrederetur, capti aliqui & coniurationem confeſſi pœnas dedere; alii fuga ſalutem quęſiere. Indignatus ob eam rem Gentili Pontifex Ficullam ab eo repetiit,ne in perniciem Eccleſiæ verteret, quod ſibi miſericordiæ gratia fuerat conceſſum. Ille vana quondam cardinalium ſpe deluſus,& Euerſi comitis,atque aliorum vicinorũ pollicitationibus illectus, Pontificis mandata contempſit,maiores ſuos Ficullam cõdidiſſe affirmans, ſe præter cenſum eius loci,nihil Eccleſiæ Romanæ debere, patrum ſuorum hæreditatem nolle relinquere, moriturum prius quàm patrimonio cedat. Pontifex his auditis Vrbeuetanos in armis eſſe iuſſit, miſſaq; non magna militum manu agreſtibus prouinciæ congregatis, Salam ipſius Gentilis antiquam domum in arcis formam redactam & loco edito ſitam, paucis diebus obſeſſam,& vi captam diruit. Exin Ficullæ admouit caſtra, quibus Gentilis deterritus , cum nullam in oppidanis ſpem relictam videret, deditionem fecit, eas leges ſubiturus, quas Pontifex diceret. Pius excedere omnem eius familiam ex agro Vrbeuetano iuſſit: ipſum vero in Galliam Ciſalpinam relegauit, bonorum quæ reliqua fuerant nihil ei abſtulit; filiarum miſertus, quarum altera nupta nondum viro tradita, altera nubilis erat. Nec exterminandam prorſus nobilitatem cenſuit, & maiorum merita poſteris, vel iniquis prodeſſe non nihil debere. Verum hæc nondum geſta erant, cum Pius in Vrbeueteri fuit, in annum ſequentem inciderunt. Nos hoc loco ea commemorauimus, ne rurſus huc reuerti oporteat.

Balneoregienſium cum Vrbeuetanis contentio, Montisflaſconis, & Romanorum oratores.

Pius hinc diſcedens cum in agrum Balneoregii perueniſſet,in ipſis finitimi limitibus rurſus periculum adiit. Vrbeuetanis,& Regienſibus ſedem eius, cõcitato tumultu, inuadentibus; erat enim inter illos de finibus controuerſia: nec portari Pontificẽ in agro ſuo, niſi à ſuis laturi videbantur. Certatum eſt & inermi, & armata manu,& tandem ſagittis aliqui vulnerati ſunt,aliqui gladiis. Cohors quæ Pontificem præſidii cauſa ſequebatur, pugnam diremit, & acceptam ſedem longe vltra contentionis locum cum Præſule aſportauit, vbi Regienſes viri feminęq; cum paruulis excurrentes xenia obtulerunt,ciboque ac potu omnem Pontificis comitatum recrearũt. Deinde ad Montemflaſconis,quam nonnulli Faliſcorũ vrbem fuiſſe contendunt: in qua opinione,& Leonardum Aretinum fuiſſe tradunt, verum eſt. Ea ciuitas in alto monte iacet, imminetque Vulſinenſi lacui ad Orientem Ciminum montem proſpiciens: hic nobile palatium Galli condidere,cum Romano Pontificio fungerẽtur, ibi vt per æſtum degerent,quibus Italici calores admodum ſunt infenſi. Palatium arcis in modum ædificatum fuit adhibitis aulis, tricliniis, ac cubiculis, quæ dignitati Pontificali conuenirent, nunc pars magna vetuſtate, & incuria collapſa eſt. In eo collocatus Pius,cum vim ventorum ferre non poſſet(eſt enim veluti quædam Eoli domus) altera die Vituruium per patentes agros conceſſit, noſtra ætas Viterbium vocat, & inermium vitam interpretatur, tanquam Romano vigente Imperio, veterani milites ad aquas calidas,quæ ibi vbertim ſcaturiunt, acturi ſenium confugerent. Romanorum legati in itinere occurrerunt, Pontificis reditum oraturi. Quatuor viri diſerti, quorum duo iuriſconſulti fuere,& ſacri cõſiſtorii aduocati, Antonius Caffarellus, &

Andreas

Andreas [illegible] Crucis [illegible] alii ex nobilitate Romana ciues primarii, quos pulcherrima iuuentus ſequebatur, ſuo & equorum cultu ornatiſſima.

Viturnium, eius'q; factiones, & Pii reſponſum Romanis legatis grauiſſimum.

Viturnium nouam eſſe ciuitatem ſatis conſtat, etſi olim caſtelli formam obtinens Herculi dicatum fuiſſe feratur. Duæ hic factiones fuere, altera Gattorum, altera Magannorum, quos & Tignoſinos appellauere. Cum eſſet Pius Mantuæ, diximus quo pacto Euerius comes hanc vrbem inuaſerit, & quo modo Rauennas archiepiſcopus eam recuperauerit. Paulo ante ſedente Caliſto tertio grauibus diſcordiis eadem ciuitas laborauit, cum pars partē armis inuaderet, ac domos fugientis incenderet. Caliſtus ad ſedandum tumultum epiſcopum Syracuſanum tranſmiſit, natione Cathelanum, qui vafro vſus ingenio ciuitatem ingreſſus vtramque partem grauibus affecit modis, aliis ſubſtantiam, aliis vitam eripiens, multos in exilium mittens, ita propemodum deſerta ciuitas videretur. Quo tempore illud memoria dignum accidit, fide forſitan apud poſteros cariturum. Captus ſenex, & ob ſeditionem neci adiudicatus, cum vitam quingentis aureis redimere poſſet, laqueo perire maluit, dicens ſibi quamuis dimitteretur, breui moriendum eſſe, filiis qui diu viuere poſſent, aurum conſeruandum. Audiuit in hac vrbe Præſul Romanos oratores, aſſidente collegio, ſinguli per ſe verba fecere, ne alius alio melior videretur, cum eſſent eloquētia ferme pares. Narrauerunt quanto in mœrore Roma fuiſſet abſente Pio, quot mala emerſiſſent, quàm inuiti vidiſſent Romani eius abſceſſum, quàm ægre tuliſſent moram in alienis ædibus, quā nunc læti reditum expectent. Iam parietes domorum, iam mœnia Vrbis exultare, vbi rumor auditus eſt redeuntis Pii: laudauere geſta Præſulis in Mantuano conuentu, orationes, diſputationes, conſilia, reſponſa commendauerunt. Vrbem caput orbis & ſuos quirites petiere, ne memor eſſet peccatorum, quæ iuuentus commiſiſſet, nunc melius victuram, quieturamque ciuitatem, rediret quamprimum reuiſurus ſuos filios Pius pater. Ad hæc Pontifex flentem, inquit, & admodum dolentem, flentes ipſi, & vehementer dolentes vrbem reliquimus, quæ patria noſtra eſt, non minus quàm Senæ: nam domus Picolominea, quæ nos peperit olim ex Roma Senas migrauit, ſicut Æneadum nomen, ac Siluiorum in familia noſtra frequens oſtendit: Nos Romæ cardinalatum accepimus, & in ea vrbe ad ſummum Pontificatum euecti ſumus. Vidimus quanta fuit Romanorum alacritas, cum auditum eſt cardinalem Senenſem Caliſto ſucceſſorem datum: vos mihi teſtes eſtis, nunquam memoria hominum tam lætos fuiſſe quirites. Erat igitur moleſtiſſimum ex ea vrbe recedere, quæ tam merita de nobis eſſet, & iam animus præſagiebat, quæ poſtea inter vos emerſerunt mala; at volentes animo neceſſitatem Eccleſiæ, ac fidei catholicæ, quam Turcæ conculcare nituntur, & quòd vnum erat remedium Chriſtianæ ſalutis, ſi cum principibus conueniremus, tuendamque religionem communibus opibus, ac conſiliis acciperemus, inuiti ac volentes iter ingreſſi ſumus. Inuiti relinquebamus dilectam ſponſam, volentes ſtudebamus matri noſtræ amantiſſimæ ſubuenire. Quod ſi non ſucceſſit, vt ſperauimus: non tamen conſilii, laborisque pænitet. Intellexit vniuerſus orbis vires nobis nō animum defuiſſe: nemo iam nos accuſauerit, quòd Romæ in deliciis agentes, fidem orthodoxam perire ſinamus, qui ſenio, atq; infirmitate grauati, nec frigora, nec pluuias, neque niues horruimus: per aliena hoſpitia longam iuimus viā: vocauimus principes, admonuimus populos, expectauimus, omnia fecimus vt communi conſilio publicæ conſuleremus vtilitati: aduenere perpauci: pauciores fuere, quibus religio potior quàm voluptas videretur; & quid eſt quod iam nobis valeat imputari? ipſis ſæculi principibus tota imputanda eſt negligentia, qui venientem ad ſe Chriſti vicarium de republica conſultutum, audire noluerunt. Reuertimus igitur domum, ſi non Turcarum, at Chriſtianorum omnium victores, ſi non itum eſt (vt optauimus) in hoſtes, ſperamus tamen tale ſemen in terram iactum, cuius aliquando ſecabimus ſegetem. Dulcis eſt nobis memoria laborum, qui apud Deum ſua mercede non fraudabuntur: illud vero excoquit mentem noſtram quod inter vos factu accepimus. Dolemus furta, homicidia, adulteria, ſacrilegia, iuuentutem veſtram tam multa (vt fama eſt) perpetraſſe; nec vos arguimus, qui punire crimina parati eratis, ſi noſtri magiſtratus præſto fuiſſent; illos accuſamus qui per ignauiam, atq; deſidiā tantopere debacchari adoleſcentes permiſere: fidem veſtram

probamus, qui tentati modis cõpluribus ab officio nõ receſſiſtis: viri ſane & probi, & prudentes eſtis, qui veſtro domino conſtanter ſeruitis, quamuis veſtra ſeruitus regnum eſt. Et quæ ciuitas reperitur Roma liberior? vos ſine vllo vectigali eſtis, vobis nulla imponuntur onera, vos magiſtratus in vrbe geritis honeſtiſſimos, vina veſtra, frumenta veſtra quanti vultis venditis, domus veſtræ penſiones vobis vberes pendent: & quis præterea veſter dominus eſt? forſitan comes, marchio, dux, rex, Imperator? maior his omnibus cui paretis Romanus Præſul beati Petri ſucceſſor, Ieſu Chriſti vicarius, cuius pedes cuncti oſculari deſiderant: recte hic Rex regum, & Dominus dominantium pro Chriſti reuerentia dicitur, cuius vices in terris gerit. Sapitis viri Romani, qui hunc veſtrum dominum obſeruatis, colitis, veneramini; nam is eſt, qui vos præclaros efficit, qui vos ditat, qui toto ex orbe ad vos diuitias affert: ſi quidem Romana curia quam paſcitis, ipſa vos paſcit, & aurum ex omni regione ad vos portat: gaudemus quia bonum veſtrum & cognoſcitis, & conſeruatis: gaudemus nos expectare lætam vrbem, quando & læti pergimus illuc: hora nobis annus eſt, præ cupiditate reuiſendi ſacra vrbis mœnia, & ſancta Martyrum atq; Apoſtolorũ oſſa, & terram illam pio ſanguine rigatam, & caros quirites, quos veluti filios amamus: nulla gens carior nobis eſt, quàm Romana: deſiderio deſideramus, quàm primum eſſe cum familia noſtra, & cum peculiari populo noſtro in ſede noſtra. Quod ſi Mantuano peracto conuentu non ſtatim huc aduolauimus, & remorati ſumus, tres fuere cauſæ: Prima vt apud balneas valetudini conſuleremus: altera ne per æſtatem Romam ingrederemur, quo tempore ex Gallia mitique cælo redeuntibus noxius, ac peſtifer eſt aër: tertia vt Senenſes ciuili, & externo bello iampridem exhauſtos, curię noſtræ mora paululum reficeremus, quibus conſulentes Romæ conſulimus. Nam Senę occidentem verſus vrbis eſt murus; nec nos vobis, aut alteri cuipiam mentiti ſumus, quo tempore promiſimus reditũ eò reuertimur, nõ tam cupide nos expectatis, quàm libenter ad vos pergimus: morabimur hic breuiſſimo tempore, dum quæ ſunt ad ſecuritatem itineris neceſſaria præparantur; nam vltra progredi abſque præſidio non eſt tutum, diem profectionis cum fratrum conſilio ſtatuemus, ſtatutum mox intelligetis. Legati reſponſum Pontificis mirifice collaudantes, conſeruatoribus vrbis conſcripſerunt, Romanumque populum ingenti affecerunt gaudio, iam iam curiam adeſſe putantem.

Picinini progreſſus, & Pii magnanimitas, de reditu deliberatio, & deſcriptio Campania.

Inter hęc nuncium affertur Picininum cum infeſtis exercitibus, occupato Tagliacotii comitatu, Farfenſiſque monaſterii inuaſis nonnullis oppidis vrbi appropinquare, Columnenſes, Sabellos, Euerſum ei affœderatos eſſe, iuuentutem Romanam arma tenere, ac res nouas cupere: Sforziadas, & Eccleſiæ milites nondum aduentaſſe; Picininum agros, atque vrbes inuaſiſſe: Rheatinos, Tiburtinoſque, & in Campania plures ciuitates cum eo ſentire haud dubiũ quin breui Roma potiatur. Quibus auditis, retulit de ſuo itinere Pontifex ad collegium cardinalium, in quo cum varię ſententię dicerentur, nec certum aliquod conſilium inueniretur, ſecretiores amicos conſulere placuit. Quorum vna vox fuit & vna ſuaſio ad vrbem minime feſtinandum eſſe, manendum Viterbii, aut in Vrbeueteri, donec adſit exercitus Eccleſiæ, qui Picininum ex agro Romano propulſet: ille ſi Latium, & Sabinos occupet, Euerſus Transtyberina poſſideat, Pontificem Romæ clauſum iri, Romanos amiſſis pecoribus in eum conſpiraturos, vrbemque Picinino prodituros, & quo ſe conferat Præſul in tanto periculo, nec terra iter patebit, nec mari, Gallicis claſſibus obſeſſo. In mole Hadriani quærenda ſalus, & ibi tandem faciẽda deditio, quę morte multo deterior fuerit. Quod ſi rerũ exitus apud Viterbium expectetur, aut cum victoria reditus patebit in vrbem, aut ſi vicerit hoſtis, ſaluari apud Senenſes curia poterit: afferebant & Eugenii exemplum, quem ob animalia perdita Romani in cuſtodiam recepiſſent, & Nicolao paratas inſidias Romanos nullam perpeti fortunam poſſe, in aduerſis aperte rebellare, in ſecundis inſoleſcere, Pontificem niſi armis ſtipatus fuerit, apud eos nõ eſſe ſecurum. Ad ea Pius; Omnes, inquit, in hoc loco manendum ſuadetis, nos eundũ putamus; niſi prius vrbem quam Picininus ingredimur, debellatum eſt regnum, nec ſcimus, an diebus noſtris Roma recuperari poſſit: Eugenius qui eam perdidit, nouem annis per aliena errauit hoſpitia, & quæ gloria Pontifici maximo perdita Roma eſſe poteſt? At Picininus cir-

nus circumiacentes occupat agros, verum vt aiunt, ſed vltra Tyberim dicitis, & citra Luerſum arma tenere fatemur: verum non is eſt qui noſtrum remorari tranſitum queat: euitabimus eius fines, nec ſuas inſidias vereri oportebit, noſter erit maior comitatus, quàm ſuus exercitus, ſed Picinino miles furtim tranſmiſſo Tyberi, obuius erit: ſi omnia quæ poſſunt accidere metimur, ac veremur pericula, quid tandem audebim⁹: & nunc quoq; tectum hoc ruere poteſt, & nos opprimere. Quocunq; te vertas, ſemper adſunt diſcrimina, non fit ſine periculo magnum facinus, & memorabile: poſſumus in vrbe, vt dicitis, claudi, poſſumus capi, poſſumus occidi, non negamus; ſed vbi honeſtius quàm Romæ Romanus Pontifex moriatur? vbi dignius quam in Vaticano ſepeliatur: Nos Deum adiutorem piæ cauſæ futurum confidimus; quod ſi occulto aliquo diuino iudicio decretum eſt hoſtiles nos in manus incidere, aut impio ferro cadere, non recuſamus. Pro Roma, & in Roma mori, mortẽ appetere pro Patrimonio beati Petri glorioſum eſt, effugere miſerum. Ite igitur, ac renunciate cardinalibus, nos è veſtigio iter ad vrbem ingreſſuros: quod cum reſcitum eſt tota curia tumultuauit, aliis gaudio, aliis timore correptis. Exin horam circiter vigeſimam Põtifex mediam per vrbem iter facit, quamuis occultam extra mœnia viam tenendam nonnulli cenſerent. Ventum iam eſt veſpere ad Canapinam, ibiq; pernoctatum: hic locus prope ad radices Cimini montis iacet, qua ſol ei oritur; verum obſcura in valle, atq; profundiſſima, ita vt minimum ſolis videat. Riuus è monte cadens oppidi lambit muros, caſtanea multa veſtit colles, quæ locum æſtiuo tempore obſcuriorem reddit: vix alia eſt arbor præter nuces, & malos aliquas. Caſas ex materia fecerunt incolæ, atq; in his compreſſi, velut apes in aluearibus habitant, quamuis parua domus plures familias continet. Promiſcua inhabitatio gentem multiplicat: fumus qui plurim⁹ ineſt, malos deſiccat humores. Præſul in paruo cubiculo, nec lectulo maiori, vt ſine fumo eſſet, ſine igne manſit.

Nepeſis deſcriptio Formelliq́ue, & Romanorum occurſus ingreſſusq; in Vrbem feſtiuiſſimus.

Ex hoc loco Nepeſina ciuitas petita eſt peruetuſta, ac munitiſſima, duo riui collem, in quo ſita eſt ambiunt, altiſſimas habentes ripas, quæ pro muro ſunt, neq; aſcẽdi ſine ſcala poſſunt eaq; longiſſima, qua deſunt rupes (quod modicum eſt) arx iacet turribus & muris cuſtodita præaltis, quibus Pius multum munimenti adiecit. Nepeſini mortuo Caliſto tertio præfectum arcis natione Cathelanum vi captum, crudeliter interfecere, id criminis dantes, quòd in feminas fuiſſet iniurius. Scelus inultum manſit, cum aliter dedere ſe ciues noluerint, niſi facinoroſorum impunitate obtenta. Præſul hic pranſus mox abiit: coniux Neapolionis Vrſini cœnam ei in Campagnano ſuo more dubiã parauerat. Ipſe Formellum petiit, vbi nihil omnino parati reperit, non cibus, non potus, non lecti reperiebantur: quæſita ſunt à ruſticis quæ famem auferrent panes, & cæpę, vinum tum primum ex vuis expreſſum aquæ ceſſit, ac ſitim extinxit: hinc ſequenti die priuſquam eluceſceret, Pontifex Romã verſus iter arripuit, & quia cœna fuerat præterita nocte ſterilior, iuſſit media in via prandium apparari, apud lucidum, & perennem fontem, qui ex antiquo ſpecu ſub nemore vmbroſo, & in valle reducta ſcaturit. Hic dum prandetur gubernator, & ſenator vrbis, & multi nobilium lætabundi ocurrerunt: & cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ, cum Simone fratre medico, omnes mẽſa Põtificis accepti ſunt: Qua finita rurſus iter continuatum eſt. Pleni erant occurrentium agri, ſalutantiumq; Pontificem. Conſeruatores ad ſextum ferme lapidem, primoribus aſſociati ciuibus, pedeſtrem iuuentutem adduxere, quæ Pontificis lecticam ſubiret humeris. Erãt ii iuuenes magna pars eorum, qui nouis rebus ſtuduerant, ſequentis Tiburtii comites, propter quam rem ſuadebant amici Põtifici, ne ſceleratæ iuuentuti ſe crederet, portandum potius ſuæ cohorti committeret. Riſit conſilium Põtifex, iubenſq; Romanos accedere, ac ſellã ſubire: *ſuper aſpidem*, inquit, *& baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Quod propheticum, & alias ſæpe impletum eſt, & nunc implebitur: nã quæ immanior fera eſt quàm homo? quæ beſtia peiora facit, quam homo? Verũ animal mutabile homo eſt, & ſæuiſſima ſępe miteſcũt ingenia. Hi iuuenes, & vrbẽ nobis, & vitã auferre (ſi potuiſſent) parati erãt, & ponere, errorẽ nouere ſuũ, mites effecti portabunt humeris, quẽ calcare pedibus voluerunt. Nec fefellit opinio Pontificem: ſubiere cupidiſſimi iuuenes ſellam eius,

&ad portam vſque Flaminiam, quæ nunc Populi appellatur lætabundi ſuum dominum geſtauere. Ipſe in monaſterio, quod intra muros eſt, adhæretq; portæ noctem peregit, beatæ Mariæ dicatus eſt locus, in quo Neronem occiſum ferunt. Sanctiſſimæ virginis auxilio, Pius ſequenti die, ideſt nonis Octobris, pompam ducens,& quaſi triumphans per mediam vrbem, miro populi applauſu, ornatis domibus opertis panno, plateis ſtratis flore, atque herba vicis omnibus, ad ſanctum Petrum peruenit. Intra ecclesiam laniarum eſt pallium, quod ſupra Pontificis caput ferebatur. Præſul ad aram maiorem genua flectens non ſine lacrymis, ſanctorum Apoſtolorum veneratus eſt oſſa. Deinde in palatium in ſuum cubiculum ſeſe recepit. Ad noctem vniuerſus populus in equis cum luminaribus ad ædes Pontificis occurrit, ductaque per gyrum pompa ante fores palatii magno clamore, & ingenti gaudio, vitam & felicitatem optauit Pio.

COMMEN-

COMMENTARIORVM PII II. PONT. MAX.
LIBER QVINTVS.

Picinini & Eccleſiaſticorum præparatio.

PICININVS interea, qui ſignis infeſtis in agrum vſque Rheatinum peruenerat, præmiſſis nonnullis cohortibus, Montem leonis, ideſt Vrſinorum oppidum vi ceperat, ac diripuerat, arcem in deditionem habuerat, ad Iacobum Sabellum equitum, peditumq; turmas miſit, quorum ductor fuit Silueſter Placentinus bellator egregius, & cum his Deiphebus Euerſi filius, & Antonellus gener viri audaces: ii Monticellum vrbi vicinum incoluere, illi Palumbariam, & alia Sabelli oppida, ex quis in agrum Romanũ excurrentes grauibus damnis vrbem affecerunt. Cardinalis Theanenſis, Alexander Sfortia, & Federicus Vrbinas, quos ſupra diximus, ex Aprutio Picinini veſtigia inſecutos, cum copiis Eccleſiæ celerrime affuerunt, & Montemleonis recuperatum Vrſinis reddiderunt. Quos vbi adeſſe Picininus intellexit, vlterius progredi non eſt auſus, etſi aduentum ſuum in dies promitteret expectantibus: verum Bracciani qui cum Sabello erant, nihil propterea negligentius agere, Latium, ac Sabinos infeſtare, prædas abducere, nihil rotum circa mœnia vrbis relinquere. Quibus propter Tyburtinorum dubiam fidem, apertus erat Anienis fluminis tranſitus: ob eam rem miſit Pontifex ad Sabellum, vt Braccianos ex oppidis ſuis dimitteret, Eccleſiaſticos reciperet, ſic ſe gratiam Pontificis inuenturum: quod ſi pergat Picinini milites alere, hoſtem Eccleſiæ futurum. Cum verba daret, nec faceret, aut promitteret quod obedientiam vllam oſtenderet, declaratus eſt hoſtis, & in eius agrum excurrentes Eccleſiæ milites abegerunt pecora, oppidum obſederunt, quod Donumdei vocant: oppugnatum ſumma vi, & aliquandiu obſidio ducta cum Bracciani non pauci muros defenderent, & locus eſſet natura, & arte munitus, in alto ſitus colle, abruptis vndique rupibus, vno tantum relicto aditu, quo poſſet oppugnari.

De Tibertio, & Coniuratis, ut capti omnes ſupplicioque affecti ſunt, & eorum conſilia patefacta.

Interea Romanus quidam Pontificem adiit, aitq; Bonannum vnum ex Coniuratis iuuenibus, ac nominatim damnatis, qui exilium ſibi ſponte delegerant audaciſſimum in vrbe rediiſſe, capiq; poſſe, & locum indicat vbi queat inueniri, apud germanũ latere, & ob ſcorti amorē veniſſe Romam. Pontifex Nicolao Soldano negocium dat: miſſi qui latronem capiant, improuide cum ſtrepitu domum adoriuntur, nec poſteriora cuſtodiunt. Bonannus qui ſe quæri non ignoraret, audito ſtrepitu, ſeminudꝰ per feneſtram poſteriorem ſaltu euaſit, non ſine Soldani irriſione, & apud amicos aliquibus diebus latitauit. Rediit ad Soldanum Index, rurſumq; Bonannum, ſi ſibi credatur intercipi poſſe affirmauit, & cum eo Valerianum Tiburtii fratrem perditę audaciæ adoleſcentem, & alios circiter ex coniuratis quinq; qui poſtera die ſummo diluculo Appia porta, quæ ducit ad ſanctum Sebaſtianum, exituri eſſent. Inſidias intra Vrbem ſecurius fieri, locato circa portam præſidio, milites aliquos apud ſanctum Sixtum in latibulis haberi poſſe, qui mox tranſeuntes Coniuratos inuaderent; fugerent illi ad portam, quando alia nulla eſt euadendi via, vinearum hinc atque inde ſepibus, ac muris impedientibus, ſic velut in angiportu nefarios iuuenes deprehenſum iri. Placuit inuentum. At cum illi non exiſſent, labor incaſſum iuit; homo iterum rediit, cauſaſq; moræ expoſuit: verum in craſtinum profecturos iuuenes, portaque ſancti Pauli abituros, ad triumphalem Conſtantini arcum parandas inſidias eſſe, ex quo loco vſque ad ſanctum Gregorium clauſa eſt via, in Coloſſeo locandos eſſe milites, & in via quæ ducit ad ſanctos Ioannē & Paulum. Receptum eſt conſilium, & ante lu-

cem parata ſunt omnia. Bonannus cum comitibus,& Romano Indice, otto iam ſole, ad Coloſſeum venit; ibi dum dubitat quàm potiſſime viam ingrediatur: Quid moraris, inquit Index? quid dubitas? hac tutius ibimus, oſtenditq; Conſtantini arcum, ac ſub illo equitat, ſequuntur comites: mox ex Coloſſeo irruunt milites, ſignoq; dato, alios properare iubent: fit concurſus, Coniurati & à tergo, & à fronte inuaſi neſciunt quò ſe vertant, præſidium in dextris ponunt, atque exertis gladiis pugnam conſerunt; Index vociferari, plorare, in terram ſe proiicere, dicere alta voce: Quid ex me petitis? quid ego feci? cur me veluti latronē capitis? ſi ſum reus interficite, ſi nihil peccaui, cur res meas auſertis? reddite innocenti bona ſua, proteſtor nolite aſportare ſacculos meos. Impleuerat ille viuis lapidibus ſacculos, quos vocāt bulgias, eoſque diligenter occluſerat, ſignaueratq; fidē, vt Cōiuratis daret, quaſi argentum ex vrbe auferret nō rediturus, atq; ideo veluti mulier eiulatu maximo auxilium implorabat. At Bonannus vbi ſe circumuentum animaduertit, ad ſe ipſum confugiens, enſem magno animo vibrans, & huc atq; illuc voluens equum, nunc iſtum, nunc illum vulnerat, diuq; ſuſtentauit impetum; poſtremo lancea deiectus equo, quamuis in terrā proſtratus non tamen ſe reddidit, nec victi dedit vocem, captus violentia militum, vinctuſq; reſupinus quaſi cadauer equo eſt impoſitus, & in Capitolium ductus. Non profuit egregia virtus viro, Valeriano profuit, qui dum feruet pugna Bonanni ignotus inter furentes effugit milites; euaſerunt & reliqui Coniurati, duo innocētes intercepti ſunt, & paulo poſt dimiſſi. Index quoq; captus tanquam maleſactor & proditor aliquandiu retentus eſt, & quaſi torqueretur obſeruatus vſq; ad vltimum veluti adhuc ſuſpectus eſſet; rogātibus nōnullis ciuibus, ac pro eo fideiubentibus, relaxat⁹. Bonannus, quamuis manifeſta eius eſſent ſcelera, adulteria, ſurta, homicidia; nam & Mareſcallū ſenatoris, vt ante diximus, obtruncauerat, quæſtioni tamen datur, & vt Coniuratorum ꝓditiones diſſolueret, aliquandiu retinetur in vinculis. Tiburtius his apud Palumbariā cognitis, cum arbitraretur Valerianum fratrē, vnà cum Bonanno captum, accerſitis Coniuratis Romā ingredi ſtatuit, atq; amicos pertentare, ſi forte vrbis ſtatum mutare poſſet, eoq; pacto liberare captiuos; ſi id nō ſuccederet Senēſem aliquem intercipere, quo cum captiui permutarentur. Rogatus Sabellus pedites aliquos vt ſibi adiungeret ad res nouas in vrbe parādas, negauit ſe illis poſſe carere. Deiphebus, & Antonellus ſpem præbuere, breue ſe copiis ad portas futuros, ſi quā in vrbe nouitatem fieri cognoſcerent. Tiburtium ex Coniuratis circiter quattuordecim, ſtulto conſilio ſecuti ſunt, arbitrati non aliter quamprius vrbem ſibi patere, ſuiſq; cœptis Romanam iuuentutem fauere, cum procul eſſet Pontificis exercitus, paruoq; admodum præſidio Capitolium teneretur. Ingreſſi vrbē, qua muri pars corruerat, non procul a Thermis Diocletiani, poſtquam in frequentia ædificia deſcenderunt, quoſcumq; offendiſſent ciues, vt arma ſumerent hortabantur: iam tempus adueniſſe liberandæ vrbis ſacerdotum iugo, Deiphebum ac Silueſtrum cum magna militum manu prope adeſſe, aſſerentibus libertatem Romanis opem laturi, expergiſcerentur iam tandē, auderentq; aliquid pro libertate quirites, nec ſuis maioribus deteriores videri vellent. Cum nemo reſponderet, quietumq; populum Coniurati cernerent, ſpe capiendę vrbis depoſita, quod erat ſecundum propoſitum aggrediuntur; percurſaq; vrbis magna parte, hora circiter poſt meridiē prima, ad ædē ſancti Euſtachii peruenifunt, prope domus adſunt, in quis merces deponuntur, & vectigal exigitur: hinc adoleſcentem Senenſem in theloneo ſedentem arripiunt, iubētq; ſecum ire exerto gladio mortē minantes, niſi properet: attonitus ille imperio paret, & iā ad Columnenſes domos peruenerat, cum tota vrbe clamor exoritur, ciuitatem cum Coniuratis intraſſe Tiburtium, huc atq; illuc armatum diſcurrere, fauentes multos habere, ſpoliare domos, captiuos ducere, verendum eſſe ſacerdotum imperio: curritur ad palatiū Pōtificis, conſilium atq; auxilium petitur. Pontifex audiens tumultum, quid ſibi velit rumor interrogat: refertur ciuitatem armatā eſſe, intraſſe Coniuratos, iuuenem Senenſem cœpiſſe, nutare omnia ſibi, quęq; timere. Tum Pius: Quieſcite, inquit, nihil periculi eſt: nouimus ciuium animos: Pontificē, Romani dominari ſibi cupiunt, non latrones; captus eſt Tiburtius, niſi aut fuga ſaluetur, aut latibulis: ipſe ſibi parauit laqueum: iam præda venit in retia: hæc dies Coniuratis exitialis erit. Atq; his dictis iuſſit car-

ſit cardinales ſancti Petri,& ſanctæ Sabinæ equos aſcendere,atque hortari ciues,vt in latrones arma ſumerent;iiſq; præmia ponerent,qui primi manus in eos coniicerent. Sed iam Alexander Picolomineus Pontificiæ domus magiſter,& ſenator vrbis,& vicecamerarius,& alii pleriq; aſſumptis ex Capitolio militibus arma cœperant, & cum his ciues aliquot ſacerdotalis Imperii,& quietis amatores. Inter quos ardentior viſus Ruſticus Agapiti & Marcelli frater, omnes magno impetu in Coniuratos ferebantur. Illi vbi ſpem aliam viderent nullã,relicto adoleſcente, quem cæperant fugæ ſeſe cõmittunt,& qua venerant vrbẽ exeunt,ibique occurrentem extra mœnia, & longe ante al os euolantem equitem ex Capitolio,natione Lõgobardorum,crudeliter obtruncat. Ioannes Philippus impiger adoleſcens, multis homicidiis inſignis, equum eius aſcendit,cuius curſu ſaluatus eſt,& alius quidam Coniuratus cum eo, nihil melior. Reliqui cum ſe fugere non poſſe animaduerterent, iam enim prope aderat multitudo cum Alexandro,ad latibula diuertunt,beneficium noctis expectaturi. Erant in valle proxima denſiſſima arundineta,& in his rubeta;& altiores herbæ, in quis latere confidebant:ſed Alexander cognito fugientium itinere immiſſis canibus; & omni pedite introducto,occulta quæq; rimatur. Inuẽta eſt Tiburtii manu baliſta, quã defeſſus proiecerat,quæ & ipſum non procul indicauit abeſſe, quæſitus tandem inuentus,& captus eſt. Et non remote ab eo,quinq; alii obuolutis ſub herba capitibus in morem faſianarum auium comperti,per pedes abſtracti ſunt. Reliquos nox propinqua ſaluauit,& alacritas,quæ inuento Tiburtio inquirentes reddidit negligentiores;cum eo capto peracta res videretur,qui Coniuratorum ductor ac princeps haberetur. Cum per vrbem Cõiurati,vinctis poſt terga manibus, traherentur: Quiritum alii dominum ſuum,alii regẽ Tiburtium per contemptum, atq; irriſionem ſalutabãt, alii Tribunum populi Romani,alii priſcæ libertatis aſſertorem vocitabant,ac fundatorem quietis. Ipſe nihil reſpondens deiectis in terram oculis ibat tacitus. Incredibile auditu eſt,quanta eius diei voluptas fuerit cum Romanorum, tum curialium, nunc primum ſalua eſt ciuitas,nunc pudicas eſſe licebit, nunc noſtra erunt noſtra, nunc altos ducere ſomnos poterimus. Benedictus Pius qui nos ex tanto periculo liberauit. Viri,mulieres,pueri,ac puellæ clamare,ſalutare,palatinos amplexari, congratulari Eccleſiæ,nunc vrbẽ Pontificis eſſe dicere. Conſeruatores cameræ vrbis,cum primorib⁹ ciuibus Pium adeuntes, de captiuis capi ſupplicium petiere, quibus ſeruatis non poſſet ſeruari ciuitas. Pontifex opera eorum laudauit,qui ſenatori,& Alexandro paruiſſent. De reis futurum,quod leges iuberent. Tiburtius cum torqueretur, dicturus quæ cogitaſſet,& quos haberet participes criminis, orauit ne corpus laniaretur, ſcire ſibi moriendum eſſe,petere id quamprimum fieri, ne qui iure corpus amiſiſſet, animam perderet in cruciatibus: ſtultitiam improperanti cuidã ex circumſtantibus; Probe,inquit,ſed Deo gratias quòd modo ſapio. Quærenti qua ſpe ductus in Eccleſiam conſpiraſſet;reſpondit perſuaſum ſibi fuiſſe ab his qui diuinatores haberentur, caſurum eo anno ſacerdotum imperium. Poſtremo iuſſus omnia dicere,quę feciſſet, cogitaſſetq; dixit per abſentiam Pontificis cum aliquos iniqui eſſe animi aduertiſſet, exiſtimaſſe ſe cui multi adoleſcẽtes auſcultarent,poſſe patriæ Eccleſiaſticum demere iugum. Hæc cum nõnullis baronibus,aliiſq; magnæ auctoritatis hominibus detexiſſet,ab eis cogitationes ſuas laudatas,auxiliumq; aggredienti nõ modicum fuiſſe promiſſum; Addidit & his alia permulta,quę partim vera,partim falſa exiſtimata ſunt veluti ab eo dicta, qui diram ſibi mortem paratam nõ ignoraret. Poſtremo, ne quid intentatum relinqueret,ad Iacobum Picininum fuiſſe profectum; hæcq; illi verba ſæpius dixiſſe: Bellum Iacobe (vt intelligo) ſuſcepiſti perdifficile ſane, & quod tibi, vel ſi ad votum ſuccedat,nil afferat lucri præter Albi, & Taliacotii comitatum. Montanæ regiones,& quæ tuas copias minime poſſint alere,niſi lapides edant. Ego multo maiora ad te defero matrem vrbium,& caput orbis Romam: ſi mihi auſcultas,promitto,ciuis Romanus ad te veni;iuuentus me omnis Romana ſequitur, adoleſcentes manu prompti,& audaces in mea verba quingenti iurauerunt,tædet quirites,pudetq; ſacerdotalis imperii: ſi das fidem venturum te cum exercitu, propere in agrum Romanum præibo;& Coniuratis in ſpem adductis,quibus nihil eſt nouitate iucundius,aduenienti tibi portas aperiam. Magna & in curialibus,& in negociatorib. præ-

da reperietur. Patriarcha illic eſt, cuius pecunia commilitonibus tuis ad annum ſufficiat: adeiunt & opulenti nonnulli ciues, quorum bona licebit diripere, quando Eccleſiæ partibus fauent: audiſſe cupide Picininum verba ſua, animum, & conſilium laudaſſe, poſtulata promiſiſſe: ſed occurrentib. eccleſiaſticis ducibus non potuiſſe in agrum Romanum ad præſtitutã diẽ deſcẽdere. Interea captũ Bonannum, cum quo & Valerianus cumprehenſus diceretur, voluiſſe ſe fratri, & amico conſulere, atque ideo ſtulto conſilio in Vrbem veniſſe. Hæc Tiburtii confeſſio fuit, eadem hæc Bonannus antea dixerat, & ceteri confirmauere. Interrogatus Tiburtius, an occidere Pontificem ſtatuiſſet: reſpondit, ſe id quidem aliquando meditatum, ſi palatium inuaſiſſet; ſed deſperaſſe propter arcem ſancti Angeli fieri poſſe, in quam facile patuiſſet refugium. Senator cum omnia didiciſſet, atrociſſimis ſceleribus exquiſita ſupplicia præparabat: Præſul ſeueritatem cohibuit dicens, pro maximo quoque crimine ſatis pœnarum affore mortem. Bonannus igitur qui ad eam vſque diem ſeruatus fuerat, Tiburtius, & alii ſex infelicem vitam ſuſpendio finiere. Is exitus Tiburtii fuit, & Bonanni, & qui vnà capti fuere ex coniuratis. Valerianus, & Ioannes Philippus, & alii complures exilium elegerunt.

Donidei oppidi expugnatio, atque deditio, & Sfortiani militis virtus, ac inhumanis crudelitas, & perfida direptio, fide violata.

Inter hæc duces Eccleſiæ recuperato (vt ante diximus) Monteleone, ad oppidum Donidei caſtra locauerant, idque diebus pluribus oppugnauerant: intus erat loci populus, & Picininus validum præſidium impoſuerat, & iam Antonius Picolomineus Pontificis nepos, fontem quo aquabantur oppidani interruperat: ſed imbres aſſidui plurium dierum aquam ſuppleuere, magnaq; obſeſſoribus incommoda præbuere. Admotæ bombardæ ſunt, & parte muri perfracta, alter inuentus eſt murus repente ab oppidanis excitatus: oppugnatur ſumma vi oppidum; miles Sfortianus egregio corpore, & animo forti, murum aſcendit, & ratus ſequi alios, ſaltu in oppidum deſcendit, fallitur, nemo paris animi reperitur, ſolus aduerſus Braccianorum præſidium aliquandiu pugnat; tandem multis vulneribus confoſſus, non inultus cecidit, minori felicitate, quam Alexander in India rem ſimilem geſſit, ſed non cum minori animo. Dum acrius in dies obſidio ducitur, nec iam ſpem vllam auxilii Picininus affert, oppidani ad Antonium mittunt deditionem facturi, ſi Romanæ Eccleſiæ nomine recipiantur, & induciæ fiant, honeſtatis cauſa: in diem alteram, ſi forte interim Picininus opem ferat, qua poſſint obſidione liberari. Antonius, cardinali, ac ducibus conſentientibus, conditionem, & obſides accipit. Quo facto, triginta pedites à Iacobo Sabello tranſmiſſi contra ius belli intra oppidum recipiuntur, & nihilominus in tempore Antonius accerſitur, qui oppidum recipiat. Is ingreſſus bene ſperare omnes iubet, & Braccianos, qui præſidio inerant, in fidem acceptos ad tentorium ſuum mittit, atque oppidum claudit, ne multitudini patens diriperetur. Interea præfectus arcis, vt pœnas ex oppidanis factæ deditionis aſſumeret, Sforzianis ſignum dat, vt per murum arci propinquum (ſe permittente) ingrediantur oppidum, ac diripiant, vulgus prædæ auidum, & Antonio qui ſeruare oppidum ſtatuiſſet infenſum, percupide ſignum arripit, & alii conſcenſo muro, oppidum intrant, rapinis, ac cædibus cuncta miſcentes, alii tentorium Antonii peruadunt, & Braccianos illic milites aggrediuntur. Fit & in oppido, & circa tentorium pugna, neque teneri multitudo poteſt: miſera vbique rerum facies: in oppido ferrum, ignis, auaritia, ac libido craſſatur, apud tentorium Braccianorum, Sforzianorumque prælium pene par, & multus cruor: nec duces occurrentes, aut hic vulnera, aut in oppido ſpolia impedire poterant. Antonius vbi ad rapinas impediendas nihil ſpei reliquum videt, in ſeruandis mulieribus ſtudium adhibuit, quarum multas emiſit intactas; inde egreſſus eſt ad caſtra vt Braccianos ſeruaret, circumſeptus vulgi manibus ac telis, cum vndique peteretur, vix tandem ad tentorium ſuum incolumis peruenit, vbi non paucos reperit hinc, atq; inde interemptos: Braccianis tamen, qui ſuperfuerant periculum ademit. Deinde cum ſuis militibus caſtra mouens in alium locum procul à reliquis ducibus tentoria fixit, haud modice indignatus, quòd fidem nec oppidanis, neq; Braccianis ſeruare potuiſſet: quamuis nemo fidem rumpit inuitus, oppidum prorſus direptum eſt, & aliquæ domus incenſæ, mulierum quoque pudicitia violata, his exceptis, quas Antonius conſeruauit. Quæ omnis impietas a Sfortianis & orta, & cunſummata eſt:

qui

qui poſtquam opp!do potiti ſunt, ad expugnationem arcis contendere, in qua duæ fuerunt Iacobi Sabelli filiæ, virgo altera, altera vidua: tumulus erat præaltus in oppidi medio, & in eo arx ædificata opere, ac natura munita: mira hic nimium audacia fuit qui Thoſum altiſſimũ aſcendentes armati pugnare cum hoſte cominus inter tentandum præſumpſere, quorum nonnulli præcipites acti nihil nocumenti ſenſere. Miles Vrbinas omnibus indutus armis, ſuperato Thoſo, ad murum arcis genuflexo, pugnã coram ferens, priorem portam ſecuri perfregit. Quę res pręfectum ad deditionem compulit, ea libenter accepta eſt ob reuerentiam nobilium feminarum, quarum ſeruari honos alioquin minime poterat. Durante adhuc obſidione, cum varius eſſet in vrbe ſermo de Pontificis actis, & bellum pro Ferdinando ſuſceptum multi calumniarentur, ſiniſtroſque rumores cardinales Gallici paſſim diſſeminarent: Pius vt populum ſibi conciliaret, accerſitis cardinalibus, ac magiſtratibus, & primoribus vrbis in hunc modum orationem habuit: Ingentes vobis quirites habemus gratias, qui nobis Reipublicę cauſa procul agentibus, quamuis hinc iuuentus petulans craſſaretur in vrbe, illinc aliquotum baronum rapacitas popularetur agros, & nouas res quæreret, in officio tamen perſeuerastis: & tandem redeuntibus ſaluam vrbem reddidiſtis. Licet fidem & prudentiam veſtram extollere: fidem quia non audiſtis eos qui vos à vero dominio alienare conati ſunt, prudentiam, quia rei veſtræ ſalubriter conſuluiſtis. Nam quid ciuitati Romanæ vtilius eſſe poteſt, quàm eam curiam alere vnde alitur & quæ opes vndiq; affert? Quid glorioſius quam ei ſubeſſe domino, qui ſuper omnes mortales habet Imperium? qui beati Petri ſucceſſor, & Ieſu Chriſti vicarius? Cuius exobſculari pedes cuncti reges deſiderant? cui diuinitus datum eſt, cæli portas vel aperire, vel claudere? ſapitis certe, qui ei domino fidem ſeruatis, cui ſeruire regnare eſt; ſed nõ idcirco in præſentiarum vos accerſiuimus, vt de veſtra laude faceremus verba. Alia vocationis eſt ratio, ſunt nonnulli, vt accepimus, qui veſtras aures perniciosis, & falſis rumoribus implent, & nos belli amantes incuſant, qui cum pacem habere poſſumus, arma præferimus, & in regno Siciliæ cauſam tuemur iniquam; vnde bellũm domi, & circa muros vrbis exortum ſit, & vos noſtra culpa plectamini. Quibus ex rebus neceſſarium duximus vobis in concionem vocatis, de rationib. huius belli ad verum diſſerere; ſic enim & nos arma odiſſe, & pacẽ, atque otium cupere cognoſcetis, & hãc bellandi cauſam non modo iuſtam, ſed neceſſario eſſe nobis impoſitam, nec hos ſomnia referemus, & inanes nugas, quibus delectantur, & nutriuntur inimici veſtri; veritatem ipſam ſinceram, & nudam in medium afferemus, cuius ſi videri facies poſſit, ſplẽdidior eſt, quàm Lucifer, aut Heſperus, & in fine ſemper victrix. Deus nouit corda hominum ſolus, & ipſe Deus renes noſtros ſcrutatur, & videt, & ſcit quia non mẽtimur, nihil nobis pace charius eſt, nihil acceptius, cuius nomẽ, vt inquit orator, dulce eſt, & res ipſa tum iucunda, tum ſalutaris, in ea legibus obeditur, ſubiectis conſulitur, Deo ſeruitur, nulli fas eſt impune peccare, ſua virtute præmia, & ſua redduntur ſtipendia vitio. Contra bellum mala omnia nutriens diuina & humana, quæque confundit. Odimus bellum, cuius finis non eſt pax, horremus ſtrages hominum, nec ſanguinem ſitimus humanum, nec noſtræ ſedis eſt ferrum ſtringere, aut diſcordias ſerere; quietem noſter animus, & ſubditorum pacem ſemper optauit; ſed quomodo in bellum tracti fuerimus, audite breuis narratio eſt. Cum ſuperioribus annis occupaſſet Mahumetes Turcarum princeps regiam vrbem, quam vocant Conſtantinopolim, & victoria tumens, non Græcis tantum, ſed Hungaris, Italis, Theutonibus, & reliquis Chriſti cultoribus extrema omnia minaretur; Italia vero grauiſſimis bellorum flagraret incendiis: Dedit operam Nicolaus Pontifex maximus noſter anteceſſor, vt conuenientes in vnum Italici potentatus arma deponerẽt, & vt hoſti religionis Turcæ facilius obuiam iretur, non ſolum pacem inter ſe ſtatuerent, ſed fœdus quoq; percuterent, quo alter alteri ſubueniret, ſi cui ex fœderatis iniuria fieret, fœderis caput & conſeruator, & director inſtitutus eſt Romanus Præſul. Viuebat tunc Alfonſus Aragonum, & Siciliæ rex, fama clarus, & opibus, atque conſilio potens, qui poſt ſummũ Pontificem primus in conuentis appoſitus eſt ſuo nomine, ac filii Ferdinandi regis, & hæredis futuri, quem extra matrimonium natum regni capacem Apoſtolica priuilegia reddiderant. Hoc fœdus Nicolaus vt fieret perſuaſit, Caliſtus ſucceſſor approba-

Pii oratio.

uit,& nos de conſilio fratrum confirmauimus. At cum obiſſet Alfonſus viuente Caliſto, filiuſque regnum ab eo expoſceret, non annuit Pontifex, ſed regnum ad Eccleſiam deuolutum declarauit: ſtatuens illud etiam armis vendicare, iure an iniuria non eſt huius ratiocinationis, cogitationes eius repentinus obitus interuertit, qui quadrageſimum intra diem Alfonſum eſt ſubſecutus. Nos ſuffecti eccleſiam turbatam, & vndique laceratam inuenimus. Aſſiſium, Gualdum, Nuceriam Picininus per proditionem inuaſerat, arces Eccleſiæ munitiſſimas præfecti, quos Borgias Caliſti nepos impoſuerat reſtituere abnuebant. Ferdinandus inueſtituram Regni petebat, niſi impetraret bellum minabatur. Nos milite carebamus, illi Picininus militabat & dux Mediolani erat amicus. Videbamus non paruum Eccleſiæ diſcrimē impendere, rem ad ſenatum deduximus. Placuit cardinalibus omnibus, etiam Gallicis Ferdinandum inueſtitum iri. Latinus cardinalis Vrſinus in regnum miſſus Ferdinandū inueſtiuit, coronauitque, Rhenato ſi quid iuris competiit, haud ablatum eſt. Ferdinando regni principes, duces, barones, comites, populares omnes obediebant, eumque ſibi conſtitui regem petierant, & in eius verba iurauerant: aut regnum ex teſtamento patris ad Ferdinandum pertinuit, & iure illi conceſſum eſt, aut ad Rhenatum, & nihil ei ablatum; cum ſaluum eſſe velint Apoſtolicæ litteræ ius alienum. At cum de iure dubium eſſet, & vterque coloratum per ſe titulum ferret, licuit poſſeſſorem præferre, ſi neutri ius competiit, non tulit iniuriam, qui iure caruit, ſi deuolutioni fuit locus, & Caliſti declaratio vim habuit: quæ ſupereſt Rhenato, vel alteri querela, ſi cum fratribus noſtris regnum ad Eccleſiam deuolutum Ferdinando conceſſimus? Nos hic Romæ priuſquam diſcederemus, & Mantuæ in conuentu, & Senis, quoties de regno ab oratoribus Rhenati fuimus interpellati, ſemper iuris viam obtulimus. Ipſe vero plus in armis, quàm in iure confidens, dum nos Mantuæ contra Turcas intenti ſumus, claſſem validam cum filio in regnum miſit, ex his pecuniis comparatam, quas cardinalis Auinionenſis ex decimis cleri Gallici, cōtra Turcas promiſſis, triennio ante cōgregauerat. Barones regni ad res nouas concitauit, pacem illarum partium turbauit, rapinis, cædibus, incendiis omnia fœdauit, expeditionem contra Turcas impediuit, & quantum in ſe fuit, Chriſtianam religionem peſſundedit; quamuis ſperamus adhuc labores noſtros pro communi vtilitate ſuſceptos, haud omnino perituros. Ferdinandus cum ſe in periculo cerneret, deficientibus à fide ſubiectis, & armis hoſtium in dies magis ac magis præualentibus, ſuam ruinam cognoſceret, auxilium à nobis petiit, penes quos eſſet directum dominium: commemorauit fœdus, de quo ſupra diximus, rogauit ne ſibi pereunti deficeremus, ne promiſſam poſtergaremus fidem: promiſimus auxilia, iuſſimus bono animo eſſet: verum priuſquam copias in regnū mitteremus, archiepiſcopum Rauennatem eò direximus grauem & iuſtum virum, qui partem vtramque iuberet ab armis diſcedere, & viam pacis, aut tractantibus amicis, aut iuris ordine quærere. Iter erat per terras iam Rhenato patentes faciundum: petitur à filio publica fides: ille ſe à patre miſſum, vt bellum gerat, non vt quęrat pacem reſpondet. Interea Ferdinandum acrius vrgebat armis, & prope iam erat, vt regno deiiceret, adeo Regnicolarum incōſtantia, ac perfidia res immutauerat. Nobis turpiſſimū videbatur, eum quem regem appellauiſſemus, vi atq; armis ſine iudicio, ſine legibus, ſine cauſæ cognitione, paterno regno deturbari: miſimus auxilia, nō quę Rhenatū regno priuarent, ſed quæ Ferdinandū in ſua poſſeſſione tuerētur: quod non ſolū ex fœdere nobis incumbebat; verū etiam ex dominio regni directo, quod penes Romanā Eccleſiā conſiſtit. Quod ſi nō bene ſucceſſit; nā copię noſtræ debellatæ fuerūt, & iam hoſtes ad nos arma verterunt, & noſtros populantur agros; nihil tamē minus de iuſtitia noſtra confidimus. Non ſemper iuſta ſuperior inuenitur cauſa: ſæpe Chriſtiani, ac Iudęi in bello cecidere pro religione pugnātes: fatemur omnē à Deo victoriā eſſe, ſed diſponi aliā, permitti aliā, nec nos arcana Dei attingimus, cuius iudicia abyſſus multa. At ſecundum quod homines iudicāt, nemo eſt, qui bellum noſtrum poſſit iniuſtū dicere, ſi partes noſtræ ſemel ſuccubuere: ita Deo placitum fuit, non propter iuſtitiā hoſtis, quæ ſumma eſt iniuſtitia, caſtigauit nos Deus noſter (vt inquit Propheta) ſed morti non tradidit nos: multæ tribulationes iuſtorum, ſed de his omnibus liberabit

cos D[illegible]. De [illegible]ſtitia partis aduerſæ quid attinet diſputare, quæ oblatam [illegible] vero iudice i[illegible] reſpuit, & violentiæ viam eligit, ac vetante Domino prorumpit ad arma? Q[illegible]o, etiam ſi ius ei competiiſſet ab eo cecidit; & præſertim quod (vt ante d[illegible]ximus) conatus noſtros pro deſenſione fidei contra Turcas turbauit. Intelligitis ia[illegible] p[illegible]ne qu[illegible]rites noſtrę cauſæ honeſtatem, & quod nullam contra nos iuſtam querelam relinquimus aduerſariis: prætérimus ſcripta multa, quibus nomē noſtrum deho[illegible]eſtate conati ſunt, & legationes ad cōcitandos contra nos principes miſſas: taceamus impedimenta præſtita expeditioni contra Turcas apparandæ, quæ poſſunt [illegible] rahi ad cau[illegible]am fidei: omittamus Iacobum Picininum eis militantem vexilla noſtra iniuſſu noſtro detuliſſe, Aſculananique vrbem nobis ſurto ſurripere tentauiſſe: ſilemus a[illegible]l[illegible] multa, vt breues ſimus, illud ſilere non poſſumus, quod idem Picininus nobis nouiſſime ſignificauit, ſe ſcilicet duci Ioanni Calabriæ militare, iuſſumq; eſſe non Vrſinos modo, ſed nos, ſubiectos noſtros Romanos, Vrbem, & omne Patrimoniū beati Petri armis inuadere, minora feciſſe quàm iuberetur, poſthac imperata facturū, cuncta [illegible]i, ac ferro vaſtaturum. Nos vero compertum habemus, non ſolum ex his qui deprehenſi ſunt, verum etiam ex chirographis conſpiratorum, qui miro modo, & diuina quadam ope in manus noſtras peruenere Iacobum Picininum conueniſſe cum Tiburtio, & nonnullis baronibus per circuitum vrbis morantibus, Romanum populari agrum, Tybur diripere, iuuentute portas aperiente vrbem ingredi, domos curialium, negociatorum, & opulentorum ciuium prædæ exponere, camerarium capere, ac pecunias eius inter ſe partiri, nepotem noſtrum obtruncare, filiabus, & vxoribus veſtris vim inferre, pueros ad militiam rapere, & alia admodū multa aggredi neſanda, quæ procul dubio patrata fuiſſent, niſi noſter exercitus ex Aprurio feſtinans, currenti occurriſſet Iacobo, & nos vrbem celeri paſſu repetiſſemus. Immortali Deo gratias agimus, quòd tam neſarios præuenimus auſus, & tantum auertimus malum. Quomodo igitur iuſti aduerſarii? quo pacto Ioannes excuſatum ſe reddet, qui talia contra nos molitur & ducem Calabriæ ſe vocitat? Si dux eſt Calabriæ, & regis furu[illegible] hæres, & noſter ſubditus eſt; & quid ſceleſtius, quàm dominorum fallere dextras? ſi nihil ad eum de regno. At Chriſtianum ſe dicit; ſi Chriſtianus, quo auſu Chriſti vicarium perſequitur? aut qua conſcientia miniſtro vtitur Picinino? qui omnes per circuitum Eccleſiæ ſubditos pertentat? ſi quis adſit, qui vel prece, vel pretio ſuo de more fidem venalem habeat; quid Picininum nominamus, quaſi fides vlla ſit in armis, & non omnes militiæ aſtricti, periurio, infames ſceleribus nobilitati, tanquam miniſtri diaboli, vrbes ac regna perturbent? Picininus ex Peruſinis ortus ipſe ſibi viderit, quē domeſtica trahunt exempla: Ioannem non ſatis poſſumus admirari, quem regio ſanguine natum horrere ſceleta putabamus. Quidam vulgo dicunt, nec Ioannem, nec Picininum contra nos arma mouiſſe, Vrſinis tantum intuliſſe bellum; nos quæ certa comperimus expoſuimus: illa veriſſima ſunt, hæc falſa. ſed eſto Vrſinos duntaxat inuaſerint: annon Vrſini Eccleſiæ ſubditi ſunt? & qui eos lædit, nos nō lædit? Nos & Vrſinorum, & Columnenſium, & Comitum, & Sabellorum, dum in officio perſeuerāt, curam gerimus, & qui contra eos militat contra nos militat. Iuſtiſſima ergo ſunt arma noſtra, & honeſtum bellum pro ſubditorum ſalute ſuſceptum. Sed quoniā de Sabellis fecimus mentionem, ſcitote Iacobum Sabellū vnum eſſe ex his qui cum Picinino conſpirauere, quòd ſi negauerit, præſidium teſtimonium affert, quod in Palumbaria ab illo recepit. Rogauimus vt reſiperet, eiiceretq; Braccianos milites, veniam præteritæ culpę daturi: noluit audire: damnauit eū in Capitolio ſenator: iuſte in eum animaduertimus, parſuri ſi ſe correxerit, nec boni patris officium redituro negabimus vnquam. Non ſumus ergo belli amantes, nec ſponte tractamus arma, nec pro re leui certamus: pro fide retinenda, pro auctoritate Eccleſiæ conſeruanda, pro ſubditorum quiete, pro ſalute ciuium, pro focis, pro aris, pro vxoribus, pro liberis veſtris quirites be[illegible] ſuſcepimus. Nec nos primi ſumus, qui pro regno Siciliæ, quod eſt Eccleſiæ, ſumpſerimus arma. Eugenii quarti, & Martini quinti meminiſtis ferme omnes: pa[illegible] [illegible]eſtri Clementes, Bonifacios, Nicolaos viderunt: Quis illorum non bello ſe immiſcuit, vt reges quos inſtituerant, pro gloria Romanæ ſedis, in regni poſſeſſione ſeruarent? Faceſſant igitur vani rumores, ſileant qui nos ſine cauſa bellare contendūt, &

vos filii amantiſſimi, nolite his vocibus auſcultare, compeſcite maledicos, veris tantum ſermonibus aures adhibete. Si quis vnquam Pontifex dilexit otium, & huius vrbis amauit quietem, nos illi ſumus, qui Romam tanquam patriam diligentes, & vos omnes pro ſedis dignitate filios, pro patriæ charitate fratres, pro maiorum gloria veluti parentes habemus, & colimus: nam & nos ab origine Romani ſumus Picolominea domus quæ nos genuit, Senas ex hac vrbe migrauit, ſicut multoties diximus. Dicunt aduerſatii nos hanc vrbem habere odio, & quo vultu hoc aiunt? qua ratione? quo colore? Hinc ortum habet proſapia noſtra: Romani, ac Senenſes ſemper amici fuere: hic nos ſacri presbyteratus accepimus ordinem, hinc epiſcopatum, hinc cardinalatum, & ſummi Apoſtolatus apicem ſumus adepti. Et quis eam ciuitatem odio habeat, in qua ſummis honoribus cumulatus fuerit? Semper amatus, nunquam læſus, amamus vos quirites, & ſuper omnes homines magnificamus, nec nobis maior cura eſt, quàm vt Romanum populum honoribus, atque opibus cumulemus, quod ſine pace fieri non poteſt. Atque idcirco pacem ſemper quæſiuimus: verum vbi iuſtitia, & neceſſitas vrget, non ſolum bellare, ſed vitam ponere ſumus parati, ne vel dignitas noſtræ ſedis, vel huius Vrbis gloria pereat, pacem quæ nihil inſidiarum habeat, nihil turpitudinis ſecum ferat, nec recuſauimus vnquam, nec recuſaturi ſumus. Hæc ſunt quirites, quæ vobis nota eſſe voluimus: Sibyllæ folium recitauimus, mendax, & vanus eſt, qui alia vobis ſuggerit: nolite audire mendaces, neque frangamini paucis incommodis agitati: poſt tempeſtatem aderit ſerenitas: ſuſtinete modicum, cito finietur hoc bellum, & pax pulcherrima cum veſtra, & noſtra gloria reformabitur. Atque his dictis finem fecit. Romanos magna voluptas cœpit intelligentes domino ſuo non animum tantum, ſed vim, & iuſtitiam abunde ſuppetere, ingenteſque illi gratias egerunt, qui ſibi belli originem, & curſum, & cauſas multis ignotas pateſeciſſet; offerenteſque pro voluntate Pontificis bona omnia, ſe ipſos, vxores, ac liberos quibuſuis periculis obiectaturos, quando tam iniquum, atque impium bellum mouiſſent hoſtes.

Pius ii origine Romanus.

Dum iſta fiunt, Sigiſmundus Malateſta, qui Mundauium, & Montemmarcianum contra fœdera Pontifici abſtulerat, Senogalliam quoque pari modo eripere conatus eſt. Quod vbi non ſucceſſit, molas omnes diſtupit: Ancon tanis, qui contra Eſinos de finibus contendebant, auxilia miſit: Robertus eius filius dux copiatum fuit, qui profectus in Eſinum agrum, ferro, & igne, cuncta vaſtauit: homines, & armenta abegit. Vulgatum eſt per idem tempus venerabilem quendam monachum, natione Senenſem, in agro Pennarum ſancti Marini ſuo in ſacello imaginem beatæ Mariæ Virginis erexiſſe, ad quam veluti miracula facientem regionis accolæ frequentes accurrerent, id ægre tuliſſe Sigiſmundum, iuſſiſſe monachum imaginem amouere, nec parentem, miſiſſe qui noctu caperent, atque ad ſe ducerent daturum pœnas, illos interceptum ore obſtructo ducentes, cum tota nocte ambulaſſent, & iam ſe putaſſent Ariminum attigiſſe, ſummo diluculo apud ſacellum, in quo erat imago ſe reperiſſe, atque ira concitos, captiuum in alta cruce ſuſpendiſſe, quæ ab eo index loci in triuio paulo ante fuerat erecta: ſed mox ſiccariis abeuntibus, fracto laqueo monachum cecidiſſe, repertum à ruſticis, atque confotum reuixiſſe: quem rumorem nota Sigiſmundi crudelitas, atque impietas, probabilem reddidit.

Sigiſmundi Malateſtæ cumulata cum impietate perfidia, & miraculū Senenſis monachi.

Paulo ante Aloyſius Actus Saxiferrati tyrannus, id eſt oppidum in Piceno non ignobile Alexandri ſanctæ Suſannæ cardinalis patria, nepotem ex fratre in vincula coniectum ſtrangulauit: veritus ne ſe aliquando tyrannide pelleret, aut partem dominationis vendicaret, ſoli omnes imperare volunt. Oppidani parricidium deteſtati, Eccleſiam ſibi dominā acclamauere. Franciſcus Picolomineus cardinalis Senenſis ſummi Pontificis nepos, qui legatum Apoſtolicum in Picenſibus agebat, cum manu prouincialium præſto adfuit, & oppido potitus, parricidam in arce obſedit. Ille animo fractus, ea lege deditionem fecit, vt ſaluus abire permitteretur, paterna priuatus hæreditate, ea tantum grauiſſimo ſcelere pœna mulctatus. Parricidium Aloyſii animaduerſionem aliquam ſenſit: at Braccii Peruſini nullam, quod eodem anno perpetratum eſt. In familia Balionum inter Peruſinos nobiliſſima, principes erant Pandulphus, & Braccius ex germanis nati. Pādulpho filius adoleſcens, & quinq; filiæ fuerunt,

Aloyſii Alli crudele facinus, & Braccii Peruſini multo crudeliſſimum.

runt, ex Panthaſilea coniuge Senenſi: Braccio tres fratres. Spellum oppidum eſt Eccleſiæ inter Aſiſium, & Fulginium, in colle ſitum, qui valli Vmbriæ omnium pulcherrimæ adiacet. Hoc Baliones ab Eccleſia in feudū accepere cōmuniter poſſidendum. Pandulphi pater Martino Pontifici charus, ſibi neglectis nepotibus impetrauit, poſſeditque ſolus, & moriens reliquit filio. Bracciuseam contumeliam cum diu diſſimulaſſet, tandem vendicare conſtituit, Iouiſque die menſe Nouembrio, amicis ſtipatus, qui arma ſub pallio tecta ferebant, in forum prodit, occurrentem Pandulphum ſalutat, & amice tamdiu alloquitur, donec aduentantem filium eius conſpicatur. Exin ſignum amicis præbet, quorum vnus exerto gladio Pandulphum à tergo percutit, atque in terram transfoſſum ſternit. Braccius iacentem ſua manu iugulat: ille moriens: Heu mi pater, inquit, nec plura locutus in ſubitam mortem clauſit oculos. Id duobus modis interpretatum eſt: altero quia monuiſſet pater, ne Pandulphus cum filio Peruſiam peteret, altero quòd malam reliquiſſet hæreditatē odioſa bona. Dum Pandulphus occiditur, filius inuaditur, fugiens apprehenditur, ac confoditur, & cum eo Criſpoldus, qui protegere adoleſcentem conabatur opulentus, & honeſtus ciuis obtruncatur. Hanc ſceleratiſſimam necem potentia delinquentis inultam reddidit. Braccium vniuerſa pene ciuitas ſequebatur, adeo vt non tam ciuis, quàm dominus videretur, aut oppugnare vrbem, aut impunitum relinquere ſcelus oportebat. Pontifici perpetrati facinoris acerbiſſimum fuit nuncium, acerbius quòd vendicari non potuit. Multa ferunt inuiti reges, plura Romani Pontifices, nec ſemper facinoroſos plectere tutum eſt.

Paulo ante hoc tempus Scotorum rex adoleſcens, dum aduerſus Anglicos arma mouet, & caſtellum acriter oppugnat, quod ſibi hoſtes eripuerāt, ad tormentū bombardæ, dum ignis adhibetur accedens, fracto æris vaſe, fragmento euolanti percuſſus interiit. Pius audito infelici caſu, exequias defuncto duxit. Rex Boſſinæ ſub idem fere tempus, vt piaculum traditæ Turcis Synderouiæ purgaret, ac ſuæ religionis fidem faceret ſiue quod multi crediderunt, auaritiæ obtentu Manichæos, qui erant in regno ſuo quamplurimi, niſi baptiſmum Chriſti acciperent, è regno migrare coegit, ſubſtantia relicta: duo circiter millia baptizati ſunt, quadraginta aut paulo plures pertinaciter errantes ad Stephanum Boſnæ ducem perfidiæ ſocium confugere. Tres principes hæreſeos in aula regis potentes epiſcopus Nonenſis vinctos ad Pontificem duxit, quos Pius per monaſteria relegatos, edoceri Chriſtianum dogma curauit. Ioannes cardinalis ſancti Sixti ad ſe vocatos inſtruxit, perſuaſitque tandem abiuratis erroribus, Eccleſiæ Romanæ, quæ nec falleret, nec falleretur, documenta ſuſcipere; reconciliatos ad regem remiſit: duo in fide permanſere; tertius more canis ad vomitum rediens ex itinere dilapſus ad Stephanum confugit. Ad quartum calendas Ianuarias, anni milleſimi quadringenteſimi ſexageſimi ab incarnatione Verbi, Pio 1460.
Pontifici obitus nunciatus eſt clari viri Guarini Veronenſis, qui rebus ſuis more Chriſtiano rite ordinatis obdormiuit in Domino. Fleuere docti tranſitum eius, diſcipuli præſertim, qui ad eum tota Europa confluxere; Latinas enim & Græcas litteras docuit, libros è Græcis Latinos fecit complures, cuius labore Strabonem legimus: filios reliquit eruditos: epitaphia ei multa edita ſunt: nemo ex doctis ætate noſtra melius nomen reliquit: corpus Ferraria ſeruat.

Mors regis Scotorum miſerabilis, Boſſinenſis regis emendatio, Manichæorum que perſecutio; obitusq; Guarini viri doctiſſimi, & boni.

Nicænus cardinalis, qui ex Mantua legatus in Germaniam perrexerat, dum hæc aguntur, cum veniſſet ad Imperatorem in Auſtriam, bellis flagrare omnia reperit; inde Hungari Imperatori minari, hinc Germanus Albertus, & Ludouicus Baioariæ princeps: Rex Bohemiæ, quamuis ſuſcepto regni feudo in verba iuraſſet Imperatoris, occulte tamen inſidias illi ſtruebat, atque Imperium ſibi quærens Maguntinum electum, & Federicum Palatinum comitem, promiſſis ingentibus corruperat, quoniam electores eſſent ſibi vt Imperium petituro, ſuffragarentur; nam inutilis Federicus eſſet, & cederet procul dubio requiſitus, potius quàm reipublicæ neceſſitatibus ſubueniret; & iam hoc ipſum cum Federico ipſe tentauerat, quamuis neque conſenſum, neque diſſenſum obtinuerat. Albertus marchio Brandeburgenſis requiſitus apud fratrem electorem ad id operam dare, daturum ſe promiſit, veritus ſi negaret, ne rex erga Ludouicum hoſtem ſuum propenſior fieret. Conuentus ob

Nicænus cardinalis legatus in Germaniā quid egerit.

eam cauſam frequentes habiti, modo Norembergæ, modo Bambergæ, poſtremo apud Egram rex ad ſe principes conuocauit: Quo in loco Federicus marchio Brandeburgēſis princeps elector, rogatus de Imperio quid ſentiret, an Bohemo videretur cōmittendum? Malim, inquit, mori, quàm huic petitioni conſentire. Diſſoluta conuentio eſt. Rex deinceps hæreticis aperte fauere, lites inter Germanos nutrire, Imperatori magis ac magis inſidiari. Nicænus etſi propemodum ſpem omnē amiſerat rei bene gerendæ: principes tamen Germanicæ nationis, in Auſtriam conuocauit, promiſſa exacturus, quæ Mantuæ facta fuerant. Venere legati non principes, & illi verba daturi nō facta, tergiuerſari omnes, cōtradicendi cauſas longe quærere, diſcordias principum adducere, nullis Nicæni ſuaſionibus auſcultare. Ille ne quid omittere videretur, quod ad rem conducere poſſet, profectus Norembergam, Maguntiam vſque penetrauit, obuios quoſque principes, ac populos orans, ne fidei neceſſitati deeſſent, ne ſinerent Turcarum vires creſcere, irent obuiam hoſti, dum vinci poſſet. Obturauerunt cuncti aures ſuas, verba eius quaſi fabulas exceperunt: nemo inuentus eſt, qui ſuam operam religioni promitteret.

Genuenſiū aſſidui tumultus, & mutationes, Gallorumq; calamitas miſerrima & cruenta, inauditaque cædes.

Apud Genuam Lygurum caput interea Franci dominio potiebātur, non ſine magno Ferdinandi regis damno, quorum claſſes armatæ Genuæ mare inferū infeſtantes, Caietanum, Neapolitanum, lituſque, & omnis Calabriæ maritima loca populabantur. Proſper Adurnus miſſis ad Pontificē legatis, poſſe ſe Francos Genua eiicere, dominatumque vrbis atripere dicit: & commonitis amicis, conſtituta die per portam, quam ſibi Coniurati aperuerunt, armatus ingreditur, palatium occupat. Aloyſius Vallenſis gubernator, qui pro Francis vrbem tenebat, pauidus in arcē profugit, Caſtellettum appellant. Eò Francorum omne præſidium ſe recepit. Nobiles Francorum amici, vrbe relicta, ad oppida ſua profugiunt. Oppugnatur arx ſumma vi, machinarum omni admoto genere: obſeſſi impigre ſe defendunt: quingentos circiter fortes viros in arce fuiſſe tradunt. Ducta eſt multis diebus obſidio, ita vt obſeſſores, & obſeſſi grauibus afficerenrur damnis, & iſti iam fame laborarent, illis ad oppugnandum vires deeſſent. Med o tempore Carolus Franciæ rex ſuppetias laturus obſeſſis, ingentes copias terra, marique comparauit, & terreſtri quidem exercitui Bailiuum Conſtinenſem præfecit: maritimo Rhenatum Andegauiæ ducem, qui ſe regem Siciliæ appellabat, bellicis rebus infortunatum. Proſper vbi aduentare hoſtes accepit, Paulum archiepiſcopu n ex familia Fulgoſia Petri fratrem, quem paulo ante vrbem inuadentem Franci obtruncauerant, ad ſe acceſſit, belliique ſocium aſſumit. Armatur populus, ac plenus animi fertur in hoſtem, haud ignarus niſi vincat, extrema ſe omnia paſſurum. Terreſtres Francorum copiæ quaſi ad prædam properant: prælium in conſpectu vrbis committitur, locis arctis, & externo militi parum notis, nec tam equiti, quàm pediti opportunis. Ibi archiepiſcopus ante alios pugnam ciens ab equo deſiliens ſcuto, galea, ac thorace munitus, primus hoſtem ferit, ſtragemque haud paruam Gallorum facit, quindecim ſua manu audaces viros, qui cedere nollent, ſtrauiſſe proditum eſt, tanta eum vlciſcendæ fraternæ necis cupido inceſſerat. Pugnatur vtrinque ſumma contentione, & acerbis animis. Gallos ignominia perditæ ciuitatis, & ſpes recuperandæ fortes efficit. Lyguros ſubeundæ pœnæ, & amittendæ libertatis metus his atque illis furorem ira miniſtrat: diu victoria in dubio eſt; ad extremum Galli cedere incipiunt, quos Lygur inſecutus terga feriens miſerabilem edit cædem. Interea Rhenatus ad portum cum claſſe applicans vrbem inuadit: fit tumultus & trepidatio in ciuitate, quæ propemodum capta videretur: ſed victor exercitus fugatis, cæſiſque Gallis vrbem ingreditur; ad cuius aduentum Rhenatus ſuis vt redeant ſignum præbet; quorum pars magna dum properat ad naues, inſtante à tergo Lygure, aut gladio confoditur, aut vndis rapacibus abſorbetur. Rhenatus terra marique victus, diſiecta claſſe Saonam contendit. Genuenſes ingenti liberati metu feſtos dies egere, ſupra quatuor millia Gallorum, vel ſubmerſa, vel cæſa hoc prælio traduntur. Nunquam tantum ſanguinis vno certamine noſtra memoria fuderunt Itali, neque enim cum externis gentibus pugnauere. Inter ſe diſſidentes prælia incruenta gerunt, vt eſt hoſtis, ita belli mores induunt. Verum Proſpero, nec proſpera, nec fauſta victoria fuit, cuius auſpiciis de hoſte ſæuiſſimo triumphans, ingrata patria gratias indignas

indignas reddidit,quæ illo principatu amoto Spinetam ei ſubſtituit Fulgoſia gente natum. Et Franci,qui erant in arce ſpectata ſuorum clade,quæ in oculis eorum geſta eſt,ſalutem pacti arcis deditionem fecere. Ea Ludouico Fulgoſio, & archiepiſcopo cuſtodienda commiſſa eſt. Spineta paucis poſt diebus ducatui ceſſit, cum non ſatis idoneus regimini videretur. Ludouicus principatum accepit: nec multo poſt archiepiſcopus per arma Ludouico deiecto palatium inuaſit,duciſq; nomen arripuit. Ludouicus in arcem profugiens,turri quæ archiepiſcopi nomine tenebatur in ſuam poteſtatem recepta, comminari ciuibus cœpit;quibus non ſatis gratus erat ducatus archiepiſcopi:conuenerunt tandem inter ſe partes,vt archiepiſcopus accepta pecunia magiſtratui cederet,Ludouicus priſtinam dignitatem reſumeret. Incredibilis tanta regiminum mutatio,poſteritati videbitur;nec nobis fidem feciſſet hiſtoria, niſi noſtra ætas præbuiſſet experimentum.Sæpe vna die tempeſtate noſtra, bis, terve gubernatio ciuitatis mutata eſt:nec tota Europa vrbem eſſe accepimus, in qua tot principum mutationes æuo noſtro interuenerint. Genuenſes cum ſibi ipſis leges dicunt, aut ducem aliquem creant,quem penes ſumma imperii conſiſtit, aut capitaneos aliquos eligunt,quorum numquam diuturna poteſtas fuit. Tria ſunt hominum genera, Populares,Capellatii,Nobiles,duces ex Capellatiis aſſumuntur, quorum familiæ opibus & clientelis abundant.Populares loco plebis habentur. Nobiles vrbi non imperant,ſed imperantibus(oppida enim circa vrbem plurima poſſidentes) opibus atq; affinitatibus in vrbe potentes,quo volunt duces inclinant:verum auctoritate eorum ſub Petro duce magnopere attenuata; cum rex Franciæ imperium accepiſſet, nobilitas rurſus exaltata eſt,cuius arbitrio Franci vrbem gubernauere. Expulſo rege, & nobiles magna ex parte Genuam reliquere:Saonam,& vicina pleraque loca Gallorum præſidii retinentes,quibus aſſiduo metu diu poſtea Ludouicum preſſere.

Orientalis varia ad Pii legationes, & habitus varii & voracitas inaudita, eorumque oratio. Pii reſponſum, & creatio Patriarcha, & eorũ inanes progreſſus.

In Apoſtolatus ſui exordio miſerat Pius in Orientẽ Ludouicum quendã ordinis Minorũ profeſſorẽ,vt reges Chriſtianos Iberiæ, Armeniæ, & Meſopotamiæ aduerſus Turcas armaret in Aſia,ſi Chriſtianos expeditionẽ in Europa aduerſus eoſdẽ hoſtes parare contingeret. Fuerat Ludouicus ſedente Caliſto in Perſide,vt aiebat,multoſq; ibi Chriſtianos inuenerat & amicos Chriſtianorum, qui Turcis infenſi eſſent. Is paulo poſt reditum Pontificis ex Mantua Romam applicuit,quem plures Orientalium principum oratores ſecuti ſunt, quorum hæc ſunt nomina: Dauid Imperator Trapezuntius, Michaelem Aligerium miſit:Georgius rex Perſarum, & maioris Armeniæ,ac minoris Iberiæ cui pater fuit Alexander, Nicolaum Thephelum: Aſam gener Imperatoris,ac Meſopotamiæ rex,ac Chriſtianorũ amicus non Chriſtianus, cui pater fuit Carailucas Trucomanno, Mahumetem Trucomanno; Gorgora in Iberia maiori ducatum obtinens,cui pater fuit Gazabecchi, Caſſadan Careecchan; Vrtebecus Armeniæ minoris dominus,Moratum Armenium.Legatorum ſicut diuerſi mores,ita & habitus fuere,adeo vt omnibus admirationi eſſent, & plebis quocumq; irent,in ſe oculos conuerterent,puerorumq; turbam ſecum traherent. Perſici oratores,in more noſtrorum monachorum,ſeruata capillorum parua corona,totum caput tonſum:eius qui ex Meſopotamia venit pari modo,ſed in vertice ſummo capillorum paruulus quidam manipulus viſebatur,quemadmodum gẽtiles geſtaſſe, flamines in pileo ferunt;his per Colchidem,& Scythiam tranſmiſſo Tanai ac Danubio, in Hungariã iter fuit,deinde in Germaniam,vbi Federicum Imperatorem ſalutauere. Hinc profecti, Venetias magnis honoribus ab eius vrbis ſenatu excepti ſunt. Quæ res fecit vt veri oratores crederentur,propter cõmercium,quod Veneti cum Orientalibus habent.Cum Romam veniſſent,non minorem gratiam inuenerunt. Recepti tanquam legati regum,occurrente prælatorũ ordine diuerſoria, & cibos ex publico acceperunt,inter quos fuiſſe aliquos traditũ eſt,qui ſinguli diebus ſingulis libras carnium haud minus viginti ederent. Auditi in conſiſtorio corã Pontifice, in hunc modũ verba fecere. Miſiſti ad nos Ludouicum Bononienſem, ꝓfeſſione Minorẽ, qui ait te Mantuam petiuiſſe,vt conuentu cum Chriſtianis celebrato, Mahumeti Turcarum Imperatori bellum inferres,cupere principes noſtros, cum tu in Europa illum oppugnares,in Aſia tumultum excitare. Placuit ſermo,oderunt Turcas noſtri principes,te amant,& Chriſti vicarium venerantur,parendum tibi eſſe fatentur, eam ob

cauſam cum grauibus inter ſe odiis diſcordarent, bellumq; gererent, iubente nuncio tuo, arma depoſuere, parati cum iuſſeris aduerſus Turcas ea reſumere. Centum viginti millia pugnatorum cum volueris præſto aderunt in Aſia vſq; ad Heleſpontum, & Thracium Boſforum, Mahumetis Imperium inuaſuri, dum tu pari modo cum Occidentalib. populis aggrediaris Turcas. Ad hoc miſſi ſumus, ſimulq; tuos obſculemur pedes, tanquam vicem Dei tenentis in terra: Nobis fœderati ſunt Bendias Mangteliç, & Arabiæ rex, & Panchrati s Iberorum, qui nunc Georgiani vocantur, & Mania marchio Goriæ, & Hiſmael Synopi dominus, & Caſatimenæ, cui pater fuit Spediar, & Fabia dux Anogoſiç, & Charamannus Ciliciæ dominus, quorum maxima erunt præſidia. Illud tantum ex te nunc petimus, vt Ludouicum, qui nos huc adduxit ſuper eos qui Romanum in Oriente ritum cuſtodiunt, & tuç ſedis fidei conſociantur, Patriarcham conſtituas. His dictis laudauit Pontifex principum deſideria, & quæ obtulerant magni ſe facere oſtendit, quç Mantuæ geſta fuiſſent, expoſuit ſe feciſſe quæ potuiſſet, non concurriſſe Chriſtianos reges, ſperare tamen concurſuros, ſi norint Orientalium propoſitum, vtile videri legatos ipſos per Italiam tranſalpes in Galliam proficiſci, eademq; regi Franciæ ac duci Burgundiæ dicere, quæ ſe coram expoſuiſſent, ſine Francis expeditiones quæ dignæ ſint, difficile fieri poſſe, eam eſſe nationem, quæ ſępe aduerſus infideles terra, mariq; glorioſe certauerit, & nunc eam Turcis præcipue timendam fore. Aſſenſere legati, verum expenſas itineris, & Ludouici Patriarchatum petiere. Pontifex vtrunq; conceſſit, ea moderatione adiecta, ne Ludouicus ſe Patriarcham, aut ſcriberet, aut appellaret antequam reuerteretur, neve litteras eiuſce dignitatis ſecum afferret; ſed in cuſtodia eſſent apud cardinalem ſancti Petri, vt maior interea de finibus Patriarcharus haberi notitia poſſet. Iuere per Italiam, & Galliam, fuere apud Franciæ regem, & Burgundię ducem, nihil inuenere præſidii; omnes eius rei curam pro qua verba fecerunt, ad Pontificem remiſere, tanquam eius eſſet, etiam ſine ope regum Turcas euincere. Corraſere tamen mendicantes, non paruam pecuniam: Interfuere Caroli regis exequiis, qui per idem tempus obiit, & Ludouici coronationē viderunt nec plus à filio, quàm à patre obtinuerunt. Per verba plures ducti dies, tādem vacui redierunt. Medio tempore multa ad Pōtificem delata ſunt, quæ ſuſpectā eam legationē reddiderunt, Ludouicum mendacem & deceptorem eſſe, quæſtus cauſa veniſſe cum eo viros ex Oriente, qui ſe regum oratores aſſimulaſſent, falſaſq; principum litteras attuliſſent: & iam Ludouicus mandata Pōtificis contēpſerat, qui ſe quocunq; locorum venerat, appellari Patriarcham iuſſerat, & honores qui ſibi tanquam Patriarchæ deferebantur percupide acceptauerat. Conſtabat quoq; eum, & in Hungaria, & in Germania eas diſpēſationes feciſſe, quas nec legati de latere abſque mandato ſpeciali auſi fuiſſent admittere: ob quas res reuerſo ex Francia non idem ſibi, neq; legatis fauor qui prius oſtenſus eſt. Reprehēdit eum Pōtifex, qui mandata Apoſtolica neglexiſſet, nec habuit q, reſponderet: verum ea tantum animaduerſione mulctat⁹ eſt, quòd Patriarchatus litteras haud quaquam obtinere potuit, parumq; afuit quin recluderetur in carcere. Pepercit Pontifex non tam ſibi, quàm ſociis quos adduxerat; incertum enim erat veri eſſent oratores, an falſi: atque ob eam cauſam pecuniam pro reditu eis elargitus eſt. Ludouicus eos ſecutus, cum Venetias appuliſſet, ab ignaris quibuſdam epiſcopis, & in ſacerdotem, & in Patriarcham conſecrari obtinuit. Quod cum Pontifex reſciſſet Patriarchæ Veneto ſcripſit, vt deceptorem in vincula reciperet. Ille præmonitus à duce Veneto propere fugam arripuit, nec poſtea quo peruenerint, aut quid egerint, vel ipſe, vel comites eius in hanc vſq; diem auditum eſt: in his quæ longinquiora ſunt multa fallendi occaſio patet, & raro veritas inuenitur. Orientalia deinceps Pontifici, & Tranſmatina ſuſpecta fuerunt, ea præſertim quæ viri egentes & famæ obſcurioris attulere.

Alexandri & Vrbinatis aduentus in Vrbem: Sigiſmundi Malateſtæ accuſatio publica, & dictus dies, e-

Poſt expugnatum, direptumque (vt diximus) Donidei oppidum, quod pridie calēdas Nouembris Pontifici Sanctorum omnium veſperas celebranti, nunciatum eſt, milites in hyberna cōceſſere. Alexander apud Nepeſinos, Federic⁹ Vrbinas in Sabinis ambo in ſolemnibus Dominicę Natiuitatis, ad viſendum Pōtificem Romam venere; eiq; pro veteri more peractis veſperis cum cardinalibus combibenti miniſtrauere. Quib. paucis poſt dieb⁹ præſentib⁹, publicum cōſiſtorium celebratum eſt. In eo

Andreas

Andreas Bentius Fiſci aduocatus, vt erat à Pontifice iuſſus, orationem & longam, & lucelentam habuit, in qua Sgiſmundi Malateſtæ ſcelera deteſtatus eſt, rapinas, incendia, cędes, ſtupra, adulteria, inceſtus, parricidia, ſacrilegia, ꝓditiones læſę maieſtatis, & hæreſis crimina: petiitq; vt ad ea vindicanda Romanus Pontifex aſſurgeret, audiretq; ſupplicum voces, qui acerbiſſimum tyranni iugum, diuti⁹ ferre nō poſſent; purgaret tandem Italiam teterrimo, & abominabili monſtro, cuius vita nulli ſuis in oppidis viro bono, permitteret vitam. Auditus eſt ſumma omnium attentione Andreas, nemo eius verba nō probauit, nemo mentitum eſſe dixit. Federicus & Alexander cuncta vera eſſe affirmauere, quæ Sigiſmundo imputarentur: verum Andreā ſceleſtiſſima, & atrociſſima illius peccata quamplurima tacuiſſe, proditiones tot ab eo commiſſas eſſe, quot ſecum homines cōmunicauerint, nullum qui ſibi aliquid crediderit, non proditum abiiſſe: fidei catholicæ non vnum, aut alterum articulum, ſed totum Apoſtolorum ſymbolum contemnere Sigiſmundum, & nihil de religione ſapere. Pōtifex accuſatione audita: Duæ ſunt, inquit, ciuitates, ad quas homines ex hac vita decedentes migrant: altera eſt cæleſtis Hieruſalē vrbs, & patria beatorum: altera apud inferos reperitur, in qua Luciferi ſedes eſt, & damnatorum ergaſtula. Maiores noſtri in priori ciuitate complures aſcriptos eſſe declarauerunt, quos tanquā ſanctos venerari licet, & dulię adoratione colere: in qua re perficienda ea ſolemnitas obſeruatur, quam canonizationem appellamus. Eugenius quartus prædeceſſor noſter Nicolaum Tolentinatē canonizauit: Nicolaus quintus, Bernardinum Senenſem: Caliſtus tertius, Vincentium Valentinum & Hoſmundum Anglicum. Nobis ſupplicatum eſt, vt Catherinam Senenſem, Roſam Vituruienſem, & Franciſcam Romanam ſanctis Chriſti virginibus, ſeu viduis aſcribamus, atq; in cæleſtem relatas eſſe vrbem declaremus. Digna res, nam & virtutes ſuas id credimus meruiſſe, quemadmodum & ſcelerati in damnatorum numerum declarari merentur, ſicut de Sigiſmundo poſſemus in præſentiarum ſententiam ferre, quando peccata quæ ſibi obiecta ſunt, nulla poſſunt tergiuerſatione celari. Agemus mitius, vocabimus reum, audiemus ſi cōparuerit, telam iudicii ordinariam obſeruabimus. Tu igitur dilecte fili cardinalis ſancti Petri ad vincula, audiſti quæ aduerſus Sigiſmundum propoſita ſunt; tibi hanc cauſam committimus audiendam, cognoſcendam, & fine debito terminandam. Quibus dictis ſolutum eſt conſiſtorium. Cardinalis deinde inchoato iudicio ſuo præceſſit ordine.

Infame ſcelera nefandiſſima.

Enſis hoc anno in ſacra nocte Natalis Domini benedictus, Philippo duci Burgundionum miſſus eſt. Antonius Noxetanus attulit, Pōtificis aulicus, Græcis, ac Latinis litteris crudit⁹. Per hoc tēpus Iacobus Picininus in Aprutiis hiemabat, crebris excurſionibus Ferdinandi partes infeſtās. Matthęus Capuanus qui aliquando ſub eo militauerat egregio vir corpore, & animo forti, eam prouinciam pro Ferdinando gubernabat, multaq; oppida, & Hortonenſi Franciſco, & Ioſiæ Atrienſi duci armis abſtulerat: is cum Picinino ſæpe congreſſus in fugam eum conuertit, oſtenditq; magiſtro non eſſe diſcipulum cōtemnendum, inanemq; famā, quæ Picininum affirmaret inuictum. In Quadrageſima, quæ ſecuta eſt Pontifex in collegio de creādis nouis cardinalibus verba fecit; inter eos qui Senis creati fuiſſent nullum nominatum ex Vltramontanis, niſi præpoſitum Salzburgenſem qui nondum publicatus eſſet. Italis tantum id honoris cōceſſum, indignam rem videri nationibus reliquis, Gallos, atq; Hiſpanos, quaſi contemnantur ęgre hoc ferre, Romanam Eccleſiam vniuerſalē appellari, quæ orbem iudicet vniuerſum, matrem, ac magiſtrā fidelium ad eius conſilium ex omnibus Chriſtianis prouinciis viros excellentes accerſire oportere, qui mores omnium calleant: comitia iam adeſſe creandorum cardinaliū (quæ vocant quattuor tēpora) in medium conſulant ex Vltramontanis regionibus, qui nam idonei tanto munere cenſeantur, & quot creandi videantur. Horruere cardinales creandorum cardinalium audita mentione, quib. nihil augmento moleſtius eſt, paucitate gaudent. Reſpondentes Pontifici, ſe plures eſſe dixere quàm oporteret, numeroſitate ipſa vileſcere, nec prouincias multos optare cardinales, quibus eſſent oneri. Cōmendationes beneficiorū eccleſiaſticorū plurimas obtinētes: ſi conſilio opus ſit, ſatis in collegio conſilii: ſi legati mittēdi ſint, neq; illos deeſſe, hortari, orare, ſupplices petere, præſentibus cardinalibus ne plures adderentur: Pontifex nō poſſe regum, ac principū trāſ-

De enſe Burgundo dato, & creatione nouorum cardinalium agitari cœpta.

alpinorum ſe preces effugere aiebat, nec ſui honoris eſſe nationes [illegible] præterire. Diu res in conſiſtorio agitata eſt, cum Pontifex ordinationi nouæ incumberet, cardinales reſiſterent. Tandem conuentum eſt ea lege ſuperſedēdum eſſe, vt in Natalitio Saluatoris, ſi videretur Pontifici neceſſaria creatio cardinalium gererent omnes eius ſententiæ morem, de numero, & perſonis tantum ſuffragia exquirerentur. Quod decretum ſub anathematis pœna iuſſit Pontifex ſecretum eſſe, efferentemq; præter Romanum Pontificem nullum poſſe abſoluere. Dimiſſo conſiſtorio interrogati cardinales quidnam eſſet actum, nulla ab his extorqueri certitudo potuit, coniecturis vſi qui magni ſecreti impatientes erant; alii nihil actum eſſe aiebāt, alii hos, aut illos creatos aſſerebant. Galli in ſuæ cauſæ fauorem frequentes litteras ad amicos miſere, quibus Pontificem collegii impotentem affirmauere, exauctoratum irriſui eſſe atq; contemptui, qui cardinales adnixus creare nouos non fuerit auditus.

Thomæ Paleologi fuga in Italiam, & in eum Pii beneficentia; Sinueſſanus ducatus Antonio nepoti donatur; & deditio Terracinæ, eiuſque ſitus.

Thomas Paleologus interea Conſtantini vltimi Græcorum Imperatoris frater, à Turcis Imperio deiectus, Romam venit, dimiſſo apud Anconam precioſo beati Andreæ capite, de quo poſtea ſuo loco dicemus. Pontifex profugum benigne excepit, miſertuſq; nobiliſſimi ſanguinis manſionem ei in ædibus ſancti Spiritus, non procul à palatio, & in ſumptus mēſtruos trecentos aureos conſtituit. Cardinales ducentos addidere, cui & roſa aurea in die Dominica, quæ inde nomē habet, dono data eſt, qui honor nobiliori cedit. Inter hæc Ferdinandus, vt Pontifici maximo pro ſuſcepto, defenſoq; regno gratum ſeſe oſtenderet, ducatum Sinueſſanum Antonio nepoti tanquā deuolutum commiſit; Marinus enim proditionis, maieſtatiſq; reus, id dignitatis amiſerat: verum poſſeſſione in hanc vſq; diem nō excidit: ſæpe inuaſus forti animo ſe defendit. Non ſemper in bello cadit, qui cecidit in iudicio: illius victoria domina eſt, huius ratio, quamuis & aliquando iudicia claudicant. Priuſquam Romam rediret Pontifex, Terracinenſes ciuilibus acti diſcordiis, tumultuare inter ſe cœperunt, deſperantes enim res Ferdinandi ſecundari poſſe, cuius apud Sarnum vires cecidiſſē, alii Gallorum, alii Eccleſiæ præſidium implorabant: vicit pars Eccleſiaſtica, & priuſquam Galli ſuis opem afferrent, ciuitatem Eccleſiæ nomine percurrit, cœpitq; arcē oppugnare, in qua erat Ferdinandi præfectus. Miſſis ad Pontificem legatis, qui opem redeuntibus ad Eccleſiam poſtularent: nam Terracina iuris Eccleſiæ fuit. Alfonſus eam Eugenio quarto, partē dedētibus ciuibus, partim per arma ſurripuit, nec reddidit facta pace. Pius approbato Ferdinādi regno ita dimiſit, vt poſt duo luſtra ad Eccleſiam rediret. At eum iam ſuopte ingenio à Ferdinando deficiens proprium repetiſſet imperium, non cenſuit Pontifex recuſandam, moxq; ſui corporis cuſtodes, quibus præfectus erat Ioannes cognomento Pazaglia, vir ſtrenuus, eò tranſmiſit, qui dedentem ſe ciuitatem pro Romana Eccleſia reciperent, atq; aduerſus vim, ſi qua ingrueret tuerentur. Iam comitis Fundorū filius Balthaſſar Marconū comes, defectionem Tarracinenſium acceperat, collectiſque repente copiis, montē qui vrbi ſupereminet inuaſurus mœnia conſcenderat, & occurrentes extra portas ad pugnam ciues in fugam conuerterat. Nec dubium videbatur, quin ciuitas intra horam hoſti diripienda traderetur; cum ſubito accurrens Pazaglia, præliumq; reſtaurans, victoriā hoſti præripuit, fugatoque procul Marconio, Eccleſiæ ciuitatem, ciuibus vitam, ac fortunas ſeruauit. Præfectus arcis ſpectata Marconii fuga, ſuam ſalutem pactus locum tradidit. Id ægre Ferdinando fuit, nec Mediolanenſium dux æquo animo tulit, veritus ne regni rebus officeret. At Pius ſuam potius ciuitatem eſſe voluit, quam Gallorum, neq; iniquum putauit deſciſcētes à Ferdinando Terracienſes recipere, cuius pater ab Eccleſia deficientes recepiſſet. Terracinam priſci Anſurem vocauere, ea Volſcorū caput fuit, nunc Romanæ Eccleſiæ maritima loca claudit, qua Fundos itur. Infero mari adiacet, non procul a Cyrceo Monte fabuloſis poetarum carminibus memorabili. Rupes altiſſima viui lapidis exciſa manu viam montes inter aperuit & mare. Spelunca in ſummo eſt: Peſſulum montanum appellant incolæ: iter ad ſummum per cocleas ferro factas in lapide patet, vnius hominis capax, illic cuſtos habitat, qui vectigal tranſeuntibus exigit, facile negaturus tranſitum, qui ſoluere recuſauerit. Captura huius ciuitatis Antonio admodum nocuit. verum Pio nunquam tanta nepotum fuit, quanta Eccleſiæ cura, quæ hodie Campania appellatur, & Apoſtolicæ

ſedi

ſedi paret: duas habet portas, alteram per Terracinam, alteram per Ceperanum, vtráque Romanis Pontificibus patentes eſſe, exteris gentibus clauſas, per neceſſarium eſt, ſi Romanorum pecora ſaluare oportet, quod procurante Pio vſque hodie factum eſt.

De portu Cornetano, & ciuitatis refectione Veteris, & ſcalarum Principis Apoſtolorum, reſtauratione; & Pii morbo & excommunicatione duorũ Sigiſmundorum.

Cornetani Tuſciæ populus, hoc tempore Pontificem adeuntes, ſuas opes ex frumento eſſe dixere, quod Genuenſibus, ceteriſq; nauticam exercentibus, vendere cõſueuiſſent, ad alienas prouincias deferendum, grande in vectigal Apoſtolicum ærarium accipere, grandius accepturum, ſi portus vrbi propinquus cõſtitueretur cęterarũ capax nauium, veterẽ quo vterentur minorib. tãtum nauigiis conuenire, quæ flante Auſtro tueri nõ poſſet, effodiendum magis, & ampliandum eſſe, muro cingẽdum, & muniendum turribus. Nauaturos rei ſe operam, orare ne in opere tam neceſſario dimitterentur. Pontifex cui noua & vtilia ædificia cordi eſſent, vectigalium partem in id operis conſtituit, & iam turris præcipua ſub aquas fundata ad lucem venit, ceteris ſtructuris iacta ſunt fundamenta. Incolæ Veteris ciuitatis, quæ de ruinis Centum cellarum extat, & portum habet egregium, & arcem munitiſſimam, mœnibus carebant; ad quæ conficienda rogatus Pontifex, parimodo portionẽ vectigalis cõtribuit, & iam opus propemodum abſolutum eſt. Muri & alti, & ſpiſſi oppidum cingunt. Corruerant ſub Caliſto Pontifice marmoreę gradus ſcalæ, per quos in ædem ſancti Petri aſcendebatur: vetuſtas marmora ipſa corroſerat, & diu calcata cõtriuerat, adeo nihil reſiſtit æuo. Pontifex magno ſumptu inſtaurauit, ſcalaſq; ipſas cõmodiores, pulchrioreſq; reddidit, & ſtatuis adornauit marmoribus candidiſſimis ex Lyguriæ mõtibus aduectis In Quadrageſima quæ ſibi tertia fuit, grauiſſime ægrotauit, pedes, manus, genua, humeros atq; omnes ferme artus obſidente podagra. Quæ res amicis acerbiſſima, qui tamen vt ieiunium omitteret nunquã impetrare potuerunt. Liberat⁹ præter opinionem vulgi, quinta feria maioris hebdomadæ in publicum apparuit, duoſq; Sigiſmundos excommunicauit, Auſtrialem propter vim cardinali ſancti Petri illatam, & Malateſtam, qui cenſus Eccleſiæ Romanæ debitos diſſoluere neglexiſſet, quod etiam in ſequenti anno factum eſt, poſt aduectum ſancti Andreæ caput, quemadmodum ſuo loco dicemus.

Profectio Antonii nepotis in regnum, Vulturni decurſus, & Caſtri maris per Antonium expugnatio.

Dum hæc aguntur voluens animo Ferdinandus quantum ſuis rebus Terracinẽſis defectio nocuiſſet, opinantibus omnibus ob eã rẽ ſubtracta ſibi Romanæ Eccleſię præſidia fore, vnicum eius rei, & valentiſſimum remedium exiſtimauit: ſi Antonius Põtificis nepos, qui iam militiæ aſcriptus eſſet, ad ſe cum copiis mitteretur: ſic enim intellecturos omnes Præſulis animum ſibi non eſſe aduerſum. Miſſis igitur Romam legatis, Antonius vt ad ſe iret, magnopere contendit. Annuit Pontifex, vtq; nepotem inſtructiorem mitteret, Ioannem ex familia Comitum Romanorum ei adiunxit, qui paulo ante à Picinino defecerat egregium copiarum ducem, & Venetorum olim ſtipendiis honoratum: huic ſexcenti equites fuere, ducenti pedites, Antonio equites octingenti, pedites quadringenti: his additus eſt Petrus Summenſis cum peditibus ducentis, equitibus triginta, hæc militum man⁹ in ipſa maiori hebdomada, iter in regnum per medios hoſtes accepit. Dux Sorę, & Honoratus Caietanus impedire trãſitum aggreſſi non præualuere. Reſtabat apud Mignanum difficilior tranſitus, vbi cohęrentes aſperrimi colles vallem modicam, & anguſtam relinquunt, anguſtiorem reddebat palus, & hæc ipſa muro claudebatur. Mignanum oppidum eſt nobilium Neapolitanorum, quibus Rattæ cognomentum indidere. Beneuentanus archiepiſcopus, quem poſtea Pius depoſuit, ex hac gente ortum habuit, præſidium hoſtes impoſuerant, quo prohiberi Antonio tranſitum putauere, ſed longe decepti ſunt. Quãprimum Ioannes & Antonius huc appulere, mox impetu facto muri obicem diſiecere, & aperto aditu illęſi tranſiuerunt, vnus tantum vulneratus eſt, qui paulo poſt apud Capuam obiit. Andreas Lucenſis Iacobi epiſcopi Papienſis, qui poſtea cardinalis aſſumptus eſt germanus nobilis eques, qui dum ſtrenue magis, quàm caute pro impedimentis, quæ hoſtes inuaſerant contendit, nondum recepta galea, ſagitta confoſſus eſt oculum: ceteri alacres in Capuanum peruenere. Qua re cognita lætitia ingens Ferdinando, fiduciaq; acceſſit, hoſtibus metus, quibus Pontificis animum haud quaquam immutatum eſſe conſtaret. Fama enim vulgatum erat ob Terracinam à Ponti-

ſice captam, deinceps nihil ab eo Gallis formidandum eſſe. Auctus ... copiis Ferdinandus, dum in conſilio quærit, qua hoſtes aggrediendi ſint, optimum factum exiſtimatum eſt, Caſtellum maris in primis oppugnari, id eſt oppidum non procul ab hoſtio Vulturni egregie munitum, in quo validum erat ducis Sinueſſæ præſidium, & oppidanorum armata iuuentus. Vulturnus ex Apennino cadens longo fluxu apud Capuam ponte iungitur, deinde per plana ad hoc caſtellum placide labitur, & in proximo exoneratur mari, fluuiorum qui Campaniam irrigant maximus. Campaniam noſtra ætas terram Laboris appellat, inde accepto vocabulo, quòd maxime arabilis ſit, & homines ſua facilitate, & fructuum prouentu ad laborandum, id eſt agros excolendos inuitet. Quidam ex eo corruptum vocabulum exiſtimant, quòd in Campania, non procul a Capua, populi fuerint Leborii appellati. Approbato conſilio expugnandi caſtelli prouincia, Antonio demandatur, quam & ſi natura ſua perardua erat, frequentes tamen pluuiæ, & aquarum aſſidua inundatio difficiliorem reddidit. Oppidum humili loco ſitum, ac foſſis latioribus aqua plenis defenſum, adiri non poterat, quin augeſcente pluuiarum diluuio, caſtra in quis Antonius erat equos atq; homines inſtar paludis inundauerat; nec tamen pertinax dux ab incepto deſtitit, neq; ad horam intermiſſa eſt oppugnatio. Ex ipſis vndis equites, & pedites emergentes, miſſilibus oppidanos infeſtabant: verum cum irriti conatus viderentur, bombardæ adductæ ſunt ex Neapoli validiſſimæ, quæ lapidem iacientes grandiorē, vno ictu & partem muri deiicerent, & duas, treſve domos oppidanorum penetrarent, & obuia quæque proſternerent. Pugnatum eſt & bombardis, & aliis machinis diebus aliquot, & non pauci hinc atque inde interempti ſunt, verum plures ex hoſtibus. At dux Sinueſſæ propinquus pro mortuis, ac ſauciis integros in horas milites ſufficiebat, & Antonio non cum hoſtibus ſolum, ſed cum pluuia, & inundantib⁹ aquis, & argilloſa terra, & cum exercitu, qui retinebatur inuitus, pugnandum erat: nihil tamen animo fractus propoſitum tenuit, & bombardarum auxilio, quæ muros aſſidue quatiebant, victoria tandem potitus eſt. Attonitæ, & perterritæ mulieres frequentibus hominum funeribus, cum modo filios, modo parentes, ac viros ante ora ſua cadentes cernerent, & ipſarum aliquæ, nonnunquam ictu lapidum tactæ corruerent; vlulatu, ac clamore horribili, & planctu lacerantes ora per oppidum diſcurrentes, vt hoſtibus tandem cederent; qui reliqui fuerant viros hortari atq; obteſtari cœperunt: Periiſſe iam populi magnam partem, nec repelli humana ope hoſtem poſſe, qui diuinis reſtitiſſet impedimentis, nec pluuia potuiſſet arceri, quid ſi redeat ſerenitas, quis retinebit impetum? igne ac ferro periturum oppidum, paciſcendam cum hoſte ſalutem, priuſquam oppidum ingrediatur. Milites qui præſidio erant, veriti ne ab oppidanis traderentur, ſimul cum illis deditionem fecere. Antonius præter laudes, & nomen victoris, nihil in ea pugna lucrifecit: ſpes fuit oppidum non parui prouentus ei relinquendum, qui pro duce Sinueſſe, à quo tenebatur ſubrogatus eſſet: verum Ferdinandus ad eccleſiam Capuanam pertinere aſſimans, apud ſe retinuit, tantum concepta ſemel Terraçinenſis indignatio potuit; ſiue lucri dulcedo fuit, caſtelli eius expugnatio, haud parui momenti fuit, quæ Vulturno clauſo ab incurſionibus hoſtium, non ſolum Capuanum, ſed Auerſanum, & Neapolitanum agrum liberauit.

Sarno

Expugnatio Scaphati, & alterius caſtelli maris direptio per Antonium facta; Turris Græca, Alfonſi ſeceſſus, & Veſeuus mons ſulphureus, ac Pitanii maioris mors.

Reſtabat aliud oppidum, Sarno adiacens fluuio, non procul ab eius oſtio, Scaphatum accolæ vocitant, per quod hoſtes in Neapolitanum vſque ad turrim Octaui, quā Græcam appellant, nihil non infeſtum relinquebat: placuit & hunc aditum hoſtibus auferre; negocium Antonio datum, qui non minori, vel animo, vel ingenio Scaphatum, quàm maris caſtellum expugnauit, nec minus hic quam ibi vel laboris, vel periculi fuit. Quo in loco dum tenet obſidionem, alterum maris caſtellum cum parte copiarum ex improuiſo adortus cepit, ac diripuit: Arcem quæ munitiſſima erat, obtinere non potuit, cuius præfectus, vt ante diximus auro corruptus, quamuis eſſet Catelanus, ad Gallos defecerat. Duo ſunt in regno Neapolitano oppida, quæ maris caſtella vocantur: verum alteri diſcretionis cauſa Vulturni cognomentum addidere: hoc cuius arcem venditam diximus, in littore maris ſitum eſt e regione Neapolis ad radices montis, in quo Surrentum, & Litterarum ciuitas ad Occidentem, & memorabilis ad

lis ad Orientẽ Amalphitana rupes iacet, caſtellis, palatiis, & oppidis adornata quamplurimis; Turris Greca, cuius fecimus mentionem, octauo diſtat à Neapoli milliario, atque idcirco octaui dictam putant, non Octauii: villa eſt, & ipſa in maris littore, loco eminenti, ſine mœnibus, ruſticano ædificata more. In medio Lucretiæ domus fuere, quam adamaſſe Alfonſum diximus, paulo vrbaniores. In rupe, quæ mari imminet, palatium regis fuit, rege indignum, nihil in eo inueniſſes, quod laudare poſſes: vilis aula, & vilius cubiculum inhabitauit, proſpectus tantum ex vnica feneſtra in mare gratiſſimus patriæ placuit: vnde & Neapolis, & Caſtellum maris, & inſula Caprearũ, & Myſenum, & alios complures intueri montes licebat; & ſub ea in ipſo maris littore fons limpidiſſimus dulcis aquæ, ac frigidiſſimus ſcaturiebat. Alfonſo per æſtatem hic frequenter ſeceſſus fuit, ſiue quòd aërem, & ventulos ſalubriores inuenit, ſiue quòd à Lucretia eum locum incolente diſiungi non potuit. Per noctem in palatio ſuo dormiebat, ſecuritatis cauſa, muris altioribus, & militũ excubiis defenſus: dies apud Lucretiam duxit, cubiculo in eius horto exædificato. Villæ ſupereminet Veſeuus mons, qui nunc ab oppido Summa nomen ducit, vitibus conſitus, quæ arboribus ſuſtentatæ, vini Græci grati copiam gignunt. Hunc olim arſiſſe ipſa terræ facies oſtendit cineri ſimilis, & lapides nigri, atque combuſti, quales videmus ex minera ferri, expreſſo ſuperesse metallo. Ipſe mons biceps eſt, qualem ferunt eſſe Parnaſum, Nyſa, Cirraque memorabilem. Vnus erat antea vertex, & ſub eo ſulphuris magna vis, qua incendio occulto conſumpta, dehiſcente terra, ſummum cacumen ſubſidens, duos reliquit colles, & vallem inter vtrunque non modicam, & barathrum aperuit; ex quo cum incendium emerſiſſet, ſupra quàm credibile videretur, Magnum ferunt Plinium ſecundum Veronenſem, qui naturalem ſcripſit hiſtoriam, cum eſſet præfectus Romanæ claſſis apud Myſenum in ſtatione manentis, eò viſendi gratia accurriſſe, & dum incaute miraculi cauſam perſcrutatur, noxio exhalante vento, ac puluere ſuffocatũ eſſe, atque hunc excellenti viro fuiſſe obitum. Hæc de Turri Græca dixiſſe placuit, quæ per hoc tempus virtute Antonii ſaluata eſt, redacto in poteſtatem Ferdinandi Scaphati oppido, clauſoque hoſtibus Sarni tranſitu.

Ferdinandus anno ſuperiore expugnato Formicularum oppido, eaque Baronia cum comitatu Cerretano, Caſertano, ſanctæ Agathes, compluribus oppidis in poteſtatem acceptis, caſtella quæ fuerant Iacobi Antonii Serini ſex recuperauerat, agrum omnem Salernitanum, quem Fotiam vocant, cum vicis pluribus, atque caſtellis armis obtinuerat. In Calabris per ſuos duces feliciter pugnauerat. In Apuliis per equites, quos ab Epyro, atque Albania accerſiuerat, hoſtium agros vaſtauerat, Caudinamque vallem ingreſſus montis Sarculi arcem, Ducẽtam, Milactianum vallum, Arpadium, & alia plura oppida, partim vi, partim deditione acceperat; atque in conſpectu hoſtiũ, qui apud Ioſualdum conſederant, oppida duo Serram & Montemapertum expugnauerat, & à Neapoli Paludium vſque, quod octo millibus à Beneuento abeſt, per paſſus circiter quadraginta millia, Apuliam verſus iter aperuerat: Luceriamque prope ad ſeptimum milliarium peruenerat, oppido ſancti Bartholomæi (quod de gaudio vocitant) armis obtento. Beneuentum quod olim Samnitum caput fuiſſe memorant, per id temporis ad Eccleſiam redierat: prius Alfonſo paruerat, & ante illum multos annos, vel regibus, qui præceſſerant, vel tyrannis. Ferdinandus ex conuentione Pio reſtituit inuitus, cum aliter regni conceſſionem obtinere non poſſet. Iuſtum neceſſitas fecit. Pius Rauennatem præſulem eò tranſmiſerat, qui vrbem pro Romana Eccleſia gubernaret. Nutabant animi ciuium, & Alfonſi odio infenſi filio, ad Francos inclinabant. Loci archiepiſcopus, qui eſſet Andagauenſium partium, dies ac noctes vrbem luſtrabat armatus, & aſſimulans vereri ne Cathelani per factionem aliquam intromitterentur, ſeruare ciuitatem pro Romana Eccleſia publice aiebat; occulte vero cum hoſtibus ſentiens, aperire illis portas adnitebatur. Occupatio Caudinæ vallis Romanorum olim clade memorabilis, quos Samnites ſub iugũ miſere, & Rauennatis cuſtodia diligens inſidias auertit. Archiepiſcopus vbi detectam fraudem intellexit relicta plebe ſua, ad fratrum caſtella confugit, & quaſi priuatus homo, & apoſtata ſui ordinis, dimiſſo epiſcopali habitu, per Gallorum caſtra diſcurrit. Dum Ferdinandus Caſtello maris ab Antonio expugnato, terram Laboris expurgare hoſtibus ✱

Geſta Ferdinandi, Beneuentũ reſtitutũ, archiepiſcopi perfidia, & Piccinini progreſſus.

contendit, Picininus in Aprutiis cum Matthæo Capuano, & Mateoantonio audacibus copiarum ducibus ſæpe manus conſeruit: verum nunquam totis viribus periclitatum eſt: cum ipſe Lauretum, illi ciuitatem Pennarum obtinerent. Matthæus Picininum provocaturus in equum profectus, in campum acies vniverſas produxit. Piciniuus in monte, qui propinquus erat caſtra continuit, nec pugnandi copiā fecit, haud ignarus incauti ducis eſſe ſine prærogativa, niſi neceſſitas vrgeat prælium committere. Temeritatem hoſtis futuram ſibi honori putavit, cuius tanta eſſet audacia, vt ex loco vel in quo pugnam miſcere non dubitaret: non ſucceſſit conſilium. Matthæus poſtquam horis aliquot fruſtra deſcendere Picininum expectavit, receptui ſignum dedit, atq; in vrbem reductis copiis, ſumpto cibo, non diu moratus, iterū cum parva militum manu ſpeculatū quid hoſtes agerent egreſſus eſt. Illi in oppidum ſe receperāt. Proficiſcitur ad Lauteti vſq; fontem, qui non procul à mœnibus erat, & audacia ſpē faciēte, clamoribus irritare Braccianos pergit, quos tumultuarie aſſumptis armis occurrentes, ac manus conſerere audentes, loco diſturbat, atq; in oppidum nō ſine dedecore redire compellit. Ea res æſtimationi Picinini non parum detraxit, qui paulo poſt, dimiſſis Aprutiorum montibus, in quis rerū inopia laboraret, ad interiora regni cōgreſſus, in terrā ſancti Severini comitū deſcendit. Ioannes Rhenati filius ad eum venit, qui iampridem modo in Apulis, modo in terra Laboris fuerat. Capta ſunt primo adventu nonnulla caſtella, quæ abſq; præſidio relicta, non tam virtuti hoſtiū, quàm fame ceſſerunt. Ventum eſt ad oppidum, quod Montorium appellant, in valle profunda, non procul à Salerno; paruum inerat præſidium, verum oppidani non rudes mœnia tutabantur: pugnatū eſt diu pro muris, quos aſcēdere miles ſæpe adnixus, ſæpe repulſus eſt; atrox ibi prælium commiſſum, in quo non pauci hinc atq; inde periere, inter quos Vademontenſis comes inter Gallos nobiliſſimus, & Ioanni Andegauenſi ſanguine iunctus; qui dū inter primos acri animo muros oppugnat, nec cedentibus ſuis vult cedere ictus lapide mortem oppetiit. Omiſſa eſt eius diei oppugnatio, dum viri clariſſimi funus ducitur. Poſtera die reintegrato certamine, cū iam feſſi oppidani concuſſa, & iam ruitura tueri amplius mœnia nequirent, pacti corporū, ac rerum ſalutē ſeſe dediderunt: ſed quæ fides armati militis? ingreſſus exercitus obuios quoſque trucidauit, rapinæ omnia expoſuit, oppidum incendit, mulierum pudicitiā fœdavit, ſic Gallus dum necem amici vlciſcitur fidem violat.

Coſentia defectio, & eius recuperatio, ac direptio, & opes.

Circa idem tempus in Calabris non parva rerum mutatio facta eſt. Coſentia eius provinciæ primaria civitas, negociatores plurimos aluit, qui res ſuas ad exteras nationes deferentes, & illuc alienas importantes, maximas opes congeſſere; atq; vt Neapolim in terra Laboris, & Aquilam in Aprutiis, ita & Coſentia in Calabris, ceteris præſtare vrbibus aſſerebant, non mirere divitiæ ſe ipſas creſcentibus opibus, & ambitio, & luxus creuit: certiſſima diſcordiarū fomenta. Diſſentientes inter ſe cives qui Ferdinandi odio tenebantur, impatientes ocii ad Gallos defecere. Manſit arx in poteſtate regis, quā cum verſari in periculo didiciſſent, Alfonſus Hiſpanus, Robertus Vrſinus, & alter Robertus S. Severini comes, egregii copiarū duces præſto affuerūt, atq; intromiſſo per arcem milite in vrbem deſcendere. Pugnatum eſt in ipſis viarum anguſtiis, cum cives in extremo periculo pro tutandis aris, ac focis arma ſumpſiſſent: verum brevis ea contentio fuit, cū hinc miles nutritus in caſtris, & aſſiduo labore duratus, illinc vrbana, & mollis iuuētus arma verſaret, ſuperati ciues, partim cæſi partim capti hoſti victoriam reliquere. Vrbs direpta ea perpeſſa eſt, quæ victoribus placuere. Prædā ſupra ſepties centena millia auri nummū æſtimauerūt: exercitus argēto, & auro grauis inde abiit. Antiqua ciuitas apud quam Alaricū magnū Gothorū regem in alueū propinqui fluminis ſepultū tradūt, patratę proditionis, hoc modo pœnas dedit.

Barones quidā Romani factioſi multis oppidis ſpoliati: & Pii conſtantia in eis perſequendis.

Dum hæc aguntur in regno, Alexander Sfortia, & Federicus Vrbinas aperto iam Veris tempore, apparatis, atque ornatis copiis, eò ſe profecturos aiunt, quo Pontifex iubeat. Non erat ducis Mediolani eadem ſententia, quæ Pontificis, illi optimum factu videbatur, reddita nonnullis factioſis baronibus Eccleſiæ ſubditis, pace quamcunque optarent, exercitum aduerſus Ferdinandi hoſtes in regnum propere mittendum fore; ſic enim bellum citius finiri poſſe; eademq; Coſmæ Florentini opinio fuit. Pontifex expugnandum ante omnia eos barones cenſebat, qui leges pacis

pacis honeſtas reſpuiſſent, nec pugnandum foris, niſi domi pax eſſet; neque ferendum, vt ſubditi ſuis ſuperioribus leges dicerent: ab illis hoſtes Eccleſiæ in agrum Romanum adductos ad vrbis vſque mœnia prædas fuiſſe factas, iuſſos tenere pacem, atque hoſtem remittere, contempſiſſe. Vicit ſententia Pii; ambo duces in Sabinum ducentes, dum vix caſtra locaſſent, multa in deditionem oppida acceperunt; tyranni enim, atque oppidani magno belli apparatu perterriti, ſe, ac ſua omnia in manu Pontificis poſuerunt; cum præſertim magnas illas bombardas in caſtris intelligerent adductas, quas paulo ante Auguſtinus Placentinus eiuſce artis egregius opifex, iubente Pontifice fuderat, quarum primam ex nomine patris Pii Pontificis, Siluiam appellauit; alteram ex nomine matris Victoriam, de qua Campanus poeta clariſſimus hos verſus edidit:

Rumpere quæ videor ſonitu Victoria cælum,
Cumque ſuis muros turribus eiicere:
Arma tuuo, tucorque Pii, quantum erigit ille
Voce bonos, ictu tantum ego ſterno malos.

Tertiam, quæ nondum ad prælium ducta eſt, Æneam, quòd id fuerit ante Præſulatum Pontificis nomen; & hæc reliquis maior quæ trecentorum pondo emiſit, ille ducentorum, in quis tanta vis reperta eſt, vt nulla murorũ moles reſiſtere valeret. Aucto itaque ex bombardis timore, ſeditioſi per amicos gratiam Pontificis quæſierunt, quibus ſupplicantibus Pontifex pepercit, & oppida nonulla, vbi vitã degere poſſent, reliquit; ſicq; tyrannos ad res nouas ſpectantes, è finibus Eccleſiæ bello ſubmouit.

Alexander dum iſta geruntur profectus in Aprutios, Populi comitem ad Ferdinandi obedientiam reduxit, & comitiſſam Cœlani, Sulmonem, Theanũ, quam Theridis vrbem putant, & alia eius regionis oppida, quæ nutare videbantur, in officio cõfirmauit. Marthæus Capuanus ſancti Flauiani oppidum vi expugnauit, caſtella plurima Ioſiæ abſtulit, Theramum intempeſta nocte adiens, adiuuantibus exulibus, perfracta porta, ciuitate abſque ſanguine potitus eſt. *Alexandri geſta in Aprutiis.*

Inter hæc Pontifex rogatus à ſuis ciuibus beatam Catherinam Senenſem inter ſanctas Chriſti virgines referre, accito epiſcoporum concilio, qui tunc erant in vrbe, de vita, & miraculis inquiſitione per tres cardinales facta, qui omnia quæ inuenerãt coram retulere. Interrogato conuentu quid videretur, cũ reſpondiſſent vniuerſi canonizandam virginem fore; in Baſilica beati Petri ſuggeſtum apparari iuſſit, in quo re diuina peracta orationem habuit de laudibus virginis, quam hic non inſerimus in volumine reliquarum orationum conſcriptam. Ea finita ſummo cardinalium, epiſcoporum, abbatum, & aliorum qui aſſiſtebant prælatorum conſenſu, adhibitis ſolemnitatibus conſuetis, Catherinam ipſam in Catalogo ſanctarum virginum aſcribi mandauit, commemorationem eius fieri quot annis inſtituit, viſitantibus ſepulchrum in quo iacent oſſa, in eccleſia S. Mariæ ſuper Mineruam, indulgentias ſeptem annorum conceſſit, ac canonizationis litteras ipſe dictauit, quę inter alias eius epiſtolas continentur. *Canonizatio ſancta Catherina Senenſis.*

Ardete iam Roma cœperat feruente Iulio menſe, fugere cardinales caumata, nec curiales immorati velle, æſtiuum aëtem cuncti horrere. Pontifici haud ſatis tutum videbatur hoſte propinquo, ab vrbe procul abire. Sorani adhuc, & Aquilani, & multi per Aprutios inſidiabantur Eccleſiæ: ſtatuit igitur Tybure reliquum æſtatis agere, ſic & ciuitatem nutantem in officio retineri, & noxium vrbis flatum euitari poſſe. Quod cum accepiſſet Federicus Vrbinas copiarum ductor, Romam veniens, ac Pontificem maximum adiens: Si verum eſt, inquit, quod accepi Pie Præſul, non poſſum nõ admirari, iturum te Tybur eſt rumor: quis hoc cõſilii dedit? an excidit memoria illius populi perfidia? Plebs eſt inimica tibi, Picinini cõſiliis auſcultat, Euerſum diligit, nihil magis odit quàm tuum caput, his te hominibus credes, qui ſæpe hoc anno ciuitatem tuis militibus clauſerunt, hoſt bus aperuerunt? Age Pontifex, conſule tuæ ſaluti, ſerua dignitatem, ſerua & nos qui ex tua vita pendemus: in te vno ſpes noſtra ſita eſt, tecum cadimus, tecum ſurgimus, ſalua caput tuum quod cum tota ſaluatur Eccleſia. Laudauerunt qui aderant cardinales & aulici Federici verba; nam & illis plena periculorũ Tyburtina profectio videbatur. Pontifex in hunc modũ reſpondit: Qua perfidia vel *Conſultatio de vrbis diſceſſu, & Pii ad Federicũ diſſuadentẽ confutatio, animiq; magnitudo.*

potius dementia Tyburtini hoc anno ſint vſi, non ſumus obliti; quippe quòd eorum opera in extremas difficultates incidimus, ſi obtinuiſſet Picininus Tybur, quod prope affuit, Roma excedere oportebat, quando extra mœnia nihil erat tutũ: nec Romanus eſt, qui carere pecoribus poſſit; facilius cum Tybure Romã perdiderim, quàm Tybur cum Roma recuperaueris: Nobis curæ eſt dubiam ciuitatem, & prorſus nutantem in partem noſtram adducere, atque in officio retinere: quod facile fiet nobis illic per aliquot menſes habitantibus; nec nos terret plebis amor in Picininum, aut in nos odium: mutabile vulgus eſt: nullius populi diuturna voluntas, nunc odit, nunc amat, multitudinis conſilia ex vtilitate pendent; & quæ maiora poſſunt emolumenta præſtari populo, quàm ea quæ Romana curia ſecum affert? Locantur domus, venduntur fruges, vina, & pecora mutantur in aurum, ad infimas quaſcumq; res etiam lucra perueniunt. Sciunt hæc Tyburtini, atq; idcirco petunt, vt ad eos eamus, non eſt occaſio prætermittenda, ibimus, aut fugient qui ſeditiones parare conſueuerunt, aut territi ſilebunt, & ſeſe nobis ſubiicient. Boni ciues, quorum non eſt vrbs omnino vacua, nobiſcum ſentient; & quis erit, qui vel hiſcere contra nos audeat, curialibus, & militibus & parte ciuium hinc atque inde ſtipatos? Non ſumus eius animi, vt noſtra in ciuitate vim timeamus, ipſi metuent qui peccauere, & nobis facultas erit arcem erigere, & ciuitati frenum imponere: Nouimus vulgi motes, victoriæ omnia parent. Edomitis tot tyrannis cum Tiburtio, cunctis qui male ſapiebant cadentibus animis occluſa ſunt ora. Acquieuit his dictis Federicus, atque in caſtra ſe recepit, quæ non procul erant à monte Cœlio: montem Cœlium vocant Monticellum, quem Deiphebus tenuit.

De genere armorũ apud veteres, deq; Troiano bello Pij ſermo; de ingreſſu Tyburis. & data venia, & arcis confectione.

Pontifex paucis poſt diebus ex vrbe intempeſta nocte diſcedens, ad Anienem, orto nondum ſole, peruenit. Quo tranſmiſſo, Federicum, & cardinalem Theanenſem obuiam habuit cum decem equitum turmis, qui ad pontem vſque Lucanum ſecuritatis cauſa fuerunt comites. Oblectatus eſt Pontifex ſplendore armorum, & equorum, ac militum ornatu: nam quid pulchrius caſtrorum acie ordinata? Fulgebat ſol in clypeis, & galeatum, criſtarumq; facies mirabilem reddebat ſplendorẽ: quot fuerunt armorum turmæ, tot quaſi ſiluæ lancearum apparuerunt. Iuuentus huc atq; illuc currere, equos in gyrum flectere, enſes vibrare, haſtas circumferre, dimicationis ſpeciem oſtentare. Federicus qui multa legiſſet, interrogare Pontificem, an priſci duces æque ac noſtri temporis armati fuiſſent. Pontifex & in Homero, & in Virgilio genus omne armorum inueniri deſcriptum dicere, quibus noſtra vtitur ætas, & alia multa quæ obſoleuerunt. Poetas etſi fingunt aliqua, ea tamen plerumque deſcribere, quæ in vſu aliquando fuerunt, neque prorſus à vero diſcedere. Incidit & ſermo de Troiano bello, quod cum penitus extenuare Federicus adniteretur, Pontifex magnum fuiſſe oſtendit, nec ſine cauſa tantam eius extare memoriam. Cumque de Aſia quoque mentio fieret, quæ minor vocatur, nec de limitibus conueniret, Pontifex poſtea nactus ocii paululum apud Tybur Aſiam ipſam deſcripſit ex Ptolemæo, Strabone, Plinio, Quinto Curtio, Iulio Solino, Pomponio Mela, & aliis veteribus auctoribus, quæ ſibi viſa ſunt ad rei cognitionẽ idonea ſuſcipiens: ſermo dulcis, & alacer inter Pontificem, & Federicum de antiquis hiſtoriis ad pontem vſq; Lucanum protractus eſt. Illic dimiſſo exercitu, Pontifex iterũ Anienem tranſiuit. Populus Tyburtinus ad ſecundũ milliariũ, cum ramis oliuarũ, & cantibus eum excepit; ſimul capita factionũ, & ſeditioſa iuuẽtus, & pacis amatores ciues cõuenerunt, qui lecticam Pontificis ſubeuntes, cum timore pariter ac amore ſuum dominũ in vrbem portauere. Nonnulli qui plus deliquerant, ſuam magis culpã, quàm Pontificis clementiam aduertentes in exilium ſponte abierunt, horũ bona proſcripta ſunt, reliquis omnibus venia data eſt. Duo fuerunt rebellionis duces, Toccius, & Clemens quidam nomine, ille aſtutia, hic clientela potẽs, amici ambo ac Picinino per fœdera iuncti, qui ſæpe aperire hoſti portas tentauerant, auctoreſque fuerant ne miles Eccleſiaſticus intromitteretur. His Præſul ad ſe vocatis, ac blande compellatis, impunitatem geſtorum promiſit. Exin concione ciuium ſe coram habita, errata populi, & ſtulta conſilia, & quo fuiſſet in periculo ciuitas expoſuit. Poſtremo vt arcẽ conſtrui æquo animo paterentur ſuaſit; docens multis rationibus id eſſe vrbi ſalutare, quod facile obtinuit, cum viri boni, ad cõpeſcendos temerarios arcem neceſſariam eſſe cognoſcerent. Seditioſi obtẽta venia peccatorum, aduerſa-

aduerſari Papæ, qui fuiſſet in eos clementiſſimus non auderent. Iecit igitur fundamenta in ſublimiori loco vrbis, vbi veterem fuiſſe ruinę adhuc exſtantes indicabant. Duas erexit turres, quarum muri viginti pedes ſpiſſitudinis habuerunt, altitudinis altera centum triginta, altera centum; reliquis muris ſuam proportionem attribuit: foſſam latam, ac profundam circunduxit: ciſternas duas effodit: portam marmoribus adornauit, in quis hos verſus inſculpi iuſſit:

Grata bonis, inuiſa malis, inimica ſuperbis
Sum tibi, Tybur enim ſic Pius inſtituit.

Extat & hoc Campani Epigramma:

De Tyburtina, quam nunc Pius erigit arce,
Quid vulgus tota ſentiat vrbe, rogas?
Eſſe Pium mitem, nec tam puniſſe nocentes,
Quàm ne quid noceant conſuluiſſe ferunt.
Cumque ſit ingenio princeps mitiſſimus, aiunt,
Argolici gratam Tyburis eſſe fidem.
Nil igitur doleas Tybur, ſi clauderis arce,
Non Pius hoc, ſed tu ſurgere cogis opus.
At tu ſi quereris, ſcimus quæ cauſa querelæ
Æneas Phryx eſt, Tybur es Argolicum.

Opus quamvis multi laboris, & magni ſumptus eſſet, vno tamē anno abſolutum eſt, excepto duplici muro, quem ſtatuit ab arce, vſque ad portam vrbis producere, cui deinceps nauabitur opera. Fabrica viginti millibus aureis perfici non potuiſſet, niſi operarios & Tyburtini, & alii Eccleſiæ ſubditi ſine mercede adhibuiſſent. Structurā cuncti laudauere, & opus perneceſſarium exiſtimarunt, quo vicinorum audacia, & ipſius vrbis temeritas compeſceretur, nec minoris vtilitatis iudicata eſt arx Pia in Tybure, quam moles Hadriani in vrbe, quando & Tyburtina ciuitas alterum Romæ munimentum cenſetur.

Tybur apud veteres fama notum, in angulo iacet prælalti montis, non procul ab eius radice ex plano circiter mille paſſibus illuc aſcenditur. Pars vrbis in qua ſita eſt arx a reliquo monte qui ſupereminet, lata & profunda foſſa diſcinditur, à porta quæ in olueta, & Peneſtre ducit, vſque ad alteram Anieni propinquam, qua itur in prata, a priori quam diximus porta, vſque ad aliam, qua recta eſt ad Lucanum pontem via, & Romam reſpicit. Præruptæ rupes vrbem cuſtodiunt, & murus, quem conſtruxit rex Alfonſus, dum illic ageret repente excitatus. Reliquas vrbis partes Anio ipſe tutiſſimas reddit, adeo in profundum demerſus, vt vix pateat in eum intuitus. Hic fluuius ex montibus oritur, non procul à Sublacenſi monaſterio, vallem nemoroſam percurrit placido meatu, vſque ad monaſterium ipſum, illic obiectu rupium, multo fragore in profundum labitur, nec prius quieſcit, quàm relictis ſcopulis, & ingentium ſaxorum repagulis in plana deſcendit. Ferūt ſub ſpecu quod Benedictus inhabitauit, olim murum fuiſſe, qui retento amnis curſu, in ſuperiori valle lacum fecerit, atq; inde vocari monaſterium Sublacenſe; poſtea decidente muro, defeciſſe lacum. Amnis per vallem amœnam fertur, & æſtiuo tempore opacam, inter prata, & agros, & caſtella complura ad monaſterium ſancti Clementis iterum obiectu montium coarctatur, nec ſine rumore, & gemitu ſpumoſus ad Vicumuarū peruenit, & quāuis poſtea quietius incedat, nuſquam tamen placidas vndas habet, donec prata Tyburtina contingit, ibi paulum clementius labitur. At vbi muros attigit Tyburtinos, & ad ducentos circiter paſſus, relicta à ſiniſtris vrbe percurrit, deficiente iam via inter prominentia ſaxa magno caſu, maiori murmure, ac ſtrepitu in ſubiectam ac profundam vallem præcipitatur vno ſaltu, vt audiri humanæ voces nequeant, nec prius querelas ponit, quàm prope ad Lucanum pontem peruenit, per quem dimiſſus, iam placidus eſt, & nauigabilis, ſi arborum impedimenta tollantur. Non procul à ponte Miluio in Tyberim deuoluitur, noſtra ætas Tyberonem appellat: iungitur dimiſſo Tybure pontibus quatuor: primum ſub ipſo oppido, Ponriculum appellant: alterum Lucanum, vbi moles marmorea pro tumulo quondam erecta nobiliſſimæ Plautiorum familiæ, nūc arcis vſum præſtat: tertium Mammeum quem condidiſſe tradunt Mammeam Im-

De Tybure & eius ſitu, ædificiis priſcis, & agro eximiæ amœnitatis.

peratoris Alexandri matrem: quartum Salarium à Narſete Eunuco conditum, aquas habet in omni curſu lympidas, & admodum gelidas, in quis trutas complures inueniunt. Pars Tyburis vltra Anienem iacet parua, & ob ciuium ſeditiones parum inhabitata, quæ ligneo ponte iungitur. Supra fluuium ciuium ædes, & altiſſimæ rupes pro muris ſunt. In ipſa vrbe nihil eſt, quod magnopere mireris, præter ædificium quoddam vetuſtum, maximis & altiſſimis fornicibus erectum; portam hodie Obſcuram vocant: inde olim fuit in vrbem aditus, & depoſitis ibi mercibus, vectigalia ſoluebantur; atque fuerunt olim ſeu negociaroribus, aut publicanis, ſeu claris viris ampla, & pulcherrima diuerſoria, nunc bobus ſtabula patent, & ſuper teſtudinibus, ſublimique tecto horti olerum excoluntur. Cernuntur & reliquiæ cuiuſdam templi, ſeu Veſtæ, ſeu alterius Dei, in Anienis rupe altis erecti columnis, & nō procul ab arce veſtigia erant nobilis Amphitheatri, quæ arx omnia cōſumpſit. Pars Anienis per ciuitatem deriuata, & molis, & ædificiis, ac fontibus ſatisfacit, vrbemq; ipſam magnopere exornat. Extra vrbem ad tertium circiter milliarium, Hadrianus Imperator nobiliſſimam villam exædificauit, inſtar magni oppidi. Extanr adhuc templorū ſublimes, & amplæ teſtudines. Cernuntur & aularum, & cubiculorū ſemidiruta ædificia. Viſuntur & periſtyliorum, & maximarum columnæ porticuum, & piſcinarū, ac lauacrorum veſtigia, in quæ deriuata quondam Anienis portio, æſtiuos refrigerabat ardores. Vetuſtas omnia deformauit, quos picti tapetes, & intexta auro aulea, muros texere, nunc hedera veſtit. Sentes & rubri creuere, vbi purpurati conſedere tribuni, & reginarum cubicula ſerpentes inhabitant, adeo fluxa eſt mortalium natura rerum. Inter hanc villam, & Tybur vineta, & olíueta pulcherrima iacēt, & inter vineas omnis generis arbores inuenies, & punicatum maximum numerum, quæ granata producunt poma, magnitudinis, & ſaporis eximii. Vndique circa vrbem æſtiuo tempore amœniſſima vireta, in quæ laxandi animi gratia Pontifex cum cardinalibus ſæpe exiuit, & modo in aliquo gramine ſub oliuis conſedit, modo in viridi prato ſuper Anienis labium, vnde ſpectaret perlucidas aquas. Prata ſunt in valle reducta, multis aquarum fontibus rigata, ſecundo à Tybure miliario, per quæ olim ex Aniene deriuata vis aquarum, altiſſimis fornicibus ad montes ducebatur, qui Romam proſpectant. Inde per ſubterraneos meatus, ſiue ad Hadriani villam, ſiue ad vrbem mittebantur. Extant adhuc ipſorum aquæductuum magnæ moles, ac ſublimes, verum interruptæ; in quis conſtruendis quanta fuerit impenſa, ruina etiā hodie docet. Pius in his pratis, & circa ſcaturientes fontes, ac circa vmbroſas arbores ſepe quieuit; aut de republica cum cardinalibus agens, aut legationes audiens, quæ ipſum quocunque iret, ſequebātur. Habitauit Pius Tybure apud Minores, loco edito, vnde vrbē licebat inſpicere, & in ſubiectam planiciem Anienis curſum, & hortorum per placida vireta, nec aliud erat quod oblectaret. Domus antiqua, & ruinoſa plena muribus fuit, qui ad magnitudinē cuniculorum huc atque illuc diſcurrentes, inquietas noctes reddebant. Venti quoq; quorum ditiſſima ciuitas eſt, infeſti erant, nec pluuias arcere licebat in habitaculo rimoſo, & nimium vetuſto, cuius reparandi monachi religioſi parum, nullam curam ſuſceperant. Hos Pontifex deiecit, cum eſſent Conuentuales, & vitam ducerent inhoneſtam, & loco eorum Obſeruantes introduxit.

De origine Tyburis, & quid ei contingit secundum Blondum.

Blondus Flauius Tybur ſextodecimo ab vrbe milliario diſtare arbitratur, & à Græcis (Strabone teſte) multo ante Romam fuiſſe conditū. Virgilius Tyburtium conditorem facit, cuius frater Catillus propinquo monti nomen dederit; eamque ciuitatem vnam ex quinque fuiſſe, quæ arma Æneæ iunxerint; Superbū vero ideo dici, vel quia nobile fuerit, vel quod a ſenatu Superbi fuerint appellati Tyburtini. Virgilius ſub Albunea Tybur eſſe oſtendit: Seruius Albuneam altum eſſe fontem exponit in Tyburtinis montibus, ab aquæ qualitate ſic appellatum: & Plinius Tyburtinum lapidem ad conſternendam ornandamque vrbem plurimum valuiſſe affirmat: & Helius Spartianus de Hadriano Imperatore ita ſcribit: Tyburtinam villam mire ædificauit, ita vt in ea & prouinciarum, & locorum celeberrima nomina poneret. Tybur ſimplicium Pontificem Romanum genuit. Federicus primus Imperator hanc vrbem ab aliis Theutonicis ſpoliatam, ac dirutam reſtituit: ſupra eam montes ſunt ardui, & late diffuſi, in quibus fortiſſimi Equicoli olim habitauere: hæc Blondus. Pontifex hoc in

loco

loco paulo minus quàm tres menſes habitauit, non ſine alacritate animi propter loci amœnitatem, quamuis curis vrgeretur aſſiduis, & bellorum, & quas vel pacificus ſuggerit Pontificatus.

Inuaſio Aquilanorum, per duces Eccleſiæ, & præda ingẽs, & diui Bernardini, & Antonii Petrucii Senenſium diſſimillima comparatio, Antonii captiuitas, atque Sorani ducis perfidia.

Nicolaus interea cardinalis Theanenſis, & Federicus Vrbinas cum copiis in comitatu Albi, & Tagliacotii duxere, quorum parte in poteſtatem Vrſinorum redacta, eiectoq; Picinini præſidio, in Aquilanum ducere ſtatuerunt, infeſtiſq; ſignis planiciẽ omnem vrbi ſubiectã, vno incurſu populati ſunt: captiuos ſupra ducentos abduxere, boues, iumenta, mulos, greges, & armenta omnis generis, vt eſt terra animalium altrix, prope innumerabilia abegere frumenta in arcis munda, & quæ à ſolo ſeparata erant, quæ adhuc hærebant diripuere. Collecta præda, & in vnum congeſta apud ſanctum Victorinum, quod eſt vrbi ad quartũ milliarium rus propinquum caſtra locauere, vt videri ex Aquila vexilla, & tentoria poſſent, non ſine magna ciuium ignominia, qui tanquam paruas Eccleſiæ copias antea contempſiſſent, & in oculis conſtitutas populi agros, & ſuburbana ſpoliari prædia toleraſſent; nec auſi eſſent occurrere, ſolamq; vrbis ſalutem in mœnibus collocaſſent: ſenſere quid poſſet Eccleſia, & qui ſe feroces, ac magnanimos iactitauerant, damno & pudore mulctati ſunt: digna Dei vltio. Aquilani quondam, Martino Quinto ſedente, Eccleſiaſtico præſidio aduerſus Braccium defenſi fuerunt, & aduerſus Pium Pontificem poſtea cum Braccianis arma iunxere: ingrata ciuitas, nec diui Bernardini corpore digna, quæ aduerſus matrẽ, & liberatricem ſuam Romanam Eccleſiam cornua præſumpſit erigere; ſed non peccauit impune: diſpoliatus eſt ager Aquilanorum primo, & deinde vrbis muri magna ex parte, & multæ ciuium ædes, & templorum non parua ædificia terræmotibus agitata corruerunt. Cardinalis, & Federicus vbi nulla ab hoſtibus pugnandi copia facta eſt, cum præda receſſerunt, ac per vias aſperrimas, & præcipites Auezanum petiere: ſæpe inter eundum cum hoſte congreſſi, Paternumq; oppidum primo, & deinde Auezanum ipſum per compoſitionem accepere. Reliqua comitatus Albi, & Tagliacotii caſtella, partim vi, partim conuentionibus obtinuerunt, his demptis quæ erant in poteſtate Columnenſium, quibus Pontifex pacem eſſe voluit, ne maius excitaretur incendium. Aquilani medio tempore ſuis rebus conſulturi melius, legatos ad cardinalẽ miſere, inducias belli petentes, quæ his cõditionibus cõceſſæ ſunt: vt abſtinẽtes ab armis per annũ quieſcerẽt; quib. peractis, exercitus in agrũ Romanum reductus, per Campaniam aduerſus ducẽ Soræ profectus eſt, qui agros Campaniæ Romanæ infeſtabat. Primo aduentu agrum eius vſq; ad Soram populatus, parum abfuit, quin à ciuibus admitteretur, quibus vita ducis ingratiſſima eſſet. Præuentus ab eo retroceſſit, & ad Caſtellucium caſtra ſunt poſita, quòd opportuno in loco iaceret ad prohibẽdos commeatus. In eo Antonius, cuius ſupra meminimus, cum peditum præſidio ad cuſtodiam excubabat. Hic vir olim magnus, ac primarius apud Senenſes fuit, quem natura multis ornauit dotibus, ſtatura procera, & honeſto corpore, litteratum doctrina, facundia, prouidentia, conſilio, liberalitate, & animi magnitudine: quibus rebus mirum in modum vrbanam ſibi plebem conciliauit: verum his virtutibus ingẽtia correſpondere vitia, mens infida, ambitio, ac proditionum iuge ſtudium. Primæ eius proditiones apud Lucenſes emerſere, quorum tyrannum Paulum Guinigiũ, quẽ ſibi cõpaternitatis titulo deuinxerat, dolo captũ in manꝰ Frãciſci Sfortiæ tradidit, nec ipſi Frãciſco poſtea fidelis fuit, à quo in Aquapẽdente præfectꝰ, vt ante diximus, oppidũ Eugenio vẽdidit. Prodidit & Nicolaũ Picininũ, à quo recepto ſtipẽdio fugit. Florẽtinis ſæpe mẽtitus eſt, à quib. ne noxius eſſet annuã ſtipẽ accepit. Profectꝰ aliquando venatũ, cum Broliũ perueniſſet, id eſt oppidum Florentini agri, nõ procul à Senis, inuitatus ab eius loci nobilibus, acceptauit: in arcem aſcendit; atq; inter bibẽdum captos hoſpites cõiecit in vincula, & oppidum nõ paucis diebus retinuit: Alfonſo regi Aragonum, & Eugenio Pontifici ſæpe fidem mentitus eſt. Poſtremo multis modis prodere patriã eſt adnixus, propter quod in exilium actus ad ſummam peruenit inopiã. Duo fuerunt eodẽ tempore viri apud Senenſes, moribus prorſus diſpares, Bernardinus, & Antonius: ille optimus ſacræ Theologiæ magiſter, canoniciq; iuris doctor, valde adhuc iuuenis effectus ſacrã militiam in ordine Minorũ ſectatus eſt: hic peſſimus, nil vnquam niſi arma ad quodcunq; facinus parata geſtauit: ille prædicator eloquẽ-

Google

tia, ac ſuauitate ſermonis, grauitateque præſtans quocunq; venit, tanta cum hominum frequentia, vt cum eccleſiæ multitudinem non caperent, in plateis pulpita collocarentur, pacem prædicauit: hic nulli ſeruans fidem, belli ſemina ſparſit: ille nil aliud curabat, niſi quæ ad religionem pertinent, ſæcularium nihil cupiens: hic religionis contemptor nil ſibi ſatis eſſe putabat: Illum virginem obiiſſe prodiderunt: hic nullam venerem intentatam reliquit: deniq; ille ſuis obediens ſuperioribus, reformata diui Franciſci regula, vita auſteriore inſtituta, ſacratiſſimum Dei Ieſu nomen in quadam tribus litteris depictum tabella circumferens, dum omnes homines hortatur, vt illud propriis in domibus ad dæmones expellendos ſeruarent, omnibus amatus è vita deceſſit, & inter Chriſti ſanctos Confeſſores à Nicolao quinto relatus eſt: hunc contumacem, omnibus odioſum, quem patria extorrem, cum omnes ferme Italiæ tyranni è ſuis dominiis eiecissent. Soranus tandē dux cōplexus in Caſtellutio (vt dictum eſt) cum præſidio collocauit, qui cum ex muris venientes Eccleſiæ copias vidiſſet: En, inquit, comites Eccleſiaſticum exercitum cernitis? ſinite, veniant, cum feminis pugnabimus: diuites nos præda faciet: video pallere aliquos, quid timetis? An Eccleſiæ claues, pluris quàm gladios noſtros facitis? Religio vobis metum incutit, & inane Papæ nomē veremini, quem Chriſti vicarium vocāt? vana ſuperſtitio eſt. Is Dei miniſter eſt, cuius præualet gladius: mihi nullus vnquā ſacerdos imperabit: deſpicio id genus hominum. Talia vociferanti, lapis tormēto miſſus æneo ſilētium impoſuit, qui iuxta eum propugnaculi partē deiecit: Appropinquans .n. caſtello Federici miles manu baliſtis, & minoribus bombardis, quas vocant ſpingardas, pugnam pro muris cōſeruit. Situs loci arduus, expugnationem diebus aliquot retardauit. Interea Soranus auxilia vndiq; acciuit. Sinueſſæ dux turmas equitum ſex adduxit. Honorat⁹ Caietanus ſtrenuus dux, veteranuſq; miles duas, Carolus Balionus vnā, Caudolani duas miſere, & alii alias; Breuiq; ſuperior Sorani exercitus, numero militum Eccleſiaſtico factus eſt. Itaq; ꝓuocare ad pugnā Federicum obtrectantē irridere; verum Eccleſiæ ducē cōpellare, cui templa magis quàm caſtra conueniant, & muliebri corde exertos nō audeat intueri gladios: Ille rumore contēpto, nō quid dicerent, ſed quid agerēt hoſtes prouidere, vim repellere, inſidias euitare, caſtra eius hinc hoſtium caſtris iuncta fuere in Caſtellutio, ita vt obſidētis, & obſeſſi locū tenerent, & hinc hoſtis impetum propulſarent, inde oppido inſultarent: Ea belli facies vtriq; exercitui grauis, dieb. paucis perdurauit. Poſtremo cum Federic⁹ ſumma vi oppidum aggreſſus expugnaſſet, atq; in oculis hoſtium direptum incendiſſet. Soranus, & qui ei ſuppetias attulerant, relictis caſtris, non ſine dedecore abierunt. Antonius captus, in vincula coniectus eſt, & in Vrbinatem agrum tranſmiſſus, vbi in hanc vſq; diem diri carceris incōmoda perfert, & qui tantopere ſacerdotes contempſit, nunc ſacerdotum auxilia implorat. Soranus paulo poſt, relictus ab amicis, cum ſpem aliam nullam haberet, miſſis ad Federicum legatis, his conditionibus pacem pepigit; vt liceret ſibi ad Calendas vſque Iunias nullarum partium eſſe, quia ex illo tempore Ferdinandi vexilla erecturus eſſet, & ſe voluntati eius permiſſurus, ob cuius rei obſeruantiam, duo oppida in Pontificis manu tradidit, opportunis ſita locis, & egregie munita, Fontanam, & Oliuerii domum; atque ita hiemis aduentu, milites ad hyberna rediere. Soranus ſuo more fidem ementitus nihil ſeruauit eorum, quæ promiſerat, quamuis pacta cum Federico percuſſa, Ferdinando regi ſtipulationibus, & iuramentis fortioribus promiſiſſet.

Geſta Ferdinandi in Apulia: & ditiſſimi templi compilatio, Piiq; reprehenſio.

Ferdinandus in Apuliam profectus poſt vaſtatos Troiæ, Luceriæ, finitimæq; regionis agros, & paulum Sanguinis, cum omnib. oppidis, in obſequium, & fidem receptum, in mōtana quę ſancti Angeli appellatur duxit exercitum, atq; omnia caſtella eius regionis, primo incurſu in verba ſua iurare compulit, præter d. o Iſchitellam, & ſancti Angeli montem, ad quem propter loci opportunitatem, & quia totius regionis erat caput, exercitum admouit; miſſiſq; legatis, cum oppidani deditionē facere recuſarent, dato prælii ſigno, tametſi erat oppidum in æditiſſima rupe ſitum, & propugnatoribus abundaret, poſt mediam tamen ferme horam, quàm oppugnari cœptum militum virtute captum direptumq; eſt. Tyrannus loci Loyſius minutulus in arcem ſe recepit, qui nunc mons ſancti Angeli vocitatur, olim Garganus dictus eſt, mutationē

nominis

nominis ab æde recepit, quæ in ſummo cacumine Michaeli Archangelo dicata eſt, propter miraculum Tauri, quod illic contigiſſe memoriæ prodidere. Locum accolæ ſumma religione colunt; afferunt & externi munera auri, & argenti, vota ſupplices multa perſoluunt, ex quibus ditiſſimum cõſtruxere templum. Hoc Ferdinandus ſuo magno malo compilauit; hic enim bellum ſibi prolixius, ac perieuloſius, quis ei dubitet factum eſſe? Nõ ſunt impunita ſacrilegia, odere ſuperi ſuarum raptores rerum, nec religionis hoſti ſemper arrident: tranſit & ad poſteros contemptæ diuinitatis pęna. Pius cum accepiſſet nobile templum direptum eſſe, admodum doluit, Ferdinandumq; grauioribus increpauit edictis. Ille inuitum ſe recepiſſe Deo ſactata dona reſpõdit, neceſſitati non potuiſſe obuiam ire: exercitum propter inopiam rebellaturum fuiſſe, niſi id ſpolii inter milites diuiſiſſet: verum non abſtuliſſe ſe aurum à Deo, mutuum accepiſſe, redditurumq; cum vſuris, ſi regni victor euaſerit. Pontifex cum factum mutari nequiret, recepta promiſſione futuræ ſatisfactionis acquieuit.

Sigiſmundi victoria, eiuſque inaudita perfidia.

Priuſquam Pontifex vrbe diſcederet, cum Sigiſmundus Malateſta aperte rebellaſſet, & coactis non paruis copiis, agrum Eccleſiæ inuadere ſtatuiſſet, Bartholomæus epiſcopus Cornetanus magno vir ingenio, & qui paulo ante gubernationẽ Peruſinã dimiſerat, aduerſus ferocẽ hoſtem ad exercitum, qui erat in Piceno legationem accepit, vt malo bonus, fallaci prouidus opponeretur. Locauetanr caſtra Eccleſiaſtici in valle quadam apud amnem Neulam. Hoſtes ad tertium milliarium aberant. Cicchus Brandolinus non multis diebus ante, Pontificis ſtipendio accepto, proditor ad proditorem defecerat: Foroliuienſis hic natione fuit, ex familia magni Broli, quem primum, eiectis Theutonicis, ac Gallicis, ceteriſq; ducibus externis, Italicam militiam ad eum ſplendorem, in quo nunc eſt, aiunt inſtauraſſe. Cicchus indignum tali vel auo, vel proauo ſe reddidit; qui prima ſtipendia proditione fœdauit, ac dignum Tyberto germano, cuius paulo poſt detecta proditionis ſcelera, cauſam præbuere, vt ſibi ipſi mortem conſciret. Sigiſmundus Brandolini lætatus aduentu, ac copiis auctus, aggredi hoſtem conſtituit. Quod cum reſciſſet per exploratores Cornetanus, accerſitis in tẽtorium belli ducibus, vt ſe ad prælium pararent, admonuit; & quanta quiſq; virtute præſtaret, in hoſtium aduentu periculum faceret, cuſtodibus non procul ab hoſte conſtitutis, qui motum omnem illius explorarẽt. Sigiſmundus intempeſta nocte armato exercitu, ac turmis in ordine poſitis, cum exploratores parum diligenter ſuum expleuiſſent officium, circa ipſum Solis ortum, ad Eccleſiæ caſtra peruenit, priuſque vallum oppugnare, quàm aduentare viſus eſt: trepidatum tam repentina inuaſione totis caſtris, neq; dux, neque miles ſatis præſenti animo fuit. Cornetanus huc, atq; illuc diſcurrere, hortari duces, ac milites arma raptim caperent, foſſam, vallumq́; tuerentur: nunc corde opus eſſe ſi viri ſint, nõ eiicientur inuiti, pugnarent audaci animo, ſi non pro Eccleſia at ſaltem pro gloria, neque illam ignominiam ſubire vellent, vt caſtris exuerentur: Qua re nihil eſt militi fœdius. Paruerunt aliqui, quibus honeſti maior cura fuit, inter quos promptior, & audentior viſus eſt Petruſpaulus Foroliuiẽſis, cuius ſupra fecimus mentionem, qui aliquandiu hoſtis impetum retardauit: ſed dum cognito Sigiſmundo plenus animi extra ordinem progreditur, illumq; vulnere appetit, nondum obligata galea ab ignoto milite obtruncatur. Hic viri fortis exitus fuit. Ioannes Franciſcus cognomento Notus de Balneo, & Alexander Mathelicæ dominus, & Ioannes Picininus, & alii nonnulli egregie ſuo loco pugnãtes caſtra defendunt; ſed non omnibus in locis par virtus reperitur. Ingrediuntur ex alia parte hoſtes, ex alia fuga ab his incepit, quibus frigidior erat circa præcordia ſanguis, inter quos inuentus eſt Ludouicus Maluetius Bononiẽſis, qui cum equites quadringentos ſtipendio Pontificis aleret, quadtaginta tantum duxerat in caſtra, atque nec armis, neque equis, vt par erat, in tanta neceſſitate inſtructos. Laudatus hic aliquãdo apud Venetos fuit, cum illis militaret, hic nomen amiſit. Fugiente Ludouico cum iam caſtra tenerentur ab hoſte, & Cornetanus fugæ ſe commiſit. Pars exercitus ad propinqua Eccleſiæ oppida confugit: pars capta eſt. Tercenti & amplius equites in manus hoſtium peruenere; inter quos præcipui fuerunt Ioannes Franciſcus, & Alexander; impedimenta plurium, & ipſius Cornetani intercepta ſunt. Sigiſmundus hac victoria potitus, Nidoſtorium cum exercitu petiit, ad quem locum non pauci con-

fugerant ex reliquiis Eccleſiaſticis, qui ſeruari oppidum poſſe diffiſi, pacti ſibi, ac rebus ſuis ſalutem quæſiuere. Sed quæ pacta Sigiſmundum ligent? cohortem in egreſſos è veſtigio miſit, & quæ ſecum ferebant, ſimulq́; arma, & equos illis abſtulit, & oppido capto, atque inimice direpto. Alia duo non procul inde per deditionem accepit, & violata fide expoſuit prædę. Quibus rebus attoniti Picenſes, quo ſe verterent neſciebant; quamuis Franciſcus eius prouinciæ legatus ciuitates ambiens, ſpem auxilii propinquam faceret.

Profectio Iacobi Papienſis in Picenū, & Eccleſiaſtici exercitus confirmatio, & promiſſio noui ducis.

Pontifex Iacobum Papienſem epiſcopum ad res reuiſendas miſit, qui accepta pecunia mutuo ab amicis, Eccleſiæ exercitus reliquias in vnum collegit, & dato nouo ſtipendio opportunis locis, vt hoſti reſiſterent diſpoſuit; & ad Pontificem iam Tyburemanentem rediens, ſtatum rerum enarrauit, exercitum ſatis fortem eſſe ad prohibendam hoſtium excurſionem: verum Impetatore carere, qui tantis copiis præeſſe norit, aut quem tot viri fortes vereantur, paritatem ducum diſcordiam parere, armatos equites presbyteros togatos contemnere, ſacerdotes de bello gerendo, aut pace componenda conſulere poſſe. At cum facto opus eſt, & iam dextra gladium ſtringit, ceſſare ſacerdotis imperium, nec audiri vocem presbyteri, armatum militem nulli obedire, niſi fortiori, ciuitates Piceni trepidare, nutare multorum animos, ad fortiores inclinari populos, niſi dux adſit expertus, & cuius auctoritas magna ſit, verendum eſſe ne prouincia ingens aliquod detrimentum patiatur. Res in conſilio agitata eſt: vnum inter omnes inuenerunt, cui ducatus tanti exercitus committendus videretur. Neapolionem gentis Vrſinæ principem, qui & Alfonſo regi, & Venetis ſumma cum laude militaſſet, & in magnis exercitibus duxiſſet ordines, inuidia procerum Romanorum impedimento erat, Vrſinorum gloriam animo non æquo ferentium, nec ſatis tutum videbatur eam familiam, quæ ceteris potentia præſtaret, in Romano agro potentiorem efficere. Sed vicit omnia neceſſitas: Neapolio dux creatus in Picenum miſſus eſt, & cum eo Iacobus Vintimilienſis epiſcopus, qui legatum ageret: cuius aduentu confirmati prouincialium animi, nuncios Sigiſmundi defectionem expectantes è veſtigio eiecere: Sigiſmundus qui vſque ad montem Luponis profectus erat, exercitum ſine duce contemnens, vbi Neapolionem adeſſe cognouit, virum nobilem, & fama clarum, qui Pontificalibus copiis præfectus eſſet, retro in ſua receſſit. Cornetanus epiſcopus, qui miſſionem iampridem petiuiſſet, ſucceſſore adueniente, ad eccleſiam ſuam perrexit.

COMMEN-

COMMENTARIORVM PII II. PONT. MAX.

LIBER SEXTVS.

Dyetheri Maguntini pernicioſa oratio in conuentu Germanico, & Rodulphi efficax, ſanctumq; reſponſum.

APVD Germanos interea frequentes conuentus habiti ſunt, procurante Dyethero electo Maguntino, qui extra Eccleſiam factus, quoniam non ſatisfecit mercatoribus, à quibus mutuum pro diſſoluenda annata iampridem accepetat, tanquam iniuria fuiſſet affectus, ad futurum concilium appellauit: conuocatiſque plurib. Germanorum conuentib⁹, proceres vt appellationi ſuæ adhærerent, magnis precib. inuitauit; ſicq; & aduerſus Romanã Eccleſiam, & cõtra Imperatorẽ multa molit⁹ eſt. In eaq; ſuprema orbis capita erigere cornua, & calces iacere non dubitauit; nec cẽſuras veritus Eccleſiaſticas, quamuis excõmunicat⁹, ſanctuariũ ingreſſus, diuina fœdãs miniſteria, miſſatum ſolemnib. per cõtẽptum interfuit. Quod cum Põtifex maximus accepiſſet, Rodulphum decanũ Vormaciẽſem, & Franciſcũ canonicũ Toletanũ, alterũ ciuilis iuris interpretẽ, alterũ Theologicæ doctrinæ magiſtrum, ad eum miſit, vt res Germanicas inſpicerẽt, atq; ipſius Dyetheri, aut mollirent animum, aut furori reſiſterent. Cõuenerant Maguntiæ oratores principũ Germanorum, cũ quibus & Gregorius Haimburgenſis aderat, *Sigiſmundi* Auſtrialis legatus, tanquã hæreticus iampridem damnatus. *Suaſere* legati, ne homini hæretico cõmunicaretur: ſpreuit eorum verba Dyetherus, Gregoriũq; in primis audiendũ ad conuentum, cui præſidebat admiſit, & quæ vellet dicere iuſſit, cuius oratio plena blaſphemiarum, atq; errorum fuit: vnde poſtea nõ iam Gregorium ſed Errorium appellauere catholici. Poſt eum & Dyetherus ipſe verba fecit in hunc fermè modum. Quib. me modis perſecutus fuerit ſuperioribus diebus Romanus Põtifex, nullum veſtrum arbitror, viri fortes, ignorare: repetam tamen breuiter, ſi quis ignoret, quæ norunt omnes. In primis cũ eſſem ad eccleſiam Maguntinã electus, miſiſſemq; procuratores pro veteri conſuetudine, ad impetrandam confirmationẽ vſq; Mantuam, vbi tum erat Romana curia: diu preces meas ſuſpendit, contempſitque, procuratores vacuos remiſit, cum nollent indignis petitionibus aſſentire: petebatur magna vis auri confirmationis cauſa, iuramentum inſolitum exigebatur, illudq; inter cetera prorſus indignum requirebatur, vt conuentus nationis ſuo iniuſſu non cogerem. Prætereo alia multa nationi Germanicæ grauiſſima de decimis, atq; indulgentiis, ad quas præſtare iubebar aſſenſum: ſubſtinui quoad potui non acerbo animo dilationem. Remiſi procuratores, nouas adieci preces, pecunias obtuli, quas cõſueſſent mei prædeceſſores Apoſtolico ærario pro confirmatione inferre. Diu protracta res eſt. Poſtremo cum alio modo confirmationem obtinere nequirem, iuraui præter conſuetudinem, antequam annus elaberetur ad præſentiam me Pontificis conferre, negociatotes rogati à meis procuratoribus in ſeſe onus faciendæ ſolutionis, & me ſibi in formula, quam vocant Cameræ, obligatum aſſumpſerunt. Præteriit tempus, non potui in præfixo termino ſatisfacere, excommunicatus ſum, & publice denunciatus. hæc de mea cauſa. Cæterum quantum ad vos attinet, quid ſibi velle vel decimas, quas petunt, vel indulgentias, quas afferunt, arbitramini? Bellum contra Turcas gerẽdum aiunt, pecunia opus eſſe: inſidiæ ſunt, quòd ſi me audiueritis, nõ præualebunt fraudes. Ego ad futurum concilium appellaui, non tam quòd iniuſte ſum excommunicatus, quàm ne prouinciales mei decimarũ onere afficiantur. Vnicum hoc nobis remedium aduerſus Apoſtolicæ ſedis imperium relictum eſt. Vos ſi ſapietis exemplo meo, & vobis ipſis, & ſubditis veſtris peropportune conſuletis. Cũ ea dixiſſet, & iam propemodum perſuaſa concio videretur: Aſſurgens Rodulphus pa-

tria lingua(nam & Dyetherus Theutonice verba fecerat) in hunc modum locutus eſt. Da veniam Dye here,ſi hoc in conuentu præſtantiſſimorum virorum, ſummi Pontificis innocentiam defenſurus,calumnias tuas repulero;& vos proceres pro cōmuni omnium patre,magiſtro,&domino loquenti benignas aures adhibete. Contumelioſus eſt Chriſti vicario Dyetherus: falſam calumniam illi irrogat: procul à vero abfuit oratio ſua,iniuriam intulit,non accepit. Audite rem geſtam; ſi mentiar, adſunt procuratores, qui Dyetheri negocia apud Mantuam tractauere; ipſi teſtimonium perhibebunt. Rogatus Pontifex Maximus Dyetherum in Eccleſia Maguntina confirmare,facturum ſe dixit quod peteretur quamprimum electus ad curiam proficiſceretur,conuentum haberi Mantuæ,de tuenda religione conſulturum. Vocatum eò fuiſſe præceſſorem ſuum,par fore ſubrogatum illi id concilium,adire pro ſua prouincia,quæ maxima eſſet reſponſurum,quis hoc reprehendat? quis Pontificem accuſet de tuenda orthodoxa fide ſolliciti. impium deſiderium, piam Præſulis mentem male interpretatur Dyetherus. Iubent ſacri canones eum qui electus eſt Romanum adire Pontificem,confirmationemq; coram petere. Quid delicti eſt eum aduentum requirere,qui iure debetur? Vocatos ad ſynodum epiſcopos parere oportet,& quæ ſynodus maiorem ob cauſam æuo noſtro celebrata eſt, quàm Mantuana, ſi licuit iam conſecratos illic epiſcopos accerſiri,non licuit electos? ſi fuit honeſta vocatio,quis recuſationem laudet? Turpiter ad Pontificatum veniſti Dyethere, prima tuæ dignitatis rudimenta inobedientiam prætulere, à rebellione cœpiſti. Dicis ingentem pecuniarum ſummam fuiſſe petitam. Quid agis bone vir? ſiccine verum procul abiicis? caue ne mendaciis auſcultes, mentiti omnes ſunt, qui vel nummum vnum abs te flagitatum aſſerunt,vltra ſummam in camera prætaxatam, decem millia auri nummum principalis taxatio requirit,minutaq; quæ vocant ſeruitia, & litterarum expeditio,& oratorum ſumptus circiter quattuor millia depoſcunt. Nec ex te quicquam vlterius,vel exactum eſt,vel poſtulatum; neque vnquam memoria noſtra Maguntina eccleſia minus ſoluit Treuerenſis,quæ multo minor eſt,ſub Caliſto tertio triginta millia dedit. Quid habes,quod queraris? Nimia Pontificis benignitas ſuperbum te fecit: iam vero quod de concilio generali, & conuentibus nationis aſſeruiſti,quis toleret? nunquam hæc excogitata fuerunt,ne dicam petita: nam quid ad te Germanica congregatio? liberum eſt Theutonicis quando venit Imperator conuenire; generalis concilii conuocatio Romani Præſulis eſt, non Maguntini; illum mandare fas eſt,te obedire oportet: arbitraris concilii nomen odioſum eſſe Pio? falleris: nihil tam illi iocundum fuerit,quàm in conuentu totius Chriſtiani orbis apparere; in quo tandem & tua,& aliorum rebellium contumacia plecti poſſet: ſi adſit generalis ſynodus, præſidentia eius erit. Ipſe caput,ipſe dux,ipſe moderator habebitur: te multi præcedent,quamuis non es ea doctrina,vt magna in Eccleſia audeas apparere. Nam quid diceres,qui vix vnum,aut alterum proferre verbum latine noſti? En qualem inuenimus generalis concilii aſſertorem,bene habet Eccleſia, quando ad te denique ventum eſt,ex cuius arbitrio concilium pendeat. De decimis, atque indulgentiis non videtis memoriæ tenere,quæ tua ſponte obtuliſti daturum te illis curſum in tua prouincia: verum partem cupere,vendere tuas operas voluiſti: nec tunc prouincialium te cura tenebat,nec miſerebaris ſubditorum, nec ſpoliari Germanos auro dolebas,dum portionem acciperes. At Pontifex deſtinatam in opus fidei pecuniā partiri tecum nefas duxit, cuius tibi retinendæ animum nunquam induxit, quod Deo dandum eſſet,ſacrilegium exiſtimauit ad priuatos transferre vſus. Non eſt Pius, qui vnum dicat,alterum faciat; quod habet in corde, habet in ore. Ego menſarium noui,qui dedit argentum,neque in obſcuro res acta eſt. Pontifex ſuam portionem, cardinales ſuam,reliqui miniſtri ſuam accepere. Extant libri cameræ, extant publica documenta,extant idonei teſtes. Vellet mercator, qui tua cauſa ad inopiam vergit verum te dicere; mendacium tuum, & ſibi in arca, & tibi in conſcientia damnoſum eſt. Dicis iniuſtam eſſe tuam excommunicationem: quomodo iniuſta? ſi in eo tempore non ſatisfeciſti, in quo ſub pœna excommunicationis diſſoluere mutuum tenebare? at ſiue iuſta,ſiue iniuſta timenda fuit: ſpreuiſti cenſuras, non timuiſti percuſſus anathemate,diuinis te officiis immiſcuiſti,factus extra Eccleſiam, ingredi Eccleſiam

ſiam non horruiſti, polluiſti ſacras cæremonias, non honoraſti, nec veritus es irregularitatem incurrere: ſed appellaui dices. Quando appellaſti? ſane iam cum lata eſſet excommunicationis ſententia, & iam Romæ, Maguntiæ, Coloniæ, multiſque aliis in locis publicata. Rurſus oro, à quo iudice prouocaſti? ab eo certe qui non habet in terra ſuperiorem; nam quis maior Papa in terris? quæ celſior auctoritas? quæ ſublimior dignitas? quæ poteſtas altior, quàm Ieſu Chriſti vicariatus? ab eo appellaſti Dyethere, qui tamen ægre ferres, ſi quis prouincialium tuorum à te ipſo appellaſſet, ſed quem appellaſti iudicem? quem prouocaſti tuæ cauſæ cognitorem? Futurum concilium, dicis, appellaui: & vbi eſt futurum concilium? vbi ſedet? vbi tribunal eius requiremus? Pulchra inuentio, vt impunita ſint ſcelera, vt liceat ſine metu iudicii aliena inuadere. Is iudex appellatur, qui nuſquam reperitur. In conuentu Mantuano aduerſus hanc nequitiam lex edita eſt, quæ appellanti ad futurum concilium, eam irrogat pœnam, qua rei maieſtatis, & fautores hæreticorum plectuntur. Intelligis quæ te pœna expectet Dyethere; quamuis Apoſtolicæ ſedis decreta parui exiſtimas, cui non ſatis erraſſe fuit, niſi & alios tuo errore inuoluas, quando & hos proceres, vt appellationi tuæ aſtipulentur hortaris. At vos viri prudentes, quid ſibi velit hæc appellatio, & quantum ſecum afferat veneni, plane intelligitis. Fugite hanc peſtem, nolite Dyetheri cauſa, & animas veſtras, & nationem perdere: ad gehennam omnes ædificant, qui ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientiam declinant. Et quid erit natio noſtra, ſi licet ad futurum concilium appellare? Quis epiſcopus? quis iudex ſuo ſatis officio faciet? quæ manebit obedientia? quæ ſententia executionem habebit? omnes qui appellant à Romano Præſule ad futurum concilium ſupremum tribunal eſſe fatentur, quod appellant. Sine medio igitur ad futurum concilium patebit appellationis via: ea enim eſt ſupremi tribunalis prerogatiua, vt ſine medio prouocetur. Pernicioſum eſt hoc virus, & nationi noſtræ, & Apoſtolicæ ſedi, quę profecto non meruit, vt nobis auctoribus ſuam eminentiam perdat: Ipſa mater noſtra eſt: ipſa nos Chriſto regenerauit: ipſa nos lacte fidei nutriuit, & veræ doctrinæ lumine illuſtrauit. Nolite patres, nolite fratres matrem contemnere, nolite conculcare Apoſtolicam ſedem. Et vbi requiremus gloriam noſtrã, ſi hæc perierit? Quid hoc mali eſt? Superiores cuncti contemnimus, & dum liberi omnes eſſe volumus, nemo nõ ſeruit. Decimas, & indulgentias horretis, quæ pecunias nationis exhauriunt: bono eſtote animo, nihil ab inuitis Papa requirit. Bellum aduerſus Turcas indixit; ſperauit quod oratores veſtri Mantuæ promiſerunt ratum futurum, decimas, atq; indulgentias eorum conſilio decreuit, ex quibus pecunię ad bellum neceſſariæ cogerentur: ſi non placet religioni opem afferre, liberi eſtis: conſulite in medium tam vobis vicini, quàm Italis. Turcæ ſunt, communi periculo res agitur: nolite arbitrari ab inuitis auxilia Pium expectare. Ego & collega meus fidem facimus nationem Germanicam, niſi ſponte ſua voluerit, nihil collaturam, cuius rei ſi opus fuerit decretum dabimus. Vos pro veſtra circumſpectione Chriſtianæ religionis ſtatum, & inualeſcentem Turcarum potentiam, & pericula, quæ noſtris capitibus imminent, & quibus modis inſtanti ruinæ ſit occurrendũ, iudicabitis. Hæc Rodulphum in conuentu Maguntino peroraſſe nonnulli affirmauerunt: pleri que quamuis egregie locutum, pauciora tamen, & minus libere dixiſſe tradiderunt: conſtat conuentum eius oratione perſuaſum, nihil eorum feciſſe, quæ Dyetherus efflagitauerit, Gregoriumque inde confuſum abiiſſe, ac teſtes, qui pro Dyethero producti fuerant, aduerſus eum depoſuiſſe.

Conuentu diſſoluto, fractus animo Dyetherus, Apoſtolicis nunciis ad ſe vocatis, multa de rebus geſtis locutus, futurum ſe deinceps alium virum promiſit; appellationi renunciaturum, ac Pio dum viueret pariturum, ſi ſperaret ſe veniam, & gratiam inuenturum. Illi de venia nihil dubitandum eſſe dixere, gratiam non ſe intelligere qualem vellet: cum declaraſſet annatam ſibi remitti ſuum deſiderium eſſe, quia paupertate premeretur, neq; affirmauere ſperandã gratiam, neq; negauere facturos ſe de re ipſa Pontifici verbũ: verum difficile eſſe Apoſtolicæ cameræ iura dimitti ab eo Pontifice, qui multis eſſet grauatus oneribus: appellationem ſi reuocauerit ſuæ rei conſulturum. Victus bis Dyetherus, accerſito tabellione, & paucis teſtibus appellationi, quam publice interpoſuerat, occulte renunciauit, vt quę non tã appellaſſe, quã & ap-

Dyetheri pertinacia, & flagitia, eiuſque depoſitio, & Adolphi electio, eorumq; cõtentiones.

pellationem reuocaſſe pudebat. Idem fecerat paucis diebus ante Federicus Rhenenſis Palatii comes, cum Rodulpho inſtruente appellationi, quam Dyethetus interpoſuerat, male ſe adhæſiſſe didiciſſet: ſed neuter in via permanſit, ambo ad vomitum rediere. Dyetherus diuina & humana iura contemnens, nulla excommunicationis abſolutione obtenta, diuina profanauit officia infra tempus à iure ſtatutum, epiſcopalem ordinem neglexit accipere: creditoribus nunquam ſatisfecit: iuramentum, quo ſe curiam petiturum aſtrinxerat impudenter violauit: nouas aduerſus Pontificem excitate turbas procurauit: canonicos eccleſiæ ſuæ per contumeliam eiecit: bellis crudeliſſimis ſe immiſcuit: villas, & eccleſias incendit: ſubditis grauiſſima impoſuit onera: aliis vxores abſtulit, aliis ſubſtantiam arripuit: ſacerdotia pretio vendidit: reddendi iuris nullum adhibuit ſtudium: fœda omnium rerum facies, apud Maguntinos capituli nulla reuerentia, lamentari populus, conqueri clerus, nemo ſuum præſulem laudare. Quibus Pontifici renunciatis, cum omnes ex Rhenanis partibus venientes, Dyetheri regimen accuſarent, vitamque turpiſſimam eſſe dicerent; non cenſuit Pius temeritatem, ac nequitiam hominis vlterius ferendam fore; ſi modo potentem aliquem inueniret, quem poſſet aduerſus Dyetherum erigere in eccleſia Maguntina pontificem, ne ſententiam fruſtra ferret. Miſit igitur Ioannem Flaſlandium decanum Baſilienſem vnum ex cubiculariis ſuis in Germaniam, qui facta Dyetheri inſpiceret, & an inter canonicos Maguntinos quiſpiam eſſet inquireret, qui ſe Dyethero auderet opponere, opibus, atque amicis munitus. Illi ſucceſſor datus; inuentus eſt ex antiqua & nobili domo cognomento Naſſau Adulfus, clero, & populo dilectus, & quem canonici procul dubio Dyetheto prætuliſſent, ſi libera fuiſſet electio capituli, & non in paucos facta compromiſſio, pecuniis & malis artibus patuiſſet. Septem fuere compromiſſarii, vt ante diximus, tres Adulfum, tres Dyetherum elegere, ſeptimus tribus millibus emptus ad Dyetherum acceſſit. Ex maioribus Adulfi complures eccleſiæ Maguntinæ præfuerunt, quorum memoriam mirum in modum prouinciales extollunt. Fuit & aliquando Imperium in eius familia, quæ apud Germanos illuſtris habetur, & in Adulfo doctrina, & mores generi reſpondebant. Hunc cum Ioannes conueniſſet percunctatus eſt, an animus ſibi eſſet aduerſus Dyetherum Maguntinam eccleſiam accipere. Adulfus induciis ad reſpondendum obtentis, rem ad amicos defert: conuentus difficilis erat magnorum virorum ſine ſuſpicione. Simulant igitur peregrinationem ad Aquaſgrani, quo tempore eò concurſus habetur, conueniunt inter eundum Coloniæ Agrippinæ, & diſcuſſo in vtramq; partem negocio, accipiendam Eccleſiã cenſent: Adulfo promittunt auxilia, iuramentis ſeſe obligant, ſcribuntque Pontifici, ſi litteræ prouiſionis eo modo mittantur, quo ſit cũ Ioanne conuentũ, nullum fore dubium, quin Dyetherus eiiciatur. Conſcii eius rei fuerunt Ioannes archiepiſcopus Treuerenſis cum Germanis ſuis, Georgio epiſcopo Metenſi, & Carolo marchione Badenſi, Vlricus comes Virtẽbergenſis, & Ludouicus Lanchrauius Haſſiæ, & tres canonici in capitulo Maguntino præcipui. His ſuaſoribus, atq; impulſoribus, & Adulfus acceptare Maguntinã eccleſiam, & Pius Pontifex illi cõmittere perſuaſus eſt. Ioannes rebus ita conſtitutis, ad Pontificẽ rediit, cum Tybur petere ſtatuiſſet, atq; illuc eũ ſecutus, quæ inuenerat expoſuit. Quinq; cardinales aderant: Rothomagenſis, Zamorrẽſis, Spoletanus, S. Suſannæ, & Vicecancellarius. His Pontifex accerſitis, Dyetheri ſcelera, & cõtumaciã proponit, & quid in tãta rebellione ſit agendũ percunctatur, ſecreto ſub pœnę excõmunicationis indicto. Cenſent omnes deponẽdum, cuius tantaq; crimina referrẽtur, nec opus eſſe tela iudicii aduerſus Dyetherũ, qui publice ad futurum concilium appellaſſet, peieraſſetque nec ſtatuto tempore ſacris pontificialibus fuiſſet initiatus: manifeſta crimina non egere ordinario proceſſu. Adulfum & ſua virtute, & progenitorum claritate Maguntinam mereri eccleſiam. Deponitur è veſtigio Dyetherus, Adulfus in eius locum ſufficitur, liberantur vaſalli à iuramento præſtito, iubenturque nouo electo iuſiurandum fidelitatis exhibere. Fiũt litteræ, ac Ioanni cubiculario ſummo ſilentio in Germaniã perferẽdæ traduntur, qui tanquam aliud acturus Baſileam proficiſcitur, ac deinde per Rhenum ad conſtitutam diem Maguntiam nauigat. Adſunt coniurati, & cum eis Ludouicus comes Feldenſis ex Baioariæ ducibus, conuocatur capitulum, conueniunt frequentes canonici, &

cum

cum his Dyctherus adeſt. Ibi Adulſus litteras Apoſtolicas in manu tenēs, archiepiſcopum Maguntinum ſeſe conſtitutum a Romano Pontifice declarat, Dyetherumque depoſitum, iubetq; litteras legi, ac ſibi poſſeſſionē Eccleſię tradi. Dyetherus rei nouitate attonitus, aliquandiu quid agat incertus: tandē appellare ſe, inquit, à Pontifice nō bene inſtructo ad eundem bene inſtruendū. Canonicis parere ſe cupientiſſimis animis Pio Pontifici dicunt; Adulſumq; complexantes in epiſcopali ſolio collocant, eiq; obedientiam præſtant. Exultat vniuerſa ciuitas, clerici alter alterum inuitant, eamq; diem eſſe fatentur, qua tandem ſæuæ tyrannidis excuſſerint iugum. Dyetherus poſtquam ſibi capitulum, & vniuerſum aduerſari clerum animaduertit, cum paucis clam vrbē egreditur, & ad munitiſſima quæ ſibi parebant oppida confugit. Quod ſi Adulſus, quemadmodū facultas fuit, eum intercepiſſet, & ſe ipſum, & Maguntinā eccleſiā, atque omnes circumiacentes regiones, ingentibus (quæ poſtea ſecutæ ſunt) calamitatibus liberaſſet. Non prouidēt omnes omnia, & ipſa ſæpe felicitas hebetat intellectū, Adulſum nimia confidentia decepit, qui tanquā cum capite membra omnia ſuæ recepiſſet eccleſiæ, contempſit aduerſarium: ſecutum eſt deinde bellū, in quo cum ſuperior eſſet Adulſus, & in dies ſecundioribus ſucceſſibus vteretur, Dyetherus per amicos agere de concordia cœpit, ceſſurumq; Adulſo polliceri, ſi ſibi caſtella quędam dum viueret, relinquerentur poſſidenda, ex quibus honeſte ſubſtentari poſſet. Conuenerant vtriuſq; legati non procul à Maguntia, formulamq; pacis ediderant, quam partes acceptauerunt, & Dyethetus quidē ſubſcripſerat, & iureiurando firmauerat. In ea cautum erat archiepiſcopatus honorē apud Adulſum remanere, Dyethero redditus aliquos cedere, & oppida quędam in quibus ageret æuum. Senſit ea Palatinus, neque pacem eccleſię Maguntinæ è re ſua fore putauit, cū Adulſus marchioni Badenſi, & comiti Virtembergenſi ſuis inimicis eſt amicus. Miſſis igitur nunciis ad Dyetherum, ſtulte illum agere dixit, qui nobilē eccleſiam, & primā inter Germanos eccleſiaſticam dignitatem ſponte dimitteret, degeneris eſſe animi, honores refugere, Iſemburgenſem familiam, de qua nātus eſſet, ſua culpa perpetuo futuram infamem, quæ alioquin inter Germanos, & nobilis, & torneamento digna cenſeretur. Caueret ne tantam ſuo generi notam inureret: ſi hoſtis per ſe ferre nequiret impetum, nollet idcirco ignominioſam amplecti pacem, futurum ſe auxilio, neq; paſſurum Adulſi partes victoria potiri: percuteret fœdus ſecum, conditiones æquas inuenturum, ſuperaturumq; proculdubio tandē Adulſum. Annuit Dyetherus contempta iuriſiurādi religione. Quis enim ſemel periurus iuramento tenetur, & non iterum atq; iterum peierat? Conuenere ſimul ambo, Palatinus Dyethero validum promiſit exercitū; Dyetherus ei caſtella quædam munitiſſima, & magni cenſus, pro quibus armis antea decertauerant illico tradidit, quæ ſupra ducenta millia æſtimauerunt. Duæ res Palatinū traxere, auaritia ſcilicet, & inimicitia Badenſium, quibus incommodū afferre cupiebat. Tum vero ambitioni ſuæ morē gerere videbatur, ſi Maguntinam eccleſiam, cum qua ſæpe contenderat, ferro, & igne dilaniatam cerneret.

Libet pauca de Palatino referre, quādo eius mentio incidit. Pater eius Ludouicus princeps elector fuit, & in Baioarica familia primus apud Theutones, conſilio & opibus pollens, in cuius cuſtodia Ioannes vigeſimus tertius Romanus Pontifex, cum in Conſtantienſi concilio fuiſſet depoſitus, aliquandiu manſit, ab eo ad ſucceſſorem Martinum quintū poſtea tranſmiſſus. Huic tres filii fuere: Ludouicus, Federicus, & Robertus: Ludouico, qui primogenitus erat, electoratus ceſſit, & omnis hæreditas, quæ ad comitatum palatii Rhenenſis pertinet, Federico non magna dominii portio, Tertius Eccleſiæ traditus eſt, Herbipolenſem præpoſituram ſortitus. Ludouicus ex domo Sabaudiæ duxit vxorē Margaritam, quæ prius Loyſio regi Siciliæ nupſerat, & illo defuncto ad patrem vidua redierat, iam natu grandis, nec viro iunior ad ſecundas nuptias migrauit, ex quibus natus eſt Philippus, quo paruulo pater deceſſit, & matre ad tertias nuptias tranſeunte in familia Virtembergenſi, accepto viro, tutela eius ad Federicum delata, qui ex tutore pater voluit fieri impuberem, atque adhuc vix verba formare valentem pupillum ſibi filium arrogauit; prouincialibus non tam conſentientibus, quàm diſſentire timentibus, & vt pupilli tutelam vtiliter gerere videretur, iureiurando ſe aſtrinxit vxorem nunquam ducere: ſic non patris modo naturalis, ſed

De Friderico comite Palatino, eiuſque progenie, & bello atroci inter Maguntinos.

adoptiui quoque habiturum hæreditatem. Ad virilem ætatem prouectum interea, ſe qui annos ſupra triginta natus eſſet, & prouinciam gubernaturū, & electoratus officio ſatisfacturum: non ſtabat iuris auctoritate quod geſtum erat, Imperatoris non accedente decreto. Rogatus eſt Imperator arrogationem confirmare; reiectæ ſunt preces tanquam indignæ; Federicus tamen nihilominus pro electore ſe geſſit, nec ceteri electores eum recuſauere. Fuerūt qui dicerent, Nicolaum Pontificem quintum adoptioni robur adiicere non abnuiſſe. Nobis ea res incognita eſt, quāuis Federici ambitionē plane cognouimus, cuius temeritas an auaritia maior ſit, difficile iudicaueris. Turpe fuit nepotem ac pupillum ſuo regno ſpoliare: turpius vt ampliores obtineret opes celibem vitam promittere. Forſitan dicet aliquis continentem fuiſſe, ac libidinis expertē; immo vero aliena coniugia inuaſit, virginibus vim intulit, & inter ſcorta verſatus, turpiſſimam egit vitam: in nulla re præterquam in armis gloriam nactus, in quibus & aliquando temeritas viri fortis præbuit opinionem. Hunc cum belli ſociū Dyetherus accepiſſet, æquatæ ſunt propemodū hinc atque inde vires: tum villæ incenſæ, vaſtati agri, oppida diruta, certamina adeo multa cruenta, & crudelia peracta, cædes paſſim perpetratæ, multæ captiuitates, raptæ virgines ac nuptæ, nulli ætati venia data, non eccleſiis parſum, non monaſteriis; diuina & humana vtrobique fœdata. Dyetheri pater cum ſæpe filium admonuiſſet, ne Romanam Eccleſiam contemneret, ne Maguntinam laceraret, poſtquam ſe fruſtra conari animaduertit, ſubito dolore correptus interiit. Vir nobilis, & qui apud Maguntinos archiepiſcopos in conſilio primum tenuiſſet locum.

Cauſa belli Gallici, & Anglici.

Hæc dum Germanos inter aguntur, apud Francos rex Carolus fato fungitur, cui omnes Galliæ paruere, quibus hodie Franciæ nomen eſt. Scripturi pleraq; digna memoratu, quæ ſub hoc rege contigerunt paulo ſupra ætatem noſtram, ordiemur; ſic enim clarior fiet hiſtoria. Nortmannia prouincia eſt Galliæ ad Oceanum pertingens, hinc Morinis, quos noſtra ætas Piccardos appellat, inde Venetis iuncta, quos Britones vocant. Nortmanni id eſt Boreales homines ab vltimo Septentrione per Oceanū nauigantes, flumen ingreſſi Lygerim, circumiacentem regionem occupauere, eique de ſuo nomine vocabulum indidere. Hanc reges Angliæ per ſucceſſionē ad ſe ſpectare aiebant: Franci ſuam eſſe affirmabant. Hæc belli præmium, & cauſa fuit: Pugnatū eſt ſæpe variante victoria in agro Pictauienſi, cum totis viribus belli fortuna tentaretur, atrociſſimam, & cruentiſſimam pugnam commiſere, in qua multi proceres ceciderunt, inter quos Ioannes Bohemiæ rex, qui vel cæcus conſanguineo regi ſuppetias tulerat, confoſſus interiit. Ipſe autem rex Franciæ, item Ioannes nomine captus in Angliam ductus, nec multo poſt mœrore confectus vita exceſſit, relictis quatuor filiis, quorum ſenior Carolus eius nominis quintus regno potitus eſt. Ludouicus ſecundo genitus Andegauenſem ducatum accepit, & deinde regnum Siciliæ conſecutus, obiit in Italia. Tertius ducatum Bituricenſem obtinuit. Quartus Philippus cognomēto Audax ſine principatu remanſit: idcirco dictus Audax, quia capto patre, cedentibus reliquis, nec de prælio fugit, nec capi ſubſtinuit, ſed animo præſenti multa vi corporis, ſua ſe virtute ſaluauit. Carolus paternum bellum proſecutus magnis ſe cladibus inuoluit, cum regnum, & Hiſpani, & Anglici lacerarent; nam rex Nauarræ, ſumptis armis, portionem non paruam Galliarum inuaſerat. Sed intelligens Carolus duos ſe ſimul hoſtes, eoſdemque reges ferre non poſſe, alterum ſibi placandum ſtatuit, alterum inſequendum, pacem cum rege Nauarræ mercatus; Anglicos armis aggreſſus tota Gallia pepulit, paucis caſtellis in Nortmannia, circa fines Britanniæ, & in Aquitania Burdigala ciuitate, cum nonnullis oppidulis hoſti relictis. Victor pace potitus ad reformationē regni ſe cōuertit, caſtella, & arces, & villas magnifice exædificauit, monaſteria pulcherrima conſtruxit virorum, ac mulierū, quibus ampliſſima prædia largitus eſt. Dirutas vrbes inſtaurauit, & ad priſtinum nitorem reduxit. Creuerunt ſub eo mirum in modum regni opes, & aucta eſt maiorum gloria. Huic vita functo, filius ſuceeſſit Carolus ſextus, qui vxorem ex domo Baioaria Iſabellam duxit. Alteri filio, qui ducatum Aurelianenſem ſortitus eſt, ex filia Vicecomitum Galeatii filia, Philippi ſoror nupſit. Initio regni huius Frandenſes bellicoſi, & audaces populi Morinis contermini, & Oceani accolæ, Ludouicum comitem è regno pepulere:

lere: huic plures erant comitatus Artheſii ſcilicet, Burgundiæ, Niuerniæ Rothel, vnicamque tantũ filiam habebat tantæ poſſeſſionis hæredem: hanc Philippo Audaci deſpondet vxorem, auxilia regis aduerſus Frandenſes pactus. Rex his nuptiis lætatus, ducatum Burgundiæ patruo donat. Bipartita enim Burgundia eſt, ducatus regi Franciæ ſubeſt, comitatus imperio. Congregatur exercitus, & iunctis viribus in Frandenſes itur, qui prçliis aliquot ſuperati pacem petiere, quam cum paulo poſtea violaſſent, iterum bello pulſati ſunt, & in loco, cui Roſembecca nomen eſt, ſummis vtrinque viribus concurrere. Victor regius exercitus, ſupra triginta millia Frandenſium cecidit, atque vltra procedens, Grandauenſes ſubigere conatus eſt. Illi non tam libertatem, quàm vitam ponere parati, occurrentes in armis, pugnandi copiam fecere. Rex audaciam gentis admiratus, periculoſumq; ducens cum his manũ conſerere, qui vitã contemnerent, ſiſtere ſigna iuſſit, miſſoq; caduceatore, æquas pacis coodítiones obtulit, nec illi clementiam regis contempſere. Dies placiti apud Tornacũ ſtatuta eſt, vbi auditis controuerſiis, pax demũ reperta, quæ vſq; in hanc diem Tornacenſis appellatur. Per idem tempus noua lis cum Britonibus orta. Ii ſunt Galliarum populi, qui ex inſula Britanoi olim (vt antea relatum eſt) pulſi, eas inconrinenti terras occupauere, quas Veneti prius incoluerant, ex quibus dicta eſt ciuitas Venetenſis. Huius gentis principem regi Franciæ, tanquam Nortmanniæ duci, ſubiectum eſſe Gallici voluerunt, & homagii iure obnoxium. Id Britones negauere, ob quam rem indignatus Carolus, Frandenſi victoria tumens, Britones hoſtes regni declarat, cõgregatiſq; copiis in eos ducit, haud dubius quin gentis proreruiã compeſcat. Sed cum Cenomanos prætériſſer, & iam iam ingredi Britanniam pararer, gloriabunduſque patentibus in campis medias per acies obequitaret: Heu fallaces mortalium ſpes, & inanes hominum cogitatus, morbo, quem vocant maniam, ſubito corripitur, mutatur in alterũ hominẽ, ſtulta loquitur, & ſtultiora tentat, nec recte reſpondet interrogatus. Quod cum proceres animaduertiſſent, magno mœrore affecti, omiſſo belli conſilio, regẽ in Pariſios reducunt, vbi graueſcente in dies morbo, mens illi prorſus excidit; exiſtimabat nonnunquã ſe vitreum eſſe nec tangi patiebatur, virgas ferreas veſtimẽtis inſerebat, multiſque modis ſeſe armabat ne cadens frangeretur; habebat tamen dilucida interualla, pudebatque prioris vitæ ad ſe reuerſum, atque idcirco ſolitudinem amabat. Ferũt eum aliquando turrim altiſſimã aſcendiſſe, in cuius cacumine cum monachũ quempiam offendiſſet, interrogaſſetque quid ageret, & ille reſpondiſſet, turris altitudinem ſe mirari, iuſſiſſe vt deorſum ſaltaret; ſic enim & ſublimitatem turris metiretur, & rem memorabilem efficeret: mooachum maiora ſe facturum dixiſſe ſi iuberetur, iturum ad radicem turris, atq; inde in ſublime ſaltaturũ: Regem noluiſſe credere niſi iurato, & monachum pro ſeruanda vita ſimulaſſe ſe iurare. Multa in hunc modũ ſtulti regis acta referuntur. Proceres vbi corruptum eius cerebrum plane intellexerunt, ne regnum ſub inſano principe rueret, curatore opus eſſe cenſuerunt, ſed nõ tam pernicioſa regis dementia, quàm procerum contentio, atque ambitio fuit. Regi tres erant patrui, & moribus & ætate ad regendum idonei, erat & frater Aurelianenſiũ princeps, qui ſe præferendum, quamuis iuniorem, & inexpertum arbitrabatur. Proceres incerti quem potiſſimum eligerent, in diuerſas trahebantur ſentẽtias. Creſcebat indies de gubernatione contentio, nec lis erat de paupere regno, nec tam regis curam, quàm regias opes quærere principes videbantur. Inter loquendum cum pertinacius inſtaret Aurelianenſis: Quid tu, inquit, Philippus audax, iam ſenex ad nepotem, regem vis regere, qui te ipſum neſcis regere? Ille veluti contumelia tactus, & inſania iuuenili accenſus, Philippo colaphum incuſſit, quæ res & ſibi, & regno fuit exitium; nam quamuis Philippus, vt erat ſapiens dum vixit, nepotis ſcelus pro regni pace reliquit inultũ: Ioannes tamen eius filius paternam iniuriam impacato ferens animo, nihil Aurelianenſi pacifice loquebatur. Extabant, & aliis de cauſis ſimultates, quæ mortuo Philippo apertiſſima odia pepererunt. Acceſſerat & mulierum malignitas, & cæcus amoris furor, iuuenes ambo, & ſine parentum fræno, deliciis affluentes, in amorẽ nuptæ feminæ ceciderunt, eoque dementiæ prolapſi ſunt, vt quam virum fallere noſſent, ſibi quiſque fidam putaret, neque poſſent riualem ferre, adeoque atroces inimicitiæ hinc exarſere, vt alter alterius vitę inſidiaretur: prçoccupauit facinus Ioannes, ac ſicarium

in ſe paratum, maiori pretio conductum, aduerſus æmulum cõuertit. Sicarius, Aurelianenſem è curia, vt mos erat, cum paucis noctu domum redeuntem, mula vectum obtruncauit, ac per tenebras euaſit incognitus. Latuit aliquandiu ſcelus, ſed cũ peracto funere, proceres auctorem tantæ nequitiæ inquirerent, hærerentq; coniecturis Ioannes, in aurẽ ducis Andegauenſis patrui ſui placide inſuſurrans, in vltionẽ inquit paternæ iniuriæ meo iuſſu necatus eſt; Aurelianenſis obſtupuit ſenex, multiſque verbis nepotem increpitans, qui fratrem regis interfeciſſet, vt quamprimum abire ſuaſit, nec ſperaret tantum ſcelus inultum fore. Ille in Flandriam aufugit, quæ patris dotalis fuerat. Regni proceres, nefandam execrati cædem; Aurelianenſis interfecti filios, præcipuis honoribus extulere: Ioannem parricidii damnauerunt, & exercitibus in Burgundiam ductis, magnam prouinciæ partem depopulati ſunt.

De coruorũ, accipitrumque pugna formicarum prælia mirabilia.

Per idem tempus in agro Leodienſi, qui ſemigermanicus eſt, quamuis ſermone vtatur Gallico, eoque corrupto, Coruus in alta rupe ſibi nidum conſtruxerat, & oua poſuerat, diuque fouetat. Id conſpicatus accipiter, nactus horam, qua coruus abeſſet, confractis ouis, nidum occupat: rediens coruus, iniuriam vlciſci pergit: pugnant ambo diu; poſtremo non tam ſatiati, quàm laſſi, velut ex compoſito certamen relinquunt, & alius in Orientem, alius in Occidentem volat. Poſtridie in eadem regione accipitrum, coruorumque tot per aëra turmæ volitare viſuntur, vt cæli aſpectum tanquam nubes auferant. Implentur clangoribus vicinę valles, & magnus inſonat ęther. Nec mora, velut à peritiſſimis ducibus ordinatæ acies, prętium committunt, & ii vnguibus, illi roſtro acriter præliantur; nunc hi, nunc illi cedunt vulnera, pennas euellunt, & cadentibus plumis impletur regio. Agreſtes inuiſam antea, inauditamque rem demirantur, & ſpectaculo fluentes inſoliro, iuſſis ſtare bobus, & raſtris depoſitis, ſtupidi atque attoniti, belli exitum pro aratris manent, haud ignari, quin magni aliquid hoc miraculo portendebatur: victi tamen corui magna occaſione, relicto nido abierunt. Paulo poſt in eodem loco, crudelis pugna commiſſa eſt. Duo de pontificio Leodienſi contendebant, & quando ſciſſa erat eccleſia, hinc Gregorio duodecimo, illinc Benedicto tertiodecimo, Chriſti tunicam ad ſe trahente, nec poterat iuris ordine lis terminari, ad arma ventum eſt. Ioannes Burgundiæ dux, vni ex contendentibus adfuit, alteri Leodienſes opem tulerunt. Conuenere ambo exercitus in eum locum, ex quo pulſi fuerunt corui: pugnatum eſt, vi non minori, quàm ira: victoria Burgundis ceſſit: ex Leodienſibus duo & triginta millia cæſa: oſſa in ſacello recondita, quod eius rei memoriam continet. Capto Leodio, epiſcopatus ad victorem peruenit. Non ſumus neſcii fabuloſum videri, quod de prælio auium retulimus. Quis enim tantam illis ineſſe rationem arbitretur, vt ad certam diem locumque pugnaturæ cõueniant? Verum difficile eſt egregiis aſſertoribus fidem non adhibere; nec noſtra ex poteſtate credulitas pendet; nobis inuitis abit, reditque fides. Maius narrabimus, quod ſe vidiſſe Nicolaus cardinalis ſanctæ Cæciliæ, cuius auctoritas ſuperiori narrationi aſtipulabitur. In agro Bononienſi, cum Eugenii copiæ aduerſus rebelles oppidum caſtra tenerent: formicæ minuſculæ, ficcam, ſeu pyrum, ſeu aliam arborem inſederant, acceſſit maiuſcularum multitudo, prioreſque loco deiecit, multis mox ſuperemptis. Viderunt hæc plurimi è caſtris milites, & cum aliquandiu de prælio horum animalium locuti eſſent: Ecce formicarum minutarum infinitum agmen, truncum arboris circumuallant, & cateruatim aſcendentes non ſine diſciplina & ordine, tanquam munitionem aliquam oppugnaturæ, in hoſtes pergunt. Quibus viſis maiuſculæ ſuperne ſeſe expediunt, & loca occupant opportuniora, ne circumueniri poſſint. Aſcendunt paulatim turmæ minorum, & cominus pugnam ineunt. Maiores roſtro valentiores, modo has, modo illas trucidant, laniant, conterunt: cadit infinitus numerus, & aceruus interemptarum creſcit in horas. Verum vbi pes pedi, & roſtrum roſtro committitur, & confertiſſimæ miſcentur acies, vnamque maiuſculam decem aut viginti minuſculæ circumſtantes aggrediuntur, crebriſque laceſſunt vulneribus, neceſſario pauciores cedunt, & in fugam verſæ, vbi ad ſummum arboris verticem perueniunt, vſque ad vnam omnes necantur. Hæc non cardinalis modo, ſed omnis Eccleſiaſticus ſpectauit exercitus. Auditor pro ſuo arbitrio de his iudicium faciet: nos apud auctores veri periculum relinquimus. Ioannes autem Leodienſi

dienſi victoria elatus, exercitum: (ſi vera eſt fama) centum millium pugnatorum in Pariſios duxit, atq; in campo caſtrametatus eſt, qui ex Vlmoandini nomen habuit; aduerſarios inde ad pugnam prouocans, qui cum eſſent tantis viribus impares, haud quaquam occurrere præſumpſerunt, quamuis latrociniis potius, quàm præliis Burgundum laceſſerent, ipſe campos tenens, & vndiq; inſultans, late populatus agros multiſq; direptis oppidis in modum triumphantis domum reuertit. Interceſſere deinde pax modo, modo bellum; nulla quies diuturna fuit.

De rebus Angliæ, eorumq; regum, & bellis aduerſus Gallos.

Paulo ante id tēporis Riccardus rex Angliæ reddita Frācis pace, & accepta in vxore regis filia, cum nonnulla in Nortmannis oppida reſtituiſſet, ab Henrico duce Cloceſtriæ nepote ſuo in vincula coniectus, & in carcere necatus fuerat: regnum vi vſurpatum, Henrico ceſſit, quamuis eſſent mortuo rege propinquiores conſanguinei, qui ſecundum leges præferendi videbantur. Sed quæ vox legibus inter arma? multas metus leges facit, nec parricidam audent à regno repellere, quē tuetur ferrum. Ille cum aliquandiu regnaſſet non incruentus Henricum ex ſe genitū regni ſucceſſorem reliquit. Magn⁹ hic vir fuit, animo & ingenio excellenti: qui regno Angliæ à patre per parricidium quæſito, Francorum etiam coronam adiungere curauit: cuius propoſitū, & Francia bellis feſſa, & odia procerum adiuuabant. Rupta igitur Riccardi pace, claſſe admodum magna cōparata, regem ſe Franciæ, & Angliæ vocitans, in Nortmanniam deſcendit; occupatiſq; nonnullis oppidis, & vaſtitate agrorum facta, in Piccardiam penetrauit: ſperans Burgundiæ ducem, qui ceteris Francis eſſet infenſus, in ſua caſtra venturū, atq; iunctis cum eo viribus, facile hoſtes ſuperatum iri. Continuit ſe domi Burgundus, neq; adeo ſuo ſe regi reſpondit inimicum eſſe, vt Anglicis Franciam vaſtantibus, adiungi comes poſſet, quamuis regni, & regis hoſtis declaratus eſſet. Interea Ioannes dux Aurelianenſis, eius qui fuerat interfectus filius, coactis in vnum Francorum viri⁹, exercitum ferme ſexaginta millium pugnatorum contraxit, atq; hoſti obuiā perrexit, meditantiq; fugam, & per compendia viarum in Angliam properanti, ſtulto conſilio iter præcluſit. Recte admonent, qui fugientibus hoſtibus argēteum pontem ſternendum aiunt: raro fugiendo vincitur: ſæpe aditum fugæ non patuiſſe profuit, cum deſperatio virtutem exacuit, vt eſt illud poeticum: Vna ſalus victis, nullā ſperare ſalutē. Henricus vbi ſe vndiq; clauſum animaduertit, caduceatorē ad Frācos mittit, qui omnia de Gallis occupata reſtituat, ſibi ſuiſque reditum in Angliam impetret. Quem cum Franci ſuperbia elati vacuum remiſiſſent, accerſitis ordinum ductoribus, Cōpertum, inquit, habeo, milites, in bello plurimum valere iuſtitiam, nec tam ope humana, quam Dei brachio parari victoriam: Nos cupidi gloriȩ, & opum auidi, regnum alienum per iniuriam inuaſimus. Non tulit diuina pietas iniquum propoſitum; noſque propemodum in hoſtium manus dedit: circumuenti vndique ſumus, nec victoriæ aduerſus tantum exercitum, nec ſpes fugæ relicta eſt. Illud me reficit, & ſubleuat, quod ab initio dixi, ex iuſtitia pendere victoriam, fautoremq; piæ cauſæ Deum eſſe: reſumite omnes animum, & gaudete mecum. Adeſt nobis diuina gratia, quæ iniuſtam cauſam noſtram, reddidit iuſtam: miſimus ad Francos pacem orantes: reddere ablata promiſimus, tantum nos incolumes abire ſinerent: nolunt pacem, corpora noſtra ad cædē petunt, ſanguinem noſtrum ſitiunt: maior eſt eorum arrogantia, quàm noſtra fuit: ſuperat eorum iniquitas, noſtram, ſuperbiſſime reſpōderunt. At ſuperbis reſiſtit Deus; ibi erit victoria, vbi minor eſt culpa, cras præliū expectate, quantū quiſq; animi, ac virium habet, tantum in pugna repræſentet: verum nō tam veſtris ex manibus, quàm Dei dextera ſalutem ſperate, quæ vt nobis ſecunda ſit, peccata noſtra confiteamur, humiliq; corde diuinam miſericordiam imploremus. Atq; his dictis fecit ipſe primus, quod alios hortabatur, exemplum regis multitudo ſecuta. Nec illa nocte aliud quàm de ſalute animarum in caſtris Anglorum cogitatum eſt; omnes tanquam morituri, ſequentis diei prælium expectabant. At inultum ſe caſurum nemo ſperauit. Longe alia nox, aliæ vigiliæ in Francorum caſtris fuere: læti omnes, bibere, gloriari, pernox alea in manibus eſſe, nunquam tubas, nunquam cornua ceſſare, proceres alter alterum inuitare; inter vina, & epulas captiuos Anglorum partiri, deque his, tanquam de pecunia iactis ludere talis, ac ſortiri. Cum illuxiſſet, ſtructis hinc & illinc aciebus, primi qui pugnam inciperent, nobiliores dele-

Oratio Henrici regis Anglorum ad commilitones, & conflictus Gallorum.

ĉti proceres,atq;(vt eſt in Gallis conſuetudo)dignioribus,primæ mandatæ acies, ſed non tam facile vibratur lancea,quàm talus iacitur, nec tam leui manu curſus equorum regitur,quam feminarum ducitur chorea. Indurati pluribus bellis Anglici,& aſſueta malo iuuentus,non magno negocio,delicatam Gallorum nobilitatē reiiciunt, & ruptis hoſtium ordinib. in medias turmas cōglobati feruntur: atq; obuios quoſq; proſternunt Franci vbi primos cedere animaduerterunt,neq; auxilio, neq; conſilio ſuis fuere,ſimul ſpe perdita,fugā omnes fœdam fecere. Victor Anglicus, vſq; ad noctē inſecutus hoſtē,cedendo,capiēdoq; feſſus:cum rediiſſet in caſtra,lōge plures captiuos,quàm capientes inuenit. Veritusq; nocturna pericula,ſeruatis nobilioribus,omnem plebem,&ignota capita iuſſit interfici. Hoſtile factum,& inhumanum,non tā cruentum prælium,quàm victoria fuit. In hac pugna Antonius dux Brabantiæ cecidit,& Eduardus Barenſium cum duobus fratribus,& proceres ac nobiles multi periere: duces Aurelianenſis,Borbonii,& Alenconiæ,& comites,atq; barones cōplures captiui in Angliam ducti ſunt,de quibus Henricus apud ſuos magnifice triumphauit.

Burgundorum, & Armeniacorum bella, crudelitas'q; immanissima, Capelucæ, & luporum voracitas.

Rebus Francorum in hunc modum afflictis,haud aliud remedium, qui reliqui erant regni proceres,adhiberi poſſe putauerunt,quàm militum magiſteriū, ad comitem Armeniaci deferre,eiq; belli ſummam credere. Id officii Gallici Conteſtabilē vocant:multa huic cum Burgundis leuia fuerunt prælia,in quibus non aliud nomen inuocatum eſt,quàm Burgundorum,& Armeniacorum, atq; hinc duæ factiones in Gallia emerſerunt,capitalibus odiis inter ſe decertantes. Per idem tempus Ioannes nondum regi ſuo conciliatus,cum per amicos porta ſibi quædam Parienſis promitteretur,collecto raptim milite,celeri curſu,ad vrbis mœnia proficiſcitur,& patefacta porta,cum copiis ingreditur. Non multis ante diebus rex eò ſe receperat, adducto filio infante,quem mandauerat in arce nutriri. Aurora fuit,cum Burgundi ciuitatem intrarunt,quorum audito tumultu, capta iam vrbe, nobilis quidam eques natione Brito,qui poſtea Pariſienſis præpoſitus dictus eſt,poſthabitis aliis curis, in arcem ad regis filium properauit,nudumq; lectulo eripiens,quàm celerrime per Baſtiliam,& occultas vias vltra Lygerim fluuium tranſportauit. Quam rem alii Franciæ ſalutem, alii malorum omniū quæ poſtea emerſerunt fuiſſe ſeminarium tradidere: vrbe capta rex in poteſtatē Burgundi venit,cuius erat patruelis,pro dignitate honoratus,pro dementia cuſtoditus. Armeniaci,&Grandiſprati comites,& regni cancellarius,ac Meldenſis epiſcopus,& alii multi proceres,ac ſacerdotes in carcerem coniecti ſunt,atq; illic diu macerati. Dein abſente Ioanne Armeniacorum exercitꝰ, vt dominum ſuum liberaret,per arcem ingreſſus vrbem inuaſit, ſed inerat validum Burgundi præſidium,quod populo ciuitatis adiunctum,facile Armeniacos repulit. In eo tumultu,trepidante adhuc ciuitate,lictor iudicii cognomento Capeluca, multis ex plebe concitatis,in carceres impetum fecit,perfractoque oſtio,omnes quos ſupra nominauimus crudeliter obtruncauit,nec nobilitati parcens, nec ſacerdotio, cunctorum indigna mors viſa. Armeniaci tantum comitis necē violatæ religioni imputauerunt, qui paulo ante aureum beati Ludouici feretrum è ſacrario abſtuliſſet, ac repoſuiſſet argenteum. Adiit ſequentibus diebus,& alios carceres Capeluca, & nō ſolum criminis reos,ſed pecuniæ quoq; debitores interemit. Ibat hic feroci animo,tetro vultu, terribili aſpectu per vrbem,cruentis ſtipatus ſatellitibus,& Armeniacorum ſe hoſtem dictitans,quorum principē interfecerant,quemcunq; odio habuit Armeniacum vocitās iugulauit. Occidebantur opulenti ciues quocunq; irent, nec diuitibus mulieribus parcebatur: non forum,non templum tutum erat, nulli ſua domus ſecurum refugiū ſatis præbuit;ingrediebantur furibundi ſatellites egregias ciuium ædes,& alta irrumpebāt palatia, cæſiſq; dominis,conſtuptatis matronis,ſupellectilem omnem diripiebant. Quidam viros nobiles ex altiſſimis feneſtris præcipitarunt, locatis in via ſociis, qui cadentes cuſpidibus exciperent lancearum. Erat fœda res vrbem nobilem, in qua philoſophię,& omnium bonarum artium vigerent ſtudia, latrociniis, cædibus, adulteriis,atq; omni turpitudini patentem cernere. Nec miſerius quicquam illa ciuitate fuit,quæ vnius tortoris expoſita libidini,nihil ſanctum habuit, nihil tutū; cruore & turpitudine omnia plena viſebantur,nulla ſine luctu domus, nuſquam lætitia: pauor & tremor cuncta poſſidebat. Ea cum accepiſſet Ioannes, miſertus ciuitatis de ſe beneme-

benemerentis, eò rediit. Intrantivrbem Capeluca, tanquã vnus ex procerib. lateri comes adhęsit, atq; vſq; in regiam inter primos adequitauit. Interrogatus dux, cur tantum honoris ſcelerato impenderet homini: reſpondit ſe nobilem virum putauiſſe, qui multis ſtipatus comitibus occurriſſet. At vbi certior factus eſt Capelucam eſſe, qui tot præſtantes viros interfeciſſet, atq; vrbem nefando cruore fœdaſſet, nihil moratus hominem capi, & ad ſupplicium rapi iuſſit. Qui cum duceretur ad mortem, quamquam ſe vrbis liberatorem aſſereret, & auxilium plebis imploraret, nullũ reperit adiutorem; deditq; ſuorum flagitiorum meritam pœnam. Non tamen hoc modo pacata ciuitas eſt. Reſtabant ſupra decem millia latronum ex plebe fœderatorum, qui prædę cupiditate, & ſcelerum impunitate allecti, Capelucæ fuerant comites, potens & timenda multitudo, quæ nec rapinis abſtinere, nec eiici, aut capi facile poterat. Vſus vaframẽto Ioannes Armeniacorum manum in propinquum vrbi caſtellum aduentaſſe dicit, ſeq; illos obſidere velle: parat copias, & ordinato exercitu, iter arripiens, priores ire Capelucæ ſatellites iubet, qui nihil fraudis ſuſpicantes, læti vrbem egrediuntur. Ioannes retro portas claudi iubet, nec redeuntes admitti ſinit. Illi vbi deluſos ſe vident ignari quid agant, ſine duce, ſine pecunia, ſine conſilio, alii huc, alii illuc diſcurrunt; multi ab hoſtibus capti, atq; occiſi ſunt: plures inedia perierunt, qui per nemora latitantes, etiam beſtiarum eſca fuerunt; atq; in hunc modum ciuitas liberata eſt. Sed quæ peſtem hominum euaſerat, ferarum rabie vexari cæpit. Lupi qui latronum cadauera in ſiluis deuoraſſent, vias publicas turmatim obſidere, & ad portas vſq; ciuitatis venientes humana rapere corpora, nec tutum iter cuiquam, niſi armato, & plurib. ſtipato ſociis patere omnes viarum aditus, & omnes per circuitum agros à lupis obtineri, nulla non die eorum audiri ploratus, qui vel filios, vel conſanguineos ab immanibus feris deuoratos quererentur; fuitq; cum beſtiis non minus atrox, quàm cum viris bellum. Digna Dei vltio, vt qui cum fratribus conuenire nequiſſent, ferarum morſibus raperentur.

Henricus Anglicus his cognitis, tempus idoneum nactus, ad occupandam Franciam cũ defunctis natu maioribus regii ſanguinis iuniores atrocibus inter ſe odiis cõcertarent. Rex mente excediſſet, & plurimi in Anglia proceres capti detinerentur. Iterum claſſe parata in Normanniam deſcendit, expoſitiſq; in terra copiis, non paucacius regionis oppida occupauit. Quod intelligentes Delphini gubernatores; hic vnicus regis erat filius, quem ſupra ſeruatum ex captiuitate Pariſienſi diximus, non aliam ſaluandi regni viã inuenire poſſe putauerunt, quàm Burgundo reconciliari: ſic enim vnitis viribus potentiſſimo regi obſiſti poſſe. Per communes igitur amicos cum Ioanne agunt, vt conſtituta die ad Montetianum ſe conferat, de pace acturum: nam & Delphinus eò conuenturus ſit. Id oppidum ad confluentes Ionam, & Sequanam ſitum eſt. Proficiſcitur eò plenus fide Burgundus, nihil doli, nihil inſidiarum timens, atq; vt primum ad conſpectum Delphini venit, recognoſcens domini ſui filium, eundemq; conſanguineum, reuerentiam pro veteri amore faciens in adorantis modum ad principis genua ſeſe proſtrauit. Tum præpoſitus Pariſienſis, is qui puerum regium trans Lygerim, vt diximus, aſportauerat: Aduenisti proditor, inquit, & tua tecum aduentauit dies, ſanguinem tuum regio ſanguini reddes, & proditi regni pœnas dabis. Ego te manibus meis Aurelianenſis quem occidiſti manibus parentabo, atque accepta bipenni, magnanimum ducem Delphini pedes obſculantem interfecit. Quod ſcelus non tam triſte Francis, quàm lætum Anglicis fuit. Henricus vbi occiſum tantum principem audiuit: Hæc, inquit, Burgundi nex mea vita eſt, hoc mihi nuncium Franciæ regnum affert, & alterã capiti meo coronam imponit: miſſiſq; legatis ad Philippum vnicum Ioannis filium admodũ adoleſcentem: Doleo, inquit, patrem tuum tam crudeliter occiſum eſſe, generoſum, & fortem principem in eius ſanguine: non Gallia modo, ſed omnis Chriſtiana religio lęſa eſt. Tu ſi vir fueris, & Ioãnis filius, haudquaquam paternam mortem inultam ſines. Abunde tibi ad vindictam ſuppetunt facultates, quòd ſi tuis armis non ſatis confidis, adſunt mea. Ego tecum in tuo genitore ſum læſus: vnus enim ſanguis ſumus, tecum pariter vlciſcar, nec tu ſanguinis tui Delphinum putato: nam quo pacto rex demens, & impotens eum genuerit? Abuſa viri morbo regina hoc monſtrum ex alieno concepit, à quo tuus genitor obtruncatus eſt. Placuere Philippo Anglici mandata, nec mora fędus cum eo percuſſit, pace cũ fatuo

Anglorum, Gallorumque bellum, & cædes Burgundi ducis, filiique fœdus cum Anglis.

rege his legibus compoſita. Filiam eius Catherinā ante dementiam natam Henricus vxorem ducat, regnumq; viuo rege guberner, mortuo, Franciæ coronam ferat, Delphinus tanquam ex adulterio genitus, & perduellis, exhæres eſto. Ab eo tempore Anglicus, qui ſe iampridem Franciæ, atq; Angliæ regem nominauerat, mutato titulo, pro rege Franciæ regni gubernator, & hæres appellatus eſt, cui non ſolum Pariſii, ac Burgundi, & Nortmanni, ſed omnes ferme citra Lygerim habitantes paruere, & in Aquitania, Burdegalia cum pluribus oppidis, eius imperium ſecuta eſt. Quibus peractis profluuio ventris, vt aiunt, extinctus, in occidentali monaſterio apud Lundonias cū patribus ſuis conditus eſt. Vir certe clarus, & inter reges ſui temporis facile princeps. Anglia ei obſequentiſſima fuit, Scotiæ regem captiuum habuit, Francos multis, magniſq; prælijs fudit, eorumq; regem in gubernationē accepit. Subiectis populis ius incorruptum dixit: plumeos lectos Anglicis interdixit. Ferunt animum ei fuiſſe, ſi regnū Franciç totum obtinuiſſet, vini vſum auferre, omneſq; vineas aratro vertere, nihil tā eneruare hominū vires quàm plumas, & vina potanti. Poſt eius obitum Carolus quoq; Franciæ rex, intra ſemeſtre tēpus moritur. Henrico ex filia Caroli natus filius: item Henricus nomine hæres fuit, quē Anglici ſui regni diademate in vrbe Lundonia tum honeſtatum, in Franciā duxere, & apud Pariſios ſeptem annos natum coronauere. Secuti ſunt eum qui patri paruerant; acceſſerunt, & noui, aut armis edomiti, aut metu tracti; gubernationem regis patruus geſſit. Cloceſtriæ dux manu promptus, & conſilio validus, qui prioris belli reliquias inſectatus, non paucis cladibus Gallos afflixit. Ferunt qui boni rerum exiſtimatores habentur, in his Galliæ tumultibus, plus quàm ducenta hominum millia, ferro, ac fame periiſſe. Obſeſſum eſt ab Anglicis per hoc tempus Aurelianum, quamuis eius vrbis princeps captiuus in Anglia degeret. Id viri nobiles deteſtati ſunt, tanquam degeneris animi ſit eius viri arces oppugnari, cuius corpus in poteſtate habeas. Aurelianenſis poſtquam ſuos ciues obſidione premi cognouit, vt ſe Burgundo traderent ad eos ſcripſit: cupientibus obtemperare, prohibitus ab Anglico non annuit Burgundus, atque hinc origo diſſenſionis inter Philippum, & Anglicos ducta eſt. Acceſſit quòd altera Philippi ſoror duci Cloceſtriæ nupta, dum hæc agerentur, non ſine opinione ſumpti veneni mortē obiit. Creſcebant indies hinc atq; hinc ſimultates, non tamen in animum Burgundi cadere potuit, vt ad eos reuerteretur, qui patrē occiderant; nocebat minus ſolito Frācis, & ſua cuſtodiens temperabat ab armis.

Ioanna puellæ geſta miraculoſa, & ſupra fidem aduerſus Anglos.

Interea deſperatis pene Francorum reb9, puella ſexdecim annos nata nomine Ioanna, pauperis agricolę filia, in agro Tullenſi cum porcos cuſtodiret, diuino afflata ſpiritu, ſicut res eius geſtæ demōſtrant, relicto grege, ac parētibus poſthabitis, ad prçfectum proximi oppidi, quod ſolū eius regionis in fide Francorū remanſerat ſeſe cōfert, ductoreſq; petit, qui ſibi ad Delphinum iter demonſtrent. Quærit præfectus itineris cauſam: habere ſe inquit diuina mandata, quæ ad illum perferat, ſibi, & regno ſalutaria. Ridet præfectus, amentemq; putans ſpernit. Inſtantem multis pertētat modis; fit mora plurium dierum, ſi forte mutaret puella propoſitum, aut in ea aliquid reperiretur indignum. At vbi conſtans, & immutabilis, nulliuſq; conſcia turpitudinis inuenta eſt. Quid ſcio, inquit præfectus, an hæc Dei voluntas ſit? ſæpe regnum Frāciæ diuina ſeruauere præſidia: forſitan & noſtris diebus aliquid in cælo, pro noſtra ſalute ordinatum eſt, quod per feminam pateſiat; ſelectiſque tribus ſpectatæ fidei ſeruis, puellam ducendam ad Delphinum commendat. Decem ferme dierum iter faciendum erat, & agros medios, aut hoſtis tenebat, aut amicus hoſti. Trāſiit cunctas difficultates inoffenſa virgo, veſtibus induta virilibus, Delphinumq; apud Bituriges morantē adiit, qui fractus animo tot cladibus acceptis, non iam de regno tuendo, ſed de loco quærendo, vbi ſecuram vitam ſecurus agere poſſet, anxius erat. In Hiſpania regis Caſtellæ, ac Legionis ea ætate florentes opes habebantur, qui cum Delphino & conſanguinitatis, & amicitiæ vinculo iungebatur: hunc rogare ſtatuerat, vt regni Franciæ curam, & coronam ſuſcipiens, angulum ſibi aliquem terrę concederet, in quo tuto latitaret. Talia meditantem virgo conuenit, & reſtitutis præfecti litteris audiri petiit. Delphinus rei nouitate permotus, diluſionemq; veritus, Caſtrenſi epiſcopo confeſſori ſuo inter theologos apprime docto, puellam examinandam cōmittit,

nobili-

nobilibuſq; matronis ſeruandam tradit. Interrogata de fide, ea reſpondit, quæ Chriſtianæ religioni conueniunt: examinata de moribus, pudica, & honeſtiſſima reperitur: fit pluribus diebus examen, nihil in ea fictum, nihil doloſum, nihil arte maligna excogitatum inuenitur, in habitu ſola difficultas manet: Rogata cur veſtes viriles mulieri prohibitas induiſſet, virginem ſeſe ait, virgini vtrunq; habitum conuenire, ſibi à Deo mandatum eſſe veſtibus, vt virilibus vteretur, cui & arma eſſent tractanda virilia. Sic probata rurſus in conſpectu Delphini reddita: Ego ad te, inquit, veni regũ ſanguis Dei iuſſu nõ meo conſilio: Is mandat vt me ſequaris, ſi parueris reſtituã tibi tuum ſolium, Remiſq; propediẽ tuo capiti coronam imponã. Delphinus rem difficillimã, quę promitteretur ait: Remorũ ciuitatem, in qua reges coronari ſolerẽt, remotiſſimã eſſe, & ab hoſtib. obtineri, nec vſquam iter patere tutum; Aurelianum, quæ media ciuitas eſſet, ab Anglicis obſideri, nec vires Francos habere, quib⁹ miſeris obſeſſis ſubueniretur, multo minus coronationi nauare operã poſſe. Nihil his mota virgo: Non vana, inquit, promitto, ſi Deo credis, & mihi crede: eius nuncia veni, arma tibi miniſtrabo diuinitus, & inuiſibili ferro aperiam iter, parebunt quocunq; ieris populi, & vltra tua ſigna ſequentur nobiles. Nec tu mihi obſidionem Aurelianenſem obieceris, hanc ego ante omnia diſſoluam, & ciuitatem liberam dabo, tantum mihi hos equites qui te penes adſunt cõcedito. Res aliquandiu in conſilio diuerſis ſentẽtiis agitata eſt, alii captam mente puellam, alii dæmonio illuſam, alii Spiritu ſancto plenam putabant, & ii Bettuliam, atq; alias olim ciuitates per feminas fuiſſe ſaluatas referebant: regnumq; Francię ſæpe diuinitus adiutum, nunc quoq; per virginem, quam Deus mitteret, poſſe defendi, idq; fragili commiſſum ſexui, ne Franci ſuo more ſuperbientes in ſua virtute confidant, nec veſanam puellam quoquomodo putandum, cuius conſilia ſenſu plena eſſent: vicit hæc ſententia, & Aurelianenſem prouinciam puellę crediderũt. Dux femina belli facta eſt: allata ſunt arma: adducti equi: puella ferociorem aſcendit, & ardens in armis, haſtam vibrans ſaltare, currere, atq; in gyrum ſe vertere, haud aliter coegit equum, quàm de Camilla fabulæ tradunt. Quod cũ proceres aduertiſſent, nemo inuentus eſt, qui ducatum feminæ contempſerit. Nobiliſſimus quiſq; aſſumptis armis percupide ſectatus eſt virginem, quæ paratis omnibus itineri ſe commiſit. Difficillimus per terram ad Aurelianum patebat aditus. Itinera quęque prę̨cluſerat Anglicus, tribuſq; vrbis portis, trina obiecerat caſtra, eaq; foſſa, & vallo munierat. Puella haud ignara Lygerim fluuiũ propter mœnia ciuitatis decurrere, naues occulto in loco frumento onerat, atq; cum copiis ingreditur, & obſeſſis de ſua profectione cõmonitis, veloci remigio, & rapidi fluminis vſa curſu, prius in cõſpectu ciuitatis eſt viſa, quàm hoſtes venturam cognouerint. Accurrerunt armati Anglici, conſcenſiſq; nauiculis, fruſtra ingreſſum virginis remorari conati ſunt, multiſq; acceptis vulneribus, terga dederunt. Illa vrbem ingreſſa, ac ſumma ciuium alacritate ſuſcepta, commeatum omnis generis, iam fame pereuntibus importauit. Nec morata ſequenti luce caſtra hoſtium, quæ portã præcipuam obſidebant, magno furore inuadit, repletiſq; foſſis, atq; aggere, ac vallo diſiecto, Anglos perturbat, ac potita munitionibus, turres, & propugnacula quæ hoſtes parauerant incẽdit. Idemq; confirmatis oppidanorum animis, per alias portas egreſſa in aliis caſtris efficit. Cum diuiſi Anglici plurib. in locis eſſent, nec caſtra caſtris ſubuenire poſſẽt, per hunc modum ſoluta & penitus deleta eſt Aurelianenſis obſidio, cæſiſq; hoſtibus quicumq; ad eã cõuenerant, vt vix cladis nuncius extiterit. Nec huius rei gloria alteri quàm puellę dari, quamuis ſtrenuiſſimi, ac peritiſſimi bellatores, & qui ſæpe ordines duxerant interfuere. Tantam ſuorum cladem, atq; ignominiam iniquo animo Talbotes tulit inter Anglicos duces fama clariſſimus; qui aſſumptis quattuor millib. equitum ex omnibus copiis delectorum, in Aurelianum duxit, congreſſurus puellæ, ſi auſa eſſet occurrere, haud dubius quin portas exeuntem, vel caperet, vel occideret; ſed longe aliter euenit. Eductis virgo cohortibus, vt primum hoſtem conſpicata eſt, ſublato ingẽti clamore, atq; impetu horribili facto, Anglicorũ ſigna peruadit, inter quos nemo inuentus eſt, qui conſiſtere, aut vultum oſtendere auderet. Subitus omnes metus, atque horror inceſſit; qui & ſi numero ſuperiores eſſent, pauciores tamen ſeſe fore arbitrabãtur; & innumerabiles copias puellæ militare putabãt. Nec defuere qui pugnare

Angelos in parte aduerſa exiſtimarent, nullamq; ſibi victoriam promitterent, contra Deum prælhantibus. Cecidere de manibus nudi enſes, ſcuta, & galeas quiſque proiecit, leuiorem vt ſe fugæ committeret. Talbotis nec hortamenta audita ſunt, nec minæ penſitatæ: facta eſt fœdiſſima fuga, virgini ſolum oſtenſa terga, quæ fugientes inſecuta vniuerſos, aut cepit, aut interfecit, excepto cum paucis duce; qui poſtquam ſuos de fuga irreuocabiles vidit, velocibus equis impetum hoſtis euaſit. Harum rerum fama ad vicinas gentes, & deinde ad remotiores delata, ſemperque maior itinerando facta, ſtupore omnium mentes impleuit. Delphinus iam puellæ monitis credens, cuius dicta firmauerant facta, ſupplicationes Deo per omnia templa decreuit, & ad ſuſcipiendam coronam ſeſe accinxit. Nobilitas vniuerſi regni miraculoſis puellæ operibus auditis, poſtquam ſolemnia coronationis apparari didicit, incredibili cupiditate viſendi virginem, tota Gallia aſſumptis armis accurrit. Atq; intra menſem ſupra triginta equitum millia, propriis ſtipendiis militatura ad Delphinum conceſſit; qui tantas adeſſe armatorum copias magis ac magis lætatus, ex Biturigibus, apud quos plerumq; morabatur arrepto itinere; præcedente in armis, & vexillum regium geſtante puella, in Remos duxit. Media quæq; oppida in poteſtate hoſtium erant, populiq; omnes nouis adacti iuramentis, fidem ſeruare Anglico, ac Delphinum hoſtiliter accipere decreuerant. At vbi eum, puellamq; prope adeſſe cognouerunt (mirabile dictu) nemo contra armatus occurrit, nemo portas clauſit, nemo venientibus maledixit. Quocunq; ventum eſt, effuſe obuiam plebes, Delphinum tanquam dominum ſalutarunt. Certantes inter ſe quonam pacto ſuum principem maioribus honoribus afficere poſſent. Cum prope Remos ad quadraginta ferme ſtadia perueniſſet exercitus, magnopere in ciuitate trepidatum eſt. Nihil Anglico tutum videri, nutare optimates, plebis animos res nouæ allicere. Fuerunt inter Anglicos, qui ſuaderent ſacrum oleum, quo rex inungitur, aliò transferendum, ne perdita ciuitate, rite coronari hoſtis poſſet. Opinantur Gallici candidam olim columbam è cælo miſſam, beato Remigio eius vrbis antiſtiti, liquorem olei attuliſſe, quo reges inungerentur, idq; ſumma religione cuſtodiunt, neq; imminui putant, quamuis a Clodoueo vſque in hæc tempora permulti reges illo ſint vſi; negantq; verum eſſe regem, qui hoc oleo non ſit delibutus. Ob eam cauſam cum de tranſportando liquore, ſæpius Anglici conſuluiſſent; diuina voluntate præpeditum propoſitum arbitrantur. Delphinus vrbi propinquus, caduceatores miſit, qui ciuitatem tradi iubeant, coronationemq; ſuam Remenſibus annuncient. Illi primarios ciues legant, qui tempus conſultandi petant. Puella legatis nihil reſpõderi iubet, nihil morandum in tempore, quod Deus ſtatuiſſet cuncta eſſe gerenda. Paret Delphinus virgini, retentiſq; legatis, & præmiſſis ordinibus equitum celeri curſu ciuitatem petit. Mira res, & apud poſteros fide caritura: nullus vel in porta, vel in vrbe reperitur armatus, togati ciues extra mœnia occurrunt. Delphinus ſine conditionibus, ſine pactis, abſq; vlla cõtradictione patentes portas ingreditur, nemo reclamat, nemo ſignum indignationis oſtendit: diuinum opus cuncti eſſe fatentur. Franci dum portam vnam ingrediuntur, Anglici altera fugiunt. Pacifica & quieta ciuitas, ſuum dominum benigne amplectitur, & quem paulo ante velut hoſtem aſpernabatur, nunc tanquam patrem miro affectu, & ſummis honoribus excolit. Fit magnus circa Delphinum ſalutantium concurſus, maior circa puellam, quam veluti diuinum aliquod numen intuebantur. Facta ſunt hæc die ſabbato, in profeſto beatæ Mariæ Magdalenæ, & in ipſo feſto, apud monaſterium ſancti Remigii, magna populi frequentia, multis proceribus, ac prælatis circumadſtantibus. Delphinus more maiorum ſacro inunctus oleo, regni Franciæ diadema ſuſcepit acclamante multitudine Carolo regi. Id enim nomen Delphino fuit, vitam, ac victoriam. Manſit rex ea in vrbe quatriduo præter conſuetudinem. Mos enim Franciæ regibus eſt, die quæ coronationem ſequitur, templum quoddam peregrinando petere, cui ſanctus Marchon præſidet, atq; ibi ægrotos curare. Miraculum Galli vulgauerunt, morbum quendam humano in gutture naſci, qui ſolo regis tactu, & arcanis quibuſdam curetur verbis: idque poſt coronationem in hoc templo fieri. Non eſt peregrinatus ſtatuta die nouus rex. Impedimento fuere Burgundorum legati, qui ſalutatum venerant, & aliquid ad concordiam afferebant. Quibus auditis, quarta die

peregri-

peregrinatio facta eſt, in qua de curatione morborum nihil ſatis compertum habeo, quamuis Gallici omnia illa credant fieri miraculoſe. Poſt hæc puella cum nouo rege Laudunũ petit, neq; reſiſtentia reperitur: paruere omnia regi. Idem fecere quæcunq; oppida intra Pariſios, Laudunumq; iacent: populis, ac plebibus vniuerſis, ſumma cũ exultatione obuiam effuſis. Fuit & ſpes data regi Pariſiorum vrbis capiendæ: ſed cum in agros eorum duxiſſet, nec quiſquam occurreret, deceptum ſe intelligens retro abiit. Puella vero acriori animo aſſumptis quibuſdam cohortibus vſque ad portam excurrit, quæ ducit ad forum porcorum, eamque magno impetu, non ſine ſpe potiundę ciuitatis incendit, vbi dum fortius quàm cautius pugnat, intuſq; ſumma vi reſiſtitur, ſagitta in incertum miſſa vulneratur; vt primum ſauciatam ſe animaduertit, è pugna receſſit. Comites ab oppugnatione ceſſarunt, atque hic fauor puellæ minui cœpit, quę inuiolabilis antea credita vulnerari potuiſſet, neq; deinceps nomen eius tam formidabile Anglicis, aut tam venerabile Francis fuit: breui tamen curato vulnere, rurſus in caſtra venit, vbi pro veteri conſuetudine arma tractans nihil memorabile fecit. Haud procul ab vrbe rex abierat, expectans ſi forte mutatis ciuium animis reuocaretur: nihil ex opinione ſucceſſit. Dux Cloceſtriæ, qui tum Pariſiis præerat, regnumque Anglicis miniſtrabat, ſumma diligentia cauit, ne quiſpiam ciuium ad Carolum exiret. Ipſe vero copias educens, caſtra caſtris oppoſuit, quingentis circiter paſſibus ab hoſte diſtans. Spectarunt ſeſe biduo hoſtiles exercitus, & quamquam præludia quędam furtaque belli commiſerint, nunquam tamen collatis ſignis congredi præſumpſerunt. Exin pene intacti, incertumq; cuius maiori dedecore, abierunt. Anglici Pariſios reuertere, Franci Biturigas, receptis denuo in fidem quicunq; in medio erant populis, cum alio itinere rediiſſent. Puella vbi coronatum regem, & in ſua ſede ſatis tuto locatũ cognouit: quietis impatiens in hoſtes rediit, & oppida multa expugnauit armis, multa in deditionẽ accepit, nonnulla quę hoſtes obſidione premebãt: celeri ſubuentione liberauit. Poſtremo cum Anglici Compendiũ obſiderent munitiſſimũ oppidum, ac Pariſiis infenſum, cupiens obſeſſis opem ferre, eo ſe cum copiis cõfert: ſentiunt hoſtes aduentum atq; inſidias veniẽti parant. Iter ei per vineas faciendum erat, & anguſtas ſemitas, quas ingreſſam & à tergo inuadunt. Pugnatur in arcto loco magna contentione, vbi circumuenta virgo, cum explicare aciem nequiret, nec par eſſet certamen, nec fugiendi facultas daretur, deditionem facit. Ioannes Lucemburgẽſis nobili loco natus Lignei comes, qui tũ Anglicis militabat, puellã captiuã duxit, & aliquandiu in vna ex ſuis arcibus aſſeruauit. Quidam alio modo captam tradũt: Philippum ferunt Burgundiæ ducem aduerſus hoſtem profectum, qui Piccardiam populabantur, apud Auxonam fluuiũ venarioni operam dediſſe. Quare cognita puella, quæ non longe abeſſet, ſperaſſe incautum intercipere, lectiſque ſex millibus equitum in venatores irruiſſe. Philippum præcognito impetu, repente ſuos in ordine redegiſſe, aduenientemq; virginem prælio excepiſſe, in quo Ioannes eam ceperit. Philippũ captum ad ſe duci prohibuiſſe, cui indecorum videretur etiam vincendo cum femina decertaſſe: vtcunque ſit, captam in bello virginem conſtat, ac decem millibus aureis venditam Anglicis, Rothomagumq; ductam, quo in loco diligenter examinata eſt, an ſortilegiis, an dæmonio vteretur, an quicquam de religione praue ſentiret: nihil inuentũ eſt emendatione dignum, niſi virile indumentum, quo illa vtebatur. Neque hoc vltimo ſupplicio dignũ cenſuere. Retruſa eſt in carcere adiecta necis pœna, ſi amplius viriles veſtes indueret. Illa quæ arma tractare didiciſſet, & exercitio militari gauderet à cuſtodibus pertentata, qui modo ſagum militare, modo loricam, modo thoracem, & alias armaturas coram afferebant, incauta virilibus aliquando, & indumentis, ac armaturis ſe adornauit, neſciẽs quia mortem indueret. Credibile eſt viuente virgine, quãuis capta, Anglicos ſe nunquã ſatis tutos exiſtimauiſſe, qui tot præliis ab ea ſuperati fuiſſent: timuiſſe fugam ac præſtigia, atq; idcirco necis cauſam quæſiuiſſe. Iudices vbi puellam viri habitum recepiſſe cognouerunt, tanquam relapſam igni damnauerunt. Cineres eius ne honori aliquando eſſent, in Sequanã fluuiũ proiecere, ſic Ioanna obiit mirabilis, & ſtupenda virgo, quæ collapſum, ac pene diſſipatũ Francorum regnũ reſtituit, quæ tot tantaſq; clades intulit Anglicis. Quæ dux virorũ facta inter militum turmas pudicitiam ſeruauit illęſam, de qua nihil vnquam indeco-

rum auditum eſt; diuinum opus an humanum inuentum fuerit difficile affirmauerim. Nonnulli exiſtimant, cum Franciæ proceres, proſpere ſuccedentibus Anglorum rebus inter ſe diſſiderent, nec alter alterius ducatum ferre dignaretur, ab aliquo qui plus ſaperet, hoc vaframentum excogitatũ, vt virginem diuinitus miſſam aſſererent, ducatumque petenti admitterent; neque enim hominem eſſe, qui Deum ducem recuſet: atque in hunc modum rem bellicam puellæ creditam, & armorum imperium datum. Illud exploratiſſimum eſt, puellam fuiſſe, cuius ductu, Aureliani ſoluta eſt obſidio, cuius armis omnis terra ſubiecta eſt inter Bituriges, ac Pariſios, cuius conſilio Remenſes in poteſtatem recepti ſunt, & coronatio apud eos celebrata, cuius impetu Talbotes fugatus, & eius cæſus eſt exercitus, cuius audacia Pariſienſis porta cremata, cuius ſolertia, atque induſtria res Francorum in tuto repoſitæ ſunt. Digna res quæ memoriȩ mandaretur, quamuis apud poſteros, plus admirationis ſit habitura, quàm fidei. Carolus & ſi virginis obitum acerbiſſime tulit, non tamen ſibi ipſi defuit, multa per ſe, multa per duces ſuos, non ſolum aduerſus Anglos, verũ & aduerſus Burgundos prȩlia geſſit digna memoratu, quæ fortaſſe huic operi inſeremus.

Progreſſus Caroli regis, Martini Papæ mors, pax Burgundi cum Carolo.

Attrita tot calamitatibus Gallia, vaſti deſerti faciem, non regni præſeferebat: ciuitates habitatoribus vacuæ, ac dirutæ iacebant, exuſtȩ villæ, vaſtati vbiq; offendebantur agri, nuſquam paucis iter tutum, ſi quis latrones euaſit, in feras incidit. Martinus quintus Columnenſi ortus familia, Romanȩ præſidebat Eccleſiæ, qui tantarum Gallicȩ gentis afflictionũ miſertus, Nicolaum ſanctȩ Crucis cardinalem, virȩ ſanctimonia, & ingenii dexteritate clarum, in Galliam miſit, de concordia inter reges acturũ; ſed reſtabant adhuc ſeditionum non paruæ reliquiæ, quȩ pacem omnem excluſere. Interea Martinus miſſo in Germaniam legato Iuliano ſancti Angeli cardinale, qui Huſſitarũ populis à fide Chriſtiana deuiantibus bellum indiceret, ac Baſilienſi cõcilio propediem inchoando præſideret, naturȩ ſatisfecit, atque in baſilica Lateranenſi ſepultus eſt: cardinales Eugenium quartum natione Venetum ei ſuffecerunt: qui Martini legatos in ſuis prouinciis confirmauit. Cœpit deinde concilium Baſileȩ, ad quod frequentes ex omni orbe Chriſtiano epiſcopi, & regum legati conuenerunt, & Iulianus in Bohemia profligatus eò ſe cõtulit. Eugenius conuentum diſſoluere primo conatus eſt, quod vbi non ſucceſſit, rogatu principum confirmauit: Nicolaumq; ſanctæ Crucis cardinalem iam rebus infectis ex Francia reuerſum, qui cum Iuliano ſimul præſideret, illuc tranſmiſit. Exortis deinde inter concilium & ipſum grauiſſimis contentionibus, Nicolaus inde receſſit, Florentiȩque morantem Pontificem adiit, à quo ſecundo in Galliam miſſus eſt; ſi forſitan meliores regum animos inueniret. Aeneas cum eo profectus, vt ante diximus, inde in Scotiam penetrauit. Conuentus Galliarum & Angliæ principum apud Atrebates indictus eſt. Philippus Burgundiæ dux cũ coniuge & omni curia eò ſe tranſtulit. Conuenere ex Francis, Borbonii & Alenconii duces, ex Anglicis cardinalis Vintonienſis & Vrentoniæ comes, ex Baſilea Cypriorũ cardinalis aduentauit regis frater, quem propter nobilitatem proceres ad tractatum concordiȩ admiſerunt: quamuis ſecretiora, & quȩ plus ponderis habuere, ad Nicolaum ſolum deferebantur: aperte iam deſciuerant ab Eugenio Baſilienſis concilii patres, appellationes ab eo recipientes, ſacerdotia conferentes, & alia plurima facientes, quȩ ad Romanum Pontificem pertinent, & cardinalis Cyprius in Atrebato legatum de latere gerens, cuncta exercebat auctoritate concilii, quæ ſedis Apoſtolicæ fieri conſueuere. Indigna res viſa cardinali ſanctæ Crucis, qui & ſi aliis legationis ſuæ facultatibus parciſſime fuerat vſus, tunc totas laxauit habenas, ne concilii auctoritas dignitatem primæ ſedis excluderet. Suaſit hoc Thomas Sarezaneus inſignis theologus, qui poſtea, vt relatum eſt, ſummi Apoſtolatus apicem adeptus, ob memoriam magiſtri ſui Nicolaus appellari voluit, eius nomine quintus. Populi, vt apertam ſedis Apoſtolicæ auctoritatem viderunt, relicto Cyprienſi legato, omnes fere ad Nicolaum ſe conuertere: frequentes ante huius ædes turmæ aſtabant, ante illius hoſtium ſolitudo fuit. Ob quas res nihil inter ſe pacifice duo cardinales loquebantur, nec iam ſimultatibus, ſed apertis odiis diſſidebant. Ridicula res, mediatore his opus erat, & pacis arbitro, qui magnos inter reges tractaturi concordiam venerant. Productus eſt conuentus diebus pluribus, & vniuerſalis concordia multis quæ-

[illegible] cum pacis Anglico nullæ conditiones oblatę placerent. Nicolaus ſeorſum inter Philippum & Carolum de concordia egit, illumque tandem ſuo regi conciliauit, & a iureiurando, quod Anglico præſtiterat, auctoritate primæ ſedis abſoluit; ſatius eſſe arbitratus, ex duobus regnis alterum ſaluare, Francis inter ſe pacatis, quàm perſeuerantibus odiis, vtrumque perdere, certumque illi fuit Burgundo & Franco in gratiam redeunte breui Anglicos ex Gallia diſturbari poſſe, illoſq; tandem ſuo regno contentos [illegible] intra inſulam quieturos, aut certe Galliam difficillime vexaturos: nec vana cogitatio, ea enim dies fuit, quę regnum Francię Carolo reſtituit, adeoque glorioſum fecit, vt quæ ſui prædeceſſores ante annos ſupra ducentos amiſerant, ipſe primus recuperauerit, ac Gallias omnes ad priſtinam prope felicitatem reduxerit, tantum illi Nicolaus cardinalis, & Apoſtolica ſedes, placato Burgundo beneficiũ contulit. Oblitus eius rei Carolus, quamprimum in paterno ſolio ſeſe confirmatum cognouit, proculque abiit metus hoſtium, aduerſus primã ſedem ſuperbiæ cornua erexit; promulgataq; inter ſubiectos ſibi populos pragmatica ſanctione, Romani Pontificis iugum, id eſt Chriſti obedientiam, & eius vicarii reuerentiam exceſſit.

De pragmatica ſanctionis origine, & impietate: & quemadmodum ſub Pio extincta. Dicere hic conuenit, quid ſibi pragmatica ſanctio velit, & quo modo apud Gallos locum ſibi vendicauerit. Pragmaticam ſanctionem quidam reſcriptum principis eſſe dixerunt: nos melius Sanctionem de cauſis poſſumus appellare. Pragma enim Græce, Latine cauſam ſonat: apud Gallos autẽ pragmatica ſanctio, lex quædã de negotiis Eccleſiaſticis fuit, epiſcoporum conſenſu, & regis edicto firmata: eius origo ex Baſilienſi concilio in hunc modum prorupit. Inter patres, qui Baſileæ conuenerunt, & Eugenium Pontificem maximum complures viguere diſcordiæ, quæ multorum malorum in Chriſtiana religione ſeminariũ fuere, & cum ſupremam apud ſe auctoritatem eſſe pars vtraque contenderet, altera excommunicauit alteram; vixque tandẽ poſt multos annos, ſedente Nicolao quinto in vnionem reuentum eſt, & in vnis caulis, & ſub vno paſtore grex Domini conquieuit: at durante diuiſione, & ſedente concilio, cum auctoritas quæ quondam epiſcoporum conſueuit eſſe, non abbatibus tantum, ſed præpoſitis, prioribus, canonicis, ſimplicibus presbyteris, & vilibus monachis communicaretur, multa illic decreta præter bonum & æquum edita ſunt ad eneruãdam Romanæ, primæq; ſedis eminentiam, ſicut in multitudine conſueuit, quæ ſemper inimica principi popularem aſſerit libertatem. Aderant ex Gallia, Germaniaque multi inferiores gradus homines Eccleſiaſtici, qui cũ non potuiſſent culpa ſua in Romana curia creſcere, eo ſe contulerãt, atque ingentibus odiis Apoſtolicã ſedem proſequebantur. Aderant & nonnulli epiſcopi propter ſcelera ſuis eiecti ſedibus: qui duces plebis in concilio facti cõdendarum legum auctores fuere, ea ſuadentes quæ maxime grata multitudini viderentur, & Romani Pontificis poteſtatem, dignitatemque reſtringerent. Tunc de conciliis per decennia celebrandis ſtatuta lex eſt, & vniuerſali ſynodo ſubiectum eſſe Romanum Præſulem declaratum. In his quæ vel fidem cõcernerent, vel ſublationem ſchiſmatis, aut vniuerſalis Eccleſiæ reformationem: de numero, & qualitate cardinalium conſtitutio edita, ſublatæ annatæ, prohibitæ reſeruationes beneficiorum, his exceptis, quæ continẽtur in corpore iuris: electiones prælatorum, quæ magna ex parte obſoleuerant, inſtauratæ: confirmationes epiſcoporum, quæ toto ex orbe ad Romanum Præſulem deferebantur, conceſſæ; metropolitanis, & ipſorum primatibus expectatiuæ gratiæ ſublatæ, appellationes omiſſo medio reiectæ, etiam ad primam ſedem interpoſitæ. Atque in his omnibus decretum irritãs appoſitum, ſi quid aduerſus ea conari Pontificem maximũ, aut attentare cõtingeret. Ediderunt & alia multa, quæ ſpeciem quamuis præ ſe ferrent honeſtatis, plena tamẽ fuere veneno, ſi codicem illorum decretorum legeris, qui permagnus eſt, pauca inuenias, quæ non aut primæ ſedis odio, aut effrænatæ libertatis cupiditate conſtituta videantur. Ea cum accepiſſent Galliarum epiſcopi, Eccleſiam regni ſui apud Bituri[illegible] conuocauere; & inſpecto decretorum volumine, ea quæ ſunt viſa ſibi vtilia acceptauerunt, alia reiecerunt. Perpaucas conſtitutiones, vt promulgatæ fuerant, in con[illegible] admiſerunt, & alias quidem truncauerunt, alias extenderunt, tanquam legis cõdendæ auctoritas apud eos eſſet. Condiderunt ſuo ex arbitrio nouum decretorum codicem, in quo cuncta cõprehenderunt, quę vel Conſtantiæ, vel Baſileę in Apoſto-

O 2

licæ ſedis derogationem atque contemptum ſancita fuere. Nec veriti ſunt per ſe ipſos Romano Pontifici legem præſcribere, atque cancellos, vltra quos progredi nequeat ſtatuere. Erat iam ſextus ac decimus annus regni Caroli: Incarnationis vero Dominicę octauus ac trigeſimus ſupra milleſimum & quadringenteſimũ, cum prælati Galliarum nonis Iulii peractum pragmaticę ſanctionis librum, eidem Carolo approbandum obtulerunt: qui tanquam oblitus diuinę gratiæ, quam per puellam ſenſerat, & quantis ſe beneficiis cumulaſſet Apoſtolica ſedes; miſſo cardinali ſanctæ Crucis, qui Burgundos ſibi conciliauit, profanas, & iniquas cõſtitutiones approbauit, & in omni ditione ſua ſeruari mandauit, grauiſſimis pœnis aduerſus eos ſtatutis, qui contrafacerent, decretumq; ipſum regis, & conſtituta prælatorum pragmaticę ſanctionis nomẽ obtinuere. Ad quam abrogandam plures in Franciam ab Apoſtolica ſede miſſi legati, dum Eugenius, Nicolaus, Caliſtuſque vixit, nihil profecere: quarto & vigeſimo demum anno, vt poſtea dicemus, ſub Pio ſecundo deleta, & extincta eſt. Ob hãc legem prælati Galliarum, qui ſe futuros liberos arbitrabantur, in ſeruitutem maximam redacti, & quaſi laicorum mancipia facti, coacti ſunt in parlamento Franciæ de ſingulis cauſis reſpondere: beneficia vel regis, vel aliorum principum potentum nobilium arbitrio conferre, minores annis, indoctos, monſtruoſos, atque inceſtuoſos ad ſacerdotia prouehere. Si quos pro malefactis condemnaſſent, his pœnam remittere, excommunicatos abſque ſatisfactione abſoluere: nulla cenſurarum apud eos libera facultas manſit. Si quis Apoſtolicas litteras in Franciam detulit, quæ pragmaticæ ſanctioni aduerſarentur, reus extitit mortis. De cauſis epiſcopalibus, de metropoliticis eccleſiis, de matrimoniis, de hæreſi in parlamento cognouerunt, adeoq; debacchata eſt laicorum temeritas in Gallia, vt ſacratiſſimum Chriſti corpus in pompa, vt ſæpe accidit pro veneratione plebiũ, aut ad ægrotos pro viatico delatum, ſub potenti manu regia ſiſtere iuberetur. Epiſcopi, & prælati reliqui, dignique veneratu ſacerdotes, ad publicos carceres raperentur, Eccleſiaſtica prędia, bonaque omnia clericorum leuibus de cauſis, ex decreto ſęcularis iudicis arreſtata, paterent laicis, & multas in hunc modum impietates, ſacrilegia, hęreſes, & ineptias pragmatica ſanctio peperit, quæ ab ingrato rege, aut iuſſa fuerunt, aut permiſſa.

Libido Caroli, & Delphini filii geſta.

Sed iam ad ea reuertamur, quæ illi circa regnum obtigerũt. Filius ei vnicus erat ex Maria Rhenati Andegauenſis ſorore, Ludouicus acris ingenii adoleſcens, cui & Delphinatus Vienneñſis iure obuenerat, vt eſt apud reges Francię primogenituręs propter quem auunculi eius Caroli Andegauenſis ingens habebatur apud regẽ auctoritas; & conſiliũ eius ceteris pręferebatur nõ loquentı ſibi quiſpiã contradicere audebat, qui & regina ſorore & nepote regni herede, tumẽs, atq; inſoleſcens cunctis importabilis videbatur; maxime vero Alenconii, ac Borbonii ducibus, & Baſtardo Barbonienſi, qui ſimul coniurantes eiiciendi Caroli vnicã viam cenſent, ſi Delphinũ ei infenſum reddant: rex in libidinẽ pronus, nouis indies connubiis iungebatur, & relicta vxore legitima, aliena fœdare matrimonia, & virgines corrũpere nõ verebatur. Multa eiãt in palatio ſcorta regia, magno empta pretio. Carolus amicorum conciliator, non tam ſanguinis propinquitate, quàm lenociniis regis gratiã retinebat. Hũc inimici ad Ludouicum deferunt, matris iniuriam, & auunculi turpitudinẽ detegunt. Marceſcere regem inter meretrices, negligi regnum, cuncta ruere dicũt: audeat iam tandem aliquid factus adoleſcens, aut Carolũ è palatio deturbet, aut abeat ipſe à rege; ſic futurũ, vt eius deſiderio concubinę expellantur, & regina ſui thalami compos fiat. Accedebant & matris lacrymæ, quę per ſingulos dies ſe ſpretam, relictamque lamentabatur, non ignara germanum eſſe, qui ſibi pellices opponeret. Ferunt Delphinum his motum, vnam ex illis nudo inſectatum enſe occidere voluiſſe, illamq; necem haud aliter effugere quàm in regio cubiculo potuiſſe, atq; hinc primum inter patrem & filiũ manifeſtas inimicitias exarſiſſe: Ludouicum inſalutato patre ad Niuernenſes ſeceſſiſſe, regemq; raptim comparato exercitu in Alenconium duxiſſe, & expugnatis non magno negotio pleriſq; munitionibus, ducem in deditionem accepiſſe. Exin contra filium profectum, cum ciuitates Niuerniæ Delphinũ aduerſus patris imperiũ tueri nõ auderent, eum vt à ſe abiret, rogauerunt. Ille in Borbonium ſe recepit: nec diu poſt metuens Borbonũ dux regis iram, filium patri conciliauit. Quæ res Baſtardo eius fratri haud

tri haud feliciter ceſſit: qui paulo poſt captus, & in profluentem demerſus violati paterni iuris in filium pœnas dedit. Duo duces in gratiã rediere, vt ſemper aduerſus imbecilles deſęuiunt leges. Alenconius cum poſtea ad Anglicos deficere cogitaret, cõprehenſus eſt,& capitali ſententia damnatus. Verũ propter ſanguinẽ regium,ex quo prodierat,ſeruata vita vſque ad mortem regis in carcere contabuit. Quod de pellice Delphini gladio inſectata diximus, quidam poſtea geſtum tradunt cum ille à rege ſecundo diſceſſit. Interiecta deinde non longa mora Rhenatus à regno Siciliç Cathelanorũ deiectus armis, filiam ſuã Margaritã Henrico regi Angliç in matrimoniũ collocauit, permittente Carolo rege, qui eo coniugio inducias belli ſibi & regno ſalutares plurium annorũ cum Anglicis obtinuit; quibus ab hoſte ſecurus, ſuorũ tantum exercituum onere premebatur, quos nec alere poterat, nec tuto dimittere, & neceſſarium ducebat poſt tot, tantaſq; bellorum clades prouinciam tantiſper quieſcere. Profectus eſt igitur ipſe cum magna militum parte, extra regnũ in terras imperii, magnoq; metu Tullenſes, ac Metenſes affecit, neq; ab eis receſſit niſi muneribus placatus. Epiſcopo vero Metenſi Spinale, inſigne oppidũ aduerſus iura religionis eripuit: cum alia copiarum parte, in qua ſupra triginta equitum millia fuiſſe traduntur, Delphinum in Helſatiam miſit. Hanc prouinciam priſci Heluetiam vocauere, inter Iuram montem, & amnem Rhenum iacentem: In altioribus tamen partibus ad alpes Italiæ protenditur, & à Rheno lacum Lemannum, Rhodanumque procurrit. Olim Gallica regio fuit, & ſitu, & lingua, nunc demptis paucis, quos Sabaudienſes appellant, & ad Rhodanum vergunt, & lingua, & moribus Germanica eſt: qui montana eius incolunt loca, Eluetii olim, nunc Suizzari appellantur, feroces vt ante diximus populi: inter hos & Helſatię ciuitates Auſtrialici iuris, mortale vigebat odium, & bellũ ardebat atrox. Baſilea ex qua nondum concilii nomen exceſſerat, cum Suizzaris arma iunxerat: aduerſus quam rogatus ab Auſtrialibus Delphinus exercitum duxit, ingentemq; illi vrbi, & patribus in ea congregatis metum incuſſit. Suizzari ex fœdere ſociç ciuitati quatuor millia militum lectiſſimæ iuuentutis auxilio miſere, quos cum Delphinus appropinquare animaduertiſſet, medium inter Baſileam & Suizzaros cum equitatu ſeſe oppoſuit, pugnęq; copiam fecit: nec illi detrectauere certamen, quãuis loco campeſtri, & late patẽti aduerſus numeroſa equitũ agmina pedites pugnaturi eſſent: procurrit Suizzarorũ acies prior, atque hoſtium tela, & ipſas equitũ haſtas rapido impulſas curſu, clypeorum obiecta teſtudine reiecit, nec paruam Gallorum edidit ſtragem. Pugnatum eſt ſummis vtrinque viribus: ad extremum, cum non à fronte ſolum, ſed à tergo, & à lateribus circumuenti Suizzari premerentur, nec cataphractos equos perfodere poſſent, aut eorũ vim ſubſtinere: nõ tam victi quàm vincendo feſſi nimis audacis præſumpti facinoris, pœnas dedere: nam paucis fuga dilapſis, obtruncati omnes in campo iacuere; rarus tamen inultus interiit. Plures reperti ſunt, qui lanceis transfoſſi, ad obtruncandum hoſtem per ipſas haſtas vindictam accepti vulneris petiere. Delphino nõ tam iucunda, quàm neceſſaria ea victoria fuit, tanto empta cruore, nec Baſilienſes amplius infeſtandos cenſuit, quorum expugnatio difficilis videbatur. In Argentinenſes duxit, & late populatus agros, diuitem abegit prædam. Verum excepta Suizzarorum clade, quæ vires illorum valde attriuit, non tam illis grauis moleſtuſq; fuit, aduerſus quos rogatus intulit arma, quàm ipſis rogantibus iniurius, & pernicioſus: quorum non opes ſolum, ſed liberi, atque vxores præda fuerunt. Reuerſus ad patrem, aduerſus Armeniaci comitẽ duxit eius filium, quem ſupra diximus in carcere necatum, quia ſentire cum Anglicis videretur, & ſororem apud illos nuptui tradere cogitaret; cepit eum Delphinus ex improuiſo cõgreſſus, & captum duxit ad patrem; cui cum ſe purgaſſet, in auito ſolio reſtitutus eſt.

Circa idem tempus Franciſcus quidam non ignobilis eques genere Aragonenſis, notus in armis, & Anglo militans, capto per furtũ oppido Foſorſi, quod in Nortmannia ſitum, in poteſtate ducis Britanniæ fuit, duorum potentiſſimorum regum Franciæ, atque Angliæ interrupiſſe pacem viſus eſt. De qua re dum inter ipſos vltro citroque miſſis legationibus contenditur, Flochettus non paucis equitibus à rege Franciç profectus, quadrigas oneratas fœno in quo milites armati laterent, per pontem quo Sequana fluuius iungitur, & Francis præbet in Nortmanniam iter, edoctos agreſtes

Anglorum infelix bellum aduerſus Francos, & Talboti virtus atq; mors.

ducere iubet; atque in medio pontis ad portam arcis, quæ pro cuſtodia loci illic erat erecta ſiſtere: ipſe in inſidus cum cohortibus ſignũ expectat, quo recepto, cum milites è fœno dilapſi portam perfregiſſent, trucidatiſque cuſtodibus locum inuaſiſſent, repente aduolans, & pontem & arcem in poteſtatem recepit. Qua re cognita nil amplius de violato fœdere diſceptatum eſt. Rex Carolus aperte ſe hoſtem Anglorum dictitans, per eundem pontem in Nortmanniam traiecit copias. Ex altera parte Franciſcus Britanniæ princeps duxit exercitum tanquã erepti ſibi Foſorſi vlturus iniuriã. Dux Somerſeti Nortmanniam pro rege Angliæ cum imperio tenebat. Qui poſtquã tantam belli molem in ſe verti cognouit; Talbotum copiarum ducem, cuius ſupra meminimus rebus geſtis inſignem, Rothomagi apud ſe eſſe iubet, ſperans eius armis, ac conſilio ciuitatem, cuius nutare animos animaduerterat, poſſe in fide cõtineri: ſed fruſtra conſilium fuit. Rothomagenſes vbi regem appropinquare didicerunt, miſſis legatis vitæ ac rerum ſuarum pacti ſalutem exercitum intra vrbem recepturos, & imperata facturos ſe promiſerunt. Quibus in fidẽ acceptis, Talbotus cũm duce, & ceteris Anglicis in arcem profugit, cuius oppugnatione cœpta interuẽtu Rhenati Andagauenſis, his conditionibus de pace conuenit, vt Anglici, quæ obtinebant oppidis in omni Nortmannia excederent: Dux & Talbotus cum ſuis liberi eſſent. Sed cum præfecti oppidorum nõ parerent, dux Somerſeti dimiſſis in arce Talboto, & duobus priuignis ſuis clam nauigauit in Angliam. Arx paulo poſt dedita eſt, & priuigni ducis cum Talboto in poteſtatem Francorum peruenere. Talbotus cum eſſet clara apud omnes fama, quam non malis artibus, ſed robore corporis, & ingenii dexteritate in aperto Marte quæſiuiſſet, data fide quod aduerſus Frãcos nullo deinceps in prælio militaret, libere dimiſſus eſt: tãta eſt apud omnes gentes virtutis admiratio: Hic anno Iubilei (vt fama eſt) Indulgentiæ cauſa Romam venit. Quidam putant, vt eius promiſſi quæreret abſolutionem, quo erat Gallis obnoxius: nobis ea res incomperta eſt. illud conſtat, Talbotũ cum in Angliam rediſſet, iamq; Carolus euicta omni Nortmannia; Burdegalam quoq; armis ſubegiſſet, non ſine magnis copiis ab Henrico rege in Guaſconiã, quæ pars Aquitaniæ fuit, cum imperio miſſum, & Burdegalã Claudiani quondam patriam, & alia pleraque oppida, quæ ab Anglicis deſciuerant, partim vi, partim voluntaria deditione recuperaſſe. Quibus cognitis Carolus è veſtigio duos exercitus inſtruxit, & alteri generum ſuum comitem Clarimontis ducis Borbonii filium præfecit, & cum quindecim millibus pugnatorum, ac totius Gallicæ militiæ robore ad Burdegalam recto itinere contendere iuſſit. Alterum quem ipſe ductauit ex purpuratis ſuis conſcripſit. Stamporum comes paulo poſt in caſtra venit, octingentos equites fortiſſimæ iuuentutis ex Britannia ducens. Hos Carolus ſequi priorem exercitum mandauit: qui cum ſeptem vt aiunt, leucis à Burdegala cõſtitiſſent, paruum quoddã caſtellum oppugnare cœperunt, occupata prius turri, & ſagittariorum præſidio munita, quæ inter caſtellum & Burdegalam media fuit. Talbotus vbi cum duobus exercitibus pugnandum eſſe cognouit, eum prius aggredi ſtatuit, quem minori negotio ſuperari poſſe arbitratus eſt. Egreſſus cum robore ſui exercitus ex Burdegala, veſperi ad turrim, quam diximus occupatam, peruenit, eaque primo impetu expugnata ſagittarios circiter quinquaginta comprehenſos interemit. Exin mane profectus, cum accepiſſet regium exercitum, fugam parare, veritus ne ſibi è manibus præda dilaberetur, iuſſis aliis ſequi cum quingentis galeatis equitibus, & octingentis ſagittariis, propere in hoſtes aduolans tumultuarium prælium iniit. Conſultauerant inter ſe hoſtes retro pedem fugiendo referre: verum pudore propinqui regis experiri belli fortunam decreuerant. Erant eis trecenta circiter tormenta ænea, quæ curribus aduexerant: ea via, qua Talboto veniendum fuit, oppoſuerunt: multas præterea machinas hinc atque inde locauerunt, quibus ignari hoſtes confici poſſent. Vt ergo furens Talboti miles itinere, quod vnum petebat in caſtra hoſtium neſcius machinarum procurrit, dato tormentis igne primo congreſſu trecenti ferme milites ex Anglicis ictu lapidum periere. Quod vbi Talbotus animaduertit, filium, qui prope aderat egregium adoleſcentem vt abiret, & ad meliora ſeſe tempora reſeruaret admonuit. At reſpondente filio non eſſe ſibi ex eo prælio fugiendum, in quo pater periturus eſſet. Ego inquit, fili, multis rebus clariſſime geſtis, nec mori ſine gloria, nec fugere ſine dedecore

core

core poſſum:te nunc primum militare incipiẽtem, nec fuga infamẽ, nec mors clarũ faciet. Cum filium non tam paterna monita, quàm pietas ipſa moueret, cohortatis ſociis, vt forti animo pugnam reintegrarent, teſtudine ſuorum facta in hoſtes, qui caſtrorum munitiones nunquam exire præſumpſerant audacib. inuectus animis, haud paruam illorũ ſtragem edidit. Sed cum hoſtes partim loco, partim tormentis, ac numero militum longe ſuperiores eſſent, & iam crus Talboto lapis è tormento miſſus arrupiſſet, cæſis maiori ex parte ſuis, & ipſe cum duobus filiis altero legitimo, altero extra matrimonium nato, & vno genero procumbens cecidit. Hic poſt tot ſumptas ex hoſte victorias clariſſimi viri exitus fuit, quem Britonum potiſſime conſtantia, & audacia pro... uit. Burdegala iterum in poteſtate regis Francorum facta eſt.

Priuſquam iſta fierent, Delphinus iterum noua in patrem ira percitus, ab eo diſceſſit: indignationis cauſam fuiſſe cõmemorant, quã ſupra diximus, de pellice matri moleſta. Agnes quædam cognomento bella non abiecto loco nata, ad curiam regis venit: Iſabellam Rhenati coniugem ex prouincia ſecuta, abeunte domina, inter ancillas Mariæ reginæ remanſit non ſine infamia vulgati corporis. Hanc rex, cum eſſet facie pulcherrima, & ſermone blando amare occepit, breuiq; tempore adeo perdite arſit, vt nec ad horam ea carere poſſet, in menſa, in cubiculo, in cõſilio lateri eius ſemper adhæſit. Si quis aliquando vel confeſſor, vel alius auctoritate potens, regẽ de adulterio coargueret; negabat conſuetudinẽ ſtupri ſe habere, verum oblectari facetiis, & blandimentis feminæ; licere ſibi vt ceteris regibus fatuum aliquem penes ſe habere, cum quo laxandi animi gratia verſaretur, nec diſtare femina, an maſculus eſſet; ſibi feminam obtigiſſe, quæ ſuis deliramentis multos immiſceret iocos, atque his nugis excuſari volebat: ſed minime illam vt fatuam habuit, cui & optima prædia, & dona multa conceſſit, atq; in palatio poſt reginam ſecundo loco honorauit, & duas ex ea ſuſtulit filias, quas poſtea Ludouicus regnum adeptus tanquam ſorores complexus eſt, & mox alteram nuptui tradidit. Agnes igitur (vt pleriq; tradunt) ſecundi diſſidii occaſio fuit, quæ vix, vt ante diximus, Delphini manus euaſit: quidam turpiorem afferunt cauſam. Iacobus Scotorum rex, qui Carolo eſſet amiciſſimus, & Anglis infenſiſſimus, ſæpeq; Francorum regno ſeſe commodiſſimum præbuiſſet, quattuor filias iam viro maturas, & forma præſtantes ad amicum miſit viris tradendas, quando per ſe dare dotem nequiret. Carolus natu maiorem Ludouico tradidit, aliæ aliis nupſere, præter vnam, quæ morbo quodam correpta, bleſa, & ſemimuta effecta eſt. Sigiſmundus Auſtriæ vnam earum duxit. Illud conſtat, Delphinum poſtea vxorem odio habuiſſe, illamq; morbum tiſicũ incidiſſe, ex quo deceſſit, ſiue hæc, ſiue illa, aut altera cauſa fuit, Ludouicus in Delphinatum ſeceſſit, ibiq; pluribus annis immoratus eſt, nec reuocatus a patre, redire dignatus: ſed illo inconſulto, &, vt quidã volunt, ſpreto, ſecundum matrimonium cõtraxit cum Carola ducis Sabaudiæ filia. Carolus, etſi ægre tulit, Delphini tamen opera diſſimulauit, donec Anglis ex Francia pulſis, procul ab hoſtili metu remanſit. At vbi pax alta toto regno parta eſt, Don Martinum Comitem (ita enim vocauerunt) cum copiis aduerſus filium miſit, vt illum, occupato Delphinatu, captiuum ad ſe duceret: cuius aduẽtum cum Delphinus accepiſſet, nihil cunctatus, cum paucis fugam arripuit, adeo ſibi metuens ac trepidans, vt ſemper à tergo inſtare, atque vrgere patris equites exiſtimaret: atque idcirco cum perueniſſet ad montes, qui Burgundiam cingunt, reperiſſetq; ſummo in cacumine ſancti Claudii templum, id quaſi Aſylum ingreſſus, nõ prius egredi auſus eſt, quàm exploratum habuit, nullos adeſſe in circuitu, qui ſe quærerent. Ioachim copiarum ductorem, qui ad inſequendum miſſus erat, tradunt aliqui, ſpatium illi fugiendi præbuiſſe, haud vtile arbitratũ regio nocere ſanguini: ob quã rem ab eo poſtea regnum adepto, bene habitus eſt. Delphinum cum veniſſet ad Philippum Burgundiæ ducem, his vſum verbis fuiſſe tradunt. Regius ſanguis nullius terrę dominus extorris, & exul ad te venio (Burgundorum princeps) iram patris fugio, & inimicorum inſidias, qui mihi regis animũ abalienarunt; excuſſus omni argento, Delphinatum exiui: mendicare panem oportet, & longinquas adire prouincias, niſi me recipis, apud alios nuſquã tutus ero, niſi incognitus. Non eſt pater meus qui flecti precibus queat, iugulabor ſi manus eius incidero: Tu vnus es, qui aduerſus eius furorem ſaluare me potes. Quibus dictis ma-

Delphini exilium, & fuga ad ducem Burgundia, & ducis liberalitas atque vtriuſque oratio, & Caroli mors.

didos oculos defixit in terram. Philippus vbi filium regis ad ſe venientem conſpicatus eſt, pronus in terram cecidit, ac more Gallico ſuo domino adulatus, in amplexus & oſcula venit, atque hoc ſermone ægram mentem ſolatus eſt. Non es ſine terra pulcher conſanguinee, cuius eſt omnis prouincia mihi ſubiecta: Tu meus dominus es, & mea omnia tua ſunt. Pater tuus in me nullum habet imperium, ita in Atrebatenſi pace conuenimus: illo mortuo, tua hereditas erit, & me tibi parere oportebit. Cur nõ hodie futurum amplectar dominum, & non regni heredi paream? Pone metum, regem apud me, non exulem geres: patri nihil in te licebit, in domum tuam veniſti: impera me, meoſq; omnes, tua iuſſa capeſſere fas eſt. Sic except⁹ Delphinus ꝓprias ędes inhabitauit, & annua quattuor, & viginti millia auri nummum accepit ex publico, & ad venationem, atque alias voluptates idonea loca, præcepto principis facto, vt primum in Burgundia caput Delphinum cuncti venerarentur. Interea Delphinatus à rege receptus eſt, & omnia Delphini aſportata bona: amici eius aut in carcerem conjecti, aut in exiliũ miſſi: vxor cum vna tantum tunica, & paucis famulis, & argenteis duodecim tantum poculis, quas vocant Tazias, ſequi virum permiſſa eſt, ad quẽ lacera prorſus, & deformis venit. Rex his cognitis, Burgundo mandat, filium ſuum vti ad ſe remittat. Ille Carolum nihil imperii in ſe habere reſpondet: Delphinum, qui ſit futurus dominus nõ poſſe inuitum remittere, ſuaſurum vt ſponte ſua ad patrem redeat, futurum ſibi voluptati ſi paruerit, cui patris, & filii diſſidium nunquam placuerit. Mittuntur vltro citroq; legati, Delphinus iturũ ſe ad patrem pollicetur, ſi eius inimici ex curia pellantur, cum quibus non poſſet tuto eſſe. Rex, qui cõſilio illorum regeretur, quos Delphinus odio habuit, iniquum filium eſſe dicit, qui patri vellet præſcribere leges, & pro ſuo arbitrio iſtos, aut illos eiicere. In hunc modum res pluribus annis ducta eſt. videbaturq; regis animus armis ex Burgundo filium vendicare velle, & ſæpe copias ad fines Burgundiæ tranſmiſit. Nec Burgundus ſibi defuit; congregauit & ipſe ſuas copias, & opportunis locis conſtituit, ne qua fieri poſſet improuiſa excurſio. Non erat Burgundo mens bellum regi inferre, ſed illatum propulſare. Rex modo volens, modo nolens, nunquam diu in vno propoſito fuit: verebatur & Burgundum, & filium; nec ſatis ſuis ducibus confidebat, & iam ſenio frigidus, & inter ſcorta languẽs, nihil magnum audere poterat, quamuis Armeniaci comitẽ omni priuatum imperio inter Pariſios cuſtodiri mandauerit, de cuius inceſtu cum ſorore cõmiſſo ſupra retulimus. Dedit & auxilia Rhenato Andegauenſi aduerſus Ferdinandũ Siciliæ regem. Miſit legatos ad conuentum Mantuanum, vt præſcriptum eſt: conatus eſt omnes Italiæ potentatus aduerſus Pium Pontificem armare, nec potuit. Poſtremo validas armatorum cohortes aduerſus Genuenſes tranſmiſit, quæ vt ante diximus funditus deletæ fuere. Ipſe paulo poſt patris dementiam imitatus, veneno ſe periturũ exiſtimans ab omni cibo abſtinuit, nec prægustanti filio credidit, qui alter ſupererat nomine Carolus, annos circiter quindecim natus. Adſtabant amici, & cõſanguinei, pereuntemq; fame regem cernentes multis precibus vt ederet fruſtra ſuadebant: Sic rex inedia maceratus, & morbo quodam, quem illi aiunt in gutture prouenisse, vita exceſſit: Rex ſuo æuo & magnus, & memorabilis, cuius in vtramq; partem admirari fortunam licet.

Pietas Pii, & Ludouici coronatio, eiuſque eximiæ virtutis præludia, & extinctio pragmaticæ incepta.

Pius morte regis audita apud Tybur, exequias ei non ſine lacrymis duxit. Delphinus in paterno regno ab exilio reuerſus ſumma omnium concordia exceptus eſt. Inimici nil auſi aduerſari: ſuopte ingenio exiliũ aſſumpſerunt: vicini reges ac populi frequentes legationes ad eum congratulatum miſere. Ex Italia quoq; oratores acceſſerunt, Veneti, & Mediolanenſes, & omnium admiratu digniores Florentini. Pontifex epiſcopum Attrebatenſem legatum miſit, qui nouo Regi benediceret, eiq; religionẽ Chriſtianam commendaret: ſuaderet pragmaticam ſanctionem è regno auferre, & egregium aliquid aduerſus Turcas pro Catholica religione parare principium regni eius admiratione dignum. Coronatus eſt ſumma pompa & pace, adſtante Philippo Burgundię duce, & omni Galliarum nobilitate. Prima eius profeſſio extitit, pragmaticam ſanctionem, quam pater induxerat, ſe prorſus eliminare, & Apoſtolicæ ſedi in rebus Eccleſiaſticis ſummum imperium permittere, nec opus monitore Atrebatenſi epiſcopo fuit, id iampridem facturum ſe beato Petro Apoſtolorum principi vouerat, ſi pater-

ſi paternum ſolium aliquando conſcenderet. Venientibus ad eum Parlamenti rectoribus,& ſua officia confirmari petentibus,dure reſpondit, qui vel iuſtitiam venderent,vel iura ignorarent: Scurras & hiſtriones,& ioculatores ex curia pepulit;purpureas veſtes eos tantum deferre paſſus, qui certum nobilitatis gradum attigiſſent: monaſteriis,& eccleſiis multa donauit. Carolo Andegauēſi veniā dedit, leges plurimas pro regni vtilitate,aut nouas edidit,aut antiquas inſtaurauit. Quæ cum accepiſſet comes. Don Martinus,de clementia tanti principis ſperans, è latebris erumpens, incognitus ad cubiculū regis peruenit,atq; ibi proſtratus: Ecce me,inquit,rex peccaui in te dominum meum, da mihi veniā,& noli agere mecum ſecundū iniquitates meas,ſed pro tua magna miſericordia,ſuſcipe me in gratiam tuā. Obſtupuit rex, viſo ante ſe homine inimiciſſimo,quē ſtatuiſſet inter primos perdere: moxq; ita fatus eſt: Sacri penates,& quam tibi de noſtra clementia perſuaſiſti opinio, vitam tibi hodie ſeruant. Abi extra regnum,& amplius conſpectui noſtro ne te obieceris, niſi pro tuis operibus iudicio ſtaturum: dicenti,iter periculoſum,neq; pecunias ſe habere,quibus in exilium proficiſceretur,argentum dedit,& comites,qui tutum educerēt. Hæc laudata contra pleraq; indigna viſa ſunt tanto principe. Pecunias diligenter conquiſiuit,tributa grauiora impoſuit,ſtipendia comminuit,& quibuſdam proceribus prorſus ademit. Quæ res multum ſibi fauoris detraxit apud eos,qui ſoliti ex publico viuere,ad priuatam menſam redacti ſunt.

Oratorum adulterini regis Cypriorum expulſio, & diſpulſio à Pio.

Ad Pium(dum iſta geruntur in Gallis)oratores ex Cypro venere,Epiſcopus Nicoſienſis,& inſignis quidam doctor,ab eo miſſi, qui deturbato vero rege per arma Ægyptiorum Iacobus Luchnianus Ioannis regis filius ſeſe regem conſtituerat: de rebus Cyprianis alio loco dicemus: nam & Carlota regina paulo poſt regno pulſa ad Pontificem venit. Pontifex indignos hos oratores cenſuit,qui tanquam regis nuncii exciperentur: nemo his obuiam iuit, non xenia miſſa, auditi priuatim & increpati ſunt qui eius legationem acceperint,quem ſcirent adulterinum eſſe regem,& inimico principi Chriſtianæ religionis iuratum; multa illi in cauſa Iacobi ſui regis dixere, verum prorſus,& longe mendicata. Qui vbi de rebus publicis nihil impetrare potuerunt,ad priuata ſe conuertere, vt ſaltem aliquas ſecum afferre litteras poſſent more Romanæ curiæ obſignatas,quas plebibus oſtenderent, & pro ſua libidine interpretarentur: ſed Pontifex græcanicæ artis nō ignarus,eos prorſus vacuos remiſit. Quod acceptiſſimum fuit oratoribus Ludouici Sabaudiæ ducis,qui præſentes aderant.

Scanderbechus firma conſtansque amicitia, & eius in regnū aduentus, atq; geſta, graueq; cum Picinino colloquium, & illius perfidia.

Georgius Scanderbechius dum iſta geruntur,qui paulo ante non paruam ſuorum manum ſuppetias Ferdinando miſerat,nō ſatis amico factum extimans, niſi per ſe ipſum illi militaret,nouo delectu militum habito ex Albania,quæ olim pars Macedoniæ fuit in Italiam nauigauit. Inuentiſque prioribus copiis,in agrum Tarentini principis ducens,longe lateq; terram populatus eſt. Equitatus eius leuis armaturæ fuit, equi veloces,& aſſueti malo in prouincia plana, & late patenti nihil tutum dimiſere: nulla tam procul armenta latuere,quæ vnius diei curſu non apprehēderint, aptiſſima furtis ac rapinis acies,bello inutilis,quod more Italico geritur aduerſus enſes, ac tela noſtra inermis. Præfectus arcis Tranenſis per idem tēpus occulta cum hoſtibus conſilia inierat,atq; inarrhatus auro defectionē parabat. Quod cum reſciſſet Georgius Tranum profectus,illum quaſi amicum ad ſe vocat; venientemq; capit, & arcem nouis cuſtodibus implet,eoq; modo ſaluata eſt magni momenti ciuitas, quæ quamuis poſtea in hoſtium poteſtatem ſeditione ciuium peruenerit: retenta tamen arce, per capitula pacis iterum Ferdinandi facta eſt. Cum procul aliquando Iacobus Picininus eius turmas cōtemplatus eſſet, miſit tubicinem , qui fidem eunti ad ſe publicam daret: Georgius ad medium circiter ſpacium cum duobus comitibus profectus, Picininum cum totidem ad ſe proficiſci mandauit, profectumq; multis verbis coarguit,quod aduerſus regem de ſe optime meritum militaret;& cum ſe diceret Aragonenſem, Gallorum ſigna ſequeretur,immemor eorum beneficiorum,quæ ſibi, & patri præſtitiſſet Alfonſus: Picininus purgare ſe, quod inuitus à Ferdinando defecerit,fidem ſibi non ſeruatam dicere, Mediolanenſem principem multis modis accuſare,qui ſe inter & Ferdinandum diſſidium procurauerit. Inter loquendum paulatim pedem referre,ſecumq; auditorem ducere,ſignumq; ſuis vt propere accurrerent, at-

que illum [illegible] peterent, dare. Præſenſit Georgius dolos, & interrupto ſermone, ad ſuos celeri curſu ſeſe recepit.

Principis Tarentini litteræ ad Scanderbechium, illiusque vicissim mordax responsum.

Princeps Tarentinus cum ſæpe ſubditorum querelas audiſſet ante Albanenſium ora fugientium, in hunc modum ſcripſiſſe fertur. Ioannes Antonius princeps Tarenti Georgio Albano ſalutem. Decebat te, quem bello clarum fortuna fecerat, hoſtes, quos aliquando pro Chriſtiana religione propulſandos elégeras, ad internitionem vſq; perſequi: & non illis paululum irritatis relicto campo in Italiam aduerſus Chriſtianos arma proferre, quæ tibi cauſa contra me eſt? quid ego aliquando in te peccaui? quæ vnquã inter nos antea fuerunt iurgia? diſpoliaſti agros meos, & in meos ſubditos crudeliter debacchatus es, bellumque prius intuliſti, quàm indixiſti. Dicis te pugilem fortiſſimum eſſe Chriſtianæ religionis, & eam inſequeris gentem, quæ iure merito Chriſtianiſſima vocitatur. Aduerſus Francos conuertiſti ferrum, quorum eſt Siciliæ regnum: ſperaſti te forſitan aduerſus effeminatos Turcas, aut imbelles Græculos pugnam conſerturum, quorum conſueueris terga ferire: alios hic viros inuenies, quamuis horribilem tuum aſpectum ferunt, nemo tamen faciem tuam fugiet; vltro te laceſſet miles noſter, nec faciem Albanam timebit Italicus ſanguis; nouimus genus veſtrum, quaſi pecora extimamus Albanos. Pudet tam vilem gentem hoſtis habere loco; nec tu tibi tantum negotii arrogaſſes, ſi potuiſſes domi manere: fugiſti Turcarum impetum, & cum propriam tueri domum nequires, alienam inuadere cogitaſti. Deceptus es, niſi pro domo quæris ſepulchrum. Vale. Ad hæc reſponſum in hanc ſententiam redditum accepimus, Georgius Albaniæ dominus, Ioanni Antonio principi Tarenti ſalutem. Nactus cum hoſte religionis inducias, nolui amicum meo auxilio fraudari: ſæpe mihi Alfonſus aduerſus Turcas periclitanti ſuppetias miſit; ingratus fuerim, niſi filio rependerim vices. Illum ego tibi regem fuiſſe memini; cur non ſuccedit patri apud te filius? Patrem adoraſti, & filium quæris eiicere? Vnde hæc tibi auctoritas? Tuum ne aiunt an Romani Pontificis eſſe Siciliæ reges conſtituere? Ego Ferdinandum regis filium ab Apoſtolica ſede regem declaratum adiuturus veni aduerſus perfidiam tuam, & innumerabiles proditiones procerum regni huius. Dabitis pœnas temerariæ fidei, nec ſemper impune peierabitis: hæc mihi tecum belli cauſa, non minus hic mereor, quàm dum Turcis inſto: nec tu melior Turca es: ſunt enim qui te putant nulli ſectæ addictum. Tu mihi Francos obiicis, & nomina Gallorum, quibus pro religione magna prælia decertauerint? Nolo de rebus antiquis diſſerere, quæ fortaſſe multo minora fuerunt, quàm fama feruntur: illud conſtat, ætate noſtra frequentes Aragonenſium claſſes Aegeum percurriſſe pelagus, Turcarum vexaſſe littora, multas ex hoſte prædas attuliſſe. Timuit aliquando Turca Aragonenſes, & Troia in hoſtium faucibus, vſq; in hanc diem Aragonenſium armis defenditur. Quid mihi vetera commemoras, & noua præteris? Mutantur familiarum mores, & aratores ad regnum, reges ad aratrum redeunt: nec virtute diuturniorem nobilitatem inuenias. Non me fugit te olim Gallico generi fuiſſe infenſiſſimum: nam te potiſſimum adiutore Alfonſus Gallos eiecit; neſcio quæ noua virtus emerſit, ſidus fortaſſe aliquod nouum illuxit, quod inter Gallos demiraris. Deſpicis deinde gentem noſtram, & quaſi pecora ducis Albanos, more tuo contumelioſe loqueris, nec noſtri generis originem noſſe videris: maiores noſtri Epirotæ fuerunt, ex quibus ille Pyrrhus prodiit, cuius vix ferre impetum Romani potuerunt, & qui Tarentum & alia multa Italiæ loca armis occupauit. Non eſt quòd Epirotis viris fortiſſimis Tarentinos obiicias madidum genus hominum, & ad legendos piſciculos natum. Si dixeris Macedoniæ partem eſſe Albaniam, longe nobiliores concedis auos, qui ſub Alexandro vſq; in Indiam penetrauere; gentibus vniuerſis, quæ occurrerunt, in medio incredibili felicitate proſtratis. Ex illis ortum habent hi homines, quos tu pecora vocas: ſi ſumus pecora, & nõ eſt mutata rerum natura, cur fugitis homines ante pecora? Superiorib. diebus ſæpe factum eſt periculum Albani an Apuli armenta fuerint: neq; ego quempiam adhuc reperi, qui meum vultum ferre potuerit, tuorũ militum, quàm bene armata ſint terga pulchra didici, thoracem adhuc nullũ ſpectare potui, nec faciem cuiuſpiam noui, niſi eorum quos in vincula conieci. Nec ego tuam quæro domum, quãdo mihi mea ſatis eſt: verum do operam ne tu, qui ſæpe vicinos proceres è

ſuis

ſuis poſſeſſionibus pręcipitaſti, etiam regem poſſis eiicere, & quod iniqua mente perſuaſiſti, regnum inuadere; in quo labore ſi fortaſſe cadens ſepeliar, vt mihi auguraris, pręmia tamē feret animus à rectore omnium Deo, ſi non perfecti, at meditati & pertentati egregii facinoris. Vale. Tot ampulloſa verba vltro citroq; miſſa, non ſiuit Mahumetes Turcarum dominus magni aliquid producere, qui rupto induciarum fœdere, crebris excurſionibus vexare Albanos cœpit, eaq; res Georgium ex Italia quamprimum reuocauit, ne dum aliena tueretur, perderet ſua.

Seceſſus Pii ex Tybure, & multorū locorum accommodata deſcriptio.

Pius interea æſtate iam exacta, inuitatus à Ioanne ſancti Sixti cardinali, vt monaſterium Sublacenſe, cuius eſſet adminiſtrator inuiſeret, tranſmiſſo apud Tybur Aniene, ſiniſtrā eius ripam ſecutus laxandi animi gratia, cum quattuor cardinalib. peregre proficiſcitur. Primaq; illi nox peracta eſt in Vicouaro: quidam Varronis vicum, quidam Vari appellandum cenſent: oppidum eſt in alta rupe ſitum, trianguli formā gerens, duo latera prærupta tuentur ſaxa hinc riuo ſciſſa perenni, inde ad Anienis curſum vſque protenſa: tertium latus altiſſima turris, & arx munitiſſima defendit, & foſſa manufacta. Adſunt veſtigia priſcę nobilitatis magna pars muri ex quadratis ingentis molis lapidibus, quales in antiquis operibus cernimus: iacent ſtatuæ in fruſta diſiectę, nondum poſito artificis ingenio, & columnæ plures. Franciſcus Vrſinus vrbis præfectus nobile ſacellum inchoauit ex marmore candidiſſimo, adornauitq; ſtatuis egregiis, & floribus vt noſtra ſunt tempora non contemnendis: morte præuentus non abſoluit opus, nec ſucceſſores inter ſe armis pro hereditate contendentes, manum adhuc extremā appoſuere. Pius indulgentias loco aſcripſit, vt perfici aliquādo poſſet: cubiculum ei in ędibus fuit, quæ Anieni ſupereminet, ex quo gratiſſimus reddebatur aſpectus, & ſimul ex propinquo monte trans flumē adhuc viridi & frōdoſo nemore cooperto. Ima circa fluuium loca, aut prata fuerunt, aut vineæ; colles vſq; ad medium vitis occupauit: cetera glandifera quercus. Ex hoc loco ad ſanctū Clemētem peruentum eſt, quaſi ad paſſuum duo millia accolæ mira religione colunt, & viri opinione ſancti inhabitant eremitæ. Plana loci eſt facies: verum tetro in Anienē adeo profundæ rupes incumbunt, vt vix pateat in aquam aſpectus. Pontifex ſacellum ingreſſus, oratione facta, & benedictis eremitis iter proſecutus nuſquam procul ab Aniene receſſit. Multa videbantur hinc atque inde caſtella in ſummis edita iugis, ex quib. viri paſſim ac mulieres, ſenes, pueri, ac puellæ cateruatim deſcendentes Pōtifici occurrebant benedictionē excepturi, & alii vinum, alii cibaria offerebant. Pontifex apparari ſibi in via prandium iuſſit quo in loco limpidiſſimus aliquis ſcaturiret fons: incredibile dictu eſt, quot lucidi in Anienem riui decurrant, quot ſcaturiant in vtraque ripa perennes aquę, verum ſub oppido Hauſta tantus aquarum ex viuo ſaxo emergit impetus, quantum molæ quattuor, aut plures requirant pulſu perpetuo agitādæ: fons eſt inter ſaxa quaſi ad atrę magnitudinem patens, non altior homine, in fundo glarea nitens, quæ pluribus in locis pro venarum ſcaturigine, non ſine dulci murmure ſalit: aqua ipſa chryſtallina ad fundum vſque perſpicua, gelida, & dulcis. Super hunc fontem Pontifex cum cardinalibus pranſus eſt, ad potus ſingulos lymphas recentes exhauriens, idem & cardinales fecere. Quibus nō tanta in vini ſuauitate, quāta in aquæ frigiditate voluptas fuit. Plebs omnis in pratis vltra fontem cibo excepta eſt: quamuis eſſent turbę multæ, quę ad viſendum Pontificem ex caſtellis propinquis accurrerant. Peracto prandio agreſtes locorum, vt Pontifici gratificarentur, ingreſſi flumen aduerſus aquæ curſum piſcari cœperunt: Pontifex iuxta ripam (erant enim prata & agri) iter habens, piſcantes intuebatur: illi ad omnem piſcis capturam, ſublato clamore Pontificem ſalutabant, trutaſque ipſas (neque enim alium fere piſcem producit amnis) ad miniſtros Pontificis deferebant: atq; ita non ſine ingenti voluptate magnam itineris partem peregit.

Oppidum Sublacenſe, & diui Benedicti aſperrima habitatio, monachorumq; ſanctimonia.

Cum ventum eſſet inter vineas oppidi Sublacenſis, ibi cardinalis occurrit, & paulo poſt ſacerdotum monachorumq; pompa. Exceptus eſt Pontifex ſummo populi deſiderio; neq; enim memoria hominum Romanus Pontifex illic alius fuerat. Oppidum eſt multa plebe refertum; rupē domus obſedere, altera ſuper alterā ſitæ: in ſummo cacumine arx eſt propemodum inexpugnabilis, niſi valle interiecta rupe altior immineret. Anio magnam oppidi partem ambit: ex oppido ad monaſterium Subla-

cenſe eſt via duorum milliarium per abruptas petras,& difficiles aditus, quos facile liceat hoſti præcludere: vbi ad monaſterium ventum eſt, ibi tantum in plano ſpatii repertum,quantum ad Eccleſiam clauſtrum, & officinas cœnobio neceſſarias conſtruendas opus fuit: quæ omnia magno ſumptu conſtruxere priores. Hic Pontifex cum vineam nouam magna vi ferri in ſaxo plantatam vidiſſet, rubentibus vuis vberem, vndique muro ſeptam,& oliueto cinctam virenti,& in medio torcular, ac domum ad habitandum candidam,percunctatus quis noui operis auctor eſſet: reſponſum accepit; Epiſcopum quendam Siluenſem, hominem Hiſpanum, ex Luſitania natum,eccleſiaſticarum pomparum tædio,&mundialis curæ odio fatigatum,Eccleſiæ ſuæ renuntiaſſe: reſeruataq; ſibi annua penſione,ex qua poſſet honeſte vitam traducere,huc profectum inter fratres non mutato habitu degere, diuinis officiis intereſſe,celebrare quando ſibi ex animo detur: præter libertatem & veſtem nihil à monacho diſtare; ab hoc domum & vineam conſtructam, cuius magna ſint prouētura monachis emolumenta. Pontifex ad ſe epiſcopum vocauit,& cognita cauſa renuntiationis Eccleſiæ,ac delectæ ſolitudinis, propoſitum laudauit, qui nouerit pro cæleſtibus terrena commutare: ille paulo poſt ex hac vita deceſſit. Beatus profecto, ſi (vt credibile eſt) verus fuit mundi contemptus,& ſpreta noſtri ſæculi dignitate, quęſita eſt maior. Pars monachorum in hoc monaſterio,quod Sublacenſe diximus appellari, dies ac noctes gratiſſimas Deo laudes canit; Pars in altero, quod ſpecus vocitant,ad quod mille paſſibus aſcenditur, via difficili,& ferro facta, adeoque præcipiti, vt abſque horrore adiri nequeat: hinc profundiſſima in Anienem deſcendente rupe, inde altiſſimo imminente ſaxo,nec acceſſibilis vllo pacto, niſi modo ad dexteram, modo ad ſiniſtram varios agens flexus in anguis morem ab imo vſq; ad ſummum ducta,& pleriſque in locis muro defenſa fuiſſet: Monaſterium ſub altiſſimo ſaxo ædificatum eſt, ita vt magna pars eius vicem tecti gerat,partem exterius cōſtruxere ædes: ipſa ſacra & officinæ monachorum multæ intra ſaxum patent. Benedictus magnus ille monachorum pater,& Deo plenus, in quo Nurſia totum quod habuit bonitatis effudit,priuſquam domus aliqua hoc in loco constructa eſſet, aut homo quiſpiam habitaret,ſolus in hac eremo pænitentię ſibi locum delegit: procul ab humano cultu nulli cognitus niſi Deo,in duriſſimo ſibi lapide lectum ſtrauit: hic ſe vigiliis ac ieiuniis macerauit,hic Deo gratiſſimum præbuit famulatum: ſecuti ſunt eum diſcipuli,& cœpta eſt habitari ſpelunca,ſicut in altis ſcopulis nidos videmus arundinum in crepidine lapidum; ita eſt hoc monaſterium cernere affixum ſublimi ſaxo, ex quo ſæpe fruſtra concidunt,quæ aut monachos perimunt,aut ædificii ruinam faciunt: multa hic ſancti viri miracula referuntur,& tintinnabulum oſtēditur,quo diabolus illuſiſſe bonis operibus conatus eſt: monachi circiter viginti hic degunt, (vt par eſt credere) Deo cari,nunquam carnes edunt, vinum multa domāt aqua, ieiunia longa producunt; luxuria eſt duo oua comediſſe,oleribus & pane veſcuntur; adſunt & legumina: his epulis menſam onerant, breuiſſimum tempus cibo datur, nec multo maius ſomno; reliquum in oratione conſumunt: rem diuinam peragunt ſumma deuotione, & pſallunt Deo confidenter: maior pars ſenum eſt,quorum plerique inoffenſa valetudine ad octuageſimū annum peruenere, vultu alacres, & alloquio venerabiles: quorum vnica cura eſt, diſſolui tandem,& eſſe cum Chriſto. Pius cum ſuperius, atque inferius in vtroque monaſterio rem diuinam coram ſe celebrari iuſſiſſet, & omnia loca exoſculatus eſſet; quæ fama vulgaret Benedicti corpus tetigiſſe: ſpirituales gratias elargitus,quas monachi petiuere,& omnium conſcientiis abunde ſaturatis, ad oppidum pernoctaturus deſcendit: indeque die ſequenti tranſmiſſo per pontem Anienem montem præaltum,ac difficilem ſuperauit, & in vallem nemoroſam deſcendit,in quam defluentes aquæ,non inuenientes exitum, ſtagnum quoddam efficiunt,& paluſtria loca ſiluestribus idonea porcis: prope adſunt prata,& vndique colles altiſſimis veſtiti nemoribus. Hic Pontifici prandium apparatum eſt, ad quod cardinalis Theanenſis ſe contulit: Federicus Vrbinas cum exercitu ſequebatur aduerſus ducem Soræ profecturus,atque ea facturus,quæ iam ſupra facta deſcripſimus: neque enim ex tempore ſuo nobis hiſtoria texitur: rem geſtam tradere ex vero conamur, quocunque tandem occurrerint vel anno, vel menſe, niſi hoc diligenter fuerit

à nobis

à nobis notatum: fortaſſe hoc laboris alius aſſumet, vt ſuis quæque temporibus reddat. Nobis non tantum ocii fuit. Cardinalis Theanenſis facto cum Pontifice prandio, ad exercitũ rediit: Pontifex benedicto populo, qui multus erat in pratis, per aſperrimos, ac nemoroſos montes in Campaniam deſcendit è regione oppidi Palliani. Nicolaus quintus id oppidum familiæ Comitum eripuit, in pœnam commiſſi criminis.

Proſper cum fratre vrbis præfecto, & nepotibus occurrit, ſe ſuaque Pontifici offerens: cum ad locum ventum eſſet, ex quo licebat Zinazanum intueri, deſiliens equo præfectus, & ante Pontificem genua flectens: Illa, inquit, domus mea eſt: palatium egregium, & alta tecta demonſtrans, quæ Martinus quintus ſibi & ſuis gentilibus ædificauit. Oro huc deſcende Pater, neque hoſpitium dedignare: quod perſæpe tuus anteceſſor inhabitauit, & locum, & dominum ſi veneris tua præſentia magnificabit. Inerat Pontifici eius loci ingens viſendi cupido: de quo multa vel puer audierat, & an Martini opera ſua excederent anxius erat agnoſcere. At cum præfectus ſuperiori anno cuncta Pontificis mandata cõtempſiſſet, indignus viſus eſt, qui tanti hoſpitis præſentia gloriari poſſet: germanus eius Adoardus Marſorum dux in oppido Cauarum, quos quidam Gabios eſſe putant, Pontificem excepit, & ſummis cumulauit honoribus. hic res miranda viſa eſt, & quæ nulli fidem factura videatur, niſi cuius oculi teſtes fuerint. Terra eſt ante oppidum argilloſa, paruam implens ſcrobem, in qua ſiue baculum, ſiue gladium impegeris, atque ad morulam dimiſeris, nulla vi poſſis educere: narrata eſt hiſtoria Pontifici; fabulam putauit, noluit credere, niſi poſtquam cubiculariis ac medicis ad viſendum miſſis, rei periculum factum eſt. Tonſor Pontificis cum impactum ferrum nullo ingenio, nulla vi poſſet extrahere, attonitus relicto gladio ad Pontificem rediens, dicatum dæmoni locum exclamauit: qui ferrum lignumque omne immiſſum in terræ viſcera retineret. Plinium non latuit hoc miraculum: cuius iſta ſunt verba: Ad aras mutias in Vehiente, & apud Tuſculanum, & in ſilua Ciminia, loca ſunt, in quibus in terra depacta non extrahuntur. Ex Caueis ad Præneſte ventũ eſt antiquum, & memorabile oppidum, & magnis Romanorũ cladibus inſigne. Ruinæ hodie ſunt antiquæ nobilitatis: lacera hinc atq; inde palatia iacent, & templorum diſiecta fruſta, & murorũ quadrati lapides vix credibilis magnitudinis. Agreſtes habitant pauci, quos ſola ſoli retinet vbertas, ſub Eugenio melior fuerat, ſed rebellante aduerſus Eccleſiã loci tyranno, Patriarcha Alexandrinus natione Cornetanus exercitũ vrbi admouit, quãuis inexpugnabilis videretur, ardui montis defenſa ſitu, nec propugnatoribus deſtituta; victoriã peperit præciſus aquæductus, qui vnicus vrbi præbebat potũ: direpta ciuitas eſt, atq; incenſa, & omni ſoluto muro abſq; habitatore relicta: eccleſiarum campanæ ad Cornetũ delatæ, Stephanus Columnẽſis ſub Nicolao quinto muros inſtaurauit, habitatores reduxit, & arcem in ſummo vertice montis ędificauit.

Zinazanũ, Caua, & terra tenax ibi permirabilis, vrbſque Præneſtina.

Dimiſſo Pręneſte, Pontifex Paſſaranum circa meridiem venit: ſub oppido largus, & limpidiſſimus fons emanat, cuius aquam eam eſſe ferunt, quam præfectus arcis ex altiſſimo puteo per funes exhaurit: ad hunc fontem Papæ, & cardinalibus in tabernaculis, quæ de ramalibus raptim compoſita fuerant, cœnam parauere, erat enim ieiunium, piſces è proximis lacubus multitudini ſatisfecere. Exhinc Tybur reuẽtum eſt, atq; inde paulo poſt pridie nonas Octobris Romam reditũ, ductis in obſidũ numero quicunq; magis ſeditioſi videbantur, inter quos præcipui fuere Ioannes, Toccius, & Clemens. Redeunti Pontifici cardinaliũ ordo obuiam factus eſt, & Thomas Amoreę Deſpotus, & legatorum diuerſarũ gentiũ, ac regum ingens cateruą externis moribus, ac veſtibus admirabiles. Præcipue vero in ſe omniũ cõuertit oculos regis Poloniæ legatio, quam proceri iuuenes elegãti facie, ac flauis crinibus poſt tergũ vento dimiſſis, in veſte viridi non pauci præcedebant, altis ac præpinguibus inſedentes quis, manu baliſtas more gentis vno ex latere, & alio gladiũ, & pharetrã ex pelle lybiſtidis vrſę ſagittis plenã geſtantes, ſuper crines aut leuẽ pileum viridi colore pennatũ, aut ex floribus ſerta tulere, ſupra humanã ſpeciẽ viſa iuuenũ forma. Qui appropinquante Pontifice ab equis deſilientes proni in terrã cum legationis principibus Saluatoris Vicariũ adorauerunt, quem antea nunquam viderant. Ipſe Vrbẽ ingreſſus ſummo ciuium fauore exceptus, ſalutatis in Baſilica ſancti Petri beatis Apoſtolis, in palatium Apoſtolicum ſeſe recepit, cum non tres menſes integros abfuiſſet.

Reditus in Tybur, & deinde in Vrbem, ac variarum legationum, gentiumq; concurſus.

COMMENTARIORVM PII II. PONT. MAX.

LIBER SEPTIMVS.

Geſta & inteſtina bella Cathalanorum, & patris aduerſus filium.

HÆc in Italia dum geruntur, apud citeriores Hiſpanos inter patrem & filium noua ſuſcitantur incendia, quæ ſine noſtri ſæculi nequeunt infamia recitari. Ioannes Alfonſi regis Aragonum germanus, cum ſine regno degeret, Blancam Nauarrenſium reginam duxit vxorem, & dotale regnum ea conditione accepit, vt maſculo naſcenti, cum veniſſet ad ętatem, cederet. Regnauit pluribus annis, filium ex coniuge Carolũ ſuſtulit, & filias duas, quarum alteram comiti Fuxi dedit vxorem, alteram, quæ matris nomen tulit, Henrico regis Caſtellæ filio copulauit: quam ſua culpa (vir enim erat impotens) cum cognoſcere nõ poſſet, quaſi arctam repudiauit, & aliam ſuperduxit ex domo Portugallenſi, quam felicioribus auxiliis nuptam, prius ingrauidatam, quàm corruptam eſſe dixerunt: fuerunt qui vim ſeminis in oſtio effuſi ſecretos penetraſſe panniculos affirmauere: quidam ab alio cognitam crediderunt. Henrico iam rege heredem cupiente, qui ſuus haberetur illa femina peperit. Carolus cum ad virilem ætatem perueniſſet, maternum regnum repetiit: negauit pater ſe dum viueret regni faſcibus poſſe carere, nec ferendum eſſe ſub rege filio priuatam vitam patrem agere. Ventum eſt ad arma, adeoque crudelibus odiis decertatum, vt alter in alterum infeſtis haſtis procurrere non dubitauerit: auertit aſtantium pietas tantum nefas, & vtriuſque ferrum in alienas diuertit acies. Regnum multæ calamitates afflixere, cum pars procerum filio, pars patri auſcultaret. Sæpe pax facta eſt, ſæpe bellum innouatum, nunquam diuturna quies. Pampalonia caput regni diu in partibus Caroli fuit: vnde profecti prædabundi milites, vniuerſam prouinciam vexauere. Impotens tandem Carolus, qui patris impetum ſubſtineret. Egreſſus regnum, vicinorum regum fruſtra implorauit auxilia. Poſtremo in Italiam venit ſub Caliſto tertio, & ad Alfonſum patruum Neapolim vſque profectus eſt, à quo benigne viſus, eos honores accepit, qui regis filio deberentur. At cum ille paulo poſt obiiſſet, in Siciliam nauigauit, vbi per annũ, & menſes aliquot obſeruatus eſt. Cum Lupus inſulam gubernans, & Siculi omnes eum in honore haberent, originem ex Siculis ducentem regibus, Ioannes interea excepto Neapolitano cuncta fratris regna nullo reſiſtente ad ſe traxit. Quibus cognitis inops conſilii, & omni reliqua ſpe deſtitutus Carolus, reconciliandam ſibi patris gratiam ſtatuit; & aſſumptis ſecum Lupo, ac præſtantibus Sicilienſium legatis, quibus interceſſoribus vteretur, in Maioricam nauigauit: Interuenerunt & Cathalani oratores, qui patri pro filio ſupplicarent: data eſt venia ſeu vera, ſeu ficta. Carolus ad Barchinonenſes, quaſi tutiſſimum aliquod aſylum confugit: duxerat iampridem, Blanca mortua, Ioannes alteram vxorem Ioannam regni Caſtellæ Admirati filiam, quam ita perdite adamauit, vt ſine illa vix ad horam viuere poſſe crederetur, vt ſunt in adoleſcentulas coniuges deliri ſenes. Ex hac illi altera ſoboles maſculina exorta eſt, Ferdinandus, cui parentes regnum cuperent. Regina vbi priuignum Barchinonæ appuliſſe didicit, ad eum ſalutatum venit, & quaſi filium complexa eſt ante ſe natum, atque vt potuit muliebribus blandimentis deliniuit. Non multo poſt iuſſit rex curias apud Ilerdam conuenire. Ita enim vocant prouinciarum conuentus. Vocatus eſt eò Carolus tanquam de regni rebus grauioribus cum ceteris proceribus tractaturus. Tum primum filius poſt longam peregrinationem in patris conſpectum non ſine honore, & paternæ charitatis oſtenſione admiſſus: verum breui beniuolentia manſit. Inuentæ ſunt (vt amici regis dixerunt) litteræ, quę Caroli aduerſus patrem nouam rebellio-

nem

nem indicarent. Quærebatur ex domo Portugalliæ coniux Carolo, annuente patre: ipſe vero clam eò ſororem Caſtellæ regis ducere parabat, vt eo fauore hereditatem vendicare maternam poſſet,&patris contra ſe frænare furorem. Hiſce litteris(ſiue veræ,ſiue confictæ fuerunt) inuentis, multa iam nocte Carolus in ſuo cubili captus eſt, & tanquam reus maieſtatis,in vnum ex caſtellis extra Cathaloniam miſſus. Regina illi comes ad multũ itineris fuit, vt honeſtior captura videretur. Cathalani re cognita, indignum facinus à rege patratum dicunt,curias liberas eſſe oportere; regi non licere hominem liberũ ex Cathalonia captũ, in alias prouincias mittere: peccatũ eſſe in filio regis,qui ſit futurus heres: cui tandẽ ſecuritas erit,ſi nõ eſt primogenito regni: præſtare mori potius,quàm patrias abrogare leges. Conueniunt apud Barchinonem frequẽtes Cathalani,ac ſeptem & viginti viros eligũt, quibus ſumma poteſtas tradita eſt prouidendi ne quid reſpublica detrimenti patiatur:ii ſexaginta oratores viros primarios ad regem legant, qui violata patriæ iura querantur, & Carolum in priſtinam libertatem reſtitui petant;niſi poſtulata reportent, bellum indicant. Rex aliquandiu ſuperbam legationem ſuſpendit; hinc turpitudinem, inde periculum timens, pudebat ſubditorum imperio parere: quod niſi faceret,totam in armis, non iam Cathaloniam tantum,ſed ipſam quoque Aragoniam aduerſus ſe futurã cernebat, & iam plurimi Aragonẽſes ad Cathalanos defecerant. Victus pudor neceſſitati locũ dedit:degeneres animos impotentia reddidit. Leges pacis ex arbitrio Cathalanorum dictæ in hunc modum fuere. Carolus liber eſto,principatumq; Cathaloniæ pleno iure gubernato,quoad pater vixerit; eo defuncto cuncta regna obtineto. Ferdinandus in partẽ ſucceſſionis,auri ducenta millia nummum habeto:Ioannes in Cathaloniam inuocatus ne ingreditor;ſi pedem intulerit,periurus, ac priuatus habetor,atque impune occiditor. His ita compoſitis, ac iureiurando firmatis, Carolus Barchinonem reuerſus eſt,ingenti Cathalanorum exultatione ſuſceptus,tanquam de rege, eodemque patre triumphator: ſed non longa ei hæc gloria fuit, qui paulo poſt morbo correptus interiit. En vana hominum præſagia: Hunc cum veniſſet in Italiam affirmabant Cathalani,& Aragonenſes omnium regum,qui ſunt in Europa ſuturum maximum, cui non Alfonſi patrui,patriſque regna tantum iudicabantur acceſſura: ſed vlterioriſq; Hiſpaniæ,Legionis,ac Caſtellę hereditario iure ad eum ventura cenſebant. Henrico ad generandum vt ante diximus impotente,Deo longe aliter placuit. Præceſſit patrem filius,priuſque mortem obiit, quàm vel maternum regnum aſſequi poſſet. Cathalani magna ſpe deſtituti fratrem eius Ferdinandum ad ſe mitti principem,&reginam,quę tutrix eſſet impuberis: petierunt regem, quem ſibi ſubiratum non ignorabant, nulli conſilium fuit admittere. Venit regina cum filio, & pluribus menſibus apud Barchinonenſes commorata,id primo ſtudium adhibuit;vt aduentum viri populo ſuaderet. Quod vbi non ſucceſſit, nunc iſtum,nunc illum ex primoribus Cathalanorũ ingentibus promiſſis ad ſe traxit,ſciſſionemq; non paruam inter primores fecit. Et iam erãt qui regem acceſſendum dicerent:ſed vicit obſtinatio vulgi, & nonnulli, qui reginæ auſcultare videbantur,capti,& ſummo ſupplicio affecti ſunt. Per idem tempus agreſtium ingens multitudo, ex quorum cenſu maior pars Cathalanorum viuebat, in libertatem ſe vendicauit,vltraque reſpondere ſuis dominis ceſſauit. Id reginę haud ingratum fuit,exiſtimanti facile Cathalanos eo verbere poſſe domari, perituros aduerſus agreſtes auxilium,nec habituros niſi regem in Cathaloniam admitterent. Longe ſecus euenit: ſuperbiores in dies Cathalani effecti ſunt, omnem agreſtium rebellionem reginę imputantes. Erat in ciuitate Ioannes quidam cognomento Caponius homo audax,& dicendi copia vehemens equeſtris ordinis,qui apud Alfonſum aliquando in pretio fuerat:hic ſuo more per forum atq; omneis plateas vociferans, populares aduerſus reginam incitare adnitebatur: ob quam rem ab ea comprehenſus eſt, & in carcerem coniectus,atque longo tempore maceratus.

Creſcebat in dies ciuitatis odium aduerſus reginam, adeoque proceſſerant hinc, atque inde iniutiæ,vt nec iam vltra regina ciues, nec ciues reginam perferre poſſent, & illa cum iam ſibi timeret educto filio, ad Gerundenſes conceſſit. Exhinc iam non amplius diſſimulari rebellio potuit. Cathalani regem, qui per Belagerium in Cathaloniam intraſſet,periurum eſſe dixerunt, ac regno priuatum rupto fœdere, quod iu-

Reginæ fuga, defectio Cathalanorũ, obſidio reginæ, eiuſq; liberatio, & Cathalano-

rum de ſanctitate mendacia.

riſiurandi religione firmaſſet. Rex non ptius ſe Cathaloniam ingreſſum fuiſſe aiebat, quàm illi aduerſus reginam, & filium Ferdinandum rebellaſſent, licuiſſe ſibi aduerſus improbos ſubditorum auſus, vxori & filio opem ferre. Cathalani ſubito furore commoti, Ioannem hoſtem prouinciæ declarant, atq; impune occidendũ: ciues proceres, epiſcopos, & cuiuſuis generis homines, qui ex Cathalanis ad Ioannem defeciſſent publice proſcribunt, eorumq; bona in publicum referũt, ſi quos comprehendere poſſunt, obtruncant; famam quoq; diſpergunt. Carolũ paterno veneno interfectũ obiiſſe, eiuſque ſepulchrũ ſæpe cum lacrymis adeuntes ſigna, & prodigia ab eo patrata referunt. alteri viſum reſtitutũ, alteri auditũ affirmant. Inueniuntur qui ſe podagra, & qui lepra, & qui hydropiſi liberatos aiunt: quidam etiam abſciſſam ſibi linguam reintegratam apud ſancti viri ſepulchrum aſſeruit; tanta eſt mentiendi licentia. Concurrunt vndique terra & mari ex longinquis regionibus ægrotantes: frequentatur in dies ſepulchrum; & fortaſſe in tanta multitudine, aliquẽ fides curat, aut ſuapte natura morbus deſinit: cuncta miraculo cedunt, & omnia efferuntur in maius, & audita pro viſis referuntur. Placet figmentum Cathalanis, quaſi pro viro ſancto aduerſus regem arma ſumpſiſſent. Coſinas Vicenſis epiſcopus ſimulandi ac diſſimulandi peritus artifex, & infenſus regi, qui ſibi Sagobricenſem abſtuliſſet eccleſiam, epiſtolã per orbẽ diuulgat, & miracula Caroli, exploratã viri ſanctitatẽ affirmat. Afferũtur vndiq; dona languentũ, & cera impletur templum, eoque dementię ventum eſt, vt iubente Cathalanorum ſenatu, ad Pium Pontificem pro defuncti canonizatione ſit ſcriptũ, Pius quæcunque in ea reſcripta, dictave fuere contempſit, atque irriſit, & ipſa deinde per ſeſe fictio elanguit; Cathalani poſtquam regem intraſſe prouinciam cognouere, coactis ingentibus copiis Gerundam petiuere, & occupata Ciuitate noua, quæ in plano iaceret, & ſecum ſentiret, reginam cum filio in veteri, quæ locum editum, & munitiſſimum habet, & à ſolis ſacerdotibus ac Iudæis inhabitatur, obſederunt. Ioannes, qui ſæpe Caſtellæ regis auxilia imploraſſet fruſtra tandem ad Ludouici florentes opes confugit, qui tum recens patri ſucceſſerat in Francia, & magno nomine regnare cœperat atque ab eo ſuppetias in hunc modum mercatus eſt: filius comitis Fuxi Ioannis ex ſorore nepos Magdalenam Ludouici ſororem in vxorem ducito, ac Nauarræ rex eſto comitatus Roſſilioni, & Ceritaniæ, & quæcunque à Pyrenæis iugis in Galliam vergunt ad Ludouicum pertinento: aduerſus Cathalanos tot Gallorum copiæ mittuntor quæ perdere gentem ſufficiant: Nec mora comes Fuxi, & alii duces Ludouici quindecim mill a mil tum in Cathaloniam traduxere, quibus coniunctæ Aragonenſium copiæ, reginam poſt quadraginta dies, & cum iam carnes equinas edere cœpiſſet, ab obſidione liberauerunt, & aliquot oppida ex poteſtate hoſtium ademerunt. Interuenere pleraque certamina, verum non magna, neque admodum cruenta, in quibus Cathalana res ſemper inferior viſa eſt: in captiuis tamen ſæuire Gallici, quibus præcidere guttura, ſacrificium fuit: creuit animus regi, atque ad ipſa Barchinone ſuburbana promouit caſtra, ſtatuitq; terra & mari inimicam vrbem & quaſi regum perniciem obſidere, tandemque victam ferro proſcindere.

Legati Barchinonenſis oratio ad regem Caſtellæ, vrbiſque deditio, ac crudelitas Gallorum in Francauilla.

Barchinonenſes aduerſus duos potentiſſimos reges ſe fruſtra conatutos animaduertentes, niſi externis opibus adiuuentur legatos ad Henricum Caſtellę regẽ propere tranſmittunt, quorũ principem fuiſſe tradunt Ioannẽ Caponẽ, cuius ſupra meminimus: eius verba in hanc ſententiam fuiſſe didicimus. Salue regum maxime, Cathalani ad tuas opes confugiunt, ſe ſuaq; omnia felici coronæ dedentes tuæ. Accipe munus, quod ad te defero tua celſitudine dignum: Barchinonem tibi opulentiſſimam ac pulcherrimam vrbem, & omnem Cathaloniam dono; nec tu alienam prouinciã donari exiſtimes, libera eſt, & ſui iuris Cathalonia: Ioannes antea rex cum primogenitum filium contra ius faſque coniecißet in vincula, cumque tandem liberaſſet, ita cũ Cathalanis conuenit, ne deinceps vllo vnquam tempore prouinciam ingrederetur; ſi pedem inferret, principatu excideret. Intulit; priuatus eſt. huc accedũt ſacræ parentum leges, quæ regno indignum cenſent: ſi quis arma externa in regnum adduxerit, En Galli adſunt efferata gens, quæ ferro, & igne graſſatur: hanc Ioannes introduxit. Quid dixerim de comitatu Roſſilionis Francis dato, & à corona noſtra direpto. Hæc qui faciũt, & periuri ſunt, & regno priuati. Cathaloniam iam rege carens, ad te recurrit, te

Digitized by Google

rit, te protectorem, te regem, te dominum vocat. Noli vocantem ſpernere, digna eſt amplexu tuo, quę te petit ſponſa: nec tu primus fueris, qui ex Caſtellę ſanguine regnaueris in Cathalonia: non adibis terram tuo generi incognitam ſæpe Caſtellani reges eius regionis potiti ſunt, & multa illic oſſa tuorum iacent progenitorum, quę magnopere timent ne ferro effodiantur Gallico. Audi voces eorum de tumulis clamant: *Veni Henrice, veni, libera nos de manu Gallica.* O ſi audires voces populi, qui te deſiderat, & nobilitatem prouincię cerneres, & quanta eſt expectatio regni tui; profecto quod offerimus vltro quæreres. Nam quis aliquando regum fuit, qui non extendere regni limites adnixus ſit, cum iure potuit? Ego tuo regno magnam hodie acceſſionem affero, eamque iuſtiſſimam: neq; hic magnis exercitibus opus eſt, ſatis fuerit ſi te dixeris velle. Dic te Cathalonię dominum, & ſalui ſumus: vmbra tui nominis nos tuebitur, Gallicus miles diu manere in Cathalonia nequit, neque Aragonenſis eſt, qui tecum contendat: quod ſi prorſus armis opus fuerit, Caſtella, viros; nummos, habet Cathalonia. His dictis perſuaſus Henricus legatos Barchinonem miſit, qui Cathalanos in ſua verba iurantes acciperent. Miſit & aliquas copias in Aragoniam ad Ioannem Diſſeritanum, qui apud Alchanitium, & vicina oppida res Aragonenſes perturbauit. Ingreſſi ſunt & equites circiter quingenti Caſtellanorum Barchinonem, famaque facta eſt, regem ipſum cum maximis exercitibus properare. Quæ cum accepiſſet Ioannes, haud quaquam tutum exiſtimauit obſidioni Barchinonenſium incumbere; quorum eſſet munitiſſima ciuitas, & populus ferociſſimus, & locus is eſſet obſidentium, cui facile poſſent commeatus prohiberi. Retroceſſit igitur, & ad villam Francam locauit caſtra. Gallici primo incurſu iam imminente nocte, ſcandere muros, & oppugnare oppidum cœpere. Pugnare amplius non permiſere tenebræ: triginta iuuenes, qui ſaltu in oppidum deſcenderant, relicti à ſuis trucidati ſunt. Sequenti die ſummo diluculo Gallicus furor ad mœnia procurrit, atque admotis ſcalis, ſumma vi adnixus, oppidum capit. Quæruntur triginta viri, qui ſuperiori veſpero muros tranſcenderant, inueniuntur cæſorum cadauera: quibus viſis nulli deinceps miſericordiæ locus fuit: debacchantes in ſanguine Galli, obuios quoſq; iugulauere ſupra trecentos & quinquaginta viros, neque enim plures eius loci habitatores fuerant, vno impetu necauere: à pueris, ac mulieribus ægre temperatum eſt rogando, obſecrando, atq; etiam flendo: rex tandem fragili ſexui, & ætati teneriori veniam impetrauit. Iacebant per vicos & plateas horrenda interemptorum cadauera, & cruore cuncta infecta erant: tetrum ſpectaculũ, & miſerabilis loci facies, ſine viris relictæ feminæ patrios lares omni ſubſtantia vacuos vlulando ſeruauere.

Poſt hęc aduerſus Ioannem Diſſeritanum ductus exercitus, nonnulla eius Caſtella ferro ac igne vaſtauit, Perpinianum nobile oppidum eſt, magnæ vrbis inſtar populo plenum, & opibus abundans, Cathalanici iuris, citra Pyrenęum ſitum, quod in cõmuni gentis rebellione Barchinonenſium cõſilia ſecutum, magiſtratus regios eiecit: aggreſſumque arcem oppugnare, adeo valida cinxit obſidione, vt nihil inferri poſſet: & iam disiectę turres & conquaſſata machinis propugnacula, muriq; multis in locis aperti, inuitare ad irruptionem hoſtes videbãtur, & præſidium quod inerat quingentorum circiter virorum robuſtiſſimæ iuuentutis, iam fame cœperat laborare, equina tãtum carne, eaq; perparce conueſcens. Inſtare oppidani dies nocteſq; muros quatere, ignes ac lapides, & putrida cadauera, reſq; fœtidiſſimas ad obſeſſos iacere, admouere, ſcalas aſcendere, properare, vrgere, pugnam pro mœnibus aſſiduam gerere, pro ſauciis integros ſufficere, nullam miſeris obſeſſis permittere requiem. Interea Gallica manus à Ludouico miſſa virorum fortium, cum arci appropinquaſſet, dato ſigno, vt ſe irrumpente obſeſſi quoque in hoſtes irrumperent, maximo impetu in oppidanos fertur, vrgentur & à tergo & a fronte Perpinianenſes, nec poteſt vrbana militia caſtrenſis faciem ſubſtinere. Exercitatus aſſiduis præliis Gallicus miles, quaſi cum pecudibus pugnet, ſtragem edit: fugiunt tandem Perpinianenſes multa occiſione cæſi: fugientes ſequitur hoſtis; ſimulq; oppidum ingreditur, nec mora Perpinianenſes manus dantes, Ludouici magiſtratus admittunt, & qui iam multis ſæculis vltra omnium memoriam ad reges Aragonum ſpectauere, noſtra demum ætate Gallici iuris effecti ſunt. Dum hæc geruntur, ſæpe legati & Ioannis, & Ludouici regum ad Henricum vl-

Obſidio Perpiniani vrbis, & ſuſceptio Gallicum, vrbiſq; expugnatio.

terioris Hiſpaniæ regem profecti, & ab illo ad hos miſſi de concordia tractauere. Poſtremo induciæ ad tres menſes dictæ ſunt, & vox facta tris reges apud Baionam conuenturos, cuius veritatem rei exitus declarabit.

Res geſta in Neapolitano à Ferdinãdo rege, & eius hoſtibus: matrimonium contractum cum Antonio Pii nepote, & regis filia, & omnium copiarum numerus.

Inter hæc Ferdinandus ad Ieſualdum caſtra ponit, non parui momenti oppidum Auellini comitis, per quod ex Apulia commeatus ad Nolanos deferebãtur, qui alioquin rei frumentariæ penuria premebantur. Picininus vt obſeſſis opẽ ferret, cum copiis appropinquauit, nec tamen auſus eſt hoſtes inuadere. Oppugnatum ſumma vi oppidũ, tandem concuſſis mœnibus, in deditionem acceptum; præſidiũ quod inerat, magna ex parte cæſum. Exin paternum, & alia pleraque eiuſdem comitis oppida partim vi, partim deditione in poteſtatem regis peruenere. Poſtremo, & ipſe comes, & aliquot alii eiuſdem prouinciæ tyranni deditionem fecere. Capiebantur caſtella in hoſtium conſpectu, nec illis animus erat pericliãtibus ſubuenire, ne de ſumma rerũ pugnare cogerentur. Picininus in alto monte caſtra locauerat, Ferdinãdus proximos inſederat colles facturus pugnæ copiam, ſi hoſtis deſcenderet. Spectabant ſe ambo exercitus, & leuibus præliis alter alterum laceſſebat, prouocabant ſe inuicem, ac ſubtili ingenio confundere acies conabantur, ſi forſitan in errorem percurreret hoſtis: hinc Sforgiadæ, inde Bracciani, ante alios equites bellum ciere, lanceas currendo in hoſtes frangere, enſe pugnam incipere. Sic multos duxere dies, nullo inſigni commiſſo certamine, cum ſibi quiſque timeret; nec fortunam experiri ſine magna prærogatiua auderet. Prior tandem Picininus è loco diſceſſit, & longis itineribus ad hyberna profectus eſt, quib. diſpoſitis, Venuſiũ occupauit, Horatii patriã fame laborantẽ. Rex pariter ſuis per hyberna diſpoſitis, Neapolim rediit; Mariamq; filiam ſuã Antonio Picolomineo in matrimoniũ copulauit, dotis nomine Amalphitano conceſſo ducatu: qui tamẽ in caſu reſtituendæ dotis, quoad viueret Antonius, ab eo repeti non poſſet. Addidit & iuſtitiæ magiſterium, quod inter ſeptem regni officia præcipuum cenſent. Factæ ſunt nuptiæ ingenti multitudinis alacritate, perſuadentibus ſibi populis nunquam deinceps Romani Pontificis auxilia defutura, cum nepoti Papæ regis filia nupſiſſet. His & alia ingens acceſſit lætitia; Vrſus vrſinus, qui pro Tarẽtino principe Nolam in Terralaboris Marilianum, & alia pleraque oppida cum valido præſidio retinebat, procurãte archiepiſcopo Rauennate Apoſtolicæ ſedis legato cum omni exercitu ſibi credito ad Ferdinandum defecit, & qui alieno nomine Nolam cuſtodiebat, ſuo retinuit, eius vrbis comes effectus: atq; in hunc modum ad primum & ſexageſimũ annum iam peractum res bellica in regno Siciliæ ducta eſt, nutante adhuc belli fortuna, & in annum proximum vtrique parti ſpem miniſtrante exercitibus adhuc integris, ac per diuerſas prouincias pro rerum neceſſitate collocatis. In Calabria pro Ferdinãdo ſex equitum turmæ duci ſancti Marci fuere, Marco Bareſi duæ, comiti Terranouę vna, Baldaſino duę; Colæ Iacobo vna; pro Rhenato marchioni Crotoniati, & comiti Nicaſtrenſi ſeptem; principi Roſſani vna; in Aprutio pro rege militauere Matthæus Capuanus, & Ludouicus Maluetius ſex turmas habentes; & cum pari exercitu magnus Mareſcallus, & fratres: quibus oppoſiti fuere Caudolę cum quinq; cohortibus Franciſcus Ortonenſis, & Montorii comes cum duabus. In Terralaboris duci Amalphitano quinque turmæ fuere; Iacobo Comiti duæ; Vrſo Comiti tres. Erat & in propinquo Federicus Vrbinas duodecim cohortium ductor. Pręter has, extraordinarias turmas duxerũt Iacobus Caietanus vnã; comes Grauinæ vnam; Fabricius Lagoniſſæ vnam; Robertus Vrſinus quatuor; comes ſancti Seuerini ſeptem; comes ſancti Angeli vnam; dux Venuſii duas; Barnabos vnam; Ioannes comes quatuor; Sfortianorum vero, quibus pręfuit Alexander, viginti fuerunt turmæ inſigni apparatu & valido militum robore. His oppoſitę hoſtiũ acies fuerũt, principis Roſſani in Terralaboris quinque; Sorani ducis duæ; Iacobi Picinini quatuordecim; principis Tarentini quindecim; ducis Melfię duæ; ducis Ioãnis Rhenati filii duę; Herculis quatuor; Ioannis Coſſę vna; comitis Campibaſſi, & Iacobi Montis agani quinque; comitis Capaccię vna. Atq; his armis munitę partes æſtatem expectare futuram decreuere. Peditum quoq; par numerus vtramq; partem ſequebatur. Maiora militũ hyberna in Apulis cõſtituta ſunt, apud quos belli pondus expectabatur, quorum pars maior ad Gallos, & Tarentinum defecerat. Ad Pium dum iſta geruntur, Carlota regina Cypri Ludouici

Sabau-

Sabaudii ducis vxor profecta eſt, rebus afflictis auxilium petens. Scripturi aduentus ſui cauſam, & quibus honoribus excepta fuerit, haud ab re viſum iri arbitramur de Cypro inſula, & de fortuna regum paulo altius ſermonem ordiri.

De Cypro. Cyprus cadentibus rebus Romanis diu ſub Imperio Græcorum fuit, qui poſt Cõſtantinum apud Byzantium regnauere. Riccardus Angliæ rex Græcos ex inſula delecit, cum Hieroſolymam claſſe petens, eo tempeſtate delatus, portu prohiberetur. Indignatus enim arma, quæ in Saracenos parauerat, in Græcos vertit, eiſq; inſulam abſtulit, ſpoliatamq; firmo ſuorum præſidio communitam reliquit. Nec diu poſtea Guidoni Luſiniano genere Gallico, qui de Hieroſolymitano regno cõtendebat eam permiſit; Guido ab Anglico acceptã ſibi & poſteris vſq; in hæc tempora obtinuit. Poſt varias ſucceſſiones regnum ad duos fratres peruenit, quorum alter nomine Petrus claſſe inſtructa cum Cathalanis, & Gallicis Alexandriam Ægyptiorum inuaſit, ingreſſuſq; vrbem mediam diripuit: & quamuis occurrentibus innumerabilibus Barbarorum copiis fugæ ſeſe commiſerit, ingentem tamen prędam, & ditiſſima ſpolia reportauit. Nec multo poſtea vt nulla reperitur ſancta regni ſocietas, à fratre interfect⁹ eſt, & regnum ad occiſorem delatum; cui nec longa quies, neque impune parricidium ceſſit. Cum ſolemne cõuiuium inſtituiſſet, quod annis ſingulis inſtruere mos erat dira calamitas obtigit. Inuitati Genuenſium, ac Venetorum mercatorum iudices, quos Bailiuos appellant, magna inter ſe concertatione de priori conſeſſu certauere: cumq; rex Venetis propẽſior videretur, indignati Genuenſes armis ſuam dignitatem retinere ſtatuerunt; tectiſque ſub veſte gladiis regiã ingrediuntur. Quod reſciẽtes Venetorum primores, qui in inſula erant, regem adeunt, atq; inſidias ſuo capiti paratas dicunt: iuuentutẽ Genuenſium ad maturandum facinus armatam intraſſe palatium. Rex miſſis è veſtigio, qui rẽ inquirãt, inuẽtos cũ armis Genuẽſes in ſublimẽ palatii locũ rapi iubet, atq; ex altiſſimis feneſtris in forũ pręcipitari, ſtatuta militum cohorte, quę lãceis, ac gladiis cadẽtes exciperet; tantũ maligna potuit accuſatio. Reliqui etiam per Cyprum cõmorantes Ligures perquiſiti, ac necati ſunt, ita vt vix vnus ex tanta clade ſuperfuerit, qui rẽ geſtam in patriã renuntiaret. Accepit tamen dux Genuenſiũ ac ſenatus paulo poſt atrocem iniuriã ſuorum, atq; in vltionẽ erectus, intra quadraginta dies potentiſſimam claſſem armauit, & in Cyprum miſit: cuius aduentus eodẽ fere tempore & auditus, & viſus eſt. Fregoſius claſſi præfectus expoſitis in terrã copiis, mox Nicoſiam profectus ægre defenſam cepit, atq; vna excurſione regem ac reginam, & vniuerſam inſulã in poteſtatem ſuam redegit; interfectiſq; nefandi conſilii auctoribus ingenti ditatus præda, maiori cum gloria, & breuiori tempore quàm ſperaretur, domũ rediit. Rex cum coniuge in carcere diu ſeruatus eſt, & regina prægnãs in captiuitate peperit. Tandẽ venia data eſt, & regnum tributarium factum: vrbs nobiliſſima, & totius inſulæ præcipuum Emporium Famaguſtam vocant, nos Fanũ Auguſt. appellatũ olim credimus, de regno recepta Genuẽſi populo applicata fuit, portu, ac vectigalib. diues. Puerum regi natum Ianum appellauere, quod in Genua fuiſſet editus, quam noſtra ætas Ianuam vocat. Aduerſus hunc, cũ patri ſucceſſiſſet, in vltionẽ direptæ Alexandriæ, Soldanus Ægypti Melchela validiſſimã claſſem trãſmiſit, qua veluti tempeſtas horrida cuncta corrupit; Cyprios occurrere auſos proſtrauit in campo; Ianum regem captiuum abduxit; Nicoſiam regni caput diripuit, eccleſias incendit; & omnem ferme populum rapuit in ſeruitutem; vacuas vrbes, & inſulã pene ſolã reliquit. Rex tandẽ centum & vigintiquinq; millibus aureis redemptus, & tributarius Ægyptiorum factus, in regnum rediit. Dum inſulam Ægyptii ſpoliarent, & eorũ nauigia paucis cuſtodib. ſeruarentur, in littore nauis Veneta, quæ peregrinos quot annis Hieroſolymã vehit, voto peracto rediens, huc applicuit, & paulo poſt ſex Cathalanorũ naues aduentaruut, quarum patroni Veneto ſuaſerunt, vt ſigna deponeret, ſimulq; claſſem Ægyptiam aggrederetur, futurum vt opulenta ſpolia referrent. Paruit Venetus; Cathalani inter noctis tenebras mutato conſilio dilabuntur. Ægyptii in ortu lucis ad litt⁹ redeuntes, nauim Venetã ſolam, & ſine ſigno inuentã adoriuntur, ac breui expugnant, iubẽtq; peregrinos, ſi viuere velint, erectis digitis Chriſtũ negare. Mira virtus, nemo repertus eſt, qui pluris vitam, quàm fidẽ fecerit: ob quam rẽ viri trigin-

ta, qui prælio ſuperfuerant, vincti deponuntur in littore, atq; ibi lapidibus cæſi, & obruti vſq; ad vltimũ ſpiritum Chriſto benedixerunt: felix exitus, & optimo cuiq; optãdus: feminas in captiuitatẽ ductas, apud Alexãdriam Veneti mercatores redemerunt; inter quas vna ex noſtratibus fuit Pientiæ nata, vidua & ſancta mulier. Ianus per tot aduerſa vitam agens, tandem Ioanne filio impubere relicto, mortẽ obiit. Puer inter feminas educatus, cum virilem ætatem attigiſſet, mulierem ſe magis quàm virum oſtendit, inter epulas atq; delicias torpens, ſemper ſub tutoribus & curatoribus vixit: vxorem tamen duxit ex familia Montisferrati, quæ in Cyprum aducta, peractis nuptiis ſiue aeris intemperie, ſiue (vt fama eſt) veneno mox periit, & comitatus eius pene vniuerſus interiit. Nec poſtea repertus eſt ex occidentalibus regibus, qui ſuam illi filiam deſpondere vellet. Itum eſt ad Græcos, & in Peloponeſſo quęſita coniux ex Paleologorum proſapia Helena nomine ingenioſa & cordata mulier; verũ Græca inſtituta perfidia, Latinis inimica ſacris, & Romanæ hoſtis Eccleſiæ. Quæ vbi conſummato matrimonio viri vecordiã cognouit, nõ tam reginam, quàm regem egit: regnum ipſa gubernauit: magiſtratus veteres depoſuit, nouos inſtituit: ſacerdotia pro ſuo arbitrio ordinauit; & eliminato Latinorum ritu, Gręcanicum ſuperinduxit; belli paciſq; leges dixit. Viro ſatis fuit cõuiuari, deliciiſq; affluere: atq; in hunc modum vniuerſa inſula in poteſtatẽ Græcorum rediit. Potentiſſima apud reginã eius nutrix habebatur; & apud nutricem filius, atq; is rerum dominus: ipſe enim matrem, mater reginam, regina regem regebat. Ioanni ex concubina Iacobus natus eſt magni ſpiritus adoleſcẽs; ex coniuge, Carlota filia, quæ poſtquã adoleuit, Ioanni regis Portugalliæ patrueli primum nupſit. Vir eius conſenſu procerum in regnum accerſitus eſt, qui viuente ſocero rem adminiſtraret: iam enim muliebris regiminis non minus tædebat populum, quam pudebat Aduenienti Portugallenſi, celebratiſq; nuptiis, cuncta in eius manu poſita ſunt, forma regiminis correpta; diuina & humana reformata negotia, Romanę Eccleſiæ ritus inſtauratus; reginæ ac nutrici adempta poteſtas. Nutricis filius noui principis faciem veritus Famaguſtam conceſſit, quo ex loco matri ſuaſit, ſi ſe cum filio ſaluam vellet, veneno vt Portugallenſem extingueret, quo viuo vitam ipſe diu ſeruare non poſſet; nec ſurdo cantata fabula: venefica mulier, conſentiente regina (vt fama fertur) nobiliſſimum principem toxico ſubſtulit: atque ita priores illecebræ, & damnata Helenę imperia rediere. Filius quoq; nutricis gloriabundus ex Famaguſta rediens quaſi dominus & rerũ omnium moderator receptus eſt; qui Carlotã ludibrio habens, multis eam contumeliis affecit. Illa ad fratrem confugiens ſuas cõqueſta calamitates, opem petiit. Iacobus nõ tam ſororis gratia, quàm regni ſibi parandi, Gręculum cunctis inſultantem ſua manu interfecit, cœpitq; cum amicis id agere, vt rex appellaretur, quod iampridẽ in animo geſſerat: vt primum enim ſapere aliquid cœpit, videns patrẽ mentis inopem ex matrimonio virili prole carere, ad regnum aſpirauit; indignum exiſtimans, aut ſororẽ ſibi, aut ſororis virum præferri. Quod præſagiẽs Helena, viro perſuaſerat, vt filium regni cupidum, extra matrimonium natum, Eccleſiæ traderet, ac ſacris ordinib. initiaret; ſic futurum vt regnandi ſpem poneret. Vacua per id tẽporis paſtoris regimine eccleſia Nicoſiẽſis erat, hanc Iacobo ſpõdent; poſtularique præſulem curant, atq; in poſſeſſionem deducunt: quod Romana Eccleſia nunquã ratum habuit. Sed poſt Græculi cædẽ, regina & nutrix aduerſus Iacobum inſurgentes, eum vrbe regia pepulerunt. Ille apud iudicem Venetorum aliquandiu latitãs, tandem apparato nauigio conceſſit in Rhodum. quo in loco nõ ſine honore habitus eſt. Interim Carlota ſuaſu matris, ac procerum Ludouico Sabaudiæ ducis filio nubit, eumq; quàm celerrime ad ſe proficiſci hortatur. Medio tempore Iacobus ſpe regni amiſſa, per amicos apud Nicolaum Pontificẽ maximum inſtat, vt eccleſiæ Nicoſienſi præficiatur; ſed Helena & Carlota contra nituntur, negantq; ſanguinarium hominẽ, & qui regnũ ſeditionib. agitet in Eccleſiæ militia recipiendum: litteræ caſu à Iacobo intercipiuntur, qui cõtracta amicorum nõ parua manu in Cyprum nauigans, clam regiam vrbem ingreditur, eorumq; domos adiens, quos ſibi norat infenſos, cunctos interficit, bona inter amicos partitur, & tanquã victor in ciuitate moratur. Regina interim moritur, & paulo poſt rex; vir muliere corruptior: quamuis forma & habitu corporis regio dignus honore videretur: ſed quàm erat exteriori decorus ſpecie, tam

fuit

fuit ignauus,& turpis animus. Inter hæc turbato multifariã regno accerſitus crebrioribꝰ nunciis Ludouicus apud Venetias claſſe parata, in Cyprum nauigat, magnoque omnium applauſu, ac fauore rex appellatur. Iacobus eius aduentum haudquaquã expectare auſus, conſilio & ope, vt aiunt, Marci Cornarii patricii Veneti potentis amici, qui ſibi nauigium cõceſſit, cum amicis ferme cẽtum in Alexandriam nauigauit, Soldanum, quamprimum liceret conuenturus, eiuſq; opem imploraturus. Soldanus miſſis obuiã primoribus ſuæ curię, eum ad ſe quàm celerrime venire iuſſit, & magnis honoribus venientẽ accepit: qui vt in conſpectu datus eſt; Supplex, inquit, ad te cõfugio (regum maxime, ac potẽtiſſime) tu mihi dominus es, & vt clemẽtia tua ſpõdet, adiutor & tutor eris. Ioãnes pater meus, qui tibi quot annis tributum pendebat, ſuperioribus diebus è vita deceſſit, nec præter me virilem ſobolem reliquit. Soror mea Carlota virum ſibi ex Gallis accerſiuit; eum Cyprii regem ſuſceperunt, me poſthabito, quem regnare par fuerat; ſed tuum eſt regnũ Cypri, tuum eſt diffinire quẽ regnare oporteat. Natura maſculis nõ feminis imperium dedit, nec æquitas permittit regũ filios extraneis cedere. Reſpice, oro, fortunam meã, nec me rege natum paterno regno mihi iure debito priuari ſinas: paternam hereditatẽ à te poſtulo, qui meus iudex es, niſi cauſam meam ſuſcipis, exul à patria regius ſanguis alimenta mendicabo. Indigna hæc tuo nomini inuretur nota, qui ſubditorum iuſtas cauſas non defenderis: nec è re tua fuerit me repulſo, cuius maiores ſeruire tibi didicerunt, Gallicum hominem Cypriorum regno præeſſe. Noſti ſuperbiam gentis, & quanta ſuperioribus ſæculis Ægyptiorum imperio attulerint Gallorum claſſes incommoda: nunquam Alexandria, aut alię maritimæ vrbes pacem habebunt, tenentibus Cyprum Francis Occidentalibus regibus: quod ſi me foueas, tam tua Cyprus, quàm Ægyptus erit. Nec tu difficilem rem credideris paternum atque auitum mihi regnum reſtituere. Multi ſunt, qui meis rebus ſtudent: nec aliud optant quàm tuo fauore præditum me redeuntẽ cernere. Parua claſſis in ſolium paternum collocabit. Satis amicis meis fuerit tua ſigna vidiſſe, & tuis auſpiciis bellum geri, cetera ipſi expedient. Nec dubita breui me ſeruum tuum Cypri regem videbis. Tantum facito, vt te velle intelligam. Mouerunt ea verba non Soldani modo, ſed omnium qui aderant animum, nec quiſquam fuit, qui nõ indigna pati adoleſcentem arbitraretur, eiq; ſubueniendum exiſtimaret. Erat enim Iacobus duos & viginti natus annos, forma egregia & ſtatura corporis patri perquam ſimilis. Verum animi dotibus & eloquentia longe diſpar. Placuit Soldano ſubuenire ſupplici, moxq; regiis ornamentis allatis, Iacobus veſte purpurea de more indutus, ceteriſq; inſignibus adornatus, quibus regibus vti mos eſt, in conſpectu Soldani, & omnium procerum rex declaratur, qui Soldano huiuſmodi iuramento ſe aſtrinxit. Per Deum magnum & altum, miſericordem & benignum, formatorem cæli & terræ, & omnium quæ in eis ſunt, & per ſancta hæc Euangelia, per ſanctum Baptiſma, per Ioannem Baptiſtam, atque omnes ſanctos, ac per fidem Chriſtianorum, promitto & iuro, quòd omnia quæ nouero, aperta erunt domino meo altiſſimo Soldano Ægypti, cuius regnum Deus fortificet: ero amicus amicorũ ſuorum, & inimicorum inimicus. Nihil eum celabo, neq; piratas in regno meo patiar, neque his victum, aut auxilium dabo; Ægyptios, qui meo in regno ſeruiunt emam, & libertate donabo. Auri quinque millia nummum in calendis Septembris, aut Octobris tributi nomine in templis altiſſimis Hieruſalem & Lamech ſingulis annis offeram, Coloſſeos prohibebo, ne piratis arma miniſtrent. Quæcunque digna cognitu nouiter emerſerint Soldano enunciabo, in iuſtitia & veritate procedam: nihil mea in parte fraudulentum erit. Quod ſi aliquid horum neglexerim, ero apoſtata, & mandatorum ſancti Euangelii, Chriſtianæq; fidei præuaricator: dicam Euangelium falſum eſſe, negabo Chriſtum viuere, & matrem eius Mariam virginem fuiſſe: ſuper fonte Baptiſmatis camelum interficiam, & altaris presbyteris maledicam, diuinitatem negabo, & Ieſu nuncii humanitatem adorabo, ſuper altari cum Iudæa fornicabor, & ſanctorum patrum maledictiones in me omnes recipiam. Sic iuratus per vrbẽ circunductus præcipuis honoribus cumulatus eſt, claſſe decreta, quæ illum mox in Cyprum veheret. Prius tamen litteræ in hanc ſententiã Soldani nomine ad Ludouicum Sabaudiũ Carlotæ maritum ſcriptæ ſunt. Veniſti ab occiduis partibus, vt alienum regnum in Oriẽ-

re inuaderes,ac paterna hereditate filium exueres, vana eſt cogitatio tua. Cyprius mihi vectigalis eſt,& meum de rege iudicare,niſi quãprimum abieris, Ægyptio peribis gladio:ſi Carlota vxor tibi cordi eſt,poteſtatẽ facio,vt eam tecum auferas: ſi tamẽ prius receſſeris quàm ſecundo monearis. His acceptis toto regno trepidatum eſt, ingenſq; mœror omnium mentes peruaſit,cum neque Soldani iuſſibus reſiſtere poſſent,neque ſine turpitudine obedire. Poſtremo cum remedium nullum aliud inuenirent,legatos ad Soldanum mittere placuit,qui eius mentem lenirent. Miſerunt & ſimul Rhodienſes viros ex religione primarios, qui apud Cayrum conuento Soldano Ludouici Sabaudii cauſam humilibus verbis defendere conati ſunt; nil eum de iure Soldani ablaturum veniſſe dicentes, Ioannem Cypri regem, Carlotam filiam vnicam ex matrimonio ſuſcepiſſe,quam ſecundum Chriſtianas leges regni reliquiſſet heredem. Iacobo ex concubina nato,regnum nequaquam deberi:maritum pro coniuge Chriſtianorum more coronæ iura ſortiri:hortari ne regni conſuetudines iuſtus iudex confunderet,neve Chriſtianis Chriſtiana inter ſe iura negaret: Ludouicum Soldano in omne tempus amicum vaſallumq; futurum,tributumq; ſuis temporibus libentiſſime præſtiturum,Iacoboq; decẽ millia auri nummum ſingulis annis quoad viueret traditurum. Re diu in conſilio apud Soldanum agitata, iam eò ventum erat, vt poſtulata Ludouici pene admitterentur, triginta millibus aureis ſuper adiectis (hanc enim ſummam loco impenſarum Soldanus expoſcebat) nec Ludouicus pro retinenda pace abnuebat. Sed ambiens Iacobus modo iſtos, modo illos amicos, ac Soldani purpuratos fidem domini accuſans,qui ſe paulo ante regem declaratum deſereret,Gallicæq; perfidiæ proderet,purpuratos quoſque in curia potentes hortabatur,vt Soldano ſuggererent,ne Gallicis oratoribus auſcultaret, neve ſe ſemel in fide receptum relinqueret. Aderat ei Soldani filius æqualis ætatis, qui eius calamitatis miſerebatur:aderant & tres Mamaluchi in palatio potentes, qui precibus aſſiduis Iacobum commendabant: ſed parum eorum conamina valuiſſent, niſi Maumethes Turcarum Imperatoris legatus opportuno in tempore affuiſſet: qui verba huiuſmodi habuiſſe fertur. Accepit amicus tuus Turcarum Imperator Maumethes, te Iacobum Cypri regẽ appellaſſe,eumq; in patrium regnum ſtatuiſſe reſtituere; digna res, quæ de tuo ſolio manaret,& noſtræ religioni accommoda. Sed renuntiatum poſtea eſt,te mutato conſilio pacem cum rege Gallico paciſci,& quem iuuare cœpiſti, velle deſerere; tanquam ignores quanto proſequatur odio gentem noſtram Gallicus ſanguis,neq; Gotfredi,Balduiniue,aut aliorum huiuſce gẽtis facta mente teneas, qui ſæpe maiores noſtros magnis cladibus afflixerunt. Vide quid agas,ſi pax tibi cum Gallico genere cordi eſt,cum noſtro bellum expecta;nec tibi cum ſolis Turcis inimicitias futuras putes; Ægyptii,Syrii,& Arabes, quibus præes ſummo te odio perſequentur,nec tuus tibi filius hærebit,qui religionem noſtram Gallicano ſanguini prodideris:quod ſi promiſſam fidem Iacobo ſeruaueris, claſſemq; paratis in Cyprios, Maumethes quoq; alterã parabit in Rhodios, & vtriuſq; inſulæ ſpolia tua erunt: ſolum tantum inſulæ Rhodiæ Maumethes ſibi ſeruatum cupit. Placuerunt Soldano Turci oblata,atq; in eius poſtulata conſenſit. Apparata eſt è veſtigio claſſis, & Iacobus cum magna militum manu in ea vectus Cyprum appulit. Nõ tulerunt eius impetum Galli,quamuis Rhodios adiutores haberent,neq; auſi apud Nicoſiam expectare, in caſtellum,quod Cerines appellatur,ſeſe receperunt. Iacobus reliquis omnibus in poteſtatem receptis,obſidionem aliquandiu circa caſtellum tenuit. Deinde ſpe potiundę munitionis depoſita,dimiſſis cuſtodibus, qui Gallos ab incurſione prohiberent, Nicoſiam reuerſus ad reformationem regni ſe conuertit,legatoſq; ad Pium Pontificem miſit,qui multa peterent faciẽ honeſtatis habentia. Re vera nil aliud quærebat, quàm Chriſtiani regis apud ſedem Apoſtolicam nomen vſurpare:ſed contra illi euenit,neq; enim oratores ſuos tanquam regios (vt ante diximus) Pontifex admiſit.

Carlota regina Cypriæ aduentus in Italiã, eiuſq; oratio ad Piũ & liberale reſponſum.

Carlota,quæ Rhodum petierat,comparatis aliquibus auxiliis, cum noua militum manu,quam ſocer ex Sabaudia miſerat ad virum quem Cypri reliquerat apud Cerines,rediit eo propoſito,vt Nicoſiam peteret, non parua ſpe freta recuperandi regni. Iacobus conſiliis eius exploratis,iter intercepit,conſertoq; prælio multos Gallorum interficit,reliquos in caſtellum repellit:quo in loco vſq; in hanc diẽ Ludouicus obſidionis

dionis incõmoda fert. Reliquæ partes inſulæ Iacobo tanquam regi parent, excepto Coloſſi oppido, quod Rhodii tenent, & Famaguſta, quàm Genuenſium eſſe diximus. Carlota viro dimiſſo iterum contendit Rhodum, ærumnarum deinde plena in occidentem nauigans, Tyberina cum appuliſſet hoſtia, Romã & Chriſti Vicarium viſere ſtatuit, miſſiſq; nunciis qui aditum peterent aduerſo flumine vecta apud ædem ſancti Pauli deſcendit in terram. Pontifex cardinales, & vniuerſam curiam occurrere iuſſit; aduenientemq; in aula conſiſtorii publice excepit, ac deinde in parte palatii ſeorſum collocauit: cibariaq; illi & familiæ magnifice adminiſtrauit. Mulier quattuor & viginti annos nata videbatur, ſtatura mediocri, lætis oculis, facie inter fuſcam & pallidam, ſermone blando, & Græcorum more torrenti ſimili, veſtitu Gallico, moribus qui regio ſanguini conuenirent. In primo congreſſu exoſculatis Pii pedibus pauca locuta eſt: verũ poſtridie cũ inter paucos Pontificẽ cõueniſſet, hanc per interpretem orationẽ habuit. Infelices dom⁹ meę caſus nõ te arbitror (Maxime Põtifex) ignorare: nam quæ regio in terris noſtris nõ plena laboris eſt? Quis neſcit Cypriorum ærumnas, & miſerã regni ſortem? Bis ego infelix nupſi: Virum quem duxi ex Portugallia, repentina & immatura mors abſtulit: quem accerſiui ex Sabaudia Ludouicũ, obſeſſum ab hoſte reliqui; liber an captus ſit, ignoro: Vnicam ex matrimonio filiam in ſpem regni parentes educauerunt: Succeſſi patri, & reginæ nomen paterno iure adepta, cum viro cœpi regnare. Frater extra matrimonium natus, ſi frater eſt, qui ſanguinem ſuum perſequitur, auxiliis ab Ægypto quęſitis, hereditatẽ meam inuadit, regnum occupat, me atq; virum ad necem quærit. Vnicum nobis refugium apud Cerines ſeruatum eſt: illic cruentas euaſimus infeſti germani manus. Inſulam reliquam, præter Auguſti Fanum & Coloſſum, hoſtes tenent: at qui hoſtes? Chriſtianos fortaſſe, aut aliquos religionis amicos aduerſari nobis exiſtimas? Pone hanc opinionem, cum inimicis crucis Chriſti bellum gerimus. Ægyptii Cyprum tenent, noſtræ religionis infenſiſſimi hoſtes, Maumethcæ inſaniæ ſectatores: his data libertas eſt, quos velint ex regno pueros aſportare: templa Dei noſtri deſtruere, Maumetheos ritus inſerere: frater meus pſeudochriſtianus fœdiſſimo iuramento Soldano ſe aſtrinxit, vt regno potiretur. Verum longe deceptus eſt, penes eum nomen regis, penes Admiraglium Soldani, poteſtas erit. Conata ſum quoad potui, mihi & Chriſto regnũ ſeruare: vicit Maumethes: expulſi ambo ſumus: ſpes modica cum viro apud Cerines reſtat, ſi manet adhuc. Ego dum ad te nauigo auxilium peritura, Venetorum naues incurro, quarum gubernatores cunctis me bonis excuſſerunt: vix vnica retenta veſte & cõmeatu modico ad te ſum nauigare permiſſa: regno deiecta inops & nuda prorſus ad te confugi. Subueni oro bis propemodum viduæ: miſerere regii ſanguinis, miſerere infelicis regni, ne prorſus ab orthodoxa fide recedat, ne pro Chriſtianis ſubeant Ægyptii. Tu pater religionis es ac magiſter fidei: te decet in primis curare, ne Chriſtianus cultus imminuatur. Si perit Cyprus peribit & Rhodus, nec Creta ſaluabitur, ad Siciliam vſq; & ipſa Italiæ littora Barbarorum claſſes enauigabunt, ab Ægypto, ab Africa, à Syria, Aſia, & Græcia timendum erit Italiæ, niſi occurris in tempore, niſi prius ſubuenis quàm Orientis inſulæ hoſtium fiant. Mihi ſi opem tuleris non deeſt animus paternũ recuperare regnum, breui parua manus occidentalium militum victoriam dabit. Nõ ſunt Ægyptii, qui vires occidentalium ferant. Nec ego ex te omne auxilium flagito. Ad ſocerum pergere inſtitui, & amitam, ſocrum, & propinquos Galliæ reges: inde (vt ſpero) quantum ſat fuerit exercitus cogam. Tu mihi triticum dato, & vinum quod obſeſſis afferam. Sed neque niſi adiuues in Sabaudiam ire poſſum, tempeſtatibus agitata nequeo ferre amplius mare, neq; in nauibus eſt quod edam: terra quoq; iter mihi clauſum, nec equos habenti, nec argentũ. In tua ſum manu Põtifex, pereo, niſi porrigis manũ. Atq; his dictis illacrymata ſubticuit. Pius ita reſpõdit: Pone lacrymas, atq; confide filia, non te deſeremus: nota tua nobilitas, & tua calamitas nobis eſt: indigna pateris, non inſolita; inſtabile regni ſolium eſt: nulla potentia longa: hos erigi, illos deprimi Deus permittit, & nunc in tuo genere thronum tuum fratri dedit, te in exilium miſit: tui ſoceri, vt arbitramur, & tui viri peccata luis: ſocer rogatus in Mantuano cõuentu ea pro defenſione fidei aduerſus Turcas promittere, quæ reliqui Italiæ principes pollicerentur, nullo pacto perſuaderi potuit, vt vel minimi auxilii ſpem

facere. Vir tuus cum ad te nauigauit, haud quaquam dignatus eſt ad nos vſque Mantuam proficiſci, quod ſibi erat facillimum per Padum ad oſtia Mintii euecto: contempſere nos ambo pater & filius, propter quam rem diximus inter cardinales: contemnit Eccleſiam Sabaudiæ domus, nec religioni dignatur polliceri opem, hic adoleſcens qui modo in Cyprum nauigat, pœnas dabit: dotale regnum ſe poſſeſſurum, exiſtimat: fallitur, eiicietur: vtinam manus hoſtiles euadat. Pater eius, qui nobis auxilia aduerſus Turcas negauit: ad nos ſupplex veniet filio rogaturus opem: faxit Deus vt nos opitulari poſſimus. Euenere prædicta, vtinam falſum fuiſſet quod tunc expreſſimus. Placuit Deo contumaciam plectere & Sabaudienſis, & tuæ domus. Quotiens mater tua Apoſtolicæ ſedis mandata contempſit? portant filii peccata parentum; nemo ſine cauſa miſer eſt. Deus his caſibus te probat, filia: in eo ſpera, & ipſe te liberabit: horridam tempeſtatem placida ſerenitas ſequitur: in quiete finitur labor. Quæcumque poſtulaſti ex nobis feres: equos dabimus, quibus ad ſocerum pergas, & ſumptus itineris, frumentumq; & vinum in Ancona rediens paratum inuenies, quod nauibus ad obſeſſos vehas: exercitum ipſa in Sabaudia, & in Gallia coges, quo regnum vendices. Regina pro reſponſo gratias egit, manſitque deinde diebus circiter decem Romæ, donec Baſilicas martyrum præcipuas viſit, & adlocuta Pontificem quater aut quinquies impetratis quas voluit pro ſe ſuiſque comitibus gratiis, itineri ſe commiſit. Pontifex ſingulos cardinales ſingulos ei elargiri equos iuſſit, & ad numerum vſque neceſſarium ipſe ſuppleuit, diſpenſatoremq; addidit, qui ſumptus itineris miniſtraret, etiam extra terras Eccleſiæ, ſi neceſſitas ingrueret. Comitatus eius equitum circiter quinquaginta fuit, quem Senenſes Pontificis ſecuti exemplum per ſuos fines abunde pauerunt: idem fecere Florentini, & Bononienſes, & deinde reliqui, per quorum prouincias vſque in Sabaudiam ventum eſt. Cuncti, vt reginam decebat, ſummis honoribus excepere, nuſquam minus quam in Sabaudia bene viſa: hic toruis oculis, triſti vultu, verbis acerbis, ac duriſſimis admiſſa eſt. Quid tu (ſocer inquit) hoc tempore ad nos venis? Quæ honeſtas mulierem iuuenem relicto viro ab ortu in occidentem nauigare? tot aliena hoſpitia quærere? Auxilia, inquis, quæſitum veni: at iſthæc virum decebat magis quærere. Quotiens auxilia miſimus? Quotiens opem tulimus? nunc homines, nunc arma, nunc frumentum, nunc aurum ſuppeditamus; & quis modus rebus erit? Sabaudiam exhauſit Cyprus: quicquid pinguedinis fuit ad vos tranſiuit, vacua prouincia eſt. Vos in Cypro regnum perdidiſtis, & nos propediem in Sabaudia carituri ſumus imperio; quando eò ventum eſt, vt veſtri cauſa vectigalia, & omnes cenſus alienaſſe oportuerit: nec meliora his locuta eſt ſocrus, eademque amita. Propter quas res mœrens omni ſpe poſita regina infelix retro per Mantuã & Venetias in Rhodum nauigauit; nec auſa eſt in Gallias proficiſci, iam perguſtata apud Sabaudienſes Vltramontanorum liberalitate, & magnificentia principum.

De Sabaudia, & qui in ea, quave fortuna regnauerant, & de Amedei vita, & antipapatu.

Libet hic, quoniam Sabaudiæ mentio incidit, pauca de principibus eius terræ in medium adducere, quæ æuo noſtro digna memoratu contigere: quamuis in principio huius hiſtoriæ nonnulla de Amedeo & eius pontificatu dixerimus. Sabaudia in alpibus ſita eſt, quæ Galliam ab Italia diſterminant, & à mari Liguſtico vſque ad Heluetios protenditur. Arelatenſis prouincia partem Sabaudiæ contingit, partem Delphinatus, & Rhodanus magnam percurrit partem: præcipua Sabaudienſis dignitas circa Lemannum lacum, cui & Gebenna, & Lauſana nobiliores ciuitates adiacent. Sabaudienſem domum ex gente Saxonica profectam memorant. Olim comites fuere Sigiſmundus Imperator in Conſtantienſi concilio extincto comitatu ducatum erexit. Primus eius gentis dux Amedeus fuit, cuius imperium & vltra & citra montes late patuit. Duodecim pontificales eccleſiæ in eius ditione fuere. Vxorem duxit ex domo Burgundiæ Philippi ducis ſororem. Filiarum alteram Philippo duci Mediolani tradidit; alteram Ludouico regi Sieiliæ, cuius ſupra fecimus mentionẽ: Ludouico filio primogenito coniugem ex Cypro copulauit: affinitate omnibus fere Chriſtianis regibus iunctus eſt: fortunatiſſimum vicinorum miſeriæ fecerunt. In Gallia Burgundorum, & Armeniacorum diſſidia flagrauerunt: & Angliæ furor regnum vexauit. In Italia Veneti & Florentini aduerſus Mediolanenſem principem

impla-

implacabili odio contenderunt. Amedeus procul ab armis in montibus regnans nũc horum, nunc illorum arbiter eligebatur; atque vnus omnium exiſtimabatur, qui ſibi & aliis recte conſulere noſſet. Diu ad eum, quaſi ad alterum Salomonem hinc Itali, inde Galli pro conſilio de rebus arduis recurrerunt. Poſtremo & ipſe quoque vanam & fluxam huius ſæculi ſapientiam oſtendit. Eo iam ſene, Baſilienſe concilium cœpit, quo cum ſtatim ab exordio Pontifex maximus Eugenius diſcordauit. Obierat vxor Amedei, quæ vnica eius fuerat: ſtriges, vt aiunt, futura vane prædicentes Amedeum adiere, eique ſummum Pontificatum obuenturum prædixerunt; quod in concilio deponendus Eugenius eſſet, & ipſe ſubſtituendus. Amedeus ſiue hac ſpe ductus, ſiue alioquin ſuopte ingenio repleto quidẽ charitate & religione, relicto ducali faſtigio, & omni ſæculi pompa procul eiecta, gubernatione ſubditorum primogenito commiſſa, ad eremum conceſſit. In ripa lacus Lemanni è regione Luſanæ altiſſima fuerunt nemora, & ſub his prata decurrentibus aquis irrigua: horum magnã partem muro cinxit, incluſitque ceruos & damas, & quę non ſæuiunt in homines feras. Prope in littore lacus eccleſiam ædificauit, ſacerdotes induxit, præbendas erexit, & dignitates aliquas & manſiones conſtruxit, in quis canoniei commode degerent: nec procul hinc palatium magni operis compoſuit, foſſa & propugnaculis opportune munitum: in eo ſeptem manſiones fuere, ſex æquales dignæ, quæ cardinales reciperent, nulli ſua defuit aula, nulli camera, & anticamera, & ſecreta quædam cubicula, ſeu pretioſarum rerum receptacula; ſeptimam principi dicatam, nemo rege aut ſummo Pontifice iudicaſſet indignam: hic Amedeus habitauit, quem ſex proceres ſecuti ſunt, grandæui & ætate prope pares, quorum vxores iampridem obierant, nemo non ſexageſimum annum attigerat; & quoniam equeſtris ordinis milites fuerunt, & ſæpe in bellis ordines duxerant, nec ſine gloria militauerant, in ipſa mutatione ſæcularis habitus ſub Amedeo decano & magiſtro ſuo profeſſionem nouam induerunt: & ſancti Mauritii appellari milites voluerunt: neq; enim procul ab eo loco ſanctus Mauritius cum legione Thebea pro Chriſti nomine martyrium pertulit: cuncti penulam, & pallium, & cingulum, & baculum retortum, quibus eremitas vti videmus, aſſumpſerunt, & barbam prolixam nutriuerunt, & crines intonſos geſtauerunt: loco Ripalia nomen fuit, mille paſſibus fere ab oppido Tononio diſtanti. Cardinalis ſanctæ Crucis, cum iret ſecundo in Galliam de pace acturus, huc nauibus appulit. Amedeus per ſiluam, quã diximus muro cinctam obuiam venit ad portam, quæ erat in littore. Spectaculo digna rés, & quam vix poſteri credant. Princeps ſæculi potentiſſimus, Gallis atq; Italis metuendus, quem aureis veſtibus ornatum, purpurati admodum multi circumſiſtere conſueſſent, & ſecures præire, atque armatorum ſequi cohortes, & turba potentum; nunc ſex tantum eremitis præcedentibus, & paucis ſequentibus ſacerdotibus in veſte vili & abiecta legatum Apoſtolicum excipit. Veneratu digna ſocietas viſa, Crucem auream eremitæ in pectore geſtauerunt, id tantum nobilitatis ſignum retinuere, cetera contemptum ſæculi præſeferebant. Venere in amplexus cardinalis & Amedeus; & multa ſe inuicem charitate deoſculati ſunt. Nec ſatis cardinalis aut admirari, aut collaudare cõuerſionem principis poterat, quamuis ſuſpecta mutatio calumniatoribus erat, dicentibus Amedeum ſcilicet ſperare Papatum atque idcirco eremitam factum. Manſit in hoc habitu, & in hac eremo Amedeus annos circiter octo: & quãuis curam regiminis ad filium relegaſſet, grauiora tamen ad ſe deferri negotia voluit: nec ducatus titulo ſe priuauit, nec rem pecuniariam alteri quàm ſibi credidit. Interea Baſilienſes aduerſus Eugenium ſtomachati, ad eius priuationem procedere ſtatuerunt; quod cum perfici nequirent, epiſcoporũ deficiente numero, Amedeus cunctos ſuę ditionis epiſcòpos atque abbates, & inſignes presbyteros ad concilium miſit: quibus adnitentibus depoſitio Eugenii tandem extorta eſt, & ipſe paulo poſt Amedeus decreto concilii, iam per Eugenium reuocati, ad ſummum Pontificium acerſitus. Eugenius antequam deponeretur, concilium ex Baſilea Ferrariam tranſtulerat, vt ibi cum Græcis conueniret, de quorum tunc vnione agebatur; verum nec omnibus tranſlatio concilii placuit, nec Eugenii depoſitionem reges ac principes acceperunt. Maior pars orbis Eugenio adhæſit. Germani neutralitatem induerunt, ſola Sabaudia, & Suizzari, & paucæ quædam diœceſes priuationem Eugenii, & Amede-

iaſſumptionem admiſerunt. Legati ex Baſilea in Sabaudiã miſſi viri præſtantes, quorũ princeps fuit Ludouicus cardinalis Arelatenſis, Amedeum apud Ripaliam quæſiuere, eique decretum electionis obtulere: qui habito conſilio procerum (conuenerat enim eo in loco cuncta Sabaudiæ nobilitas) facturum ſe dixit quod de ſe patres ſanctæ ſynodi decreuiſſent. Quo dicto mox in conclaui receptus eſt, & abraſa batba tonſoque vertice, corona breui capillorum dimiſſa, pontificalibus indumentis adornatus, iterum in publicum rediit. Tum ſedens pro tribunali pallio Pontificali, & mitra præditus, ex duobus filiis Ludouicum ſeniorem Sabaudię ducem creauit. Philippum natu minorem Gebennarum comitem, deinde Tononium ſe contulit, pluresque ibi dies curiam tenuit, & adueniente demum æſtate per Lauſanam, & Solotrum apparatu magno Baſileam petiit, ibique præſentibus filiis in ſuggeſtu ante maiorem eccleſiam erecto, aſtante patrum conuentu, in magna frequentia plebium, quę ad rem nouam & inſolitam è vicinis regionibus concurrerant, per cardinalem Arelatenſem in epiſcopum ordinatus eſt, & Apoſtolico diademate coronatus, ſcriniariis & aduocatis Felici quinto, (id enim nomen inditum eſt) à Deo electo & coronato vitam acclamantibus, ſolemnitas omni ex parte celebris fuit, quamuis vnus tantum cardinalis adeſſet, atque idcirco deſpicienda videretur. Cæremoniæ cunctę ſeruatæ ſunt: pompa per vrbem mirabili ornatu deducta. Conuiuium ingenti apparatum ſumptu, cuius omnis curia particeps fuit. Manſit deinde pluribus menſibus in Baſilea Felix; concilio præfuit; cauſas diffiniuit; epiſcopos creauit; cardinales aſſumpſit; Fredericũ Imperatorem illac tranſeuntem clam audiuit, neque enim ille, quaſi Pontificem in publico voluit honorare. Hæc apud Eugenium audita, magnum incuſſere terrorem. Baſilienſes antea ſine duce, ſine capite facile contempſerat; at Felice Pontificatum acceptante, magno principe, vniuerſis Chriſtianis regibus aut conſanguinitate, aut affinitate cõiuncto, qui annos quadraginta ſubditos ſuos in pace ſumma iuſtitia, ac prudentia gubernaſſet, cuius opes inæſtimabiles crederentur, non Eugenii modo, ſed omnium cardinalium, curialiumque mentes ingens metus peruaſit. Iulianus autem cardinalis ſancti Angeli ciuis Romanus, qui diu in Baſilienſi concilio præfuiſſet, in conſiſtorio cum allato nuncio de nouo Pontifice trepidare omnes animaduerteret: Tria, inquit, ſunt (Beatiſſime Pontiſex, niſi fallor) quæ tibi Felicem aduerſarium metuendum reddunt; coniunctio quę illi cum regibus eſt; ſapientia qua præditus exiſtimatur; & ingens pecuniarum vis, quam illi per tot annos pacifice regnãti ſuccreuiſſe putant. Hęc times? ii ſunt hoſtes, quos vereris? cum his tibi bellum futurum eſt? fratres mei, qui ante me locuti ſunt, multa de his rebus dixere, eaſque ſupra modum extulerunt, atque inſuperabilem aduerſarium his eminentem dotibus exiſtimauerunt. At ſi me audias, metum tibi omnem adimam, facile iſta contemnes, hinc tibi victoria dabitur, vnde times exitium, neque conſanguinitas eius, neq; affinitas nocitura eſt tibi. Irridebunt reges, nõ adorabunt hominem, qui è ſæculari principatu ad eccleſiaſticũ euolauerit; virum ſanguinum, qui ſępe in bellis fuerit obuerſatus, indignum ſacerdotio iudicabunt. Vxorem dicent in ſęculo duxit, & filios procreauit, & nunc in altari ſacratiſſimam Chriſti Hoſtiam audet offerre? inuidebunt, & maledicent homini, nemo amabit. Inter ſęculi principes rara chatitas eſt; nec tanta propinquitas vſquam reperitur, quę tollat inuidiam laborantibus conſanguineis, nunquam Amedeus auxilio fuit; Burgundos in bello reliquit, & Francos: qualem ſe præbuit amicis, tales eos inueniet, gaudebunt veniſſe tempus quo vices reddant, deſeretur ne dubita: Nemo illi non emptus adhęrebit. Amedeum ſapientem putauimus, qui multis annis feliciter regnaſſet; non ſua credo prudentia, ſed aliena miſeria felix fuit. Decertantes inter ſe hinc Itali, inde Galli, quietam Sabaudiam reddiderunt: nos quod erat temporis attribuimus homini; fecit ſapientiæ ſuę periculum Amedeus; neque ſe paruo inuoluit negotio: in re omnium maxima peccauit. Ruent ſua conſilia, Felicẽ vocant: ſed ſępe rebus aduerſa ſunt nomina. De pecunia minus dubito: nunquam enim tanta eſt quantam prędicant, neque exponunt qui cumulant. Nihil eſt quod tam nobis proſit, quam pecunioſum aduerſariũ exiſtimari; cuncti ab eo aurum petent, neq; impetrantes inimici abibunt. Hęc mihi de nouo electo ſententia eſt. Qui aliter ſentiunt (meo quidẽ iudicio) nihil ſentiunt. Nec vana Iuliani opinio fuit. Carolus Franciæ rex cum aureorum

triginta

triginta millium petiuiſſet, neque impetraſſet, Eugenium ei præpoſuit. Idem fecit dux Mediolani, qui centum millibus aureis & Bononiam vendere, & Nicolaum Picininum cum nouem millibus equitum in eius exercitu fruſtra tentaſſet adſcribere. Solebat Amedeus dicere cum aurum ab eo peteretur, pulcherrimam ſibi ſobolem eſſe, nolle ſe filios inopes relinquere. Cum manſiſſet per æſtatem, & quæ ſecuta eſt hiemem Baſileæ, nec Pontificatum eius Chriſtiani reges amplecterentur, ſequenti tandem vere in Sabaudiam rediit, & paulo poſt concilium ex Baſilea ad ſe vocauit, cum patres edicto Imperatoris illinc deiicerentur. Poſtremo cum iam ſe omnibus contemptui eſſe cerneret, nec ſpes vlla eſſet obedientiæ nanciſcendæ, mortuo iampridem Eugenio, ac Nicolao quinto ſuffecto, interuentu Caroli Francorum regis, pacem Eccleſiæ dare decreuit. Renuntiauit Apoſtolatui, & Nicolao reconciliatus, quem verum eſſe Pontificem profeſſus eſt, cardinalatum ab eo accepit, & legationem quoad viueret, cardinalis Sabinenſis appellatus, atque ita demum mortuus apud Ripaliam ſepultus eſt: Felix & ſapiens habitus niſi Pontificatum affectaſſe in ſenio fama fuiſſet. Philippus comes Gebennenſis prius obiit quam pater Pontificatui cederet; Ludouicus ſolus retinuit imperium, vir manſuetus, & amans ocii, & qui parere quam imperare aptior eſſet; vxorem duxerat ex Cypro Annam regiam ſororem audacem feminam, quæ ſubeſſe neſciret. Hæc viri abuſa ingenio regimen ad ſe traxit: magiſtratus pro arbitrio inſtituit atque deſtituit. Sacerdotia quibus voluit impetrauit; Cyprienſes in rerum culmine collocauit. Sobolem & pulchram procreauit, & numeroſam. Carolã filiam Delphino Franciç, qui poſtea rex factus eſt, copulauit. Ludouicum ſecundo genitum, de quo ante diximus, in Cyprum miſit nepti virum datum; Amedeus primogenitus domi manſit, non ſatis corpore validus, quamuis ex domo Franciæ duxerit vxorem Caroli regis filiam. Philippus ad Francorum curiam ſe tranſtulit: duo reliqui admodum pueri, viuente adhuc auo, ad epiſcopatus eminentiam prouecti ſunt, & alter eccleſiæ Tarantaſienſi præfectus; alter Gebennenſi, qui non diu vixit. Multç in Sabaudia nouitates exortæ ſunt poſt Amedei Pontificatũ: nobiles contra nobiles contenderunt: & Bolomerius, qui vnus erat ex conſultoribus acceptandi Pontificatus in iudicium raptus, tanquã falſç cuiuſdam ſententiç fuiſſet auctor, ad necem damnatus eſt, & ingenti lapide ad collum ſuſpenſo in lacum prçcipitatus: ſub imperio feminç cuncta per auaritiam adminiſtrata ſunt; & Græculi pro ſua libidine Sabaudienſibus inſultauere. Rediit tandem Philippus ex Francia, atq; ingreſſus palatiũ paulo poſt Carlotç receſſum Græculos omnes eiecit: duos Sabaudienſes inter primos nobiles, qui erant matri cariſſimi, & plurimum poſſe videbantur, interfecit: Ioannem Varaſium ferro ſua ipſe manu necauit: Iacobum Valpergium in lacum præcipitauit. Quibus calamitatibus afflicta mater infelix morbum incidit, ex quo paulo poſt expirauit. Pater vel inuitus in lectulo langueñs, vrgente prouincialiũ conuentu, filio veniã dedit, cuius nutu in hanc vſq; diem prouincia regitur: frater maior minus idoneus regno videtur: Philippũ cuncti ſequuntur, qui renouato fœdere cũ Suizzaris omne iugum excuſſit, quod rex Francus per Ludouici deſidiã & muliebre regimen in Sabaudiam intulerat. His caſibus per noſtram ætatem Sabaudienſes acti ſunt, quos huic operi non iniuria duximus inſerendos.

Ludouicus Franciæ rex dum iſta geruntur Atrebatenſi epiſcopo, & Antonio Noxetano, qui iuſſu Pontificis in Franciam iuerant, tactis ſacroſanctis Euangeliis, palam promittit pragmaticam ſanctionem ſeſe propediem abdicaturum: quoniam id Deo vouerit, atque hoc ipſum Pio Pontifici ſcribit: petiitque multis precibus epiſcopum Atrebatenſem, & protonotariũ Lebreteũ cardinalatus honore donari, haud indignũ ſeſe exiſtimans, qui vnis litteris duos cardinales impetrare mereatur: quod ſi altero carendum ſit, epiſcopo carere non poſſet. Accedunt & Philippi Burgundiæ ducis epiſtolç, Atrebatenſis Aſſumptionem magnopere flagitantes. Pius multos dies ante comitia rem cum cardinalibus tractat: Vltramontanos neglectos fuiſſe dicens, oportereque ex eis aliquos creari, neq; iam diſceptandum de aſſumptione, quæ pridem fuiſſet promiſſa, de numero, & de perſonis agendum. A Francorum rege, Burgundiæque duce Atrebatenſem peti, ab aliiſque regibus alios: ſine dedecore, & fortaſſe ſine damno Eccleſiæ, non poſſe negari quod petitur. His dictis cum Pontifex maio-

De creatione nouorũ cardinalium.

rem cardinalium partem in ſuam ſententiam veniſſe cognoſceret, congregato collegio, ſecunda feria ante quatuor Aduentus tempora de cardinalium creatione ſermonē habuit,& numerũ expoſuit,& perſonas nominauit. Reſpiciebãt cardinales taciti alter alterum; & cum ex ipſis vultibus intelligerent ſummo Pontifici annuendũ eſſe, nemo auſus eſt aduerſari;cuncti laudauere nominatos, atque in eorum creatione conſenſere. Tunc Pontifex non expectata ſexta feria,in qua pronunciari cardinales conſueuere,ſtatim annuente ac requirente collegio,pronunciationē fecit;iuſſitq; in diem,quæ prope aderat,eiuſmodi ſolemnitate ſtatutã, ſilentio tegi. Cardinales ex Italicis creati ſunt Bartholomæus Rouerella archiepiſcopus Rauennas,qui iampridē in regno Siciliȩ legatum geſſerat,doctrina,cõſilio, & morum integritate conſpicuus. Iacobus epiſcopus Papienſis, natione Lucenſis,priuilegio Senēſis,& ab ipſo Pontifice, qui dexteritatem ingenii dilexiſſet Picolominea donatus familia. Franciſcus Mantuani principis filius, nondum viginti natus annos: verum qui corpore longe maiorem præſeferret ætatem & grauitate ac prudentia prope ſenili: illi ad titulum presbyterii aſſumpti; hic ad diaconatum. Ex Gallicis Ioannes epiſcopus Atrebas, egregius vir, doctrina,ingenio, ac diuina quodammodo memoria præſtans, Ludouicus Lebretus ex regio Francorum ſanguine ortus,placidȩ conuerſationis,& cuius vita generi conueniat. Ex Hiſpanis Iacobus epiſcopus Vrgellenſis domo Cardonca,litteris & moribus ornatus, cuius maiores ad regni quondam faſtigium peruenere, his tituli presbyterorum aſſignati. Cœperat iam Pontificem vexare chiragra, atque ardore vrgere intolerabili: propter quod publicatio cardinalium in conſiſtorio patenti ſine ipſo facta eſt. Cardinalis Nicænus de laudibus eorum verba fecit: digna creatio iudicata, quæ de viris excellentibus facta eſſet, & qui poſſent Eccleſiæ prodeſſe, vel ſuo ingenio, vel amicorum auxilio. Nec minus collaudata eſt Pontificis prudentia. Ex creatis nuiper cardinalibus, vnus tantum aderat Iacobus Lucenſis: cui Pontifex lectulo decumbens, ſua manu vel ægrota rubrum galerum impoſuit: Rauennati, & Vrgellenſi aulici Pontificis pileos tulere: reliqui poſtea curiã petentes pro more iiſdem inſignibus honeſtati fuerunt.

De extinctione pragmatica, & enſe Gallorũ regi donato.

Inter hæc Ludouici Franciæ regis litterȩ afferuntur,quibus iam damnata,ac ſublata penitus pragmatica ſanctio nunciatur. quas cum Pontifex in conſiſtorio recitaſſet, non potuit lacrymas præ gaudio continere; cum ſe tandem ſedente, pernicioſum virus ab Eccleſia remotũ cerneret,& ſuo tẽpori datum Gallicȩ nationis obedientiam ex integro ad Romanam Eccleſiã redire. Rediit & Antonius Noxetanus,& nouas attulit litteras,quibus idem confirmabatur,petebaturq; magoopere Atrebatenſem creari cardinalem. Pontifex creatum reſcripſit,& cum eo ſimiliter Lebretũ, vt integrum eſſet regi gaudium,qui pro ſua religione duos cardinales meruiſſet obtinere. Remiſit & Antonium, qui enſem ſacra Natiuitatis Dominicȩ nocte ſacratum dono Regi afferret, vagina incluſum ornata gemmis,& auro,atq; his verſibus inſcriptum.

Exerat in Turcas tua me Ludouice furentes
Dextera: Graiorum ſanguinis vltor ero.
Corruet imperium Maumethis,& inclyta rurſus
Gallorum virtus,te petet aſtra duce.

Sigiſmundi Pandulphi hæreſis & damnatio, atq; exuſtio, Beneuentanique depoſitio.

Pius intereą accerſito conſiſtorio, cardinalē ſancti Petri ad Vincula, quȩ de Sigiſmundo Malateſta inuenerit referre iubet. Is cauſæ documentis inſpectis conſtare aſſerit, Sigiſmundũ plane hȩreticum eſſe,qui reſurrectionē mortuorũ inficietur,& animas hominum mortales fore teſtetur,nec de futuro regno quicquam ſperet: homicidia deinde,ſtupra,adulteria,inceſtus, ſacrilegia,periuria, proditiones,& infinita propemodũ turpiſſima & atrociſſima ſcelera eius probata: nec dubiũ quin ſummo ſupplicio dignus ſit: interrogantur ſententiȩ cardinalium; cuncti damnandũ cenſent: fit publice iudicium, damnatur reus, qui Romani Prȩſulis maieſtatē læſerit, atq; impia de Chriſtiana religione præſumpſerit affirmare: vitamque omni flagitio & turpitudine fœdatam duxerit. Priuatur vicariatu,& omni dignitate atq; honore; iiſque pœnis ſubiicitur,quas in hȩreticos,& ſupremæ maieſtatis reos humanæ leges ſtatuerunt. Interea pro gradibus baſilicȩ S. Petri ex arida materia ingens pyra extruitur, in cuius ſummitate imago Sigiſmundi collocatur, hominis lineamenta,& veſtimenti modũ adeo

proprie

proprie reddens, vt vera magis perſona, quàm imago videretur: ne quem tamen imago falleret, ſcriptura ex ore prodiit, quæ diceret. Sigiſmundus hic ego ſum Malateſta, filius Pandulphi, rex proditorum, Deo atq; hominibus infeſtus, ſacri cenſura ſenatus igni damnatus: ſcripturam multi legerũt. Deinde aſtante populo, igne immiſſo & pyra, & ſimulacrum repente flagrauit. Per idem tempus & Iacobus archiepiſcopus Beneuentanus, de quo ſupra locuti ſumus, quoniam proditor eſſet in Apoſtolicã ſedem, & beneficia eccleſiaſtica, ſacroſq; ordines venderet, & falſam cuderet pecuniam, depoſitus eſt: eique ſubſtitutus Alexius natione Senenſis, ex Cluſina eccleſia ad Beneuentanam tranſlatus: vir probus & amicus Pontifici, & qui olim Æneam ſacro preſbyteratus ordine initiauit.

Paulo ante id temporis Romã venerat Ioannes de Caſtro Pontifici iampridẽ notus, cum Baſileæ negotiaretur, & locum teneret Papæ Eugenii depoſitariatus: huic pater fuit Paulus iureconſultus ſui temporis clariſſimus, & qui cathedram multos annos Patauii rexit, atque omnem Italiam conſiliis impleuit; cum frequentes ad eum litigatores concurrerent, & iudices eius auctoritati multum tribuerent; cuius doctrina ſolida, & ſine dolo eſſet. Reliquit moriens plurimas opes, & duos filios iam ætate prouectos, quorum ſenior patris ſtudia ſectatus eſt, non illaudatus iuris interpres; alter ingenioſus fuit, & qui litteris melius quàm ceteri ſtuduiſſet: didicit grammaticã, & hiſtorias peruoluit; ſed variis peregrinationibus deditus, in ciuitate Conſtantinopolitana permanſit, & magnas opes in ea contraxit ob pannorũ tincturam, qui ſub fide ſua Italiæ confectus illuc aſportabantur propter aluminis mineriam regionis illius fœcundiſſimam, quam quotidie perſpiciens, & aluminis confectionem, & ex qua petra vel gleba extrahi poſſet, facillime didicit; & cum Dei iudicio in direptione, & excidio vrbis illius a Maumethe Turcarum Imperatore ſub anno M. CCCC. liij. omnia amiſiſſet, ſatis exultans quod gladium & ignem immaniſſimæ gentis aufugiſſet; poſt tandem Pii aſſumptionem ad eum venit, cui eſſet compaternitatis fœdere iunctus, à quo cum præmia & commiſſariatum generalem ſuper omnibus redditibus cameræ Apoſtolicæ tam in vrbe quàm extra, & in prouincia patrimonii obtinuiſſet; dum montes, colleſque omnes percurrit, atque in viſcera terræ naturę ſecreta rimatur; nec glebam, nec ſaxum reliquit intactum. Tandem in agro Tolfano aluminis lapidem reperit. Tolfa vetus oppidum eſt duorum fratrum Eccleſiæ Romanæ ſubditorum, non procul à Centumcellis, & Vrbeuetula: hic montes alti à mari introrſus recedunt, ſiluis & aquis fœcundi, per quos dum Ioannes ambulat, nouã herbæ faciem offendit: miratur, inquirit; deinde certior fit ſimilem naſci herbam in montibus Aſiæ, qui Turcarum ærarium alumine ditant: videt lapides albos, & qui minerales apparent, mordet, ſalſedinem reperit; excoquit, experimentum facit, alumen producit; accedenſque Pontificem: Hodie, inquit, tibi victoriam de Turca affero; aureorum ſupra trecenta millia quot annis ille à Chriſtianis extorquet propter alumen, quo diuerſis coloribus lanas inficimus: quia non reperitur apud Latinos, niſi paululum apud inſulam Hiſclam, quæ olim Aenaria dicebatur. Puteolis vicinam; & in Lipareo Vulcani antro, quod a Romanis olim exhauſtum propemodum defecit. At ego ſeptem montes inueni, adeo huiuſcemodi materiæ fœcundos, vt ſeptem orbibus ſufficere poſſint; ſi iubes accerſiri artifices, apparari fornaces, excoqui lapides, Europeis omnibus alumina miniſtrabis, & omne Turcæ lucrum deficiet, quod tibi additum duplicato damno illum afficiet. Materia & aqua abunde ſuppetit: & portum habes propinquum in Ciuitateuetula, in quo naues onerentur in occidentem nauigaturæ: licebit iam tibi aduerſus Turcas bellum inſtruere. Hæc tibi minera neruos belli adminiſtrabit, & auferet Turcæ, hoc eſt pecuniam. Deliramentis ſimilia viſa ſunt Ioannis verba; Pius ſomnia exiſtimauit, & inanes Aſtronomorum fabulas: idemque cardinales omnes arbitrati ſunt. Ioannes, quamuis ſæpe reiectus eſſet, à propoſito tamen non receſſit, nunc hunc, nunc illum interpoſuit, qui ſibi Pontificis aditum iterum atque iterum aperirent, coram quo poſſet experimentum inuenti lapidis facere. Pontifex rerum peritos aduocauit: illi veritatem aluminis probauere. De lapide quæſitum eſt ne fraus ineſſet. Miſſum ad mineram, & inuenta eius lapidis ingens vis: vocati ſunt artifices ex Genua, qui aliquando in Aſia Turcæ alumina tractauere. Ii cum

Aluminis inuentio, maximuſque prouentus.

loci naturam per omnia inſpexiſſent, ſimilem eſſe dixerunt Aſiaticis montibus alumen ferentibus; & præ gaudio illacrymati ter quaterque genua flectentes, Deum adorauere, eiuſque pietati benedixere, qui tantum donum noſtræ contuliſſet ætati. Decoxere lapides, & alumen multo præſtantius, ac pulchrius exiit, quàm illud Aſiaticum. Miſſum eſt & ad Venetos, & ad Florentinos; factum periculum, res ipſa opinionem ſuperauit: & primi Genuenſes pro viginti millibus aureis mercatum fecere. Poſtea Coſmas Medices quinque & ſeptuaginta millia auri nummum in eam rem contulit: atque tantum prior annus attulit præter omnium opinionem; propter quod Pius Ioannem cenſuit dignum, quem ſingularibus proſequeretur honoribus, & cui ſtatua erigeretur in patria, in qua ſcriptum eſſet: Ioanni de Caſtro Aluminis inuentori; nec ſine parte lucri dimiſſus eſt. Fratribus Tolſæ dominis, in quorum fundo minera reperta eſt, immunitates datæ, & pars quota emolumenti conceſſa. Hęc diuino munere ſub Pio Pontifice maximo Eccleſię Romanæ acceſſio contigit: quæ ſi, vt par fuerit, tyrannorum manus euaſerit, & caute indies adminiſtretur, augeſcet, & Romanos Pontifices ad ferenda Chriſtianę religionis onera non parum adiuuabit. Nec defuere qui rem verſibus celebrarent, inter quos & Campani hoc Epigramma ad Pium extat.

Eſſe tuos cælos tantum qui dixerit, errat:
Deque Pii longe fallitur imperio.
Ipſa etiam tellus, quod habet tibi contulit, & ſe
Præbuit, eruptis prodiga viſceribus.
Parte alia rancum æs, aliaque excuſſit alumen,
Datque alio argentum tertia vena loco.
Abdita telluris gremio hæc latuere tot annos,
Et ſoli domino nunc patuere ſuo.
Tu quod nunc auri reſtat, ditiſſima tellus,
Ne furti rea ſis, hoc quoque redde Pio.

Atrebatenſis inſtabilitas, & Ludouici legatio digniſſima, eorumq; oratio, ac Pii reſponſum, & de pragmatica extinctione lætitia.

. Creatis vt relatum eſt cardinalibus, Atrebatenſis poſtquam ſe nauigare in portu cognouit, nec ſibi de quæſita nimium dignitate ambigendum, quæ prius tacuerat de Ludouici animo ad res Siculas, ſcribere cœpit, filiam regis paruulã Ioannis Andegauenſis filio Rhenati nepoti fere coętaneo deſponſatam eſſe: genero regnum optari: facturum omnia Ludouicum, vt Ferdinandum è ſolio pellat. Pontifici nõ ex vſu fore Francorum familię aduerſari; auxilia, quę Ferdinando miſſa fuiſſent, reuocanda: ſic regis animum placari poſſe, & pragmaticam ſanctionem certiſſime ſublatum iri. Afferebantur & Interamnenſis epiſcopi frequentes litteræ, qui poſtquam ex Anglia diſceſſerat ad nouũ regem in Franciã ſe contulerat. Is locutum ſe ſemotis arbitris cũ Ludouico ſcribebat, cuius ea ſententia eſſet; ita demum pragmaticę ſanctioni finem imponere, ſi de regno Sicilię ei mos gereretur cupere genero regnum: Ferdinando, quę princeps Tarentinus poſſideret, relinqui poſſe, & ne regni titulũ amitteret, Sardiniam adiici; Antonio Pontificis nepoti Calabriæ partem donari; Eccleſiæ Romanæ ſua iura ſeruari, ſic regem pacis cauſa ſtatuiſſe. Hortari ergo epiſcopos, vt ea facerent, quæ magno regi placerent, ſic pragmaticam morituram fore, & Romanam curiam ad priſtinum ſplendorem redituram; Alioquin regem cum Venetis fœdera initurum, ingentes copias per Sabaudiam in Italiam miſſurum, Mediolanenſi bellum illaturum, cui neceſſe fuerit exercitus è regno reuocare. Remanſurum cum Ferdinando ſolum in bello, Pium ſub tanto pondere periturum: & quæ Pontifici ſcripſit, eadem Franciſco Mediolanenſi crebris litteris inculcauit. Timuit ea Franciſcus, & miſſo Proſpero Camulio viro docto, & qui dudum in Gallia verſatus eſſet, cũ Pio de ſumma rerum conſultauit. Pius contemnenda Interamnenſis Epiſcopi ſcripta cenſuit: qui ſe vltro ingeſſiſſet ad res ſibi non cõmiſſas: de regno Sicilię, quæ ſignificaſſet ſua non regis eſſe inuenta: expectandos Ludouici oratores, qui propediẽ venturi eſſent: hos certam eius mentem allaturos; tum conſilium captandum, neq; fugiendum hoſte non viſo. Placuit Franciſco deliberatio. Ludouicus paulo poſt legatos ad Pontificem ire iuſſit Riccardum Conſtantienſem, & Ioannẽ Atrebatenſem cardinales, quos ſecuti ſunt Andegauenſis, & Sanctonenſis epiſcopi, & abbates aliquot, & proceres

nobiliſſi-

nobiliſſimi,quorum princeps fuit Petrus comes Caluimontis morib. & ætate grauis: fuerunt & doctores & ſecretarii nonnulli regis inter oratores adnumerati. Præclara legatio,& digna rege,quæ magno equitum numero,& lõgo famulorum ordine,cum dies multos in itinere abſumpſiſſet, tandem tertio idus Martii Romam ingreſſa eſt, occurrente cardinalium collegio propter cardinales,qui miſſi à rege venerunt. Cõſiſtorium deinde publicum habitum in palatio Apoſtolico:legati ſolemni pompa ad palatium ducti:Pontifex in maieſtate ſedit in alto ſolio: cardinales ſolita tenuerunt ſcamna:epiſcoporum & notariorum ordo ad ſcabellum Pontificis pro more locatus: cetera multitudo,quæ aderat frequentiſſima, aut ſtetit aut in terra ſedit; id ſpatium occupans,quod cardinales inter & Põtificis tribunal fuit. Legati regis poſtquam Põtificis pedes exoſculati ſunt,& regias litteras reddiderunt, à tergo cardinalium è regione Pontificis ſortiti locum,atque ibi ſtantes iuſſi quæ dicere vellent. Ibi Atrebatenſis de Francorum nobilitate,de regni gloria,atq; amplitudine,de Gallorum viribus,de Ludouici præſtanti virtute,de pragmatica ſanctione,quo pacto regnum Franciæ inuaſiſſet,& quomodo illam Ludouicus eliminaſſet, longam orationem habuit; ac publica documenta exhibuit,quibus conſtabat Ludouicum regem ex omni regno,ac ditione ſua pragmaticam ſanctionem eieciſſe, illamq; protinus extirpaſſe, & ad nihilum redegiſſe,obedientiamq; Romanæ,primęq; ſedi, ac Pio Pontifici tanquã Ieſu Chriſti vicario veram & integram reſtituiſſe,denuoq; reſtituere: eſſet enim Ludouici animus Pontificis filium gerere,atq; ab eius voluntate, nutuq; nunquam diſcedere. Fecit & de Turcis mentionem,quorum gladius non ſine magno catholicæ fidei periculo Chriſtianis ceruicibus immineret. Cogitare Ludouicum de religionis tutela,ſi regnum Siciliæ Andegauenſi familiæ pateat, & Genua Gallicum ſubeat iugum,vt par eſſet,miſſurum in Græciam contra Turcas equitum quadraginta millia, peditum,qui arcubus vtantur,millia triginta, qua manu facile poſſit Maumethes ab Europa deturbari;& iterum Syriam cum ſacroſancto Chriſti ſepulchro recuperari, multaq; circa hæc magnifice locutus eſt,ampulloſa miſcens verba,& aperta mendacia pro veris affirmans. Pontifex poſtquam Atrebatenſis expectatum & diu deſideratum finẽ fecit,legationem regis,& pium animum multis verbis collaudauit; regni Franciæ originem expoſuit,& regum glorioſa geſta. Multa de Ludouici virtute,multa de pragmatica ſanctione locutus:quæ & ipſa inter orationes eius ſcripta eſt:qua finita,Pius Atrebatenſem ad ſe iuſſit accedere,atq; in eodem conſiſtorio, rubrum pileum capiti eius impoſuit,& inter cardinales ſedere mandauit. Indixit & triduo luſtitium,& ſupplicationes per omnia templa fieri,& pompas ſacrorum per vrbem duci. Dimiſſo conſiſtorio vniuerſa curia,& vrbis populus exultauit: ad noctem lucere ignes,canere tubæ,campanę reſonare omnes, ſaltare iuuenes,choros ducere,cantare viri,ac ſenes inter ſeſe gloriari,qui priuſquam morerẽtur, ſublatam pragmaticã vidiſſent:laudare Põtificem,cuius tempore id donum datum eſſet: regem extollere, cuius mentẽ tanta inceſſiſſet pietas,tanto res videri dignior atq; admirabilior, quãto minus ſperata fuiſſet. Neq; enim quiſquam erat, qui poſt quattuor & viginti annos inueteratum pragmaticę morbum ſub Pio Pontifice auferri poſſe confideret: ſatis conſultum iri Apoſtolicæ ſedi exiſtimabant omnes,ſi malum non ingraueſceret.

His ita peractis accedentes Pontificem legati regii de regno Siciliæ longam faciunt querelam:id olim à Romanis Præſulibus propter obſequia,quæ accepiſſent, domui Franciæ datum;multo ſanguine quæſitum: Aragonenſes violẽter intraſſe: Apoſtolicam ſedem,non tam Hiſpanis quam Gallis obnoxiam,indigne agere ſi illos præferat:Miſiſſe Pium auxilia Ferdinãdo aduerſus Rhenatum, iniuſte actum; deinceps reuocanda fore:id Ludouicum petere nõ indignum audiri,qui pragmaticam abſtulerit,& aduerſus Turcas tam validum exercitum obtulerit. Pontifex de meritis Francorum erga Romanam Eccleſiam,deq; gentis gloria nihil ſe demere ait, nec de regni iure velle diſcernere,cuius eſſet certiſſim' iudex,&quod ſæpe Frãcis obtuliſſet in principio ſui Apoſtolatus: Ferdinandum integrum regnum poſſediſſe conceſſione Apoſtolica,à poſſeſſore patre heredem inſtitutum petiuiſſe regni proceres atq; omnem Italiam coronam poſſeſſori tradi,fuiſſe traditã ex decreto ſenatus,cum Mantuæ cõuentus ageretur tuendæ religionis cauſa: Andegauenſem inconſulto Põtifice naues,

De concertatione regni Siciliæ, & Genuę ducatum.

quas cardinalis Auinionenſis ex pecunia Eccleſiæ comparauerat aduerſus hoſtes fidei mittendas, innaſiſſe, atq; ex his claſſem inſtruxiſſe, qua in Campaniam miſſa, regni pacem perturbauerit, Ferdinandumq; magna ex parte ſui regni eiecerit: decuiſſe Pium ſuppetias ei mittere contra violentiam, ne rex à ſe conſtitutus incognita cauſa deſtitueretur. Non ſe Francis Aragonenſes, ſed æquitatem præferre. Subtractum haud rogatum auxilia de regno, ſi ceſſantibus armis res ad iudicium redigatur. Sed cum tantopere parua præſulis auxilia de regno auocari petantur, ſi armatorum ſeptuaginta millia facile regi eſt, vt Atrebatenſis aſſeruit, per Italiam contra Turcas in Græciam atq; Aſiam mittere: inſtruantur hæ copiæ, atq; alpes tranſire incipiant, & omnes cedimus ei. Tum Genua regi patebit, & nulla de regni adeptione mora fiet. Multa in hunc modum vtrinq; iactata ſunt. Poſtremo cum nihil ex Pontifice, niſi honeſtum extorqueri poſſet, ſuper induciis faciendis hoc modo conuentum eſt. Ait Pontifex placere ſibi inter contendentes de regno, inducias modis conuenientibus fieri, in eum finem, vt illis durantibus, aut amicabili tractatu, aut iudicio lis ſopiretur. Atque in hunc ſenſum pluribus verbis ſcripta cedula ad regem miſſa eſt, vt ſi vellet de tempore & de modis, conuenire poſſet. Inter oratores regis, Andegauenſis & Sanctonenſis epiſcopi cum ſe conuerſos ad Apoſtolicæ ſedis reuerentiã, cuius antea perſecutores fuerant verborum artificio, & frontis impudentia ſimulaſſent, erratorum veniam petiuiſſent, lacrymas emiſiſſent, ingentes Deo gratias reddidiſſent, qui ſe tãdem à tenebris abſtraxiſſet pragmaticæ ſanctionis, & ad candidam lucem Apoſtolicæ veritatis perduxiſſet, quæcunq; voluerunt impetrauere, atq; onuſti gratioſis indultis in patriam reuerterunt.

Bohemorum legatio, & eorum hæreſes ac petitiones inſanæ, Pij reſponſum.

Circa hoc tempus legati Georgii regis Bohemiæ Romam venere: quorum principes fuerunt Procopius Rabeſteynus, & Sdeneo Coſca inter Barones regni memorabiles. Procopius iampridem Pontifici, cum in minoribus ageret, notiſſimus fuerat, & amicitia ſingulari coniunctus, & in pluribus legationibus ſociis, cum ambo Imperatoris conſiliarii fuiſſent: propter quas res percupide amicum veterem Pius complexus eſt, & donis nõ vulgaribus proſecutus. Coſca inter paucos regi acceptus erat eius perfidiæ comes: Procopius nunquam à fide catholica deuiauerat: his duo ſacerdotes additi fuerunt lingua prompta, & Huſſitarum inſaniæ audaciſſimi aſſertores. Honorati ſunt tanquam oratores, & catholici regis, & in auditorio publico auditi. Procopius nomine regis obedientiam præbuit; alter ex presbyteris voce ſonora, atque oratione præcipiti conuenta Bohemorum cum Baſilienſi concilio, quæ vocant compactata, confirmari Apoſtolicæ ſedis auctoritate petiuit; id regem cupere, id regnum expectare; id niſi concedatur, pacem inter Bohemos eſſe nõ poſſe. De communione vtriuſque ſpeciei multa diſſeruit, & quaſi ſanctam, diuinamq; appellauit, tanquam ſine illa non eſſet ſalus. Pontifex obedientiam regis benigne amplecti ſe ait, veram & integram eſſe confidens. Quale olim fuiſſet Bohemiæ regnum, quam diues, quam floridum, ac religioſum: deinde quantum decidiſſet, expoſuit: vt corruiſſent altiſſima palatia, nobiliſſima templa, ampliſſima monaſteria, regnum ad inopiam ac miſeriam perueniſſet; id hæreſes p. periſſe, & ab Eccleſia Romana receſſum. Voluiſſe Bohemos aliquos plus ſapere, quam opporteret: peregrina dogmata introduxiſſe: eripuiſſe ſacerdotibus temporalia bona, tanquam nihil poſſidere eis liceret, qui eſſent de ſorte Domini. Tunc articulum inuentum, quem de ciuili dominio vocant, quod ſacerdotibus prohibitum aſſerunt. Dixerunt & verbum Dei alligatum non eſſe, licere q; paſſim omnibus prædicare: delicta vero publica nulla ferenda, neque magiſterium cuiuſpiam tolerandum, quem conſtaret mortali culpa irretitum. Tum quoque in lucem veniſſe cõmunionis articulum, quem vocant vtriuſque ſpeciei, & neceſſarium exiſtimant ad ſalutem: cuius non Ioannes Hus, aut Hieronymus Conſtantiæ cremati, aut doctor aliquis diuinæ legis excellens interpres, inuentor fuerit: Iacobellum quẽdam Grammatici ludi magiſtrum eius erroris fuiſſe repertorem, qui cum legiſſet apud D. Ioannem: Niſi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quid agimus? inquit, illudunt ſacerdotes nobis, paradiſi portas claudunt, dum ſanguinem nobis prohibẽt, ſoli ad vitam ingredi volunt. Auditus eſt ab indoctis, crediderunt imperiti ſaluari neminẽ poſſe, niſi ſub

ſpecie

ſpecie vini de calice biberent: & doctore, atque auctore Iacobello effectus articulus, qui diceret: *Communionem ſub vtraq; ſpecie ad neceſſitatem ſalutis pertinere*: cuius contrarium in Baſilienſi concilio declaratum eſt. Dixit & quomodo compactata ab eodem concilio indulta fuiſſent, & quales interceſſere conditiones, & vt Bohemi impoſitas ſibi leges neglexerunt, communionem vtriuſque ſpeciei his tantum indultam fuiſſe ex regno Bohemiæ, & marchionatus Morauiæ, qui eius vſum antea habuiſſent, & qui eam deſiderarent: ipſos vero etiam infantibus calicem tradidiſſe, & inuitos compuliſſe de calice bibere: Sacerdotes iuſſos dicere verba quædam, populum ſub vtraq; ſpecie cõmunicantes, minime paruiſſe. Conuenta mille modis à Bohemis fuiſſe violata, fruſtra vocari amplius compactata, quæ vim habere deſiuiſſent: verum quod rex peteret, in conſultatione cum fratribus agitandum, atque ita diſſoluta eſt concio. Poſt hæc ſæpe legati ad Pontificem vocati ſunt, & cum electis cardinalibus auditi, ſi qua poſſet inueniri via, qua regnum Bohemiæ ad vnitatem rediret Eccleſię, & ceteris Chriſtianis conforme fieret. Procopius cum eſſet catholicus, ab honeſto nunquam receſſit: reliquis nulla potuit honeſtas perſuaderi, niſi compactata confirmarentur, Bohemicam gentem haudquaquam quieſcere poſſe affirmantibus: ob quam rem neceſſe fuit publice poſtulatis publice reſpondere. Accerſito conſiſtorio Põtifex pro tribunali ſedit, ac de compactatis locutus, ea ex multis capitibus deſiiſſe monſtrauit: exin non poſſe indulgeri ſine magno periculo quæ peterentur. Poſtremo regem in ſua coronatione obediturum ſe Romano Pontifici iurauiſſe, oportere eum ſi animæ curã gereret, Apoſtolicę ſedis mãdata ſuſcipere, quæ huiuſmodi eſſent, vt iam tandem dimiſſa vtriuſque ſpeciei communione, Romanæ, & vniuerſalis Eccleſiæ cum familia & ſubditis omnibus ſe coaptet, niſi fecerit, regnum eius ſtare non poſſe. Oratio Præſulis hunc ſenſum continens, inter alias ſcripta eſt: qua finita & conſiſtorium finem habuit. Legati Bohemorum ad interius admiſſi cubiculum, gratias pro reſponſo egere idq; ſe fideliter relaturos in Bohemiam dixere, petentes aliquem mitti ſecum, qui præſens eſſet cum regi fieret relatio, & qui mandata Pontificis ſi videretur, latius explicaret, ſuaderetque regi, vt Apoſtolicæ ſedis mandata ſuſciperet. Fantinus erat in curia præſtabilis iureconſultus natione Dalmata, & qui regis Bohemiæ procuratorem geſſerat: hunc petentibus legatis, haud denegandum Pontifex cenſuit. Miſſus cum eis eſt, vt quæ acta eſſent Romæ, non regi ſolum, ſed baronibus quoq; fidelibus in Bohemia nota faceret, ſi qua fortaſſe legati ſubtraherent. In ipſo receſſu quetelã Coſca fecit, quòd cum veniret ad Vrbem, in Sutrio vnus ex domeſticis ſuis vir nobilis, cum pro more accinctus gladio per oppidũ incederet, à præſide fuiſſet interceptus, & coniectus in carcerem male habitus. Pontifex re cognita Antoniũ Saracenum Aulicum ſuum Sutrium miſit, qui præſidem in vincula coniectum, trãſeuntibus illac Bohemis exhiberet: quod factum eſt. Bohemi captiuum euerberatum dimiſere, benignitate Pontificis erga ſe barbare vſi.

Sub hoc tempore Pius aſſumptis ex collegio ſex cardinalibus ſeorſum, in quibus plus fidei ac cõſilii eſſe arbitratus eſt: Exiſtimatis, inquit, fortaſſe fratres, quod pleriq; omnes, rempublicam neglectui nobis eſſe, qui poſtquam è Mantua rediuimus, de propulſando Turcarum impetu, deq; tuenda religione, neq; præparamenta fecimus, neque verba, quamuis vrgerent hoſtes indies magis. Tacuimus, non imus inficias: nihil egimus aduerſus inimicos Crucis: palam eſt. Verum taciturnitatis noſtræ cauſa deſperatio quædam fuit, non negligentia: facultas, non animus defuit. Cogitauimus ſæpenumero Chriſtianas vires an cogere in Turcas iſta vel illa via poſſemus, & Chriſtianæ plebi conſulere, ne fieret tandem præda Turcarum. Noctes meditando plurimas inſomnes duximus, & nunc dextro incumbentes lateri, nunc ſiniſtro; infelices noſtri temporis deplorauimus caſus. Pudebat nos nihil agere, cum Turcæ inde Pannoniam, hinc Dalmatiam bellis aſſiduis amplius & amplius vrgerent, atq; vbi vellent gentium ferocius graſſarentur. Videre videbamur cunctorum in nos ora cõuerſa: nobiſque tanquam negligentibus allatrare, qui pereunti Euangelicæ legi non afferremus opem, & quaſi marcentes otio Chriſtianum nomẽ ruere fineremus. Turgebat animus, & quodammodo ſenilis feruebat ſanguis. Iam iam bellum placebat Turcis indicere, atque omni conatu pro religione contendere: ſed

Conſultatio de republica Chriſtiana, & Pii ſalutare conſiliũ.

cum vires hinc noſtras metimur, inde hoſtium, non eſt Romana Eccleſia, quæ ſuis opibus debellare Turcas queat: nemo qui ſapiat fortiorem bello laceſſit: aut ſuperiorem, aut certe parem eſſe oportet, qui pugnam eligit. Nos Turca multo inferiores ſumus, niſi Chriſtiani reges arma coniungant. Quærimus hoc efficere, inueſtigamus vias, nulla occurrit idonea, ſi celebrare conuentum venit in mentem, docet Mantua vanam eſſe cogitationem. Si legatos mittimus, qui regum auxilia petant, deridentur. Si decimas clero imponimus, appellatur ad futurum concilium. Si promulgamus indulgentias, & pecunias conferentes donis ſpiritualibus inuitamus, auaritia coarguitur: corrodendi auri cauſa cuncta fieri creduntur: nemo fidem habet verbis noſtris. Quaſi negotiatores, qui reſpōdere creditoribus deſierunt, ſine fide ſumus. Quæcumq; agimus in deteriorem partem accipiunt: de ſuo ingenio metiuntur noſtrum. Nihil difficilius eſt, quàm aurum extorqueri. Vertimus in omnes partes aciē mentis: nihil certum, nihil ſolidum inuenimus, nihil nō vanum occurrit. Quid agamus in tāta rerum mole? Periculum ne certum adibimus, & ſponte trademur hoſti: aut rem ridiculam inchoabimus? fruſtra niti, & laborando infamiam quærere, extremæ demētiæ fuerit. Perplexa & nimis anxia diu mens noſtra fuit, & renuit conſolari anima noſtra, cum in deterius prolabi omnia cerneremus, nec vel minima ſpes rei bene gerendæ daretur. At cum dies noctesq; taciti magis ac magis huc animo ferimur, vt de communi ſalute conſilium inquiramus: vnum tandem remedium in mentem venit, noſtro iudicio valentiſſimum, & forſitan non eſt aliud. Audite paucis explicabimus: deinde noſtram ſententiam iudicabitis.

Philippus Burgundiæ dux quo anno Conſtantinopolis amiſſa eſt, votum vouit publice Deo iturum ſe contra Turcas, & bellum cum eis geſturum, & hoſtem Maumethem ad ſingulare certamen prouocaturum, ſi vel Federicus Imperator, vel Carolus Franciæ, vel Ladislaus Hungariæ rex, vel magnus quiuis alius princeps, quem ſe ſequi nō dedeceret, ad hoc ipſum bellum proficiſceretur. Nullus adhuc inuentus eſt ex nominatis, qui ſe tanto prælio accinxerit. Excuſatum ſeſe Philippus exiſtimat, quia non eſt impleta voti conditio: Excuſatus eſt, non abſolutus; ſtat obligatio: loquitur votum, nec tacet iuramentum. Poteſt adhuc ſatisfieri cōditioni: poteſt princeps magnus aliquis huic expeditioni ſe accingere, ac Philippum vt ſe ſequatur accire: niſi paruerit, reus erit iuramenti, & voti violati; quod laturam eius mentem haudquaquam arbitramur. Sedet in animo noſtro quanquam ſenili & ægroto corpore bellum contra Turcas pro fide catholica ſuſcipere, & in expeditionem ipſam proficiſci: Burgundoq; vt nos ſequatur edicere, qui regis ac Pontificis locum tenemus, iuramenti votique fidem requirere: nulla patebit excuſatio: rege maior & Imperatore bellum petet Chriſti vicarius: obnoxium voto ducem nō decebit domi manere, ſi annuat deſiderio noſtro Philippus, non veniet ſine comitatu magno & valido nobilem principem multi ſequentur: regem Franciæ decem millia bellatorum nō mittere pudebit, qui ſeptuaginta millia publice pollicitus eſt. De Germania, de Anglia, de Hiſpania ſua ſpōte non pauci aderunt. Hungari, qui ſuam rem agunt deeſſe non poſſunt: nec Veneti vbi tantos viderint apparatus, claſſem negabunt. In Aſia Charamānus, & alii quibus Maumethis potentia ſuſpecta eſt, haud dubie arma corripient. Epirotæ, Albani, Boſnenſes, Raſciani, Valachi, Bulgari cornua erigent, quando tātis viribus à Chriſtianis repeti Græciā viderint. Quis neſcit Romanum Pontificem cum Venetis & Hungaris ſequente Burgundiæ duce, adiuuante Franciæ rege Turcarum gentem poſſe delere? Sed habenda eſt ante omnia certitudo de Venetis, & eorum exploranda conſilia, qui mores Turcarum, potentiamq; nouere, & quibus viribus, quibuſq; artibus ſuperandi ſint, non ignorant: fruſtra Burgundis, Gallisq; hanc expeditionem ſuaſerimus, niſi concurrant Veneti, quibus maria patent: his noſtra inprimis aperienda ſententia: ſi non approbant, vana fuit cogitatio noſtra: ſi laudant, Francum & Burgundum miſſa legatione hortabimur, ne deſint Chriſtianæ religioni: ex Franco auxilia poſtulabimus: Burgundum ex voto requiremus, quibus vt par eſt conſentientibus, propoſitum & iter noſtrum publicabimus. Inter Chriſtianos diſſidentes quinq; annorū inducias ſeruari mādabimus: parētes cęleſti benedictione donabimus: rebelles anathemate feriemus: epiſcopos, abbates, atq; omnis ordinis eccleſiaſtici viros ea in

hoc

hoc opus auxilia iubebimus impendere, quæ cōmode præſtare poſſint: inobedientes excōmunicabimus, & tāquam ignis æterni mācipia diabolo donabimus. Reliquos Chriſti fideles, vt opē pro ſuis facultatib. afferant, indulgentiarum largitionibus, & gratiis ſpiritualibus alliciemus. Et quis erit, qui audito Pontificis motu, nō moueatur? Niſi fallimur hæc vnica via eſt, quæ dormientes Chriſtianos valeat excitare, & regum, ac populorum corda mouere. Vulgata deliberatio quaſi tonitru magnum excutiet ſomnum, & ad tuendam religionem fidelium mentes eriget. Non arma, non equi, non homines aut naues deerunt. Terra mariq; facile ſtruemus bellum, poſtquam certa res fuerit Romanum Pontificem cum ſacro ſenatu recto itinere communem ſalutem quærere, nec alienum deſiderare argentum, qui non modo ſuum aurum, verum etiam & ipſum corpus pro Chriſti nomine ſit expoſiturus. Hæc nobis in mētem venere, an ingenio noſtro inuēta ſint, an Deus ipſe inſpirauerit, vos iudicate. Audiuere cardinales non ſine admiratione, & ſingulari ſtupore Pontificis verba: nec dubitauere ex Deo eſſe, quæ Dei cauſam agerent; verum in re magna, nouaq; & antea nunquam audita conſultationi tempus petiere: quo dato plures dies inter ſe collocuti: tandem ad Pontificem reuerſi, dignam vicario Ieſu Chriſti cogitationem dixere; qui more magiſtri pro ſuis ouibus ponere animam non dubitaret: nihil aduerſus tam laudabile & altum propoſitum dici poſſe, quamuis aliquæ difficultates obſtare viderentur. Quibus apertis Pontifex, cui nihil eſſet non meditatum, facile occurrit. Placuit Venetis ſcribere, eoſq; cohortari rem vt ſecretam tenerent, nec aliis cōmunicarent, quàm illis, ſine quibus tantum abſolui negotium ſecundum leges nequiret, ita facto opus eſſe. Litteræ manu Pontificis ſcriptæ fuere, quas in epiſtolarum volumine reperire licet. Veneti coacto rogatorū conſilio, quantū neceſſe fuit, diuinam Pōtificis meditationem indicauere; facturamq; ſuam rempublicā pro tutela fidei reſcripſerunt quæcunq; Pontifex cuperet. Tum Pontifex ſuadentibus iiſdem cardinalibus, Laurentium epiſcopum Ferrarienſem probitate ac doctrina præſtantem, & qui Franciæ mores noſſet, in Gallias miſit, regi, ac duci defenſionem fidei pro deſiderio Pontificis ſuaſurum: & hic quidem iam remiſſa Gallorum legatione exceptis cardinalibus, qui remanſerunt in curia, profectus eſt, iam ſacra hebdomada procurrente, in qua pius Pontifex diuinum beati Andreæ caput iampridem in arce Narnienſi ſeruatum traducere in Vrbem ſtatuit. Quam rem quoniam præcipuo ſtudio, & ſingulari ſolemnitate geſta eſt, vt ab initio cœpit, vſq; ad finem ſuo narrabimus ordine.

COMMENTARIORVM PII II. PONT. MAX.

LIBER OCTAVVS.

Sancti Andreæ caput Romam delatum deuotiſſime à Pio exceptum, eiusq; Apoſtoli hiſtoria breuis, & collecta.

ANDREAS Apoſtolus Ieſu Chriſti beati Petri germanus poſt paſſionem Domini, cui interfuit, & reſurrectionem, atq; aſcenſionem eius in cælum, quam vidit, accepto cum reliquis diſcipulis Spiritu ſancto ex Aſia migrauit in Greçiam, & in Achaiam ſe cõtulit Peloponeſſi prouinciam, quæ ſibi in ſortem prædicationis obuenit, Moream noſtra ætas vocat. Et quoniam promiſſionem acceperat à Domino, quando relicta naui, & retibus poſthabitis ad eum tranſiuerat, quòd fieret piſcator hominum, haudquaquam fraudatus eſt: prędicator enim effectus, & doctor veritatis eximi⁹, infinitos homines, linguæ ſuę hamo piſcatus eſt, quos Chriſto lucri fecit, atque ab eo inſtructa prouincia religionis noſtræ ſacra ſuſcepit; cognouitq; Chriſtum Dei filium cum Patre & Spiritu ſancto vnum eſſe Deum, ac ſanctæ Trinitatis fidem venerata eſt. Ipſe autem ſanctus Apoſtolus iam ſenio confectus ſub Egea proconſule in ciuitate Patracenſi cruce ſuſpenſus interiit, eoq; martyrio coronatus, quo frater ſuus Petrus, & quo magiſter Ieſus Chriſtus. Propterea cum acceſſiſſet ad crucem, eamq; ſuauiſſimis verbis ſalutaſſet: Accipe, inquit, diſcipulum eius, qui pependit in te Ieſus Chriſtus. Claruit autem multis miraculis, & in vita, & poſt obitum, quæ in eius hiſtoria referuntur. Corpus eius Maximilla religioſa mulier conditum aromatibus ſepeliuit, longoq; deinde poſt tempore in Italiam tranſlatum, & in Amalphitana vrbe reconditum fuit: quæ ob reuerentiam eius metropolis effecta: ſepulchrum habet glorioſum, & operis magnificentia, & concurſu populi; caput vero apud Patracenſes in ſumma reuerentia, & grandi cuſtodia ſeruatum vſque ad annum ſalutis ſexageſimum ſupra mille quadringentos: tunc autem tranſlatio eius hoc modo facta. Irrumpentibus in Peloponeſſum Turcis, duo Deſpoti id regni obtinebant Thomas, ac Demetrius fratres Conſtantini Græcorum Imperatoris, qui apud Conſtantinopolim paulo ante in eius excidio fuerat interfectus: horum maior Demetrius, poſtquam parum opis afferri à Chriſtianis animaduertit, acceptis alibi poſſeſſionibus, ex quibus ageret vitam, ad Turcas defecit. Thomas vero natu minor nullo pacto induci potuit vt his ſeruiret, qui germanum ſuum occiderant, atque imperium Græcis ademerant, & Chriſtiana ſacra polluerãt: cumque imparem ſeſe Turcarum viribus, neque ſpem vllam auxilii cerneret, migrare ex Peloponeſo ſtatuit, cuius iam partem magnam tradente Demetrio, Turcæ occupauerant. Prius tamen quàm inde abiret, Patras perrexit, quæ ciuitas in eius manu erat, & accepto inde ſancti Andreæ Apoſtoli precioſiſſimo capite ex ſactario, cuius ipſe cuſtodiam gerebat, cum coniuge & liberis, multis Græcię nobilibus comitantibus, ad Arte Deſpotum ſe contulit in inſulam, quam vocant ſanctæ Mauræ Epiro vicinam: neque enim tantum theſaurum hoſtibus relinquẽdum exiſtimauit, quamuis illi vt rem ſordidam conculcaſſent: curauit ne ſanctum Domini canibus relinqueretur, & iter ſuum proſperius comitante Apoſtolo iudicauit. Profectus eſt igitur incolumis ad cognatum Deſpotum, & cum eo aliquandiu commoratus non minori diligentia ſacrum verticem, quàm coniugem ac liberos cuſtodiuit. Interea multi principes Chriſtiani, & qui ſunt in Italia, & qui trans alpes habitant, Apoſtolici capitis audita tranſuectione, legatos ad Thomam miſere, multum auri promittentes, ſi ſacras reliquias impetrarent. Id vbi cognouit Pius Pontifex maximus, exilium tã ſacri capitis admodum ægre tulit. At poſtquam ſua ſede expulſum non facile reſtitui poterat, nuſquam dignius ſibi refugium cenſuit, quam Romæ apud oſſa germani ſui

beati

beati Petri Apoſtolorum principis,& apud ſedem Apoſtolicam arcem fidei,ad quam confugere omnibus tutum eſt, qui ſuis eccleſiis eiiciuntur. Miſit igitur & ipſe ſuos nuncios ad Thomam,qui pie factum dicerent, quòd ex Vrbe ruitura,& in manus infidelium hoſtium ventura, precioſiſſimũ Apoſtoli caput abduxiſſet, nec fuiſſet pertire. Facturum vero impie atque crudeliter, ſi alteri quàm Romano Pontifici traderet, cuius eſt de Sanctorum honoribus iudicare;aut ſi alibi eſſe vellet, quàm Romæ cum fratre ſuo,& cognatis oſſibus: adduceret id Romam;futurum aliquando volente Deo,quod in ſuum ſolium ope germani reſtitueretur;caueret ne rem ſacram iniuſſu Papæ cuipiam crederet, niſi Apoſtolorum indignationẽ vellet incurrere: nec inopiam cauſaretur,venturo enim ad Vrbem, ibique manſuro,hi ſumptus fierent, qui principi conuenirent. Victus his Deſpotus nauigaturum ſe Anconã promiſit,ſacrumque pignus adducturum;nec mentitus eſt: ſiquidem ad annum quadringenteſimum ſexageſimum primum ſupra milleſimum poſt Chriſti Saluatoris ortum, Anconæ appulit incolumis(vt credibile eſt) Apoſtoli auxilio,ex validis & horrendis ereptus procellis,quæ illo anno Hadriaticum pelagus plus ſolito vexauerunt, & innumerabiles naues ſorbuerunt. At Pius aduentu cognito Alexandrum ſanctæ Suſannæ presbyterum cardinalem vitæ ſanctimonia, & litterarum doctrina celebrem, eò legatum de latere miſit:qui recognitis ſancti Apoſtoli reliquiis, eas ex manu Deſpoti aſſumeret, atque cum apparatu & reuerentia, quæ tam ſacræ rei deberetur, Narniam vſque deferret,& ibi collocaret in arce à pręfecto ſeruandas,donec vehi ad Vrbem poſſent his honoribus,atque cæremoniis,quæ conuenirent:quod tunc fieri non poterat ſæuiente bello,quòd tyranni circa Romam Pontifici intulerant. Alexander profectus Anconam diligenter inſpecto capite, & ſignis recognitis, vbi verum Apoſtoli verticem eſſe iudicauit, veneratus eſt eum, & acceptum à Deſpoto, auro ei pro commeatu ad curiam donato cum egregio comitatu, ſolemnique pompa, & multis luminaribus tranſtulit in arcem Narnienſem, & obſignatũ commendauit præfecto, atq; aliquandiu decenter ardentibus perpetuo coram eo lampadibus ſeruatum eſt. Elapſis deinde pluribus menſibus cum res bellicæ Pontifici proſpere ſucceſſiſſent, & Iacobus Picininus infeſtus Eccleſiæ hoſtis ex agro Romano pulſus abiiſſet; tyrannique amiſſis pluribus oppidis fracti animo ad veniam Pontificis recurriſſent, cererique perculſi metu,aut ſeſe dediſſent,aut procul effugiſſent:& iam pax in agro Romano reſtituta eſſet, & ſecura per circuitum quiete populi potirentur; nec audiretur amplius fragor armorum: ſtatuit Pontifex honoratum caput in Vrbem aduocare; vtque comagnificentius exciperetur adueniens, quo maior adeſſet populus, omnibus qui in eius introitu Vrbem accederent,aut receptioni intereſſent,remiſſionem omnium peccatorum plenariam eſt pollicitus:ac decretum in eam rem factum ad præcipuas Italiæ vrbes tranſmiſit præſcripta die aduentus;quæ cum prope inſtaret,tres cardinales elegit, Beſſarionem epiſcopum Tuſculanum natione Græcum, vtriuſque linguæ peritiſſimum,virumque magni nominis,& Alexandrum, cuius ante meminimus, ac Franciſcum adminiſtratorem eccleſiæ Senenſis,atque hos iuſſit Narniam petere, depoſitumque ſanctum pignus inde afferre. Interea Romæ omnia parabantur, quæ ad ſolemnem ac magnificam receptionem ſancti Apoſtoli digna videbantur. Verebaturque Pontifex ne in honore tanti Apoſtoli diminute agere videretur, nec quicquam ſatis arbitrabatur. Fuitq; illi animus Apoſtolorum Petri & Pauli glorioſiſſima capita, quæ in æde beati Ioannis apud Lateranum condita ſunt, obuiam ducere, atque cum illis extra Vrbem aduenienti ſacro Andreæ vertici occurrere: quod ne fieret argenti moles impediuit,quo ipſa capita ſunt incluſa,nam ſupra quatuor millia pondo feruntur: eſtq; præterea multũ ferri,quod neque frangi ſine graui incommodo, neque portari poterat. Omiſſa eſt igitur ea capitũ delatio, mandatumq;, vt quibus diebus ante meridiem beati Andreæ caput per Vrbem eueheretur,poſt meridiem Apoſtolorum capita in Laterano publice omnibus oſtenderentur, quod non ſine maxima populorũ frequentia factum eſt. Cardinales Narniam miſſi cum eo veniſſent,recognitis ſignis, ſanctiſſima venerati ſunt oſſa,eaq; cum tremore,& ſumma reuerentia ſuſcipientes ad pontem Miluium detulerunt ipſa die Palmarum, quæ fuit pridie idus Aprilis,anno ſalutis ſecundo & ſexageſimo ſupra milleſimum & quadringenteſimum, occurren-

ribus per omnem viam innumerabilibus populis, laudantibus Deum,& ſeſe Apoſtolo Andreæ commendantibus: ſecundoque ab Vrbe milliario in ipſa pontis turri venerandas reliquias per noctem ſeruandas collocarunt, duobus archiepiſcopis Perocto Sipontino, & Alexio Beneuentano;qui excubias agerent, ibi relictis. Pontifex autem ea die celebrata in Apoſtolico palatio apud ſanctum Petrum pro veteri conſuetudine Palmarum ſolemnitate, poſt meridiem cum ſacro ſenatu cardinalium, & omni clero ſtatuit eccleſiam ſanctæ Mariæ in Populo petere, ibique noctem agere, vt ſequenti die ſacro capiti inde occurreret: hæret enim ea eccleſia portę Flamineæ, quæ ducit ad pontem Miluium Tyberi iniectum: ſed angebatur metu pluuię, quæ impendere videbatur,nubes cælum obduxerant fulgura,& coruſcationes vbique viſebantur,exaudiebanturq; paſſim tonitrua,nec ſpes erat ſerenitatis: & quamuis multi dies nebuloſi, humectique pręceſſiſſent; tunc tamen pręcipue minari videbatur æther, & horrida tempeſtas inſtare, ventis omnibus Vrbem verſus nubes impellentibus,ita vt crederet nemo abſque maximo imbre iter fieri poſſe: ſed (mirabile dictu) ſeruauit ſibi ſuum tempus magnus Andreas,nec iter cleri ſeſe honoratum euntis interuertere pluuiam paſſus eſt:nam etſi dies noctesque menſis eius malidæ fuerunt, eo tamen tempore, quo ſacrum caput vehebatur, & quo Pontifex illi obuiam perrexit, nunquam aquę gutta cecidit ſuper terram qua parte eundum fuit: & omnis illa imbrium congregatio,quę tranſitum Pontificis occupatura videbatur, vſque in noctem ſe continuit;ita vt ſicco veſtigio iter fieret. Nox vero humida ſpem ademit poſſe in craſtinum optata ſolemnia celebrari, & in aliud tempus transferenda exiſtimabantur:at mane exorto ceſſauit pluuia,& ſol ſplendens ſuper terram inuitare ad eundum videbatur. Mox tres cardinales qui ſacrum caput in ponte Miluio repoſuerant, eò profecti id acceperunt,& Vrbem verſus cum pompa eduxerunt.

Apparatus Pii ad ſacrũ caput excipiendum, eiuſq; oratio deuotiſſima, hymnuſque cantatus, & põpa omniũ ætatis noſtræ maxima, concurſus nationum incredibilis.

Ponti Miluio vicina ſunt prata latiſſima, quæ Romam petenti via Flaminia ad ſiniſtram iacent:ea tum herbida erant & florida, atque adeo læta, vt ridere viderentur:in horum medio iuſſerat Pontifex ſuggeſtum erigi ex materia ita amplum, & ſolidum, vt omnem clerum,qui aderat,continere poſſet: atque altum adeo, vt quæ ibi fierent ab omnibus,qui eſſent in pratis, perſpicue cernerentur, ſublimi ara in medio conſtituta. Præmiſſis igitur tribus cardinalibus, vt memoratum eſt, paulo poſt Pontifex ipſe cum reliquo ſenatu, cumque omni clero, cum legatis principum & proceribus Vrbis,atque ingenti populi multitudine Flamineam portam exiit, palmæ ramum in manu geſtans,& pariter cardinales:reliqui prælati palmas portauerunt, quibus præcedenti die ab ipſo Pontifice donati fuerant ob Saluatoris memoriam. Plena erat omnis via populo, nec vel agri vel vineæ prę multitudine hominum videri poterant,adeo vulgus obtexerat omnia. Vt primum in prata ventum eſt,quæ diximus,iuſſit Pontifex cardinales ac pręlatos ab equis deſcendere, & ſacerdotalibus acceptis ornamentis,ſacriſque veſtibus quantum arcus iacere poteſt, iter pedibus agere,ſecumque ſuggeſtum conſcendere. Erant omnium ſacerdotum paludamenta alba,albæ mitrę, & omnis ornatus albus, & in viridi prato candidior videbatur: tenebat ora cunctorum attonita mirabilis ordo & dignitas,& pompa tot ſacerdotum, qui bini palmas gerentes in manibus, & Deo preces porrigentes cum Pontifice maximo aſtante populi corona per prata lento paſſu,& grauibus incedebant vultibus. Erant duo aditus in ſuggeſtum per gradus clementes, alter ponti Miluio erat oppoſitus, alter Vrbi; & dum Pontifex hunc aſcendit, præ gaudio & deuotione illacrymans, ſequente collegio, cleroque omni; Beſſarion cum aliis duobus cardinalibus alterum ſcandit,arculam ferens, in qua ſacrum caput clauſum continebatur, eamque depoſuit in altari medio, canentibus ſacra carmina intonantibus. Ex facto ſilentio,pręſentatis clauibus, & obſignaculis recognitis aperta eſt arcula:& Beſſarion accipiens ſacrum Apoſtoli verticem flens flenti Pontifici tradidit. Ipſe autem Pontifex prius quàm ſacra oſſa contingeret genibus flexis, ante aram proſtratus, vultu demiſſo & pallenti, madidis oculis ac tremula voce in hunc modum locutus eſt.

Aduenisti tandem, ô ſacratiſſimum & odoratiſſimum ſancti Apoſtoli caput, Turcarum te tua ſede furor expulit. Ad fratrem tuum Apoſtolorum principem cõtugiſti exulans:

exulans: non deerit germanus tuus tibi: reſtitueris in ſolio tuo cum gloria, volente Domino; licebitque aliquando dicere, ô felix exilium, quod tale reperit auxilium. Interea temporis cum tuo germano aliquandiu commoraberis, & pari honore cum eo potieris. Hæc eſt alma Roma, quam prope cernis precioſo tui germani ſanguine dedicata: hanc plebem, quæ circumſtat, beatus Petrus Apoſtolus frater tuus pientiſſimus, & cum eo vas electionis ſanctus Paulus Chriſto Domino regenerauit. Nepotes tui ex fratre Romani omnes te veluti patruum, patremque ſuum venerantur, colunt, obſeruant, & tuo ſe vti patrocinio in conſpectu magni Dei non dubitant: O beatiſſime Apoſtole Andrea, veritatis prædicator, & aſſertor Trinitatis eximie, quãto nos hodie gaudio reples, dum verticem hunc tuum ſacrum & venerandum coram aſpicimus, qui dignus fuit in quo viſibiliter ſub ignis ſpecie in die Pentecoſtes ſanctus reſideret paracletus? O vos, qui Hieroſolymam petiiis ob reuerentiam Saluatoris, viſuri locum vbi pedes eius ſteterunt, ecce ſedem ſancti ſpiritus, ecce diuinitatis ſolium: hic hic conſedit Spiritus Domini, hic tertia in Trinitate perſona viſa eſt, hic oculi fuerunt, qui ſæpe Dominum in carne viderunt: hoc os ſæpe Chriſtum eſt allocutum: has genas non eſt dubium, quin ſæpe Ieſus fuerit oſculatus: en magnum ſacrarium, en charitas, en pietas, en animæ dulcedo, en conſolatio ſpiritus. Et quis eſt, cuius viſcera non commoueantur? cuius non ardeant intima cordis? cui non excidant præ lætitia lacrymæ in conſpectu tam precioſarum Apoſtoli reliquiarum? Gaudemus, exultamus, iubilamus aduentu tuo (diuiniſſime Apoſtole Andrea) Neque enim dubitamus quin tui capitis comes adſis, & cum eo Vrbem ingrediaris. Odimus Turcas Chriſtianæ religionis hoſtes, in hoc non odimus, quod tui aduentus cauſa fuerunt; nam quid nobis optatius contingere potuit, quàm tuum hoc honoratiſſimum intueri caput? eius fragrantiſſimo perfundi odore? Id moleſtum eſt, quod aduentanti tibi non eos honores impendimus, quos mereris; nec te poſſumus pro tua excellenti ſanctimonia digne ſuſcipere: ſed accipe voluntatem noſtram, atque æquo animo patere, quod pollutis manibus tua contrectamus oſſa; & te peccatores intra mœnia comitamur Vrbis. Ingredere ſanctam ciuitatem, & eſto propitius Romano populo: ſit omnibus Chriſtianis ſalutaris tuus aduentus, ſit pacificus ingreſſus tuus, ſit felix fauſtaque tua nobiſcum mora. Eſto noſter aduocatus in cælo, & vnà cum beatis Apoſtolis Petro & Paulo hanc Vrbem conſerua: & vniuerſo populo Chriſtiano pie conſule; vt veſtris patrociniis fiat miſericordia Dei ſuper nos; & ſi qua eſt eius indignatio propter peccata noſtra, quæ multa ſunt, tranſeat ad impios Turcas, & ad nationes barbaras, quæ Chriſtum Dominum contemnunt.

Prouocauit oratio Præſulis omnium lacrymas, nec quiſquam in ſuggeſto adfuit vel clericus vel laicus, qui non ploraret, & ſua nõ tunderet pectora, beati Apoſtoli patrocinium implorans. Fuerunt qui verba Pontificis adeo menti ſuę impreſſerunt, vt domum reuerſi orationem ipſam, quaſi ad verbum reſcripſerint, Pontificiq; tradiderint. Inter quos fuit Theodorus epiſcopus Feltrenſis ingenio & doctrina iuxta prędi-tus: eam cũ Pontifex oblatã legiſſet, admiratus eſt hominis memoriã, & vim ingenii laudauit. Tenebatur loquente Præſule mirum ſilentium, quamuis ſingultus nonnullorum exaudiebantur, qui peccata ſua plangentes, plorarum retinere nequibant. Ardebant luminaria circum & omnis in pratis populus finem tacitus expectabat. Poſtquam vero Pontifex dicendi finem fecit, exoſculatus eſt ſacrum caput, & omnes pariter, qui erant in ſuggeſto flentes oſculati ſunt, & rurſus Pontifex.

Omnipotens (inquit) ſempiterne Deus, qui cæleſte ſimul & terrenum moderaris imperium; quique nos hodie beati Andreæ Apoſtoli tui precioſi capitis acceſſione conſolari dignatus es: tribue, quæſumus, vt eius meritis & interceſſione perfidę Turcarum gentis attrita ſuperbia, & omnium infidelium ſublata moleſtia, Chriſtianus populus ſecura tibi ſeruiat libertate, Per Chriſtum Dominũ noſtrum. Et cum omnes reſpondiſſent, Amen; accepit venerandas Apoſtoli reliquias in manus ſuas, & eleuans in altum circuiens vndique ſuggeſtum, oſtendit populo deſideratum donum; nec quiſquam fuit, qui eius viſione priuaretur: moxque voces altiſſimæ auditæ ſunt multitudinis, Dei miſericordiam implorantis, ita vt omnes circumualles redderent ſonum. Poſt hæc alta voce intonatum canticum, cuius initium eſt: Te Deum lauda-

mus. quod fama eſt Ambroſium & Auguſtinum viros in Eccleſia celebres condidiſſe;& eo finito cantores hymnum cecinerunt in hunc modum:

Primus hic Ieſum ſequitur vocantem,
Et crucem primus ſimilem ſubiuit
Martyr Argiuis veneratus oris
Omne per æuum.
Hinc Pius Graios populante Turca
Præda ne fiat canibus cruentis
Tollit,& ſancta profugum ſecundus
Excipit Vrbe.
Seque cum ſacro comitem ſenatu
Obuium præbet:redolente Roma
Floribus feſtis,reſonante clero
Cantica laudum.
Sacra fert dextra nitidus ſacerdos,
Splendidi carmen referunt Quirites:
Almæ ſis noſtra columen,precamur,
Et pater Vrbis.
O pugil ſanctæ fidei ſupremus,
Primus agnoſcens Dominum vocantem
Primus & letho ſimili triumphans
Protege Romam.
Fac diem fauſtum,Deus alme, nobis;
Fulmen in Turcas acuens triſulcum;
Audit Andreas populum precantem,
Talia reddens.
Te precor cæli ſator atque terræ
Tolle iam clades,ſcelerumque pœnas;
Et tui tandem populi miſertus
Contere Turcas.
Hoc Pius paſtor,meritique tantè
Pronus exorat;miſerere feſſis
Da manum mundo prope iam labenti
Maxime rector.
Hoc duces Vrbis Petrus atque Paulus
Supplices poſcunt , pariterque Roma
His velut nitens geminis columnis
Strata precatur.
Da Pio vitam, rogitamus omnes,
Solus in Turcas animo perenni
Auſus Alpinos ſuperare montes
Arma vocauit.
Et caput præbet proprium libenter,
Nomen vt Chriſti veneretur orbis,
Et viam noſtra videat ſalutis
Perfidus hoſtis. Amen.

Hunc hymnum iubente Pio ediderat Agapytus epiſcopus Anconitanus ciuis Romanus, incertum iuris interpres,an orator vel poeta præclarior. Deſcendit exin Pontifex de ſuggeſto luminaribus vndiq; circundatus, & venerabile pignus in ſuis manibus tenens , portauit in Vrbem : cardinalibus & epiſcopis , ceteriſque prælatis ſuum ſeruantibus ordinem,& palmas præſeferentibus. In via præ multitudine plebis & equorum non pauci comprimebãtur, vixq; aditus in tanta populi frequentia patebat. Ad vrbis portam cleri pars adfuit cum ſacris,occurrens Apoſtolo venienti: quo ſalutato,rediit cum eo in Vrbem. Et pontifex Eccleſiam beatæ Mariç ingreſſus, caput Apoſtoli in altari depoſuit apud imaginem glorioſæ Virginis matris Domini, quam

tradunt

tradunt beatum Lucam Euangeliſtam effinxiſſe; & benedicto populo epiſcopos ordinauit ex numero referendariorum, qui vigilias illic per noctem agerent; & ipſe in cubiculo apud eandem Eccleſiam præparato pernoctauit. Nec dum ſol conditus eſt, & ecce mutato aëre, nouas Auſter pluuias adduxit, quę noctem totam vſq; ad auroram tenuerunt, adeoque Ingentes ceciderunt imbres, vt nulla ſpes eſſet in craſtinum efferendi per Vrbem capitis ad baſilicam beati Petri, vt inſtitutũ erat. Communis omnium mentes occuparat mœror, tantam ſolemnitatẽ, quę præparata erat, impediri dolentium, & tantam populi expectationẽ fruſtrari. Confluxerant infiniti aduenę ex Germania, Gallia, Hungaria, & reliquis tranſalpis regionibus: tũ vero ex Italia innumerabiles aduentauerant plebes, & viri multi nobiles ſtudio viſendi ſacratũ verticẽ; adeo vt in Iubileo, qui ſub Nicolao quinto Pontifice Romano celebratus eſt, quem cõſtat fuiſſe maximum, nunquam vna die maior hominũ multitudo viſa fuerit; & omnes triſtes erant, ii præſertim, qui non fuerant in pratis, nam multi poſtea introierant: nec Pium Pontificem minor affligebat mœſtitia timentem ſuper populo, cuius deſideria fruſtrari animaduertebat; & hinc ciuibus, inde aduenis condolebat, qui pariter angebantur. Rogabant autem vniuerſi Deum, vt ſerenitatem in craſtinum elargiretur. Quos non audire noluit diuina miſeratio; ac vero ſimile eſt impetraſſe beatum Andream ſuo capiti placidũ tempus, qui exauditus eſt pro ſua dignitate. Subito enim paulo ante ſolis exortum ſiue Aquilo fuit, ſiue Boreas, aut alius ventus, nubes omnes pepulit, & cælum nitidum, ſerenumque reddidit, & ſol ipſe ſplendidus, ac ſupra modum fulgidus appatuit in oriente, ita vt multi meminerint, & præcipue Pontifex ipſe illius diſtich::

Nocte pluit tota, redeunt ſpectacula mane.
Diuiſum imperium cum Ioue Cæſar habet.

Sed mutauit Campanus carmen, dixitque circumſtantibus.

Nocte pluit tota, redierunt tempora noſtra
Nox fuit acta hoſtis, lux erit iſta Dei.

Et ſubiunxit:

Humida præteriit tempeſtas, ſicca reuerſa eſt:
Nox inimica abiit; luxit amica dies.

Iuſſitque Pontifex accerſiri Cardinales, & parari quæ eſſent ad educendam pompam neceſſaria: ipſe vero in cubiculo ſuo celebrauit, & paſſionem Dominicam legit eius diei ſecundum Lucam: & finito ſacrificio, cum iam frequens ſenatus adeſſet, & omnis clerus; accerſitis cardinalibus percontatus eſt, quid facto eſſet opus: nam ducere in pompa caput Apoſtoli decretum erat: verum pedibus, an equis iter agendum, nondum certum; & ſi enim mundauerat heſterna die populus omnem viam, qua erat eundum, nox tamen pluuioſa multum ſuperinduxerat luti, & tranſitus in lubrico ſolo ſacerdotibus ſacra ferentibus, & ſacris indutis veſtimentis difficillimus videbatur: tum longitudo itineris gtauis apparebat ſenibus, nam circiter duo millia paſſuum conficienda erant ab æde ſanctæ Mariæ Popularis ad baſilicam ſancti Petri per mediam Vrbem. Itaque multorum ſententia fuit indulgendum eſſe cardinalibus, epiſcopis, & abbatibus, vt in equis incederent, reliqui pedibus ambularent. At id Pontifici minime placuit, ne vel diuiſa proceſſionis pompa videretur, vel parua ſacerdotum deuotio, & minor impenſa diuino Apoſtolo reuerentia; iuſſitque vt omnes pedibus irent, honorarentque ſuo labore ſacrum verticem, digniq; fierent indulgentiis: ſi qui vero ſenes, aut valetudinarii id laboris ſubire non poſſent, irent alio itinere equitantes ad ſanctum Petrũ, & ibi in gradibus expectarent ante fores aduentum pompę: & nihilominus qui non poſſent totum iter pedibus agere, poſſent autem partem, tantum irent, quantum ſuo ex arbitrio valerẽt, ſelecto loco ex quo poſſent ad ſanctum Petrum pedibus peruenire. Quo audito perpauci fuerunt, qui non totum iter ambulare decreuerint. Ex cardinalibus quidem Ioannes Præneſtinus excellens theologus extremo confectus ſenio, & Proſper Columnenſis doctrina ac nobilitate illuſtris, verum podagra vexatus, ad Vaticanum occultis aditibus ſe contulerunt: Ludouicus cardinalis S. Laurentii in Damaſo domi ſe continuit: Nicolaus ſancti Petri ad Vincula natione Germanus, & Ioannes ſanctæ Priſcæ Hiſpanus viri docti & reli-

gioſi graui detenti valetudine, cum intereſſe non poſſent, petierunt vt domi manentes Indulgentiarum participes fierent, quod Pontifex indulſit: Nec Philippum cardinalem Bononienſem Nicolai Papæ quinti Germanum morbus recens intereſſe permiſit: Beſſarion epiſcopus Tuſculanus parum validus in Campo florum pompæ ſeſe immiſcuit: & ad ædem principis Apoſtolorum non ſine graui labore peruenit; homo non tam annis, quàm morbis confractus: reliqui omnes cardinales, excepto Ruteno, de quo poſt dicemus, iter totum pedibus exegerunt. Pauciſſimi quoque ex epiſcopis abfuere, quamuis multi ægrotarent. Fuitque grande ſpectaculum deuotione plenum, & reuerentia grandæuos videre ſenes ſuis pedibus per lubricum ambulantes, palmas in manu geſtantes, & in canis capitibus albas portantes mitras, veſtimentis ſacerdotalibus indutos, & ipſis candidis luminibus in terram defixis nuſquam flectentes oculos, ſed orantes, & diuinam miſericordiam ſuper populo implorantes: & nonnulli, qui prius in deliciis enutriti vix centum paſſus ire poterant non equis vecti, hac die duo millia paſſuum onuſti ſacris veſtibus, in luto & aqua facile perrexerunt. Vilhelmus epiſcopus Oſtienſis onus ſuæ carnis, nam pinguis erat, & ætate prouectus, non ſine labore tulit; homo nobilis & regio ſanguine natus: nec Alano ſanctæ Praxedis cardinali non difficile fuit molem ſui corporis ferre, ambo tamen alacres viam peregere, at Ioannes epiſcopus Portuenſis natione Hiſpanus, vir ciuili doctrina excellens, qui paulo ante ex legatione Hungarica redierat, non parum admirationis præbuit, qui & ſi ſenex erat, & valetudinarius, læto tamen & vultu & animo iter totum orando confecit: faſcem portabat amor, & nihil erat amanti difficile: laborarunt in via non parum Alexander ſanctæ Suſannæ, & Iacobus ſanctę Anaſtaſię cardinales, quorum alterum valetudo non bona, alterum ſextus & ſexageſimus annus prægrauarat; vicit tamen deuotio, & nulla in parte pompæ defuerunt. Latinus Vrſina gente natus, laboris alias impatiens, & imbecillo corpore ea die fortior effectus nihil inter eundum laboraſſe viſus eſt. Reliqui omnes ætate & robore valebant, vt Petrus ſancti Marci Eugenii quarti, Ludouicus ſanctorum Quatuor Coronatorum Caliſti tertii nepotes; Riccardus Conſtantienſis, qui olim Caroli regis Franciæ conſiliarius fuerat; Nicolaus Theanenſis, qui pridem exercitibus eccleſiæ præfuerat, Marſoſque domuerat; Ioannes Attrebatenſis, qui paulo ante abrogata ſanctione pragmatica redierat ex Galliis, Iacobus Papienſis litteris humanitatis apprime præditus, Rodericus Vicecancellarius, & ipſe Caliſti nepos ingenio præſtans, Franciſcus Senenſis cuius ante meminimus; Franciſcus Mantuanus nobiliſſimis Italię atque Germanię familiis ſanguine iunctus: fuitque in omnium vultibus & grauitas, & religio, & deuotio, neque vllus affuit geſtus indecorus; adeoque modeſte inceſſit cardinalium ordo, vt ſupra modum aſtantis turbæ cõmouerentur ad religionem animi: nec diſſimilis viſus eſt epiſcoporum & aliorum prælatorum inceſſus, & in omni clero admirabilis apparuit compunctio cordium. Aderant eccleſiarum totius Vrbis ſacerdotes Sanctorum reliquias præferentes: Aderant ſplendide veſtiti Romani ciues conſeruatores camerę, Principes regionum, & reliqui magiſtratus: Legati quoque regum & principum, & vrbis barones; ferebantq; in manibus ardentes cereos, & ſuum quique ex ordine locum tenebant. Pars Legatorum ac nobilium circa Pontificem collocata eſt, auratum ferens ſupra caput Apoſtoli pannum, qui ſolis radios auerteret, quaſi vmbraculum; Baldachinum noſtra ætas vocat; reliqui antecedebant clerum. Sunt qui aſſerunt triginta millia candelarum ardentium in proceſſu cleri & populi ea die ſupputata fuiſſe, ad pontem Hadriani, dum illac bini & bini tranſirent homines, tantuſque inuentus eſt ſacerdotum numerus ſacra ferentium, vt qui priores inceſſerant, antea ad ſanctum Petrum peruenerint, quàm Papa è loco ſuo ſe mouerit; & nihilominus alter inſtabat alteri, & præcedentis veſtigium mox qui ſequebatur occupabat. Vt ergo cuncta fuerunt apparata, & pompa iamdiu cœperat incedere, deſcendit Pontifex humeris hominum vt conſuerat ſella vectus aurea, nam pedum vſum iampridem, vt diximus, abſtulerat podagra; miſitque Oſtienſem epiſcopũ, qui duobus cardinalibus comitatus, ex æde ſanctę Marię Apoſtoli caput ad ſe ferret: nam illi præ multitudine plebis non patebat in Eccleſiam aditus: receptum eſt ex altari nobile pignus, & in manibus Pontificis datum vidẽte omni populo, & Dei mi-

ſericor-

Digitized by Google

ſericordiam implorante. Pontifex illud exoſculatus accipiens, & ante ſe ferens, & circumfuſæ multitudini benedicens, cœpit procedere hora iam decima tertia, tantaque vbiq; hominum turba viam obſederat, vt vix milites Papam ſtipantes iter fuſtibus aperire poſſent; quamuis extra Vrbis ædificia aliquandiu eundum eſſet, qua latiores inueniuntur ſemitæ: flexit enim Pontifex ad dextram Tyberim verſus, & ſecundum fluminis ripam incedens reliquit ad ſiniſtram Auguſti tumulum; quibus in locis, & ſi late alias patent, nihil eo die vacuum erat, adeoque denſe inter ſe hominum turbæ cohærebant, vt iactum tritici ſemen vix poſſet in terram cadere, & pari modo vici omnes vſque ad ſanctum Petrum obſeſſi reperiebantur: nec turba eadem erat, quæ dimiſſo vno loco alterum occuparet: ſed noua vbiq; hominum facies offendebatur. Itum eſt prope Tyberis curſum, donec ventum eſt ad frequẽtia vrbis ædificia dextro itinere. Exin pompa ad ſiniſtram flexit, & per arctos ciuitatis vicos, & altas ædes venit ad templum Pantheon, quod gentiles diis omnibus, id eſt dæmonibus, maiores noſtri glorioſæ Virgini matri Domini, & ſanctis omnibus conſecrarunt: atq; illac per plateã magni templi vertit ſe ad dextram manum quouſq; præteriit diui Euſtachii ſacellum: ibiq; rurſus ſiniſtrorſum itum eſt ad ædes vſq; Eberardi cardinalis ſanctę Sabinæ, ſcientia iuris eminentiſſimi, & exemplaris viri. Tumq; tertium ad dexteram inclinatum eſt, & via itum, quam Papæ vocant, vſq; ad ædes Maximi recens editas. Illinc denuo ſiniſtrum iter acceptum vſq; in Campum florum, quo ad dextram pertrãſito, platea ſancti Laurentii in Damaſo occurrit, quo in loco ſiniſtro itum eſt vico vſq; quo rurſus quoq; adeſſet ripa Tyberis, & poſtremo dextra via ad molem vſque Hadriani peruentum, vbi ponte tranſmiſſo per viam ſacram ad ſanctum Petrum iter habitum, quod vbiq; floribus, & odoriferis herbis ſtratum fuit. Qua vero frequẽtes ciuium ædes inuentæ ſunt Vrbe tota tecta erat pannis, ac ramis arborum via, ne ſol offenderet, & omnes domorum parietes ornati, quos aulea, pictiq; tapetes operuerant. Ingentem Romani & lętitiam & deuotionem oſtendere, & pariter curiales, & aduenæ inuicem certantes, quo alter alterum in honore Apoſtoli ſuperaret; quicquid ornamentorum in domibus fuit, id totum effuſum eſt, ad decorandas ſacro capiti vias: nulla precioſa veſtis ea die non eſt oſtenſa. Matronæ ac virgines in oſtiis & in feneſtris domorum cum luminaribus, & ornatu, qui tempori conueniebat, orantes pompæ tranſitum intuebantur; ſacrumq; caput venerabantur. Fumabant per triuia & vniuerſas vias altaria, ardebant thura paſſim, & thimiamata, & odoratæ arboris ramuſculi, pictas tabulas, egregias ſtatuas, & quæ viuos exprimerent vultus quiſquis domi habuit, in porticu ante fores, in propatulo collocauit. Multis in locis perſonatus varii viſebantur. Pueri angelos cæli repræſentantes, alii dulce canebant, alii organis pſallebant, nullum muſicæ artis inſtrumẽtum non audiebatur, & ſimul Apoſtoli laus æthera implebat. Tum viri fortes, & diuerſa miracula paſſim ſuſpenſa, tranſeuntium oculos detinebãt. Superauit inferiorum & æqualium omnium ſtudia Melchior equitum Rhodienſium procurator, homo frugi, & doctus, qui pro foribus ſuæ domus altari erecto, multa incendit thura, & ornatus varios adhibuit, & cantores & tibicines, & diuerſo, & delectabili concẽtu tranſeuntes Apoſtoli reliquias honorauit. Cardinales, qui eo in itinere habitabãt, cuncti ſuas domos mirifice appararunt. Spoletanus quamuis abeſſet, petierat n. eccleſiam ſuam per ſacrã hebdomadã plebeculę ſuæ, & ſuis ouib. ſatisfacturus: miniſtros tamen domi reliquit, qui & plateã adiacentẽ pannis operuerunt, & parietes perpulchre ornauerũt, ſed vict⁹ eſt ab Alano S. Praxedis cardinali, quẽ vocant Auinionenſem; is ædes habitauit in Cãpo florum, quo in loco magni Põpei theatrum fuiſſe cõmemorant, nũc Vrſinorum palatia ſunt, quæ nepos Eugenii Papæ cardinalis Portuẽſis in alieno ſolo maximo ſumptu ædificauit: Alanus altari in foro erecto, tectoq; pãnis aureis, & multis odoramẽtis incenſis præaltos quoq; palatii muros precioſis veſtiuit ornamentis, quæ ab Atrebato ciuitate Galliæ in Italiam feruntur. At omnium ſumptus atq; conatus, & omnium ingenia longe ſuperauit Rodericus Vicecancellarius, qui ædes ſuas, quas in ſolo veteris monetæ altiſſimas & ampliſſimas cõſtruxit; diuitibus & admirabilibus pannis operuit: tum cælũ ſublime erexit, in quo multa & varia ſuſpendit mirabilia; nec ſuas tantum domos, ſed vicinas etiam adornauit, ita vt platea circumducta paradiſus quidam videretur ſuauibus

plena ſonis,& cantibus,ſeu plurimo fulgẽs auro domus,ſicut Neronis fuiſſe perhibetur;tum carmina plurima appenſa parietibus legebantur ab electis ingeniis recens edita:quæ grandioribus conſcripta litteris,& diui Apoſtoli laudes,& Pii Põtificis præconia continebant. Nec Thuſci negociatores,menſariiq; qui prope Hadriani pontẽ habitant,ſuas domos inornatas reliquere:quippe qui alter alterum & ſumptu & nouarum rerum ſtudio ſuperare certabant. Nulla fuit platea,nullus vicus, qui habitatores haberet,qui non aliquid admiratione dignum pręſeferret. Pontifex igitur per tot mirabilia vectus,vehenſq; ſacrum verticem,deniq; in eam plateam peruenit,quæ ante principis Apoſtolorum baſilicam latiſſime patet:hanc externus impleuerat populus;nam Romani (præter eos,qui pompam duxere) in ſuis vicis manſere, præſertim feminæ. Hic maxima exorta eſt vociferatio, & quaſi murmur aquarum multarum, cum viſo Apoſtoli capite, cuncti ſeſe ei tundentes pectora cum gemitu & vlulatu cõmendarent. Aſcendit Pontifex ſcalam marmoream multorum graduum, quam ipſe magno ſumptu,paulo ante conſtruxerat pro foribus atrii; nam vetus illa Conſtantini opus(vt relatum eſt)iam defecerat. Superatoq; ſummo gradu, vertit ſe ad multitudinem,& benedixit ei,ſacrum oſtendens verticem. Ingreſſus vero atrium contemplatus effigiem beati Petri,quæ ſedet ante veſtibulum templi,& tanquam ſtatua illa germani aduentu lætabunda fleret, collacrymatus eſt, duorum fratrum, qui ſe iampridem non vidiſſent,concurſum, atq; complexum mente reuoluens. Proceſſitq; inde in eccleſiam,quæ tota luminibus ardere viſa eſt;nam & ipſa plena erat viris ac mulieribus: & pauci aderant non habentes aut candelas aut cereos in manibus accenſos: tum lampades innumerabiles, & candelabra lucebant, quæ omnia modulantibus organis,& canente clero admirabiliora reddebantur. Ventum eſt ad aram maximam non ſine magno labore inter confertiſſimas turbas, quæ vix gladiis dabant locum. Sub ara corpora iacent diuorum Apoſtolorum Petri & Pauli, orbe toto veneranda. Hic precioſum B. Andreæ caput repoſitum eſt:quod prælati,& viri excellẽtes,qui aderant omnes exoſculati ſunt. Anno, qui præceſſerat proximus percuſſerat apoplexis Iſidorum epiſcopum Sabinenſem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cardinalem natione Græcum ex Peloponneſo,qui olim Roxanis Boreali genti præfuerat,cui & ſi ſermonem ademit,intellectum tamen non abſtulit:manebat hic domi languens;qui vbi tranſeuntem ante ſuas ædes ſacrum verticem conſpicatus eſt,nullo pacto retineri potuit,quin ſequeretur ſanctas reliquias. Venit igitur ſuis pedibus in beati Petri baſilicam,& ingreſſus ferreas craticulas,quæ ſancta ſanctorum cingunt, & maius altare cuſtodiunt,accedens Pontificem ſignis ac nutibus indicauit ſe cupere diuinum Apoſtoli verticem oſculari:impetrata venia flexis genibus, cum multis ſingultibus & lacrymis,& maxima reuerentia deſiderio ſuo fecit ſatis,& tanquam voti compos exultauit:domumq; lætus rediit:nam quaſi patriæ ſuæ conditorem vidiſſet,ita ſibi ipſi cõplacuit,& longe iucundior viſus eſt venerandus ſenex abire. Tum Beſſarion cardinalis dextrum apprehendens cornu,& hinc ſacrum Apoſtoli caput, illinc Pontificẽ intuens,ſermonem habuit in hunc modum:

Ecce frater tuus (Beatiſſime Petre Apoſtolorum princeps)& tu vas electionis, & doctor gentium, qui vltimo in Apoſtolatum vocatus pari dignitate principatum cum Petro obtinuiſti: En,inquam, veſter Andreas, qui primus vocatus, ceteris viã ad Saluatorem oſtendit,adeſt;ecce veſter Andreas,vt qui in cælo vobis coniunctus, ac conditori Saluatoriq; humani generis aſſiſtens,gloria contemplationeq; perfruitur, etiam in terris corpore hoc tempore coniungatur,reſideatq; aliquandiu vobiſcum;is qui ſupra mille quadringentos & viginti octo annos ab aſſumptione Domini corpore à vobis diſiunctus extiterat. Hunc enim Achaia,vt nouiſtis, quã olim ſuo ſanguine Deo cõſecrauerat retinens procul à vobis,vrbeq; Romana, quæ cõditores, quæ vos magiſtros fidei,quæ vos ſanctos veroſq; paſtores adepta eſt, poſitum fideliſſime cuſtodiuit: huius vero aduentus ſui cauſam nõ ignoratis,qui non modo cuncta præterita,verum etiam pleraq; futura in verbo contemplamini. Ceterum vt non ad veſtram, ſed ad Chriſtianorum,ſi qui ſunt qui ignorant,id notitiam perueniat: En ego, inquit, tuus Andreas,Petre frater,poſtquam à Saluatore primo, deinde tuo iuſſu ad prædicationem Euangelii miſſus,poſt multas diuerſaſq; nationes, quas fidei rectæ Chri-

ſtianoq;

ſtianoq; nomini dedicaueram, tandem in Achaiam Peloponneſi prouinciam multitudine hominum, tum nobilitate, tum doctrina præditorum refertam, ita longe lateque Euangelii veritatem diſſeminaui, vt omnem prouinciam ab idolorum cultu, ad veri Dei religionem cõuerterim, ob quam rẽ ab Egea proconſule, cuius vxorem etiã gladio igniq; ſpiritus ab eo ereptam Chriſto obtulerã, ſacratiſſimæ eius cruci co mortis genere quo tu & magiſter noſter Dominus Ieſus, ipſe quoq; finem finiui. Vbi à Maximilla proconſulis coniuge ſepultus, ad hæc vſq; tempora quieui à Chriſti cultoribus honoratus, magniſq; ſublatus præconiis. Sed cum Maumethica gens, (heu rem miſeram atque funebrem) quendam diaboli filium Antichriſtum Mahumet ſequẽs occupatis primo ceteris Græcię atq; orientis partibus, tandem nouiſſimis his temporibus Achaiam quoq; impiiſſime ſubiugaſſet, ac nefario cultu ſubuertiſſet: inde ego nutu diuino ex impiorum manibus profugiens, ad te vniuerſalem Chriſtiani gregis, paſtorem à Deo conſtitutum, tanquam ad tutiſſimum portum me recipio, vt quẽadmodum Paulus tuus, immo noſter à fratribus in ſporta per ciuitatis muros demiſſus, eius qui in Damaſco præerat, crudeliſſimas manus, vt curſum ſuum conſummaret, & Euangelii prædicationem finiret, euaſit; ita ego quoque ad te confugiens, filios, quos mihi, vel potius tibi, immo vero Chriſto Domino noſtro genueram, impiis nunc, & truculentiſſimis hoſtibus ſubditos, & non modo libertate corporum priuatos, ſed etiam de fidei integritate periclitantes, ope atq; auxilio tuo ad priſtinam libertatẽ reducam, ad veri Dei cultum reſtituã, & ab omni gentilium ſpurcitia purgatos, Chriſto Deo noſtro incolumes reddam; rem tibi profecto gratam, atq; nimium acceptiſſimam deſiderans. Non ne tu ille es (zelantiſſime Petre) qui Malcho pontificis ſeruo in Chriſtum noctu cum ceteris irruenti, auriculã gladio amputaſti? ad grauiora quoq; proceſſurus, niſi clementiſſimi magiſtri noſtri voce percuſſus abſtinuiſſes? Nõ tu ille es, qui ſi proditorem nouiſſes extemplo in eum irruens, cruciatibus affeciſſes, & vel dentibus eum diſcerpſiſſes? Non tu ille es, qui Ananiã & Sapphiram, quod Spiritui ſancto mentiti fuiſſent morte mulctaſti? Quid modo ages? an vero in impios Turcas ſalutiferæ ac ſacratiſſimæ crucis acerrimos hoſtes, per quã te meq; recepit, qui per eã nos redemit, in barbaros membra Chriſti crudeliter dilaniantes & Chriſtũ ipſum contumeliis ac blaſphemiis cõtinue afficientes, ſegnis eris aut piger? ita ne eos patieris? ita ne eos impune debacchari permittes? Nõ decet hoc integritatem tuam; nõ decet tuum illũ feruentiſſimum & incõparabilẽ zelum. Si talia pro rebus minorib. egiſti, maiora certe pro multo maiorib. facies: cũ tibi pręſertim Chriſtiani reges, principes, ac populi colla ſubiiciant; tibi obediant, tuis iuſſis vt Dominicis mãdatis obtemperent; & quod omniũ præcipuum eſt, talẽ hac tẽpeſtate ſucceſſorem habeas, cui inter alias virtutes hęc potiſſimum cura, hoc deſiderium animo inſidet, vt innocentẽ ſanguinem Chriſtianum crudeliſſime effuſum iuſta animaduerſione vlciſcatur. Romani tui, quorũ vrbẽ magiſtram ante erroris inueniens, veritatis diſcipulã, atq; reginam, & ſacerdotalẽ ciuitatem per ſacram tuam ſedem effeciſti, caputq; totius orbis religione diuina, quàm terrena dominatione latius præſidentẽ inſtituiſti: illi inquam Romani tui, cum adhuc gentiles eſſent, nec dum tui non fratres & filios, ſed ſocios & amicos regnis ſuis ab hoſtibus eiectos, vt Maſſiniſſam à Syphace, vt Ariobarzanem à Mithridate, vt alios ab aliis pulſos ad ſe profugiẽtes, ſuamq; poſcentes opem ſuis ſumptibus, laboribus, & periculis iuuerunt; ac cum magna & illorũ & ſua gloria reſtituerunt. Quanto magis tu, Petre ſanctiſſime frater, germano tuo, & in paſſione ſocio propriis pulſo ſedibus, & filiis tuis ac tuo gregi, cui paſcendo paſtorem te præfecit Dominus, inter tot tormentorum, ac calamitatum genera ſubuenies; oppreſſos ſubleuabis, & ex iniquorum manibus eripies? Nunc illo, quẽ contra Malchum euaginaueras, vtẽdum eſt gladio cõtra ſeruos peccati, cõtra ſeruos iniquitatis, contra mancipia omnis ſpurcitiæ; nunc manibus, nunc dentibus, nunc omni cruciatus genere, non contra Chriſti proditores duntaxat, ſed contra eius vexatores, atq; oppreſſores irruendum, nunc in eos, qui Spiritum ſanctum blaſphemant, & irremiſſibiliter peccant, Chriſtum Dei filium eſſe negãtes nutu, verbo, dextra Dei animaduertendũ eſt; nunc vomeres in gladios vertẽdi, nunc vendẽda tunica, & gladius emẽdus; nunc tuus zelus exardeat, nunc Pauli tui gladius acuatur, vt tua ope, atq; auxilio per potentiſ-

ſimos occidentis principes fide, quā prędicaſti, quā approbaſti, qua pater vniuerſorū factus es, ſuper petrā Chriſtum ædificata Eccleſia cōtra portas inferi præualeat, auctore & teſte ipſa veritate Domino noſtro Ieſu Chriſto. At vt hæc ad te dicta ſufficiant, nunc ſucceſſorem tuum digniſſimum, & verum Chtiſti vicarium, Pontificem ſummū appello, qui mē ſummis excepit honoribus, qui me tanta fide & deuotione heſterno die ſalutauit; qui tali me oratione affatus eſt, vt & ipſe lacrymatus ſit, & omnes ferè ad lacrymas cōmouerit. Quippe qui etiam lapidea corda ad fletum facillime cōuertiſſet. Te inquam (Pie Pontifex maxime) oro, te precor, te obteſtor, vt quæ à fratre petij, tu qui ſedem eius merito tenes, qui ei in Pontificatu digne ſuccedis, exequaris, atque perficias. Auge indies animum, quem ad vindictam Chriſtiani ſanguinis hactenus habuiſti, ne deſiſtas hortari principes Chriſtianos, & quod totiens à te interpellati ſunt, minime deſperes, verebuntur aliquando Chriſtum: verebuntur Pettum, teque, meque rogantes induent Chtiſtianum, regiumq; animum; digna tandem ſe facient, & crudeliſſimos hoſtes aggreſſi, gloriam ſempiternam, cum magna tui nominis celebtitate, & populi Chriſtiani ſalute adipiſcentur; cui te Deus incolumem cum felicitate diutiſſime conſeruet ſedis Petri gubernacula cum ſummo decore & moderatione tenentē: & tibi pro ſua pietate præſtet gratiam, vt qui cum magna me gloria in hac Vrbe in præſentiarum accepiſti, cum maiori in patriam aliquando reducas: quemadmodum magno cum affectu tua ſponte heri pollicitus fuiſti. Auditus eſt Beſſation non abſque attentione & gratia, quamuis feſſi patres ex itinere quietem cuperent, & iam ſextadecima eſſet hora: nec tamen illo finiente grauati ſunt audire Pontificis reſponſum, qui hęc ſubintulit verba.

Si loqui poſſent beatorum Apoſtolorum ſacratiſſima corpora, quæ ſub altati iacēt, aduentu profecto tui venerandiſſimi capitis, diue Andrea, magnopere congratularēntur, & verbis ampliſſimis ſuam lętitiam explicarent, & quæ per te petita ſunt auxilia vltro promitterent: ſed requieſcunt illa ſine voce vſque in diem Reſurrectionis. Sentiunt tamen hodie ſicut vere credimus, ob præſentiam tam cari, & tam cognati capitis miram ſuauitatem, & internam quandam dulcedinem; maxime beati Petri germani tui oſſa, quibus fraterna charitas plus aliquid affert: ſpiritus autem eorum in cælo ſunt in regno Chriſti: nec dubium eſt, quin de te cogitent, & opem diuinam implorent, qua tuus hic vertex in ſuum ſolium reſtituatur. Agit Petrus, agit Paulus tuam cauſam, & digni ſunt ambo qui exaudiantur à Domino; ne dubita exaudiet Ieſus Chriſtus vocem fratris tui, cuius eſt non fratrem tantum, ſed fratres omnes cōfirmare, dicente Domino ad eum: Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos; quod nō inepte ad confirmationē ſedium trahi poteſt. Reſtitueris volente altiſſimo fratris auxilio, & beati Pauli precibus, & confirmaberis in eo, vt ſperamus, vſq; in finem ſęculi. Quātum vero ad nos attinet, quia noſtri quoq; facta eſt mentio, qui locū germani indigne tenemus, ne multis moremur, tibi, Andrea digniſſime Chriſti apoſtole, quē ab ineunte ætate vſq; in hoc æui pręcipuo cultu venerati ſumus, & intra cæli cultores, cum pleriſq; aliis nobis aduocatum & protectorem elegimus, omnes ſuppetias, quæ ſunt in noſtra poteſtate ad recuperandas tuas oues, tuamq; domum hic in terra, volenti & cupido animo pollicemur. Nihil eſt enim quod nobis magis cordi ſit, quàm Chriſtianæ religionis, & orthodoxæ fidei defenſio, quam tui noſtriq; hoſtes Turcæ conculcare nituntur. Quòd ſi Chriſtiani principes noſtram vocem audire voluèrint, & ſuum paſtorem ſequi, videbit, & lætabitur omnis Eccleſia: nec nos, quæ ſunt officii noſtri neglexiſſe, nec te fruſtra huc impetratum fratris auxilia veniſſe.

Atque his dictis, & collecta decantata, ſurgens dimiſit in altati nobile pignus, vt omnibus ea die videndum pateret, auditoribuſq; ſacri palatii cuſtodia demandata. Indeq; abiens cantantibus cardinalibus, & epiſcopis, & alta voce Deum laudantibus, iuit ad locum ex quo videri poterat, & multitudini benedixit, ac nepos eius ſecundum carnem Senenſis cardinalis plenarias indulgentias annuntiauit: Atq; in palatium reditum eſt, & ſequentes maioris hebdomadæ dies diuinis officiis pro veteri obſeruantia ſunt attributi, & paſſionis Dominicæ ſacra peracta non abſq; plebis ingente deuotione.

Excommunicatio Si-

In quinta vero feria, in loco ad id electo Pontifex cum cardinalibus, & omni clero, conſue-

cõſuetum ꝓmulgauit anathema, & homines quattuor perditionis filios nominatim excõmunicauit atq; extra Eccleſiam Chriſti fecit; Sigiſmundum ex Auſtriæ Principibus, qui violentas manus in cardinalẽ ſancti Petri epiſcopum ſuum Brixinẽſem iniecerat ipſa die ſacta, & magna Dominicæ reſurrectionis; ac Gregorium Hanburgẽſem cognomẽto Ertorium, qui paulo ante velut hæreticus fuerat cõdemnatus, vt qui auctoritatẽ Eccleſię parui faceret, cõtemneretq; cenſuras & damnatos dogmatizaret errores: tertio loco excõmunicati ſunt duo fratres tyranni, alter Arimini, alter Cæſenę, Sigiſmundus, & Malateſta filii Pandulphi ex genere Malateſtarum extra matrimonium nati: qui ſæpius requiſiti debitum Eccleſiæ Romanę cẽſum ſoluere contempſerunt; & Sigiſmundus quidẽ totius malitiæ caput, & venenata mens ſine religione, ſine fide, ſine Deo nullius peccati nõ reus, paulo poſt (quod tamẽ ante dictum eſt) de hæreſi cõuictus, condemnatuſq; eſt. Die ſabbati, quę fuit Aprilis XVII. celebrato grãdi officio, cum benediceret populo Pontifex maximus, promiſit in craſtinum ob reuerentiam reſurrectionis, in Eccleſia principis Apoſtolorum ſeſe rẽ diuinam facturũ, portaturumq; eo ſacrum Andreæ caput, vt iterũ atq; iterum videretur: Quod ex altari beati Petri abductum in palatio clauſerat. Res noua & inſperata fuit: Nam propter ægritudines, & abſentiam Pontificis ante quattuor annos nõ viderant Romani ſuum Pontificem diuinam hoſtiam offerentem: cumque ſuis pedibus ſtare Pius Præſul nequiret, excogitata ingenia ſunt, vt quaſi ſedens celebraret. Ab eo tempore quo ſacrum caput ex Narnia portatum eſt, vſq; id ſabbati, ſingulis diebus, noctibuſque pluit, tantumque pluuia ceſſauit, quantum id fuit in itinere. Quod in religionem pię mentes verterunt, tanquam Apoſtolo ſuo in publicum exeunti, eam ſerenitatem cõdonaret Deus: auxitque eam religionem ipſa dies Paſchæ, in qua læta ſerenitas fuit. Deſcendit itaq; in Eccleſiam Apoſtolicam Pontifex ſacrum pręſe geſtans verticem; & diuinam rem agens Hoſtiam obtulit Deo acceptiſſimam, filium ſuum; tradiditq; compluribus ſacratiſſimum Chriſti corpus, & clericis & laicis ſua manu: inter quos fuerunt oratores Venetorũ Nicolaus Sagundinus, & Senenſium Auguſtinus Dathus, ambo inſignes rhetores, & philoſophi elegantes Græcis ac Latinis litteris imbuti: nec minor his Polycarpus regis Hungariæ legatus, & alii præſtantes viri. Expleto ſacrificio accepit Pontifex venerabile caput, & pergens in pompa cum cardinalibus, & clero, venit in eam templi partem, qua ſancta ſeruatur Veronica (ſic enim appellant admirabilẽ Ieſu Chriſti faciem impreſſam ſudario, quod Veronica inſignis mulier illi obtulit, ſtetitq; procul, & iuſſit oſtendi ſudarium: Petrus cardinalis ſancti Marci nobili loco apud Venetos natus, Eugenii, vt diximus, nepos, & archipresbyter eius eccleſiæ ſcala conſcenſa venerabilem ſacramq; Domini figuram oſtendit, ter pro ſuo more miſericordiam implorante populo. Fuit res veneratu, & admiratione digniſſima, illinc ſanctum intueri Saluatoris vultum: hinc eius Apoſtoli precioſas reliquias; tum Pontificem maximum cum cardinalibus, & omni clero flexis genibus, nudatis capitibus orantem cernere. Exin ventum eſt ad locum benedictionis, in quo non minor turba hominum fuit, quàm nuper in priori pompa; viderunt & qui nouiter aduenerant nobile Apoſtoli caput, & benedictionem Pii Præſulis acceperunt, ac remiſſionem plenariam delictorum, qui per confeſſionem atque contritionem capaces fuere. Abiit deinde in ædes ſuas Pontifex & ſacras Apoſtoli reliquias ſecum ferens ſeruandas in arce ſancti Angeli recondidit, donec ei loculus idoneus apparari poſſet.

Sigiſmundi Auſtriæ, & Malateſtarum, & ſolemnitatis progreſſum.

Obierat non multis menſibus ante hoc tempus Rhodiæ militiæ Magiſter natione Gallicus: conuentus alterum delegerat ex Hiſpania citeriori, Petrum Raymundum Zacoſtam caſtellanum (vt vocãt) Impoſte, acris ingenii virũ, & qui annos ſupra quadraginta religioni militaſſet. Conſueuere milites Rhodienſes Gallicum ſibi plerunq; Magiſtrum aſſumere: ſuperat enim in conuentu Gallica natio reliquas: ſed erat iam prope ad extremam inopiam deducta religio, quæ mercatoribus aureorum ſupra ducenta millia debuit; ideo ad Hiſpanos ſe vertunt, ea ſpe, vt religionis incommoda Hiſpanica reſarciat abſtinentia. Petrus Raymundus, vt primum ſe nouit electum, ordinatis in Hiſpania rebus, ad Pium Pontificẽ pro cõfirmatione ſe contulit, ſplendido inæ religionis equitum ſtipatus comitatu; qui auditus in cõſiſtorio paucis

De Magiſtro Rhodiorum, & Rhodi inſula exitu, cultu, ac vetuſtate, & qui in ea claruerunt.

poſt Paſcha diebus,cuncta quæ voluit impetrauit;nec diu moratus in curia cum benedictione Pontificis nauigauit in Rhodum. Pius Lollium patruelem ſuum eidem religioni addictum cum eo vel inuitum miſit,ne panem otioſum ederet.Magnum eſt & vetus Rhodiæ nomen inſulæ,propter quam rem non alienum putauimus hoc loco antiquitatem eius & ſitum,& fortunas,quam breuiſſime recenſere.

Rhodus inſula noningentorum,ac viginti ſtadiorum ambitu patet,Lyciæ oppoſita,ſiue,(vt Ptolemæo videtur) Cariæ, inter Aſiaticas inſulas tertia; Lesbus enim,& Cyprus maiores habentur;Rhodii tamen rerum geſtarum gloria præualuerunt. Inſula prius Ophiuſa dicta eſt,deinde Stadia,& poſtea Telchinis,eo quòd Telchines inſulam incolerent,quos nonnulli faſcinatores & maleficos fuiſſe tradunt, tanquam Stigiam aquam ſtirpibus & animalibus perniciei gratia inſpergerent. Alii contra ſentiunt Telchines eximios artifices extitiſſe,primoſq; ferri & æris fabricam inueniſſe, quos ex Creta in Rhodum profectos vicini per inuidiam faſcinationibus perdiderint,ſed priorem infamiam valuiſſe:ſępe enim apud homines ſuccumbit veritas. Poſt Telchines,Eliades inſulam tenuere, quorum poſteri Lindum & Iaſylum & albam Camirum condiderunt:alii tamen à Tlepolemo conditas aiunt:qui cum primum virilem iniiſſet ætatem patris ſui auunculum Licimnium ſenectute grauem interfecit, & nauibus ædificatis frequentem cogens populum fuga in Rhodum peruenit, ibiq; habitauit ab Argis profectus,propter quam rem originem Rhodiorum alii Eolicam, alii Doricam eſſe tradunt. Sunt enim qui Dorienſes cum maximas ædificaſſent vrbes,poſt Codri obitum,partim Argiuorum aggregatos regno tradant, partim Coloniæ in Cretam miſſæ participes factos,partim Rhodum petiiſſe. Sed hæc poſteriora ſunt his,quæ ab Homero dicuntur, qui Rhodios non Dores nominat: ſed Eoles ac Boetios innuit,apud quos Herculis,& Licimnii habitatio erat. Eſt autem Rhodiorum vetuſtiſſimum nomen. Siquidem ante Olympiadum inſtitutionem claruere, qui longe profecti à domo in Hiſpaniam nauigarunt: ibique alteram Rhodum vrbẽ condidere, quam poſtea Maſſilienſes occuparunt:& in bello Troiano fuiſſe traduntur,atq; eo peracto Gymnaſias inſulas ædificaſſe, quas quidam Baleares eſſe putant. Poetæ antiquitatem ac nobilitatem Inſulæ aſtruentes fabulam confixere, dicentes aurum in inſula pluiſſe cum Pallas è Iouis capite naſceretur (vt Pindarus inquit) nomen inſulæ ab vrbe ſumptum,quæ pari modo Rhodus appellaretur in Orientali promõtorio ſita;ea portubus olim,& viis & mœnibus,& reliquis ornamentis, tantopere cæteras ſuperauit,ne vllam putaretur æqualem habere;legum præſtantia,& naualis rei peritia adeo valuit,vt annos multos maris imperio potiretur,& piratarum latrocinia ſuſtulerit.Romanis & Græcis amica,quæ cum libera eſſet, multis & donis & ſimulachris excellentiſſimis claruit, præcipua tamen fama Coloſſi extitit: ſtatuam enim alii Iouis,alii Solis fuiſſe tradunt,quam Chares Lindius decies ſeptenum cubitum altam edidit,ea poſtea ex terręmotu fractis genibus corruit: nec Rhodii attollere ipſam auſi ſunt,oraculo quodam prohibiti:hoc inter oblata dona excellentiſſimũ, & inter ſeptem miracula maximum omnes confeſſi ſunt.Soldanus Ægypti cum inſulam inuaſiſſet,ex ære huius ſtatuæ,quam confractam reperit noningentos camelos oneraſſe fertur,atq; in Alexandriam traiecto modico freto per Lyciam & Syriam terreſtri itinere tranſmiſiſſe. Fuit & Protogenis pictura inſignis Hyalius ſcilicet,ac Satyrus iuxta columnam ſtans, ſuper qua perdix erat,ad quem ita homines hiabant, cum nuper tabula eſſet poſita,vt illum ſolum admirarentur,Satyrum vero contemnerent, quanquam perfectiſſimum opus:augebant admirationem perdices manſueti, qui à nutritoribus allati,& contra pictum appoſiti canebant,& congredi geſtiebant:quod præter opinionem Protogenes accidiſſe videns Ædituos rogauit, vt ſe auem delere permitterent,quod illi annuerunt. Fuerunt & naualia apud Rhodum inſtructiſſima, & aliqua occulta, & ignota plebi, in quę ſi quis introſpexiſſet capite plectebatur. In hac vrbe & Maſſiliæ,& Cizici fabrorum & architectorum inſtrumenta armorumq; varia genera in theſauris,ſumma cura ſtudioq; locabantur, magis quam penes alios vſquam.Ex hac inſula viri illuſtres multi prodierunt,& imperatores,& pugiles,è quibus Panetii philoſophi progenitores fuere;& Memnon,qui Perſarum regibus militauit,& eorum copias duxit;circa res ciuiles & philoſophiam & artes liberales Pan-

netius

netius ipſe, & Stratocles & Andronicus Peripateticus, & Leonidas Stoicus,ac priores Praxiphanes & Hieronymus & Eudemus: Poſſidonius vero quanquã Rhodi vixit,& Sophiſticam exercuit, Apamienſis tamen è Syria fuit,quemadmodum Apollonius Malachus, & Molon, qui Alabandenſes fuere; ſed prius Apollonius Rhodum profectus eſt, poſtea Molon: Piſander etiam qui Heracliam ſcripſit, poeta Rhodius fuit;& Simias grammaticus,& Ariſtocles, Dionyſius quoque Thrax, & Apollonius, qui Argonautas compoſuit Alexandrini quidem fuere; Rhodii tamen vocati ſunt, quoniam Rhodi habitauere: Cleobolus inſuper vnus è ſeptem ſapientibus è Lindo fuit: cuius vrbis habitatores quemadmodum Camirenſes & Iaſylenſes omnes in vrbem Rhodiam migrauerunt. Vbi Lindus fuit nunc carcer eſt religioſorum militum, qui atrociter peccant, & munitio quædam in altiſſimo ſaxo vix humanis expugnanda viribus. Multa ciuitas Rhodia per ciuilia Romanorum bella perpeſſa eſt: nec ſub Græcorum imperio calamitatibus caruit; ſed poſtquam Saraceni Ægyptum & Syriam; Turcę vero Aſiam obtinuere, longe maioribus cladibus ſubiecta fuit,& aliquãdo Venetorum iugum, aliquando aliorum Chriſtianorum pertulit, neque vllo pacto Turcarum viribus reſtitiſſet,niſi religioſi milites,qui beato Ioanni dicati ſunt eius inſulę curam ſuſcepiſſent. Ii enim, poſt Hieroſolymam perditam,in eam ſeſe receperũt, & vrbem pene dirutam inſtaurantes, naualiaque & claſſes reformantes, non ſolum inſulam ipſam tutati ſunt, ſed Cypriis, & aliis finitimis Chriſtum colentibus magno præſidio fuerunt: quorum virtute quicquid in oriente noſtræ religionis eſt, Chriſto ſeruatum fateri licet. Abtiſacus Ægypti dominus magnis claſſibus per noſtram ætatẽ armatis, toto quinquennio Rhodum vexauit. Multo tamen minora intulit damna, quàm pertulit: nec diſpari fortuna Turcarum conatus in Rhodios facti ceciderunt: nam & apud oppidum ſancti Petri quod Rhodii incontinenti munitiſſimũ obtinent, & in ipſa inſula magnas ſæpe ſtrages acceperunt. Caliſtus tertius,qui Pium in beati Petri ſede præceſſit, claſſem non paruam in auxilium Rhodiorũ miſit, quæ diu apud eos morata, plures Turcarum naues prælio ſuperatas demerſit,& corpora hominum palo ſuffixit: Staliminumque inſulam, Lemnum olim appellatam,& Taxum & Hembrum, & alias quaſdam minoris nominis Turcarum imperio ademit, nec Ægyptios quieſcere permiſit,neque Syras,neque Cylicas: ſed mortuo Caliſto diſſoluta claſſe, Ludouicus cardinalis Aquilegienſis,qui ei præfectus erat, Romam rediit, Rhodo & omni oriente noſtræ religionis cultore in diſcrimine, ſummaq; deſperatione relicto, & acquiſitæ inſulæ ad hoſtes rediere,cum Pius inteſtinis Italiæ motibus,& ſubditorũ ſeditionibus occupatus,longinque proſpicere non poſſet: præſertim cum Roma ipſa in periculo eſſet,non ſolum baronibus per circuitum,ſed aliquibus Romanis ciuibus (vt relatum eſt) res nouas molientibus,& eccleſiaſticæ potẽtiæ inſidiantibus. In Rhodo montem omnium altiſſimum Atabyrim vocauere, pro gentili dementia, Ioui ſacrum, qui ex loco Atabyrius dicebatur. Caſtellum ſancti Petri, quod incontinenti magno ſumptu Rhodii cuſtodiunt, non patuo vſui Chriſtianis eſt, qui manus Turcarum incidunt: ſæpe enim eò fugientes ſaluantur. Canes ingentes noctu extra muros excubant, de quibus fama eſt, quòd Chriſtianos odore cognoſcant, eiſq; aduentantibus blandiantur; Turcas autẽ latratu prodant, & morſibus inſectentur. Turcæ & ad caſtellum delendum,& inſulam inuadendam ingentes apparatus facere dicebantur, cum Petrus Raymundus dimiſſo Pontifice nauigauit in Rhodum.

Per idem tempus Pius in ſenatu retulit de loco natiuitatis ſuæ in ciuitatem erigendo, quod ſummo conſenſu factum eſt, & pro Corſiniano Pientia dicta. Quam rem Campanus his verſibus explicauit. *Corſinianũ fit ciuitas appellaturq; ex Pontificis nomine,& auctore Pietia, & eccleſia dotatur.*

Quæ noua ſublimi proſurgo Pientia colle,
Cauſa mei quæ ſit nominis,ipſa loquar.
Me Pius ornatam templo,muriſque refectam
Eſſe vrbem voluit,quæ fueram oppidulum.
Tecta ſuæ gentis,primis in mœnibus,ædes
Tangere marmoreum ſidera iuſſit opus.
Addidit & nomen,lectoque è more ſenatu,
Vrbanos ritus,& noua iura dedit.

At vos vicina, quæ ſurgitis oppida terra,
Inuidia nihil eſt, nam genui ipſa Pium.

Hinc nono milliario diſtat nobile oppidum, & amplum nomine Ilcinum, quod à Pientia Senas petentibus in altiſſimo monte ad ſiniſtrã cernitur, cui & ſacramenta & epiſcopalia quæuis iura abbas ſancti Anthimi miniſtrauit. Id monaſterium eſt non procul inde ſitum in nemore ingens ſtructura & magni Caroli (vt aiunt) opus, diues olim, & ab Apoſtolica ſede præcipuis ornatum priuilegiis, cui plura oppida pleno iure fuere ſubiecta: ſed incuria præſulum, paulo ante noſtram ætatem in tantam peruenit inopiam, vt retentis ægre iuribus ſpiritualibus temporalia quæque perdiderit. Abbas qui noſtro tempore monaſterio præfuit, homo prodigus, & curarum expers, quidquid remanſerat temporalitatis aut neglexit, aut vendidit; adeoque cuncta diſſipauit, vt in lectulo podagra languens, vix pane doloris, & aqua miſeriæ ſuſtentaretur. Pius Ilcinum pari honore, cum Pientia ad ciuitatis nomen euexit, & in vtraque vrbe pontificalem inſtituit eccleſiam, & canonicorum capitula: ſed vnum tantum epiſcopum eſſe voluit, & vnam diœceſim; quæ ex parochia Cluſini epiſcopi, & Aretini, partim ex caſtellis ac locis conſtituta eſt, quę vt diximus, monaſterio ſancti Anthimi ſuberant: Pius enim abbati, vt cederet perſuaſit, retenta quoad viueret penſione, monaſterium dignitati epiſcopali incorporauit, & pecuniam ad redimendas, excolendaſque poſſeſſiones contulit: Epiſcopi creatio dilata eſt, quouſque Pius Pientiam peteret. Poſt hæc feſtum occurrit diuæ Catherinę Senenſis, quam ſupradiximus ab ipſo Pio inter ſanctas Chriſti virgines relatam. Prædicatores Pontificem rogauerunt, vt ad honorandum ſanctæ virginis ſepulchrum, cum ſacro ſenatu ſe conferret. Itum eſt ad eccleſiam beatæ Mariæ virginis, quam de Minerua vocant, quia in ruinis exædificata eſt eius templi, quod olim Mineruæ fuit. Inde ſacrificio peracto, & frequenti populo in ſumma expectatione benedicto, Pontifex in ædes propinquas cardinalis Atrebatenſis ſeſe recepit, & cum nonnullis cardinalibus apud eum pranſus eſt, qui more Gallico ſplendidum conuiuium apparauerat, veſperi ad palatium rediit.

Vituruii profectio, eiuſq; amœnitas, & iter qua tenderit Sorianum & Phalarim.

Paucis poſt diebus elapſis, Viturbienſia petiturus Balnea è Roma diſceſſit: primam noctem apud Campanianum egit: ſecundam in ciuitate Caſtellana in ædibus amici epiſcopi: tertia die prandium ſibi in placido nemore non procul à Fabrica oppido apparari iuſſit: tranſitu per Phalarim habito. Id eſt monaſterium peruetuſtum, in plano ſitum loco, vetum ſine monachis & habitatore: muri ſunt ex quadrato lapide prææalti ſine calce adeo diligenter ſaxis ingentibus inter ſe commiſſis, vt vix queat iunctura diſcerni: ager magni oppidi capax muro cingitur: ſed nulla inſunt ædificia: in medio tantum eccleſia iacet adhuc integra; habitacula monachorum & officinæ magna ex parte corruerunt. Pontifex ex Fabrica Sorianum petiit per vias eo tempore amœniſſimas; in quibus cum geneſtę ingens vis eſſet, eaque florida, crocea magna pars agri videbatur, pars virgultis aliis, aut herbis tecta diuerſis, modo purpureos, modo candidos, ſiue alios mille colores obiecit oculis. Virebant omnia Maio menſe, & tum agri, tum ſilua ridebant, in quis aues dulce modulabantur: Soriani oppidum in alto colle iacet, ad eam partem Cimini montis, quæ ſpectat orientem, & ad Tyberim vergit: in ſummo cacumine arx eſt, opus antiquum, & vndique ſaxo, & præcipiti rupe munitum, & adeo ſublime, vt tormentali lapide haud facile poſſit attingi. Britones huic loco famam dedere, qui per Gallicum intromiſſi Pontificem, vſq; ad Martini tempora & arcem & oppidum tenuere; atq; omne patrimonium beati Petri in Tuſcia vexauere. Caliſtus Pontifex Cathalanum præfecerat, quem Pius vix multis oneratum promiſſis emiſit, & Laurentium neptis ſuæ Montaninæ virum induxit. Diem ibi totam & duas noctes Pius abſumpſit, cum ſoror adeſſet Laudomia, & neptis Montanina, quibus ſe negare non potuit ſuas & amicorum cauſas longo ſermone commendantibus. Septem cardinales itineris fuere comites, duo Gallici, Rothomagēſis, & Atrebatenſis; vnus Hiſpanus Vicecancellarius: quatuor Italici, Theanenſis, Papienſis, Senenſis, & Mantuanus: cumque his Vituruium petiit: duo in via non procul à Vituruio occurrerunt, Bononienſis & Spoletanus, quos toruis oculis inſpectauit, nec dignos putauit alloquio, qui rudi quodam ingenio, & cęremoniarũ ignaro, quam primum videre Pontificē, vt moris eſſet; non deſilierunt ab equis: illi poſtea ſuã ignoran-

tiam accuſanete, ac veniã petierunt. Pius ſummis honoribus apud Vituruienſes exceptus eſt populo ſupra modum geſtiente. Secuti ſunt paulo poſt cardinales, qui Romæ remanſerant fere omnes, cum peſtis vrbem populari cœpiſſet; breuique curia apud Vituruium aucta, neque incommode collocata. Placebat omnibus & vrbanitas, atque humanitas populi, & vrbis amœnitas, in qua rara domus eſt ſine fonte perennis aquę, nec horti deſunt: huc accedebat optimarũ copia rerum: vina diuerſi generis, quę nec Florentinis cederẽt, nec Senenſibus: panis candidus & gratiſſimi ſaporis, & quę ſerpillo & odoratis paſcerentur herbis animalium carnes. Piſces inde Tyrthenum pelagus, hinc vicinus Vulſcinenſium lacus abunde ſuppeditauit; nec iumentis ſuum pabulum defuit pretia rerum ipſi ſibi vt voluerunt curiales ſtatuere. Pontifex arcem inhabitauit, eoque ſibi afferri calidas aquas iuſſit quibus pro medicorum conſilio vteretur. Egrediebatur ſingulis fere diebus primo diluculo in agros, pergratam, priuſquam incalceſceret, capturus auram ac virentes ſpectaturus ſegetes, & florentia lina, quæ tum cæleſtem imitata colorem, ingenti delectatione aſpicientes afficiebãt, nec vſquam plures, aut maiores campi, quàm apud Vituruienſes lino feruntur; quod ſiue natura ſoli, ſiue quis macerantur aquarum, optimum apud eos inuenitur: ex quo pręcipuas opes hauriunt. Luſtrabat omnia Pontifex tum prata, tum ſata, diuerſis diebus per diuerſa vectus itinera: nec tamen aut conſiſtoria, aut ſignaturam negligebat: inter eundum & ſupplices audiebat & legatos: reuerſuſq; aut in conſiſtorio cum cardinalibus erat antequam pranderet, aut cum referendariis in ſignatura, quam crebro apud Minores, qui obſeruantes appellantur, agitauit, extra vrbem placido in loco, quem paradiſum appellant.

Dum ſic Pontifex animo ſuo indulget, Ludouico regi Francię ex Romana curia complures afferuntur litterę, quæ Pium Pontificem ſibi infenſum aſſerunt, bellũ Siculi regni ardentius, quàm antea vnquã inſtruere, cũ pragmaticę ſanctionis abrogatę litteras accepiſſet. Quibus rex credulus auditis, mirum in modũ ſuccenſuit non ſatis exiſtimans, an veriſimilia eſſent, quę ſcriberentur: dictauitq; mox ipſe ad Pontificẽ in hunc modum epiſtolam. *Ludouicus rex Franciæ Pio Pontifici ſalutem. Exiſtimaui pietatem tuam, maxime Pontifex, beneficiis vincere: abrogaui pragmaticã ſanctionem, obedientiã liberam ad te miſi, auxilia contra Turcas obtuli, conciliũ & res nouas aduerſus Apoſtolicam ſedem petentibus dure reſpondi, nihil mihi vnquã perſuaderi potuit, quod non eſſet ex tua dignitate. Quis non putaſſet his officiis rigorẽ tuum molleſcere debuiſſe? Mihi perſuaſum erat, ſi non fieres mitior, at certe duriorẽ minime fieri: contra euenit Andegauenſem, qui ſanguis meus eſt, nunc potiſſimũ regno conaris eiicere. Quid agam, ſi nequeo benefaciendo inquetũ ſpiritum mitigare? experiar ne viam contrariã? non faciam, nõ fert animus Chriſti vicariũ perſequi, tenebo cœptũ iter, & ſi nemo meorum eſt, qui non aliter conſulat: fortaſſe pœnitebit te aliquãdo ſuſcepti odii, & noſtro generi fies amicus, & aſſiduo tandem vinceris obſequio. Vale.* Tolerabilia hæc, & quæ Pontifex reſcribendo facile confutauit. Duriora legatus attulit à rege miſſus Mareſcallus Toloſanus, vir domi nobilis, quamuis ſine litteris, & Italici ſermonis ignarus, qui per interpretem in hanc ſententiam verba fecit. Rogauit te Ludouicus Francorum rex auxilia, quæ Ferdinando in regnum miſiſti vti reduceres, ceſſareſque aliquando ſuum perſequi ſanguinem: quod vt libentius faceres, pragmaticam ſanctionem è Galliis eliminauit, & obedientiam tibi plenam reſtituit. Tu pro beneficio maleficium reddidiſti; nouas in regnum copias miſiſti, & acrius vrges Andegauenſem. Orat iterum rex, vt deſiſtas, & amico velis vti Francorum regno; ſin pergis Ferdinandi partes tueri, neceſſe eſt Gallos omnes etiam cardinales ex tua curia diſcedere, hoc ego illis mandatum affero; parebunt, ne dubita potius quàm temporalibus priuari fortunis velint. Cui Pontifex ita reſpondit. Et ſi multa & magna ſunt Ludouici erga nos beneficia, non tamen idcirco iniqua petenda fuerunt, neque nos decuit ſui cauſa ab honeſto diſcedere: Ferdinando ex fœdere miſimus auxilia, vim propulſauimus, ne poſſeſſor ſine iudicio deiiceretur. Auferat Ludouicus Andegauenſibus arma, & litem de regno ad iudiciũ referat. Idem faciet Ferdinandus, aut nos hoſtes experietur, plura nõ licet offerre: Gallicis libertas eſto, cum velint ex curia recedere, nulli claudetur portæ. Nos fortem, quam Deus tulerit, æquo animo expectabimus. Ea cum accepiſſet Atrebatenſis, ſuperſedendum ait, expectandamque nouam iuſſionem regis priuſ-

Ludouici regis indignatio, & multorum conſicta littera, eiuſque legatio, & Pii inuicta conſtantia.

quam curialibus mandatum fieret: Ludouicus enim & ſi publice Mareſcallo de reuocandis curialibus mandatum dederat: clam tamen ne quo pacto id faceret imperauerat: terrifica verba eſſe voluerat, non facta; neque id latebat Atrebatenſem, itaque tempus trahebat, ſi forſitan Pontifex metu perculſus de reuocandis auxiliis animum induceret. Percrebuerat iam tota curia rumor, regem Franciæ ſummo Pontifici ſuccenſere, & magna minari, nec dubium eſſe quin Gallici omnes abirent, niſi Ferdinandi cauſa relinqueretur indefenſa. Accedere & cardinales, & alii complures, Pium orare ſupplices, vt ſibi, & Eccleſiæ bene conſuleret, referre quæ audiuerant de regis indignatione; curiam deſertam dicere, abſcedentibus Gallicis maximum curiæ membrum penes eos eſſe, dandam operam ne abeant. Quibus Pontifex; Verba hæc ſunt, inquit, non facient quod minantur: terrere voluerunt, non vincimur minis: manebunt Gallici, quamuis abituros ſimulent. Mareſcallus cum dies aliquot mutationem Pontificis expectaſſet, fruſtra oportere ſe inquit iuſſioni regiæ ſatisfacere; petere igitur ne id Pontifex ægreferret: cui Pius, Immo vero ait nimium diſtuliſti: ito, & quamprimum regi pareto. Nec tamen ſic auſus eſt quod minabatur efficere, ſed diu poſtea ſecutus eſt curiam.

Feſtum corporis Domini à Pio incredibili ſolemnitate celebratum Viterbii, & vrbis ac cardinalium magnificentiſſimus apparatus.

Interea cũ prope adeſſet ſacratiſſimi corporis & ſanguinis Chriſti ſolemnitas, quę quot annis ſumma populorum deuotione, & ſingulari religione in orbe Chriſtiano celebratur; ſtatuit Pontifex id feſtum quanta poſſet veneratione, & præcipuis honoribus proſequi. Atque in primis eius rei cauſa, viam publicam, quæ ab arce per mediam vrbem ad cathedralem ducit eccleſiã, crebris impeditã mœnianis, & tabulatis, & porticibus ligneis deformatam, purgari, & ad priſtinum reduci ſplendorem iuſſit: ablata ſunt omnia, quæ prominebant, & proſpectum vicinæ domus auferebant, reddita eſt vbique ſua menſura viæ. Quicquid ablatum è publico fuerat, reſtitutum; nec paries parietem excedere, nec tectum tecto amplius prominere permiſſum. Exin cardinalibus mandatum, vt partem viæ ſibi quiſque deligeret pannis tegendam, atq; ornandam. Quod reliquum fuit, inter epiſcopos, & reliquos curiales diſtributum eſt. Quidam etiam inter cardinales ad ornandas domos parieteſq; ſuſcepere. Pontifex in cœmeterio beati Franciſci, quod ante veſtibulum eccleſię fuit ampliſſimũ, ex pannis diuerſi coloris mirificum templum excitatis repente trabibus, ſuſpenſo, tractoque multo fune compoſuit: erexit altare hinc atque inde diuitibus pendentibus aulæis, & mirabilia multa impoſuit, quæ ſpectantium oculos facile retinerent: fuit & veſtibulum ſericeis, & aureis pannis ornatum, & cubiculum prope, & purpureus lectus, & hiſtoriç veteres ſerico, lana & auro contextę, & clarorum imagines virorum, & ferarũ diuerſi vultus: ex florenti geneſta, & myrtho, & lauro arcus multiplices, hinc atque inde ab arce, vſq; ad fontem, qui eſt in plano poſt cliuum, admirabili opere deducti; ſtrata floribus via in medio è regione tẽpli triumphalis arcus excitatus: & cardinaliũ formæ, virtutum, & inſignia, quæ vento agitarentur, cum Præſulis tum regum, & cardinalium parietes, aut picti tapetes, aut flores obtexere. Pontifex cum cardinalibus & omni clero frequentiſſimo aſtante populo, in templo, quod erexerat, primas ſolemnitatis Veſperas celebrauit, alto adhuc ſole, cuius radii parietes laneos penetrantes, tanquam Iridis arcus varios ſimulantes colores, quaſi cæleſtem aulam, & ſummi regis habitaculum templi faciem reddiderunt: nec aliud quàm paradiſus quædam viſa eſt, cum hinc cantores tanquam angeli dulces hymnos intonarent; inde luminaria mirabili artificio diſpoſita, cæleſtia imitarentur ſidera, & nunc voces humanæ dulce melos, nunc muſicorum inſtrumentorum ſuauis concentus exaudiretur. Sequenti die ſummo diluculo Pontifex ex arce, cum cardinalibus, & epiſcopis, atque omnium curialium ordine in ſolemni pompa huc rediit, atque hinc ſacratiſſimam Hoſtiam ex altari ſuſcipiens, verſus cathedralem eccleſiam iter incepit. Aderant frequentes populi, qui vel indulgentię cauſa (promiſerat enim Pontifex omnibus, qui adeſſent peccatorum plenariam remiſſionem) vel ad ſpectaculum ex vicinis oppidis confluxerãt; plena erat omnis platea, & conſtipata vbique viris, mulieribus ac paruulis via, vt difficile pateret Pontifici, ac pompæ tranſitus. Itum tamen eſt per conſertiſſimas plebes, non ſine preſſura ac labore. Qua Pontificis ornamenta deſiuere Rothomagenſis inceperunt, & Conſtantienſis & Lebretei cardinaliũ, qui ſuæ gentis more, pannis, quos

vocant

vocant Atrebatenſes obduxere parietes,& altaria argento & auro ditia cõſtruxerũt, & multo thure cumularunt. Poſt eos referendarii ſuas domos apparauere, imaginem Saluatoris ſub altari, quod in ſublimi locauerant, iuuenem quendam, qui æmularetur, ſudaretque ſanguinem,& aperto latere ſaluberrimo cruore calicem impleret, impoſuerunt;& pueros quaſi angelos addidere alatos, qui verſus heroicos canerent, aut elegiacos à doctis ingeniis editos. Subinde cardinalis ſancti Sixti locum accepit, qui pro ſuæ religionis dignitate vltimam Domini cœnam æmulatus Saluatorem cum diſcipulis expreſſit,& inſtitutionem Sacramenti pro memoria paſſionis,& humani generis, vſq; ad finem ſæculi, aduerſus inſidias dęmonum perpetua defenſione;& Thomam Aquinatem virum ſanctum quaſi officium tantę ſolemnitatis ordinantem. Poſt eum cardinalis Mantuanus longum viæ tractum cooperuit, & nobiliſſimis adornauit hiſtoriis, quas peritiſſimi textores pannis appinxere diuitibus. Huic cardinalis Portuenſis ſucceſſit, in cuius apparatu draco ingens, & multæ malignorum ſpirituũ facies horribile minari aliquid videbantur. Verum Draconi armatus miles Michaelis Archangeli gerens vicem, tranſeunte Pontifice, caput amputauit,& cuncti dæmones præcipites corruere latrando: cælum tanquam nubes rutilans pannus obduxerat,& parietes corium, more Betico floribus diſtinctum aureis. Erexerat & altare poſt eum cardinalis Nicænus, & pueros quaſi angelos canentes induxerat: frequentes vbique fumabant aræ, ſacerdotes pluribus in locis rem diuinam faciebant: ſacra ſupellex & quidquid erat in vrbe ſanctarum reliquiarum in propatulo auro & argento veſtitum viſebatur in aris. Nicæno Spoletanus ſucceſſit, cuius ornamenta duo clauſerũt arcus ex floribus & fronde viridi artificioſe compoſiti: ſacrarium & ara in medio fuit,& vis odorifera fumi,& puerorum canentium chorus, murorum & cæli proſpectum pannus abſtulit diuerſi coloris, quem vocãt ſaium. Proximus deinde Vicecancellarii apparatus occurrit quatuor & ſeptuaginta paſſibus protẽſus. Cortina claudebat purpurea diues oſtro, ſimulachra & perſonatas hiſtorias, & cubiculum adornatũ & lectum precioſum,& fontem, qui nõ aquam modo, ſed optima quoq; vina per varias fiſtulas profunderet. Appropinquanti Pontifici duo ſe obtulerunt pueri tanquã angeli ſuaue canentes, qui poſtquam flexo genu diuinã Hoſtiam honorarunt, & Pręſulem ſalutarunt, retro ad cortinam reuerſi ſuaui, & alta voce cecinerunt: Attollite portas principes veſtras,& introibit rex Pius dominus mundi; intus apparatu magnifico quinque reges, & armatorum cohors prohibere videbantur ingreſſum, qui auditis Angelis: Et quis eſt iſte rex Pius? reſponderunt & angeli propter Sacramentum, quod Pius in pompa ferebat; Dominus, inquiũt, potens in orbe: Quo dicto mox cortina remota patuit aditus,& ſimul inſonuere tubæ,& organa,& muſicorũ inſtrumẽta quamplurima,& reges Pontifici adulantes, voce canora,& dulci de laudibus eius heroicos verſus alternantes recitauere. Inter eundum ei homo ſilueſter occurrit, leonẽ captiuum ducens, cum quo ſæpe luctatus eſt. Sublime pannorum erat per omnem plateam, quæ fontem ambit,& diues tectum: pendebant vexilla, in quis Caliſti Præſulis,& Borgiæ quondam præfecti vrbis inſignia viſebantur: aulæa quoque non materia minus, quam ingenio & arte ditiſſima lateribus hæſere, quæ non turbæ tantum imperitæ, ſed ipſorum quoq; ſapientũ virorũ deſtinerent oculos, atq; animos paſcerent. In exitu triumphalem arcum in arcis modum ædificatum armati milites occupauere, qui tormentis æneis imitati tonitrua tranſeuntibus ingentem incuſſere timorem. Cardinalis ſanctæ Suſannę, quod ſibi obtigerat viæ poſt Vicecancellarium naturam ſecutus, panno cæleſtis coloris obduxerat, & ſtellas impreſſerat aureas,& fontem induxerat vini albi, ornatum floribus,& altare odoratum, & ſtatuas, quæ ridere viderentur, & canere,& chorum, qui voce viua,& muſicis inſtrumentis oblectaret turbam. Nicolaus cardinalis Theanenſis, vt Pontifici res egregias cupienti morem gereret, ex Piſtorio, vnde ſibi origo fuit, ludorũ artifices accerſiuit,& pueros, qui dulce canerent. Huic platea obuenit, quam circum magiſtratus vrbis inhabitant; hanc cæleſtis, & albi coloris tela cooperuit, & tapetibus vndique adornauit, deduxitque plurimos arcus virenti veſtitos hędera,& flore multiplici; nec columna fuit, quę puerum quaſi angelum non haberet inſidentẽ: duodeuiginti fuere pueri, vultu, voce, & habitu naturam angelicam imitantes, & il alterna demandata carmina ſuaui cantu

pronuntiabant. In medio fori ſepulcbrum Dominicum excitauit, eius ſimulachrum, in quo vita noſtra proptet nos obdormiuit in Domino: armati circũ milites oppreſſi ſomno, tanquam mortui iacuerunt, & angeli ſtetere vigiles, qui non ſinerent cæleſtis ſponſi thalamum violari. Cum veniſſet ad locum Pontifex, ecce ſubito tanquam è cęlo aduolans per funem dimiſſus egregius forma puer alatus quaſi angelus, vultu ſeraphico, diuina voce, ac nutu Præſulem ſalutat; & hymnum canens futuram è veſtigio Saluatoris reſurrectionem annuntiat: fit ſilentium, nemo non tacet: auditur ſumma omnium voluptate, tanquam res vera gereretur, & certus eſſet è cælo nuntius. Cum fuiſſet excitatus in æreo vaſe mixtis pulueribus ignis, tanquam fulgur intonuit, dormientes excitauit milites, ac ſtupore perterruit, & qui Saluatoris perſonam gerebat, ſubito omnium oculis ſe obtulit: homo ruffus, ſtatura & ętate perſimilis Ieſu, vexillum Crucis manutenens, ornatus diademate, & qui cicatrices vulnerum perlucidas oſtenderet; & verſibus Italicis partam Chriſtiano populo ſaluem diceret. Poſt Theanenſem, cardinalis Auinionenſis haud contemnendũ erexit altare, & viam ſibi diſtributam Gallicis opibus illuſtrauit. Papienſis deinde quatuor coloribus cælum obduxit, & Atrebatenſibus aulæis velauit latera, excitauit floridos arcus; & pueros hinc atque inde quaſi angelos complutes collocauit, qui cereos ardentes in manibus tenentes, diuinum honorarent ſacramentum; deinceps minor ornatus inuentus, flores & frondes & ramalia vitentia pro aulæis fuere, & tectura quę pauperes indicaret dominos; quamuis altaria, & ſacris induti ſacerdotes, & canentium voces, & fumantia thura nuſquam deeſſent. Ambroſius Senenſis Pontificis aulicus rurſus ante domum quam inhabitauit, meliori cultu viam inſtruxit, & ſuis op bus Sole repulſo, tectiſque parietibus viros æquare magnos adnixus eſt. Exin cardinalis Atrebatenſis à ponte lapideo, qui partes ciuitatis coniungit, ad plateam vſq; maioris eccleſiæ, tela viam cooperuit, quam nuper è Flotentia iuſſerat afferri, lanæ Anglicę & coloris inter rubrum, pullumque medii, vici latera ſuæ vrbis fulciuit opibus: trabes hinc atque inde arduas erexerat, & funibus obligauerat, ex quis aulæa penderent, cum domus circumſtantes humiliores viderentur. Plateam quę ante cathedralem eccleſiam late patet, cardinalis ſanctorũ quatuor Coronatorum, magnis erectis trabibus, & fune cõnexis, vniuerſam cooperuit, & opibus ac miraculis illuſtrauit. Altare loco erexit opportuno, & à dextris Pontificalem thronum, & ſubſellia cardinaliũ, à ſiniſtris epiſcoporum ſedilia, & protonotariorum, & abbatum, & qualis in Apoſtolico palatio capella inſtructa. In parte plateæ loco ſublimiori glorioſæ Matiæ Virginis ſepulchrum erectum, & deſuper in ſummitate domorum, cæleſtis aula regis, & ſedens in maieſtate Deus, & angelorum ſanctorum chori, & ardentia ſidera, & ſupernæ glotiæ miris expreſſa modis gaudia viſebantur. Peracta eſt diuina res ſumma populi deuotione: cardinalis S. Marci Miſſam celebrauit, Pontifex populo benedixit. Exin puer angelum agens ſuauiſſimo cantu Aſſumptionem Virginis futuram prædixit, patuit illico ſepulchrum, & virgo pulcherrima exiit, quæ angelorum manibus ſuſtentata cingulum dimiſit: exin plena gaudio dulce canens in cælum aſſumpta eſt: cui occurrens Filius, idemque Pater & Dominus in fronte oſculatus matrem, & oblatam æterno Patri, ad dexteram ſuam collocauit. Tum canere cæleſtium ſpirituum agmina, muſica inſtrumẽta tangere, lætari, geſtire, & cuncta in cælo ridere, atq; ita ſolemnitati finis impoſitus, in qua illud miraculi præcipuũ fuit, quod aulici Pontificis parauere, homo Chriſtum exprimens pudibunda tectus, cetera nudus, coronam ſpineam in capite gerens, & tanquam ſudaret ſanguinẽ pictus, crucem baiulãs, in qua pependiſſe videretur; ab eccleſia S. Franciſci, vſq; ad maiorẽ curru vectus in pompa, cũ Miſſa celebraretur, & aſſumptio repręſentaretur Matris Domini, immobilis, & quaſi ſtatua perſeuerauit populum cum platea non caperet, iuſſit Pontifex in prata, quæ retro pontificales ædes fuerunt, deſcendere, atque ibi ex feneſtris iterum multitudini benedixit, & plenarias peccatorum tribuit indulgentias. Hunc Pius diuiniſſimo corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſacramento impendit honorem: qui ſolemnitate peracta, cũ ipſo cardinali ſanctorũ quatuor Coronatorũ Pontificalem inhabitante domũ prandium fecit. Palatium vetus & amplum fuit maiori coniunctũ Eccleſiæ, quod Romani Pontifices olim ædificauere, cũ ſæpe apud Viturulenſes agerent. Triclinia, & cubicu-

la ſunt

la ſunt digna Principe: cardinalis cuncta magnifice exornauit. Aula erat altiſſimis ſuſpenſa fornicibus, & quæ lucis multum, & gratiſſimum haberet proſpectum, & marmoreum in medio fontē largas & perſpicuas aquas pluribus fiſtulis eructantē. Hunc auro & argento veſtiuit aulæa pro parietibus precioſa ſuſpendit, quæ memoratu dignas hiſtorias continerent, & ingenium præſeferrent artificis nobiliſſimum. Conuiuium quale reges inſtruere ſolent, apparauit: cardinales in prandio cōplures retinuit, argēti & auri vaſa magni ponderis adhibuit: lyrā & cantores addidit, nihil quod deſiderare poſſes cōuiuio deſuit, grata colloquia, & ſales honeſtate conditi, breuiores horas reddidere. Peracto prandio cum quieuiſſet paulisper ſuo more Pontifex, veſperi comitāte collegio, per viā qua venerat, ad arcem rediit. Quicunq; ea die Viturnium intrauere, & tot miracula, tantumq; rerum ordinē, & apparatū per vrbē incedentes intuiti ſunt, ſuperum certiſſimum domicilium ſeſe ingreſſos, nō hominum habitacula putauerunt, & cæleſtis patriæ imaginem vel viuos in carne ſeſe ſpectaſſe dixerunt.

Sed quæ diuturna mortalibus gaudia? breue eſt quod omne placet: ſuccedit lætitiæ mœror, riſus extrema luctus occupat. Exultantē hoc ſtatu curiā ciuitatemq; nimia voluptate geſtientem exorta ſubito peſtilentia conturbauit. Tabificum venenum & mortifera lues pleroſq; cum ciues, tum curiales extinxit, propter quam rem territi cardinales, mutandam curiam cēſuerunt. Pōtifex retentis penes ſe paucis cardinalibus, reliquis libertatē fecit, quo vellent, peſtiferum morbum effugere: ipſe priuſquā abiret, cœnobium S. Martini, quod eſt in monte Cimino viſere ſtatuit: id nepoti cōmendauerat: diſtat à Viturnio millibus paſſuum tribus, nec tamen ad ſummitatē mōtis pertingit: Tēplum eſt altis erectum fornicib. ex lapide ſecto, nobile opus, & multis inſigne columnis, in quo (ſicut ante diximus) cardinalis Egidii cōditum fuiſſe cadauer affirmāt: multi olim religioſi diuinas hic laudes cātauere; nunc cornices execrātur, & palumbæ, & nōnunquam ſuos intonat plāctus ferali carmine bubo: cœnaculū adhuc extat egregiū, cetera vel corruerant, vel cito caſura videbantur: Pōtificis nepos reſtaurādi curā accepit. Situs amœniſſimus eſt, largæ intus, & lucidę ſcaturiunt aquę. Caſtanearum ſiluæ circumſtant, & agri adſunt, & vineæ. Proſpectus Senas verſus ad Amiatam vſq; protenditur: inſpicit & Argentarium montē in occidētali plaga, & mari terminatur, & aere iucunda æſtiuis menſibus habitatio. Hinc redeunti Pontifici, ac per vrbē iam tenebris obortis, domum petenti, mirabili applauſu vniuerſæ ciuitatis viri, mulieres, puellæ, pueri, ac ſenes cū luminarib. occurrerunt, Pio vitam & felicitatē acclamātes: nec alia vox audiebatur, quaſi Deū è cælo venientē admirabātur cuncti, & ſalutabāt, nec puerulus erat, qui nō Pium Pium paruulo ſonaret ore, quāuis per ętatē nondū poſſet ad plenū verba formare. Mouerūt iſta Piū, & lacrymas excuſſere, futuras meditāti calamitates, ſecūq; ait: En dura mortaliū ſors, heu mēs ignara futuri: viri nobis ac matronę lętātes applaudūt; virgines, ac nuptę geſtiūt; pulcherrima iuuētus vtriuſq; ſexus voluptati dedita gaudiū exprimit, plena paruulis ridet via, ſed quos peſtiferā æſtatē euadet? populabitur peſtis vrbē, pueros auferet, & iuuenes; nulli parcet ætati. Quòd ſi liceat huc aliquādo reuerti ex his, qui nos hodie tātopere celebrant, paucos inueniemus. O caro, ô vita hominū quàm fragilis es, atq; caduca? nec plura locutus eſt.

Diſceſſus curia à Viturnio, & peſtis exorta, ac monaſterii ſancti Martini deſcriptio.

In arcē reuerſus poſtridie, cum iam curia ferme omnis abiiſſet, & ipſe cedendum peſtifero furori exiſtimauit, atq; in poſſeſſiones nobiliū Farneſię ſe cōtulit: caſtellum eſt, quod Caputmontis appellant, Vulſinenſi adiacens lacui, amœniſſimo ſitum loco; tris partes lacus abluit, reliquam foſſa tuetur, & arx egregie munita. Tumulus ſaxeus ab aquis medio fere ſtadio in altum aſſurrexit, difficili aditu, in ſummo planicies muro cingitur, qui domus agreſtium claudit, & nobiliū ſtabula, atq; horrea: inter muros, & rupes, vineam conſtruxere, ſex aut octo pedum, quæ tria oppidi latera cingit, plana, & ambulatu facilis, & quæ per ęſtatē iucundas prębeat vmbras, nuſquā tota Soli patens, inane occidens vmbra gaudet, oriens veſperi: adſunt & palmites, qui ſuo tempore pampineis delectant vmbraculis. Rupes, vbi ſiliceus deſuit ſcopulus, conſita vitibus & arbore pomifera, viam habuit quaſi per ſcalas, prope ad lacum, & ibi inter prærupta ſaxa, & confragoſos ſcopulos plurima creuit ilex, quæ omni tempore virēs gratiſſimam turdis ſiluam exhibuit, inter quam & vineam aditum duorum virorum capacem ferro parauere: in quo ſæpe auibus inſidias tendunt: huc Pontifex de-

Lacus Vulſinenſis deſcriptio atque amœnitas inſularum & littoris.

clinauit,& cum paucis habitauit arcē. Referendarii per vicina oppida collocati ſtatutis diebus nauibus ad Pontificem venere. Pontifex cum fuit ocium, per vicina nemora vectus, placidas captauit auras,& propinqua luſtrauit loca,& nunc terra, nunc aqua fecit iter. Cardinalis Spoletanus & Theanenſis prope in oppido fuere ad octo circiter ſtadia, quod Martam vocāt, à flumine, quod lacus efficit, illic emiſſorium habens,& anguillarum capturam, quas & maximas, & optimas putant: hę cum flauit Auſter & limpidas gurgitis conturbauit aquas, ad exitum lacus diffugiunt, & fluminis ſecutæ curſum, in inſidias incidunt. Accolæ quà fluuius caſum habuit, turrim cōſtruxere,& receptaculum in fundo ligneum, cuius pauimentum multis & paruis foraminibus retentis anguillis, aquam dimitteret; illæ cum nequirent aduerſus fluminis imperum ſuperne cadētis retro ſcandere, relictæ caperentur in ſicco: turris in cuſtodia eſt, quæ vectigal haud paruum reddit: licet & fluminis curſum à turri deducere, cum nimis creuerit aqua. Pontifex & hunc locum inuiſit, vt quæ auribus hauſerat, ſubiiceret oculis. In lacu duæ inſulę ſunt dignæ memoratu, & quæ olim frequentibus ędificiis cultę fuerunt: extant adhuc veſtigia ruinæ veteris. Conſtat & his principes vſum carceris tribuiſſe, nam & Chriſtinā virginem huc relegatam legimus, & Amalaſuntam nobiliſſimā Gothorū reginā, impie ſuorum fraude ac manu necatam: maiorē hodie Bithyniā vocant, ab oppido Bithyno, cuius in propinquo mōte ruinæ viſuntur; Minores incolunt, qui ſuā ſeruantes regulā, Obſeruantini appellantur, & ſunt quidē viri exemplares, paupertate diuites & abſtinentia. His Ranutius Farneſius & ſacellum, & cœnobium ædificauit,& agros inſulæ dedit, in quibus hortus eſt diligenter excultus, ſemitas perlatas,& planas habens, & hic quidē olera ſunt, ibi legumina, nec prata deſunt, pars cuniculis relicta eſt, qui plurimi inter vepres latitant, & quorum venatione ſæpe monachis inſtruitur menſa; viam inter ſpinas & rubos ferro parauere, in qua retia tendunt cubitalis altitudinis, deinde fuſtibus, ac lapidibus ſpineta euerberant,& animalia exire cogunt, quæ cum retia incidunt, facile detinentur. Tertia pars inſulæ in altum aſperatur ſaxum, quamuis & oleis & amygdalis cōſita eſt, nec vite caret,& in cacumine fert ilicem, multa illic oratoria, ad quæ per gradus ferro exciſos iter habent. Pius in ſummo vertice nouum ſacellum erigi iuſſit, & ſpiritualibus ditauit gratiis. Alteram inſulam, quę minor eſt, S. Auguſtini fratres, quos vocant eremitas, colunt; huius quoq; pars plana eſt in hortum redacta, pars aſpera & in altum eleuata ſaxum aditu difficili. Duæ inſunt eccleſiæ vetuſtæ, ac veneratu dignæ: altera in plano eſt amplior, quam circumſtant monachorum habitacula,& arborum ac vitium nouellæ plantationes: altera in ſummo vertice iacet, in qua diuæ Magdalenæ, quæ ſacros Domini pedes lacrymis lauit, & capillis terſit, nonnullæ oſſium partes recens repertæ non ſine miraculo feruntur,& magnum attrahunt populi concurſum: fidem inuentioni vetus hiſtoria facit, & ſignorum fama, & quod inſulam longo iam tempore ab eadem glorioſa, ſanctaq; femina vocitant. Pōtifex cum eo acceſſiſſet, inſulam circum nauigauit,& Miſſarum ſolemnib. in eccleſia ſuperiori interfuit,& ſacra inſpexit oſſa, quæ veneratus & oſculatus eſt: illic tum primum monachorum habitationes ædificabantur, Cornetano epiſcopo adiutricem manum afferēte, cuius ſtudio religioſi fratres inducti ſunt;& inſula, quæ prius derelicta fuerat, habitari cœpta. Apud eum Pontifex cum duobus cardinalibus prandium fecit. Inter vtraſq; inſulas lacus profunditatem immenſurabilem ferunt: Nautæ ſępe funibus pertingere fundum adnixi, obligato ſaxo, nunquam voti compotes fuere: huc piſcibus ſecura profugia, quorum piſcatio circa littora tantum patet. Cum ſtatuiſſet Pontifex apud inſulam Bithyniam natiuitatem diui Ioannis pręcurſoris Domini in ſacello Minorū celebrare, plenarias omnibus, qui adeſſent indulgentias publicari iuſſit. Gabriel Farneſius, qui loci dominus eſſet, vt feſtum redderet celebrius, his præmia poſuit, qui nauium curſu certaturi aduentarēt. Nauigauit Pontifex ſummo diluculo è Capitemōtis ad inſulam,& cum eo Spoletanus & Theanenſis cardinales; acceſſit & Rothomagenſis, qui non procul habitabat; adfuerunt referendarii, & Cornetanus epiſcopus, & Fulginas: ex propinquis oppidis frequens aduentauit populus: res diuina ſuo tēpore peracta eſt pia deuotione. Rodulphus decanus Vuormacienſis in altari miniſtrauit,& Hoſtiam Deo gratiſſimam obtulit, vir doctus, & à iuuentute Pontifici amicus.

amicus. Exin prandium in pratis ad vmbram populi peractum, quod viri religioſi, vt Pontificem maximum digne ſuſciperent, per oppida circumiecta multis diebus antea mendicauerunt: Pium enim orauerant, ne ſua cibaria dedignaretur, neve monachorum contemneret apparatum, neq; ille contempſit; fercula, quæ appoſita fuerunt, edit; & vinis vſus eſt mendicatis, ne pauperem menſam faſtidire videretur: pranſus eſt vno die cum fratribus; verum fratres multos dies ipſe pauit. Aderant finito prandio nauium duces, quos inter de curſu certamen erat futurum, & qui remos agitaturi eſſent robuſtiſſimi iuuenes. Quinque fuerũt ex omni multitudine naues ad curſum delectæ: priorem inſtruxerant Vulſinenſes verbis, atque animis gloriabundi tanquam præmia palmæ certiſſime relaturi: Clarentani alteram, Cornetani familiares tertiam, qui Criptam incolunt ſancti Laurentii quartam: Martani quintam: magna in omnibus fiducia, maior iactatio: contemnere alter alterum; ſe quiſq; præferre, & quo magis ebibiſſent ſua magnificare facinora: viciſſe olim, & magno ſpacio æmulos præteriiſſe, potitumq; brauio, nil dubiũ quin tum quoq; victurus eſſet. Interciderunt & contentiones de magnitudine nauium, de remigum numero, de longitudine remorum, Gabriel Farneſius, & Alexander Apoſtolicæ magiſter domus, & Pazalia cuſtos corporis, delecti iudices, lites omnes cõpoſuere. Principium curſus apud Caputmontis deſignatum eſt; meta in portu inſulæ, ibiq; præmia poſuere, quæ victoribus cederent. panni coccinei Florentini optimi vlnas octo: & quæ proximi conſequerentur, alia munera. Nauigia, quæ ſcapharũ magnitudinem non exceſſere, quattuor contenta remigibus, ſingula & vno magiſtro eſſe voluerunt, quæ poſtquam ad litus peruenere iuxta Caputmontis, per ſortẽ delegere loca, ex quibus tanquã ex carceribus euolarent: magiſtri ad clauũ ſedentes byſſo candido & fronde populea cinxere comas: idem fecere remiges, nudi omnia, præter obſcœnas partes, & oleo perfuſi nitentes, extenſis ad remos brachiis ſignum in tranſtris expectant: pulſat corda pauor, & ingens arripit mentes cupido laudis. Vt ſignum tuba dedit, mox finibus ſuis proſiliunt omnes, & clamore rauco feriunt æthera, adductis verſa lacertis ſpumat vnda, infindunt ſulcos pariter, & remis ac roſtris conuulſa dehiſcunt ima lacus: prope aſſequitur cymbarum claſſis, in quis ſpectatores his aut illis fauentes ingenti fremitu, ac plauſu feruntur, & clamoribus omnia complent: cõſonant vicina in montibus nemora: incluſam vocem littora voluitant, & pulſati clamore reſultant colles. Prima inter fremitum ac turbam elabitur Vulſinenſium nauis, & toto corpore præterit alias, proxima Cornetana ſubit, & Martana ſimul; reliquæ paruo diſcrimine ſubſequuntur. Pontifex quamuis procul à portu, loco reducto cum cardinalibus de republica loqueretur, ſcapharum tamen contentionem, & curſum non ſine iucunditate, & animi relaxatione ſpectauit. In littore iuxta portum, & brauium referendarii, & prælati reliqui, & multi nobiles ſtetere. Nondum licebat agnoſcere naues, & quæ prior eſſet diiudicare, cum paſſibus ſupra mille à portu diſtarent: ſpatiumq; totius curſus circiter duo millia complecteretur. Interea Martana in puppe magiſter: Quid agimus, inquit, ſocii? tertio iam in loco relicti ſumus qui nunquam non primi conſueuimus eſſe. En pudor; quo lacertorum abiere vires? cum illis hodie contendimus, quos ſæpe vicimus: Vnde aut illi meliores, aut nos deteriores effecti ſumus? hoccine dedecus ferre poterimus, vt inuicti aliàs vincamur hodie? Mori ſatius eſt: proh iuuenes, reſumite vires, Incumbite remis acrius, & tantum a noſtro genere nefas auertite: audit animoſa iuuentus, & totis procumbens viribus, vaſtis ictibus, percuſſo gurgite, trementi puppi ſubtrahit ſolum, & prætèrita Clarentana cymba, Vulſinenſis adæquat curſum, vnaq; ambo iunctis frontibus aliquantiſper feruntur. Exin victrix Martana longo ſpacio cunctas antecedit; ſuperat, & Clarentana Vulſinenſem, & Cornetana pariter, cum iam creber anhelitus arida quateret bibulorum ora, & ſudor flueret nullo repẽſatus vino, Martani longe ante alios tenuere portum, victoreſq; brauium retulere: proxima deinde præmia Clarentanis reddita: Vulſinenſes inter vltimos dimiſſi Guicciardi præfecti iurgia & infamiã veriti, portum declinauere, cum quibus par dedecus tulere Criptenſes Cornetani inter gloriam & ignominiam medii fuere: finito certamine cuncti abierunt, quamuis validus exoriens ventus lacus faciem conturbauerit, & tempeſtatem non paruam in-

duxerit. Rothomagenſis nō ſine periculo ſummerſionis domum ſuam repetiit: cum Claretani, in quorum naue vehebatur, vino madidi propter ebrietatem nec clauum rite regerent, nec remis prope incumberent.

Cripta oppidum, eiuſque antiqua fidelitas, & Aqua pendentis profectio.

Pontifex in habitationem ſuam reuerſus, paucos ibi dies morat⁹, cum propinqua loca peruaſiſſet peſtis, tranato nauibus lacu, benedicto populo, qui multus erat, in vlteriori ripa per prata virentia & amœnam vallem perſpicuis aquis irriguam, ad oppidum peruenit, quas Criptas vocant. Tumulus topheus eſt ſtadiis excelſus duobus, vno tantum aditu oppugnabilis, verum foſſa & muro munitus alto, cetera præruptis, & profundiſſimis defenſus vallibus: Oppidani ſpeluncas effoderunt, in quis magna pars habitant. Sunt & domus ex lapide ſecto, dureſcit ad ſolem tophus, & ſaxi præbet vſum. In perſecutionibus, quę noſtra vel patrum noſtrorum memoria Romanam Eccleſiam vexauere, nunquam ad hoſtes defecere Criptenſes; fidem inconcuſſam ſummis Pontificibus ſeruauere: propter quam rem dignos cenſuit Pius, quos ſua præſentia conſolaretur. Incredibilis fuit eius populi lætitia, qui nunquam antea Chriſti Vicarium viderat cuncti ſuas opes oſtendere, vt tranſeunti Pontifici vias ornatas redderent: ille apud veterem amicum eius loci parochianum frugi hominem, & meliori prudentia quàm vultu, diuertit, ad prandium quod oppidani pro tempore ſplendidum appatauerant; in eo dum ſedet cum cardinalibus tanta imbrium è cælo vis cecidit, vt valles impletura propinquas videretur, & ipſum (quamuis ſublime) oppidum ſubmerſura: ſed ceſſauit cum prandio; & Pontifex ad Aquampendentem ipſa die ſe contulit, ibique pernoctauit. Quo in loco legati ex Gentilhominum Senenſium ordine ad eum venere, petituri ne ſua cauſa apud ſenatum amplius agitaretur. Fuerat Romæ Auguſtinus Dathus legatus ciuitatis, vt antediximus, multiſque precibus orauerat, vt per æſtatem Pontifex patriam ſuam reuiſeret; Pius ſpem fecerat, ſi meliori in ſe animo ciuitas inueniretur. Venerat ille vſque Vituruium ſecutus curiam: & cum eſſet omnium iudicio non indoctus, neq; ignarus dicendi, ſæpe cum Pio pari oratione contēdit, & ambitioſa diſputatione vincere conatus eſt: ſcripſitq; magiſtratibus multa, quæ poſſent erga Pontificem odium ciuitatis augere, nec meliorem ſe præbuit, cum in ſenatu reuerſus quæ egiſſet recenſuit: Pōtificem odiſſe ciuitatis regiminis formam; niſi caueant, perituram ciuitatē: eſſe multos ex popularibus, qui cum nobilib. ſentiant, & cœptis faueant Papæ, occurrendum priusquàm ingraueſcat malum. His auditis Bartholomæus cognomento Benaſſai tum forte capitaneus populi, qui eſt ſummus apud Senenſes magiſtratus, Gentilhomines Vrbis in palatium ad ſe vocauit, plenuſq; tumore vano: Pius (inquit) veſtra cauſa, nobis moleſtus eſt, quotidie plura petit, nec ceſſat modo litteris, modo nunciis vrgere: fecimus quod ſatisfuerat de regimine, ſed plura petuntur. Quis tot moleſtias æquo animo ferat? Mittite ad eum, date operam vt faceſſat iam tādem hæc moleſtia, niſi ſapitis, in capite veſtro cudetur faba, & niſi ceſſauerit Pontifex plura petere pro regimine, quod quæritis, aut exilium, aut carceres patiemini. Nobiles ad Pontificem duos miſere, Iacobum Picolomineum, & Bartholomæum Saluanum, qui mentem populi apud Aquam pendentem Capitanei verba & ciuium murmura, & quod facto opus eſſet illi expoſuere. Pontifex & ſi malum ſuæ ciuitatis erga ſe animum cognouit, tamen hoc modo reſpondit. Reuertimini & dicite ciuitatis regimini, quieto vt viuant animo, non erimus moleſti patriæ noſtræ; neq; vlterius ab his, qui ciuitatem gubernant, aliquid poſtulabimus: idem erga nos ipſi agant, nihil flagitent: æqua ſit vtriuſq; conditio, atq; ita legatos abſoluit. Scripſerat prius ex Vituruio has litteras. Pius Papa ſecundus Primoribus & Capitaneo populi ciuitatis Senarum ſalutem. Pientiæ templum abſolutum eſſe accepimus, quod propediem dedicaturi, eo profecturi ſumus: hoc ſcire veſtrum ſenatum placuit. Valete.

Quibus in ſenatu recitatis admirari omnes ſcripturæ breuitatem, pro ſuo quiſq; ſenſu interpretari, & ſingula in peiorem accipere partem. Conſultandum itaq; prouidēdumque fore, ne incautos venturus Pientiā Pontifex adoriretur. Fit libertas ſenatoribus dicendi quæ velint, & ſecreti ſeruandi iuſiurandum exigitur. Multa ibi ferociter dicta, nullius tamen oratio nocentior fuit, quàm Leonardi Beneuolentis, qui veteris amicitiæ, qua cum Pio Pontifice iunctus fuerat prorſus oblitus, in hunc modum verba fecit:

Nun-

Leonardi Beneuolentis oratio, & Pii benignitas.

Nunquam ego, Patres conſcripti, Gentilhominum ordinem noſtræ ciuitatis amaui, neq; vnquam eo rem noſtram venturam exiſtimaui, vt de communicando cum eis regimine hoc in loco captare conſilium oporteret, quãdo nihil infenſius eſt regimini. Quid ſtultius quàm eos in ſocietatem regni accipere, qui te mox eiiciãt? Quoties popularem euertere ſtatũ adnixi ſunt? Cur maiores noſtri, aut Malauoltas aut Salimbenos exilio damnauere, ac præclaras eorum ędes exciderunt, niſi quia nouis ſtudebant rebus, & quietem vrbis impediebant? Nulla libertas, nulla ſecuritas In ciuitate fuit, regnante iſto ordine: quæ mortales optima ducunt cuncta ſibi vendicarunt; patribus noſtris pro mãcipiis vtebantur; qui ſuperbiam eorum cum ferre nõ poſſent, in libertatem ſe vendicarunt, & ab illis regimen acceperunt, & nunc tanquam benefacti pæniteat, de reſtitutione conſulimus: fortaſſe putaris naturam mutari poſſe, & humilitatem cum eis ſimul ſtare? falſa opinio eſt. Generoſitas nulla non inſoleſcit. Aberam Tiferni gubernator, cum decreuiſtis, hortante Pontifice, ad partem munerum eos aſſumere; contradicturus eram ſi adfuiſſem, & fortaſſe complures in meam ſententiam ſenatores conceſſiſſent. Pio, vt videtis non ſufficiunt promiſſa, plura petit & vrget in dies magis: Vos ſi mihi auſcultabitis etiam quæ promiſſa ſunt, reuocabitis. Tempus, in quo nouos creare magiſtratus oportet, nondum adeſt, & in annum prorogari comitia poſſunt. Quid opus eſt præuenire? Ex tempore conſilium capiemus. Me tamen conſultore, nunquam Gentilhomines aut claues vrbis obtinebunt, aut eum magiſtratum, quem populi Capitaneatum appellamus. Et in præſentiarum quidem decernendum ſtatuo, ne quid amplius eis concedatur, quàm hactenus conceſſum eſt. Si quis aliud conſilium dederit, extorris eſto. Fuerunt qui mitiores dixere ſententias, & obiecta illorum crimina diluerunt. Decretum in ſententiam Leonardi factum, cuius eum ſenſum putauere, vt nulla poſt hac de promiſſione Pontifici facta mentio fieret. Pontifex ex Aquapendenti Percenum venerat, & deinde ad confinia ſe contulerat, quæ Romanum agrum à Senenſi diſterminant, atq; illic cum quatuor cardinalibus ſub tabernaculo de ramalibus facto ſedebat in prandio, cum ſibi decretum allatum eſt à Senenſibus editum: Beneuentanus archiepiſcopus eius rei litteras accepit, & Pontifici tradidit, quibus lectis; En quantum fallimur (inquit Pius) legatos Senenſium, qui nos in ſuis finibus lætabundi ſuſciperent hoc in loco putauimus inuenire: nemo datus eſt obuiam: pro legatis contumelioſum decretum occurrit: ditaturi patriam æſtatem in Senenſi territorio peragere ſtatueramus, & ſequi curiam iuſſeramus: deceret pedes referre, & hoc emolumenti ad alias transferre gentes: At hoc pernicioſi ciues cupiunt, qui auctores decreti fuerunt: diſcidium inter nos & patriam quærunt, qui noſtra diſcordia creſcunt: non facient; ibimus, & vrbi quæ nos genuit, & Senenſi populo vel inuito benefaciemus. Exin finito prandio per Planum oppidum ad Abbatiam ſe contulit, quem locum aduerſus æſtum Iulii menſis delegerat.

COMMENTARIORVM PII II. PONT. MAX.

LIBER NONVS.

Amiati mōtis ſitus, Abbatiaque & aliorum oppidorum mira felicitas, & Pii delectatio.

AMIATA mons eſt in agro Senenſi, Apenninis nō inferior iugis, Piſtorienſibus tantum alpibus in tota Italia fertur cedere; ad ſummum vſque verticem veſtitur nemore: pars celſior ſæpe obſeſſa nubibus fago tegitur; caſtanea deinde ſuccedit, & poſt eam, vel quercus, vel ſuber. Infima vites, & humano ingenio ſatæ arbores, & agri & prata tenent. Sunt & in reducta valle montis proceræ abietes, quæ cum Senenſibus, tum Romanis ædificiis materiam nobilē ſuppeditant. Pius hinc ædificio Piēſi trabes coemit. Inter abietes & caſtaneas, & nuſquam alibi pars montis calua cernitur: herboſa tamen & vtilis pecori. Ad Solis occaſum maritimæ Senenſium procumbit, & caſtrum Caſtriplani reſpicit ad ipſius montis radices poſitum, oppidum & pulchritudine loci, & ſitus commoditate, amœnitateq; inter ea, quæ ad eam montis plagam ſita ſunt, facile primum, perſpicuis aquis irrigatur, & ad mœnia vſque medio ambitu à perenni fonte circundatur; ex eoque illi nomen inditum, quòd in fertili & arboribus, & ſemper ridentibus pratis, cultiſque campis referta planicie, quæ ad mille paſſus, vt minimum, protenditur, conditum ſit. Ad meridiem oppido imminet ſanctæ Floræ, de quo paulo poſt ſcribemus. Ad ſeptētrionem Pienriam aſpicit, & multa Senenſium caſtella, atque ipſam vrbem, & Vrciam fluuium: ad ortum celſam intuetur Radicofani arcem, & Paleam amnem, qui iunctus Clanio fertur in Tyberim. Multa inſunt oppida populo plena, quod Abbatiam vocant, amœnitate nulli cedit, in orientali parte ſitum, non multo magis à ſummo cacumine montis, quàm ab amne Palea diſcretum. Planiciem octo circiter ſtadiorum in media regione natura produxit, vndiq; caſtanea tectam: qua deficit, rupibus aſperatur, vetereſq; ibi oppidum condidere, inde pendentibus ſcopulis, hinc alto muro, & foſſa decurrentibus aquis plena, munitum: domus intus ex quadrato lapide conſtruxere non incommodas; tecta ex materia compoſuere, quæ niuibus reſiſterent. Ante oppidum ſiluas quaſi ad ſtadium exciderunt, vbi hortos excolerent, & parumper agri. Vetuſtum hic monaſterium iacet ſaluatori Domino dedicatum templo, & monachorum habitaculis egregie ſtructum; Rotharim Longobardorum regem fundaſſe perhibent, & magnis donaſſe poſſeſſionibus. Abbas merum & mixtum imperium in pluribus caſtellis obtinuit; & hinc oppidum Abbatia vocatum, quia pleno iure ſubeſſet abbati: ſacram ſupellectilem precioſam habuit, & bibliothecam nobilem, cuius pauca extant volumina, inter quæ vnum maximum & admirabile veteris & noui teſtamenti litteris maiuſculis exaratum, quod Pius Pontifex cupide vidit. Monaſterium, vt nihil eſt in terra non mutabile, hodie pauper eſt: tyranni cuncta diripuere; nec oppidani fidem ſeruauerunt, qui contemnentes monaſticum iugum, ad Senenſes defecere, quorum opibus aduerſus hoſtium incurſiones tutiores redderentur. Mille circiter & quingentis paſſibus ab hoc monaſterio ſummitatem Amiatæ quærentibus vetus ſacellum occurrit, in quo reginam conditam tradunt Rothatis, vt putant, coniugem: accolæ ſumma religione colunt: eremitæ circum habitant, ad quos difficilis patet aſcenſus: Pontifex ſepulchrum nobilis feminæ inuiſit, & indulgentias fano addidit. Menſe Iulio nondum illic ceraſa maturauerant: iuxta fons largus è ſaxo emanat, apud quem Pius cum prandium feciſſet, legationes audiuit, & vota ſupplicum. Plures illic dimiſſo Pōntifice ſummum cacumen montis aſcendere, via præcipiti & ardua, & quam nullus auderet ſcandere, niſi frequens fagus proſpectum diſcriminis auferret, & caſuris promitteret obicem. In vertice aream inuenere,

& in

& in medio ingens ſaxum, cui alterum non minus incubuit; vtrumque conſcenderunt, ex quo Siciliæ montes & Corſicæ conſpicatos ſeſe retulerunt: Nicolaus Sagundinus Venetorum legatus cum aliis eò contendit. Caſtaneæ, quæ fago ſuccedunt admodum proceræ ſunt, & in cælum tendunt. Robora multa inuenias, quæ vix quatuor homines complectantur: quædam concaua quinque & viginti pecudibus ſtabula præbuerunt. Graminei campi ſub caſtaneis patent, nunquam non vmbroſi, niſi poſt autumni frigora, cum folia ceciderunt, per arborum ramos ſolis radius ingrediatur. Si vllo vnquam loco & vmbræ ſuaues, & argentei fontes, & virides herbę, & ridentia prata poetas alliciunt; hic per æſtatem manebunt: nec nos vel Cirrhæ vel Nyſæ æquanda putamus iuga; quamuis multa in fabulis referantur, nec Pennea prętulerimus Tempe, non ſerpentes adſunt, aut feræ, quę noceant: abſunt moleſta muſcarũ agmina, non tabanus, aut aſilus faciem lædit, non cimices odore tetro cubile inficiũt, non auribus immurmurant culices, tranquilla quies per omne nemus, neque ſentes aut rubi vulnerant pedes: arbores tanto inter ſe ſpacio diſtant, quantum proceritate ramorum amplecti, & frondibus tegere queant. Solum gramina veſtiunt, & quæ fraga ferant herbulę: inter quas riui labentes perſpicui perpetuo murmure garriunt. Notauerat locum Pontifex anno altero, cum illac tranſiret, & aptiſſimum ſibi refugium aduerſus æſtiuos ignes delegerat, ſiluarum amator, & varia videndi cupidus. Campanus poeta doctus, quem Pius ad Pontificalem honorem euexit, cum bella Pii cerneret felicia, & frequentes ſeceſſus in ſiluas, huiuſcemodi verſus edidit:

Quod victore Pio fieri tot prælia cernis,
Inualidaſque ſuis hoſtibus eſſe manus;
Ne mirere; Pium peperit Victoria mater,
Matris ab vberibus vincere ſic didicit.
Quod placeant ſiluæ, & magnum luſtrauerit orbem,
Siluius hac genuit conditione pater.
Iure igitur late ſpaciatur, & omnia vincit,
Patris obire orbem, vincere matris habet.

Pontifex monaſterium inhabitauit, ſex cardinales in oppido manſere & multi curialium: referendarii ſecundo milliario habitationes ſibi delegerunt, in loco quem Planum vocant non inamœnum neque Abbatia deteriorẽ: ſtatutis diebus ad ſignaturam venere, quam Pontifex in nemore, modo ſub iſta, modo ſub illa arbore, & apud ſuaue murmurantes aquas tenuit. Nulla non die locum mutauit; nouos in conuallibus fontes, & nouas inueniens vmbras, quæ dubiam facerent electionem. Contigit aliquando ſignante Pontifice, in ceruum vaſti corporis prope iacentẽ canes incurriſſe, quibus ille calcibus ac cornu deiectis, celeri curſu profugit ad montes. Fiebat & aliquando cum cardinalibus ſub caſtaneis conſiſtorium, & legationes in pratis audiebantur. Vectabatur quotidie per ſiluas Pontifex, & ſequentibus curialibus inter eundum priuata ſimul & publica abſoluebat negotia. Cum adueſperaſceret paulum extra monaſterium profectus in loco, vbi cerni palea poſſet, cum fratribus conſedit iocunda miſcens colloquia: mira ſuauitas, in valle ſubiecta ſol cuncta exuſſerat; ſitientibus agris aruerat omnis arbos; in cinerem verſa tellus Phaetonthea perpeſſa videbatur incendia. Circa monaſterium, & altiora loca cuncta virere, nullum ſentiri æſtum, ſuaue ſpirare auras, Beatorum hic ſedes fuiſſe; in valle damnatorum ſupplicia dixiſſes. Deſcendebant aliquando venatum ad inferiora curiales, reuerſi ardorem intolerabilem ſeſe offendiſſe aiebant. Contra qui montes luſtrauerant, & ſublimiora ferarum ſtabula, obriguiſſe gelu aſſerebant.

Pontificem Iulio iam prope exacto viſendi fontem in eremo noti fluminis, quem Viuum appellant, cupido inceſſit. Quadraginta circiter ſtadia procul aberat in parte montis, quæ ad ſeptentrionem vergit: aſcenſus inter prata, & caſtaneas, trium ferme paſſuum milliũ fuit non inclemens; deſcenſus, tertia parte minor intra quercus, præceps & aſper in ſupercilio iugi: qua prata fuerũt arbore nuda herba reperta eſt, quam Carolinam vocant, quòd magno quondam Carolo diuinitus oſtenſa fuerit aduerſus peſtiferam luem ſalutaris: fama eſt illum cum Romam peteret, hac iter habuiſſe iam exercitu tabe peſtifera laborante; ſuper qua re anxium cum quieti ſe tradidiſſet,

Fõs pulcherrimus, & herba aduerſus peſtilentiam diuinitus inuenta, cænobiique deſcriptio. Carolina.

T

Angelum vidiſſe, qui diceret: ſurge, & cum montis iugum aſcenderis, iaculum proiicito, herbamque illam legito, cuius radicem ferro iaculi vulneraueris; hanc igne torreto, & redactam in puluerem, cum vino ægrotis dato vt bibant; virus omne depellet, & tibi exercitum conſeruabit. Somnio fidem periculum peperit Herba eſt ſpinoſis foliis, quæ ſolo hærentes florem muniunt ei ſimilem, quem producit carduus, colore differt, radice dulci magnitudinis cicorcæ, & quæ vulneris cicatrice, diuina diſpenſatione nunquam careat, vt extaret miraculi indelebilis memoria: indigenæ ita memorant: Pius fabulam exiſtimauit, & ab amatoribus Caroli confictas nugas, qui magno imperatori non ſua tantum, ſed Alexandri quoque Macedonis, qui orientem ſubegit, miracula non vererentur aſcribere. Pontifex iter ſecutus paulo ante meridiem ad fontẽ peruenit, qui ex antro gelidus ac largus erumpit: iuxta ſacellũ adhuc extat ex quadrato lapide, quamuis tectũ ruinam minatur: habitacula, quæ circa fuerant corruere caſtanea ſimul & fagus mixtæ vmbroſum nemus efficiunt. Prandium in vmbra circa fontem apparauere. Cardinales acceſſerant, & referendarii. Placuit Pontifici priuſquam ederet, ſignaturam facere: dies ſerena fuit, & Sol prope cæli medium tenuit; nec rigorem frigoris temperauerat æſtus: ad nudum Solem erigere menſam, & ſignare ſupplicationes oportuit: atque ita calefactum prandere Pontificem, qui plus frigoris, quàm optaſſet inuenerat. Finito prandio ad ſexdecim ſtadia deſcenſum eſt, fluuio qui ex fonte gignitur per abrupta ſaxa, & confragoſas valles magno à dextris murmure atque impetu decurrente: in valle ima planities non magna reperta eſt, & ager, qui aliquando aratrum pertulit, & pomiferas aluit arbores: nobile hic fuiſſe cœnobium ruinę docent, Camaldulenſes habitauere monachi, nũc bubones incolunt: fanum adhuc extat non ignobile. Fluuius iuxta decurrit, quem vocant Viuam eremum, quoniam ab eremo ſuperiori ad inferiorem decurrens lapſu perpetuo nunquam moritur, ſed arentem Vrciam, & aliquando deficientem viuificat, & molas habet, quæ per ęſtatis ardores, cum ceteræ deficiunt, Pientiæ, viciniſque oppidis farinam ſuggerunt. In inferiori monaſterio abbas & conuentus manſit cum monachis, quibus vita regularis communiſque placuit: ſuperiorem eremum fratres incoluere aſperioris cultus, & qui ſolitudinę ac ieiunio gauderent: nunc ambo loca deſerta ſunt. Pontifex tranſmiſſo fluuio per altiſſimas ſiluas, in quis proceræ & inſtar abietum directiſſimæ quercus creuerant, per aliud iter ad Abbatiam rediit: ſitum loci metatus oculis, ſi forte quod optabat, fluminis curſum diuertere poſſet, & ſupra Auinionis balnea in Vrciam deriuare, & quod ſępe meditatus fuerat retẽto amnis curſu obiecta muri mole, lacum efficere, qui planiora tegens loca prouinciæ piſcẽ ſufficeret, & ab hoſtili tueretur incurſu: ſumptuoſum opus & Pontifice dignum otioſo.

Oppidum ſancta Flora, & qui tenuerunt ſituſque & fontes, & piſcationes.

Petiit & ſanctam Floram Pius inuitatus à loci domino, quem comitẽ vocant. Vetus & nobilis proſapia fuit, quæ ſanctam Floram, & alia pleraque oppida in Amiata obtinuit, Senenſibus qui circumſiſterent fœderata: eiecta tamen aliquãdo fuit, & Senenſes inuaſere dominium, quod non diu tenuere. Pręfectus arcis, ab amicis qui porcũ occiderant inuitatus, cũ proficiſceretur interceptus arcem reſtituit. Noſtra ætate Guido comes cũ multos annos in pace regnaſſet, abſq; virili prole deceſſit, filias tres reliquit, & Senenſibus vltima voluntate commendauit, qui eas pro dignitate nuptui traderent: Vna in domo Peccia nupſit: reliquæ ciuilia dedignatæ coniugia, viros ſibi potentes aſciuere. Cæcilia Boſium Franciſci Sfortiæ germanum: Ioanna Galeatium Arci comitem, Aeneæ quoad vixit amicum, & in eius poemate nominatum. Principatus Boſio ceſſit, ex quo Cæcilia filium peperit, & patris ei nomen indidit. Oppidani hunc amant, quem ſui ſanguinis eſſe ducunt; & hic Pontifici vt locum viſeret ſupplicauit, eumque venientem præcipuis excepit honoribus, itinere quod erat multis in locis impeditum, & pene clauſum ingenti labore aperto. Oppidum in alto iacet ſaxo, rupibus vndique præruptis, & in profundiſſimas pendentibus valles aſperatum; vna tantum parte æquus, & cohærenti monte ad mœnia patuit aditus, quem foſſa profundior interrupit; & eo in loco arcem conſtruxere, qua ſeruata non eſt quod vereri oporteat. Multi hinc atque inde ſcaturiunt limpidiſſimi fontes: ad occidentalem partem vis aquarum maxima erumpit, quæ poſtquam piſcinam impleuit amplam per fiſtulas emiſſa ingenti murmure in ſubiectam delabitur vallem.

Digitized by Google

vallem. In piſcina cubitales trutæ tanquam in viuario nutriuntur; quarum præſente Pontifice non parua piſcatio facta eſt. Deſcendit & Pontifex ad inferiorem fluuium, qui trutas gignit præ ceteris Italię ſapidiſſimas. Accolę eorã eo piſcati ſunt, nec capturam paruam fecere.

Cum rediret Pontifex media per armenta, quæ paſcebantur in pratis; cuſtos gregis, qui nunquam Pontificem vidiſſet, veſtimenta cardinalium, & purpuratorum admiratus ornamenta, quamuis paululum hæſitauit, quem pro ſummo Pontifice venerari oporteret, viſa tandem aurea ſella, quæ humeris hominum inter equites portaretur, ſeſſorem adorandum ſtatuit, & emuncta vacca quę aderat, catinum ex quo bibere atq; edere conſueuerat, lacte plenum Pontifici lętabundus obtulit, quem propter æſtum ſitire arbitrabatur: Pontifex memor illius, qui Artaxerxi Perſarũ regi iter habenti, comprehenſam vtraque palma porrexit aquam, ſubriſit, nec dedignatus eſt nigrum & vnctum tanquam biberet oſculari catinum, guſtandumq; cardinalibus tradere, ne ſedulitatem & pauperis reuerentiam agreſtis contemnere videretur, qui opes apud ſe cariſſimas obtuliſſet; animum penſitauit rerum diſpenſatorem, meliores procul dubio traditurum ſi adfuiſſent. *Pii manſuetiſſima humanitas in lacte à paſtore accipiendo.*

In Abbatia legati Senenſium quatuor Pontificẽ adiere, xenia portantes vina precioſa, panes candidos, agnos pingues, virulos, & quę tempori cõuenirent poma. Franciſcus Aringherius verba fecit, miſſionis moram purgare conatus. Et cum multa de charitate Senenſium erga Pium diſputaſſet, atque vrbem & populum commendaſſet: poſtremo vt Senas accedere, & ſua præſentia cariſſimos conſolari filios dignaretur, ſupplex orauit. Aderat & Leonardus Beneuolentus, cuius verba in ſenatu habita ſupra retulimus, qui Pontifici tanquã ſua opera ignoranti ſubblandiri conatus eſt. Pius cuncta benigne audiuit; deinde ita reſpondit: Munera quæ attuliſtis ex patria grato recipimus animo: ſi nobis fines veſtros intrantibus vrgente cauſa non occurriſtis, ipſi videritis; Pontifici maximo haud multum honoris affert Senenſis populi legatio, in cuius comitatu nunquã deſunt & cardinales, & maximorum regum ac principum oratores. E re veſtra fuerat aduentanti Pontifici in finibus quamprimum occurrere, ne quod inter vos noſque diſcidium ortum inimici veſtri exiſtimarent, quibus nihil moleſtius eſt quàm veſtrum ciuem in Apoſtolico throno ſedentem cernere rebus veſtris amicũ. Vobis fortaſſe nõ ita videtur, qui decretis inſolitis & inhoneſtis noſtrum abaliẽnare animum conati eſtis. Patriam nobis commendatis; & vos ipſi patriam perſequimini, & hoſtiũ agitis cauſam. Duo ſunt, quæ rem veſtram ſaluare poſſunt, diuitię, atque concordia; illas nos parare potuimus, ſingulis annis per æſtatem, cum Romana curia apud vos commorantes; ſicut grex ouium impinguat agros, ita & curia vrbes: quatuor iam perdidiſtis annos, dum pauca, quæ ordinis Gentilhominum cauſa petimus per inuidiam contumaciter denegatis: & nunc pertinaciæ veſtræ ſuperbiſſimum edidiſtis decretum, aduerſus quod dicere aliquid, aut hiſcere capitale ſit, pluris veſtra edicta quàm honorem facitis, neque ab re: maior eſt enim Leonardi, & qui eum ſequuntur, quam Pontificis auctoritas: ſed lex veſtra paucos dies permanet, noſtra vero poteſtas vſque ad finem ſæculi permanebit. Non vultis Romanam curiam, opes contemnitis, & quibus aduerſus inſidias hoſtis defendi poſſitis arma reſpuitis: nec concordiam alterum aduerſus inimicos remedium quæritis: Suadere hanc poſſumus, præſtare non poſſumus. Arbitrii veſtri eſt vnioni ſtudere: ſæpe de hac re verba fecimus cum Senis ageremus: diximus difficile munimentum ciuitatis eſſe amorem ciuium: rogauimus, vt diuiſionis ſemina tolleretis, id eſt nomina ipſa factionum. Vnum reipublicæ corpus faciendum fore docuimus, cuius neque Gentilhomines, neque duodecim expertes eſſent: noluiſtis audire conſilium, ſecuti eſtis deſideria veſtra, fruſtra nobis ciuitatem commendatis, quam priuatis affectibus itis peſſum. Patriam vt noſtro conſolemur aduentu efflagitatis, & horrendis deterretis edictis; repellitis, & inuitatis; vultis & non vultis, neſcitis quid eligatis: ſi voluiſſetis Romanam curiam ad vos proficiſci, iam pridem de petitionibus noſtris aliquid mitius decreuiſſetis: eum dubitetis, nos quoque in dubio ſumus, an veniendum ſit: Pientiam ibimus, templumque conſecrabimus: tempus interea, & opera veſtra nos admonebunt, quid ſit faciendum. His auditis diluere obiecta, & *Legatio Senenſium, & Pii oratio acris, & vehemens aduerſus ſeditioſos.*

placare Pontificis animum oratores conati, nullum fecere verbum, quod Pius non ſtatim reprobarit; maxime vero dicta Leonardi confutauit. Cum duabus circiter horis hinc atque inde ſermo percurriſſet, legati relaturos in ſenatu quæ audiuiſſent ſeſe dicentes abierunt.

Legatio Hũgarorum, & Pii reſponſum, & auxilium.

Secutus hucuſque Mareſcallus Toloſanus, cum diebus aliquot in Abbatia manſiſſet, audiuiſſetq; nouos legatos ex Francia, qui mandata mitiora ferrent propediem venturos, impetratis quibuſdam gratiis, more hominum, qui publica miſſi curare ſua non negligunt, Pontificis receſſit amicus: Et Baro quidam illuſtris à rege Hungariæ miſſus ſuperuenit, maieſtate corporis & morum elegantia fidem exigens, & qui ſuperiori anno ex Turcarum captiuitate fuiſſet redemptus: Eius oratio hũc ſenſum habuit, Turcarum Imperatorem pacem Hungaris offerre Valachiam & Boſnam relicturis: apparatum belli maximum facere, inuaſurumque procul dubio cum validis copiis Hungaros, niſi conditiones accipiant. Regi nec conſultum videri belli ſocios, eoſdemque ſubditos, hoſti prodere, nec vires eſſe quibus tantam belli molem ſuſtinere queat; orare ne deſeratur. Si ceſſerit Hungaria Turcis, expectanda illorum arma in Italia: Scire ſe Mahumetis propoſitum, qui ſibi Occidentis imperium perſuaſerit. Hungaris domitis nihil ei difficile futurum, ex illis non eſſe requirendum quod præſtare non poſſint. Pontifex quamuis in Italia grauiſſimis belli ſumptibus premeretur, vixque illis ſuppeditare pecunias poſſet, in Hungaria tamen ære ſuo equites mille conductorum ſe ait, qui regi ad bellum ituro coniungerentur: Venetos quoque opem laturos: hortari ne animo deficerent, in alterum annum futurum, vt maiora poſſint auxilia præſtari. Legatus hac ſponſione placatus in Hungariã rediit. Cardinalis Strigonienſis pecuniam pro Pontifice diſſoluit, Veneti aureorum regi viginti millia miſere.

Recuperatio Valentinenſis, ac Dienſis comitatus in Gallia.

Atrebatenſis cum eſſet in Vituruio Pontifex, Ludouici Franciæ regis litteras in cõſiſtorio dederat, quarũ vigore procurator conſtitutus, comitatus in Delphinatu duos circa Rhodanum Valentinenſem, ac Dienſem Romanæ donaret Eccleſiæ: Pius acceptauerat: ob quam rem placuit Antonium Noxetanum ad regem mittere, qui donatarum rerum promiſſionem, & promiſſi fidem exigeret. Vltimus terrarum dominus à ſuis olim nepotibus in carcerem fuerat cõiectus: ille moriens vltima voluntate Franciæ regem, ea ſibi conditione nuncupauit heredem, vt ſi quid vnquam ad ingratos nepotes ex ſuis bonis ſineret peruenire, hereditas ad Romanam Eccleſiam deuolueretur; Carolus qui tunc regnabat, oppida quæ teſtatoris fuerant, pleraque exheredaris nepotibus dederat; teſtamentumq; violauerat. Ludouicus ad regnum ſublimatus, quod eſſet Eccleſiæ, reſtituendum cenſuit: data poteſtate Atrebatenſi, qui retenta hereditatis parte vltra Rhodanum ſita, reliquum Pio traderet; idque factum habuit ratum, quamuis præfecti locorum primas eius iuſſiones neglexerint.

Res in Germania inter Maguntinos geſta, Badenſiumque calamitas.

Dum hęc geruntur, in Germania, Carolus Badenſis marchio acceerſitis belli ſociis, fortiſſimum inſtruit exercitum; atque aduerſus Palatinum comitem profectus hoſtilem agrum tanquam horrida tempeſtas inuadit, villas exurit, oppida diruit, ferro & igne cuncta conſumit. Victor nuſquam reperit hoſtem. Augetur animo ſucceſſu rerum, atque inimicum contemnit, comites ſi ſibi auſcultauerint turpem inuſturum hoſti notam ſe dicit, iturum ſe cum delectis equitibus Edelbergium vſque, atque ibi extra mœnia, leporaria & aliarum ferarum ſepta vaſtaturum. Receptum eſt conſilium, cæcos ſecundæ res fecerant. Octingenti equites ex omnibus copiis deliguntur viri fortes equis & armis inſtructiores: iter quod vnum erat inter montes, & Neccarum amnem, qui è Sueuicis agris in Rhenum procurrit, Hedelburgiumque abluit, nihil metuentes ingrediuntur: Palatinus aduentu per exploratores cognito, parte copiarum, quæ à tergo feriat hoſtem in inſidiis collocata, cum reliquo exercitu non expectatus occurrit, & magno clamore manus conſerit. Atrox certamen initur; Badenſes & à tergo, & à fronte vrgentur, nec vltra progredi, nec retro cedere poſſunt: ſola in dextra ſpes manet, clauſa fugiendi via; alter hortatur alterum, in cædem ſummis conatibus itur: & iam Palatini ceſſurus equitatus fuerat, niſi prodeuntibus è latebris pedites longis haſtis, Badenſium equos cõfodere cœpiſſent, ſtragemq; animalium horribilem feciſſent. Ea res Palatino victoriam peperit, quamuis non incru-

incruentam, cum ferox hoſtis etiam cæſo in quo ſedebat equo, in pedes erectus certamen inſtauraret, neque ſe victum fateri vellet niſi vulneratus: ob quam rem Badenſis cum fratre epiſcopo Metenſi, & comite Virtemburgii, multiſque aliis baronibus ac nobilibus captus eſt, & manicis vinctus ferreis in carcerem tetrum raptus. Palatinus exultans, & victis illudens diris modis affecit miſeros. Ea res Dyetheri cauſam apud Germanos haud parum erexit, cuius eſſet Palatinus adiutor, Badenſis inimicus. Pontifex in Abbatia accepto infelici nuntio: *Superbia*, inquit, *noſtrorum ducum res Maguntinas debiliores fecit, non abſtulit: Viuo Pio, nunquam Dyetherus ex auctoritate primæ ſedis Maguntinæ præſidebit Eccleſiæ; & niſi fallimur, victoria, quæ nunc ad hoſtes defecit, cito ad noſtros redibit.*

De regis Franciæ mutato propoſito.

Per idem tempus epiſcopus Ferrarienſis, cum regem Franciæ cõueniſſet, & mandata Pontificis expoſuiſſet, longe aliud reſponſum, quàm ſperauerat accepit. Contempſit omnia Ludouicus, quæ de Turcis aſſerebantur, qui ſuſpicionibus laborans, rem fictam exiſtimabat, vt eo pacto res Siculæ obdormiſcerent. Cum inſtaret epiſcopus, & reſponſa meliora peteret, miſſurum ſe Ludouicus ait breui ad Pontificem legatos ſuos de rebus Siculis, & Turcanicis tractaturos. Interea Henricum Anglia pulſum, in regnum reſtituere velle, quod vno ſe anno facturum non dubitabat. Id cum audiſſet epiſcopus: At ego, inquit, in hanc expeditionem, quatuor tibi annos adiicio, atque his quaſi per iocum dictis receſſit.

Margarita reginæ Angliæ orationes ad regem & ad milites pluſquã feminea.

Margarita Angliæ regina tum forte Ludouicum adierat regno pulſa, quam ferunt in conuentu procerum his verbis regem allocutam: Supplex ad te venio, Francorum gloria, Rhenatus pater meus tuus auunculus, vt genitori tuo regnum pacaret, Henrico Angliæ regi in matrimonium me collocauit: nuptiæ meæ inducias pepere re belli: & Francia, quæ magna ex parte deſolata iacebat, meo coniugio reparata eſt, Verum quietem ego quam aliis dedi, mihi retinere non potui, in candelæ morem exuſta ſum dum aliis affero lucem: Gallica pax in me bellum tranſtulit. Eiecti Angli è regno tuo pacem domi ſeruare non potuerunt: inuenta eſt litis cauſa, Regnum aiunt haud æquo iure viri mei maiores obtinuiſſe; duci Eboracenſi deberi, qui propter ſeditionẽ in exilium miſſus fuerat: Varuici comes pari cauſa eiectus ſocium ſe illi addit; congregant ambo validas manus: Vir meus, quem par fuerat naſci feminam, in poteſtatem illorum venit, qui facto apud Ludonias conſilio, regnum quoad viueret coniugi meo confirmauere, filium exhęredatũt, me hoſtem regni declarauerũt, duci annuum ſtipendium marcarũ auri decem millium ſtatuerũt, & poſt Henrici mortem regni coronam. Pugnaui ego aduerſus ducem, & prælio victum interfeci: virum è manibus hoſtium recuperaui, & regni maiorem partem ad me traxi. Verum mutata belli fortuna, coacta ſum regno cedere cum filio in ſpem regni genito, & cum viro, qui annos ſupra quadraginta regnauit. Ad Scotos confugi eorum infelix auxilia quærens, qui hoſtes regni implacabiles fuerant, neque ſum ſpreta, miſeranda etiam inimicis mea calamitas viſa eſt. Non dubitauerunt Scoti eiectam adiuuare reginam, & hoſpitio confouere benigno. Sed quid agerem? non ſunt Scotorum vires, quæ mihi poſſint regni ſolium reſtituere. Filius Eboracenſis Eduardus in Anglia rex declaratus eſt, & ab vniuerſa fere gente receptus: niſi tu adiuues, meus ſanguis, fruſtra conabor: Tibi poteſtas eſt res Anglicas corrigere, quietum inueniſti regnum, & diues & milite plenum patri ſuccedens, nemo tibi non obedit. Et quid eſt Anglia ad Galliam comparata? Bellatores, qui erant in Anglia quaſi omnes cecidere plus centum millia militum vnius anni abſumpſere prælia; tibi copiæ innumerabiles militant, nec pecuniæ deſunt: miſerere inopis reginæ, & regis eiecti: par tibi & mecum & cum illo conſanguinitas adeſt: illum amita tua genuit, me matris tuæ germanus. Non culpa noſtra regnum perdidimus, iniuria ſumus eiecti. Quid rege dignius eſt, quàm regibus indigna ferentibus opem afferre? Magna tua laus eſt germano meo in regno Siciliæ laboranti pecunias ſubminiſtraſſe: maior quod regi Aragonum aduerſus Cathalanos ſuppetias miſeris, non eſt mihi dubium, quin me quoque, & virum meum, & filium adiuues: neque enim tuos relinques qui non deſeris alienos. In duobus regnis iacentes ſubleuare partes adniteris, & iuſtas protegis cauſas, adiice tertiam. Plures Hercules commemorat antiquitas, & ſub vnius nomine multorũ

opera referuntur;nec tamen digna ſunt,quę tuis æquari poſſint ſi,quod te puto facturum,tris reges ſuis ſedibus per iniuriam pulſos reſtitueris, nouum & maximum Herculem poſteri colent.Nec ego magna ex te peto,frater, decem millia bellatorũ ſi mihi conceſſeris,adiunctis Scotis,& qui mihi tacite in Anglia fauent, Eduardum facile debellabo, & Anglię regnum tibi & omni poſteritati tuæ perpetuæ confœderatum dabo. Hęc tua ſoror flagito, ſi annuis, regnabo iterum, & filium ſucceſſorem relinquam,licebitq; ſepulchro inſcribere Margaritam reginam:quod ſi me deſeris, in exilio moriar,non ſine tuo magno dedecore.Ludouicus his auditis ſororem bene ſperare iuſſit;ſe non Herculē eſſe,neque genus Eacidarum; Francorum ſanguine natum à magno Carolo originem trahere, cui nullus ex antiquis ſit pręferendus, quamuis in Alexandri laudibus ſcriptorum ingenia apprime inſudauerint. Francorũ geſta & occidentem,& orientem impleuiſſe:nec ſub ſole maius inueniri nomē;nolle à ſuis progenitoribus degenerare, quamuis & in Italia & in Hiſpania ingenti ſumptu bellū gerat: non tamen Angliam neglecturum, Gallico generi ſemper infeſtam: Eduardum periurio infamem,qui regem ſuum prodiderit cito pœnas daturum.Nec mora duces deſignauit, qui reginam cum exercitu ſequerentur, poſtulatumque bellatorum numerum decreuit. Quorum ductores,centuriones, ac decanos ad ſe vocatos ſic allocutam reginam tradūt: Non me latet,viri fortes,inter vos eſſe aliquos,qui duram ſibi prouinciam demandatam exiſtiment. Trans mare in Angliam bellum geſturi pergitis,durum à ſtirpe genus hominum & ferocia pectora,quibus olim Gallia ceſſit,vobis occurſura putatis:nihil horum timere oportet. In prioribus bellis omne robur militū cecidit:nemo ex illis viuit,qui Franciam vaſtauere: ipſi per ſeſe Anglici veſtrum ſanguinem vindicarūt:occiſa nobilitate, rudem armare plebem cogentur, cum pauido & inexperto milite manus conſeretis, ſi tamen expectare audeant, & non prius fugiant,quàm veſtra ſigna intueantur. Ite mecum bellatores egregii,ad prædam,non ad pugnam vos duco. Gallorum ſpolia quibus per tot annos ditata eſt Anglia reportabiris,nihil periculi eſt;audere viciſſe fuerit. Si occurrerit hoſtis,quod minime crediderim,prior ego in fronte pugnabo,prior tela excipiam,prior aduerſantes cuneos penetrabo ſecura. Noui Anglorum mores; ſæpe illorum perfregi acies, & multo duriora quàm modo ſint proſtraui agmina. Sequimini reginam, qui puellam aliquando ruſticam ſecuti eſtis:iuſta eſt cauſa quam paratis defendere;præmia victores opulentiſſima reportabitis. Quòd ſi forte aduerſa fuerit pugna, nunquam ego ex eo prœl o fugiam, in quo meus ceciderit exercitus, Vobiſcum aut vincar aut vincam: nec mihi male accidere poteſt,cui pro iuſta cauſa cadenti non deerit retributor Dominus, aut hic aut in altero mundo regnabo;hunc mihi animum mulier ipſa paraui: Vos qui viri eſtis,& bellorum caſibus indurati,haud molliorem induetis mentem. Excepta eſt oratio magno applauſu militum,admirati omnes muliebrem audaciam, & in fœmineo pectore virilem animum, & verba ſenſu plena:puellæ, quæ Carolum in regno ſublimauerat ſpiritum in regina renouatum dicere, ſpem bonam ſibi quiſque præſtare: turpe viris videri minus audere quam feminam. Dant omnes nomina volentes, & ingreſſi naues fiducia pleni in Scotiam nauigant. Ferrarienſis autem epiſcopus rege dimiſſo,ad Philippum Burgundiæ ducem profectus,in Brabantiam penetrauit, quæ olim pars Belgicæ fuit. Placet res Philippi clariores hoc loco inſerere, qui genere Francus ſub nomine Burgundo regnat,& pluribus præſidet gentibus, opibus & belli gloria claris.

De origine Burgundorũ & Philippi ducis inclyti rebus geſtis hiſtoria digniſſima.

Burgundis ferunt originem fuiſſe Romanam:nobis incomperta res eſt: illud conſtat, Burgundiones ex Germania in Galliam penetraſſe, gentem non minus barbarā quàm ferocem, & Romani inimicam imperii,quæ aduerſus Conſtantini magni ſucceſſores varia ſæpe fortuna contendit:eaſque ſibi tandem ſedes obtinuit, quibus poſteri Burgundię nomen indidere.Non imus inficias,multos ex Romanis barbaros,ac pariter ex barbaris Romanos fieri potuiſſe,quemadmodum Valachos vltra Danubiū cernimus, qui ex Italicis aduerſus Sarmatas miſſi, vt fines imperii defenderent, ipſis barbaris barbariores euaſere: quamuis verbis quibuſdam noſtratibus vtantur. Burgundorum campos Arar fluuius irrigat, qui à monte Iura exortus non longe à Lugduno in Rhodanum fluit.Inter Burgundos multi annumerātur populi. Hic Sequani

ſunt & Veſuntiones,quos Dubis præterfluit amnis,& Lingones,& Cauillones,& Matiſcones,& Altiſiodorenſes, atq; horum Celtarumq; fere omnium quondã principes Hedui,inter quos,vt auctor eſt Diodorus Siculus, Alexiam condidit Hercules, & Galathem filium illic genuit:qui additis ad Celtarum imperium Aquitanis,ac Belgis,ex ſe Galliæ nomen dedit. Burgundiam,vt ante diximus, Philippus audax, Ioannis regis Franciæ filius à Carolo fratre,eodemq; rege nomine dotis accepit, cum filiam comitis Flandriæ duxiſſet vxorẽ,cum qua & ipſam Flandriam, & alias pleraſq; terras ſortitus eſt. Nec filio eius Ioanni minus paruit imperium, qui ad paternam hereditatem plurima ex Gallis adiecit. Huic necato Philippus alter nec patre nec auo inferior ſucceſſit;ſub quo mirum in modum res Burgundorum floruere, haud paucis gentibus,qui parentem ignorauerãt,in deditionẽ acceptis. Huic noſtra ętate pręter Burgundos multi Belgarum populi obedierunt,Menapii, Vellocaſſes, Morini, Atrebates,Ambiani,Neruii,& multa veterum nomina,quæ hodie aut in Campania, aut in Brabantia,aut Piccardia,aut in Flandria,vel Hannonia continentur. Acceſſerunt & poſtea Battuaci, quos noſtra ætas Lucemburgenſes appellat, & intra Rheni fluenta Holandini,& Zelandini inſulares homines;& vltra in ſolo Germanico vetuſta gens Friſiorum. His tot tantiſq; & tam florentibus populis Philippus imperans paternę laudis admirator, vt primum per ætatem potuit, equitando ſagittãdoq;, curſu ac ſaltu ad militare ſe robur exercuit,& in diſtringendis haſtis pleno militiæ labore durauit. Prima eius expeditio aduerſus Armeniacos fuit, quæ hoc modo oblata eſt. Iacobus cognomẽto Arecuria vir magnæ inter Gallos nobilitatis Burgundarum partium exiſtimatus, & à Philippo in paucis amatus, in oppidum ſancti Raqueri Ambianenſis agri pro hoſpite admiſſus, hoſtem ſe prębuit: occupatoq; oppido, & Armeniacorum tribus millibus introductis omnem vicinum infeſtauit agrum. Quod vbi Philippus accepit, miſſa exercitus parte, quę hoſtium excurſiones reprimeret, paulo poſt cũ reliquis copiis ſubſecutus ad iactũ lapidis prope oppidũ caſtrametat' eſt, proditoremq; dura obſidione cõcluſit: neceſſitas deditionẽ ſuaſiſſet, niſi conſcientia facinoris ſpẽ veniæ ademiſſet. Superuenere & Delphini litteræ, quæ nutantẽ confirmauere, nuntiantes duodecim millia equitũ per deſertas regiones iter facere, quę obſidionẽ diſſoluãt, iamq; ad quintũ decimũ lapidẽ appropinquaſſe, ſpemq; optimã fore improuiſum hoſtẽ poſſe deleri. Sed neq; Philippũ hęc cõſilia latuere, qui vt Armeniacos ad oſtia fluminis Sonæ perueniſſe didicit, antiquius exiſtimauit intermiſſa obſidione properantibus occurrere, quàm circa obſeſſos pręlium expectare, ne duplici pugna erumpentibus obſeſſis implicaretur. Progreſſus agmine ordinato, vbi ad nonum miliarium peruenit, conſpicatus hoſtes: Armeniacos, inquit, video commilitones,& infeſta contra nos ſigna ferri: adeſte bonis animis; veſtra virtute fretus præliorum hodie ſacris initiabor: aut nomen mihi æternum dabitis, aut extra numerum me hominum facietis. Cum periura gente pugnandum nobis eſt, quæ ducem veſtrum patrem meum, non in bello aut in acie, ſed inermem ſub ſpecie pacis contra ius faſque,& datam fidẽ interemit. Repetet hæc dies à ſceleratis hominib. tanti flagitii pœnas: ſi viri eritis, nihil eſt cur timeatis. Cum his congredimini, quos ſæpe meo ſub patre viciſtis: efficite ne me duce vincere diſcant,& hoc prælium, quod primum ineo, vt proſperum feram totis viribus adnitimini. Atque his dictis iubet ſignum bello dari. Fit concurſus vtrinque alacer, hinc Burgundorum, illinc Armeniacorum nomen in æthera fertur: in dextro cornu Baro quidam nobilis, ducalibus adornatus inſignibus præerat; in ſiniſtro Antonius Croius; mediam aciem Philippus ipſe regebat militari indutus ſago, ne internoſceretur. Vt ergo prælium commiſſum eſt,& aliquãdiu ſumma contentione pugnatum, cœpit in Burgundorum parte dextrum perturbari cornu, cuius ductor Baro, quem veſte ducali indutum diximus, dum ſuos hortatur, atq; incendit, magno hoſtium impetu peruaſus interficitur: cum quo audax quiſque cadit,& ipſa acies incipit cedere: ſed adiuta ab his, qui mediam frontem regebãt, vires recipit, pugnamq; fortius inſtaurat. Tum Armeniacus quidam detractum Baronis occiſi ſagum,& cruentas oſtentans veſtes, tanquam ducis interempti ſpolia, magna voce clamitans: Quorſum veſtra, inquit, audacia ô infelices Burgundi tendit? quid ſibi vult tanta ferocitas? cur pugnatis amiſſo duce? an mortuum recupe-

rare poteſtis: reddite vos potius, & veſtro parcite ſanguini. Cuius dictis eum fidē faceret ſanguinolenta veſtis, cecidere omnibus animi, qui dextro in cornu pugnabāt, & fœda hinc fuga cœpta eſt. Quod vbi Philippus animaduertit, ira & mœrore concitus, non iam victoriā ſperans, ſed honeſtam quæritans mortem, vltro ſe hoſtib⁹ incognitum offert, ibiq; acrius pugnam inſtaurare nititur, vbi ſuos cedere effuſius videt; & modo hunc, modo illum hoſtem feriens, fortiſſimi militis officium implet: ſed vndique gladiis ac lanceis impetitus, mirabile dictu, quamuis duabus transfoſſus militaribus haſtis, non tamen deditionem facit, neq; ſe prodit: fracto enſe, ſecurim quam ad ſellam pendentem geſtabat, fiduciæ plenus arripit, haſtaſq; ipſas quibus detinebatur infringit, atq; extrema conatus, duos qui ſibi vehementius imminebant, ictu ſecuris interfecit, ac per circumiectam hoſtium multitudinem penetrans, ad ſiniſtrum cornu peruenit: quē vbi vidit Antonius incolumem: En, inquit, milites dux adeſt, ſalui ſumus. Incredibilis mox alacritas orta eſt, tantuſq; ardor milites accendit, vt facto ab eo latere concurſu, belli fortuna mutata ſit, victi vicerint, & fugientes fugarint. Reintegrato namq; certamine, non ſuſtinuere Armeniaci vim Burgundorum. Sex millia in ea pugna ex Armeniacis cæſa ſunt, tria millia capta: Sentraillem Pontonum hoſtium ducem Philippus ſua manu cepit, & opima deduxit ſpolia. Ex Burgundis octingenti deſiderati ſunt: nec noſtra memoria tantæ contentionis prælium in Gallia geſtum. Oppidum ſancti Riqueri ſecundum hāc victoriam receptum. Ex quo Iacobus Arecuria clam fuga dilapſus cum paucis euaſit.

Crepi Vitriaci Montiſceleros ſancti Deſiderii, & Melloduni oppidorum à Philippo expugnatio, & Barbaſa captiuitas.

In agro Siluanectenſium oppidum eſt, cui nomen Crepi: hic duo Aquitanorum præfecti Laira, & Cainetus in armis clari frequētibus excurſionibus finitimos laceſſebant; quos Philippus ad deditionem cōpulſos, ſine veſte, fortuniſq; omnibus abire permiſit: Vitriacum quoq; non parui nominis oppidum in agro Campaniæ Cathalanico cæſis plurimis hoſtium expugnauit. Obtinuerant hoſtes per diutinā obſidionē caſtellum quod Monteſeleros vocant, & in eo multos Burgundorum nobiles, inter quos Antonium Vergeium illuſtri loco natum, quos Philippus recuperato oppido libertati reddidit. Hoſtes interea caſtellum ſancti Deſiderii noctu ſcalis inuadunt, & oppido atq; arce potiti Treuiros, atq; Barrenſes accerſunt, vexantq; vicinas terras. Philippus cum parte copiarum Ioannem Vergeium præmittit, paulo poſt cum reliquis ſecuturus. Ioannes cum eo appuliſſet, magno beneficio fortunæ hoſtibus ad excurſionem profectis, vacuo potitus eſt oppido; ſed illis per arcē redeuntibus, tribus dieb. in oppido interdiu noctuq; ſumma cōtentione pugnatū eſt. Poſtremo referentibus pedē de induſtria Burgundis, vt hoſtis ab arce longius eliceretur, & ad firmandā fugę opinionē fracta oppidi porta, cum Armeniaci acriter inſequerētur, Vergeius agmine circumducto reditum in arcem hoſti præcludit, præliumq; fortius inſtaurat. Victi Armeniaci manus dedere, ex quibus tria millia ceciderunt; Burgundi fere mille deſiderati ſunt. Arx capta in poteſtatē Philippi rediit. Mellodunum eo tēpore non ignobile Senonum oppidum, cum Barbaſas inter Aquitanos magnę nobilitatis ac nominis obtineret, Pariſiorumq; agros vndiq; infeſtos redderet, ſtatuit Hēricus Angliæ rex eum in oppido claudere. Et quoniam is vnus ex cōiuratis fuerat, qui ducē Ioannem occiderant, æquum cenſuit ad eam obſidionem Philippum accerſire, qui patrē vlciſceretur. Philippus ita demum ſe iturum pollicitus eſt, ſi Carolus ſenior quoq; rex Franciæ intereſſet; ſic enim expeditionem ſuam plus opinionis habituram cenſuit. Cum veniſſet in caſtra Carolus, mox & Philippus ſecutus, tantas copias ſecum adduxit, vt ei terrori eſſet, cui ſuppetias tulerat. Difficilis obſidio fuit, propter loci naturā, quem Sequana fluuius interiectus oppidum ab arce diſiungens, ita munitum reddit, vt non niſi ternis caſtris intercludi poſſit; quorum alteri alterum nullo ſit vſui. Verum firmata obſidione, & obſtinatis animis aliquandiu ducta, nō machinis, aut inſultibus; ſed fame expugnatum eſt oppidum, & Barbaſas captus, tanquam reus capitis in carcerem coniectus. Inde ad monaſterium ſupra Ionam ſitum Philippus ſe contulit: eoque potitus oſſa patris inde recipiens Diuionem tranſtulit, & funeri iuſta perſoluit.

Delphinum obſidionem

Inter hæc arbitratus Delphinus ſimultates, quæ inter Burgundos & Anglos exoriri cœperant, in dies augeſcere: ſuaſq; partes meliores fieri congregato ex Aquitanis, Aluernis,

Aluernis, Scotiſque non paruo exercitu Lygerim tranſmittit, & oppidum Cones Burgundo ſubiectum inuadit: Quod cum pluribus diebus circumſediſſet, inducias tandem quadraginta dierum pepigit, eo pacto vt arx ſibi traderetur, niſi medio tẽpore à Burgundis è campo deiiceretur. Quod cum Burgundus intellexiſſet, coactis repente triginta millibus equitum ſuppetias tulit obſeſſis: Ioannes Bethfordiæ dux quinque millia pugnatorum ex Anglicis in eam expugnationem adduxit, non magnam militum manum, ſed quæ magna facere & poſſet, & auderet: verum tantam contra ſe vim paratam non expectans Carolus obſcura nocte, ſoluta obſidione trans Lygerim ſe recepit. Victor Philippus more maiorum erecto lapidum aceruo trophæum ſibi conſtituit.

aduerſus oppidum Conas ſoluere Burgundus cogit.

Circa idem tempus Iacoba excellentis formæ femina Holandiæ ac Zelandiæ princeps Ioanni Brabantiæ duci nupta cum aliquando in colloquium ducis Cloceſtriæ regis Angliæ germani veniſſet: atq; vt eſt eiuſce gentis mos, venereum facile ſermonem commiſcuiſſet, miſeram ſe ait, quę virum ſortita frigidum atq; impotentem, matrimonio vti non poſſet. Clocester, qui ſine cõiuge eſſet, neq; forma careret egregia, ſtultam eſſe feminam dixit, quæ non viro nupſiſſet: aut poſtquam ſciſſet impotentem, in eo coniugio perſeueraret, in quo matrimonium eſſe non poſſet, ſeq; coniugem obtulit, niſi ducem Cloceſtriæ regis fratrem, ætate florentem, forma quam videret ded gnaretur. Mulier quæ mater fieri, & virum qui vir eſſet amplecti cuperet, vbi tantum ſponſum offerri ſibi cognouit, non recuſauit cõditionem: ſed vt primum potuit, ad illum diuertit. Conſanguinea hæc Philippi fuit, ad quem per obitum eius duæ illę haud cõtemnendæ prouinciæ Holandię atq; Zelandiæ redituræ erant: at ſi filios peperiſſet ad Anglos venturæ. Anxius ſuper his Philippus, Cloceſtrem monet, terras Iacobæ vt quamprimum relinquat, cuius adulter non maritus eſſet. Ille ſe iure poſſidere bona coniugis ait: Philippum iniurium, qui ſibi in conſanguinea exprobret adulterium. Vterque bello ſe accingit: rex Angliæ ſe fratri minime defuturum ſcribit, cui Philippus neque ſe ſuam hereditatem relicturum reſpondet. Vtriuſq; dura conditio: Philippo ſi hanc pugnam aggrediatur, hinc Angli, inde Franci timendi: Henrico Francorum & Burgundorum arma cauenda, cuius frater dux Clarentiæ nouiſſime apud Andos in pugna ceciderat. Conſuluit igitur rei ſuæ Henricus, ac Burgundo reſcripſit amicorum controuerſias iure melius terminari quàm armis: daturum ſe operam, vt frater iudicio ſe obliget, rogare itidem Burgundus faciat: nec recuſauit Philippus, quamuis protrahi tempus à poſſeſſore cognoſceret. Itum eſt ad Martinum quintum Pontificem maximum, qui re cognita inter Cloceſtrem & Iacobam non matrimonium, ſed adulterium eſſe declarauit. Clocester ſententiam ſummi Præſulis paruipendens cum poſſeſſioni terrarũ, tum complexibus adulteræ fortius hæſit. Burgundus poſtquam iudicio ludificatum, animaduertit, miſſo feciali qui bellum Cloceſtro indiceret, ad arma proſiliit. Annonia haud magna terra eſt Brabantiæ cõtigua, verum vbere ſolo diues, & Sambro flumine irrigua: duo & viginti oppida continet, totidem baronum familias, & pari numero locupletes monachorum conuentus: Hanc quoq; cum Holandia ac Zelandia coniugis nomine Clocester obtinebat. Huc primo impetu ſeſe cum copiis Burgundus inferens, Halzium oppidanorum deditione in poteſtatem recipit. Exin Brennam machinis oppugnatum occupat, atq; occiſo præſidio ſpectante Cloceſtro, qui ſuppetias laturus non longe aberat, diripuit atq; incendit. Tum diuiſis copiis Croium ac Ioannem Lucemburgẽſem ad obſidendum Montenſe oppidum miſit; ipſe cũ reliquo exercitu ad oppugnationem Nalancenarum profectus eſt: cum ſæpe fruſtra pugnandi copiam hoſti feciſſet. Vrgebatur in dies Clocester, nec ſpes vlla ſalutis erat, deficientibus ab eo in dies ſubditis: nec multũ abfuit, quin & ipſe in poteſtatem Philippi veniret. Sed qui ſe armis ſeruare non poterat, aſtu ſalutem quæſiuit. Scripſit Philippo indignum eſſe duorum hominum contentione tot oppida, totq; hominum millia periclitari, æquius ſingulari pugna certamen fieri, ſe illi accincturum, ſi conditio recipiatur, vt victori omnia cedant, de quibus lis agitur. Quam rem facile à magnanimo principe impetrauit, ac eo pacto conſtituta die in Angliam transfretauit. Sed homo nõ tam armis, quàm plumis & libidinibus aptus, magnificis quæ iactauerat verbis haudquaquam ſatisfe-

Bellum Philippi aduerſus Cloceſtriæ ducem, & Annonia Holandiæ atque Zelandiæ expugnatio.

cit, nec tanti famam, quanti vitam duxit. Ob quam rem cum non rediiſſet ad præſtitutam diem, omnis ab eo Annonia defecit. qua recepta Burgundus nihil cunctatus, in Holandiam atq; Zelandiam duxit, quę prouinciæ propter maris commoditatẽ facilius ab Anglicis tutabantur, quibus & Traiectenſes fœderati erant, Validus in armis populus. Sed dum oppidatim, vicatimq; vincere oportet, bellum ſeptẽ annis protractum eſt. In Traiectenſium agro vicus fuit, cui nomen Lemnes, hunc circumfluit amnis, alueo vtrinq; latiſſimo, verum niſi mare redundet, terreſtri ſiccitate tenetur: vbi vero excrementa maris aſſurgunt, quod quotidie fit adeo extollitur aqua, vt non ſolum triremes, ſed etiam onerarias, cętheaſq; naues importet. Hic Philippus Lateritium mirabili celeritate & artificio caſtellum inſtruxit adeo munitum, vt nullis poſſet perfringi machinis, quod iniectum ligneis trabibus, æſtu recedente, in terra ſubſideret, redeunte vero tanquam nauis eleuaretur in altum; impoſitoque præſidio, nec Traiectenſes negotiari permiſit, neq; commeatuum aliquod genus ad eos deferri. Ob quas res interdicta negotiatione, ac fame coacti Traiectenſes multo auro pacem emerunt; ſecundum quam & Holandini Zelandiniq; manus dedere.

Enembergii difficillima expugnatio, & Anglorũ magna cades.

Reſtabat in medio mari ſitum Enembergium, quod Flandriæ obiectum quaſi ſpecula quædam mercatoribus Holandinis Zelandiniſq; magnã moleſtiam inferebat, cum loci dominus Anglorum partes enixiſſime tueretur: difficillima eius oppugnatio videbatur, nõ tamen nõ tentanda Philippo, qui rem arduiſſimam adortus, quicquid nauium ſub imperio ſuo inueniri potuit, huc nauigare iuſſit, obſidionemq; duriſſimam oppido adiecit. Res erat non tam obſeſſis, quàm obſidentibus aſpera & periculoſa, cum venti Aquilonares abſq; intermiſſione flantes, claſſem impellerent, ac nonnunquam eleuatis fluctibus vſq; ad murorum pinnas extollerent; nauigia vero partim inter ſe colliſa, partim hoſtilibus icta tormentis dehiſcerent, atque in profundum multa raperentur. Intoleranda res omnibus viſa, neque humanis ferenda viribus: ſed miles duratus malis, & principis patientiam admiratus omnia pertulit. Quartum & decimum menſem ducta eſt in anchoris obſidio; ſæpe oppugnatio tentata, ſæpe à muris repulſa vis. Poſtremo victrix omnium fames oppidum Burgundis aperuit: præſidium Anglicum relicta per ignominiam veſte dimiſſum eſt. Multæ ibi Anglorum opes repertæ, & ingens capta præda Philippo non paruo empta, quem bis decies centena millia auri nummum in hanc expeditionem aduerſus Clocceſtrem ſeptennio ductam expoſuiſſe perhibent. His actis nuntiatum eſt Anglicos claſſe in Zelandiam vectos apud oppidum Broſlauum expoſuiſſe copias: aduerſus quas profectus Philippus ſex millia hoſtium cecidit, pauci fuga ſaluati ſunt, multos vnda ſeſe præcipitantes abſorbuit.

Baſtardi defectio, & apud Treuantum durum, atque anceps prælium, Philippiq; tandẽ de Armeniacis clara victoria.

Inter hæc Baſtardus cognomento Palma inter Allobroges non ignobili loco natus, cui præfecturam Treuanti oppidi apud Ionam ſiti Philippus crediderat, pecunia corruptus ad Ameriniacos defecit: & relictis decẽ in arce cuſtodibus ad Delphinum profectus eſt, ſuaſurus vt exercitum eò duceret; futurum, vt recepto Treuanto magnas Burgundis clades inferat. Quem cum Delphinus audiſſet, probato conſilio duodecim millibus Scotorum, & Aquitanorum non paruis copiis congregatis, iter ingreditur. Interea res apud Treuantum mutata eſt. Duo erant in arce, qui defectionem Baſtardi ægre ferebant: ii reliquos ad cœnam inuitant, quorum alter dum bibitur, quaſi allaturus cibos ad turrim proficiſcitur, in qua Burgundi non pauci captiui detinebantur, atque hic ſecuri arrepta, quattuor ictibus, quattuor turris cuſtodes interficit, & liberatis captiuis, cum his arcem in ſuam poteſtatem recepit, ac Philippo conſeruauit. Audax facinus, & digna ingenti præmio fides: iam ad vigeſimum prope lapidem Armeniaci conuenerant, cum renuntiatum eſt, Treuantum in poteſtatem Burgundi rediiſſe. Territi hoc nuntio retrocedere voluerunt; ſed aſſerente Baſtardo oppidum frumento vacuum, ſi obſideretur diu retineri non poſſe, appropinquantes opportunis locis caſtra poſuerunt. Collis eſt è regione oppidi ad Burgundiam ſpectans, hunc Aquitani & Aluerni munierunt, ne aut importari cõmeatus in oppidum, aut excurſio à Burgundis fieri poſſet. Ex altera parte Iona fluuius paruo ſpacio relicto ab oppidi muris excurrit nõ minor Arari: hoc interuallum

Scoti

Scoti occupant,foſſamq; ſex altam pedes effodiunt,&aggerem ſtruunt,ne quam oppidani irruptionem tentarent. Erat & alius collis ad eam partem, qua pons iniectus eſt amni,hunc Vaſcones & Pitaui inſederunt: ſic pluribus diebus obſidione ducta, fames premere oppidanos cœpit,qui poſtquam nihil adeſſe ſpei deficientibus eduliis putauerunt,deditionem parauere. Sed cum legatos ad hoſtes ituros, quid dicant quaſve petant conditiones inſtruunt,in campo, qui transflumē paſſus fere mille patet,equitatum aduentantem conſpicantur,cuius vexilla diligentius intuentes, inſigne Philippi cognoſcunt, animumq; reſumunt, & alter alterum cohortantes, expectandum rei exitū cenſent. Interea Thomas Montacutus Salesbericēſium comes mille & quingentos Anglicos ad Burgundum ducit, fortē & electam manum. Feruere Burgundorū animi,pugnāq; alacres petere:ſed fluuius certamē impediebat, cuius erāt ignota vada,nec hoſtes in colle locati pugnæ copiā faciebant: ſatis eſſe ducentes obſidionē tenere. Burgundi laceſſunt eos,qui ponti præerant,quorū tres cū longius à ſuis exiſſent,nec redire poſſent intercluſo itinere,in fluuiū ſeſe præcipitāt,in quo ſiue prius tētauerant,ſiue ſors fuit,incolumes reperto vado ad ſuos peruenere. Quod intuētes Burgundi,&ipſi vadū occupant,Scotoſq; adoriri feſtinant. Accurrunt illi prohibituri tranſitum;fit prælium in ripa fluminis atrox,& anceps:ſed cōuerſis huc Scotorum viribus oppidani tranſmiſſa foſſa aggereq; dirupto,Scotos à tergo feriunt. Dura belli facies diu marte dubio; poſtremo victor Burgundus campo potitur: Scotorum manus,in qua duodecim millia militum eſſe diximus, vſq; ad internecionē cæſa,nemo fugam molitus eſt:mille tantum viui in poteſtatem Philippi peruenere. Aquitani,&Pitaui,qui collibus inſederant,nullam ferre opem Scotis potuerunt,impediente Thoma,qui cum Anglicis medium iter inſederat. Ii poſtquam ſtragem ſuorum viderunt,ſpemq; fruſtratam,fugæ ſe commiſerunt; ſed inſecutus, hoſtis multos eorum cepit,duo millia interfecit. Ioannem comitem Dunois, quem Franci ſuum appellant Neſtorem,dicere ſolitum ferunt: Delphino nullo in bello tantum vulnus illatum,nec vſquam minus fugæ plus cædis fuiſſe.

Gandauorū aduerſus Philippum rebellio, clariſſimaque de eis victoria.

Dum hæc aguntur,noua belli materia apud Gandauos exoritur. Ii ſunt Flandrenſes populi,quos quidam apud veteres Vellocaſſes appellatos exiſtimant. Tres hic viri domo profugi fortunæq; tenuis pernicioſam docuere philoſophiā: aſſerentes omnes homines natura ingenuos naſci,nec legibus,nec magiſtratibus, nec principe opus eſſe:atq; in ea libertate viuendum,quam naſcenti cuiq; Deus dediſſet. Hæc cum publice,atq; in foro prædicarentur,tumultus exoritur: alii pellendos ex oppido iudices,alii retinendos dicunt: ſed creſcente ſeditione,cum res prope ad arma ventura eſſet,vnde plures erant, inde omnes fuere. Eiecti ſunt vrbe magiſtratus, omniſque principis reuerentia procul poſita: viuere in communi optimates cum plebe; nihil proprii retinere: Platonicam ciuitatem imitari. Egreſſi oppidum vicina caſtella nobilium,qui eam dementiam aſpernarentur infeſtare: captaque diripere atque incendere. Quibus cum ex Anglia Clocester, Delphinus ex Francia ad delendum Philippi ſtatum auxilia promitterent, non paruo in diſcrimine res Burgundorum poſita eſt. Quod intelligens Philippus,concitatum vulgus non ſuaſione verborum, ſed vi armorum domandum eſſe putauit: coactiſque raptim duodecim millibus pugnatorum in perduelles pergit, ſed cum illi vltro pugnam expoſcerent, indignum ratus nobiles,atque illuſtres viros abiectiſſimæ plebi obiicere, collem occupat, qui hoſtium caſtris imminebat,indeque ſagittis vulgus conficit. Irritati Gandauenſes egreſſi munitiones,impetum in hoſtes faciunt, in quos Philippi equitatus irruens, ac peditum phalangem interrumpens, ſtragem permagnam edit. Fugiunt Gandauii, amiſſiſq; tribus millibus in caſtra reuertuntur; atq; inde tenſis manibus veniam petunt,quæ his legibus data eſt; vt traditis armis poteſtas Philippo fieret ducentos ex eis ad ſupplicium rapere ſeditionis concitatores: trecentum millia auri nummum pœnam penderent; plebiſcita nulla haberent, niſi quæ Philippus indulgeret. Paritum eſt: thoracum, caſſidum, loricarumque ſupra octuaginta millia tradita: pœna perſoluta, plebiſcita correcta, ducenti ad necem rapti concitandæ plebis auctores.

De Philippi aduerſus Lec

Puellaria circa hoc tempus bella ſuboriuntur, quæ iam dicta non repetemus;

dienſes propter turrim Nammurcēſem bello, eorumque deditione, & Brabantiæ hereditate, ac Aualonis oppidi recuperatione.

ſed ad nouam Leodienſium litem, quæ poſtea nata eſt, tranſitum faciemus. Ii turrim rurſus erigere conati ſunt, quam Ioannes Philippi pater in agro Nammurcenſium demoliri iuſſerat oppido Bouinarum oppoſitam. Quod cum Philippus cognouiſſet, aut deleri turrim iubet, aut expectari bellum. Leodienſes verba dantes, quibus tempus traherent, interim octuaginta millia hominum in armis cogunt, & agro Nāmurcenſium vaſtato Bouinarum oppidum obſidione cingunt. Philippus Antonium Croium cum duobus millibus equitum præmittit, qui hoſtes frumentatum ire prohibeat: huic Traiectenſium octo millia armatorum occurrunt, cum quibus ex improuiſo commiſſo prælio victor euadit: captiſque duobus millibus hoſtium Namurcum ingreditur: quo ex loco adeo hoſtes infeſtauit, præcluſa cōmeatuum via, vt inopia frumenti obſidionem compulſi ſoluerint. Interea mortuo Philippo Brabantiæ duce hereditas eius ad Burgundum defertur, qua re magis ac magis fracti animo Leodienſes populariter domum egrediuntur, & epiſcopo ſuo duce Macliniam petunt, Philippi miſericordiam imploraturi: quo in loco cum aliquandiu ſine ſpe veniæ moram traxiſſent: demum ante palatium principis, & in medio foro lacrymantes in terram proſtrati ſupplices orauere, vt quibus Philippus vellet pacem legibus daret: quorum precibus ſuperata boſtis indignatione, huiuſmodi reſponſum obtinuere: Quia non veſtri iuris eſtis, ſed Eccleſiæ ſerui, inſolentiæ veſtræ ignoſcitur, & culpa Eccleſię condonatur. Ite & pacem contribulibus veſtris referte: verum ſcitote turrim, quam erexiſtis, demoliendam eſſe: Vicos quos exuſſiſtis reficiendos, impenſaſque belli reſarciendas: quarum nomine ducenta millia auri nummum vt conferatis oportet. Dura lex viſa Leodienſibus: ſed neceſſitas leuem reddidit. Poſt hæc caſtellum Aualonis, quod per furtum Delphini milites occupauerant, longa obſidione à Burgundis recuperatum eſt, & in circuitu oppida quædam deuicta, & Hiſpani atque Itali ſeptingenti in eis comprehenſi, quoniam ius gentium violaſſent: nonnullis legatis vim inferentes, partim furca ſuſpenſi ſunt, partim in Ararim fluuium demerſi.

Philippi de Rhenato rege memorabilis victoria, regiſque captiuitas.

Memoratu dignum & illud eſt prælium, quod Vademontenſis comes auxilio Philippi, & auſpiciis geſſit aduerſus Rhenatum Siciliæ regem, quamuis tempora nō cohærent. Lothoringia Galliæ prouincia eſt non procul à Rheno Moſellæ amni circumiecta à Lothario rege nomen accepit, cui cum fratribus regnum Franciæ diuidenti ſorte obuenit. Huic noſtra ætate Rhenatus præſuit dux gentis ab imperio conſtitutus: intra fines Lothoringiæ comitatus Vademontenſis clauditur. Hunc Rhenatus octo & decem millium equitum, peditum viginti millium congregato exercitu vaſtare adoritur. Comes in aula Philippi nutritus, opem ab eo petit: deliguntur ex Burgundis quatuor millia equitum, ex Piccardis mille & quingenti ſagittarii, qui comitem ſequantur, excurſiones hoſtium prohibituri, donec maiores mittantur copiæ: Antonii duo, alter Vergeius, alter Toloſanus periti duces adduntur. Rhenatus præcipuum comitatus oppidum obſidebat ſpe plenus, ſeptem & decem principum Germanorum adiutus ſuppetiis. Qui vt per exploratores accepit aduentare Burgundos, cognita hoſtium paucitate, intermiſſa obſidione ordinato agmine obuiam pergit in campis patentibus pugnaturus. Barbaſas eo die primam ſorte ducebat aciē, rei militaris peritiſſimus: Qui vbi conſpicatus eſt Burgundorum vexilla retrohaſtas, quaſi nullum ſentirent flatum directa ferri, contra Rhenati modo ad dexteram, modo ad ſiniſtram verſa circūferri, & cum vento luctari: heu quam funeſta nobis, inquit, pugnaturis inſtat dies? Rhenatus ſi ſapiat prælio abſtinebit: nec moratus regem adiens, pugnam diſſuadet: quia & ſi pauci eſſent hoſtes, ex ſignis tamen quæ videtat, vinci non poſſent. Cui Rhenatus: ergo paucis multi cedemus, & in medio Lothoringię, quæ nobis patria eſt, Burgundi trophæum ſtatuent? non patiar. Laudauere ceteri regis animum, atq; vltro prælium petiuere, præcipue Comerzeius Theutonici ductor auxilii: mittitur tubicen, qui pugnam denuntiet hoſtibus: cui Vergeius: Venimus, inquit, neque aſſueti fugere, neque ſoliti arma ponere niſi cruore aſperſa. Hæc Burgundi reſponſa remittunt. Erat locus, in quo Burgundi conſederant dumis ac virgultis à dextris circumſeptus ac defenſus; in ſiniſtra parte foſſam natura produxerat, quatuor pedibus altam: hic ænea locauere tormenta, equeſtrem impetum retentura: à tergo carros, quos adduxerat multos locauere. Exin dimiſſis equis, pedeſtrem phalangem

langem grauioris armaturæ militum in fronte explicauerunt;cornua ex medio exercitu mixtis ſagittariis produxerunt, palis in terris coram ſe defixis, qui hoſtis equitatum prohiberent. Rhenatus peditatu haud procul dimiſſo, cum duabus turmis equitum hoſtem à fronte petiturus Comerzeium,qui vel à tergo,vel à latere Burgundos laceſſat, cum reliquo equitatu ire iubet. Ipſe prior pugnam iniit. Comerzeius tranſilire foſſam conatus, tormentis repulſus ad carros ſe confert, ibique certamen atrox committitur. Burgundi & retro & ante inuaſi haud ſegniter ſe tuentur: ſuccubuiſſent tamen vrgente Rhenato, niſi clamor exortus Theutonicos equites effugere nuntiaſſet: Comerzeius enim ſpiculis ac tormentis à carris eiectus, tam fœde fugere cœpit, quam paulo ante magnifice capeſſendum prælium ſuaſerat. Hac audita voce, Burgundi erectis animis alacres inſtaurauere certamen, hoſtibus manus ac brachia ceciderunt, ſola in pedibus ſpes relicta ſalutis. Victor Burgundus ingenti præda ditatus eſt. Rhenatus captus, & nonnulli principes cum eo. Mira res, & apud poſteros caritura fide. Quinque hominum millia, octo & triginta millia fuderunt,tantum in bello Dei poteſtas conſpicitur. Signa militaria octo & centum intercepta:ex hoſtibus tria millia cæſa: viri nobiles mille,& ducenti capti:ex Burgundis ſeptingenti periere. Nihil tam in bello nocet,quàm hoſtem contemnere.

Sigiſmundi Cæſaris ad Philippum ſuperba mādata, Philippiq; magnanimum reſponſum, & Grancenſis oppidi deditio.

Sigiſmundus Imperator circa idem tempus Baſileam venit: indeque more gentis, Eraldum, quem fecialem poſſumus appellare, ad Philippum miſit, qui Brabantiam, Holandiam, Zelandiamq; ab eo repeteret, neganti bellum indiceret. In litteris quas ſcripſit, Imperatorem ſe Romanorum Germanorum, Hunnorum, Bohemorum,& aliarum multarum gentium regem ac dominum appellauit,& magnifica facta maiorum inſeruit. Philippus in aula ſplendide ornata, aurea innixus ſella, multis proceribus circumfuſis, audito nuntio ita reſpondit. Redi ad Cæſarem,atq; hæc renuntiato, bellum mihi eſſe cum Franco rege, cuius Grancenſe oppidum obſideo, hoſtis meus ſibi amicus eſt; ferat opem obſeſſis, non longum eſt iter, ibi pugnandi copiam facio. Sin hoc recuſat, dicito inſtare mihi duellum cum Carolo ad ſexageſimam diem ſingulare certamen, niſi fallit me hoſtis, inibimus:illo peracto, diem ſtatuat Sigiſmundus, ſigna quocunque in loco voluerit pugnaturus conferam: bellum offert, bellum accipio. Non ſum ego Imperator, neque mundi dominus: verum magni Caroli ſanguis, quem verba terrere non poſſunt. Atque his dictis auream veſtem exuens Eraldo dedit. Deinde cum neque Francus ſubueniret obſeſſis, aut ſingularem ingredi pugnā auderet, neque Sigiſmundus præter querelas & ampulloſa verba quicquam attentaret, Grancenſes in deditionem accepit, transfugas coniecit in vincula, milites alios nudo pede ignominiæ cauſa ad Carolum & Sigiſmundum reuerti iuſſit; atque in ſignum recuſati duelli trophæum erexit.

De Philippi bello feliciter geſto aduerſus Borbonium ſororis ſuæ virū eū prouocantē, ſororiſq; oratione, & Philippi ingenti clementia.

Carolus quoque Borbonii dux, qui olim puer in aula Ioannis fuerat educatus, & filiam eius Agnetem Philippi ſororem duxerat vxorem, Burgundorum armis circa idem tempus correctus eſt. Immemor enim affinitatis, ex oppido quod Chirnonim vocant, infeſtare Burgundiam cœperat, ac Martiniacum intempeſta nocte admotis ſcalis inuaſerat. Quod cum Philippus accepiſſet ſumptis tumultuarie armis in Alternos duxit: ac leuibus quibuſdam præliis Borboniorum preſſit audaciam: hos quidam Boios eſſe putant à Iulio Cæſare in finibus Hæduorum collocatos. In caſtellum Dunois multi ſe hoſtes receperant: hoc Burgundi noctu cremauerant, præſidium cum validus flaret Aquilo clam profugit. Profectus Martiniacum Philippus primo impetu muros irrupit, & cæſo præſidio arcem cuniculis cepit, atque omnem late regionē exuſſit. Cum Franci copias in agro Lugdunenſi apud Ararim conſediſſe didiciſſet, pugnæ cupidus ad eos properauit: quibus non expectantibus, pro ſuo more trophæū erexit, nec cunctatus oppidū Bellæuillæ obſeſſum iuit: florida iuuentutis præſidium inerat,& ardentes bello viri: qui vbi appropinquaſſe Burgundos mœnibus, non tam caute, quàm fortiter aduerterunt, eruptione facta, non paruam cladem hoſtibus intulere, cæſis ſupra centum ex his, qui fortitudine audaciaque præſtabant; maiorique damno Burgundos affeciſſent, niſi Philippus cognito periculo è caſtris ſublato clamore cum Atrebatibus, ac Morinis ſagittariis accurriſſet; cuius tam velox fuit aduentus, vt reditum in oppidum multis præcluſerit; cepiſſetque deſperata oppidanorum

ſalute Burgundis ſimul intrantibus, niſi receptui ecciniſſet. Exin firmata obſidione duobus menſibus quaſſata machinis mœnia ſunt; & fames oppidanos inuaſit. Aluerni interea congregati montem propinquum occupant, ac prælium Philippo denuntiant, magniſque rumoribus hoſtem irritant. Philippus nihil cunctatus, expeditum militem è caſtris educit, atque ad prouocatores profectus copiam pugnæ facit. Illi mutato conſilio, non auſi congredi, non ſine turpitudine fugam arripuere. Philippus monte potitus tanquam victor illic tota die conſedit, ſequenti luce reuerſus in caſtra obſeſſos per cuniculos prodeuntes multa intuliſſe obſeſſoribus damna comperit: quibus breui reſarcitis ad oppugnationem ſolito acrius incubuit. Milites, qui præſidio inerant, ſpe deſtituti, ea lege deditionem fecere, vt exarmati pedibus abirent, oppidanos prædæ relinquerent. Suaſit omnia neceſſitas, diues oppidum Burgundi diripuere. His geſtis rigente iam bruma Philippus Auaticum conceſſit, quod hodie Niuernum vocant. Huc Agnes profecta quinque liberos ſecum adduxit tenera ætate: quæ poſtquam in conſpectum Philippi venit, diu fratris obuoluta genibus loqui non potuit, crebris ſingultibus ac ſuſpiriis impedita: ſed erecta tandem manu fraterna in hunc modum effari cœpit. Querar an precer incerta ſum, frater; quando nec querenti iudex, nec precanti princeps idoneus adeſt. Si dixero bellum iniuſtum, quod ſorori ac nepotibus intuliſti; quis te mihi condemnabit? ſi precabor, vt ignoſcas viro, cui te volẽte denupſi, miſericordiã excludet ira. Infelix ego mulier, cui nec orare licet, nec conqueri: experiar tamen vtrumque fortuna vel inuita: tu mihi vt ſorori, non vt hoſti præſtabis aures: querelas primũ aggrediar, in quibus nõ illud accuſo, germane, quòd viro meo bellum intuleris: ſtulte ab eo factũ eſt, qui te prouocauit, neq; affini pepercit, neque accepti beneficii fuit memor: Illud queror, illud damno, ac deteſtor, quòd tam pertinaci animo bellum ſuſceperis, vt placari nullo modo queas. Eſto enim irritauit te vir meus, & iniurius fuit, at cognouit errorem, pœnas dedit, mulctatus eſt, ſuperauit pœna delictum, vaſtatus ager, iuuentus occiſa, maior principatus adempta pars; petitur venia; quid amplius quæris? Nulla ne iræ tuæ finis eſt? an non aliquando poſt victoriam miſericordiæ recordaberis? Siccine tecum agere Deum velis, & non aliquando placatum iri? Cuncti Deum clementẽ, magis quam ſeuerum optamus, & miſericordiam præire vindictam cupimus: tu etiam vltione peracta veniam denegas. Quid ſi te Barbarus aliquis appetiſſet ferro, nunquid pepercisſes humiliato & ſupplici? Nunc vir meus adeſt, qui te pacem rogat nobiliſſimo genere natus; & tu vultum amoues? Heu me miſeram, quæ dum virum amo, fratrem odiſſe videor: dum fratrem colo, virum perdo. Et quis modus erit hos inter repugnantes affectus? Te mihi natura fratrem dedit, permiſſio Dei hoſtem fecit; hos ego tibi nepotes genui, tu horum patrimonium vaſtauiſti, quorum tutorem eſſe decebat; ergo idcirco me viro tradidiſti, vt mendicaturos gignerem, & mea ſoboles tuus ſanguis oſtiatim quæreret panem? En filioli huc adeſte, quin fletis cum flente matre, & auunculum piis lacrymis placatum reddite patri? Non intelligũt puerul ſuam calamitatem, cogita frater, quæ maiuſculi dicerent. An non te infantilis commouet ætas? an nihil in te poteſt fructus mei ventris? an ſi captiuum patrẽ in vincula conieciſſes, ſtatuiſſeſq; perdere, his non traderes? Aut his parentis, mihi viri concedito patrimonium, aut ſi non cadit ira, in me vindica delictum. Vtinam virgo apud te periſſem, quãdo hæc ſtipendia matrimonii fero. Vtcunque res ierit, hos tibi educandos ſcito. Nec plura locuta, cadentibus vbertim lacrymis, in ciulatum ſe conuertit. Ad quã Philippus: Indignus erat vir tuus, inquit, cui pacem daremus, niſi te duxiſſet vxorem. Viciſti ſoror, tuis precibus bellum ſoluimus: iuſſitque Carolum acerſiri; cui aduenienti, & multa in excuſationem ſuam dicere paranti ſilentium impoſuit, quoniam ſublato bello, non eſſent audiendæ querelæ: atque hæc addidit verba: Ego tibi Carole pacem reddo, tuiſq; liberis omnia dono, quæ de Aluernis armis quæſiui; tu deinceps amicitiam meam experiri potius quàm arma curato. Sic pax firmata eſt, ſecundum quam paulo poſt in Atrebato de concordia inter Francos & Burgundos conuenit, in qua diligentem nauauit operam Borbonius vtriq; parti acceptus. Hęc de Philippi bellis retuliſſe ſat fuerit: quorum aliqua idcirco in vltimis reſeruauimus, quia iam aliis ſcriptis ad noſtrã notitiã peruenere, quamuis tempore præceſſerint; multa prætermiſimus, quę non ſatis explorata fuerunt.

Ægro-

Voluntas Burgundi aduerſus Turcam, & Franci impedimentum, reditusq; Ferrarienſis.

Ægrotabat apud Burſellam Philippus morbo periculoſiſſimo cum Ferrarienſis epiſcopus ad eum venit: id eſt oppidum Brabantiæ nobiliſſimum, ad quod ſæpe diuertere principes ſolent, quod ędes ibi pulcherrimas habent, & venationes multiplices. Triduo cum expectaſſet Ferrarienſis conualeſcentiam ducis, tandem admiſſus eſt: & aſtantibus epiſcopo Tornacenſi, Carolo ducis filio, atque Antonio Croio, Pontificis legationem expoſuit, & litteras manu eius ſcriptas reddidit: Quibus recitatis Philippus ex lectulo in hunc modum locutus eſt: Victuram febrim, & me prorſus extincturam non dubitabam, adeo iam vires omnes ademerat: ſed tu mihi, Epiſcope, ſanitatem attuliſti cum iſtoc nuntio tuo: iuuat Pontificis animum intellexiſſe, quem video ſuæ dignitati conuenire. Nullam ob cauſam tam dura mihi & acerba mors videbatur, quam quod Turcis inultam patris mei captiuitatem relinquebam. Nunc ſpem concipio, & patrem meum vltum, & reipublicę Chriſtianæ optime conſultum iri, quãdo is Pontifex nobis datus eſt, qui curam religionis habet, & exemplo boni paſtoris paratus eſt pro ſuis ouibus animam ponere. Ego ſi conualuero, quod minime dubito, non ſolum voto meo faciam ſatis, ſed omnia conabor exequi, quæ Pius mandauerit, iuſſitque conſiliarios, qui aſtabant, cum Ferrarienſi de numero militum, qui eſſet ducendus, de machinis præparandis, de pecuniis cogendis, de itinere faciendo colloquium habere: nec alia Philippi cura erat quam conualeſcere, & ſe aduerſus Turcas præparare. Interea Ludouicus bello in Anglos decreto, Philippo mandat, vt & ipſe aduerſus Eduardũ Anglici regni vſurpatorem, quem ipſe hoſtem ſuum declaraſſet, arma moueat. Quæ res mirum in modum Philippi animum perturbauit: Miſit tamen ad Ludouicum rogatum ne ſe bello Anglico implicaret, neve cogeret Eduardo pacem infringere, quam ſe ſuaſore atque impulſore ea lege feciſſet, vt ſolui non poſſet, niſi ante annum reuocata: eſſe animum ſibi aduerſus Turcas expeditionem ducere, fineret ſe rem fidei agere, & Romano Pontifici obedire. Ferrarienſi vero vt ad Pontificem reuerteretur dixit; & animum ſuum referret, & impedimenta regis Franciæ: miſſurum ſe Octobri menſe legatos Romam, qui omnem ſuam deliberationem exponerent. Neque hoc fecit, cum nullam ex Ludouico certam excerpere concluſionem potuiſſet: & Leodienſes res moliri nouas viderentur aduerſus epiſcopum ſuum, quibus Ludouicus fauturum ſe promiſerat, nec Philippus è re ſua ducebat epiſcopum indefenſum relinquere. Hæc Ferrarienſis ex Galliis reportauit ad Pium, qui iam Pientiam ſe contulerat.

Profectio Pontificis ad Pientiam, & præſtantiſſimorum ædificiorum deſcriptio.

Ægrotauit in Abbatia Pontifex, & artetico dolore per diem noctemq; decubuerat oppreſſus; cum ſubito exterriti cardinales peſtẽ in oppido cœpiſſe nuntiant, & notos aliquos occubuiſſe, fugiendumq; tetrum virus ſuadent. Pontifex nihil cunctatus, apparari ſibi lecticã iubet, & ſole iam cadente cum omni familia, ſequentibus cardinalibus iter ingreditur nõ ſine vehemẽti dolore languens. Hic exitus delitiarum Abbatiæ fuit, vt ſemper voluptatem ſequitur mœror. Nocte iam multa Pientiam venit, nec ædificia ſua pro deſiderio intueri potuit, diebus aliquot morbo decumbens. Poſtquã conualuit ſingula diligenter inuiſit, nec pęnituit expenſarũ, quamuis auri ſupra quinquaginta millia nummum in ea opera contuliſſet. Pulchritudo & dignitas ædificii moleſtiam ſumptus ademit. Palatium quadratum fuit nonaginta pedibus altum ex lapide viuo, ab imo vſque ad ſummum ferro artificis expolito, ad digiti craſſitudinem circumſecto, ita vt iuncturæ in ipſa cæſione concurrerent, & ſaxorum frontes tanquam teſſeræ prominerent. In vertice compluuium ex grandioribus ſaxis quinque pedibus à muro recedens, collectas in canali tectorium aquas per fiſtulas ferreas proculeiecit: muri craſſitudo nuſquam ſex aut quatuor pedibus minor. Tria in hunc modum palatii latera ſurrexerunt: quorum aquilonare centum viginti ſex pedes longitudinis habuit: orientale & occidentale duo de viginti amplius, propter porticus quæ in auſtrali latere palatii quadrum exceſſere: totius palatii ambitus quingentorum & quadraginta. Tum feneſtrarum duo fuerunt ordines ſtructura & amplitudine admirabiles, tres & viginti feneſtras æquo inter ſe ſpatio diſtantes ordo vnus complexus eſt: & alter totidem: tres ex qualibet feneſtra viri exterius proſpicere potuerunt, columnellis inter ſe diuiſi: ſub vtroque feneſtrarum ordine ex lapide ei ſimili quem Tyburtinum vocant: duo pluteorum cimitia, quas vulgo cornices appel-

lant, nobili artificio deducta, palatium quaſi duæ coronæ cinxerunt. Duxit & architectus à terra compluuium vſque quadratas columnarum figuras, ſuis baſibus & capitulis aptiſſime cohærentes. Suſpendit, & in angulis palatii, & inter feneſtras pluribus in locis ſcuta lapidea, in quis Picolomineæ domus inſignia ſculptoris pictoriſque opere, auri & argenti, & aliis fulſere coloribus: ferri quoque multi annuli additi, & inſtrumenta, quæ faces ardentes nocturno tempore ſeruare, & quę vexilla interdiu ſuſtinere poſſent iniecta ſunt. Fuerunt & feneſtrę minores in forma quadrata, quę loca inferiora colluſtrarent: has cratibus ferreis cõcluſere. Sedilia quoq; duorum graduum, & aliquibus in locis trium circumpoſita ex lapide cimatiorum. In latere quod aquilonem ſpectat, portam in medio altiſſimam & magnificã collocarunt, quę pręcipua eſſet. In orientali latere, quod oppidi plateam reſpicit, cum mediũ porta tenere non poſſet, ad ſeruandam ſemetrię gratiam duę ianuæ additę ſunt, quarum altera muro obducta clauſę veſtigium pręſeferret, altera ad quotidianum vſum manſit aperta. In occidentali latere idem fecere. Ad quartum latus, cui meridies & Amiata mons aſpectu gratiſſimus obiicitur, tris porticus erexerunt, quarum ſecunda primæ, & tertia ſecundæ ſuperincumberent columnis innixæ lapideis, prima ſub teſtudine alta & nobili deambulationem iuxta hortum præbuit amœniſſimam, altera ſub contignatione coloribus & picturis ornatiſſima, manſionem hyberno tempore iocundiſſimam, pluteis, quæ ad vmb licum hominis cum ſuis cimatiis pertingerent, eleuatis. Similis conditio tertiæ, quamuis lacunari minoris artificii. Hæc exterior forma palatii. Tectorum compluuia partim exterius, vt diximus, aquas emiſerunt, partim interius in aream, vt per meatum & glaream purgatæ, ciſternas implerent, quę in palatio duę fuerunt, & tertia in horto ampliſſima, & magnę familiæ ſuffectura. In cacumine tecti, qua fumi caminorum exhalarunt, tres & viginti quaſi turres, pinnis & propugnaculis picturiſque variis ornatas conſtruxerunt, quæ procul viſę, multum ſplendoris & gratiæ operi addiderunt. Ingredienti palatium porta maiori periſtilium altum occurrit & amplum, quod quadratam ambit aream columnis ſubnixum vnius lapidis ſex & decem pedibus altis, & ad proportionem ſuę longitudinis craſſis, baſibus, & capitulis aptiſſime coniunctis. Hic triclinia ſunt & hiemalia, & aſtiua, & quę medio tempori conueniant; & cubicula digna regibus, & rerum diuerſarum receptacula ſub teſtudine, & ſupra teſtudinem ſita. Effodientes enim palatii fundamenta, ſaxum duriſſimum ad ſexdecim circiter pedes exciderunt, ibiq; promptuarias, ac vinarias, & olearias cellas ſuperinductis fornicibus conſtruxerunt: nobile certe penu, & quod difficile queat impleri. A porta maiori ad periſtilium vſque, porticus ſub fornice candida tam longa patet, quàm lata ſunt hinc atque inde triclinia: hac deambulata ingreſſus periſtilium, ſi ad dexteram te conuerteris, ſcalas offendes, quæ ſecunda in habitacula ducent gradibus clementibus circiter quadraginta, qui alti quantum pes vnus eſt duobus lati, longi nouem; quot numero ſunt, tot ex lapidibus ſuccreuerunt. Scalæ à dextris viginti gradibus, aſcendunt totidem a ſiniſtris verſę, feneſtra in ipſa conuerſione adiecta, quæ vtrarumque aditum illuminet. His aſcenſis deambulatorium occurrit, quod ex tribus lateribus per feneſtras quadratas, & lapide per modum crucis diuiſas in aream reſpicit, contignatio deſuper apte compoſita, & variis ornata coloribus: ad dexteram deambulanti quadrata ſeſe offert aula honeſtiſſimis cubiculis duobus ſeruiens, quorum alterum ab occidenti lumen recipit, alterum etiam ab aquilone lucem admittit: & conclaue interius habet, in quo poſſint precioſa recondi: in fine deambulatorii aula eſt ſeptuaginta duorum pedũ, tertia parte ſua latitudine longior. hæc oſtia ſex habet, duo deambulatoria reſpiciunt, duo in porticum, medium Amiatam verſus aditum præbent; reliqua in duo ampla & ornatiſſima cubicula, quorum alterum ab oriente Sole, alterum ab occidenti lucem mutuatur. Aulam ipſam & oſtia illuminant, & feneſtræ maiores in aream verſæ, & duæ minores, quę in porticum vergunt: caminus ineſt ex lapide albo ingenioſe conſtructus: lacunar & contignationis aptitudine, & picturarum varietate conſpicuum: locus nullo tempori non conueniens, exceſſiui frigoris & caloris expers. Ad ſiniſtram deambulatorii conuerſus alteras offendes ſcalas, quibus in tertia ſcanditur habitacula prioribus per omnia ſimiles. His dimiſſis oſtium ingredieris, quod deambulato-

rium in

rium in duas partes diuidit. Exin à dextris ſi placuerit, in aulam ibis, cui diximus mediam porticum cohærere; à ſiniſtra vero ęſtinum cœnaculũ, ſiue aulam omnibus maiorem reperies, cuius quatuor feneſtræ ſeptemtrionem admittunt, orientem duæ, & illæ in vicum reſpiciunt, iſtæ in forum. Ex aula in oratotium itur; & habitacula in orientem verſa, id eſt cubicula tria, quorum vltimum oſtium habet, vt diximus, in aulam ſex oſtiorum, & in porticum cohærentem, & hoc Pontifex habitauit, quod abiete iuſſerat incruſtari, ne recentis parietis humor officerer. Nullum cubiculum aut camino caruit, aut aliis, quæ neceſſaria viderētur officinis: ſpectatu digna vbiq; laquearia, trabes abiegnæ magnitudine & pulchritudine reſpondentes operi: aſſeres & tignacum ſuo corpore, tum picturarum additamento & auri laminis mirificum ſplendorē attulerunt: pauimenta ex lateribus perpolitis nuſquam inæqualia; vna omniũ facies: nihil eſt quod ex cubiculo in cubiculum, aut ex loco in locum vadentem aut aſcendere oporteat, aut deſcendere; & qualis forma eſt mediarum habitationum, talis eſt tertiarum, aut certe minimam diſtantiam habent: concamerationes paululum declinant, coloribus & pictura carentes, & aſſerum tantum dignitate cōſpicuę. Et ſi prima ædium gratia (vt quibuſdam placet) lux eſt, profecto nulla domus huic fuerit præferenda, quæ plagas cæli quatuor expeditas habet, & lumen non ſolum ab exterioribus feneſtris, ſed etiā ab interioribus per cauum palatii copioſe admittit, & vſq; in imum penu deriuat. Reſpicientis ad occidentalem plagam ex altioribus habitaculis proſpectus vltra Ilcinum & Senas, & in ipſis Piſtorienſibus alpibus terminatur. Ad aquilonem perſpicienti varietas collium & ſiluarum iocunda viriditas ſeſe offert, ad quinque millia paſſuum protenſa; fertur & in Appenninum acrius intuentis acies, & ſedentem in alto colle Cortonam reſpicit non procul à lacu Traſimeno vallem, quæ media iuteriacet amnis Clanii profunditas è conſpectu aufert. Ad orientem breuior eſt proſpectus, Politianum vſque procurrens, & montes, qui Claniam regionem ab Vrcienſi diſterminant. Tres porticus meridianum ſolem excipientes in Amiara, vt diximus, altiſſimo & nemoroſo monte viſum terminanr, ſubiectamque Vrcię vallem & viridantia prata, colleſque ſuo tempore gramineos & frugiferos agros, & vineta, & in præruptis rupibus arces atque oppida inruentur, & balnea, quę vocant Auenionis, & montem Peſium Radicofano celſiorem, & brumalis oſtium ſolis. Deerar huic fabricæ coquinarum ſtructura, domus quadrata ad altitudinem palatii erecta eſt iuxta ciſternā in hotto defoſſam in angulo hiemalis occaſus, & in ea tres coquinæ cum ſuis membris, alia ſuper aliam ædificatæ, quæ porticibus cohærentes, tribus palatii habitationibus commodiſſime inſeruirent, nec fumo laborarent, nec ventis, & aquam ex proxima ciſterna funibus haurirent. Vltra porticus & coquinas vſque ad muros oppidi tantum ſpacii fuit, quantum palatium ipſum occupauit: hic hortum plantare libuit, ſed erar inæquale ſolum, & ingens deſcenſus: deducti ſunt magna ſpiſſitudine muri ab ima ſaxorum crepidine, & ſub columnis lapideis, ac lateticeis iniecti fornices, qui centum equis ſtabula præberent, & officinas ferrarias: exin vacuo duodecim circiter pedum relicto alii deſuper fornices additi & ſuper his terra congeſta, quæ ſolum æquaret, & hortum penſilem faceret, vitibus & arboribus aptum cautione adiecta ne pluuiales aquę inferiores quirent teſtudines penetrare, aut humectare ſtabula. Circa hortum ſedilia fuere ſaxea, & plutea pectoribus tenus, pinnis ornata depictis, quæ procul viſæ ſpeciem lætiſſimam præbuerunt. Ingreſſi palatium maiori ianua ad boream verſa periſtilium, & aream, & per poſticũ infimam porticum & hortum, & vltimas horti metas vno proſpectu contuentur, & paſſu placido nil pedibus eleuatis cuncta deambulare poſſunt.

Deſcriptio templi Pientini.

Et palatium quidem ita ſe habuit, cui proximum fuir templum in honorem beatæ Mariæ ſemper Virginis ædificatum: quod vt eſſet duplex alterũ inferius, alterum ſuperius, inæqualitas ſoli fecit. Fundamenta in viſcera terrę quæſita vix tandē poſt octo & centum altitudinis pedes non ſatis commoda ſunt inuenta, inter ſaxa non cohærentia cum rimas effoderent ſolidum reperturi fundamentum hiatus offendere perpetuos, & ſulphureas exhalationes, quas dum conantur obſtruere, nonnulli artifices ruina non bene cuſtoditæ ſcrobis obruti perierunt: ob quam rem ex ſaxo in ſaxum arcus deduxere latiſſimos, & ſuper his murum iniecerunt, non ſatis explorata ſaxorũ

radice, quæ licet eſſent ingentia, incertum tamen eſt, qua firmitate ſubſideant, & rimula in ædificio demum ſuborta, quæ à ſummo vſq; deorſum procurrit ſuſpectam fundamenti ſedem efficit: architectus calcem inter dureſcendum ſubſediſſe cenſuit: indeque rimam prodiiſſe, nec verendum operi: veritatem dies patefaciet. Murorum eximia ſpiſſitudo fuit & idonea, quæ ſuam altitudinem & duplicatos poſſet ſubſtinere fornices. Ad templum inferius per portam & gradus triginta ſex late patentes deſcenſus fuit. Duę in medio columnæ vniuerſam molem ſuſtinuere: lumē abunde per tris feneſtras ampliores, altaria quatuor & vniuerſam ædem illuſtrauit, & fontem baptiſmatis, quem eo in loco in vno ex ſacellis reconditum ex lapide albo nobili opere conſtruxerunt. Ipſa templi facies commotionem mentis & religionis quandam reuerentiam excitat intrantibus. Superior ædes centum & quadraginta pedes longitudinis habuit, altitudinis ſexaginta, latitudinis totidem, non ſupputato eo ſpacio, quod ſacella ſibi vendicauere, hinc longius inde latius efficientia templum, quod vrgente neceſſitate, pręter conſuetudinem, à ſeptemtrione in meridiem protenditur. In foro quod ante palatium lateribus in latus erectis, & calce ſtratum erat, tres gradus quam lata fuit templi facies ex duro lapide produxere, quibus in templum per aream quindecim pedes latam tanquam veſtibuli vicem tenentem aſcenderetur. Frons ipſa templi duo & ſeptuaginta pedes alta ex lapide Tyburtino ſimili, & marmoreum imitanti candorem vetuſtarum ædium prę ſe formam tulit, columnis, ſpiris, & hemicyclis, quę ſtatuas recipere poſſent perpulchre adornata. Tris portas habuit congrua dimenſione venuſtas, mediam ceteris ampliorem, & in morem cyclopis oculum late patentem, & inſigne Picolomineum, & deſuper Pontificalē infulam corona triplici redimitam, clauibus Eccleſiæ interpoſitis: ſurgitque frons ipſa à fundamentis vſque ad tectum æqualiter lata. Deinde vſque ad ſummum pyramidalē accipit formam, nō indecoris communitam cimatiis. Reliquæ murorum partes ex ſaxo minus precioſo creuerunt, verum quadrato & commode perpolito prominentiis quibuſdam tanquā coſtis interiectis, quæ pariter inter ſe diſtantes ſtabilius redderent ædificium. Ingredienti mediam portam vniuerſum templum cum ſacellis & altaribus in conſpectu datur, præcipua luminis claritate, & operis nitore conſpicuum. Tres (vt aiunt) naues ædem perficiunt, media latior eſt, altitudo omnium par: ita Pius iuſſerat, qui exemplar apud Germanos in Auſtria vidiſſet: Venuſtius ea res & luminoſius templum reddit. Octo columnæ ſpiſſitudine & altitudine congruentes vniuerſam teſtudinum ſuſtentant molem. Architectus fundatis baſibus, cum columnas quatuor habentes facies hemicycleas ſuperduxiſſet, & capitula impoſuiſſet: animaduertit fornices minus, quàm par eſſet ſublimitatis habituras; erexitque ſuper capitulis quadratas ſeptem pedum columnas, & altera ſuperaddidit capitella, quibus teſtudinum arcus inniterentur; gratus operis error, & ipſa varietate decorum afferens: naues extremæ vſque ad tertiam columnam æqualiter procedunt, deinde paulatim coarctantur vniuerſo templo in formam ſemicirculi deſinente: pars enim ſuperior tanquam coronatum caput in ædiculas quinque diuiſa, quæ à reliquo corpore exterius procumberent, totidem fornices habuit nauibus altitudine pares, in quis ſtellæ affixæ aureæ, & color impreſſus aereus veram cæli faciem ęmulabantur. Reliquas nauium teſtudines diuerſis coloribus appinxerunt, & columnis, quas diximus, ad corrigēdum errorem additas cum capitellis ſuis, porphyrii & aliorum nobilium lapidum addidere colores: columnæ inferiores naturam ſuam ſeruauere lapidis albi: Parietes templi, & reliquum omne corpus candore mirabili reſplenduere. In ædicula, quæ media fuit, epiſcopalem cathedram & canonicorum ſedilia ex materia nobili, arte quam vocant Tarſicam, ſculpturis & imaginibus inſignia compoſuerunt: in reliquis quatuor altaria pictis ornata tabulis erexerunt, illuſtrium, quos Senæ produxerunt pictorum operibus. In ea, quæ ſecunda eſt à ſiniſtris cathedræ, diuini ſacramenti conditorium ex albo lapide ſculpſere, artificio non ignobili: nec vlla ædicula eſt, quæ feneſtram non habeat latam & altam columnellis, & floribus lapideis artificioſe compoſitam, vitro, quod chryſtallinum vocant, occluſam: ſunt & aliæ quatuor feneſtræ ſimiles ſub nauibus extremis, quibus fulgente ſole tanta lux admittitur, vt qui templū incolunt, non domo lapidea, ſed vitrea ſeſe clauſos exiſtiment. Duabus columnis, quæ

proximæ

proximæ portis adſunt, duo adhærent lauacra, ex quis ſacris ſe lymphis aſpergunt ingredientes, non vilis opus ingenii. Altare maius inter duas columnas vltimas ſitum eſt, ad quod quatuor gradibus aſcenditur. Sacerdos & miniſtri cum rem diuinam faciunt à tergo populum habent, cantores à fronte iuxta Pontificis cathedram: ſunt & alia duo altaria, quæ multitudini ſeruiant in inferioris ædis corpore. Et in parte dextera ſacrarium conſtructum eſt. In ſiniſtra turris campanaria, cuius altitudinem centũ & ſexaginta pedum conſtituerunt, ei adhuc pars tertia defuit: deduxerunt & ab inferiori templo à ſiniſtris & à dextris ſcalas per muri ſpiſſitudinem ad ædem ſuperiorem, & deinde ad tecti ſummitatem in modum cocleatum cẽtum triginta duos gradus habentes. Fuit & in foro iuxta palatium puteus profundus aquæ viuę, cuius os pulcherrimo lapide adornarunt, adiectis columnis, quæ trabem lapideam ingenioſe ſculptam ſuſtinerent, & catenas & ſitulas hauriendis aquis neceſſarias. Hęc omnia à fundamentis vſq; ad ſummum triennio perfecta ſunt, excepta turri campanaria, quæ nondum erat abſoluta.

De Bernardo architecto, & decreto pro decore templi conſeruando edito, & aliis Pientinis ædificiis.

Multa aduerſus architectum Pontifici ſuggeſta fuerant, qui & infideliter egiſſet, & erraſſet in ædificio, & qui ſumptum operis octo aut decem millibus aureis æſtimaſſet, ſupra quinquaginta millia conſumpſiſſet: quem lex Epheſiorum reſ rcire impenſas (vt eſt apud Vitruuium) præcepiſſet. Bernardus hic erat natione Florentinus abſentem cuncti lacerabant. Pius inſpectis operibus, & omnia contemplatus, accerſiri hominem iuſſit: cui poſt dies aliquot non ſine metu aduentanti, qui ſe multis criminationibus delatum non ignoraret. Probe, inquit, egiſti Bernarde, qui nobis de futura operis impenſa mentitus es: ſi verum dixiſſes, nunquam nobis tantum auri exponendum ſuaſiſſes, neq; hoc palatium nobile, neq; templum tota Italia illuſtriſſimum modo extaret: ſurrexerunt tua fallacia præclariſſima hęc ædificia, quæ cuncti laudant, paucis exceptis, quos edit inuidiæ liuor. Nos tibi gratias agimus, & te inter omnes architectos noſtri ſæculi præcipuo dignum honore cenſemus: iuſſitque omnem homini reddi mercedem, & vltra centum aureos, & veſtem coccineam dono dari: & filio quas optauit gratias elargitus eſt, & nouis eum præfecit operibus. Qui audito Pontifice præ gaudio collacrymatus eſt. Pius vt templi dignitatem, ac nitorem ſeruaret huiuſcemodi decretum edidit. PIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad futuram rei memoriam In hoc templo, quod Beatæ Mariæ Virgini Domini & Dei noſtri genitrici ereximus, & dedicauimus, nemo mortuum ſepelito, exceptis tumulis, qui ſacerdotibus & epiſcopis aſsignati ſunt. Nemo candorem parietum atque columnarum violato: nemo picturas facito: nemo tabulas appendito: nemo capellas plures, quàm ſint, aut altaria erigito: nemo formam ipſius templi, ſiue quæ ſuperius, ſiue quæ inferius eſt, mutato. Si quis contra fecerit, anathema eſto, ſolius Romani Pontificis, excepto mortis articulo, auctoritate abſoluendus. Datum Pientiæ Anno incarnationis Dominicæ Milleſimoquadringenteſimo ſexageſimo ſecundo, ſextodecimo calendas Octobris Pontificatus noſtri anno* 1462.
quinto. Ædificauit Pontifex & domum iuxta templum à ſiniſtris, in qua præpoſitus & canonici commode habitarent, & per ianuam quandam paruam eorum cauſa in latere templi dimiſſam, ad nocturna diurnaque munera nullo impediente procederent. E regione palatii interiecto foro domus antiqua fuit, quam prætor & reliqui magiſtratus oppidi incolere conſueuerunt: hanc Pius coemit, diruendamq; Vicecãcellario ea lege tradidit, vt palatium ibi epiſcopale cõſtrueret, ac beatæ Mariæ virgini dono daret. Emit & alias ædes ciuium oppoſitas vltra forum templo, quibus dirutis tertium ædificari palatium iuſſit, cum porticu & aula magna, & cubiculis, & armamẽtariis, & turri, quæ campanis & horologio ſeruiret, & carceri magiſtratus vrbis, vt hic habitarẽt, & cõſilia ciuium fierent, conduxitq; operarios, & partem magnam mercedis tradidit, volens quatuor nobilibus ædificiis circumdari forum. Fuerũt & alię domus magnificę in oppido cõſtructæ. Cardinalis Atrebatenſis poſt vicecancellarium altas & amplas ædes ædificauit: deinde theſaurarius: poſt eum Gregorius Lollius fundamenta iecit. Primus omnium aptiſſimam & pulchram domum conſtruxit cardinalis Papienſis quadratam & inſularem: Mantuanus conſtructurus aream emit: Thomas quoq; Põtificis cubicularius, & plumbi miniſtri, & plures oppidani deiectis antiquis domib. nouas erexerunt, vt nuſquam prior

oppidi facies appareret. In decollatione beati Ioannis Baptiſtæ Pontifex templum, & altaria per cardinalem Oſtienſem dedicauit, & per ſe ipſum maioris aræ frontem inunxit, & reconditis in ea Sanctorum reliquiis, ſigillum adiecit, ac Cluſinum epiſcopum Ioannem Cinugium nobili loco apud Senenſes natum illuc tranſtulit, & nouæ ſponſæ virum dedit, Cluſinis Gabrielem Picolomineum ex ordine Minorum, qui obſeruantes habentur, præfecit antiſtitem: Et paulo poſt Hiſpalenſi archiepiſcopo in ea ipſa æde per cardinalem Portuenſem coram ſe cõſecrato, ſua manu mitram impoſuit, & benedixit.

Diuerſa certamina currentium, & conſtituta præmia victoribus.

Oppidani diuum Matthæum Apoſtolum pia religione colunt; & in eius feſto, quod Septembrio colebant, frequentes habent nundinas, & prẹmia curſu certantibus ponunt. Pius vt ſe præſente celebrius agerent feſtum, cõſulares omnes ciues noua veſte donauit, & pecuniam dedit ad ſumptus neceſſarios. Illi curſoribus equis præmia poſuerant, aſinis, viris, qui pedibus currerent, & pueris. Vbi dies ſtatuta illuxit, ſummo mane res diuina in templo coram Pontifice ingenti populi deuotione peracta eſt: multitudo deinde extra oppidum in tabernacula ſe recepit, in quis caupones triginta magnos boues ab aratro receptos coxerant, & animalia multa minora, quæ omnia vnico prandio vorata ſunt. Deinde vſq; ad veſperam emundis vendundiſq; rebus tempus datum. Poſt hæc equis aſſignati carceres, & ſignum currendi datum, ſpectaculum vilius reddidit velocitas impar, & ſine cõtentione victoria. Alexandri longe poſt ſe dimiſſis æmulis primus ad metam equus nullo inſequente peruenit. Inter aſinos magna concertatio fuit, & nunc vnus, nunc alter præceſſit crebris verberibus ſtimulatus. Iuuenes robuſti & agiles, & qui ſæpe in ſtadio cucurriſſent, complures in curſu certauerunt: pluerat aliquantulum & lubricum erat iter, nudi currebant, & nunc vnus, nunc alter præibat: eratq; ſæpe videre lapſu pedum nunc iſtum, nunc illum in terram cadere, ac luto prouolui, & qui erant vltimi fieri priores. Stadiis per hunc modum quattuor vſq; ad portam curſitatum eſt, minimo inter victorem & victos ſpacio intercedente, ita corporibus luto fœdatis, vt internoſci non poſſent: iudices Sarteanenſi, qui primus fuerat, dedere præmium. Puerorum curſus ſpectaculis omnibus prſtitit: multi fuerunt in ſtadio nondum puberes, qui nudi proſilientes accepto ſigno, dum alius alium præcedere conatur, mira contentione decertant, nec pedes è creta tenaci tollere poſſunt; nunc deficiente ſpiritu labuntur, nunc anhelitu reſumpto conſurgunt, & his parentes, illis fratres adſunt crebris cohortationibus animos excitantes, curritur circiter ſtadium vſq; ad portam oppidi inter plures nutante victoria, quæ tandem Pienſi ceſſit, qui humeris frequenti turba ſubſequenti domum delatus omnem viciniam lætificauit: Hęc Pontifex non ſpectauit: ſed cum Cardinalibus interea de publicis negotiis conſultabat.

COMMEN-

COMMENTARIORVM PII II, PONT. MAX.

LIBER DECIMVS.

Bohemorum hæreſis & Fantini conſtantia.

LEGATI Bohemorum dum hæc geruntur, Pragam reuerſi, quę cum Pontifice Romæ geſſerant regi enarrauerunt. Ille conuentum regni ad profeſtum ſancti Laurentii iuſſit adeſſe. Conuenere frequentes hæretici & catholici, plures tamen hæretici; rex in concionem prodiens è ſuggeſtu ſibi & coniugi apparato, iuſſit oratores, qui Romæ fuerant, cuncta quæ geſſerant exponere, & maudata Pontificis referre. Procopius, & Coſca omnem rei ſeriem ex ordine narrauerunt, nec quicquam mentiti ſunt. Quibus finem facientibus: Miramur, inquit rex, ſtudium Papæ, qui regnum hoc multo labore vix tandem per compactata pacatum, atque vnitum, turbare & diſiungere conatur. Concilium nobis Baſilienſe maioris auctoritatis, quàm ipſe eſt, & anteceſſor eius Eugenius cõpactata dederunt; non eſt eius auferre quod maior conceſſit. Si licet Papæ deſtruere quicquid anteceſſotes ædificarunt, quis erit in ſua iuſticia tutus? Accuſamur tanquã iuramento in noſtra coronatione præſtito non fecerimus ſatis: quid iurauimus niſi hæreticam prauitatem è regno noſtro procul abiicere? Scitote nos infenſos hæreticis eſſe: at compactata noſtra, & communionem vtriuſque ſpeciei, vt Papa exiſtimat, nunquam putauimus hæreſim ſapere, quæ fundata eſt in Euangelio; & praxim Chriſti, & Eccleſiæ primitiuę imitantur, & nobis tanquam priuilegium noſtræ virtutis per magnam conceſſa ſynodum. Hanc igitur cõmunionem abiicere iuraſſemus? minime quidẽ: immo vero in eadem nati, educati, & in hanc vſq; regiã dignitatẽ prouecti, eã quoad vita fuerit comes tenebimus, & defendemus: & in ea tandẽ moriemur, exẽplum noſtrũ, contoralis noſtra à dextris ſedens, & liberi noſtri, & amici omnes ſequentur: nec credimus aliam eſſe viam ſalutis animabus noſtris, quàm cõpactata tenere, & iuxta Saluatoris inſtitutionem vtraq; vti cõmunione. Quærimus autem ex vobis Bohemi, ſi quis propter compactata nobis regnove bellum indixerit, quid animi geratis, nobis an illis auxilio eritis? Tum Coſca cum hæreticis, quorum numerus erat multus, conſultatione habita: Rex, inquit, percupide audiuimus te cum liberis & vxore noſtræ fidei conſortem eſſe. Nos tibi ad compactata defendenda, regnumque conſeruandum, non res tantum, ſed corpora quoque deuouemus: & gratias tibi agimus, qui talem indueris mentem, qualem paulo ante demonſtraſti. Tum rex ad catholicos verſus: Et quid vos, inquit, reſpondetis? Aderant Vratislauienſis, & Olomicenſis epiſcopi, & multi barones, & nobiles, ac ciuitatũ legati, qui Sdenconi Sternembergio hoc reſponſum commiſerunt. Non te fugit, maxime rex, nihil nobis hactenus cum tuis compactatis fuiſſe commune, neque deinceps ea curabimus: ſed ſicut in vnitate & obediẽntia ſanctæ Romanæ Eccleſię cum noſtris progenitoribus in hanc vſque diem viximus; ita & in futurum viuere ac mori eſt animus: & ſicut tu fidem tuæ natiuitatis ſeruandam putas, ita & nobis ipſi de noſtra faciendum inſtituimus. Petis quid facturi ſimus, ſi propter compactata bellum ingruerit. Prædeceſſores tui Bohemiæ reges nihil quod arduum eſſet, abſque noſtrorum progenitorum conſilio ſtatuerunt: idem te facere erga nos in compactatorum acceptatione decebat: tu ſine nobis ea ſeruare decreuiſti, illorũ ergo auxilia exquirito, quorum conſilia ſecutus es. Nos tamen tibi & regno, vbi honor Dei & iuſtitia non lædatur, haudquaquam deerimus. Rex eo reſponſo minime contentus, cum aliud poſtularet, obtinere non potuit, dimiſitque concionem: præcepto multitudini dato, vt poſtera die ad audiendum Fantinum Apoſtolicæ ſedis nuntium conuenirent. Interea multa

regi de Fantino relata fuerant, quæ animum eius offenderant, non Pragę tantum, verum etiam Romæ geſta; neque id Fantinum latebat, qui per amicos ſæpe commonitus fuerat, vt clam recederet, nec iram regis experiri vellet. Ille hinc periculum reputans ſi maneret, inde dedecus, ſi non expoſita legatione abiret, vitę pudorem prætulit; vocatuſq; venit in concionem. Quo viſo rex vultu paululum mutato: Fantinum, inquit, audiamus tanquam Papæ nuntium, poſtea aduerſus eum vt procuratorem noſtrum aliqua proponemus: nec tamen locum nuntio dignum dedit.

Fantini oratio, concertatioq; acerrima cum rege Bohemiæ, & regis ipſius perfidia.

Fantinus vbi dicendi copia facta: Lex eſt, inquit, gentium, sereniſſime rex, omnes nuntios etiam ad barbaras & crudeliſſimas gentes miſſos, libere & abſq; vllo timore, ſuorum dominorum exponere mandata. Deinde reſponſo accepto abſq; vllo impedimento domum redire poſſe: hanc vt mihi legem Apoſtolico nuntio ſerues peto. Annuit rex. Fantinus dicere orſus, multa de bono obedientiæ diſputauit, oſtendens vnum eſſe principem in Eccleſia militanti oportere, quæ triumphantis inſtar cōdita eſſet, & hoc Romano Præſuli munus datum, qui primam teneret in orbe ſedem: ab eo ligandi ſoluendiq; poteſtatem in omnem Eccleſiā deriuari: eiq; cunctos reges, ac populos obedire debere; qui regni ęterni cuperēt fieri participes, & coheredes Chriſti: feciſſe id olim Bohemiæ principes, duces, ac reges, nec vllum tota in Chriſtiana ſocietate populum inuentum, qui Romanis Pōtificibus magis deditus, & obediens fuerit, quàm Bohemicus: Floruiſſe tunc miris modis regnum, viris atq; opib. abūdaſſe, & concordia gaudens ædificia nobiliſſima conſtruxiſſe: ornaſſe templa, bonarum artium ſtudia ad ſe traxiſſe. Succeſſu deinde temporis humani generis hoſte procurante, ſurrexiſſe in Bohemia viros peſtiferos, qui primę ſedis mandata dicerēt cōtemnenda, & ad ſuum ſenſum ſancta interpretantes Euangelia ſanā doctrinam reſpuerēt, Iacobellum, Ioannem, Hieronymū, Conradum, & Rochezanam, quorum peruerſo dogmate infecta regni multitudo ab obedientia ſui paſtoris abierit, & arcā Noe reliquerit, extra quam non inuenitur ſalus, dicens communionem ſub vtraq; ſpecie ad ſalutem neceſſariam eſſe, & multos alios errores prædicans. Hinc mutatam regni faciē, pro pace bellum, pro diuitiis pauperiem, pro doctrina ignorantiā, pro decore deformitatem, tanquam inobedientiæ ſtipendia ſubintraſſe. Pæni tuiſſe tandē ſui erroris Bohemos, ac de reditu ad matrem cogitaſſe: conueniſſe cum Baſilienſi cōcilio vt reconciliarentur Eccleſiæ, concordiam quandam iniuiſſe, cui Cōpactatorum indiderint nomē. Indulſiſſe pro ſua benignitate Baſilieſe cōcilium Bohemis, ac Morauis, qui duplicis cōmunionis vſum haberent, vt in eo quoad viuerent perſeuerare poſſent, etiā laicis; dummodo de præcepto Domini eſſe nō crederent, aut ad ſalutē neceſſarium; nec paruulos communicarēt, neq; inuitos ad duplicem ſpeciē compellerent. Nihil ſeruaſſe Bohemos eorū quæ promiſerant, amiſiſſe priuilegium: cōpactata extincta eſſe, & iā pauciſſimos illorum viuere, quibus indulta fuiſſent, propter quas res, & ſi diligentia regum pax poſtea de temporalibus rebus in regno reformata fuerit: de fide tamen, ac religione in eam vſque diem ſemper manſiſſe contentiones, nec vllam fuiſſe in ſacerdotio quietē: ſed alteros alteris maledixiſſe, & hæreſis imputaſſe crimen: regem ea videntem miſiſſe ad Pontificem maximum legatos, qui compactata confirmari aut innouari peterent: Pontificem, cui eſſet ſui gregis cura, re in Apoſtolico diſcuſſa ſenatu inutilia peti cenſuiſſe, neq; arbitratum filiis, quos diligeret, poſtulata noxia cōcedenda fore; cauſas plurimas adduxiſſe, quę cōpactatis locū eſſe non ſinerēt: mandaſſe legatis regi, regnoq; vt ſuo nomine compactatorum obſeruātiam interdicerent, ſe quoq; miſſum eſſe vt idem faceret. Hortari ergo ſapientiam regis, vt iuramenti, quod in ſua coronatione præſtitiſſet memor eſſet: hæreſim omnem ex Bohemia repelleret: communionem ſub vtraq; ſpecie relinqueret: Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ ritū imbueret. Summo Pontifici quam verbo promiſerat obedientiā facto præſtaret, Sacerdotes rebelles decano Pragenſi traderet coercēdos: audiret cum toto regno Pii paſtoris vocē: ſciretq; illum Bohemicæ gentis amantiſſimum eſſe, qui & in Bohemia aliquando conuerſatus fuiſſet, & hiſtoriam Bohemicā barbare ſcriptam Romano illuſtrauerit eloquio, non ſine magna regni laude: nihil Pium magis cupere quàm veram Bohemorum ſalutem: atq; idcirco non quæ placerent multitu-

multitudini, ſed quæ forent vtilia præcepiſſe: Hortari omnes igitur & barones, & nobiles, & populares, vt iam tandem compactatorum relicto fermẽto ad vnionem ſanctæ matris Eccleſię reuertantur, & integram Pio Pontifici obedientiã reſtituant, qui regni neceſſitatibus pie, ac benigne conſulturus ſit. His dictis hæreticorum animi admodum conſternati fuerunt, catholicorum erecti: exiſtimantes regem mandata Pontificis haud quaquam neglecturum: ſed contra euenit. Nihil perfidia regis mutata eſt, quamuis prodiit quæ latebat. In Fãtinum virus euomit, & multa minatus proditorem ſuum compellauit; plectendumq; dixit. Ad quem Fantinus forti & cõſtanti animo, vt qui nihil mori timeret: Corpus mihi rex, inquit, auferre potes, animam nõ potes: ſi vitam perdidero temporalem, acquiram æternam pro veritate moriens: atque vtinam tanto me facias honore dignum. Miſiſti me fateor procuratorem tuum ad Romanam curiam, geſſi fidelem procuratorem, nunquam præuaricatus ſum, diligenter abſolui negotia tua: veracem me ſemper inueniſti, & conſultorem tuis rebus vtilem ſi me audiuiſſes. Huc modo profectus, non tuus procurator, ſed orator ſummi Pontificis aduentaui. Dixi quæ ab illo mandata ſunt; ea ſi moleſte fers, nihil eſt quod mihi ſuccenſeas, cui neceſſe fuerat obedire. Rogaui ab initio, vt me tanquam legatum communi lege loqui permitteres, & patienter audires: annuiſti. Si quid dixi, quod tuas offenderit aures, iuſſus dixi: tu ſi ſapias in partem cuncta recipies meliorẽ, nec Romano Pontifici aduerſaberis, cuius ſunt longiſſimæ manus, & nihil eſt eius auctoritati negatum. Noſti iuramentum tuum: noli pro tuo arbitrio interpretari, clara ſunt verba, & commento non egent. Huſſitarum hæreſim abiuraſti, & obedire Romano Pontifici tactis ſacroſanctis Euangeliis promiſiſti. Extant documenta publica, non potes dicere non dixi. Vis compactata inuito Pontifice retinere? Rebellio hęc eſt, non obedientia. Dicis communionem ſub vtraq; ſpecie ad ſalutem eſſe neceſſariam, & in ea te velle mori profeſſus es. Hæc eſt Huſſitarum hæreſis. quid poſſum dicere niſi te eſſe relapſum in errorẽ, quẽ abiuraſti? Vide quid agas: Nõ feret iſta Pi⁹ Põtifex; habet arma, quib⁹ rebellionẽ tuã coerceat, regno priuaberis, & tãquam periurus & hæreticus extra Eccleſiam fies, & in hoc ſęculo infamẽ te reddes, in altero pœnas dabis impietatis. Caue nę te his malis obiicias. Subiice te Deo, & vicariũ eius ne contẽpſeris: Plura fuerunt inter Fantinum & regẽ verba contentionis, quæ alter in alterũ ſtomachatus euomuit: tandem concio dimiſſa eſt, & Fantinus in diuerſorium ſuum ſeceſſit.

Regis in Fãtinum, & Apoſtolicam ſedem blaſphemia.

Rex inter proceres, qui ſecum remanſere: Audiuiſtis, inquit, amici quantum hodie Fantinus honorem noſtrum lacerauerit, & quo pacto nos Papa vituperet? nemo veſtrum condolet nobis: pudet viuere niſi aduerſus Fantinum talia præſumentem vlciſcamur. Nulla nobis maior cura eſt, quàm honoris; hunc vitæ præferimus; vt ſeruaremus honorem, corpus noſtrum multis periculis obiectauimus, idem fecere prædeceſſores noſtri: nunquã Bohemiæ reges honoris ſtudium abiecere. In Apoſtolica ſede plures ſederunt apoſtatæ viri, & nequam; ſanctam appellant ſedem, nos non probamus. In vnione fidelium ſancta ſedes exiſtit, quam Romæ quærere nõ oportet. Et multa in hunc modum ore polluto, & venenato turpiſſima eructauit verba. Deinde in vigilia Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis Fantinum in carcerem rapi iuſſit, & in vincula coniecit arctiſſima. Procopium Rabeſteynum cautionem dare coegit, quòd propriam domum nõ exiret, & officio cancellariæ priuauit. Craſſatus & in plures fuiſſet, niſi motus in regno timuiſſet, quia plurimi ex catholicis barones aberant, qui pro detentis arma cepiſſent. Epiſcopi Vratislauienſis, & Olumicẽſis vbi Fãtinum captum, & Procopium domi retentum agnouere, inſalutato rege, ad ſuas eccleſias reuerterunt.

S. ſedes.

Alius conuentus Bohemorum, & catholicorum conſtantia.

Poſt dies aliquot iuſſit rex presbyteros catholicos ex toto regno primores ad ſe proficiſci: conuenere viri quatuordecim & ſeptingenti in caſtello Pragenſi terrore pleni, tanquam ad cędem vocati eſſent. Decanus eccleſiæ maioris & archiepiſcopatus adminiſtrator multa locutus aduerſus perfidiam Huſſitarum, cohortatus omnes vt in vera religione cõſtanter permanerent: ſexta feria rẽ diuinam ſumma deuotione peregit, & Spiritus ſancti gratiam inuocauit, quæ aduerſus iram regis pauperes ſacerdotes protegeret. Quod cum animaduertiſſent Huſſitæ id ipſum die ſabbati in o-

mnibus ſynagogis ſuis fecerunt. Cum dies conſtituta vocationis adeſſet, ſummo diluculo catholici eccleſiam Pragenſem petiuere: decanus eos in ſacellum ſancti Venceslai accerſiuit, & quomodo ſe coram rege deberent gerere commonuit, & quibus loqui liceret, quibuſve tacere neceſſe foret oſtendit; iuſſitq; ne vel minimam quæſtiunculam cum aduerſariis inchoarent. Quod ſi furere, aut inſanire regem contingeret, & in aliquos manus iniicere, ſcirent in multis membris vnum eſſe corpus, neque vnum poſſe tangi, quin læderetur alterum; opponerent ſe omnes pro ſalute vnius vel minoris. Promiſere omnes, verum non ſine lacrymis, ac ſingultibus, proſtratiq; corã patronis regni Bohemiæ ſanctis martyribus, & confeſſoribus aduerſus violentiam perfidi regis ſuffragium petiuere; moxq; trini & trini tanquam in pompa procedentes è caſtello Pragenſi vſque in regiam peruenere: & alii quidem flebant, quòd ad victimam pergerent, alii ridebant. Præuenerat iam Rochezana cum multitudine ſuorum complicum, & latus ſtipabat regis. Poſtquam omnes affuere, quos regia iuſſio deſiderauerat; rex ex alto ſolio in hunc modum locutus eſt: Quantum vires ſuppetunt nobis regni gloriam ampliamus, & pacem fouemus: vos autem ſacerdotes iurgia inter vos excitatis, & alter alteri compingitis hæreſim, defunctis ſepulturam negatis, viuos ab Eccleſia repellitis; ſuſpectarum mulierum conſortio ſacerdotium veſtrum fœdatis, teſſera luditis, & alia multa, quæ horremus dicere, nefanda perpetratis. Niſi alios inducitis mores, ibimus obuiam nequitiæ veſtræ, quando iudex abeſt, qui vos coerceat ſpiritualis. Præcipimus autem vobis, vt compactata, quæ pro pace regni noſtris prędeceſſoribus Baſilienſe concilium indulſit, inuiolabiliter obſeruetis. Si quis contrafecerit, noſtram in ſe iram prouocabit: neq; enim paſſuri ſumus, quæ Sigiſmundus, Albertus, & Ladislaus reges auctoritate Apoſtolica conceſſa laudauerunt, veſtris contentionibus infringantur. Seceſſere his auditis paululum catholici, atque in hunc modum reuerſi reſponderunt. Ingentes tuæ maieſtati gratias agimus, maxime rex, qui nos tranquilla pace gubernas: vtq; multos annos id agas Deum precamur. Non imus inficias multa per ſacerdotes mala patrari: nam quę multitudo eſt, & malorum conſortio non fœdatur? Odimus malos, & tamen ſine malis eſſe non poſſumus; nec ſcimus qui ſint mali, ſi quos ex nobis ea facere quę dixiſti, indicare curaueris, non erit impunitum ſcelus, nec auctoritas puniendi abeſt. De compactatis dicimus idem, quod pridem regni proceres per te rogati reſponderunt, nunquam illis eguimus, nec egemus hodie, nec Romana ſedes illa vnquam conceſſit, Baſilienſe tantum concilium indulſit. Vtrum autem quibus indulta fuerunt iuxta conceſſionẽ illa teneant, Deus viderit. Pacem quam dicis compactata præſeferre, libenter amplectimur: at quod nobis ad æternam vitam præſidium aliquod afferant, non intelligimus. De maieſtate tua illud nobis perſuademus, quod venerabilem eccleſiam Pragenſem in ſuis cęremuniis non impedies; neque alium ritum nobis inculcabis, quàm noſtris maioribus ab Apoſtolica ſede traditum. Illa eſt porta cæli, mori præſtat, quàm illi contraire. Hęc adminiſtrator nomine omnium locutus, cum finem dicendi feciſſet, verſus ad ſuos percontatus eſt, an placeret quod pro omnibus reſpondiſſet: qui vna voce dixerunt; Placet, & in æternum placebit. Infremuit rex tantam in ſacerdotibus catholicis conſtantiam atque concordiam intuens; protulitq; litteras quaſdam caſu repertas, in quibus ſcriptum eſſet regem in Apoſtolicos ſæuire legatos, ac hæreticum ſeſe declaraſſe: Michael quidam Vicarius Eccleſiæ Pragenſis ad ſororem ſuam Huſſitarum labe infectam miſiſſe hanc epiſtolam ferebatur, Is ſuo bono non adfuit. Rex ſæpius verba epiſtolæ recitauit, & grauiter queſtus eſt quòd hæreticus vocaretur, qui numquam reſtitiſſet Apoſtolicæ ſedi, quamuis noluiſſet ab indulta communione ceſſare: voluiſſe ſe Deo magis quàm Papæ obedire: nec ſe Fantinum tanquam Papæ legatum, ſed quaſi procuratorem ſuum & proditorem in carcerem conieciſſe, iuſſitq; ne pro eius liberatione ſe quiſquam interpellaret. Cui adminiſtrator: Scimus inquit, venerabilem Fantinum verum fuiſſe Pii Papæ legatum, & mandata eius ad te fideliter detuliſſe. Cur autem tam probroſe comprehenſus ſit, ignoramus. Tum rex; ſi alius, ait, tantis nos contumeliis quantis Fantinus affeciſſet, non vixiſſet in horam, atque his dictis Michaelem intercipi mandauit, & ad ſe duci, quod vtrum factum ſit, non habemus exploratum. Dimiſſa eſt concio eius diei, nec permiſſi ſunt catholici

ex Praga recedere. Iterum regis edicto conuenerunt:& iterum de compactatis facta eſt mentio:nec potuit rex extorquere,vt catholici ea laudarent. Ibi Rochezana Andream quendam presbyterum, quod ſibi non obediret, celſitudini regię accuſauit: cui rex,vt tibi omnes,inquit,obediant iubes,& tu nemini vis obedire: Stomachatuſque Rochezanam & conuentum dimiſit.

Fantini aduerſus regem magnanimitas, eiuſque liberatio, & occultus fauor.

Cum eſſet in carcere Fantinus, acceſſit ad eum rex, & inter loquendum cum nullum poſſet ex captiuo humile verbum extorquere: Vix me,inquit, contineo, quin te meis manibus ſtrangulem:cui Fantinus:tortorem aliquem, ait, expectabam teterrimum,ac viliſſimum,qui mihi vitam eriperet:ſi libet manus regias ad hoc opus extendere, honeſtiſſime moriar,ſed inuidebis hanc mihi gloriam. Interea Ludouicus Baioariæ dux, & alii multi regem coarguerunt, qui legatum Apoſtolicum auſus fuiſſet comprehendere, neq; animaduertiſſet quāta ſibi & regno ex ea re poſſent ſuccreſcere mala: quibus exterritus Fantinum tandem poſt tres menſes in carcere maceratum ad Ludouicum miſit,& ille ad ſummum Pontificem liberum ire iuſſit,adhibito legato,qui ei tutum iter præberet,& regem quoad poſſet redderet excuſatum. Vnum hoc loco haudquaquam fuerit prætereundum,quod Fantino miraculoſe quodammodo accidit. Pridie quàm iret in concione audiendus in interiori cubiculo diuerſorii ſui, quæ dicturus eſſet meditantem, homo conuenit ignotus obuoluto capite, iuſſitque cubiculum egredi,egreſſo ſacculum ſcripturis plenum obtulit,atque abiit:in eo Fantinus quinq; & viginti auares repperit & complures Baſilienſis & Cōſtantienſis concilii bullas,quas poſtera die in conuentu publice recitauit. Quoniam & communionem vtriuſque ſpeciei damnabant,& quomodo indulta fuiſſent compactata manifeſtabant,ertoreſque Rochezanę & Huſſitarum omnium viuis rationibus euincebant. Pius Fantinum reuerſum magno in honore habuit, & dignum epiſcopatu cenſuit, cui ad martyrium pro veritate tuenda ſanguinis effuſio non animus defuiſſet.

Auſtrialiū ſeditiones aduerſus Imperatorem, & rebellio Viennenſium.

Dum Bohemus in Praga pro compactatis anxius hęreticum ſe declarat,in Auſtria nouus exoritur motus. Extraneus miles qui fratribus Federico Imperatori,& Alberto duci ſtipendia fecerat,cum mercedem conſequi non poſſet,ad prædam ſe conuertit, & occupatis quibuſdā munitionibus nihil in prouincia tutum reliquit: nemo extra oppida iter habere potuit, qui non è veſtigio caperetur: craſſari vbique latrones, rapere,occidere,villas atque eccleſias incendere,nullum ſcelus non admittere. Res Viennenſi populo valde moleſta, qui niſi externa in dies afferantur alimenta propter multitudinem fame perit. Vociferari ergo toto plebs oppido,Imperatorem accuſare, regionis principem,qui ſpoliationes non cohiberet,adire,ſenatum annonam petere, principem niſi pacem foueat,mutandum dicere:alii Albertum, alii alios accerſendos contendere,qui latronum moleſtias auferant. Senatus,qui eſſet Imperatori amicus, plebis impetum cohibere,annonam ſubminiſtrare, Imperatoris tueri cauſam, malorum culpam in alios retorquere. Interea Nicolaus Holzer vnus ex infima plebe, tenui cenſu, atque ipſa paupertate audentior, & cui nullum ſcelus nimis atrox videri poſſet,concitato inopum vulgo; iuſſiſque ſuis ſimilibus arma capere, magna plebeorum ſtipante caterua prætorium adit, ſenatumque omnem de ſalute vrbis cogitantē inuadit,& quatuor primores in carcerem coniicit, reliquos ſub cautione fideiuſſoria domum remittit,& vrbis regimen occupat, ipſe ductor populi, & quaſi dictator quidam effectus. Ea cum accepiſſet Imperator ꝓpere cum quatuor millibus equitum Viennam petit, neque admiſſus Holzer impediente, noctem in caſtris agit non procul ab oppido collocatis. Sequentibus diebus per conſiliarios, cum tractata reperiri concordia non poſſet,ad portam,quæ ducit in Hungariam profectus, vocatis ad colloquium ciuibus per ſeſe,quod ſibi rariſſimum fuit, in hunc modum verba fecit: Veſter ſanguis,& dominus,viri Viennenſes,propriā ciuitatem ingredi prohibeor. Quid peccaui, vt mihi portas clauderetis? latronum imputatis ſpoliationes, & me bellum ſouere arbitramini? nulli latrones infenſiores, quàm mihi ſunt; nemo pacem magis quàm ego cupit. Albertus eſt malorum incenſor & auctor. Sunt & barones nonnulli complices,quos iuuat ex raptu viuere. Sæpe fratri reconciliati ſumus, hereditatem ſępe partiti, pecuniam ſæpe largiti, ſæpe fœdera pacti, ſed nullam inuenimus in eo fidē, dictum: indictum eſt, quod heri placuit, hodie diſplicet, cuncta profundit; exhauſtus

ad me redit; exauditus ſæpe, tandem repulſus, quia ſaccum ſine fundo implere nequeo, ad rapinas ſe conuertit, & vos & omnem Auſtriam laceſſit: coercebo tamen hominis dementiam, & craſſanti libidini frenum imponam, niſi vos eritis impedimento res molientes nouas: pacem quæritis, pacem dabo. Si quid aliud ex me vultis, dicite; nihil negabo. Vos mihi fratres eſtis & filii, & quoſdã inter vos video, quos velut parentes veneror. Vnde hoc diſcidium inter nos erupit? Quis vobis ſuaſit, vt mihi portas clauderetis? Quotiens inter vos fui & tanquam Ladislai tutor, & tanquam dominus? Quid mali perpeſſa eſt ciuitas me præſente? cui vel minimam intuli aliquando iniuriam? prodeat ſi quis aliquando præter æquum & bonum me auctore læſus eſt. Non quæro veſtras opes, ditare vos cupio. Apud vos cum curia manens quid feci? Quo fugit beneficiorum memoria? Faceſſat ingratitudo, & me tandẽ veſtrum recognoſcite principem, & ſi non placet vt dominum, vt ciuem ſaltem admittite. Mouerunt verba multitudinis animos, & multis excuſſere lacrymas, nec defuere qui dicerent: Si ſic iam pridẽ, Imperator, egiſſes, nulla inter nos diſcidia ſuccreuiſſent: voluiſti per alios nos adloqui, quos audiebamus inuiti, nunc per te verba faciens pectora noſtra commouiſti. Dulce eſt audire principem, quia non ſolent ex ore domini prodire mendacia. Veni ergo Imperator optime, & tuã ingredere ciuitatẽ, & quam promiſiſti pacem dato: nos animas & fortunas omnes noſtras tuę fidei committimus. Durauit colloquium vſque ad noctem, & tandem cum multis luminaribus, & ingenti populi alacritate ac gaudio Imperator intromiſſus eſt, & in arcem receptus. Sequẽtibus diebus inter Barones Auſtriæ, qui multi aderant, & Imperatorem magno ſtudio concordia quæſita eſt, nec tamen inuenta: optimates Viennenſes Imperatorem ſequebãtur, plebs baronibus auſcultabat, & facinoroſæ multitudinis caput Holzer, qui plane intelligens ciuitatis principatũ ſibi concordiam ablaturum nouum concitauit tumultum, & Vlrico Ridrerer Imperatoris conſiliario, ac Nicolao Graſnechero equitum ductore in vincula coniectis, Simonis Nuncioli domum, qui occulte profugerat, negotiatoris ditiſſimi peruaſit, & expulſa vxore, bona eius, quæ multa fuerunt, occupauit, & quædam ſub haſta vendidit, Imperatoremque ipſum cum paruulo filio Maximiliano, & Imperatrice Leonora, viriſque circiter quadringentis in arce clauſit: reconciliatus enim ciuibus Imperator, nihil hoſtile formidans exercitum dimiſerat, togatoſque tantum & inermes curiales retinuerat: itaque facile potuit armatæ plebis incurſione claudi. Fœda res, & hactenus inaudita hic accidit; verum quam poſteros non pudeat imitari, quando nihil eſt, quod iunior ætas æque vereatur, quàm ſcelere ab ea ſuperari, quæ præceſſit. Creſcunt in dies vitia: & ille magis in pretio eſt, qui facinus magis impium excogitauit. Oblectant inaudita crimina, & nouorum ſcelerum laudantur artifices. Iurauerant in verba Cæſaris cuncti Viennenſes, eique tanquam naturali domino fidem dederant. Id tantum obſtare putabãt, ne vim poſſent inferre domino, atque machinis arcem oppugnare: infamiam periurii verebantur, ac turpem perfidiæ notam. Ad quos Holzer, quid timetis, inquit? remedium præſto adeſt: ibimus & Imperatori iuſiurandum, fidemq; præſtitam reſignabimus. Placuit conſilium: pergitur ad arcem, & alta præconis voce clamatur. Tibi Cæſar dicimus Viennenſes, quando non ille es, quem credidimus, iuramentis & promiſſis, quibus obligati fuimus, nos deinceps nolle teneri; liberumq; nobis poſthac decernimus, te tanquam hoſtem perſequi atq; inuadere poſſe. Nihil ad ea reſpondit Imperator, qui fatuę multitudinis impetum verbera ſciret, non verba requirere. Tum machinę admotæ ſunt, & acriter oppugnatio cœpta. Interea & Albertus Viennã ingreſſus, & oppidanorum, baronumque magno fauore exceptus, non quomodo germanũ ab hoſtibus liberaret, ſed quo pacto in captiuitatem quamprimum raperet, aut ferro interimeret annixus eſt: horrendum facinus, frater in fratrem deſęuit, & implacabili perſecutus eſt odio. Armatus ante arcem Albertus bombardas figere, maiores baliſtas erigere, & omne machinarum genus admouere. Federicus è propugnaculis lapides iacere, ac ſagittas; tormentum æneum, quod mortarium vocant, ingentis magnitudinis in arcis atrio componere, lapides grandiores in vrbem proiicere, hoſtes propellere, omni conatu ſe ac ſuos tueri: crudelis hinc atque inde pugna miſceri. Bohemus interea, cui cordi eſſent fraterna Auſtrialiũ odia, nec vinci alterum ab altero, ſed

vtrum-

vtrumque extenuari & annihilari placeret, vt ad ſe tandem cuncta peruenirent, veritus ne Albertus Imperatore capto, plenum Auſtriç conſequeretur imperium, ſeque tandem contemneret, Victorinum filium cum quingentis equitibus tranſire Danubium ac ſuppetias Imperatori ferre mandauit: ſeque paulo poſt cum viginti millibus ſecuturum promiſit, ac bellum Alberto & Viennenſibus indixit. Venerant iam de Styria, & Carinthia Imperatori auxilia equitum circiter quatuor millia, peditumque non parua manus, quæ vbi Victorinus aduenit, aggredi ciuitatis ſuburbia foſſa, & vallo munita ſtatuerunt: quibus non expugnatis impoſſibile erat Imperatorem educi in arce reclusum, quç licet in ipſis mœnibus vrbis ſita eſſet, intra ſuburbia tamen continebatur, nec liberum habebat egreſſum. Pugnatur igitur pro foſſa ſuburbii, & ad vallum vſque prorumpitur. Trucidantur in primo congreſſu reſiſtentes, & iam prope capta munitio videbatur, cum Albertus valida ſuorum manu procurrens hoſtes repellit. Committitur atrox prælium, & multa çedes: poſtremo Cæſariani non ſine magno damno fugam capeſſunt. Imperator, qui ad eam vſque diem, quæ fuit obſidionis nona, licet quaſſatæ turres corruiſſent, & arcis omnes muri prope ad terram protriti iacerent, nec præter legumina quod ederetur adeſſet, nullum voluerat de concordia verbum audire, poſtquam ſuorum conflictum accepit, caduceatorem admiſit. Res in hunc modum compoſita eſt: Imperator ſua ſecum referre permiſſus, liberi omnes dimiſſi, qui erant in arce. Vienna & Auſtria in annos octo Alberto gubernanda permiſſa, exceptis paucis oppidis Imperatori relictis. Cenſus ex Auſtria quatuor millia aureorum in annos ſingulos, qui Cçſari redderetur decretus. Maximilianus poſt annos octo dominus declaratus: Cetera in quibus nõ conuenere ad arbitriũ Bohemi remiſſa, qui iam ad Danubium cum exercitu deſcenderat, & prope Burgum tritici octo millibus paſſuum à Vienna conſtiterat. Quç res meliores Imperatoris cõditiones reddidit. Sic rebus compoſitis Imperatrix cum filio ad Nouam ciuitatem ſe tranſtulit, Imperator regem Bohemiç conuenit vltra Danubium profectus, & paulo poſt Albertus quoq; eò ſe contulit. Tractata eſt concordia ſuper capitulis, quæ reſtabant, nec vnquã fieri pax ex integro potuit; nec reconciliari fratres, aut ad colloquiũ perduci quouis pacto valuerunt. Credibile eſt Bohemo diſcordiam magis placuiſſe: tamen rebus haudquaquam ſedatis, rex in Bohemiam abiit: Imperator Nouam ciuitatem repetiit: Albertus Viennam, quorum tanta gratia eſt, quanta inter eos eſſe ſolet, qui alter alterius vitæ inſidiantur. Vlricus Ridrerer, quẽ diximus apud Viennenſes, in vincula fuiſſe coniectum, ſubtili ingenio cuſtodes aut cluſit, aut corrupit, & tandem cum Imperatrice ad Nouam ciuitatem peruenit: neſcia futuri mens, ſæpe quod nocet expetit. Melius Vlrico fuerat diutius in carcere macerari: paucis poſt diebus cum libertati redditus eſſet ante oſtium domus, quam inhabitauit, ſummo diluculo necatus inuentus eſt; caput à ceruice prçciſum parua pellicula detinebatur, tibiç conciſæ, & multa in corpore vulnera viſebantur: hic exitus doctiſſimi viri fuit, & qui os diu geſſiſſet Imperatoris, & ſolus leges dicere videretur; ſcientia iuris peritiſſimus, & qui Theutonica facundia cunctos præiret, ingenio verſatili, & ad omnia prompto. Ferunt mulierem cui commiſceretur fuiſſe necis cauſam, & à potenti riuali percuſſores immiſſos. Nonnulli diuinam exiſtimant vltionem, quia cum eſſet annos ſupra ſex & quinquaginta natus, & beneficia eccleſiaſtica magni prouentus multos annos obtinuiſſet, nunquam tamen ſacris ordinibus voluiſſet initiari: Nos Deo ſua ſecreta relinquimus: Vlricus de ſe ipſo dicere ſolebat, omni ſe vitio vacuum præter auaritiã, cuius ſe mancipium fatebatur; neque ab re, perorando cauſas pecuniam innumerabilem congregauit. Inter omnes Cæſaris conſiliarios ditior nec potuit relinquere cui voluit, & fortaſſe illum heredẽ habuit, cui maxime fuit infenſus, vt ſunt incertæ mortalium ſpes, & rata per raro conſilia.

In Hungaria ſæpe hoc anno cum Turcis leuia commiſſa ſunt prælia, & rara Hungaros victoria ſecuta eſt. In Valachia res Turcarum ſuperiores fuere, qui Tranſiluanã ingreſſi prouinciã non paruam inde prçdam aſportauere. Circa Sauum quoq; populati ſunt agros, & multa intulere Dalmatis incommoda: nunquam totis viribus tentate fortunam præſumpſere, quamuis Matthias rex Hungariç ad exercitum profectus pugnandi copiam facere præſto eſſet. In Aſia Turcarũ Imperator emiſſa claſſe,

Bella Turcarum cum Hungaris & aliis, eorumq; impia victoria.

Lesbon inſulam fama notiſſimam cepit freto non magno à Troiano diſcretam agro. Tyrannum inſulę ab origine Genuenſem, & qui primi erãt apud eum, & omnes Italici generis viros palo ſuffixit, reliquam turbam in ſeruitutem redegit: potuiſſent Veneti perclitantibus opem afferre, quorum claſſis quatuor & forſan viginti triremium inſtructiſſima prope aderat, qua viſa fugiſſent hoſtes: ſed præfectus iniuſſu ſenatus Turcis bellum indicere non pręſumpſit: nunc & ipſum pænitet, & ſenatum, qui maris imperium affectare Turcas nõ dubitant, & Chio timent, & Rhodo, nec Euboeam ſeruare poſſe confidunt. Libet hic quoniam ætate noſtra hæc inſula Chriſtiano nomini perdita eſt, eius ſitum deſcribere, & quos habuit viros illuſtres, & varios gentis caſus; ſic enim detrimenta noſtra melius intelligemus: pudebit fortaſſe aliquando ignauiæ noſtræ, & aduerſus religionis hoſtes paratiori erimus animo.

De Lesbi inſula ſitu atq; ambitu, & qui eam tenuerũt, quiq; ibi claruerunt, & eius excidio.

Lesbos olim non ſolum Eolica, ſed Eolicarum vrbium altera metropolis fuit, & vniuerſæ Troadis imperium obtinuit. Ambitus eius ſtadiorum centum ſupra mille à borea in auſtrum protenſa, quingenta & ſexaginta ſtadia longitudinis habens feraci ágro, & mult a materia ad claſſes conficiendas idonea, tantum a Chio, Lemnoque diſtans, quantum à Tenedo intra quinquaginta fere ſtadia. Vrbes in ea fuere memoratu dignæ; Mithylene, quæ adhuc extat, & ab ea inſula vocatur, & Pyrrha in occidentali latere ſita, quæ ab antiquo ſubuerſa relicto ſuburbio quod habitaretur: fuit & Ereſſus in colle iacẽs & Antiſſa cum portu & Methimna promontorio Lecti oppoſita: Mithylene, inter Methimnam iacet & Malyam, quod eſt auſtraliſſimum extremum inſulę Canæ oppoſitum. Hęc vrbs rebus omnibus pulcherrime inſtructa fuit, portuſque duos habuit, quorum auſtralis clauſus erat, quinquaginta triremium ac nauium capax; borealis vero magnus ac profundus aggere protectus: ambobus quędã parua inſula obiecta fuit, partem vrbis habens ibi habitatam: diſtat à Malya ſtadiis ſeptuaginta, a Cana centum ac viginti, totidem ab Arginuſis, quæ tres inſulę ſunt paruæ continenti proximæ, & Canę adiacentes. Inter Mithylenem & Methimnã, vbi vicus Egirus fuit, anguſtiſſima inſula eſt traiectum habens in Pyrrhæum Euripum, paſſuum duorum millium & quingentorum. Ex Mithylene fuit Pithacus vnus ẽ ſeptem ſapientibus, & Alceus poeta, & Anchimenides frater eius: quem Babyloniorum ſocium Alcæus dicit magnum certamẽ peregiſſe, atq; eos ẽ maximis laboribus eripuiſſe viro pugnaciſſimo, &, vt inquit, regum luctatore interempto. Cum his & Sappho clatuit admiranda mulier, & poeticę peritiſſima, cui poſt tot ſęcula non eſt reperta quæ poſſet æquari. Diophanes orator multo tẽpore poſterior fuit, & Potamon, & Lesbocles, & Crinagoras, & Theophanes rerum ſcriptor, qui Pompeio magno admodũ familiaris fuit: nam res eius geſtas poſteritati cõmendauit, & Gręcorũ omnium clariſſimum ſe exhibuit: cuius filius Marcus Pompeius Cęſari quoq; Auguſto carus fuit, à quo Aſię curator conſtitutus eſt; & poſtea inter primos Tiberii familiares locũ obtinuit. Ex Ereſſo fuere Theophraſtus & Phannias philoſophi peripatetici, & Ariſtoteli familiares; Theophraſto prius Thirtamo nomen fuit, Ariſtoteles mutato vocabulo Theophraſtũ vocauit, ſimul prioris nominis abſurditatẽ euitans, & ſimul eius facundiam ſignificans: Ariſtoteles enim diſcipulos omnes eloquentes fecit, Theophraſtũ vero eloquentiſſimũ: quę res admodũ eos confundit, qui Ariſtotelis opera omni eloquentia nuda in noſtrã linguam conuerterunt. Altera quoq; Sappho, vt nõnulli aſſerunt, hinc orta eſt poeticæ perita, & inuentrix plectri, ſed Mitylenenſi minor. Ex Methimna ortus eſt Arion, is quem Herodotus à prædonibus in mari obrutum & à Delphine incolumem deuectum in portum ad Tenarum fabulatur, quem citharœdum fuiſſe conſtat. Ex hac inſula & Terpandrum fuiſſe dicunt muſicę artificem, qui primus pro tetracordo lyra heptacordo vſus eſt; ad quem verſus illi referuntur:

Nos tibi, mutato cordarum quattuor vſu,
Iam noua per ſeptem modulamur carmina neruos.

Hellanicus quoq; rerum ſcriptor, & Callias, qui Alcęũ & Saphon expoſuit Lesbii fuiſſe perhibentur. Mityleneis duriſſima fuere cũ Athenienſibus certamina, adeoq; Athenienſes in eos ſæuiere, vt ſenatuſcõſulto decreuerint Mitylenorũ pubẽ iugulari: pænituit tamen eos, decretumque mutatæ ſententiæ vna die ante allatum eſt ad imperatores, quã mandata eſſent peractũri. Nõ tam benigne cũ Capuanis Fuluius egit, qui

qui ſuſceptis reipublicæ litteris, vt ſenatui Capuano ignoſceret, quē ſtatuerat perdere: prius æquitię ſuæ ſatisfecit, quàm litteras legeret: tanta illi ſanguinis auiditas erat. Plurimæ apud Mityleneos inteſtinę ſeditiones fuere, & plures tyranni ciuitatem oppreſſere, inter quos & Pythacum numerāt. Sed is ad dominatus eruendos principatu vſus eſt, non ad tyrannidem exercendā, qui ſublatis tyrannis mox ciues in priſtinā libertatem reſtituit, oſtend tq; ſapienti principatū non eſſe apperendum neq; libertas diuturna ſperāda eſt ciuibus, neq; perpetuo metuenda ſeruitus; altera ſuccedit alteri, ſicut montibus valles. Hanc inſulā, vt Diodorus ait, Pelaſgi primū inhabitauere. Xanctus enim Triapi filius Pelaſgorū, qui ex Argo venerant rex, parti Lycię imperauit, deinde Lesbum cultoribus vacuam petens agro Pelaſgis diuiſo, inſulā, quę Iſſa prius dicebatur, ab eis Pelaſgiā vocauit. Septima deinde progenie ob diluuiū tempore Deucalionis factum, cum inſula deſerta remanſiſſet, Macareus in eam peruenit Cyrnaci Iouis filius apud Achaiam natus, eoque Ionas tranſtulit, & humanitate ac iuſtitia plurimum auctus, & hāc & vicinas inſulas tenuit. Succeſſu deinde temporis Lesbus Lapiti filius in hanc inſulam nauigans, ſumpta in vxorē filia Macarei Methimnia nomine, apud eam perſeuerauit, & claritatē aſſecutus, inſulam à ſe Lesbiam nominauit, fuit & altera Macareo filia Mitylene appellata, quę nomen ciuitati dedit, in hoc vſque tempus permanenti. E Lesbo coloni in Chium & in Samum, & in Rhodum miſſi feruntur. Ex inſulæ cum ſaluberrimum aerem haberent, frugibus abundarent: loca vero incontinenti oppoſita, propter diluuii humiditatem peſtilentia, & frugum ſterilitate laborarent, fortunatæ ſunt cognominatæ. Macareus legē valde vtilē apud Lesbios edidit, quam leonem ab eius animantis virtute ac robore appellauit. Res Mitylenenſes nunc proſperæ, nūc aduerſę per multas manus actę ſunt. Pelaſgi, vt diximus, priores inſulā habitauere cum ſtaret Troia; poſtea Eoles ſucceſſerunt; deinde Perſarū imperium ſubiit, tum Macedonum; deinde Romanorum. Cumque Romana res in Conſtantinopolim tranſlata eſſet ſub Gręcorum imperatoribus, varia inſulæ fortuna fuit. Poſtremo cum Colaioannes Conſtantinopolitanus Imperator à Cantacuzino per arma pulſus, ope Franciſci Gateluſii Genuenſis imperiū recuperaſſet, hęc inſula ob gratitudinē auxiliatori tradita eſt, atq; in eius poſteris vſque ad hæc tempora durauit ab eo, quem necatum à Turcis diximus, cum frater natu maior aliquando rem adminiſtraſſet, in vincula coniectus eſt, publicata cauſa, quod inſulam Turcis, Chriſtianamq; fidem prodere ſtatuiſſet, vt eſt calamitatis infamia comes. Ætate noſtra Turcarum claſſes ſępenumero in Lesbum delatæ, homines & armenta abegerunt, nil extra vrbium mœnia relinquentes: quarum vnam feminea manu ſeruatā tradunt. Oppugnauerat Turcarum exercitus inſulæ oppidum non contemnendum, muriq; partem machina deiecerat, & facta clypeatorum teſtudine, irrumpere properabat, nec oppidanis animus erat ad ferendum impetum, aliiſq; deditionem, aliis fugam meditantibus: ſed adfuit mulier virilibus armis induta, quæ (mirabile dictu) ſalutem patriæ peperit: adhortata enim ciues ne hoſtem metuerent, primam ſe Turcis obiecit, ac pro loci fractura depugnans, nonnullos obtruncauit. Eius audaciā admirati oppidani, & ipſi animum reſumpſere: tantamque hoſtium ſtragem ediderūt, quantam vix ere dere quiſpiam poſſit. Turcæ è terra pulſi ægre in nauigia ſe receperunt, quos Caliſti claſſis inſecuta magno detrimento affecit. Laus tamen ſeruatæ inſulæ penes feminam fuit, cuius tædet non habere nomen: digna enim erat nō minori memoria quàm Sappho: ſed illi maiora præmia in cæleſti patria reſeruātur. Epiſcopus Caplienſis Caliſto Pontifici maximo præſente ſenatu hæc enarrauit, qui tunc tranſitum per Mitylenem fecerat, ab eccleſia ſua Romam petens.

In regno Siciliæ tertius currebat belli annus. Ferdinandus nondum exacta hieme memor cladis apud Sarnum acceptæ, & iniuriam vindicandi cupidus, eò cū exercitu proficiſcitur, oppidumque vndique clauſum, ne quid inferri poſſet, ſumma vi oppugnat. Turris in vertice montis fuit, quæ hoſtes appropinquare oppido in ſuperiori parte nō fineret: hanc pluribus diebus bombardæ regiæ quatiunt, tandemq; deiiciūt: qua te territus loci tyrannus deditionem fecit, cuius exemplū Vicus, Maſſaq; Amalphitani montis ſecuta ſunt oppida. Regi bene auſpicato noui anni bellum inchoaſſe viſum, qui oppidum vicerit, vbi fuerat victus. Circiter vndecimum calendas Aprilis

Res geſta Ferdinandi regis in tertio belli anno in Terra laboris & Apulia, & Aquadia excidium.

hanc ei Dei voluntas felicitatem aperuit, qua omnis terra laboris intra Vulturnum & Sarnum in tuto poſita eſt. Diſpar interea ſucceſſus rerum in Apulis fuit; princeps Tarentinus accerſito ad ſe Picinino ingentibus copiis Tranum obſedit, diuque oppugnauit, & cum nulla ſpes propinqui eſſet auxilii, oppidani fame laborãtes, in poteſtatem hoſtis venere: fuiſſet & arx paulo poſt capta propter inopiam annonæ, niſi præfectus Venetarum triremium frumentum intuliſſet, quę res vehementer Picininũ deterruit, Venetorum arma Gallis infeſta putantem. Genuenſibus eam vrbem Galli ex fœdere promiſerant, cum claſſem armauere, quę Rhenati filium vexit in regnum: & quamuis defeciſſet à Francis Genua, verebantur tamen Veneti ne (vt eſt mobilis ciuitas) iterum ad eos rediret, & portũ in Adriatico mari Tranenſem obtineret. Dux Andriæ vbi Tranum occupatum animaduertit, impetum belli veritus (neq; enim is erat qui Picinino ſe poſſet opponere) in gratiam cum principe rediit, rebuſq; ſuis conſuluit. Picininus Barlettam ſe contulit, & agro direpto factis induciis cum omnibus copiis Canuſiũ verſus iter ingreſſus eſt Grauinę comitis oppidũ Ferdinando amicũ, ibi obſidionem tentaturus. Cuncta in Appulis trepidabant tardante rege præſidiũ afferre. Militibus hoc anno ſolito ſtipendia tardius tradita ſunt: itaq; ante calendas Iunias emitti exercitus non potuere. Primus Alexander Sfortia cum ſuis cohortibus miſſus eſt, qui Picinini reprimeret impetũ: is cum ſe imparem hoſti cognoſceret, in agro comitis Campibaſſi ſubſtitit, eumq; diripuit, commeatibus ex Arriano perceptis. Interea rex ſecutus eſt, & paulo poſt Antonius Picolomineus, & Vrſus Vrſinus, & Robertus ſancti Seuerini, & Barnabos eiuſdem familię: in agro Griptæ, tribus ab Arriano miliaribus ſimul omnes conuenere, ducentes equitum turmas quatuor & quadraginta: deinde in baroniã Flumari tranſiuerũt, nec morati ad oppidũ Aquædię profecti ſunt duodeuiginti millibus paſſuum ab Arriano remotũ, Tarentini principis amicũ. Id ſitum in colle fuit vndiq; præruptis defenſum rupibus, vno tantum itinere, quod planum eſſet acceſſibile, & hoc anguſtũ; duabuſq; foſſis, ac turribus & propugnaculis cõmunitum, intus validũ præſidium, & oppidani circiter centum. Picininus cum accepiſſet regis aduentum dimiſſa obſidione Cannuſii inducias cũ comite Grauinæ fecit, & nihilominus contra fœdus pecus omne abegit, venitq; ad Ofantum fluuiũ, atq; eo tranſmiſſo Turricellam petiit, & itinere cõtinuato apud Macchiafocaciam (ita enim locum appellant) tribus miliaribus ab Aquadia conſtitit: neque auſus eſt cum hoſte congredi: ſed recentes in horas milites miſit in oppidum, qui pro feſſis vulneratiſque vicem ſubirent. Regiæ cohortes eo quo licuit aditu repletis foſſis, ad murum oppidi peruenere, ibiq; certamen acerrimum commiſere. Bombarda pręcipuam turrim magna ex parte concuſſam proſtrauerat, & oppidi muros ita deiecerat, vt vix hominis altitudo maneret: ſcandebant regii molẽ, & iam enſibus ac ſecuribus æquo certamine cũ hoſte pugnabant: quod animaduertens bombardę magiſter: Oppidũ, inquit, apertũ dabo, immiſſoq; igne tormẽtalem lapidẽ adeo caute per regios pugnatores emiſit, vt nullo eorum tacto tris viros ex hoſtibus acrius repugnantes, vno mactauerit ictu, reliquos ex muro repulerit. Milites lapidis impetum inſecuti oppidũ obtinuere, ſpoliatumq; combuſſere: viros circiter quinquaginta reſiſtẽtes trucidauere. In Calabris paucis diebus antequã hęc fierent marchio Crotonias, & comes Nicaſtri relicto Gallicæ partis imperio, ad Ferdinandum defecerant: & Crotonias quidem in hunc modum litteras regi dederat. *Domine, maieſtatem tuam certiorem facio, me ſcilicet, & comitem Nicaſtrenſem in nomine Dei, & magni Baronis ſancti Georgii tua felicia erexiſſe vexilla, & quod ſemper fuit animi mei, ſtatuo ſub vmbra tua viuere & mori. Et poſtquam pius Deus hac me gratia impartitus eſt, vt ad optatum finem peruenerim, nemo me viuit in hoc mundo beatior. Supplico maieſtati tuæ, vt promiſſa tuo nomine rata ſint; quemadmodũ mihi indubitanter perſuadeo. Scriptum Mayde manu propria tertio idus Iunii.*

Mors Paſchalis ducis Venetorum, & Chriſtofori ſuffectio.

Circa hoc fere tempus apud Venetos Paſchalis Malipetrus dux mortẽ obiit, cum rempublicam gubernaſſet annis circiter quinque, princeps religionis parum, quietis nimis amator, vtpote qui de bello aduerſus Turcas gerendo nihil audire voluiſſet, dum Mantuæ Chriſtianorum conuentus ageretur. Huic ſuffectus eſt Chriſtoforus Maurus vir mira probitate & pietate inſignis, quem pridẽ diuus Bernardinus Senenſis, cui Maurus admodum familiaris vixerat, ſuæ reipublicæ futurum ducem ſæ-

pe prædixerat. Is cum grauem ſenio ſe cerneret, nec facile tantum munus poſſe perferre Pio ſignificauit, principatui velle cedere, & alteri locum dare, qui melior eſſet: cui Pontifex; caue, inquit, fili ne Dei voluntati reſiſtas: tibi hoc tempus ſeruatum eſt, in quo (niſi fallimur) aduerſus Turcas Chriſtianorum arma potenter mouenda ſunt, Scimus, te Principe non defuturos Chriſtianæ reipublicæ Venetos: Quòd ſi magiſtratu te abdicaueris, qualem ſis habiturus ſucceſſorem ignoramus.

Regis Ferdinandi apud Troiam victoria Apulorumq; ſubactio.

Iacobus Picininus vbi ſe inſpectante Aquamdiam incenſam animaduertit, retro abiit, ad locum quem Turricellam vocant: Ferdinãdus cum omni exercitu ad Vrſariã cõtendit, agri Troiani oppidum Ioanni Coſſæ obediens, quod à Troia tribus millibus paſſuũ abeſt, atq; hoc poſitis caſtris oppugnare contendit, Comes camerarius cũ bõbardis, & duabus equitum turmis huc in caſtra venit, & Ioannes ex familia comitũ Romanorum cum quatuor: quinquaginta cohortes equitum Ferdinãdo fuere, peditũ circiter duo millia. Vrſarieſes, qui ſuis diffiderẽt viribus, quatuor dierũ inducias petiere, imperata facturi, niſi medio tẽpore Franci ſuppetias ferrẽt. Picininus re cognita latur⁹ obſeſſis opẽ cũ omni exercitu à Turricella per Aſculanũ agrum mouit, profectuſq; Troiã ꝓ mœnib. caſtra poſuit, qua parte ciuitas in orientẽ ſpectat. Cum eo fuerunt Ioannes Rhenati filius, Ioãnes Coſſa, Iulius Aquæuiuę, Hercules Eſtenſis, & alii cõplures Gallicarum partium duces: Equitatus par pene hinc atq; inde fuit: peditatus Picinini ſuperior videbatur: verum in caſtris regiis viri excellentes, & qui ducere nouiſſent exercitum plures fuere. Rex ipſe animo & virtute excellẽs haud parũ roboris pręſtabat exercitui. Aderat Alexander dux belli iampridẽ fama clarus, Robertus Seuerineus, Robertus Vrſinus, Ioanne. Comes, Antonius Picolomineus, Comes camerarius, Antonius Trott⁹, & aliorum ingẽs numerus: qui (excepto Papæ nepote) ſępe in magnis exercitib. ordines duxerãt. Ii poſtquam Picininum prope adeſſe nouerunt, haud ignari quamprimum belli fortunam tentandã eſſe, locorum opportunitatem quæſiuerunt, quæ ſępe magnum affert momentum. Inter caſtra regis, quæ ad Vrſariam ſita diximus, & vrbem Troiam, tumulus quidam præaltus fuit caſtris imminens nomine Verditulus, deinde Maianus paulo minor, & rurſus alius non inferior: primo ex quo in planitiem deſcenditur quæ Sãduo fluuio adiacet, vltra fluuium maior planities occurrit: poſtremo collis, in quo Troia iacet, & vrbis vineta procumbunt. Altiorem tumulum ſi prior occupaſſet hoſtis, magna regi attuliſſet incõmoda, caſtris ſuperincumbens, & aquatu milites prohibens. Ob eam rem iubetur Antonius Picolomineus primo diluculo tumulum occupare, indeq; hoſtes arcere, ſi forte illuc procurrant: Roberto Vrſino alterius tumuli cura mandatur: rex & Alexander cum reliquis copiis partes alias obſeruare conſtituunt. Antonius ante ſolis exortum montem ſibi decretum inſedit, & cum eo Ioãnes Comes, qui iam die luceſcente cum hoſtes aduẽtare ꝑſpexiſſet, in caſtra deſcendit, prouiſurus ne rex incautus damno afficeretur: Antonius ad montis cuſtodiã remanſit. Vrſini milites ſub ipſo lucis ortu ad irritandos hoſtes profecti cum turmas hoſtium incidiſſent, retro terga verterunt. Illi tertium montem occupauere, & miſſa peditum parte tumulum quoq; obtinuerunt Roberto aſſignatum Vrſino, qui eam cõtumeliam ægreferens recollectis raptim ſuis, quos fugere diximus, in hoſtes irruit, eoſq; tumulum ſibi decretum relinquere compulit: q, eũ feliciter ſucceſſiſſet, accerſito Antonio, qui ꝓpe aderat: ſi me audis, inquit, tertiũ quoq; montẽ hoſti auferem⁹: annuit Antonius, & ambo in hoſtes iter atripuerũt: nec illi morati ſunt, qui relicto in mõte pręſidio vſq; in planũ obuiã ꝓcurrerunt. Cõmiſſum eſt certamẽ, nec potuere Bracciani regios ſuſtinere, repulſi ſũt vſq; ad mediũ mõtis. Quod Picininus ex vertice cõſpicatus, ſuppetias ſuis immiſit. Tũ rurſus in planũ Antonius & Robert⁹ coacti pedẽ retulere, ibiq; p̃lium reſtaurarũt equites cum peditib. decertãtes. Superuenere deinde Alexãder Sfortia, & Ioãnes Comes, montẽq; cũ cohortib. diuerſa ex parte cõſcendere cœperunt. Quod Picinini pedites animaduertẽtes, veriti ne reditu in montẽ prohiberẽtur, mox terga verterũt, & ordine inter fugiendũ neglecto, diſſipati, & magna ex parte cæſi ſunt: mille & ducenti pedites obtinuiſſe montẽ ferebantur, qui ante faciem regiorum conſiſtere nõ ſunt auſi. Picininus cũ equitibus prior effugit, vt aliqui tradunt; quidam negãt eum illic fuiſſe. In deſcenſu montis foſſam inuenere, quę licet aquam nõ haberet, fugam retardauit, cum

difficile tranſiretur: ibi aliquandiu pugnatum eſt, & reſiſtentia ingens ab hoſtibus facta. Rex interea, & omnes belli duces paucis, qui caſtra ſeruarent relictis, cum omnibus copiis affuerunt, ad quorum aduentum exterriti hoſtes cuncti vltra fluuium ſe recepere, vbi Ioannes Andegauenſis & Picininus ſui robur exercitus in ordine collocauerant. Medius inter hoſtiles acies non magnus quẽ diximus decurrebat fluuius, tanquam limes quidam arma miſceri prohibens. Dubitabant alteri alteros inuadere, nec tranſiri amnis ſine vi magna, & periculo poterat aduerſas ripas hoſte defendẽte. Anceps aliquãdiu rex quid ageret, tandẽ copiarum partẽ ad ſuperiorem fluminis decurſum tranſmiſit: iuſſitq; amnem tranſire, atq; hoſtes pugna laceſſere; ipſe ex loco in quo erat cum ſuis, vt aiunt, creatis, & validis nõnullis cohortibus tranſmittere Sanduũ decreuit, ſortẽq; extremã experiri, animo in vtranq; partem parato, ſeu vincere Deus daret, ſeu ſortem aduerſam ſubire. Quod cum Alexander cognouiſſet, prope accedens: quid agis rex, inquit? tranſeuntem fluuium aut te vincere oportet, aut ſuccumbere. De tota re ludes. Ad quẽ rex: Iſtud, inquit & opto & quæro, aut meas hodie, aut hoſtis moleſtias finiam: Deus tamen adiutor aderit, & vos tot fortiſſimi viri non ſinetis hoſtem eſſe victorem. Nec plura locutus, admotis equo calcaribus, fluuio ſe commiſit, quo traiecto paruum quendam cliuum nõ magno negotio, deiectis hoſtibus ſuperauit, & in planum peruenit campum. Secutus eſt Alexander regis exemplum, & omnis exercitus ſine mora traiecit amnem. Rex in dextro cornu non tã ducis, quàm militis officium gerens acriter pugnam iniuit. Alexander in ſiniſtro cornu produxit aciem. In media fronte multi pugnauerunt viri præſtantes, qui magno impetu hoſtem aggreſſi, terga vertere, atq; ordinem interrumpere coegerunt, & vſq; ad radices montis ex campo deiecerunt. Illic foſſa non magna fuit, quam cum hoſtes pertranſiſſent, vrgente Picinino, ac Ioanne Andegauenſi, & aliis ducibus fugam prohibentibus, faciem verterunt, ac prælium inſtaurantes, tandiu reſtitere, donec Alexãder à ſiniſtro incurrẽs latere, tranſuerſam perturbauit aciem, omnẽq; hoſtis conatum irritum fecit. Hinc iterum Bracciani depulſi, celeri curſu collem aſcendere Troianum, atq; inde conuerſi ex loco ſuperiori, facile regiorum impetum repreſſere, ibiq; duab⁹ circiter horis ſumma cõtentione pugnatum eſt: nec potuerũt hoſtes loco moueri. Tumulus erat arduus in parte ſiniſtra, vſq; ad vrbem protenſus: hunc Tarentini principis equites, & Capacciani & Franci cum vexillis inſederant. Hos deturbare loco rex aggreſſus Alexandro aduerſus Braccianos dimiſſo ex pluribus equitum turmis tris validiſſimas acies inſtruxit: vnam ipſe duxit ſagittariis præmiſſis: alteram Antonius Picolomineus, & Ioannes Comes: tertiam magnus Seneſcallus, cuius nondũ equites eius diei prelio ſeſe immiſcuerant: comes Vrſus regis adhæſit lateri: Robertus Vrſinus paulo ante cum ſuis equitibus ex aduerſa parte ſuopte ingenio montẽ aſcendere cœperat: & iam quatuor itineribus in tumulum fiebat incurſus: hoſtes tanquam excepturi prælium alacres apparatis protenſiſq; haſtis tandiu manſere, quoad regios ſummo appropinquare vertici aduerterunt: exin ſubito terrore perculſi, fœdam arripuere fugam. Inſecutæ ſunt regiæ turmæ, & fugando cædendoq; vſque ad vrbis mœnia peruenerunt. Idem Sfortiani fecerunt, qui Braccianos, quamuis è ſuperiori loco dimicantes, in ipſas vrbis foſſas præcipitauerunt: parumq; abfuit quin hoſtibus immiſti portas irruperint: ſed his ab oppidanis militibuſque, qui intra mœnia confugerant, ſtatim clauſis, plurimi ante mœnia capti ſunt, & non pauci necti, vexilla per muros intra vrbem tracta. Cum ſpes expugnandæ vrbis nulla eſſet, ad diripienda caſtra properauere per ipſas foſſarum ripas, qua parte ciuitas ſeptentrionem ſpectat: illiſq; paſſim direptis ingenti præda potiti ſunt: nam plus quàm mille equos impedimenta ferentes intercepere. Interea vexilla regia paruo cum præſidio relicta cum Picininus conſpicatus eſſet vociferans per vrbem regem cum Alexandro captum, fugientes ſuos in aciem coegit: egreſſuſq; portã, ad vexilla regis procurrit, magnoq; damno, & maiori dedecore Ferdinandum affeciſſet, niſi accurrentes ſubito Antonius Picolomineus, & Robertus Vrſinus iter eius impediuiſſent. Ibi rurſus acre certamen cõmiſſum eſt: & cum modo regii, modo Bracciani pedem referrent, tandẽ vexilla ſaluata ſunt, & Picininus voto fruſtratus in vrbem rediit. At profligatis vbique hoſtibus, direptis caſtris, trecentis & amplius galeatis militibus interceptis, cum

iam

iam nihil timendum victoribus videretur, non parua clades illata eſt regiis. Vidit Picininus milites, qui caſtra inuaſerant cum præda ſine timore, ſine ordine redeuntes, nõ procul ab vrbe tranſitum facere, irruitq; in eos, & partem prædę recuperauit; galeatoſq; milites nõ paucos abduxit, atq; ita partem damni reſarciuit: precioſiora tamẽ caſtrorum bona ad regios peruenere. Ioannis Andegauenſis gaza, & ipſius Picinini argentum, & Herculis opes, & veſtimenta nobilium gregarii inter ſe milites partiti ſunt: hæc eius diei ſors fuit, quę ad quintum decimum calẽdas Septembris illuxit anni milleſimi quadringẽteſimi ſexageſimi ſecundi. Vrſarienſes vbi ſuperatos Francos didicerunt eadem die ſeſe dedidere. Ioannes Andegauẽſis, & Iacobus Picininus diffiſi Troiam poſt acceptam cladem poſſe defendi, ac veriti ne intra mœnia clauderentur, intempeſta nocte cum quadringentis circiter equitibus fugæ ſe commiſerunt. Rex biduo poſt caſtris ab Vrſaria motis vrbem obſedit. Ioannes Coſſa cum præſidio, inerat & arcem tenebat: oppidani clam exeuntes, Alexandrum commonuere vti poſtridie quamprimum illuceſceret oppugnare pergeret vrbẽ, futurum vt captis ciues armis externos milites comprehenderent, vrbemq; ſibi aperirent. Annuit Alexander cõſulto rege, ſtatuitq; primo diluculo ſcalas admouere mœnibus, vrbemq; totis viribus oppugnare. Longior ſolito viſa eſt ciuibus nox, nec lucem expectare potuerunt: inter quos triginta fuerunt equites galeati, qui media nocte armato populo ductores ſe præbuerunt: & curſu per vrbẽ facto, præſidiarios equites circiter ſeptuaginta, pedites trecentos intercepere, apertiſq; portis Alexandro vt ingrederetur, atq; vrbis imperium caperet, poteſtatẽ fecerunt, Sforziadum familiæ non regi ſeruituri. Iacobus cognomẽto Squarcia, & loci epiſcopus auctores nouitatis fuere: cum nollet Alexander accipere vrbem regi debitam, nec ciues regis ſubire iugum vellent: tandem conuentum eſt, vt Iſottæ Mediolanenſium ducis filiæ primogeniti regis ſponſæ ciuitas traderetur, atq; ita Sforziadum ſanguis poſt longa tempora Troiam recuperauit. Ioannes Coſſa in arce clauſus, vbi ſpes reliqua nulla fuit, poteſtati regiæ ſe permiſit libere, ea tantum conditione adiecta, ne vis corpori eius inferretur: qui vbi ad regẽ in caſtra perductus eſt, proſtratus in tentorio ante pedes hoſtis: Tua me, inquit, victoria ex domino ſeruum fecit, & te quodammodo ex priuato regem nudius tertius regnum Siciliæ ludens fortuna ad te detulit, & me tibi ſubiecit. Nunc te regem eſſe profiteor, facturus quæ iuſſeris. Tu ſi regio fueris animo, nihil imperabis quod inuitum me facere noueris: cui rex; vnus eſt regnorum diſtributor omnium & dator Deus: is miſit angelum ſuum, & in bello me fecit victorem & regem: prius incerta res erat cui nam faueret cælum, nunc rata eſt Romani Pontificis conſtitutio, qui me prętulit Andegauenſibus, & te vel inuitum in manus meas dedit. Ignoſco tibi, qui fidem antiquo ſeruaſti domino: ſi vis apud me degere, ædibus & agris te donabo, quibus more nobilium vitam agas: ſin mauis ad priorem reuerti dominum, & noſtra contemnis arma, quæ Deus iuuat, liber eſto; & tuum arbitrium ſecutor. Ioannes, qui ſeruire Aragonenſibus neſciret, ad Andegauenſem rediit, traditis prius Ferdinando quæcunque poſſidebat in agro Troiano vel arcibus, vel caſtellis. Secundum hanc victoriam, & Fogienſes capto præſidio, quod apud eos erat Gallicæ partis, ad regem defecere. Deinde Luceriam itum eſt; ſpe data, quod oppidani metu territi deditionem facerent: quod cum non ſucceſſiſſet, ad ſanctæ Seueræ oppidum opulentum admota ſunt caſtra: nec dubium erat quin armis obtineri poſſet: ſed oppidani direptionem veriti vltro ſe dediderunt. Hinc retro iter ad Troiam remenſum eſt, & deinde Aſculum verſus motus exercitus. Aſculani nihil in prin●ipe, cui ſuberant ſpei collocantes, prius quàm veniretur in vineas miſſis legatis ciuitatis claues Ferdinãdo tradiderunt: præfectus arcis paucorum dierum pactus inducias cum nemo ſuppetias ferret, idem fecit. Paruum erat non procul oppidum ducis Melphiæ nomine Candela, quod repentino impetu direptum atq; combuſtum eſt. Venit & in poteſtatem Baronia Petræ, Monſcorbinus, Motta, Lancedonia, & Rochetta: & alia non parui momenti oppida. Carolus ſanguinis & dux Melphiæ, poſtquam nullum in Gallis præſidium eſſe viderunt, ad regem in caſtra profecti in eius verba iurarunt.

Interea cum ad Oſantũ fluuium ventũ eſſet, frequentes nuntii, & principis Tarẽtini ad regẽ, & regis ad principem de pace agentes diſcurrebant. Princeps victorem

Pax inter Ferdinandũ

regem, & principem Tarentinũ, & illa fœdera.

formidabat exercitum:rex pecunioſum ſenem verebatur,ne per deſperationẽ apertis theſauris Picinini copias armaret:bellumq; de integro inſtauraret: factæ ſunt viginti dierum induciæ,& cardinalis Rauennas medio tempore ad principem profectus pacem cõponere adnixus eſt. Aderat Picininus magna promittens, ſi ad inſtaurandũ exercitũ pecunia daretur. Aduenerat& Sigiſmundus Malateſta, qui domi cõflictus(vt poſtea dicemus)auxilia principis ex fœdere requirebat: ſed nulla victo fœdera proſunt:pacta cũ ſorte ipſa reſoluuntur. Principẽ,qui magnã theſauri ſui partem aſſumpſiſſet,plura exponere tædebat,& certam pacẽ dubiæ victorię præferebat. Ob quas res poſt multa cõſilia,quæ in vtramq; partem audiuit;tandem Malateſta & Picinino excluſis,auctore Cardinale concordia in hunc modum cõfecta eſt. Ferdinãdo Siciliæ regi,& Ioanni Antonio principi Tarentino, eorumq; ſucceſſoribus & ſubditis inter ſe pax & tranquilla quies eſto;& omnis belli memoria, atq; vlciſcẽdi cupido procul abito:Ioannes Antonius publicæ ſalutis inſtaurator habetor;præmia &honores ſpetato,quibus reipublicæ conſeruatores afficiuntur: paternam hereditatem, & quæcumq; poſſedit,cum vita exceſſit Alfonſus,retineto; Mariliano excepto, quod reginæ in donum cedito:Crotonũ inſuper,Malfettam,Iouenatium,Venuſium, Minuruinum,Rubum,Auellum,Montemmelonis quoad vixerit: Bithuntum vero & Cauratum ſibi & ſucceſſoribus vendicato;& in his vectigalia regia pleno iure percipito:Aſculũ&arcẽ è manu regia recuperato;feuda nobilia, & alia quęcũq; inter decretã ſibi prouinciam pro ſuo arbitrio diſpoſito. In terris,quæ dominiales appellãtur, & ſibi dimiſſæ ſunt,regius vicarius cum mero& mixto imperio,ac plenitudine poteſtatis irreuocabilis eſto:de rebus,quæ iure perpetuo poſſidet, aut inter viuos, aut in teſtamento(vti libet)diſponito:ex vectigalibus terrarum Apuliæ, quas elegerit, centum millia auri nummũ dum vixerit quot annis accipito,ſi tantum cortadere nequiuerit,reſiduũ ab ærario regio in tribus terminis expectato: militiam quantã voluerit alito:Barones intra principatum ſuum abſq; prouocationis metu corrigito; Luceriam,&Manfredoniam ad regis obedientiam quoad liceat reducito: arcẽ vici,& cunctas terras Baroniæ Flumari perſolutis ſibi munitionibus regi reddito. Ioanni Andegauenſi vt regno cedat atq; abeat perſuadeto:Ferdinando & ſucceſſoribus eius fidelis eſto: vexilla eius erigito:Rhenati reiicito; hoſti publice, clamve ne faueto; Sigiſmundo Malateſtæ extra gratiam Pii Pontificis remanenti,ſuppetias nullas cõcedito; Vrſo Vrſino iniuriam & omnem actionẽ remittito; in Aſculanos, qui ſe regi dedidere minime vlciſcitor:ſalua ſecuritate ſui ſtatus,equitatu, peditatuq; omni aduerſus hoſtem regem iuuato;comitẽ Euerſum,ſi nihil aduerſus Pium Romanamve ſedem molitus fuerit,fœdera ſecum percutere cupientem ne reiicito. Si quid aduerſus ſe, ſuoſq; machinari regẽ contigerit,Picininum libere in auxilium ſuũ aduocato: & nihilominus percuſſa fœdera in ſuo robore remanẽto:Tranum intra ſex dies, & Salernum quamprimum poterit regi reddito:qui regi ſtipendia fecerint, equites pediteſve iniuſſu regis ne cõducito:idem rex facito in his qui ſibi militauerint: Tranum rex nullo vnquam tẽpore à ſe abdicato:Salernum intra annum nulli concedito: impẽſas in arce Salernitana factas, id eſt aureos tria millia quingẽtos reddito: Pio Pontifici ſupplicato, vt Sigiſmundo Malateſtæ, &fratri eius ſtatus reintegretur: Tranẽſibus & Salernitanis læſę maieſtatis crimẽ remittito:hoſtes ex Manfredonia, Luceriaq; cum ſuis bonis libere abire permittito, ſi ea loca ſuáſu principis regi ſe dederint. Ioanni Franciſco Vrſino Aquamdiam,&Carbonariã,Raymundello Vrſino Laurenzanam reddito:aduerſus Vilhelmum Capaccii comitem expeditum principi iuſdicito. Ioãni Andegauenſi,Iacobo Picinino, Sigiſmundo Malateſtæ ſecuritatem facito quoquo velint intra dies octo & decẽ cum ſuis copiis,&rebus ire ſiue diuiſim,ſiue cõiunctim. Interea locus in quo fuerint ſimul omnes tutus atq; immunis eſto. Comiti Iulio Aquæuiuę cuncta reddito,quæ fuerunt patris Ioſiæ tẽpore mortis Alfonſi, & amplius Adriam & Theramum & Siluuium intra ſex menſes, & cuncta quæ tenet Alexander. Celino in annos decem, & ſancto Fabiano in annos viginti priſtinam libertatem reddito:vectigalia regia in his terris Iulio permittito:& amplius quoad vixerit aureos mille ſingulis annis elargitor: comitatum Conuerſani ſibi & vxori ſuæ pro voluntate principis confirmato: vt ſe ducem Adriæ Iulius vocet permittito; & quamuis

ducatus

ducatus cauſa in verba regis iuraturus ſit, liberum tamen finito: ne pluſquam princeps voluerit perſona eius obligetur. Quæcunq; principi rex, aut regi princeps promiſerit, Pius Pōtifex maximus cōfirmato, atq; vt obſeruētur curato: Franciſcus quoq; Mediolanenſium princeps expromiſſor accedito: Monumenta regia ſuper conuentis arbitrio ſapientis, quē princeps elegerit, vt certam obtineant roboris firmitatem, aguntor. Hæc ad vndecimum calēdas Octobris in vrbe vigiliarum geſta ſunt anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſecundo. Quibus publicatis Picininus, & Sigiſmundus Malateſta conſternati animo Tranum conceſſere, cum Ioanne Andegauēſi reb. afflictis cōſulturi. Sigiſmundus ſex diebus antequam Franci ad Troiam confligerentur in Piceno, & apud Senogalliam prælio victus fuerat, de qua re nunc ſcripturi, haud abſurdum putamus de Malateſtarum origine, & eius gentis progreſſibus noſtræ hiſtoriæ aliquid interſerere.

Malateſtarũ familia origo, & progreſſus, & geſta vſque ad Sigiſmundũ.

In Caſtello Pennæ Montisferetrani agri duo fuere fratres, nomen vni Malateſta, alteri Ioannes, ambo Malateſtæ filii. Ioannes vxorem Suliani duxit, & dimiſſa paterna domo cum ea illic habitauit: Malateſta Verruchium ſe contulit Ariminenſis agri, & ibi cum eſſet induſtrius & robuſti corporis, ad equeſtrem militiam prouectus eſt. Ariminum per id temporis imperio ſuberat Federico ſecundo imperante, cum iam pridem Romandiolam, quam Priſci Cæſares Romanæ Eccleſiæ reſtituerāt Theutones abſtuliſſent. Rigettus Vicentinus Pandulphinæ gētis Vicariatum gerebat. Duæ factiones inerant, Guelforum & Gibellinorum, quod malum in Italia late patuit: Gibellinorum principatum geſſit eques nobilis & diues nomine Parcitas, cuius filiam Rigettus Vicentinus duxerat. Guelfi, quamuis eſſent multi, principe & ductore carētes contemnebantur: ob quam rem caput ſibi conſtituere decreuerunt, vocatumq; à Verruchio Malateſtā poſſeſſionibusq; donatum Guelfis omnibus præfecere. Interea cum obiiſſet Federicus ſucceſſor eius Henricus quintus in Italiā venit, & Parmam obſedit, ad quem profectus Rigettus Pandulphus, aureos ei duo & viginti millia detulit: tantū ſe pro Imperatore ex Vicariatu ſuo corraſiſſe dicens. Imperator inopia laborans id auri percupide accepit, Vicariatumq; Rigetto cōfirmauit, & paulo poſt natam ei filiam de ſacro fonte per procuratorem leuauit: puellæq; dono dedit caſtella tria, Runchumfrigidum, Giouediam, & Trebum. Mortuo Rigetto Guelfi egregium palatium Malateſtæ ædificarunt iuxta epiſcopium, & cuſtodes corporis illi addiderunt, & opes auxere, cuius conſilio & animi promptitudine Guelfarum partes in dies potētiores fiebant. Id ægre tulit Parcitas, veritus ne Malateſtæ augmentū, ſuū eſſet detrimentum: quod vt impediret; amicitiam eius perquiſiuit, neptemq; ſuam ex filia in matrimonium ei dedit Rigetti filiam caſtellis tribus, quæ ſupra nominauimus dotis nomine aſſignatis. Sed nulla eſt ſancta regni ſocietas, nec tyrannidis affectum ſuperat affinitas. Auctus nouo matrimonio Malateſta familiam quoq; auxit, & ſatellites ſibi ex Guelfis plures adiunxit: maioremq; ciuitatis partē ad ſe traxit: Guelfos extulit, Gibellinos repreſſit. Hinc ſimultas, deinde apertum odium inter Parcitatem, & Malateſtam erupit, adeo vt alter alteri nequaquam ſe crederet; atq; in dies inuidia, & maliuolentia creſceret, & ambo armati per vrbem incederent, & ferro dimicaturi de tyrannide viderentur. Ciues in armis erant, & ambæ partes externa quærebant auxilia: Parcitas Guidonem comitem ex Vrbino acceſſiuit; Malateſta ex Verruchio ſuos amicos: nec tamen hic aut ille audebat certamen incipere. Malateſta nobilem eiuem clientelis & affinitatibus potentem non ſperabat vrbe poſſe depellere: Parcitas Guidonis aduentum præſtolabatur. Sic ſuſpenſa ciuitate, ac tumultum & prælium in horas timente; ecce aſinus in platea, quam populi campum vocant, aſinam libidinoſus inſequitur, atq; ingenti rugitu cuncta complet: fugit aſina rabidum animal morſu & calcibus vrgens; fugam & homines capiunt, qui cauſam ignorant; prælium inchoatum putant, & tyrannos inter ſe pugnam conſeruiſſe. Curritur ad arma, & ſuos quiſq; duces iuuare pergunt. Ludouicus eques Caminatenſis in forum procurrit armatus, & Malateſtam vrbis dominum proclamat. Accurrunt & Parcitatis amici, Ludouicumq; ſagitta confoſſum perimunt: nec mora, Malateſta cum expedita armatorum manu huc ſe recipit, cogitq; partē aduerſam pedem referre vſq; ad fontem quendam extra forum: hic rurſus prælium inſtauratum eſt: & tribus diebus acerrima conten-

tione certatum,& multi perierunt. Interea certior factus Malateſta Guidonem Vrbinatem apud ſanctum Marinum expectare, Parcitati auxilio venturum cum trecẽtis equitibus, nobiles quoq; Petramalenſes, Firmanos, & Fabrianenſes ſuppetias inimico mittere, terrore permotus, primores quatuor vrbis ciues ad ſe accerſiuit probitate & auctoritate præſtantes, & quibus ciuilis diſcordia moleſtiſſima eſſet, dixitque illis ſe ignorare cur Parcitas vrbem excidio traderet, ſe neque priorem inchoaſſe pugnam, neque ciuilem libenter effundere ſanguinem; poſiturum arma, ſi Parcitas idẽ faciat. Illi Parcitatem conuenere, multiſque verbis orauere vt ſuorum ciuium ſanguini parceret: neque fruſtra locuti ſunt, amator ſuæ patriæ Parcitas facile in concordiam ductus eſt. Venere ad colloquium duces partium, & oſculati alter alterum, viſi ſunt in amicitiam rediiſſe. Populus ambos humeris ſublimes extulit, & tanquam vrbis dominos in palatio publico collocauit, Parcitati & Malateſtæ vitam precatus. Deinde communi conſilio per præconem iuſſi ſunt externi milites vrbe excedere. Parcitas, qui bonam ineſſe fidem arbitrabatur, nec vllas verebatur inſidias, præſidia, quæ ad eum venerant illico dimiſit, ſcripſitq; Vrbinati vt domum rediret, nam res vrbanæ compoſitæ eſſent. Malateſta fraude vſus, auxiliares ſuos in duas partes diuiſit, & alteram domi abſcondit, alteram publice iuſſit ab vrbe recedere, datis clam mandatis vt ad mediam noctem redirent; quod & factum eſt: cum veniſſent ad pontem Maonis tribus millibus paſſuum ab vrbe diſtantem, iam nocte obſcura conuerſi retro, per portam Gattuli intromiſſi ſunt; & coniuncti cum his, qui domi apud Malateſtam latebant: percurſa ciuitate partis Guelfæ dominatum acclamauere, & Malateſtam principem, Gibellinis & Parcitati mortem comminati. Quod vbi Parcitas intellexit, deſtitutus externo auxilio, & nullam in ſuis ciuibus ſpem habens, fugæ ſe cõmiſit: ex amicis eius atque cognatis multi & capti, & occiſi ſunt: inter quos Montagna gentilis eius in carcerem coniectus eſt, & ibi crudeliter necatus. Parcitas ad ſanctum Marinum ſe contulit: quem cum vidiſſet Guido venientem, neque enim adhuc inde receſſerat, Optime inquit venito ciuitatis perditor, alludens nomini, quia ſermone Italico paululum immutatis litteris Parcitas idem ſignificat. His artibus Arimino potitus eſt Malateſta, à quo Malateſtarũ nomẽ exordium ſumpſit. Ceterũ parũ id Malateſtæ viſum; Ioanni quoq; Germano, quem diximus Soliani vxorem duxiſſe, atq; ibi domicilium contraxiſſe bellum indixit, quoniam exules Ariminenſes benigne excepiſſet. Dura obſidione frater à fratre concluſus eſt, duodecim maiores baliſtas Malateſta Soliano admouerat, & contra ius belli non die tantum, ſed noctu quoque, ingentes in oppidum lapides & res fœtidas iaciebat. Sed obiit Malateſta priuſquam frater expugnaretur, relictis ex duabus vxoribus quinq; filiis, Malateſtino cognomento Luſco, quoniam altero careret oculo, & Pandulpho, ex eadem matre Ioanne claudo, Paulo Pulchro, & vltimo, qui fuit Ghiaccioli comes. Malateſtinum ferunt audacem fuiſſe virum, & ardentis ingenii: verum Gibellini nominis infeſtiſſimum hoſtem. Hic patri in Arimino ſucceſſit, quo gubernante, Ioannes claudus Paulum germanum in adulterio cum ſua coniuge reperit impatiens iræ ac furoris ambos adulteros interfecit: Ioannes primus ſuam familiam parricidio deturpauit. Huic tres filii fuere, Tinus, Rambertus, & Archipresbyter. Per idem tempus comes Ghiaccioli ex Arimino abiit, & in comitatu ſuo moram traxit, eo propoſito, vt aliquando Malateſtinum occideret, qui Pauli Pulchri necem non vindicaſſet. Iniquum eius propoſitum mors Malateſtini paulo poſt ſecuta præteruertit. Qui relicto filio Ferrantino è vita deceſſit. Obiit & circa idem tempus Ioannes claudus, & eius filius Tinus, ex quo ſuperſtes fuit alter Ioannes. Principatus Ariminenſis ad Pandulphum peruenit Malateſtini germanum. Hunc aiunt cum ſtatuiſſet equeſtrem ordinem profiteri è propinquis vrbibus præcipuos nobiles ad ſe vocaſſe, & ſplendidum apparaſſe conuiuium, & ludos inſtituiſſe militares, in quibus primus ipſe militiæ cõcilium accepit: deinde filii eius Malateſta & Galeottus; tum Ferrantinus ex fratre nepos eius, & Malateſtinus abnepos, & Rambertus Ioannis claudi filius cum Ioanne nepote ex Tino genito, & alii complures, tum ciues, tum extranei. Poſt hæc cum accepiſſet Pandulphus Ghiaccioli comitem ad Ariminenſem principatum aſpirare, & res nouas in vrbe moliri ad Ciolam ſe contulit; germanumq; vt ad ſe veniret cœnaturus

turus

turus euocauit: quem venientem,& in menſa ſedentem, tres ſpurii è latibulis armati prodeuntes, vt Pandulphus conſtituerat, interfecerunt. Atque ita ex quinque filiis prioris Malateſtæ duo fraternis inſidiis periere: Pandulphus cæſo fratre paulo poſt deceſſit. Ariminenſes Ferrantinum ſibi dominum elegere Malateſtini filium: huic Rambertus ſolemne conuiuium apparauit, fueruntque cum eo in prandio Malateſtinus Pandulphi filius,& Ferrantinus cognomento Nouellus, & Galeottus: quibus diſcumbentibus, Rambertus tanquam ſanguis è naribus deflueret, è menſa ſurrexit; & ingreſſus cubiculum ſumpſit arma: reuerſuſque cum expeditis circiter centum armatis,hoſpites comprehendit, nec moratus in forum deſcendens imperium ciuitatis arripuit,ac tribus diebus dominatus eſt. Quod cum audiſſet Malateſta Galeotti germanus,cum valida militum manu ex Piſauro, vbi reſidebat, Ariminum venit,ſuppetias Ferrantino laturus.Non expectauit impetum eius Rambertus, ſed porta egreſſus ſancti Petri, ad oppidum ſancti Archangeli cum captiuis ſe contulit. Oppidani excitato repente tumultu captiuos è manu Ramberti eripuerunt; liberoſque remiſerunt Ariminum: & iterum Ferrantinus principatum vrbis accepit. Rambertus Ciolam ſe contulit,cui & Caſtilionum parebat. Ferrantinus in eum duxit exercitũ, & obſidionem firmauit.Interea legatus Apoſtolicus Bononiam venit Beltramus epiſcopus Oſtienſis,cuius fauore adiutus Rambertus,obſidione liberatus eſt,& pax facta metu legati aliquandiu durauit.Scribebant alter alteri,&dona inter ſe miſſitabant,nec Lambertus aliud quærebat,quàm Ferrantino reconciliari. Ibat Ferrantinus ſępe venatũ, Rambertus ei ſe comitem obtulit,nec recuſatus eſt: apud Pogianum venationi locus dictus,ibique cum veniſſet Rambertus, ac veniam peteret erratorum, repente à Ferrantino obtruncatus eſt. Tertium hoc parricidium in domo Malateſtarum numeratum,in quo patruelis manu,patruelis cecidit. Legatus Bononienſis id ſcelus deteſtatus in pœnam criminis Ariminum à Ferrantino repetiit, qui deſtitutus à gentilibus ſuis,qui Eccleſiæ imperium verebantur,vrbe exceſſit,& Ronchum frigidum ſe recepit:Malateſtinus ad ſanctum Ioannem in Galilæa ſe contulit. Legatus Ariminum pro ſancta Romana Eccleſia recuperauit, venientemque ad ſe parricidam, & veniam petentem, iuſſit vt cuncta dimitteret Ariminenſis agri oppida: ille pariturum ſe dixit, & ſequenti die per Ferrariam & Venetias migrauit in Forum Iulii,& apud Branchinum nepotem in portu Buſalecto ſex menſibus delituit. Legatus ad Mondainum caſtra poſuit,Malateſta & Galeotto coniungentibus arma,Malateſtinus à Peruſinis,Firmanis,Fabrianenſibus,Aretinis,& Vrbinatibus adiutus oppidũ tuebatur: ob quam rem legatus reuocato Ferrantino ea lege pacem dedit,vt reſtituto Mundaino,oppida reliqua retineret. Non multo poſt legatus obſidere Ferrariam ſtatuit, Malateſta & Galeotto cum copiis in auxilium vocatis:ibique conflictus eſt Eccleſiaſticus exercitus, & multi mortales periere cum Scaligeri Veronenſes Ferrarienſibus ſuppetias tuliſſent. Galeottus & Malateſta capti fuerunt. Ea re cognita Ferrantinus & Malateſtinus Eccleſiæ cladem ſuam arbitrati felicitatem eſſe,amicos in arma vocant: dimittitur è veſtigio Galeottus,quem Ferrantinus apud Scorticatam conuenit, eique reconciliatus eſt, & iunctis armis Aretinorum auxilio, qui quadringentos equites miſere vſque ad Arimini portas populati ſunt agros: Deinde ad Mondainum conuerſi, per deditionem potiti ſunt oppido:poſt hæc & Malateſta è carcere dimiſſus Piſaurum rediit.Legatus ex Bononia equites ſexcentos,pedites mille Ariminum miſit,qui Ferrantini furorem reprimerent,& Malateſtę vterentur conſilio,nec præualuit:hoſtis enim è ſancto Archangelo mouẽs Marecchia tranſmiſſo fluuio cum peditibus mille quingentis, equitibus centum ſexaginta, & multis exulibus ad portam ſancti Andreæ procurrit. Ciues in vrbe tumultuati cœperunt,& vicos præcludere.Buſcula ciuis in vrbe potẽs, cognomento Faitanus, cuius ædes muro ciuitatis hærebant, quadringentos pedites Galeotti,&vexillum eius intra vrbem recepit,partemque ciuitatis inuaſit,quam ſancti Andreæ tribum appellant: ſed accurrentibus ſex Eccleſiaſticorum turmis in domum ſuam profugit,& Galeotti milites è tribu miſit. Eccleſiaſtici tanquam ea in parte ciuitatem tutati fuiſſent,in forum reuerſi ſunt. Buſcula iterum reuocatis Galeotti cohortibus,ad portam ſancti Andreæ feſtinans repagula, & ingentia ſaxa diſrupit,& Ferrantinum cum omnibus copiis intromiſit: qui congreſſus in foro cum Eccleſia.

ſticis,eos in fugam vertit,& tandem in Agolontorũ tribu conflixit, cum populus vndique in illos deſæuiret:& mulieres è feneſtris tectiſque ſaxa iacerent. Sic rurſus Ariminenſes Malateſtarũ ſubiere iugum. Eccleſiaſtici omnes capti, & armis exuti ſunt. Haud tamen diutina ea felicitas Ferrantino fuit, qui cum ſtatuiſſet Malateſtam & Galeottum tanquam regni æmulos perdere, ab ipſis cum Malateſtino & Guidone nepote captus eſt, & in carcerem apud Gradaram coniectus. Malateſta & Galeottus Ariminenſem principatum obtinuere. Ferrantinus è carcere dimiſſus Vrbinum ſe contulit. Ferrantinus Nouellus per idem tempus Bononiæ agebat,qui audita nouitate Mondainum,& ſanctum Laudentium occupauit. Guido & Malateſtinus in carcere necati ſunt: quod in domo Malateſtarum quartum parricidium memorant. Ferrantinus Vrbinatum auxilio, & oppidanorum deditione Montemſcutoli recuperauit. Malateſta mox eo duxit exercitum, & obſidionẽ firmauit: Peruſini quadringentos equites Ferrãtino ſuppetias miſere: Malateſta vt eis occurreret, ſeptingentos Florentinorum equites, qui auxilio Venetorum aduerſus Carrariũ mittebantur, mercede conduxit,præcluſitque hoſtibus iter,& oppidanos ad deditionẽ compulit. Peruſini ſpe fruſtrati domum reuertere,& Florẽtini à Malateſta dimiſſi ſunt:nec tamẽ iccirco quieuit, ſed Mondainum profectus oppidum circumſedit, & turres duodecim ligneas erexit impoſitis præſidüs,quę dies ac noctes obſeſſos vrgerent. Vbertinus Carraria eo accepto,cum eſſet Ferrãtini affinis, Peruſiæ quingentos conduxit equites, ac Ferrantino aduerſus Malateſtam ducendos commiſit. Territus ea re Malateſta,ſoluta Mondaini obſidione, & omnibus munitionibus exuſtis, copias reduxit Ariminũ. Hoſtis nouo prę́ſidio fretus in agrum Ariminenſem duxit,ac Verruchiũ per deditionem accepit. Deinde cum caritate premeretur annonæ, Peruſinos remiſit,& paulo poſt à Malateſta obſeſſus,oppidum reſtituit,atque Vrbinum rediit. Malateſta cuncta eius oppida expugnauit, ita vt iam nulla eſſet Ferrantino imperii ſpes recuperandi. Eum ferunt apud lacum Tranſimenũ ſagitta cõfoſſum interiiſſe. Rara eſt enim parricidæ non cruenta mors. Fani circa idem tempus tyrannus fuit Guido Catignanenſis: hunc ægrotantem Malateſta conſolaturus acceſſit; & illo mortuo principatum vrbis arripuit,quem poſtea Galeotto fratri conceſſit. Rebellantes Fanenſes armis compeſcuit,& filium Pandulphum ad equeſtrem militiam prouexit: deinde procurantibus Vrbini dominis Nolfo & Galeotto, Malateſta & Galeottus Ferrantino Nouello, & nepotibus pacem reddidere, quæ paucis menſibus durauit. Maio enim menſe concordia facta eſt,& Februario Mondainum inuaſit,& obtinuit,Ferrantino abſente oppidanis ſe dedentibus. In ſancto Laudentio duo erant tyranni fratres Cecholinus, & Menghinus, quos Malateſta curauit occidi, & inter filios interfectorum & occiſores pacem compoſuit. Occiſor Laurentius quidam fuit, quem poſtea interceptum Malateſta vt infamiam ſuam purgaret, ſecuri percuſſit, proditioniſque nomen proditione deleuit. Ferrantinus Nouellus Vrbinatem ſecutus principẽ, qui aduerſus Peruſinos Bectonam infeſtantes exercitũ duxerat;apud ipſam Bectonã ſagitta extinctus eſt,tribus filiabus relictis:& eodẽ fere tempore mortem apud Ariminũ obiit auus eius Ferratinus, annos quinque & nonaginta natus: creuitq; potentia Malateſtæ adeo,vt omnem Picenum agrum ſibi ſubiecerit,Firmanis & paucis aliis exceptis. Eo regnante Morialis quidam ordinis templariorum eques exercitum quatuor milliũ pugnatorum ex Roma in Picenum duxit, vaſtauitque plures agros. Malateſta vt eum auerteret,aureorum ſexaginta millia pro pace pollicitus eſt,numerauitq; illico triginta millia;pro reliqua ſumma filium obſidem dedit Malateſtã Hungarum, hoc nomine appellatum,quoniam Ludouicus rex Hungariæ cum Arimino tranſiret in Apuliã ad vindicandam fratris necem profectus,dignitatem equeſtrem illi contulerat. Morialis paulo poſt exercitu dimiſſo cum trecentis equitibus Romam petiit: ibiq; iuſſu Tribuni tunc Vrbem regentis captus,& ſecuri percuſſus eſt. Landus Theutonicus reliqnas copias in Lombardiam duxit. Cum Carolus quartus Romæ coronatus eſſet, ex duobus cardinalibus,qui eum coronauere, alter legatus Põtificis maximi Egidius nomine natione Hiſpanus ad recuperandus Eccleſię prouincias,quas tyranni peruaſerant relictus præfectum Vici ante omnes correxit, omnibus, quæ poſſidebat exutum: deinde patrimonium beati Petri in Tuſcia recuperauit: mox ducatum Spoletanum,

letanum, & Marchiam ingreſſus Anconitanam, apud Eugubinos reſedit: Gentilis Molianenſis Firmum obtinebat: Malateſta cuncta ei extra muros ademerat: miſit legatus exercitum aduerſus Gentilem, qui reſeruata ſibi arce, ciuitatem Eccleſiæ tradidit. Franciſcus Forliuias Gentilis ſocer Malateſtam genero reconciliauit, oſtendens non eſſe è re Malateſtarum Eccleſiæ potentiam in Piceno augeri, tolerabiliorem Gentilem, quàm legatum. Hinc factum eſt, vt cuncta Firmani agri oppida Gentili reſtituerentur: & ipſe, qui arcem teneret, vrbem Firmanam Eccleſiæ abſtulit. Legatus exercitum inſtaurauit, & intra dies paucos omnem Firmanum agrum prioribus bellis defatigatum, & ipſam deinde vrbem in poteſtatem accepit, obſeditque Gentilem in arce, qui pactus ſalutem ſuam, tria aureorum millia, & caſtella tria à legato accepit, & reddidit arcem. Legatus paulo poſt caſtella, quæ proditori dederat, eripuit, coegitque mendicum peregrinari. Racanatenſes per eoſdem dies, & oppida quædam Anchonitani agri ad Eccleſiam defecere: inter quæ Paternum fuit, ad quod recuperandum profectus ex Ancona, Galeottus cum quadringentis equitibus ab exercitu Eccleſiaſtico profligatus & captus eſt. Hoc Malateſtarum infortunium & alterum ſecutum. Miſit enim legatus nouas copias verſus Ariminum ductoribus Ghiaccioli, & Vadolæ comitibus: ad quorum aduentum cuncta Ariminenſis agri oppida à Malateſtis defecere, excepto ſancto Ioanne in Galilæa. Quibus rebus fractus animo Malateſta legatum adiit: eique Anconam, & Senogalliam cum omni agro reſtituit, fratris liberationem pactus. Legatus ei Ariminum, Piſaurum, Fanum & forum Sempronii, quod vocant Foſſumbronum in vicariatum ad decem annos conceſſit, & hic tandem legitimus Malateſtarum titulus cœpit, cum antea ſola tyrannide imperarent. Cumque legatus aduerſus Cæſenates, Foroliuienſes, & Fauentinos anathema decreuiſſet, & crucem prædicari iuſſiſſet, Malateſta cum ſexcentis viris præſtantibus cruce ſignatus eſt, & Galeottus vexillifer creatus: & hi in caſtris Eccleſiæ fidelem operam nauauere, eorumque potiſſime auxilio Cæſena capta eſt, & Fauentia Eccleſiæ reſtituta, & Bretonorum in poteſtatem acceptum, & ager Foroliuienſis vaſtatus. Legatus his geſtis Auinionē ſe contulit ad Pontificem maximū, cui & Malateſta ſeſe comitem addidit, vt Ariminenſem agrum totum recuperaret, cuius maximam partem Eccleſia poſſidebat. Id ægre fuit oppidanis ſancti Archangeli, qui ſub Eccleſia remanere cupientes, Legatos ad Pontificem miſere oratum ne Malateſtis redderentur. Sed fruſtra conati ſunt: Vicere obſequia Malateſtarum legato præſtita, & Malateſta voti compos in patriam rediit, & à legato caſtella cuncta recepit Ariminenſis agri: legatus vero Immolam & arcem obtinuit, & iterum aduerſus Foroliuienſes duxit: eoſque adeo coercuit maceratos fame, vt facturi deditionem haud dubie fuerint, niſi ex Longobardis equitum tria millia ſuppetias attuliſſent: & obſeſſis frumenta importaſſent. Equires quoque Senenſibus & Peruſinis militantes duo millia quadringenti per Vmbriam in Picenum tranſiuere, in Ariminenſem profecti cum Longobardis coniuncti ſunt, ac late populati agros Sulianum vi ceperunt, centum quadraginta quatuor oppidanis occiſis: in Podio burgi mortales omnes interfecere, & ſanctum Martinum in Conuerſeto diripuerunt. Legatus vt exirent prouinciam, nec redirent in annos quinque, triginta millia auri nummū eis elargitus eſt, & Foroliuienſibus duorum menſium conceſſit inducias. Quibus exactis, cum Franciſcus eius loci tyrannus omni ſpe deſtitutus eſſet, deditionem fecit: deinde apud Venetias in ſumma inopia deceſſit. Legatus Foroliuienſi potitus magnam apud omnes Italos auctoritatem eſt aſſecutus. Malateſta cum ſextum & ſexageſimum compleſſet annum Galeotto fratri adhuc viuens principatum reliquit, filios ſuos priuatis poſſeſſionibus iuſſit eſſe contentos: ſubditorum diſcordias compoſuit: carceres aperuit, & captiuos dimiſit: ſupellectilem domus inter egenos diſtribuit, & more Chriſtiano Eccleſiaſticis ſacramentis communitus animam Creatori reddidit, cum tyrannidem ad legitimum vertiſſet principatum, & melius finiſſet quàm inchoaſſet. Galeottus vxorem duxit Gentilem ex familia Camertina, quæ filium ei ſeniori quàm gignere poſſe crederetur, peperit nomine Carolum; quem regina Neapolitana miſſo procuratore de ſacro fonte leuauit: & alterum nomine Pandulphum, & tertium Andream Malateſtam, & quartū Galeottum Nouellū. Berardus Gentilis

pater, vt primum peperiſſe filiam cognouit; Sapiens, inquit, Gentilina mea eſt (ita enim appellabat) quæ ſeni tam arido parauit heredem. Gubernante Galeotto Pontifex maximus Vrbanus ex Auinione cum ſeptem cardinalibus mari vectus Cornetum petiit, & Viturui aliquandiu curiam tenuit, ibiq; tandem cardinalis Egidius altum illum & nobilem ſpiritum Domino reddidit, & in monaſterio Minorum apud Aſiſium ſepultus eſt: quamuis (vt ante diximus) in monaſterio ſancti Martini in mõte Cymino nonnulli conditum referant: fortaſſe ibi primo ſeruatum eſt cadauer, deinde in Aſiſium tranſlatum. Hic Malateſtis primo inimiciſſimus fuit, deinde reconciliatus, cum eorum opera aduerſus hoſtes fideli vſus fuiſſet, effectus eſt amiciſſimus, & principatum eorum corroborauit. Malateſta cognomento Hungarus gubernante Galeotto patruo, vitam finiuit, vnica tantum relicta filia, quæ cum nupſiſſet in familia Eſtenſi, mortuo viro vidua diues domum rediit. Obiit & Pandulphus Galeotti filius apud Piſaurum, cui præerat, relicto filio vno maſculo. Per idem tempus ſuaſu Florentinorum, qui à Romano Pontifice fuerant excommunicati, Eccleſiæ ciuitates quatuor (vt aiunt) & ſexaginta, oppida vero nominata quingenta ſeptuaginta ſeptem rebellauerunt: & alia quidem libertatem ſibi aſſeruerunt, alia priores aſciuere tyrannos; & quędam nouos ſibi conſtituerunt: ſola Malateſtarum domus in fide permanſit, Galeotto partes Eccleſiæ iuuante. Nec tamen diu conſtantia manſit, qui rebus Eccleſię protritis, Cæſenam & Bretonorum, ne in alienas manus peruenirent, ſuæ ditioni ſubiecit. Deceſſit autem Galeottus anno ſalutis ſexto & octuageſimo ſupra milleſimum trecenteſimum, cuius funus magnificum duxere filii tres ſuperſtites, Carolus, Pandulphus, & Malateſta: Galeottus Nouellus in vita patris obierat: maior natu Carolus ſeptimum & decimum agens annum in Arimino ſucceſſit. Pãdulphus duobus annis minor Fanum, & oppida Piceni ſortitus eſt: Malateſta Cæſenam. Carolum ferunt virum elegantis ſtaturæ fuiſſe, & alti cordis; turpitudinis inimicum, & religionis amantem: verum nobilitatis faſtu ſuperbiſſimum, & qui ſibi nullum æquari poſſe arbitraretur, ſiue ciuilia paciſq; munia, ſeu bellica tractanti negotia. Fuit enim rei militaris non ignarus, à pueritia verſatus in caſtris, infortunatus tamen. Cum Florentini, Carrarienſes, Scaligeri, & alii complures tyranni, ac populi ex Gallia Ciſalpina aduerſus Ioannem Galeatium Mediolanenſium principem fœdus iniſſent, ingenteſque copias comparaſſent, ducatum Carolo commiſerunt. Mantuanus cum ex confœderatis eſſet, oppidũ habuit in Padi ripa, nomine Fortiburgiũ: ibiq; fluuio veteres ligneum pontem iniecerant. Hunc ſibi Galeatius damno futurũ exiſtimans, ex quo poſſet hoſtis in Parmenſem agrum excurrere, ſtatuit incẽdere. Carolus tueri adnitebatur, impoſitis mille viris, qui machinis atque omni miſſilium genere afferentes incendiũ prohiberent, & vaſa multa ad flammam reſtinguendã impleuit aqua: & procul à ponte quantum ſagittæ iactus pateret, flumen catena coniunxit, quę rates hoſtium retineret. Galeatius loco ſublimiori rates plurimas ſtipula, pice, ac ſulphure compleuit, & expectato vento, qui verſus pontem flaret, ignem admouit, eaſq; dimiſit. Quibus ad catenam retentis, flamma tamen retineri non potuit, ſed vento impulſa valido pontem arripuit, ac ſubito ambuſſit incẽdio, & ſupra viros quingentos peremit cum Carolus deſcenſum fugientibus prohibuiſſet. Apud Gubernium paulo poſt cũ Galeatii exercitus epidimia laboraret, Carolus in eum irruẽs victoria potitus eſt, quæ inter geſta eius memorabilia vnica tantum reperitur. Militauit & Venetis aduerſus Hungaros Forum Iulii, duce Pippone Bano excurrentes, ſumma belli penes eum fuit: commiſſo pręlio, mox in fugam actus eſt, fuiſſetq; procul dubio captus, niſi Rogerius Canis hoſtilem impetum retinuiſſet. Fluuius fugientibus occurrit ponte coniunctus, qui multitudine ac pondere fugientium fractus, reuerti milites in pugnam coegit. Quibus Rogerius confirmatus, & fortior effectus cum palantes & ad caſtra diripienda ſine ordine procurrentes hoſtes animaduertiſſet, in eos dilapſus, & caſtra recuperauit, & ignominiã deterſit nomini Veneto, quam Carolus fugiendo attulerat, nec ſine damno dimiſit Hungaros. Cũ defeciſſet in Italia magna ex parte Eccleſiæ poteſtas, & Galeatii Mediolanenſis res florentiſſimę viderentur, Carolus & Pandulphus Malateſtarum principes in eius clientelam conceſſere, eiq; militarunt, & eo mortuo apud filium Ioannem Mariam in cõſilio primi fuerunt. Cum Brachius

Monto-

Montonius Peruſinos infeſtaret ac nobiles vrbis aduerſus Raſpantes in patriã reducere conaretur, vexaretq; circumiectos agros, Carolus ei oppoſitus eſt, qui apud Tyberim conflictus captuſque cum veniſſet in poteſtatem Brachii, nunquam hoſti aut aſſurrexit venienti, aut ceruice inflexit ſalutanti: vt qui victore maiorem ſe gereret, & in captiuo corpore liberum geſtaret animum: redemptus eſt magno auri pondere. Raſpantes ſub eius ductu è patria pulſi, in hanc vſque diem exulant. Fuit & Florentinorum aduerſus Philippum Mariam Mediolanenſium principem dux conſtitutus. Caſtra apud Zagonaram in Romãdiola collocauerat Carolus, eratq; illi ieiunii dies, & in tentorio poſt meridiem cœnabat. Angelus Pergulanus ductor hoſtium, qui olim tyro ſub Carolo fuiſſet, magno impetu in Florentinorum caſtra prolabitur: fit tumultus: concurritur ad ducem: conclamãt omnes hoſtem adeſſe, arma ſumenda, occurrendum properãdumq; fore. Carolus intrepidus tranquilla mente cibũ ſumens, nihil aliud dixit niſi; Sinite veniat tyrunculus, pœnas audaciæ dabit. Interea hoſtis munitiones tranſgreſſus omnes in caſtra perrupit: Florentinorumque copiis profligatis ducem ipſum adhuc in cœna ſedentem comprehendit. ea viri ſuperbia fuit, vt ſe inuadere nullum crederet auſurum. Philippus captiuum honorauit, ac paulo poſt liberum dimiſit: nec longa eius deinde vita fuit. Cum Mantuæ degeret, Ioannis Franciſci tutelam gerens, magni Maronis ſtatuam, quam ſuo ciui Mantuani quondam erexerant ſub obtentu religionis euertit. Cum cardinales in concilio Piſano Gregorium duodecimum, & Benedictum tertium decimum, qui ſe Romanos Pontifices aſſerebant, indignos tanto culmine iudicaſſent, & Alexandrum illis ſuffeciſſent, Carolus in obedientia Gregorii perſeuerauit, & demum ad concilium Conſtantienſe procurator eius miſſus, vnioni Eccleſiæ conſenſit, & pro eo Papatui ceſſit. Hæc de Carolo digna memoratu reperimus: in quo præter ſuperbiam non facile inuenias, quod de moribus damnare queas. Pandulphi longe diſſimilem vitam memorant, cui nec honeſtatis, nec religionis cura fuerit. Poſt mortem Galeatii Brixiam, Bergamumque, Ioannis nomine gubernans rupta fide dominum egit. Hinc nobiliſſima ſoboles nata, Sigiſmundus, Pandulphus, ac Dominicus Malateſta, qui Malateſtarum hodie principes habentur. Verum Sigiſmundus, & Dominicus ditiorem ſortiti patrem, Pandulpho tanquam filii ſucceſſere, quorum frater natu maior Galeottus, Robertus Ariminum in hereditatis partem ſuſcepit, Sigiſmundus Fanum, Dominicus Cæſenam. Galeottus mitis ingenii fuit, religioni deditus, gloriæ atque imperii contemptor, iuſti tenax. Hunc Sigiſmundus per inſidias regno deiicere conatus eſt, ſuadens Ariminenſibus inutilem ciuitati præeſſe, qui dies ac noctes in templis ageret, & diuina contemplatione contentus ſocietatem humanam negligeret. Se ſi vocetur in communi victurum, nec paſſurum cuiuis homini iniurias illatum iri. His artibus excitatus populus arma corripuit, totaque vrbe tumultuans in forum prorupit, ciuitatemq; haud recte gubernari acclamauit. Galeottus, qui tum in palatii ſacello cum Deo loquebatur, percepto clamore plebis, crucem auream ex ara corripit; & occurrens armatis in foro ciuibus: Intelligo, inquit, fratres commotionis veſtræ cauſam; non placet meum regimen, inuiti me fertis dominum: non eſt armis opus, cedo libens principatui: Ite, & quem vultis accipite principem, nulla erit in me mora, priuatus mihi & Deo viuam melius: vobis expedit diligenter animaduertere quẽ mihi ſucceſſorem detis. Verterunt ciues alter in alterum oculos, & erroris puduit plebẽ. Sedatus eſt illico tumultus, & armis abiectis, rogauerunt primores populi Galeottum, ne ſe deſereret; neve multitudinis demẽtiam vlciſceretur, rediret ad ſuum ſoliũ, & pro ſua conſuetudine ciuitati conſuleret. Paruit Galeottus, triennioq; deinde cum ſumma ciuium gratia regnauit; & tandẽ morbo correptus interiit, non ſine Sigiſmũdi infamia, quem veneno fratrem abſtuliſſe crediderunt, cum armis deiicere nõ potuiſſet. Ipſi deinde Ariminum patuit. Galeottũ quaſi ſanctum ſui ciues coluere, & ad ſepulchrum eius vota fecerunt. Sigiſmundus nunquam eius aliter meminit, quàm fatui cuiuſdam hominis. De Sigiſmundi moribus ſæpe fecimus mentionem, non eſt hoc loco eius vita referenda, quam omnes norunt. Dominicum fratrem eius paulominus odioſum neceſſitas fecit, quem doloribus arteticis laborantem, non licuit ſuæ nequitiæ deſideria explere: fuit tamẽ ſacræ religionis contemptor; & hunc Sigiſmun-

dus ſæpe ferro conatus eſt auferre. Diximus ſupra Malateſtam primi Galeotti fratrẽ liberis priuatas poſſeſſiones reliquiſſe, germano imperium cum adhuc viueret reſignaſſe. Inuenimus tamen poſtea eiuſdem Malateſtæ filium paternum nomẽ referentem Piſaurum, & alias plures Eccleſiæ vrbes per arma quæſiuiſſe: tandemque iubente Carolo patruele, ac terroribus & minis vrgente, cuncta reſtituiſſe, Piſauro retento, quod in Vicariatum acceperit. Huic Malateſtæ tres fuiſſe filios, Carolum, Galeatiũ, & tertium, cuius nomẽ non accepimus, archiepiſcopũ Patracenſem gibbo, & ſtrumma deformem, & filias Salomem, quæ nupta Imperatori Conſtantinopolitano, per varios fortunę caſus iactata eſt; & Paulam præſtantiſſimam feminam, quam duxerit vxorem Ioannes Franciſcus Mantuanorũ dominus, ex qua natus eſt Ludouicus marchio. Principatus Piſauri Carolo obuenit, qui ex domo Columnenſi vxorẽ duxit Victoriã Martini quinti Pontificis maximi neptẽ, quę nec filios ei peperit. Hunc Philippus Maria Mediolanenſium princeps in bello contra Venetos ſui exercitus ducem creauit, non tam rei militaris peritię gratia, quàm propter familiæ dignitatẽ cum reliqui duces inter ſe pares, alter alterius ſubire iugum recuſarent. Prælium apud Machaloum Brixienſis agri duce minime ſuadente, commiſſum eſt, & Carminiola victor omnes Mediolanenſium copias profligauit; parumque abfuit quin Carolus caperetur, qui poſtea non diu ſuperuixit. Piſaurum Galeatio per mortem eius ceſſit, qui iam ſenex vxorem duxit Florentinam ex familia Medicorum. Hunc Sigiſmundus multis artibus atque inſidiis principatu deiicere adnixus eſt. Propter quas moleſtias, veritus ne tandẽ proditori ſuccumberet, Piſaurum Alexandro Sfortię vendidit triginta millibus aureis: emitq; prędia & armenta in agro Florentino, ibiq; aliquandiu otioſam egit vitam. Poſtremo nepoti reconciliatus in Romandiolam rediit, & oppidula quędã ab eo recepit: quod duabus de cauſis à Sigiſmundo factum aiunt; altera vt hereditatẽ eius expilaret, ac pretium Piſauri ad ſe traheret: altera vt per amicos eius Piſauri manentes Alexandrum aliquando ex nouo dominatu deturbare poſſet: quod vſque in hunc diem non ſucceſſit.

Sigiſmundi clades apud Senogalliã accepta.

Sed iam ad res noſtri temporis redeamus, & quomodo apud Senogalliã profligatus fuerit Sigiſmũdus quàm breuiſſime licet referamus. Exercitum ab initio Veris ad menſem vſque Iulium non ſine ſumptu ac labore ex Longobardis, Ferrarienſibus, & Romandiolis non contemnendum coegerat. Silueſter Placentinus Picinini vetus comes, & Franciſcus Mirandola, & alter ex tyrannis Foroliuienſibus, & multi illarum partium nobiles ad eum confluxerant. Duas & triginta equitum turmas in eius caſtris fuiſſe prodiderunt, peditum quoq; numerum, qui tanto equitatu ſatis eſſet: vulgauitque famam tanquam in regnum proficiſceretur, Picinino & Andegauenſi, cui ſe militare dicebat, ſuppetias laturus; & iam Picenum ingreſſus, ad montem vſq; Vlmi peruenerat, agros Eccleſiæ longe lateque populatus. Erat ingens trepidatio non in Piceno ſolum, ſed in regno quoque, cuius aduentu Aprutinas omnes regiones à Ferdinando defecturas coniectabantur, quas milite vacuas eſſe conſtabat. Ferdinandus cum robore exercitus aduerſus Picininũ & alios hoſtes in Apuliam traiecerat, partẽ copiarum in Calabros miſerat, partem in Terralaboris reliquerat. Matthæus Capuanus, & Federicus Vrbinas vtrumque Aprutium ſoli ſeruabant, ille tranſapenninum, hic citra: ſed vterque impar videbatur, qui Sigiſmundi curſum retinere poſſet. In Piceno dux & viginti equitum turmæ Eccleſię militabãt, quibus præerat Vrſinus Neapoleo. Pontifex huic mandat Sigiſmundo quoad poſſit iter pręcludat: Federico quoque, vt propere relicto Aprutio in Picenum ſe conferat, ac Neapoleoni adiungatur, qui magnis itineribus cum quatuordecim cohortibus, intra paucos dies ad Neapoleonẽ peruenit. Interea pręfectus arcis Senogallię, ac duces præſidii, quod in oppido erant mercedem pacti, locum Sigiſmundo tradere promittũt, ſi eo cum exercitu pergat: id proditionis velamen habituri, quod aduerſus tantas copias parum munitã vrbem tueri nequiuerint. Retrocedit ex conuentione Sigiſmundus, ac celeri curſu Senogalliam petit, pergitque muros oppugnare, inſequitur eius veſtigia Neapoleo, atque in loco vnde poſſet ab obſeſſis videri, vicina hoſtibus caſtra ponit. Mittũtur nuntii, qui clauſis aduentum indicent auxilii, atq; animos augeant. Sigiſmundus interim properare, vrgere, foſſas implere, muros perfodere. Obſeſſi partim metu perculſi, partim pro-

tim prodItione infecti,breuiſſimas inducias petunt,tradituri oppidum,niſi medio tẽpore hoſtis ab obſidione deiiciatur: Annuit ſuo more Sigiſmundus, & nihilominus murum perf. ingit. Erat in oppido quidam nomine Dota, cuius ante meminimus, centurio peditum:non tam miles audax,quàm notarius olim peritus,qui vbi perfractam muri partem animaduertit: Quid agimus, inquit, commilitones, quin vrbem tradimus prius quàm capimur?nec murum defendere poſſumus, nec ſpes auxilii adeſt: victori cedite:hoc ex vſu mihi videtur.Excepta eſt vox percupide à ceteris, quos vel pecunia corruperat,vel metus mentẽ deiecerat.Traditur ciuitas prius quàm tempus induciarum labatur,& paulo poſt arcis præfectus deditionem facit.Sigiſmundus ciuitatem ingreditur,& tanquam victor gloriabundus vexilla ſuæ domus in turribus erigit:loca perfracta reficit,& munitiones munitionibus addit. Sed poſtquam auctas Eccleſiæ copias Federici aduentu cognouit,veritus ne intra mœnia clauderetur,noctu abire cum toto exercitu ſtatuit,relicto præſidio,quod ad tuendã vrbẽ ſufficere videretur.Admonentur ductores ordinum poſt medium noctis præſto cũ armis adſint, ſarcinulas colligant,ſuoſq; duces ſequantur. Senſit hunc motum Bononienſis quidam inter pedites gregarius miles, qui tanquam explorator inter hoſtes latebat,nec moratꝰ Federico, & Neapoleoni rem detegit, qui mox armari cohortes iubent,primumq; Antonellum Foroliuienſem in adeundis periculis virum fortiſſimũ ire,deinde Corradum Aluianenſem nõ minoris audaciæ:exin ductores reliquos; ipſi deinde ſequuntur.Fluuius erat Ceſſani põte tranſmittẽdus,qui diu eccleſiaſticas copias remoratus eſt,& hoſti ſpacium haud paruum ad præcedendum conceſſit: apprehendit tamen.Antonellus prius quàm illuceſceret celeri curſu profectus à latere occurrẽs hoſti,primas fugiennum acies,ac excitato clamore, nunc iſtos nunc illos ab equis deiicit.Sigiſmundus illic aderat,qui vbi aduentaſſe hoſtem didicit;non frõtem fronti oppoſuit,ſed iuſſis aliquot ſuorum ſiſtere,atq; Antonelli remorari impetum,quam maximo potuit curſu fugam arripuit: ac ne pondere nimio premeret equum,arma proiecit.Interea Neapoleo,& Federicus cum reliquis cohortibus hoſtes aggrediuntur:in quis duce fugato,parua reſiſtentia eſt inuenta,omnis in fuga ſpes illorum fuit;Imperatoris exemplum cuncti ſequuntur: vrgent calcaribus equos Sigiſmundi milites,Eccleſiaſtici terga feriunt fugientium: capiuntur modo iſti, modo illi;nulla inſignis pugna committitur, niſi vbi Antonellus aduerſus eos manus cõſerit,qui vt Sigiſmundo tutiorem fugam præberent,paululum conſtiterant. His ſuperatis,nullum deinceps in reliquis negotium fuit:nec Silueſtro plus animi quàm Sigiſmundo,quem calcaria è manu Eccleſiaſticorum eripuere, & proximum montis Offi oppidum,in quod confugit.Ioannes Franciſcus Mirandula captus eſt, & multi cum eo ductores ordinum,& equites galeati ducenti in manus Neapoleonis, & Federici peruenere.Impedimentorum quoque pars intercepta eſt:quòd ſi Eccleſiaſtici citius occurriſſent,facile fuerat & Silueſtrum,& Sigiſmundum capere,omnẽq; prorſus exercitum proſternere:verum ingens ea victoria fuit, in qua media pars hoſtium capta eſt,altera fugata: quod maxime virtuti & celeritati Antonelli attributum eſt, quãuis & ducum pronidentia multum profuit.Bononienſem,quem diximus exploraſſe Sigiſmundi receſſum,Pius Pontifex quinquaginta peditibus præfecit, & pecunia donauit.Sigiſmundus hoc accepto vulnere, dimiſſis qui ſe abſente res curarent fratre ac filiis,cũ Silueſtro mare ingreſſus in Apuliam nauigauit, inde vt afflictis rebus auxilia quæreret.Ioannes Franciſcus ſub fide dimiſſus eſt, quod amplius aduerſus Eccleſiam non militaret,nec poſtea fidem tenuit.Pio apud Pientiam agenti idem nuntius & Senogalliam perditam,& hoſtes profligatos attulit,& litteras ducum,quę pro Senogallia perdita ſimilia multa oppida breui acquirenda promitterẽt, alioquin incertum erat lætum an triſte nuntium eſſet.Profligatus eſt hoſtis pridie idus Augusti:præceſſitq; victoria Picenſis Troianam ſex diebus. Sigiſmundus ad Picininum profectus res profligatas inuenit, vt ſupra meminimus. Tubicen eius rei nuntius Pontificem certiorem reddidit,& adhuc eo loquente alter Tubicen adfuit, qui regis epiſtolis rem apertam fecit.

In Piceno conflictis hoſtib. duces Eccleſiaſtici aduerſus comites Mirabelli Aloyſium & Robertum exercitum duxere,qui Sigiſmundo militauerant, & partem cladis

Comitum Mirabelli ca-

ſtelli. Reforzati, & oppidi Inſulæ, aliorumque locorum deditio, Mundauiiq; expugnatio.

in prælio acceperant: ii mox ſe reddidere, ad vetus Eccleſiæ imperium redeuntes. Caſtellum Reforzari, cum eo tenderet exercitus, prius ſe reddidit, quàm duces ex equis deſcenderent. Oppidum Inſulæ, quam vocant Gueldreſcam, natura munitum, & præſidio militum defenſum, oppugnationē expectauit, & bōbardarum aliquot ictus, quibus cum muri perfringi cœpiſſent, & oppidanorum & militum deditio facta eſt; & præſidium Eccleſiaſticum impoſitum. Idem cum experiri Sorbilongi oppidanis placuiſſet, fors durior obuenit. Concuſſere bōbardæ murum, nec dubium erat quin prælio commiſſo vi caperetur oppidum. Quod poſtquam oppidani animaduerterunt, pacti ſuorum ac militū, qui præſidio inerant, ſalutē corporum, exercitui reliqua permiſere: Milites ad terrorē aliorum in carcerem coniecti ſunt, poſtea dimiſſi: cum oppidanis vltra merita benigne actum. Oppidum Barchi vi captum, furore militum exuſtum eſt, quo furore perciti habitatores caſtelli S. Andreæ vltro ſe dediderunt; & hoſtes, qui caſtellum Barbaræ occupauerant, reliquerunt, & Eccleſiaſtici milites receperunt. Nobiles quoq; Caſtrileonis Sigiſmundo prius ſubiecti, obedientiam Eccleſiæ promiſerunt. Reſtabat Mundauium Vicariatus caput inſigne oppidum, præruptis vndiq; rupibus munitum vna tantum parte bombardis obnoxium, quo in loco arx ſita eſt murorum craſſitudine, & foſſis profundioribus defenſa: intus habitatores circiter quingenti non ignaui homines, & qui propter rebellionem Eccleſiæ factam extrema paſſuri videbantur priuſquam caperentur: externi pedites multi, equites galeati octuaginta, armorum & victualiū ingens copia. Huc Federicus aduerſus opinionem multorum exercitum duxit, qui tempus ibi fruſtra terendum arbitrabātur. Admota ſunt oppido caſtra, obſidio artificioſe deducta, oppugnatio cœpta, viſq; omnis bombardarum in arcem directa: ſuffoſſi muri, omnis machinarum adhibita violentia. Ridere in principio obſeſſi ſtultitiam obſidentium, qui periculoſos, atque inutiles ſubirēt labores: exire aliquando, ad pugnam irritare hoſtē, prædari, captiuos aliquos in vrbem adducere, conatus omnes Eccleſiaſticorum eludere. Certatum eſt ſumma vtrinq; audacia & contentione dies circiter duodecim: nulla nō die ad muros itum: ſæpe tentatus aſcenſus, ſæpe ſcandentes præcipitati: Ad extremum, cum turris præcipua totius arcis bombardarum ictibus concuſſa ſæpius corruiſſet, ac ruina ſua multos mortales oppreſſiſſet, & iam ſola foſſæ profunditas irruptionē hoſtis impediret, inſtaretq; miles, onera ferret, impleretq; ſarmentis ac terra voraginem properaret; & iam ſigno dato, totus ad impetum concurreret exercitus; miraq; videretur Eccleſiaſticorum alacritas, attoniti oppidani, ſimulq; milites extranei manus tetenderunt, deditionem factitari, ſi benigne reciperentur. Duces exercitus ita demum recipiendos cenſuere, ſi ſe ſuaq; libere traderent, atq; arbitrium vitæ neciſq; victoribus permitterent: Annuerunt obſeſſi, quando ſpes alia nulla ſalutis offerebatur: facta eſt deditio: Mundauienſes iugum eccleſiæ ſubiere, corporibus oppidanorum nulla vis illata; vina, frumentaque, ordea adoreaq; omnia militi conceſſa: ſupellex reliqua poſſeſſoribus auro vendita: extraneo militi equi adempti, & arma, & quo vellet ire data facultas, tantum intra menſem aduerſus Eccleſiam ne militaret. Atq; ita vaticinium Sigiſmundi completum eſt, cuius ſupra meminimus: dum ait idcirco ſe Mundauium occupaſſe, quia compertum haberet, Eccleſiaſticas copias illic pro diſcretione militum hibernaturas fore.

Franciſci Sfortiæ ſententia de exercitu Eccleſiæ in Aprutios mittendo à Pontifice ſapientiſſime confutata.

Franciſcus Sfortia Mediolanenſium princeps vbi cognouit exercitum Sigiſmundi conflictum, miſſis ad Pium frequentib. legatis, Sufficere inquit, quòd ea victoria Eccleſiæ agris ſecuritas parta eſſet; ſuum cōſilium fore, paucis ad tuēdos fines relictis equitibus ac peditibus, reliquas omnes copias propere in regnum mitti: Sic futurum, vt omnes Aprutii regiones ad Ferdinandum deficiant, neq; in aliam æſtatē vlteriori bello ſit opus. Quòd ſi perſeuerauerit Pōtifex Sigiſmundum perſequi, eiuſq; regnum euertere, conatus omnes irritos futuros. Scire ſe quibus in locis pugnandum eſſet, & cunctorum oppidorum ſitum ac naturam callere, & ingenium hoſtis. Sigiſmundum immunita caſtella deſerturum, vrbes & oppida maiora muniturum, quæ capi armis nullo modo valerent: atq; ita magnum exercitum æſtatem inutiliter cōſumpturum: Inter oppida vero, quæ nullo pacto vinci poſſe diiudicauit Mundauium nominauit, & Mundainum, & Gradariam, & Mōtem florum, & Verruchium, & alia pleraq; quę vt poſt

poſt dicemus, aduerſus magni viri iudicium cuncta in poteſtatem Eccleſiæ vi atque armis peruenerunt. Pontifex reſpondit, quamuis de re bellica Franciſci iudicio ſuo anteponeret: nec defuturis belli euentibus certa poſſet ferri ſententia, ſibi tamen ex vſu haudquaquam videri exercitum in Aprutios mittendum: atq; id ſpatii Sigiſmundo dandum, quo ſeſe recolligeret, Federicum Vrbinatem Sigiſmundi capitalem hoſtem, qui eſſet in curſu victoriæ, & felicitatem Eccleſię ſuam duceret, inuitum eam gloriam, eamq; prædam, quam mente concepiſſet relicturum; neq; iturum ſine nouis ſtipendiis in alienas prouincias, neq; pecunias ei aute duos menſes tradi poſſe; prius Octobrium menſem, & autumni pluuiale tempus affuturum, quàm caſtra moueri queant. In Aprutio, quę regio montana eſt, per autumnum & hiemem exercitus incommodiſſime manere, vbi & niues omnia contegunt, & commeatus difficile reperiuntur: quod ſi fruſtra conandum eſt, minori ſumptu, ac periculo in agro Sigiſmundi bellum gereretur, quàm in Aprutio.

Cardinalis Theanenſis legatus in Picenum mittitur. Veneti Pontificis victoriam non impedire promittunt. Mundaini deinde & multorum oppidorum expugnatio, atque deditio, & præſertim Montiſcutuli.

Ceſſit his rationibus Franciſcus, & Pontifex Nicolaum Cardinalem Theanenſem legatum de latere ad exercitum miſit, & cum eo aureorum viginti millia; cum iā duces exercitus Federicus, & Neapoleo de titulis contenderent, nec alter alteri velle cedere videretur, & iam ſimultatibus agitarētur indignis. Legatus iam capto Mundauio venit in caſtra, & nouas pecunias inter milites diſpertiit, quamuis pręda onuſti eſſent. Pius ſenatui Veneto ſcripſit, auctore Deo Sigiſmundum prælio fuſum eſſe; ſtatuiſſe ſe victoriam proſequi, proditoremq; ſubditum digna coercere pœna, petiitque ne iuſtum bellum impediret, neve vllum hoſti Eccleſiæ præberet auxiliū. Senatus reſcripſit, iuſtum eſſe Pōtificis deſiderium, iuſtumq; bellum; pergeret Pōtifex audacter, propoſitumq; teneret, nec Venetorum impedimenta timeret, qui Sigiſmundum Eccleſiæ ſubditum ſcirent, ac ſupplicio dignum: quod vtrum fecerint, ſequens monſtrabit hiſtoria. Capto Mundauio, & Vrcianum deditionē fecit, & ſanctus Georgius, & Pladię, & Mons maior, & Motirolus, & ſanctus Lōgar nus, & Serrahungarina, & Mons bellus, & Saltera, & Ripæ, & Tumba, & Bargnię, & Ripalta, & Pucciolus: cuncta enim hæc oppida Mundauienſis obſidionis exitum expectabant. In Vicariatu Mundauii ſeu Fani, Senogalliæve agro, Mundulfi, & ſancti Conſtantii duo tātum oppida in hoſtium fide permanſere, in quibus ſæuiente peſte non fuit conſilium eo cum exercitu proficiſci: placuitq; ducibus copiarū, & legato in Romandiolam traiicere, & in Ariminenſi agro caſtra ponere, primumq; Mondainum oppidum obſidere: quo cum veniſſent, accepto quòd in ſancto Laudentio nullum eſſet præſidium, eo profecti ſunt. Neq; enim Muudaino multum abeſt; oppidani nihil moi ati mox viſis copiarum ducibus ſe reddidere. Rediit exercitus Mundainū, & dum caſtra locantur, Melletenſes ad Eccleſiam deficiunt. Poſtera die Cerretū, & Monſgridolfus idem facit. Tertia die Monſgrimanus, & Monſgiardinus capitur, parte exercit⁹ eo directa: verum Montemgiardinum furibundi milites direptum incenderunt. Quarta die cardinalis ſancto Clemente & Tumba agella potitus eſt, & Mundaino cum iam tertia die oppugnatum eſſet, nec ſuſtinere amplius vim hoſtium poſſet. Id eſt oppidum magnæ opinionis, ſitu, natura & arte humana munitum, & quod Sigiſmundo chariſſimum fuerat tanquā Malateſtarum ſanguini fideliſſimum, cui ſuperioribus calamitatibus nunquā defecerit: oppidum ſancti Laudentii plures emittit homines, & vnum cenſetur inter quatuor principaliora Sigiſmundi oppida, ſi vrbes demas. Poſt hæc Gemmano, Caſtro nouo, Colliano, Mollacciano, Monteſcutulo, & Serrauallę potiti ſunt vno fere incurſu non parui momēti oppidis. Mollauianum quinque millibus paſſuū ab Arimino diſtat, ex quo ad portas vſq; vrbis omnia infeſta ſunt reddita. In Mōteſcutulo arx munitiſſima fuit, ad quā expugnandam cum Neapoleo ſeſe accingeret; videretq; rē difficilē: vocato ad colloquiū præfecto deditionē vt faceret conatus eſt ſuadere, quo recuſante: Ergo, inquit, perire mauis, quàm te reddere? Propere afferte citi ferrum comites: atq; exerto gladio tanquā murum proſcindere vellet apparatū oſtēdit. Quo viſo exclamans pręfectus: viris rebuſq; ſaluis arcē tradidit. Is cū dies aliquot poſt cardinalem acceſſiſſet ſalutatum, plura de ſe ipſo locutus: Cur mea, inquit, Legate opera nō vteris? & aliquā mihi arcem committis? non minus Eccleſiæ fidus ero, quàm Sigiſmundo fui: cui legatus: Probe inquit. At ego fide hac non egeo.

Montisflori obſidio, & oppidanorũ aduerſus præfectum arcis fraus atque deditio.

Capra ſunt & alia caſtella minora complura: deinde Mõtemflorum obſidere placuit amplum & munitiſſimũ oppidum, & diues, & quod Sigiſmundus in omni aduerſitate futurum ſibi refugium exiſtimabat: oppidanos enim eius loci præ ceteris ſubditis honorabat. Magiſtratib. & præfecturis præponebat, ſeq; illis plurimum credebat, ſemperq; aliquem ex liberis illic morari iubebat. Mõs eſt altus, in cuius cacumine arx munitiſſima iacet, quæ toti dominatur oppido, triplici munita muro operis antiqui, quod bõbardarum ictus ſpiſſitudine ſua cõtemnat. Acceſſerunt & noua munimenta, oppidi quoq; turres ſolidę, & muri craſſiores difficilimam expugnationem præſeferebant, ac pene impoſſibilẽ, ſed nihil nõ tentandũ victorib. videbatur. Cœpta eſt oppugnatio Montisflori: admotæ ſunt machinæ, concuſſa eſt turris bõbardarum lapidibus: ſtetitq; tanquam immobile ſaxum. Quod poſtquam duces animaduerterunt cuniculis agendum cenſuere, ſuffoderuntq; mõtis partẽ; nec dubium erat quin oppido potirentur. Arcis autẽ expugnandæ deſperata ratio videbatur, niſi aut fames, aut alius quiuis caſus obſeſſos premeret: ſicut permiſit Deus oppidani de ſuo periculo ſolliciti præfectum arcis adeunt, periturum oppidum aiunt, bonaq; habẽt maioris pretii mobilia: rogant in arcem transferri poſſe, ibiq; conſeruari, ne præda hoſtium fiant, pugnaturos ſe animoſius his extra periculis poſitis, fortaſſe defenſuros oppidũ. Quod ſi expugnetur, tanto minus futurum damnum, quanto ad hoſtes minor pręda peruenerit. Laudat præfectus conſiliũ. Illi iuuenes quinquaginta robuſtos onerant ſupellectili, quæ fuit in oppido pretioſior, & arma ſub veſte miniſtrant. Pergitur in arcẽ, nõ creditur adeſſe dolus, admiſſi iuuenes, onera deponunt, præfectumq; capiunt, & duos cum eo Sigiſmundi liberos, arcemq; occupãt, & miſſis ad cardinalẽ oratoribus, deditionem pollicentur ea lege, vt arx in eorum poteſtate remaneat: liceatq; Sigiſmundi filios, ac præfectum arcis cum rebus ſuis emittere. Cõcedit omnia legatus, præter arcis cuſtodiã, quam tradi Eccleſiæ iubet: illi tandem annuunt, & emiſſis captiuis, oppidum atq; arcem Eccleſiæ tradunt: atq; ita præter opinionem inexpugnabile oppidum captum eſt, nec diu poſtea Pontifex miſſo, vt diximus, aduerſus Sigiſmundum legato, ex Pientia diſceſſit Petrioli balnea petiturus.

Pii ad ſanctæ Annæ monaſterium acceſſio, mõtis Oliueti artificioſa deſcriptio, & Monachorum vita.

Iter ei fuit per monaſterium ſanctæ Annæ, quod monachi religioſi colunt in mõte lapidoſo, atq; admodum ſterili, quamuis ſua induſtria in parte aliqua feracem reddiderint, multaſq; ibi amygdalos plantauerint, & alias inſeruerint arbores, ex quibus partem vitæ traducunt, pium Deo famulatum exhibentes: montis Oliueti horum religio dicitur, quorum præcipuum cœnobium, & totius ordinis caput ſexto abhinc milliario diſtat, eoq; ſe Põtifex cõtulit, per itinera ſola æſtate calcanda, cum ſol omnes ebibit humores: pluuiali tempore loca dixeris inacceſſa, quæ in argilla profundiſſima nullum admiſere lapidem. Cedit vngulis equorum calcata terra, nec remittit, niſi maximum adhibeat equus conatum: pluuiæ inſuper foſſas hinc atq; inde produxerunt, & anguſtas reliquere ſemitas, quibus nõ ſine magno labore inhęreas: ſi pes paululum aberrauerit, pręceps ruas. Ventum eſt ad monaſterium, cui montis Oliueti nomen indidere, quod non procul ab oppidulo Clauſuræ iacet, cuius caſeum inter optimos Tuſci ducunt. Situs monaſterii in hunc modum ſe habet. Collis ſublimis eſt, ad occidentem reſpiciens topho, cretaq; compactus ſtadio circiter longus, latitudine multo minor. Si formam quæris, caſtaneæ folium imitatur: vndiq; rupes in barathra pergunt profundiſſima, in quæ horror ſit aſpicere: qua iungitur reliquæ terræ collis dorſo modico turris erecta eſt lateritia, quæ omnem prohibet acceſſum non amicum, & foſſa deducta, quæ in vtrumq; barathrum emittit aquas, ea parte coniungitur, quo ſublato nulli patet ad cœnobium aditus. Decliuis eſt collis, & in medio nobile templum conſtructum, & iuſta monachorum cœnacula, deambulatoria, porticus, & omnia officinarum genera, quę neceſſaria religioſi ducũt, nihil nõ egregiũ, nihil nõ nitidum, & q̃ nõ cupide intuearis. Agrum hunc & circumiacentem fuiſſe tradunt nobilium quorundã virorũ apud Senẽſes prognatorum, qui Deo pleni, & religionis nouellę fuerint inuẽtores, & cœnobii fundatores, cui poſſeſſiones ſuas donauerint. Nomẽ viris Bernardo Ptolomęo, Ambroſio Picolomineo, & Patritio ex gẽte Patritia fuit, quorũ oſſa religioſe colunt. Parua ab initio fundatio deuotione hominum aucta felices ſucceſſus habuit, & in omnẽ Chriſtianitatẽ ꝓpagata eſt. Ex familia Picolominea

lominea

lominea multa huic cœnobio acceſſerunt incrementa, cuius poſſeſſiones in circuitu fuere: Auena & Chiatina, quę olim nō contēpſere loca, nunc fere deſerta ſunt, ad Picolomineos pertinuere, & plures ex ea familia in mōte Oliueto poſt obitum conditi ſunt. Religio eadē fere eſt, quæ monachorum S. Benedicti ſuam regulā Obſeruantiū in habitu diſcrimē inuenias: illi fuſca veſte vtuntur: ii cādida ac mundiſſima: vſus carnium vtriſq; pariter interdictus. In cęremoniis pleraq; inuenias diuerſa: in ſubſtantia, vna fere eſt viuendi norma: & ii quidē vſq; in hoc tempus ſine infamia vitam agunt. Mons ipſe domeſticis arborib. cōſitus, plurimas habet oleas: vnde Olíueti nomen ortum. Sunt ficus & amygdalę, & pirorum, malorumq; multa genera: adſunt & cupreſſi nemuſcula, in quib. æſtate ſuaues captare vmbras licet. Vineta quoq; & vmbracula pampinea, & olerum horti, & lauacra, & fons perennis, & ciſternæ, ac putei: & in ipſis rupib. quercinæ ſiluę, & arbor iuniperi. Deambulatoria multa, quæ duos capiant homines collē ambiunt, mediumq; interſecant, hinc atq; inde vitib. aut roſetis ſeu rore obſita marino. Iocunda monachis ſolatia, iocundiora his, quibus poſtquam viderunt abire licet. Monachi aduenientem Pium ingēti gaudio exceperunt, atq; omnib. modis aggreſſi ſunt honorare. Apud Clauſurā nundinæ fuerunt: itaq; frequens populus Pontifici occurrit, & vſq; ad turrim, quam diximus Oliueti montem claudere, benedictionis cōſequendæ cauſa deſcendit. Dies erat quintæ ferię cum eo vētum eſt: cardinales & omnis familia Pręſulis, carnes in cœna manebant: Pontifex iuſſit omnes eo in loco carnib. abſtinere: cum id placiturum monachis animaduertiſſet; exēplumq; pręlatis eccleſiarum eo deinceps applicaturis dedit, ne carnes poſcerent, quib. noſcerent ob loci reuerentiā ſummum Pōtificem abſtinuiſſe. Manſit hic & ſequēti die Pius, cœnamq; cum monachis in cōmuni refectorio peregit, & cantores introduxit, qui nouum carmen de diua Catherina Senenſi inter edendum tā ſuaui modulatione cecinerunt, vt omnib. monachis dulces excuſſerint lacrymas. Adſcripſit & indulgentias loco non modicas; & priuilegia dedit religioni ampliſſima. In hoc cœnobio Matthęus Siculus cognomento Runta conſenuit, cui tam promptum fuit edere carmen, vt illud Ouidii non iniuria ſibi conueniret. Quicquid tentabam dícere verſus erat. Dantis poema ex vulgari ſermone in latinum vertit, & heroico verſu conſcripſit, quamuis parum terſo.

Pius hinc digreſſus iuxta Vmbronis flumen deſcendit, & ad Bonum conuentum tranſiuit amnem, nec intrauit oppidum, in quo peſtis craſſabatur: vltra Arbiam pernoctauit apud nepotē cardinalem Senenſem in prædio Eccleſię, quā ſanctam Innocentiam vocant. Sequenti die Petriolum conceſſit, cuius ſitum ſupra deſcripſimus. Hic pro cōſilio medicorum vſus eſt balneis, & cum fuit otium ſæpe in agros exiuit, & modo ſub arborib⁹, modo in ripa ſeu Farmæ amnis, ſeu Merſę cōſedit cū cardinalibus de republica loquens, aut legationes audiens. Cardinalis S. Suſannæ tribus paſſuum millibus à Petriolo ſedē ſibi delegit: indeq; cum fuit cōſiſtorii dies ad Pontificē venit, rebuſq; publicis interfuit. Placuit Pio habitationē eius inuiſere, cuius multas accepiſſet laudes: cōſtitutaq; die eo perrexit. Cōuallis eſt nemoroſa, ſeptentrionalibus clauſa flatibus obiecta meridiei, & auſtro patēs; Amiatæ montes maris proſpectum auferunt: Suber ſiluam implet, & caſtaneæ & ilex, ex quis glandes ſuo tempore cadentes apros alunt, quorum greges in ima valle deliteſcunt. Veteres inuento perenni fonte media in valle, circumiectam ſiluam exciderunt ſacellumq; diuo Antonio condiderunt ex lapide ſecto, cuius vetuſtas venerationē exigit: monachorum habitacula iuxta conſtruxerunt, & vineas plantauerunt, & hortos excoluerunt & arbores inſeruere pomiferas. Religioſi fratrum Eremitarum inhabitant nō plures quatuor aut ſex, cum eleemoſynæ procul quærendæ ſint. Viri exemplares huc mittuntur, & ſolitudinis amantes. Vinum ſibi ex vinea parant, & olera ex horto, caſtaneas in ſiluas quærunt: poſſunt etiam aliquando obſonium venatu conquirere: cetera quæſtor eleemoſynarum adminiſtrat. Ratus hic hoſpes adeſt humanus; lupus & aper ſæpe ſe offert, & ab his ægre defenditur vinea, nec ſoli ambulatio tuta in ſiluis eſt; alioquin iocundiſſima vmbracula patent inter arbores nullo tempore nō virētes. Fuit hic Pōtifex autumno iam abeunte, nec tamē adhuc vindemia vitib. ademerat vuas, quæ racemis grādioribus ex palmitibus pendentes plurimæ iocundiſſimum prębebant aſpectum. Pō-

Pius Petriolum petit, ac ſuſq; inde ad diui Antonii ſacellum ſecundus ſeceſſus, ac loci deſcriptio.

tifex cum hic prandium peregiſſet,& aliquandiu per vireta,in quis multa fuit laurus, non ſine delectatione præcipua vectus,cuncta conſideraſſet,ad veſperum Petriolum rediit.

Induciarum cum oratoribus Gallicis apud Petriolum tractatus,& Pii cum Ioanne Coſſa iocunda contentio.

Per idem tempus oratores Gallici Pontificem adierunt,inducias ſuper bello regni Siciliæ petituri,cas Pius,vt ante traditum eſt,inter contendentes de regno conuenientibus modis conceſſum iri promiſerat: & rex Franciæ miſſurum ea de cauſa ſeſe legatos ad Pontificem affirmauerat,& Caluimontis comiti,ac Bailiuio Aſtenſi eam prouinciam demandauerat. Rhenatus epiſcopum Maſſilienſem,& Ioannes filius eius Bailiuium Aquilanum illis addiderant. Legati cum accepiſſent partes Gallicas in regno ſuperiores eſſe,lento paſſu proficiſcebantur,& nunc vnam,nunc alteram moræ cauſam adnectebant: ſperantes interea conflictis hoſtibus,haud futurum induciis opus. Sed cum præter ſpem duobus in locis partes ſuas profligatas accepiſſent, propere Alpes ſuperauere: Viſitatoq; Mediolani principe Apennino tranſmiſſo, nihil in via morati, Petriolum peruenere. Quibus & Ioannes Coſſa paucis poſt diebus ſeſe comitem addidit. Horum legatio fuit regem Franciæ pacem Siculi regni quærere, atq; idcirco oblatas inducias bono animo complecti. Orare vt quamprimum fiant, Pontifex idem ſe cupere dixit de regni quiete,quamuis rerum ſtatus valde immutatus ſit,nec facile queant à victoribus induciæ obtineri: Ferdinandi regis ac ducis Mediolani procuratores,quorum de re agendum eſſet,acceſſiri oportere; hiſq; tempus indulgendum,ſine quibus induciæ ratæ eſſe non poſſent. Interea de modis & conditionibus habenda colloquia. Annuerunt oratores Gallici,quamuis inuiti. Medio tempore rogati pro defenſione fidei,quæ regis mandata perferrent,& quæ promitteretur auxilia contra Turcas,nihil in ea re ſibi fuiſſe commiſſum reſponderunt. Quamuis rex ipſe Ferrarienſi epiſcopo legationem miſſurum ſe promiſiſſet ad Pium non de regno tantum,verum etiam de Turcarum negotio tractaturam. Notauit Pius leuitatem eorum,& irriſit nullius promiſſi tenacem. Quæſiuit deinde Pontifex quanti temporis inducias peterent, dixerunt quatuor aut quinque ſexve menſium. Pontifex quinque annorum,aut ſaltem trium pacem petebat. Interim vt cōtra Turcas inſtrui bellum,geriq; poſſet:eamq; potiſſime cauſam eſſe, propter quam annuiſſet concedendis induciis. Auctoritas Gallicæ nationis apud cardinalem Atrebatenſem præcipue reſedit:illum enim ſuis epiſtolis rex Franciæ ceteris oratoribus præfecit, qui vt erat varius,ac mutabilis,nouas indies difficultates ingerebat, & noua excogitabat, quibus deceptum Pontificem in ſuam poſſet ſententiam rapere: ſed omnes ei conatus fruſtra ceſſere. Pius quaſi hoſtis eius verba penſitauit. Ioannes Coſſa cum in alloquium veniſſet Pontificis: Euge,inquit,Pater ſancte,deſine Andegauenſem perſequi domum,cuius aliquando beneuolentia delectaberis: cui Pontifex, Non perſequor, inquit,Andegauenſem familiam: à Ferdinando iniuriam propulſo. Tum ille: At iniuſta eſt Ferdinandi cauſa: non decet Romanum Præſulem iniuſtas tueri partes. Ad hæc Pius: Tua vox fuit,cum apud Sarnum viciſtis,nihil te de Chriſti Vicario curare, quando ipſe Dominus tuæ parti faueret,eamq; iuſtam declararet, victoriam elargitus. Mutata eſt res,vt vides: Dominus, & Vicarius Ferdinando fauent, eumque victorem fecerunt: cecidiſtis apud Troiam in bello, victi eſtis, cauſa veſtra iniuſta eſt. Tum Coſſa: Vincis me,inquit,meis verbis,nequeo tecum contendere,Præſul: ſpero tamen cito mutabitur hic ſtatus,licebitq; victoribus nobis de iuſtitia gloriari. Probe, inquit,Pontifex,iſtuc cum factum fuerit,ratiocinari licebit: interea temporis Ferdinandum tanquam iuſtum Deo dicemus amicum: atq; ita iocundo ſermoni non ſine riſu finis impoſitus.

Expugnatio Gebeltari à rege Caſtellæ, & Alzegiræ inſtauratio.

Nuntium his diebus allatum eſt, Gebeltarum oppidum in poteſtatem Caſtellæ regis perueniſſe,non ſine gloria Chriſtiani nominis,Saracenorumq; magna iactura, qui hoc velut oſtio quodam ad tes Hiſpanicas vtebantur. Iacet enim Gebeltarum in littore maris,vbi fretum Herculeum Africam ab Hiſpania diſiungit,non amplius ſeptem millibus paſſuum latitudine patens; quo in loco Herculem erexiſſe columnas memorant: quidam promontoria eſſe perhibent, quæ procul viſentibus columnarum ſpeciem præſeferant. Portum habere oppidum & tranquillum, & tutiſſimum aiunt,in quem Mauri ex Africa ſoluentes,breui traiectu ſe recipere conſueuerunt,&

regno

regno Granatæ conſulere. Vetus hæc Saracenorum poſſeſſio fuit, poſtquam deſecit à Chriſtianis, pro qua recuperanda ſæpe Caſtellæ reges decertauerunt, & magnas accepere clades, dum obſtinatius obſidere locum, atque oppugnare pergunt. Rex Alfonſus cognomento Bonus, dum Gebeltarum recuperare contendit, vitam perdit: & noſtra ætate Henricus Medinæ dux cum magno nobilium comitatu in prælio cecidit. Vulgo apud Hiſpanos aiunt, haudquaquam tot lapides Gebeltari mœnia continere, quot pro illis euertendis Chriſtiani cecidere. Poſtremo placuit diuinæ pietati locum Hiſpanis reddere. Seditio inter Saracenos oborta eſt, qui regnum Granatę occupant in Betica Hiſpanię regione: præſidium, quod erat in Gebeltaro, in auxilium factionis vnius profectum, locum pene incuſtoditũ reliquit, quod cum accepiſſent Hiſpanorum duces, qui fines regni obſeruabant, mox coactis copiis, inſtructo exercitu Gebeltarum perentes oppugnare cœperunt, biduoque fatigatos oppidanos ad deditionem compulerunt, poteſtate facta vt quantum quiſque humeris ferre poſſet, rerum ſuarum abiens aſportaret: eoque pacto & oppidum, & arces, quas ibi tres fuiſſe tradunt in poteſtatem Henrici regis venere: qui rem geſtam Pio Pontifici ſcribens, ideo vacuum remanſiſſe Gebeltarum narrauit, quoniam milites ad cuſtodiam eius electi, laturi ſuppetias alteri cuidam oppido exiuiſſent, quod ab Hiſpanis obſidebatur. Quicquid horum fuerit, certa res eſt, noſtro demum ſæculo ad Chriſtianas manus Gibeltarum rediiſſe, & vbi fuere Maumethis templa, nunc Eccleſias diuinæ pietati dicatas eſſe, & multos ex Chriſtianis habitatores eo confluxiſſe. Deſerta inter Gebeltarum & Gades vrbs olim ampliſſima remanſerat, Algezires appellata, hinc Saracenis, inde Chriſtianis hoſtiles incurſiones formidantibus nunc frequentes populi eo concurſare feruntur, & iam ciuitatem Chriſtianis habitatoribus plenam aſſerunt: quas res nõ ſine voluptate ſingulari Pius Pontifex audiuit, quod inter plurimas Chriſtianę reipublicæ calamitates, hoc ſaltem felix initium accepiſſet.

Aſtorgius Fauentiæ tyrannus per idem tempus miſſis ad Pium legatis nepotem ſuum bello aggreſſus, oppida ei quędam ademit, & Immola deiicere conatus eſt, Pius miſſo epiſcopo Sinueſſano arma vtrinque deponi iuſſit, & caſtella, quæ capta fuerant ab Aſtorgio, in poteſtatem ſuam recepit, ipſumque mercede conduxit cum equitibus quingentis, peditibus mille, bellum Dominico Malateſtæ illaturum: qui primo congreſſu multa illius caſtella ad defectionem coegit. Inuadentem Meldulam non parui nominis oppidum Silueſter Placentinus ex improuiſo adortus caſtris propemodum exuit: collegit tamen ſuos Aſtorgius, & impetum hoſtis compeſcuit: eumq; veniſſet ad eum ex caſtris Eccleſiæ maioribus, Corradus Alfianus cum trecẽtis equitibus Caminatarum oppidum expugnauit, & caſtrum Montisveteris, & Cuſer tularum, & Vallemoppii & Montemveterem in deditionem accepit, & ad Ciuitellã profectus, quæ eſt in confinibus Florentinorum, cum duobus fœderatis oppidis ad obedientiam compulit. Comes Cocchus Sigiſmundo confœderatus cum ſex caſtellis ad Eccleſiam defecit, & in caſtris Aſtorgii militauit. Cęſenates ea re perterriti complures precioſam ſupellectilem ad vrbem Rauennatum tranſtulerunt, veriti ne ciuitas obſidione caperetur, ſi exercitus Eccleſiæ eo deduceretur. Verum Federicus Vrbinas, & cardinalis Theanenſis Monteflorum occupato, Ariminum non Cæſenam petiere, caſtris ad tertium lapidem collocatis, diem ac dimidiam in vrbis conſpectu commorati, ſi forſitan, vt ſpes erat, obſeſſa ciuitas tumultuaret; exercitumque intromitteret Eccleſiæ: quod vbi fruſtra expectatum eſt, Verruchium ſe contulere peculiare Malateſtarum oppidum, vnde ſuam originem eſſe tradunt: quamuis (vt ante diximus) ex oppidulo Pennarum primus Malateſta eo ſe contulit. Duæ illic arces fuere, alteram oppidani cuſtodierunt, alteram Sigiſmundi præfectus, & hæc multo munitior. Quadringentos viros, qui atma ferre poſſent, Verruchium habuit, qui primo congreſſu intra mœnia fuſi, & ſeipſos & arcem cuius potentes erant, tradiderunt. Alterius arcis expugnatio difficillima videbatur in alto ſaxo collocatæ, & abunde rebus munitæ neceſſariis, multumque ibi temporis terendum. Ad dolos igitur confugiunt, quibus & hoſtem capere laudem ducunt. Nuntius cum his litteris ad præfectum noctu tranſmittitur quaſi ex Cæſena profectus. Dominicus Malateſta præfecto arcis Verruchii ſalutem. Obſeſſum te ab Eccleſiaſtico exercitu nuntiatum eſt: Eſto vir for-

Aſtorgius Faventinus Pii iuſſu pacem nepoti reddit, bellũ Dominico Malateſtæ infert. à Silueſtro Placentino caſtris exuitur, collectoq; tandem exercitu plurima loca expugnat. Verruchium ab Vrbinate dolis occupatur.

tis quoad Sigiſmundus cum auxiliis reuertatur, qui propediem adeſt. Interea ſi qua re tibi opus eſt, indicato; & ſi non adſunt comites, qui ſufficiant ad arcis cuſtodiam, petito quot velis è veſtigio mittentur. Vale. Figuræ litterarum ita aſſimulatæ ſunt, vt Dominici eſſe viderentur: ſignaculum quoque additum e us perſimile, quo ille vtebatur. Homo audax, & ſimulandi peritus hanc prouinciam arripuit promiſſis oneratus, qui arcem petens, poſtquam intromiſſus eſt, litteras teddidit: ac de multis à præfecto interrogatus, adeo prudenter reſpondit, vt fidem faceret à Dominico ſeſe miſſum. Præfectus reſcribit obſidionē forti ſe animo toleraturum, ſi viri ſexdecim in armis experti eo mittantur. Epiſtolam nuntio dat, vtq; cito reuertatur exorat; & duas in partes argenteum proſcindens nummum, alteram apud ſe retinet, alterā nuntio tradit, quaſi pro charactere, quem venturi auxiliares afferant. Ille ad cardinalem, Federicumq; redit, rem geſtam enarrat, paratamq; victoriam dicit. Deligūtur ſexdecim viri robuſti corporis, & animi præſentis, qui tertia deinde nocte ſumptis armis, cum caſtra quieſcere viderent, per vias aliquas ad portam arcis exteriorem, qua ſolent intromitti ſubſidia, tanquam trepidantes procurrunt. Ex induſtria enim duces exercitus tanquā hoſtes auditi eſſent tumultuare cœperunt. Præfectus vbi adeſſe auxiliares animaduertit, in ſpem erectus ad portā procedit: Interrogat qui nam aduenerint: illi à Dominico venire ſe aiunt obſeſſę arcis auxilio: Petitur character, offertur dimidiatus nummus: applicatur alteri parti conueniunt omnia. Recipiuntur in arcem Eccleſiaſtici pro Malateſtis, qui poſtquam ad munitiora loca peruenerunt, apprehenſo præfecto & eius comitibus. Eccleſiæ dominiū acclamauerunt; atq; aperta venientibus porta, duces Eccleſiaſticos admiſere. Supellectilē, & cuncta quę in arce fuere munimēta ex pacto viri ſexdecim obtinuere, nō indigni tanto prœmio. Prope fuit ne dolus pateficret antequam patraretur: puer qui lumen præferebat, vnum ex ſexdecim viris diligentius inſpiciens, cognoſcere ſe hominem ait, qui Federico Vrbinati ſeruiuiſſet: ad quem homo; Quid ni inquit? Mercenarius ego miles ſum; qui ſtipem dat, illi ſeruio. Nunc argento Dominici inarrhatus huc veni, data eſt fides, ſic Deo placuit. Verruchium Sigiſmundo fraudes eripuere: conſideranda res, doloſum aliquando vicerunt doli, & fraudulentum ſuę ceperunt artes.

Sācti Archāgeli, & aliorum oppidorum deditio, Sigiſmūdus ventis fatigatus, Venetias appulit, ſupplexque à Senatu, oratorem pro ſuis rebus ad Pontificem impetrat.

Ductum eſt deinde ad ſanctum Archangelum inſigne oppidum, & populo plenum: ſexcentos & amplius viros armare poteſt: Oppidani ſeſe dedere, & arx fracta bombardis intra dies paucos capta. Per eoſdē dies & plebanatus Sexini ab eccleſiaſticis occupatur, duodeuiginti oppida continens. Scorticata quoq; trecentorum virorum oppidum Eccleſiæ ſe tradidit. Oppidula & palatia, quæ in medio fuere, direpta atq; incenſa multa ſunt. Milites onuſti præda, bellum ſe fauſtū inuenīſſe gaudere: villas prædiaque ruſtica vino ac tritico plena inter ſe partiri, anſeres ac gallinas ſine modo vorare, vina electa bibere, inebriari, cōtendere, duces nullo magis labore teneri, quàm rixas prohibere. Erat tum forte vindemiæ tēpus, omnia milites ceſſere, & quæ in vaſis condita muſta fuerunt, & quę ſuper vitibus pendebant vuæ; cumq; pluuioſus autumnus ſui natura conſueuerit eſſe, hoc anno ingens ſiccitas diuino quodā beneficio cōceſſa. Eſt enim argilloſa illis in locis prouincia, & quę vbi maduit, difficile permeari poteſt: quod ſi pluuiæ ſuo more per autumnum cecidiſſent, neq; Monsflorum, neq; alia multa oppida oppugnari, ne dicam expugnari potuiſſent. Sigiſmūdi nequitiæ data eſt trium fere menſiū ſerenitas, quę militi ſeruiret Eccleſiaſtico, & ſibi dominium & ſtatum auferret. Qui dum ex Apulia deſperatis auxiliis domum repetiturus nauem ingreditur, horrida inuaſus procella, ita ex oculis in littore ſpectantium ſublatus eſt, vt omnium opinione ſummerſus crederetur. Sed alio iudicio ſeruatum, non potuere venti maria ve perimere, quaſſatum atque attonitum in Dalmatiæ littus eiecerunt: Ipſe pro ſua conſuetudine mutata veſte cum paucis per aſperos montes terra iter fecit, atq; in Forum Iulii deſcendit: inde Venetias petiit: vbi cum felices Eccleſiæ ſucceſſus, & ſuorum defectiones ſubditorum accepiſſet, anxius animi Senatū adiit: atq; afflictis rebus conſilium & auxilium efflagitauit. Et tum quidem, cum viri pleriq; religioſi ad clauum cum duce vrbis ſederent, patū lætis vultibus exceptus eſt, propter anathema quo erat irretitus, cuius ſe fieri participes auditores verebantur: illud nihilominus obtinuit, miſſuros ad Pontificem Venetos, eique veniam, ſi fieri queat implora-

ploraturos: idem & Dominico eius fratri reſponderant ſuppetias poſtulanti: quibus vt ſatisfacerent primum Nicolao Sagundino apud Pontificem manenti ſecretario ſuo ſcripſerunt, vt Malateſtas Pontifici commendaret. Deinde legatum maioris nominis Bernardum Iuſtinianum equitem Leonardi oratoris clariſſimi filium miſerunt, virum ſingulari doctrina, eloquentia & grauitate inſignem, & qui pro ſua Republica multas ſæpe legationes ad Imperatores, & reges obiiſſet. Hunc Pius Petrioli primum audiuit, & propter vrbis eminentiam, & hominis dignitatem apprime honorauit. Qui poſtquam ſemotis arbitris, quæ vellet dicere permiſſus eſt, in hunc modum verba fecit.

Oratio Bernardi Iuſtiniani deprecatoria ad Pium Pontificem pro Sigiſmundo Malateſta; Piique prudentiſſimũ atque magnanimum reſponſum.

Bellum quod aduerſus Malateſtas geris (piiſſime maxime Pontifex) iuſtum eſſe omnes cenſent, atq; in primis ſenatus Venetus, qui Sigiſmundi mores optime callet: & eius in te tuamq; ſedem piacula non ignorat. At cum animaduertit victorię tuę curſum, & quantum agri ab eo abſtuliſti, quantiſque cladibus & ipſum, & agrum eius affeciſti, ſatis ſuperq; punita eſſe hominis ſcelera cenſet. Si pro peccato filii maximo (vt vulgo dicunt) paulum ſupplicii ſatis eſt patri, tu non Sigiſmundi tantum, ſed omnium fidelium pater es, paterna te clementia vti decet. Sedes Apoſtolica pia mater nunquam redeuntibus ad ſe filiis, ſinum pietatis occludit: ſemper ad veniã prona eſt; adeo miſericordiam diligit, vt ſæpe iuſtitię præferat, crudelitatemque vocitet omne iudicium clementis moderationis expers. Parcere tui ſolii proprium eſt. Septuagies ſepties iuſſus eſt Petrus, cuius locum tenes, in ſe delinquẽti peccatum dimittere, & pro numero infinito finitus ponitur. Peccauit in te Sigiſmundus & ſæpe, & multum, quis neſcit? At veniam petenti, quo pacto negabis Ieſu Chriſti Vicari? qui Dominũ tuum noſti pro ſuis oraſſe perſecutoribus, & in cruce latroni veniam præbuiſſe: parſurumque proditori Iudæ fuiſſe, ſi humiliatus miſericordiam imploraſſet. Non vult Deus mortem peccatoris, conuerſionem & vitam cupit. Pleni ſunt codices exemplis, nihil Eccleſia benignius eſt: nihil ad miſericordiam magis pronum. Quod intelligẽs ſenatus Venetus, cõmendare tibi Malateſtas audet, veniamq; pro his petere: quibus iampridem & amicis & vicinis eſt vſus. Non correctionẽ prohibet, quę magna ex parte peracta eſt: extirpationem horret nobiliſſimę familiæ; neque enim memoria noſtra audiuimus in Italia præclaram aliquam proſapiam radicitus euulſam fuiſſe, ac prorſus annihilatam. Vetuſtiſſimum, & nobiliſſimum Malateſtarũ genus inter Italos memorant. Multi in eo viri præſtantes claruerunt; quorum egregia facinora non Eccleſię tantum Romanę, ſed Italiæ vniuerſę, & ipſi Chriſtianę reipublicæ admodũ profuerunt. Sit vtile filiis præclaros habuiſſe parentes: aboleat maiorum virtus peccata minorum. Concedendum eſt aliquid priſcis imaginibus: non tulit pręmia digna probitas, quæ ſolos extulit auctores. Præclara virtus plures ætates illuſtrat. Indignus eſt Sigiſmundus (non eo inficias) cui veniam præbeas; nec Dominicum laudo, qui tibi aduerſatus eſt, quamuis pro fratre arma ſuſcipiens excuſari potuit. At Carolus, & Pandulphus, & alii maiores meruere, vt poſteris ſuis ignoſcas, ſi quid in te peccauere. Digna eſt reſpublica Veneta, quam exaudias tuæ ſanctitatis, & Apoſtolicæ ſedis obſequentiſſima filia. Agitur in hac parte de ſtatu ſuo. Norunt Veneti quos habuerunt in Malateſtarum gente vicinos, mutationem verentur, ne deterior fiat conditio: quid habeant ſciunt, quid habituri ſint neſciunt. Multa eos timere oportet: ſuſpecta ſunt Italorum ingenia, & nullum imperium metu vacat. Oramus pietatem tuam, ne rebus noſtris incommodes, aut in finibus noſtris eos regnare permittas, quorum veremur inſidias. Cum Malateſtis quiete viximus hactenus, & viuemus ſicut ſperamus in poſterum. Suademus præterea paci vt Italiæ conſulas, & pericula metiaris, quæ hoc ex bello poſſunt emergere, Minima ſæpe fauilla maximum excitauit incendium. Nemo ex regno volens eiicitur: omnia experiuntur homines, prius quàm dominationẽ priuentur. Aſpirant ad imperium Italiæ Franci, & in regno Siciliæ non parum agri poſſident. Quid ſi Malateſtæ reliquis deſtitutis auxiliis ad eos confugiant, eoſque ſibi aſſumant dominos? exemplum omnes Romandiolæ tyranni ſequentur: nec Florentini Francis amici à rebus nouis abſtinebunt. Quid de Turcis dicam? ais te velle eorum conatibus reſiſtere: quomodo foris bellum geres inquietus, atque inſecurus domi? quid ſi (vt eſt maligna Sigiſmundi mens) ab eo Turcarum arma in Italiam inui-

tentur? Non eſt longa nauigatio ex Aulona, quam vulgo Valonam appellant, & à Turcis tenetur, vſque Ariminum. Omnia facier Sigiſmundus priuſquā ſibi dominatus eripiatur. Incertus eſt belli exitus, & multa dies affert, quæ nemo exiſtimauit euētura eſſe. Nunquā ſtatus idē diu manet. Viciſti hucuſq; & proſpero flatu es vſus. Quid ſi belli euentus varietur? Nemo ſi ſapiat illi ſe credit. Tum paci danda eſt opera cum vincitur, nec ſecundis rebus inſoleſcere conuenit. Contentare, Pontifex, præſenti rerum ſtatu: ne dum maiora quæris, ea quę tenes amittas. Da pacem miſeris, & Malateſtarum familiam, quę ſatis correcta eſt, in gratiam recipito. Hæc Veneti ex te petimus: hæc oramus ſupplices. Annue hoc gratiæ reipublicę de te benemerenti; & qui ſanctam ſedem Apoſtolicam ſummo ſemper ſtudio coluit. Sincero hæc animo dicimus non minus tuæ gloriæ, quàm noſtrę reipublicę conſulentes. Amplectere in bonam partem, quę recta, & bona ex mente procedunt. Pontifex his auditis huiuſcemodi reſponſum dedit.

Pii reſponſum. Quæcunque rogat ſuadetq; Venetus ſenatus, in partem accipimus meliorem, nec dubitamus verba menti conſonare. Amica eſſe conſilia ducimus. Bellum quod Malateſtis indiximus, non ab re iuſtum fatetur. Niſi enim iuſta eſt vltio noſtra in Sigiſmūdum, nullam aliquando vindictam noſtri maiores iuſtam exercuere: ſatis vero correctum eſſe reum non recte iudicat. Atrocia delicta atrocem exigunt pœnam. Merenti crucem, ſufficere ſcuticam quis dixerit? de rapinis agitur, de crimine lęſę maieſtatis, de contemptu religionis, de impia hęreſi; & tu ſatis punitum dicis, cui pars agri adempta eſt, & in corpore nihil moleſtiæ tulit? Subditi dedere pœnas: Sigiſmundus adhuc intactus euaſit. Dicis nos loco patris haberi, magnumque filii peccatum apud patrem leui pœna mulctari. Omnes, qui reipublicæ recte præſunt, ſubditos pro liberis habent, & ſenatus Venetus ſuos ciues aut filiorum loco ducit, aut fratrum: ſi filii ſunt Veneti ſuorum magiſtratuum, cur tam rigide puniuntur cum deliquerunt? Nempe quia duabus rebus reſpublica continetur, pœna ſcilicet, ac præmio. Nulla diu ſtare ciuitas poteſt, niſi malos deprimat, & bonos extollat. Et Veneti quidem in coercendis criminibus ſemper habiti ſunt ſeueriſſimi, atque idcirco diuturna eſt veſtra poteſtas, & imperium ſeruatis legibus auctum; non tuliſtis pernicioſos ciues: nulli apud vos licuit impune peccare. Mille ſunt horrenda Sigiſmundi ſcelera, quorum duntaxat vnum ſi ex veſtris ciuibus quiſpiam admiſiſſet, non ſineretis eum viuere; nullæ preces, nullæ pecunię reum à morte redimerent; Et nunc Sigiſmundum ſceleratiſſimum venia dignum putatis? Filius Franciſci Foſcari veſtri ducis, quòd in ſuſpicionem necati cuiuſdam ciuis veniſſet, diris excarnificatum modis exilio damnauiſtis. Brutus Romanorum conſul filios ſecuri percuſſit, quòd aduerſus patriam cum Tarquiniis conſpiraſſent. Nec Torquatus adoleſcenti filio vitam reliquit, qui aduerſus imperium ſuum quamquā victor pugnaſſet in hoſtē. Et Nicolaus marchio Eſtenſis ętate noſtra Hugonem filium neci tradidit pro conſeruanda iuſtitia. Quid cenſes? Seueros natura ſæpenumero parentes dedit: & tu lege conſtitutos iuſtitiæ prorſus immemores eſſe voles? Exempla nobis Chriſti commemoras, & beato Petro mandatum à Domino datum, vt peccata dimitteret, & nobis idem faciendū aſſeris: fatemur ignoſcendum eſſe reis, quando reuerſos ad cor in veritate deliquiſſe pænitet, nec ſuo exemplo nocet impunitas. Prouidus paſtor morbidas oues à grege procul abiicit. Medici ex humano corpore putridas carnes ferro demunt, & cauterio: & tū maxime pietatem exercent, cum crudeles eſſe videntur. Omnes Chriſtiani vnum ſumus in Chriſto corpus, & vnus grex: cauere oportet ne pars corporis infecta partem inficiat ſanā, & ne morbida facta pecus, totum corrumpat ouile. Amouenda ſunt omnia, quæ corpori nocent: non eſt pietas vni membro parcere, & totum corpus in diſcrimen adducere: Si oculus tuus, inquit Dominus, ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te: & aſſerit melius eſſe cum vno oculo, & vno pede intrare in vitam æternā, quàm duos oculos, & duos pedes habentem mitti in gehennā ignis. Quid hęc ſibi volunt? admonemur à domino ſcandaloſa membra præcidere, ne reliquo corpori noceant. Admonentur rectores vrbium populorumque duces pernicioſos reipublicę ciues è medio tollere, ne multitudini officiant. Sigiſmundum nulla malefactorum pęnitentia tenet: id ei moleſtum eſſe dicunt, quod non peiora patrauerit, impletū in eo eſt quod in ſacris eloquiis ſcribitur

Peccator eum venerit in profundum malorum contemnit. Hęreticus eſt: hæreticum iubet Apoſtolus poſt primam & ſecundam admonitionē deuitari. Commonuimus hominem bis, ter, quater, atq; iterum; nil profuit: quomodo poſſumus homini hęretico ſubditorum noſtrorum gubernationem relinquere? Si peccaſſet in nos Sigiſmūdus, dimitteremus ei; at peccantem in Deum, diuinæ legis mandata deridentem, Romanæ Eccleſiæ inſultantem, Chriſtianæ plebi non minus exemplo quàm facto nocentem, non poſſumus impunitum relinquere. Eiiciendi ſunt peccatores, ne præſint populis: auferenda ſunt à pernicioſis regna: nec tam immanibus vlla permittenda poteſtas. Dicis non eſſe auditum ætate noſtra aut parentum noſtrorum, nobilem aliquā domum funditus eſſe deletam; indignumque putas vetuſtiſſimam ac nobiliſſimam Malateſtarum familiam noſtro tempore prorſus eradicatam iri: falleris, non eſſet prima, vt arbitraris, familia nobilis extirpata: quot illuſtres proſapias & Athenienſes, & Romani pro ſtatu reipublicæ conſeruando, & vos Veneti deleuiſtis? & quamplures nobiles in Iſtria, in Dalmatia, & aliis prouinciis imperio Veneto ſubiectis, veſtris decretis deieciſtis, & domos clariſſimas extinguere bene facere putaſtis? vnde iſta ſeueritas? nempe quod reipublicæ veſtræ inſidiabantur, quamuis ſubditi & vicini tanquam hoſtes & rebelles non timuiſtis corrigere & penitus delere. Et audetis nobis ſuadere, ne ſubditos noſtros quamquam proditores, & magno ſcelere coinquinatos, eo quod nobiles ſint, corrigamus. Non diſplicet nobis veſtra ſequi veſtigia, & veſtrā imitari iuſtitiam, quandoquidem hac vna potiſſimum via res veſtras, & omnium creuiſſe ab omnibus creditur. Non eſt Malateſtarum potentia, quæ viribus noſtris reſiſtere poſſit: nudi auxilio ſunt, niſi vos opem affertis. Nemo in Italia eſt, qui ſit eos adiuturus; non Florentini, non dux Mediolani; non Borſius noſter in Ferraria vicarius; non alius quiſpiam: omnes bello noſtro tanquam iuſtiſſimo aduerſus impios fauent. Credimus vos conatus noſtros impedire nolle: nec Apoſtolicæ ſedis iudicium infringere: Extant promiſſa veſtra, quæ nos certiores reddunt, nullum à Venetis impedimentum fore timendum. Nec Francorum, Turcarumve nos metus agitat. Ludouicus Franciæ rex, Cathalanico, & Britannico bello diſtinetur, Italico, ſi ſapit, non implicabitur. Quòd ſi ad res Italicas inclinauerit animum Genuenſium ante omnia rebellionem vendicabit, qui à patre ſuo deſciuerunt. Difficilis eſt expugnatio Ligurū, & nobis non parum datura tempus. Quod ſi recta via aduerſus nos exercitum mittere voluerit, montes, & flumina interſunt, & Inſubrium princeps nobis affœderatus, qui hoſtes tranſire non ſinet. Nec Franci ſunt qui pecuniaria ſoleant auxilia mittere, Italis præſertim, quorum fidem ſuſpectam habent. Nec Turcis ad Ariminum via patet, niſi per Adriaticum ſinum, cuius vos eſſe cuſtodes aſſeritis, & in quo veſtræ ſemper excubant claſſes: ſine veſtra negligentia penetrare in Italiam nequeunt. Expugnabitur proculdubio Sigiſmundus, niſi veſtra reſpublica ſeſe nobis opponat, quod nulla ratio ſuadet: at vicinos mutare times, & antiquos ſeruare cupis. Mutabis niſi conatibus noſtris obicem poſueris: verum iuſtos pro iniquis, pro infidelibus fidos, pro inimicis amicos: aut enim Eccleſia illis ſuccedet iuſtitiæ tenax, & nullius conſcia culpæ: aut Sigiſmundi imperium melioribus elargiemur, qui cum veſtra republica perpetuo iungentur fœdere: nec decretis vnquam veſtri ſenatus aduerſabuntur. Quibus de rebus indignæ ſunt preces, quas pro Sigiſmundo effunditis, nec nos illi auſcultare decet. Iuſto inſequimur impios bello. Non ſunt digni venia, qui Deum contemnūt, & quorum ſalus multorum perniciem affert. Punire nocentes oportet, ne tuta videatur iniquitas, neue facilitas veniæ incentiuum præbeat delinquendi. Non eſt in exigenda pœna periculum, niſi à vobis prouėniat: nec cauſam habetis cur cœpta noſtra impediatis; & contra fidem faciatis. Hortamur igitur, vt de noſtris ſubditis liberum nobis iudicium relinquatis, nec ea petatis ex nobis, quæ rogati ab aliis nullo pacto concederetis. Orator Venetus cum ſuo more aduerſus hæc non pauca ſubintuliſſet: eaque Pontifex manifeſtiſſimis rationibus confutaſſet, ſcripturum ſe tandem Senatui dixit quod accepiſſet reſponſum.

Senenſes dum Petrioli Pontifex fuit, ſæpe ad eum miſere dona eſculenta & poculenta, ac legatos, qui peterent dulcem adire patriam. Pius inſalubritatem aeris cau- *Diſceſſus Pii à Petriolo, & ad Tudertū*

profectio, eiusq; vrbis ſitus, ac factiones: regiminisque renouatio.

ſatus(obietant enim Senis nõnulli ex peſte)dolere ſe ait, quod pro ſuo deſiderio chariſſimorum precibus filiorum non poſſet annuere:dimiſſiſq; balneis Pientiam reuerſus eſt,vbi propter ęgritudinẽ diem vnam peregit. Deinde per Monticulũ, & alta nemoroſaque iuga quę Montipeſio coniunguntur,Sarteanum ſe contulit:nec moratus tranſmiſſo non procul à Cluſio amne Clanio,in agrum Peruſinorum deſcendit, & apud Panicale oppidum pernoctauit in montibus, qui Tranſimeno ſupereminent lacui: quibus tranſmiſſis in amœnam vallem penetrauit, multis refertam caſtellis, ex qua licet Peruſiam cernere. Tranſmiſit & alios montes;& in vallem peruenit Tyberinam late patentem,& apud Martianum nocte peracta, die ſequenti Tyberim inuẽto vado tranſiuit,Tudertumq; petiit,ibi vt tandiu quieſceret, donec Romæ purificatum eſſe aerem intelligeret.Præceſſerant eo legationes regum,ac ciuitatum,& cardinales complures:qui omnes aduentanti Pontifici occurrerunt. Ciuitas inæſtimabili gaudio plena, quę iam pluribus annis ſuum dominum non vidiſſet, quam maximis potuit honoribus aduentum eius excepit. Tudertũ, ſiue(vt antiqui dixerunt)Tuder vrbs non ignobilis,atque inter Vmbros primaria, in colle iacet propinqua Tyberi ad ſtadia circiter viginti; quacunq; pergas in oppidum, ſemper aſcendas neceſſe eſt. Gibellinarum partium fuiſſe populum aquilę indicant, quę in porta veteris vrbis grandiores ſculptæ viſuntur:nunc Guelfi pręualent. Ambitus olim murorum multo minor fuit,quàm hodie cernitur,ſumma montis cacumina tantum cinxit:aucto deinde populo,& muros ampliare oportuit. Inter viros illuſtres huius vrbis Martinum commemorant Romanum Pontificem pro Chriſti nomine martyrio coronatũ. Braccius Peruſinus ætate noſtra Romanę Eccleſię hanc vrbem eripuit, & in ſummo vertice arcem ędificauit,quę poſtea deſtructa eſt.Franciſcus etiam Sfortia eius loci,Eugenio ſedente,dominatum arripuit: tandemque coactus dimiſit, ab Eccleſię ducibus extra Vmbriam pulſus. Pius in epiſcopali palatio manſionẽ elegit, quamuis ciues prętoriũ ei apparauerint,& ędes in foro præcipuas:ſalubrior viſa eſt in epiſcopio habitatio,minus expoſita ventis,qui apud Tudertinos aſſidue perflant, alteram hic Eoli domũ dixeris.Proſpectus quocunq; te vertas gratiſſimus occurrit:licet Peruſiam videre, & omnem quę media iacet vallem caſtellis refertam,late patẽtibus, ac frugiferis agris, & amne Tyberi nobilem, qui anguis in morem varios agens flexus, Tuſciã ab Vmbria diuidit,multoſque ſub ipſa ciuitate montes ingreditur, per quos murmurans tanquã inuitus coerceatur,ad inferiora deſcendit.Subiecti vrbi colles conſiti vitibus, atque oleis,non ſine voluptate cernũtur,nec remotiores veſtiti ſiluis, ac paſcuis apti minus oblectant oculos: æſtate omnia virent, hieme ſæpe niue caneſcunt: nulli tamen tempori habitatio ſatis commoda. Æſtate ſitit,paucis adaquata fontibus,hieme riget frigore,nunquam boreali ſpiritu carens, frugibus abundat & vino. Pius cum eò veniſſet inteſtinis agitatam ſeditionibus ciuitatem inuenit. Duo fuerunt in vrbe ciues primarii,familia nobili nati, quam vocant Actorum, Iacobus & Andreas germani, qui opibus abundantes, plebem ſibi largitionibus cõciliauerant;atque inopum multitudine freti, quos alebant, ciuitatem pro ſua libidine adminiſtrabant:erantque terrori non ſolum optimatibus, ſed ipſis quoque præſidibus; atque præfectis ab Apoſtolica ſede miſſis vim inferebant, non permittentes eos aut delicta corrigere, aut ex bono & æquo ius dicere. Sæpe carcerem effregere: ſæpe capitali ſententia damnatos è manibus militum cum ducerentur ad necem eripuere.Impune itaque rapi virgines, adulteria cædeſque fieri, & domus diripi opulentæ. Impune omne patrari ſcelus ab his, qui in Actorum clientelam conceſſiſſent,& nuper ab eis primus lictorũ pręſidis fuerat obtruncatus,nec vlla ſecuta vltio. Id boni ciues deteſtari, dolere patriæ calamitatem, quę ſub Eccleſiæ regno tyrannidem pateretur: conari iugum excutere: alloqui alter alterum: audendum eſſe aliquid dicere pro libertate patriæ: fœdera percutere in aduentu ſummi Pontificis,quem non dubitarent breui affuturum:dandam eſſe operam,vt tyranni eiiciantur,aut eis auferatur nocendi poteſtas: reddanturque populo ſuæ leges, nec ferendam amplius graſſandi licentiam. Accedunt igitur Pium cateruatim triduo poſt eius ingreſſum, quæ in eam vſque diem mala tuliſſent in mediũ proferunt:crediddiſſe ſe olim dicunt Eccleſiæ fuiſſe ſubditos, id facto falſum experiri:

Tuderis

Tuderis Actos eſſe dominos,non pręſules Romanos. Rogant vt Romana Eccleſia ſuum ſibi ius vendicet,excutiatq; bonis ciuibus crudele ſeruitutis iugum, quod ferre nullo pacto queant.Pius cardinales aliquot delegit,qui ciuium querelas audirent, & Actos quid ad ea reſpõderent.Rebus diſcuſſis,cum manifeſte conſtaret Actorum opera ciuitatem peſſime gubernari: verum Andrea Iacobum multo peiorẽ eſſe,& magis perniciosſum ciuem,ſtatuit illum vrbi ſubtrahere,&cum eſſent incerta populi cõſilia,nouum legit ſenatum,& nomina magiſtratuum,qui Priores appellantur, & bimeſtre officium gerunt,noua in pixide clauſit,quæ ſortibus extrahuntur. Prohibuit ne quis arma per vrbem deferret,ne pro reo criminis preces offerret niſi tertio conſanguinitatis gradu proximus illi eſſet. Ne quis tumultuante ciuitate armatus priuati cuiuſpiam ciuis domum accederet.In forum conuenire omnes iuſſit, & ad ædes aut pręſidis,aut præfecti,& alias pleraſq; leges edidit vrbi ſalutares, quæ vſq; in hanc diem ſeruatæ pacem peperere.

Legati Francorum,qui Pontificẽ ex Petriolo ſecuti fuerũt,ſuper bello regni Siciliȩ inducias petẽtes,cum Ferdinãdi regis oratores aduentaſſent, acrius vrgere cœperũt, diu ſe retẽtos dicere,nõ poſſe ampli⁹ expectare:aut exaudiri regias preces debere,aut poteſtatẽ ſibi abeundi fieri.Cõtra oratores Ferdinandi inducias parti ſuȩ pernicioſas aſſerere:Ferdinandũ hoſtes ꝓfligaſſe,nõ eſſe impediẽdum victoriæ curſum:Sinueſſȩ ducẽ in Cãpania hoſtẽ reſtare,aduerſus eũ caſtra mouẽda in locis apricis,quȩ hiemẽ nõ ſentiant,breui caſurum eius imperium:orare ne victoria è manib.auferatur:idem oratores Mediolanẽſium ducis efflagitare;Inter quos erat Corradus vir ſapiẽs,&ipſius ducis germanus.Iis Põtifex reſpõdit ſe anno ſuperiore rogatum à Ludouico rege Frãciæ,vt auxilia Ferdinãdo ſubtraheret,dixiſſe id ſibi nõ conuenire: quòd ſi regi placeret,inter cõtendentes de regno inducias fieri nõ negaturum,vt interim bello finis aut cõcordia interponeretur,aut iudicio.Miſſum fuiſſe reſpõſum& Ferdinãdo & Frãciſco,&ab vtroq; cõprobatum.Ludouicũ etſi iuſto ſerius oblationẽ acceptauerit induciarum,reiici tamẽ honeſte nõ poſſe:quòd ſi Ferdinandus recuſet obedire, in arbitrio ſuo etat:Pius ſuas copias reuocabit è regno,quia nõ poſſit fidẽ fallere. Audiuerũt ea cum lacrymis Ferdinandi oratores, vt qui omnẽ belli morã ſuis rebus nocituram putabant,& aduerſari Põtifici nõ audebant: tandẽ iudicio eius rem omnem permiſere. Pius ex Francis percunctatus eſt, quàm lõgas inducias vellẽt: trium aut quatuor menſium reſponderunt.Fraus inerat petitioni. Exiſtimabant eo pacto furorem victoris exercitus euadere,donec milites ad hiberna cõcederent:deinde tempus ipſum pacem daturum,nouoq; vere nouas pecunias ex Gallia venturas, ex quis noui poſſint exercitus inſtaurari. Nõ latuere Põtificem doli,quibus occurrit hoc modo: Amplectimur,inquit,quatuor menſium inducias,quemadmodum polliciri ſumus inter contendentes de regno.Illi Sigiſmundum Malateſtam non poſſe negligi reſponderunt,qui belli ſocius eſſet regi Rhenato confœderatus: immo vero nefas eſt, inquit Põtifex,hȩreticum hominẽ eas inducias cõprehendere,quæ inter reges fierent Chriſtianos. Sigiſmundum de religione peſſime ſentientem, iampridem fuiſſe damnatum:Eccleſiæ Romanæ prius intuliſſe bellum,quàm Rhenato coniungeretur. Iniurium fuiſſe Rhenatum Põtifici Romano,qui ſubditũ Eccleſię, proditorẽ atq; hæreticum in belli ſocietatem accepiſſet. Res pluribus diebus agitata eſt. Poſtremo cum Franci Sigiſmundum in pace prorſus comprehendere vellẽt,Pius excludere:infectis rebus legati Francorum domũ abiere.Pius Ferdinandi oratores his verbis allocutus eſt:Habetis quod deſideraſtis,nõ ſunt induciæ factȩ,quas Ferdinando victoriã prærepturas arbitrabamini.Periturum Sinueſſæ ducem veſtris armis ante natalia Domini ſi bellum continuaretur affirmauiſtis. Ite nunc & magnifica verba factis æquate, quamuis contraria nobis ſententia eſt. Feſtinat ad hiberna miles veſter, prima vos pluuia in recta reducet;frigoris & omnis incommodi patiens hoſtis ad expugnandas vrbes ſub diuo manebit,& vos aliquando pænitebit temporaneam pacem, quam obtulimus non accepiſſe.Illi multa in contrarium polliciti ſpe pleni receſſerunt.

Tractatus induciarum irritus cum Gallis Tuderti habitus.

Aduenerat&Florẽtinorum legat⁹ pro Malateſtis veniam impetraturus, cuius hȩc verba fuerunt:Rogati Florentini à Venetis pietati tuæ Malateſtarũ familiam cõmendant. Noſti quomodo velis,& quando velis reis ignoſcere:iuſta eſt vltio tua,iudicio

Florentinorum legatio pro Malateſtis,& Catherina Piſorotis aduentus.

tuo cuncta permittunt: verum blandiri Venetis conſilium fuit: ero cum eorum legato, & quæ ille petierit approbabo: tuum erit quæ velis facere. Laudauit Pontifex Florentinorum legationẽ, quæ nihil importune peteret. Legati deinde ſimul & Mediolanenſes, & Venetus, & Florentinus Pium adeuntes multis modis Malateſtarum cauſam orauere, reis petentes veniam; de iuſtitia nihil ſperantes, ad miſericordiam confugere. Pontifex etſi multa ſe debere interceſſoribus fatebatur, indignos tamen reos eſſe aiebat, qui veniam conſequerentur. Verum cum minora eſſent Dominici, quàm Sigiſmundi ſcelera, inuenturum illum gratiam propter interceſſores, ſi cenſum Eccleſiæ debitum ſolueret, & alia efficeret, quæ iure merito deberet. De Sigiſmundo nihil audire voluit, niſi prius hæreſim deponeret, & arbitrio Pontificis ſe permitteret. Acceptauerunt legati quæ ad Dominicum pertinebant: vtq; tractari facilius concordia poſſet, inducias belli petiere, quæ conceſſæ ſunt. Venit & ſoror Pontificis ad eum Catherina ex arce Spoletana, & Antonia neptis, & infans cum ea, ſcitus, & admodũ pulcher, quem Pius nomine patris Siluium iuſſerat appellari: nondum ille vigeſimũ attigerat menſem, & quæcunq; videbat æmulabatur, & multa futuræ prudentiæ præſeferebat indicia: Pontificiq; haud parum iocunditatis attulit.

Romanorum legatio pro Pontificis reditu, & eius ex Tuderto diſceſſus, totiusq; itineris iocundiſſima deſcriptio.

Acceſſerunt & Romanorum legati, viri primarii, quorum vnus ex conſeruatoribus erat cameræ vrbis Petrus Mellinus iuriſconſultus; & in comitatu nobilium filii venere equorum famulorumq; ſplendido apparatu. Ii peſtem in vrbe ceſſaſſe, & vndiq; in circuitu purificatũ eſſe aerem: tutaq; omnia dixere: multiſq; & magnis precibus Pontificem onerarunt, vt ſuam reuiſere Romam pergeret, ſuiſq; filiis ſeſe redderet, qui nimio eius deſiderio tenerẽtur. Annuit Põtifex, & ſæuiente iam hieme, cum rigerẽt omnia gelu, Idibus Decembris è Tuderto diſceſſit ante lucis exortum: agrumq; non inamœnum pertranſiuit, vſq; ad oppidum Aquæſpartæ, vbi frequẽtes turbæ occurrerunt, cum ramis oliuarum, in quis mulier tundens pectus, & genas lacerans ingenti clamore pro fratris nece lamentabatur, vltionemq; ſceleris exquirebat. Pius audita cauſa iudicium Tudertino præſidi commiſit, qui paulo poſt rem compoſuit, quamuis familiæ nõ impotentes de ſanguine inter ſe cõtenderent. Deinde per mõtes aſperiores, & iam nive canos ad oppidum ventum eſt, quod ſancti Gemini appellant in alto colle ſitum, ibiq; pernoctatum: locum fuiſſe olim celebrem ruinæ docẽt: vineis & oliuetis præſtat, ac valli ſupereminet, quã Nar fluuius irrigat, tantũ à Narnia diſtat, quantum ab Interamnia. Pius hinc digreſſus, ab Interamnenſi populo pro facultate ciuitatis cupide, ac magnifice exceptus eſt, prandioq; facto diſceſſit, & per collẽ Scipolim Strõconum ſe contulit: colles interſunt culti, & amœniſſimi, in quis Bacchus cum Cerere & Pallade certare videtur. Ager fertilis inter olea & vites tritici copiã producit. Inſunt & ficus, & nuces & aliæ arbores pomiferæ omnis generis. Scipolẽſes ante fores oppidi mẽſas appoſuere, pedeſtremq; turbam cibo, potuq; recrearunt. Stronconii, apud quos in conuentu fratrum Minorum paulo extra oppidum Pius noctem peregit, omnem curiam pauerunt. Ambo hæc oppida libera ſunt, Romano tãtum ſubiecta Põtifici, cui ſeruire libertas eſt. Stronconiũ ab Interamnia quatuor millibus paſſuum recta euntibus abeſt, in colle ſaxeo, vna tantum parte, eaq; munitiſſima, hoſti acceſſibile, & à quibuſdã inter Sabinos aſcribitur. Idem de Colle Scipionis aſſeritur, tanquam Sabinus ager ad Naris vſq; fluenta pertingant ſeptentrionem verſus. Ad meridiem vero quidam Alliam amnem Romanorum clade nobilitatum quidã Anienem pro termino ponunt. Occidentalem partem claudere Tyberim nemo dubitat, à quo Sabinorum regio orientem verſus ad Velinum lacum, vrbemq; Reatinam, & ad Marſos protenditur, Equiculorumque montes, quos hodie Tagliacotios appellant. Oenotrios ante inclytum Italiæ nomen, hanc regionẽ coluiſſe credunt: & Archades à Pallante profectos his in montib. habitaſſe, ex quibus Imela fluuius decurrit: ab eo loco, quo lacus Velinus per ſaxa præceps ruit. Mons in altum ſurgit, qui mediam Sabinorum regionem, percurrens meridiem verſus, ad Anienem vſq; protenditur, Tyburiq; imminet. Hunc Seuerum priſci vocauere: hodie partẽ eius ſancti Ioannis, partem Nigrum montem appellant: & noſtra quidem ætate inter hunc montẽ & Tyberim Sabinos collocant, nec vltra ad orientem proferri putant. In mõtibus Petrasforuli nominauere veteres, ad rebellandum quàm ad habitandum

aptiores:

aptiores:quæ ſub mõtibus terra iacet,& in Tybetim vergit, Oliuetis ac vinetis egregie prædita eſt,glandeſq; paſſim producit gregibus & armentis maxime accõmoda. Sabinos viros fuiſſe fortes,ac diuites,auctore Fabio conſtat,qui tum primum Romanos diuitiarum ſenſum accepiſſe tradit,cũ huius potiti ſunt gentis. Ab his Pingentini & Samnites in coloniam deducti fuerunt. Vacumnæ cultus apud eos præualuit, quã alii Mineruam,alii Dianam,alii Venerem putauere. Varro Victoriam eſſe ait, à qua dictum eſt oppidum Vacumna: De quo Horatius:

Hæc tibi dictabam poſt Fanum putre Vacumnæ.

Pius Pontifex cum à Stronconio diſceſſiſſet, ſuperatis nonnullis collibus ſaxorum aſperitate difficilibus, in vallem quandã deſcendit, quæ à ſiniſtris monte Seuero clauditur, à dextris Lunæ montẽ habet Narniam vſq; protenſum ſublimitate Seuero parẽ, cui nõ pauca adiacent oppida. Vallem perennis interſecat fluuius, qui non procul à Narnia Narem influit. Hunc aduerſus eius curſum ſecutus Pontifex, ad dorſum peruenit, quo Seuerus, & Lunæ montes coniunguntur. Inde aquæ bifariam cadunt aliæ ſeptentrionem verſus fluuium augentes, quẽ diximus in Narem decurrere, aliæ in meridiẽ tendunt longo decurſu; & has Imelæ fluuium efficere nonnulli cẽſent, qui tandem ad dexteram conuerſus, & occidentalem ſolem non procul à Malliano, præcipuo Sabinorum oppido in Tyberim cadit. Ab hoc dorſo pleriq; Sabinas incipere putauerunt: quicquid vltra ſeptentrionẽ reſpicit, Vmbriæ tradiderũt. Pius hoc dorſo ſuperato in vallem deſcendit nõ inamœnam, cui non pauca imminent oppida, inter quæ Aſola cernitur alto in monte ſita. Oppidani per rebellionẽ eorum domini veriti ne armis vaſtarentur, Eccleſiæ ſe dediderunt, atq; idcirco tranſeunti Pontifici lætabundi occurrerunt in ſubiectam vallem, multiſq; precibus petierunt, ne aliquando ab Eccleſiæ Romanæ mitiſſimo imperio alienarentur: quod Pius ſponte, benigneq; annuit. Deinde iuxta fluminis curſum iter habuit, donec recta in meridiem flexit: inter ſaxa vero & aſperas ad dexteram decurrentem rupes dimiſit, & collem ſuperauit; deſcenditq; ad oppidum Vrſinorum, quod Turres appellant, vna tantum parte oppugnationi patens, qua tumulus altior imminet, quamuis foſſa diſciſſus profunda, partes reliquas altiſſimæ tuentur valles: non tamen totum collem occupat oppidum: in occidentali parte non parum ſpatii remanſit vacuum, in quo vetus templum eſt hedera veſtitum, quo capto facile illinc oppidum machinæ feriant: ſed aſcenſus in eũ arduus atq; difficilis. Totum olim fuiſſe habitatum conſtat, comminutus loci populus, muros quoque comminuit. Quidam Turres pro Curibus dictas putant, & hanc vrbem fuiſſe ſuo tempore inſignem, ex qua exciti ſunt Titus Tacius, & Numa Põpilius Romæ quãdoq; regnantes, & Romanos inde Quirites dictos, quamuis Romulum ab haſta Quirinum vocatum eius appellationis fuiſſe cauſam conſtantiori fama credatur. Teſtis eſt Gregorius magnus Romanus Pontifex Turres ſuccedere Curibus: qui Gratioſo epiſcopo Numentano ſcribens, curam, gubernationemq; illi eccleſiæ ſancti Eutimii in Curium Sabinorum agro conſtitutæ ſe commiſiſſe dicit. Ipſa vero eccleſia non procul à Turribus ſita eſt, & epiſcopali titulo gaudet, qui cardinalib. aſſignatur, Sabinenſis appellatus. Nota eſt Sabinarum rapina virginum, quæ bello exorto patentes viris placauerũt. Vnde fœdus cum Tito Tacio factum, & Sabini in ciuitatem aſciti ſunt: non tamen ferendi ſuffragii ius habuerunt. Nulla ibi nunc tãtæ nobilitatis veſtigia extãt, vile caſtellum eſt ab hæreticis magna ex parte habitatum, qui occultum quendam Pontificem quaſi Papam venerantur, & clam in ſpeluncis, ſiluiſq; conueniunt. In ſuperſtitionibus tantũ ſacrilegis ac vanis Numæ poſteri. Pius hic nocte peracta cum in vallẽ deſcendiſſet admodum profundam fluuium pertranſiuit ex mõtibus cadentẽ, in quibus Aſpra iacet Sabelli oppidũ non ignobile, quod ſolũ ei cum Palumbaria remanſit, à loci aſperitate, vnde nomen habet defenſum. Curenſes itineris duces Pontificẽ per deuia deduxerunt, ex quis non ſine labore ac periculo exiuit, cum eſſent prærupte rupes, ac difficiles: tumq; primum Pius de perfidia eorum certior factus eſt, correctoſq; verbis acriorib. dimiſit, & ad Cantalupũ peruenit, oppidũ lacerum adhuc repperit, & agrum deformẽ; oppidani obuiã effuſi, magnis ſe precibus Pontifici cõmendarunt: inuitos ſe Romanæ Eccleſiæ reſtitiſſe dixerunt, & nihilominus veniam petierunt: quibus Pontifex non ſolum ignouit,

verum & priuilegia quædam gratiaſq; largitus eſt. Rurſuſq; in vallem alteram deſcē-dit, & fluuio quodam tranſmiſſo, ſuperatoq; proximo colle ad oppidum venit, quod Myrteti Podium vocāt, id eſt monaſterii Farfenſis in colle ſitum eminenti, ac prærupto ſub monte Seuero, cui ad orientem iungitur; inde tantum oppugnationi obnoxium, ſed arce defenditur munitiſſima, cetera inſuperabiles tuentur rupes, & horrenda præcipitia. In arce habitatio commodiſſima eſt, ac pene regia, & fons largus ac limpidus aquæ dulcis, & in æſtu frigidiſſimæ ex monte perpetuo labentis. Abbas Farfenſis, qui & Tranenſis archiepiſcopus fuit gentis Vrſinæ, Pontificem in arce collocauit, atq; honoribus cumulauit ampliſſimis: ſub oppido riuus eſt, quem Solis appellant: Blondus eum arbitratur eſſe, quem Flaccus Digentinam vocat his verſibus.

Me quotiens reficit gelidus Digentina riuus:
Quem Mandela bibit, rugoſus frigore pagus.

Non procul hinc Montopolis cernitur: vnde noſtra ætate Petrus Romam venit, non ignobilis poeta, qui heroicis, lyricisq; verſibus multa conſcripſit. Deſipuit tamen, & furore percitus, in morbum incidit, ex quo nondum ſenex obiit. Pius Myrteto relicto ad Farfarum flumen peruenit, qui opaciſſimis vndiq; tectus arboribus, per monaſterium, cui nomen dedit, in plana deſcendit, & vbiq; limpidus, trutarum ferax in Tyberim cadit. Hoc ponte tranſmiſſo, & proximo, atq; eminenti colle ſuperato, ad paludes peruenit, quas fluuiolus interſecat, Cureſium quidam eſſe volunt, qui podio Cures nomen dedit: nonnulli amnem Alliam priſco nomine dictum putant, qui Sabinos à Cruſtuniis olim diſiunxerit, ſexto decimo ab vrbe milliario: quo in loco Romanos diximus à Gallis fuiſſe deletos. Per noctem Pontifex in Monterotundo quieuit apud nobiles familiæ Vrſinæ. Monsrotundus non ignobile oppidum, frumenti viniq; ferax, & alendo pecori commodiſſimum, duodecimo ab vrbe milliario diſtat, & inter Cruſtumios ſitum eſt, inter quos & Vehientes Tyber fluit: Fidenas quoque Cruſtumiis attribuunt, & Nomentum, & Palumbariam: pleriq; Sabinis omnia concedunt trans Anienem ſita, ſeptentrionem verſus Naris vſque fluenta:

Contemplatus eſt omnia Pontifex inter eundum non ſine
animi remiſſione, ac volu-
ptate.

COMMENTARIORVM PII II. PONT. MAX.

LIBER VNDECIMVS.

PIvs exinde decimoquinto calendas Ianuarias ad vrbem rediit, Aniene per pontem tranſmiſſo, quem Numentanum vocant nobile Narſis opus, quo in loco ab vrbano populo ſummo cum deſiderio expectabatur. Ciuitas, quæ propter eius abſentiam, & quę nimium craſſata fuerat peſtiferam luem, mœſtiſſima erat, redeũte Domino priſtinam recuperauit hilaritatem, & lugubri veſte depoſita feſtos egit dies. Pontifex in Natali ſaluatoris Domini, ſacraq; nocte benędicto pro more gladio, legatum Venetum ſui principis vice amantiſſimis verbis donauit, vt illo in hoſtes fidei Turcas vteretur.

Pii in vrbem reditus ciuibus expectatiſſimus, & ſacri gladii Veneto principi elargitio.

Poſt receſſum ex Tuderto Pii Iacobo Picinino, qui ex Troiano conflictu cum paucis, hiſq; prorſus inermibus, ac nudis in Aprutios profugerat, nec ſuis rebus, qua conſulere poſſet, vllam inuenerat viam, ex inſperato caſus oblatus eſt, qui miſerum ſubleuaret. Rogerottus comitiſſæ Celani filius, qui præter voluntatem matris Gallicis militaſſet, ac propterea minus gratiæ apud eã inueniſſet, Picininum adiens iudicium in ſe matris iniquum dicit: feminam Ferdinando parentem, atq; aduerſam Gallis eiiciendam fore, ſibiq; tradendum imperium, qui numquam Aragonenſes, aut Cathalanos amauerit; habere amicos, qui ſibi matrem tradant cum exercitu profecturo. Petit vt ſecum pergat cum his quæ ſibi remanſerant copiis: opulenta ſpolia relaturus. Arripit occaſionem Picininus ingreſſuſque ſignis infeſtis agrum Celani, prima incurſione caſtella pleraq; occupat, quæ vltro ſe dedunt: deinde oppidum inuadit, in quo erat comitiſſa, ipſumq; vi capit atq; diripit. Illa in arce nonnullis diebus ſeſe defendit: & cum nemo ſuccurreret, admouentur bombardæ, quaſſantur turres deteſtabili exemplo, matrem filius obſidet, atque omnibus tormentis oppugnat: mater filium ſagittis impeti iubet: filius matrem omni telorum genere quærit, nec vlla inueniri conciliatio poteſt: expugnatur tandem ruentibus muris infelix mater, atq; impiiſſimi filii captiua clauditur. Diues ſupellex argenti & auri, ac lanarum magna vis Picinino cedit. Caſtella & arces Rogeretto traduntur. Hic fructus inceſtuoſi matrimonii fuit, ſi matrimonium licuit appellare, contra ius faſq; contractum. Comitiſſæ Celani Cobellæ fuit nomen ex Iacobella (vt eſt vero ſimile) per diminutionem deductum. Pater eius virili orbatus ſobole, tris filias priuſquam moreretur nuptui tradidit; Cobellam nondum viro maturam fato defunctus domi reliquit: Huic multi fuere proci, qui propter principatum ſecundum leges patrias ei debitum, connubio iungi petebant. Non tulit Martinus quintus Pontifex maximus hanc rem, Aduardo nepoti admodum adoleſcenti puellam matrimonio iunxit, dotalem vt ei comitatum pararet. Triennio ſimul manſere coniuges. Mortuo deinde Martino, Cobella iam grandior ſiue ſtrummoſum dedignata virum, ſiue, quod poſtea vulgauit, impotentem: clam fugit ad ſuos. Aduardus aliam deniq; ſuperinduxit, ex qua ſuſceptis pluribus liberis virum ſe eſſe oſtendit. Iacoputius Caudola de cuius moribus relatum eſt, Celani comitatum cupiens ſuo conterminum, iam ſenex Cobellam ſibi coniunxit tanquam legitime à coniuge non viro diuertiſſet. quo mortuo ne Celanũ extra familiam fieret, nepos ex fratre viduæ iunctus eſt, cui durante adhuc priori matrimonio fuiſſe commixtum rumor erat. Ex his nuptiis natus eſt Rogerottus inceſtis ac nefandis, à quo mater ſui ſceleris pœnas tulit. Pius cognita Celani captura: Hic eſt, inquit, fructus recuſatarum induciarum, quas tantopere Ferdinandus exhorruit; ſed quis mortalium de futuris recte iudicat? Falluntur humana iudicia, ſæpeq; noxia tanquam profutura eliguntur.

Picininus Celanũ comitatum inuadit Rogerottum peſſimi Comitiſſæ filii ſuaſu atq; auxilio.

Sulmona à Picinino per famem expugnatio.

Sulmonenſes circa idem tempus annonæ penuria laborabant:quo percepto Picininus iam pauliſper conſortatus Celanenſi præda ad caſtella Sulmonæ propinqua ſe contulit,prohibiturus ne quid commeatus importaretur:haud ignarus nihil tam facile vrbes expugnare,quàm famem. Vicos per circuitum occupat,atque omnes aditus impoſito milite claudit:ciuibus niſi ſe ſtatim dedant, vaſtationem agri minatur: cum non parerent,vites atq; arbores præcidit,&vſque ad portas ſuburbana corrumpit.Ciues ad Pium mittunt:quo ſint in ſtatu exponunt,& quæ pericula timeant: tritico ſibi opus eſſe dicunt,id ſi queat importari:nihil vrbi timendum. Pius Robertum Vrſinum virum audacem cum peditibus trecentis, equitibus galeatis quinquaginta in Aprutios ire iubet,qui coniunctus Matthæo Capuano,& Alonſo Hiſpano, ſuppetias obſeſſis ferat. Cum Picinino Caudolenſes erant, & Montorii comes, & Rogerottus,& dux Soranus,& Honoratus Sermonetæ dominus, Deiphebus Euerſi filius; & Ioannes Andegauenſis,non tam Picinino imperans,quàm parens, Iacobum belli ducem,& regem dixiſſes; Ioannem quaſi vnum qui ſub imperatore duceret ordinẽ. Omne partis aduerſæ robur ad expugnandam Sulmonam conuenerunt, excepto Roſſani principe,qui Sinueſſam relinquere non audebat. Aquilani victui neceſſaria miniſtrabant,propter quod(ſicut poſtea dicemus) viſi ſunt induciarum fœdera violaſſe.Incumbebatur expugnationi vrbis non arietibus,aut alio machinarum genere: annonæ caritas victoriam promittebat, quæ magis indies ac magis oppidanos premebat.Conueniunt ſimul Robertus atq; Matthæus,& cum ſe minus validos ad cõgrediendum cum hoſte putarent,abſente Alonſo, qui moras necteret, peritos viarum conſulunt,ſi quod iter inueniri poſſit,quo liceat clam hoſtibus commeatus ad obſeſſos deferri:illi montem oſtendunt, qui ſupereminet vrbi altiſſimus, & aſcenſu difficilis,hiems horrida congeſtis niuibus difficiliorem reddiderat: hunc ſi contendere velint,ſuperari poſſe affirmant,quamuis nõ ſine labore ac periculo: indeq; frumentum humeris hominum ad Sulmonenſes conuehi. Suadet omnia neceſſitas. Emitur vis magna frumenti,& ad radices montis comportatur iumentis. Exin pedites ſacculos tritici parui ponderis per niues & glaciem reptantes (tantum lucri dulcedo poteſt)ad alterum montis latus deferunt:vbi præſto Sulmonenſes adſunt, qui reddito pretio,ac mercede laboris tradita deſideratum alimentum in vrbem conuehunt, eoq; modo per plures dies eſuriem populi adeo mitigant,vt ablata Picinino victoria videretur,qui non ſine penuria neceſſariorum degebat. Panis militi nigerrimus, & is quidem parce tradebatur:ſarmenta contrita pro fœno & ordeo equi vorabãt: deterior obſidentis, quàm obſeſſi conditio fuit. Peruicit obſtinatio proditoris cuiuſpiam beneficio,qui cum Sulmonenſibus militaret, Piciniпum commonuit quo tẽpore,quoq; itinere Vrſini milites frumenta deferrent: vbi Sulmonenſes illa reciperent,& quibus modis intercipi poſſent. Miſit Piciniпus ad loca inſidiarum deſignata milites,qui ſigno accepto à proditore in tempore quaſi ex improuiſo erumpentes, & partem plebis Sulmonenſis,& quadraginta circiter Roberti milites onera geſtantes interceperunt. Quos Picininus maiori ex parte laqueo ſuſpendit. Secundum hãc cladem ciuitas fame coacta deditionem fecit,quinque millibus aureis in pœnam toleratæ obſidionis mulctata. Potentiori reſtitiſſe peccatum fuit. Erexit ea victoria Picinini famam,quæ propemodum ſepulta videbatur: labanteſq; ſuarum partium animos confirmauit.

Ferdinandus Pontislatronū obſidionẽ, turpiſſimo ſoluit, Capuãque quaſi Picininum fugeret, rediit.

Acceſſerat & aliud paulo ante facinus, quod eius æſtimationi haud parum addiderat. Ferdinandus cum victor ab Ofanto rediſſet, Tarentino principi data pace, Serra, Capriola Caudolis adempta: Montorio, Porcina, Sancto Martino, & aliis pleriſque caſtellis comiti Campibaſſi ablatis: pluribus regulis in poteſtatem redactis, Pontelandolfo direpto,atq; incenſo,quem diebus quindecim oppugnauerat, Poianello per concordiam obtento;ad Pontemlatronum ſe contulerat Roſſani principis oppidum:biniſq; caſtris obſidionem obfirmauerat ita profundis interiacẽtibus vallibus,vt altera alteris nulli poſſent vſui eſſe. Caſtellum quoq; proximum hoſti patebat,ex quo tranſitus in pontem liber patebat, nec frequentes in caſtra copiæ veniant. Sfortianorum maxima pars ad hiberna conceſſerat, ex turmis aliorum multi diffugerant. Tempus quoq; incommodum fuit ventis atq; imbribus obnoxium.

Quibus

Quibus ex rebus damnatum eſt conſilium regis,& plerique doloſum putauere ab his profectum, qui palam prætendentes amare, clam oderunt (vt eſt omnis regia proditoribus plena) Ea cum Picininus cognouiſſet, repente cum expedito milite magnis itineribus ex Aprutio Sinueſſam venit, eo conſilio, vt manus cum hoſte cõſereret: haud dubius,quin alterutra caſtra expugnare poſſet. Non expectauit congreſſum Ferdinandus, qui pluuiarum nimbos, aduerſamque tempeſtatem accuſans, quibus cœpta impedirentur, propere obſidionem diſſoluit, Capuamque ſe contulit, nec eo anno amplius caſtrametatus eſt. Cuncti fugiſſe regem ante Picinini faciem dixere, eique liberati oppidi nomen dedere. Clarum fuga regis Picininum reddidit: Sulmonenſis victoria clariorem,qui victus prælio,vinceret vrbes, & plus hieme quàm æſtate valeret.

Sfortianorum equitum turmę circa idem tempus in Appulis quatuor apud ſanctā Seueram hibernabant,vt eſt conſuetudo militum,non ſine oppidanorum damno atque iniuria. Ceperat id oppidum æſtate ſuperiori Ferdinandus per deditionē,quamuis expugnare armis poterat, ac militibus ad tolerandum inopiam diripiendum tradere. Noluit ſeuerus in ſeueros eſſe,neque admonitus eſt loci nomine: in ſancta Seuera mitem ac elemenrem ſe præbuit:pepercit multitudini:laude id dignum. Arfactionis ducem,incentoremque rebellionis impunitum relinquere quis probauerit? Creſcunt impunitate delicta: audet quotidie maiora qui ſine periculo minora patrauit. Conſecutus veniam Seuerinæ rebellionis auctor alteram è veſtigio molitus eſt. Damnanti populo Sfortianorum opera,qui viros ac mulieres contumeliis afficerent,vltionem ſuadet;arma vti capiant hortatur, atque improuiſos hoſpites intempeſta nocte adoriantur, & ad vnum trucident: prope adeſſe Gallorum auxilia, & Tarentini principis manum, audeant nihil periculi fore: Ferdinandi partes & in Aprutio, & in Terra laboris profligatas dicit. Arripiunt oppidani conſilium; de nece tantum diſſentiunt: adoriuntur ex improuiſo Sfortianos; intromiſſiſque auxiliis ad eam rem paratis,arma & equos hoſpitibus auferunt,& alios captiuos retinent; alios nudos emittũt: atque iterum Rhenati vexilla erigunt,& regno eius ſeſe ſubiciunt. Tria hæc vulnera poſt Troianam victoriam Ferdinandi partibus illata ſunt: Celani comitatus ad hoſtes defecit: Sulmona perdita eſt. ſancta Seuera non ſolum rebellauit,ſed equitum cohortes validiſſimas exarmauit: quibus cladibus fuga regis acceſſit, quæ tanto turpior viſa eſt, quanto rarius audire ſolemus victorem à victo fugari: non tamen his ſucceſſibus compenſata eſt hoſtibus Troiana clades, quæ Gallico nomini Tarentinum Principem, regnique partem præcipuam ademit.

Sfortiani in hibernis apud ſanctam Seueram oppidanorũ rebellione diripiuntur.

Angliæ regina, quam ſupra diximus auxiliis à Ludouico rege Francię impetratis in Scotiam nauigaſſe,dum iſta fiunt,in parte Angliæ Boreali vltra Eboracum,bellum innouat, & aliquot caſtella expugnat: occurrunt regis Eduardi copiæ,& inito certamine,Scotos Galloſque fugant,caſtella recuperant: & intercepta in eis præſidia,quę regis Henrici nomen profitentur, crudeliter necant: Francis, qui ſe Ludouico militaſſe aiunt, vt ſe redimant poteſtatem faciunt. Hac victoria conſternati omnes,qui partes Henrici tuebantur,ad Eduardum defecere,duce Somerſeti viam monſtrante, ac ſtultum eſſe dicente, ſæpius aduerſus Dei voluntatem pertinaci animo depugnare:illam, vt videtur, Eduardo regnum promiſiſſe: proinde nolle ſe diuinæ voluntati reſiſtere,ſeque victori permiſit,à quo receptus in gratiam,paternam hereditatem cõſecutus eſt: Eduardo regnum confirmatum : Henricus in Scotia curarum expers ac modico contentus remanſit. Regina cum filio ad Ludouicum mœſta & inops conſilii in Franciam rediit. Has regni Anglici mutationes Galli, & qui eis conſentiebant, Franciſco Interamnenſi epiſcopo imputabant,qui miſſus in Angliam ad imploranda contra Turcas auxilia,placandamque gentem diſſidium excitaſſet,partes regis excõmunicaſſet, aduerſis æterna ſalute promiſſa benedixiſſet,nec vanus erat rumor: Ambitio & ingentia promiſſa Franciſcum deceperant, cui Pontifex re cognita, vt ad ſe quam propere reuerteretur,litteras dedit. Ipſe ſibi cõſcius ac timens Eduardi regis,& aliorum principum commendationes emendicauit; & tanquam procurator Anglorum, ac Franciſci Mediolanenſium ducis conſiliarius ad curiam remeauit; multa in ſuam purgationem adducens. Cumque auri vaſcula,& gemmas pretioſas ex Anglia

Henrici partes in Anglia ſuperantur, Franciſcusq; Interamnēſis epiſcopus quòd à legationem Anglicanam infideliter geſſiſſet interceptus à Pio priuatur, ac monachus efficitur.

attuliſſet, quamplures (venalẽ namque ſuam legationẽ fecerat) ex mammona iniquitatis amicos ſibi parauerat, quorum prędidio Pontificis ſibi aures conciliaret. In Apoſtolico quoq; palatio cardinalis Theanenſis, & Gilifortus Theſaurarius veteri ſecum amicitia iuncti erant, & amico ne periclitaretur operas nauabant. Diſſimulauit aliquandiu Pontifex: at cum Roma diſcedens Viturium petiuiſſet, rumorque in dies crebeſceret, Interamnenſem epiſcopum præter ſpem omnium viſionem euaſiſſe, Iacobo Ptolomęo vt epiſcopum caperet, atq; in Hadriani mole retineret occulte mandauit. Eoq; facto tabelliones, & iudices, qui reum diligenter examinarẽt, illico Romã miſit: ille abſq; tormentis de vexillo, de anathemate, de ceteris obiectis cuncta confeſſus eſt, & amplius ſimoniacę labis multas turpitudines, qui beneficia per pecuniã contuliſſet: & ſacros ordines, & indulgentias, & abſolutiones: ſcripſitq; confeſſionẽ ſuam manu propria, neque negare iſtęc poterat: libri eius intercepti, quos ipſe dictauerat, atq; ſignauerat, eadem continebant. Damnabant cardinales, prelatique fere omnes epiſcopum indemnatum in vincula coniectũ eſſe, Pius clamoribus poſthabitis clauſum cuſtodiri iuſſit, donec Romam reuentum eſt: Deinde confeſſionem rei ad ſe clam vocatis Auditoribus Rotę, ac iuramento adactis ne quid efferrent, examinandã tradidit; & qua pœna plectendus eſſet epiſcopus, qui talia commiſiſſet percunctatus eſt: illi tempore ad deliberandum obtento, poſt dies octo ſcriptam ſignatamque Rotę ſigillo ſuam ſententiam attulere: qua priuandũ epiſcopatu reum, & ab ordine deponendum cenſuere, & in aliquo monaſterio detrudendum, vbi ſua peccata perpetuo defleret. Vocatur deinde conſiſtorium ſecretum, in quo Pontifex Anglicana geſta commemorat, & cruentiſſima bella, quibus Interamnenſis epiſcopus minime iuſſus interfuerit, & Eccleſię vexillum erexerit ſua manu conſutum, confeſſionem eius producit: deinde cardinaliũ ſententias exquirit: cumq; mitiora nõnulli cenſerent, quàm tanta ſcelera mererentur, & amici epiſcopi comminuere delicta conarentur, conſiliũ Rotę in mediũ protulit: quo lecto erubuere defenſores rei, & pars maxima cardinalium in auditorum ſentẽtiam pedibus iuit: Pius epiſcopum pro meritis Interamnenſi priuauit eccleſia, & ab ordine depoſuit: ille poſtea ſiue religionis zelo accenſus, ſiue quod in ſæculo dignitate priuatus vitam ſibi moleſtiſſimã duceret, à Pontifice petiit, vt liceret ſibi in monaſterio ſancti Pauli cum monachis Caſſinenſibus, alias ſanctæ Iuſtinę, diui Benedicti ordinem profiteri: indultum eſt, & vt in presbyteratus ordine miniſtrare poſſet, conceſſum: nec mora habitus datus, & pro Franciſco, Ignatii nomẽ aſſumptum, ſub quo in hanc vſq; diem ſine reprehenſione Domino famulatur: Monachus melior quàm epiſcopus, ſi cœptum tenuerit iter.

Diſceptatio acerrima inter prædicatores Monachos & minores, An ſanguis Chriſti pretioſiſſimus in triduo paſſionis à corpore ſeparatus, diuinitatis vnitus perſonã manſerit.

Anno priuſquã iſta fierent apud Brixiam Ciſalpinę Galliæ ciuitatẽ Iacobus Marchianus ordinis Minorum profeſſor, diui Bernardini Senenſis quondã ſocius, verbi Dei prędicator in populis acceptus, ætate iam decrepita, in die ſancto Paſchę cũ ſermonem pro ſua conſuetudine haberet ad plebem, vt eſt communis error eorum, qui declamatorie in eccleſiis verba faciunt, ad oſtentationem doctrinę pleraq; dixit, quæ fuerat vtilius intacta dimiſiſſe: Inter cetera pretioſum Chriſti ſanguinem in triduo paſſionis, dum iacuit in terra ſparſus, indignum fuiſſe latrię cultu aſſeuerauit, quoniã fuſus & à corpore Dominico ſeparatus, hypoſtaticam verbi vnionem protinus amiſiſſet. Publicatus ſermo ad aures Inquiſitoris hæreticę prauitatis, ordinis Prædicatorum peruenit, qui zelo fidei tactus, illico damnatam hæreſim prædicatam dixit, mandauitque Iacobo vt reuocaret errorem, niſi quamprimum pareret, reſponſuro de fide diem dixit, & nihilominus vnum ex confratribus in ſermone, qui poſt meridiem habitus eſt, contrariam ſententiam diuulgare iuſſit. Iacobus, qui annos quadraginta ſine reprehenſione verbum Dei populis annunciaſſet, ac ſuo & aliorum iudicio fructum attuliſſet Chriſtianæ religioni non modicum, dictam ſibi diem impatientiſſime tulit. Tactus eſt mons, & fumigauit: pauperiem pati, & famem, & ſitim, & corporis cruciatum, & mortẽ pro Chriſti nomine nonnulli poſſunt, iacturam nominis vel minimam ferre recuſant, tanquam ſua deficiente fama, Dei quoq; gloria pereat: Vir vere bonus, etiam famam vbi opus eſt contemnere nouit. Concurrente ſequenti die ad Eccleſiam populo, ambonẽ aſcendit, & multa de ſe ipſo ſine modeſtia locutus, qui omnẽ ætatem ſuã docẽdo populos & in Italia & Hungaria cõſumpſiſſet,

nec

nec vnquam fuiſſet inuentus error in ore ſuo: vehementer ſe dolere ait, quod iam in extremo ſenio tanquam hęreticus accuſaretur, ex eo quòd ſanguinem Chriſti in paſſione fuſum diuinis honoribus aſſeruiſſet indignum· non ſuum id eſſe inuentum, doctores magni nominis ita in ſcriptis reliquiſſe: produxitq; libros Franciſci Maronei, ac Richardi, & aliorũ, qui de ſanguine Ieſu ea continebãt, quæ à ſe fuerant prædicata. Creuit hoc facto contentio, & ſchiſmata in populo facta ſunt: pars Iacobo ac Minoribus fratribus, pars inquiſitori & Prędicatoribus auſcultabat, & alteri alteros tanquam hæreticos incuſabant. Interpoſuit epiſcopus loci vices ſuas, neque ſedare tumultum potuit, aut inflatas opinione ſui placare mentes: Iacobus niſi vinceret labores ſuos annorum quadraginta, quibus ſine intermiſſione prædicando populos inſtruxerat, caſſos fore arbitrabatur; Inquiſitor defenſionem fidei præterire non poſſe aiebat. Res ad Apoſtolicam ſedem remittitur: Pius conſulente ſenatu vtriq; parti ſilentium imponit, præfectisq; ordinũ mandat in termino, qui ſæpe prorogatus eſt, doctiſſimos theologos ad curiam mittant. Conuenere frequentes Romę in feſto Natalis Domini anni Milleſimi quadringenteſimi ſexageſimi tertii, cum iam Pius ex Tuſcia rediſſet. Vocantur in Apoſtolico palatio cardinales, epiſcopi, ac diuini & humani iuris doctores, quorum maximus aderat in curia numerus. Iubentur Prædicatores, ac Minores bis ternos eligere, qui ſimul congredientes in vtramque partem quæſtionis articulũ diſputantes inuettant: paritum eſt. Inter Prędicatores præcipuę diſputandi partes Gabrieli Cathalano ſunt attributæ: inter Minores Franciſco Saonenſi, vterque philoſophus, vterque theologus peritiſſimus habebatur. Aduentauerat ex gymnaſio Pariſienſi Vilhelmus quidam nomine, ordine Minor, natione Gallus, quem ſui gentiles omnia ſupra verum extollentes, in doctrina theologica monarcham, & omniũ doctorum doctorem appellabant, ac veluti quoddam numen admirabantur, cui theologi Italici generis comparati, vix nomen diſcipulorum mererentur: hunc Minores, qui de ſanguine diſputaret triumuirum elegere. Ea res virum contemptibilem reddidit, cum nihil diceret auditu dignum: quemadmodum terræ flumina quantumvis ampla, & profunda nomen amittunr ingreſſa mare: ita & doctores domi clari, & inter ſuos illuſtres Romanam adeuntes curiam inter maiora lumina nomen & lucem amittunt: pari modo Vilhelmus Galliam & Italiam penetrauit glorioſus, Romæque nonnullos deterruit opinione doctrinæ, tanquam ea dicturus, quæ nemo auderet confutare, ſed ceſſit repente doctis curiæ viris, & criſtæ cecidere ſuperbo: non vixit paulo poſt certamen Vilhelmus, ex morbo correptus obiit Romæ: corpus eius Minores in Aracæli condiderunt: viri vitam præter tumorem doctrinæ laudabilem & caſtam fuiſſe tradunt. Diſputatio de ſanguine tribus diebus in palatio coram Pontifice, ac ſacro ſenatu cardinalium, & reliquorum prælatorum conuentu agitata eſt: Prædicatores concluſionem, quam defendere vellent in hunc modum propoſuere: Pretioſum Domini ſanguinem in paſſione fuſum, qui demum ad glorificatum corpus rediit, hypoſtatica verbi vnione nunquam fuiſſe priuatum. Minores in triduo paſſionis ceſſaſſe vnionem affirmauerunt: vnionem autem hypoſtaticam græco vocabulo conſenſere omnes perſonalem appellari latine debere: quoniam Verbum Dei ſecunda in Trinitate perſona caro factum, quamuis Deus eſſet & homo, duaſque naturas præſeferret, vnam tamen perſonam non duas gereret, & in vna perſona totus in ſuis Deus, & totus in noſtris homo contineretur: verus Deus, & verus homo; perfectus Deus & perfectus homo. Additum quoque à prædicatoribus eſt, quod non totum Chriſti ſanguinem in paſſione fuſum reſurrexiſſe cum Chriſto aſſerturi eſſent; quæ res altius indaganda videretur: idque factum eſt, ne litteris Pii aduerſari viderentur, in quis declarauerat Tybure manens, aſſertionem, quæ aliquid de Chriſti ſanguine in terris proderet remanſiſſe religioni Chriſtianæ non eſſe contrariam. Pulchrum & delectabile fuit audire doctiſſimorum virorum præclara ingenia inter ſe contendere verbis, & nunc iſtum, nunc illum ſuperiorem cernere. Certauere, vt decuit, coram tanta maieſtate, non ſine modeſtia, ac trepidatione viri religioſi: verum adeo durum & acre certamen habuere, vt media hieme, cum rigerent omnia gelu, in ſudorem reſoluerentur: tantus erat vincendi ardor. Au-

diebant attentiſſime conſedentes, nec loquentem interturbare quiſquam poſſet, pſit. Prædicator primus auditus eſt: deinde Minor. Succedebant ſibi inuicem tres viri, & alacres deficientium partes aſſumebant. Cum ſatis dixiſſe viſi ſunt Minores & Prædicatores, facta eſt poteſtas reliquis theologis quæ vellent dicere: tum quoque prælium nobile viſum, cum Prædicatorum alii, Minorum alii partes tuerentur. Præcipua vero contentio inter duos epiſcopos fuit Dominicum de Dominicis Torcellanum, & Ferrarienſem theologicæ ſapientiæ peritiſſimos. Torcellanus, qui olim cum Minoribus ſenſerat, mutato propoſito ad Prædicatores defecerat: Ferrarienſis Minoribus aſtipulabatur, & ſummo conatu ſententiam impugnabat Prædicatorum. Fuerunt & magiſtri aliquot inter epiſcopos, & abbates non ignobiles, qui diſputationem problematicam affirmauerunt; quæ poſſet in vtramque partem agitari. Non tædebit fortaſſe lectorem quibus rationibus, quibuſve auctoritatibus quæſtionis articulus ſit agitatus agnoſcere. Attingemus ſummos argumentationum locos, & partium fundamenta: deinde lectori iudicium relinquemus, donec ſancta ſedes Apoſtolica decretum appoſuerit, niſi iam videatur appoſitum. De ſanguine Ieſu extra corpus effuſo dubitatum eſt: an verbi retinuerit vnionem: prius quàm funderetur, & poſtquam reſumptus eſt ad glorificatum corpus, tam Minores, quàm Prædicatores vnitum fuiſſe diuinitati Dominicum ſanguinem conceſſerunt, cum Chriſtus in vna perſona Deus & homo in cœna dixerit: *Hic eſt calix ſanguinis mei noui & æterni teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur*: & hodie in altari ſanguis Domini conſecratus diuinos conſequatur honores. De triduo paſſionis contentio fuit. Prædicatores quamuis fundatam haberent intentionem, quoniam vnione conceſſa ſeparationem probare Minores decebat: eam tamen in hunc fere modum fundare ac probare conati ſunt. Dixerunt enim Dei filium æterno Patri, & Spiritui ſancto coæqualem, cum redempturus humanum genus incarnatus atque humanatus eſt, non præſubſiſtenti ſecundum ſeipſam carni vnitum fuiſſe, ſed inhabitantem in vtero ſanctæ Virginis incircumſcriptæ in ſua ipſius hypoſtaſi ex caſtis ſemper Virginis ſanguinibus carnem animatam anima rationali, & intellectuali ſubſtituiſſe, ac noſtræ maſſæ primitias aſſumpſiſſe. Deumque, qui erat natura perfectus, factum fuiſſe perfectum hominem, & in ipſo quidem inſtanti vnionis momento, quando verbum caro factum eſt, mox affuiſſe ſanguinem. Affuit enim illa caro, & quidem viua, quæ ſanguine carere non poteſt, quemadmodum philoſophi tradunt: nec dubium quin ſimul carnem, & ſanguinem, & oſſa, & neruos, & pellem, & cetera, quæ ſunt hominis, filius Dei homo factus aſſumpſerit: qua re ſatis oſtenſa, tritam illam, & apud omnes vulgatam ſententiam adduxerunt: quod ſemel verbum Dei aſſumpſit, nunquam dimiſit; dicentere de vnione verbi & hominis Damaſceno: Inuertibiliter, inquam, inalterabiliter, indiuiſibiliter, & inconuulſibiliter in duabus naturis perfecte ſe habentibus vnam hypoſtaſim confitemur verbi Dei: Et iterum de ipſo verbo; Nullam partium naturæ reliquit, non corpus, non animam; ſed corpus & animam rationalem, & intellectualem, & voluntariam, & motiuam poſſidet, & ita ad cælos rediit. Hoc ipſum & auctoritate magni Leonis comprobauerunt, aſſerentis quæcunque in vnione verbi Dei & hominis conuenerunt, neque ſeparationem vnquam, neque finem perpeti potuiſſe: ſanguinem igitur qui fuit aſſumptus à verbo, & qui illa in vnione conuenit, nunquam fuiſſe dimiſſum; alioquin filius Dei ſine ſanguine ad cælos aſcendiſſet, quod nefas eſt opinari. Exin multa ſacri eloquii teſtimonia produxerunt, quæ ſanguinem Chriſti humanæ redemptionis pretium fuiſſe commemorant, & quidem fuſum, atque ipſi ſanguini ea tribuunt, quæ diuinitati conueniunt, vt eſt peccata delere, mundare conſcientias, Eccleſiam Dei acquirere; veteris Adæ piaculum detergere: vitam nobis in Deo præſtare; Euangelium ſanctificare: & in hunc modum plura: ait enim in Euangelio Dominus, *Sanguis meus vere eſt potus*: nec adiecit in corpore clauſus, ſimpliciter ait, *Sanguis meus*, quaſi omne tempus reſpiciens, in quo ſuus poſſet ſacramentaliter percipi ſanguis. Et Petrus in epiſtola dicit: *Non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis de vana conuerſatione paternæ traditionis, ſed*

nis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati & incontaminati Chriſti Ieſu: & loquitur de ſanguine fuſo per comparationem ad agnum immaculatum, qui fuerit in veteri teſtamento figura Saluatoris, & cuius ſanguis effundebatur. Non fuiſſet dignum pretium ſanguis Chriſti effuſus à diuinitate relictus. Et Paulus ad Hebræos ſcribit: *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientias noſtras ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti?* Sanguinem Chriſti hircorum, & taurorum ſanguini comparat, fuſum fuſo, & præfert Chriſti propter vnionem Verbi, vt in eodem loco exponit Nicolaus Lyritanus. Idem Paulus in Actibus Apoſtolorum: *Attendite*, inquit, *vobis & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus ſanctus epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*, non retento, intellige, ſed effuſo: quo in loco ſcribens venetabilis Beda: *Non dubitat*, ait, *ſanctus Paulus ſanguinem Dei dicere propter vnionem perſonæ in duabus naturis Ieſu Chriſti*. & Ioannes Apoſtolus in epiſtola: *Sanguis*, inquit, *Chriſti emundabit vos ab omni peccato*. & rurſus Paulus ad Hebræos: *In ſanguine*, inquit, *mundantur omnia, & ſine ſanguine non fit remiſſio peccatorum*. Et Damaſcenus lignum crucis adorandum ait propter contactum corporis & ſanguinis Domini. Et Auguſtinus contra Fauſtum: *Noſtra emendatio*, inquit, *& Dei propitiatio nulla eſt ſine ſanguine*: nec dubitat Chriſtum dicere pro noſtra redemptione ſanguinem ſuum fudiſſe, & librum Euangelii eo ſanguine ſanctificaſſe, id eſt confirmaſſe. Et Leo in ſermone de paſſione: *Sanguis*, inquit, *immaculati agni antiquæ præuaricationis peccata deleuit*. Et alibi: *Nunc etiam carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum vna corporis & ſanguinis ſui compleuit oblatio, & amplius ſanguis vnius iuſti, quem nobis donauit, qui cum pro conciliatione mundi credimus fuſum, hoc contulit patribus, qui ſimiliter credidere fundendum*. Et alia in hũc modum teſtimonia quamplurima in medium ſunt adducta, cum ſacro ex canone, tum ex dictis ſanctorum virorum, quos Romana veneratur Eccleſia: quòd ſi ea facere ſanguis Domini fuſus oſtenditur, quæ diuinitati conueniunt; non eſt cur dicere liceat ab effuſo ſanguine diuinitatem abiiſſe. Huc & figuras traxere veteris teſtamenti, quæ per ſanguinem agni fuſum, & vitulorum, & hircorum fundendum Chriſti ſanguinem præſignabant, & tum primum vim purgatiuam, conſeruatiuamque ineſſe ſanguini oſtendebant cum erat ſparſus: ipſo enim & poſtes & altaria liniebant, neque ſine illo audebat ſummus ſacerdos Sancta Sanctorum ingredi, coaptanda eſt figurato figura, & cum Apoſtolo concludendum plus valere Chriſti ſanguinem extra corpus, quàm illorum animalium, atque adeo valere, vt ipſe fuerit, qui Sancta Sanctorum purgauerit, & alia fecerit, quæ animalium ſanguini ſcriptura vetus attribuit; & tandem nos in cruce fuſus ab hoſte redemerit. Ad quam rem pulcherrimam Ioannis Chryſoſtomi ſuper Ioannem introducta eſt auctoritas in hunc modum: Hic ſanguis effuſus vniuerſum abluit orbem terrarum: de quo multa Paulus ad Hebræos proſecutus eſt: hic ſanguis delicta & Sancta Sanctorum purgabat. Quòd ſi eius figura tantam habuit vim in templo Hebræorũ in media Ægypto liminibus aſperſus, longe magis veritas hic ſanguis aureũ altare ſanctificauit: ſine hoc princeps ſacerdotũ in penetralia ingredi nõ audebat: hic ſanguis ſacerdotes faciebat; hic in figura peccata purgabat, quæ ſine verbi coniunctione haudquaquã potuiſſet efficere. Inuenta eſt diui Bernardi auctoritas, qui vnam guttã ſparſi ſanguinis Domini Saluatoris ad redimendum genus humanũ ſuffecturã fuiſſe teſtatur. Idem affirmat Clemens Pontifex maximus in epiſtola, quã edidit exhortatoriã, vt Chriſtiani principes pro tuenda religione aduerſus infideles arma ſumerent: quã & Nicolaus quintus in ſuis litteris inſeruit, & addidit rationem Clemens propter vnionẽ Verbi, quæ vim ſanguini dedit. Cumq; omnium doctorũ ſententia ſit, ſanguinẽ Chriſti tanquam noſtræ redemptionis pretiũ non diabolo, vt quidam ſtultiſſime putauerunt, ſed Deo patri, atq; ipſi Trinitati fuiſſe traditum, alienum à noſtra religione, abſurdum, atque impium videri debet Dei ſanguinem Deo datum, Dei eſſe deſinere, & pretium ipſum in ipſa traditione vileſcere, ac ſi aurum creditori numeratum conuertatur in cuprum, damnarent homines hoc inter homines fieri: & nos hanc deceptionem apud diuiniſſimam Trinitatem admittemus, & Deum ſibi ipſi concedemus illudere? Cur præterea nobi-

diebant attentiſſime conſedentes, nec loquentem interturbare quiſquam præſumpſit. Prædicator primus auditus eſt: deinde Minor. Succedebant ſibi inuicem tres viri, & alacres deficientium partes aſſumebant. Cum ſatis dixiſſe viſi ſunt Minores & Prædicatores, facta eſt poteſtas reliquis theologis quæ vellent dicere: tum quoque prælium nobile viſum, cum Prædicatorum alii, Minorum alii partes tuerentur. Præcipua vero contentio inter duos epiſcopos fuit Dominicum de Dominicis Torcellanum, & Ferrarienſem theologicæ ſapientiæ peritiſſimos. Torcellanus, qui olim cum Minoribus ſenſerat, mutato propoſito ad Prædicatores defecerat: Ferrarienſis Minoribus aſtipulabatur, & ſummo conatu ſententiam impugnabat Prædicatorum. Fuerunt & magiſtri aliquot inter epiſcopos, & abbates non ignobiles, qui diſputationem problematicam affirmauerunt; quæ poſſet in vtramque partem agitari. Non tædebit fortaſſe lectorem quibus rationibus, quibuſve auctoritatibus quæſtionis articulus ſit agitatus agnoſcere. Attingemus ſummos argumentationum locos, & partium fundamenta: deinde lectori iudicium relinquemus, donec ſancta ſedes Apoſtolica decretum appoſuerit, niſi iam videatur appoſitum. De ſanguine Ieſu extra corpus effuſo dubitatum eſt: an verbi retinuerit vnionem: prius quàm funderetur, & poſtquam reſumptus eſt ad glorificatum corpus, tam Minores, quàm Prædicatores vnitum fuiſſe diuinitati Dominicum ſanguinem conceſſerunt, cum Chriſtus in vna perſona Deus & homo in cœna dixerit: *Hic eſt calix ſanguinis mei noui & æterni teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur*: & hodie in altari ſanguis Domini conſecratus diuinos conſequatur honores. De triduo paſſionis contentio fuit. Prædicatores quamuis fundatam haberent intentionem, quoniam vnione conceſſa ſeparationem probare Minores decebat: eam tamen in hunc fere modum fundare ac probare conati ſunt. Dixerunt enim Dei filium æterno Patri, & Spiritui ſancto coæqualem, cum redempturus humanum genus incarnatus atque humanatus eſt, non præſubſiſtenti ſecundum ſeipſam carni vnitum fuiſſe, ſed inhabitantem in vtero ſanctæ Virginis incircumſcriptæ in ſui ipſius hypoſtaſi ex caſtis ſemper Virginis ſanguinibus carnem animatam anima rationali, & intellectuali ſubſtituiſſe, ac noſtræ maſſæ primitias aſſumpſiſſe. Deumque, qui erat natura perfectus, factum fuiſſe perfectum hominem, & in ipſo quidem inſtanti vnionis momento, quando verbum caro factum eſt, mox affuiſſe ſanguinem. Affuit enim illa caro, & quidem viua, quæ ſanguine carere non poteſt, quemadmodum philoſophi tradunt: nec dubium quin ſimul carnem, & ſanguinem, & oſſa, & neruos, & pellem, & cetera quæ ſunt hominis, filius Dei homo factus aſſumpſerit: qua re ſatis oſtenſa, tritam illam, & apud omnes vulgatam ſententiam adduxerunt: quod ſemel verbum Dei aſſumpſit, nunquam dimiſit; dicente de vnione verbi & hominis Damaſceno: Inuertibiliter, inquam, inalternaliter, indiuiſibiliter, & ineuulſibiliter in duabus naturis perfecte ſe habentibus vnam hypoſtaſim confitemur verbi Dei: Et iterum de ipſo verbo; Nullam partium naturæ reliquit, non corpus, non animam; ſed corpus & animam rationalem, & intellectualem, & voluntariam, & motiuam poſſidet, & ita ad cælos rediit. Hoc ipſum & auctoritate magni Leonis comprobauerunt, aſſerentis quæcunque in vnione verbi Dei & hominis conuenerunt, neque ſeparationem vnquam, neque finem perpeti potuiſſe: ſanguinem igitur qui fuit aſſumptus à verbo, & qui illa in vnione conuenit, nunquam fuiſſe dimiſſum; alioquin filius Dei ſine ſanguine ad cælos aſcendiſſet, quod nefas eſt opinari. Exin multa ſacri eloquii teſtimonia produxerunt, quæ ſanguinem Chriſti humanæ redemptionis pretium fuiſſe commemorant, & quidem fuſum, atque ipſi ſanguini ea tribuunt, quæ diuinitati conueniunt, vt eſt peccata delere, mundare conſcientias, Eccleſiam Dei acquirere; vetus Adæ piaculum detergere: vitam nobis in Deo præſtare; Euangelium ſanctificare: & in hunc modum plura: ait enim in Euangelio Dominus, *Sanguis meus vere eſt potus*, nec adiecit in corpore clauſus, ſimpliciter ait, *Sanguis meus*, quaſi omne tempus reſpiciens, in quo ſuus poſſet ſacramentaliter percipi ſanguis. Et Petrus in epiſtola dicit: *Non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis de vana conuerſatione paternæ traditionis, ſed*

nis, ſed

nis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati & incontaminati Chriſti Ieſu. & loquitur de ſanguine fuſo per comparationem ad agnum immaculatum, qui fuerit in veteri teſtamento figura Saluatoris, & cuius ſanguis effundebatur. Non fuiſſet dignum pretium ſanguis Chriſti effuſus à diuinitate relictus. Et Paulus ad Hebræos ſcribit: *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientias noſtras ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti?* Sanguinem Chriſti hircorum, & taurorum ſanguini comparat, fuſum fuſo, & præfert Chriſti propter vnionem Verbi, vt in eodem loco exponit Nicolaus Lytitanus. Idem Paulus in Actibus Apoſtolorum: *Attendite*, inquit, *vobis & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus ſanctus epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*, non retento, intellige, ſed effuſo: quo in loco ſcribens venerabilis Beda: *Non dubitat*, ait, *ſanctus Paulus ſanguinem Dei dicere propter vnionem perſonæ in duabus naturis Ieſu Chriſti.* & Ioannes Apoſtolus in epiſtola: *Sanguis*, inquit, *Chriſti emundabit vos ab omni peccato.* & rurſus Paulus ad Hebræos: *In ſanguine*, inquit, *mundantur omnia, & ſine ſanguine non fit remiſſio peccatorum.* Et Damaſcenus lignum crucis adorandum ait propter contactum corporis & ſanguinis Domini. Et Auguſtinus contra Fauſtum: *Noſtra emendatio*, inquit, *& Dei propitiatio nulla eſt ſine ſanguine*: nec dubitat Chriſtum dicere pro noſtra redemptione ſanguinem ſuum fudiſſe, & librum Euangelii eo ſanguine ſanctificaſſe, id eſt confirmaſſe. Et Leo in ſermone de paſſione: *Sanguis*, inquit, *immaculati agni antiquæ prævaricationis peccata deleuit.* Et alibi: *Nunc etiam carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum vna corporis & ſanguinis ſui compleuit oblatio, & amplius ſanguis vnius iuſti, quem nobis donauit, qui cum pro conciliatione mundi credimus fuſum, hoc contulit patribus, qui ſimiliter credidere fundendum.* Et alia in hũc modum teſtimonia quamplurima in medium ſunt adducta, cum ſacro ex canone, tum ex dictis ſanctorum virorum, quos Romana veneratur Eccleſia: quòd ſi ea facere ſanguis Domini fuſus oſtenditur, quæ diuinitati conueniunt; non eſt cur dicere liceat ab effuſo ſanguine diuinitatem abiiſſe. Huc & figuras traxere veteris teſtamenti, quæ per ſanguinem agni fuſum, & vitulorum, & hircorum fundendum Chriſti ſanguinem præſignabant, & tum primum vim purgatiuam, conſeruatiuamque ineſſe ſanguini oſtendebant cum erat ſparſus: ipſo enim & poſtes & altaria liniebant, neque ſine illo audebat ſummus ſacerdos Sancta Sanctorum ingredi, coaptanda eſt figurato figura, & cum Apoſtolo concludendum plus valere Chriſti ſanguinem extra corpus, quàm illorum animalium, atque adeo valere, vt ipſe fuerit, qui Sancta Sanctorum purgauerit, & alia fecerit, quæ animalium ſanguini ſcriptura vetus attribuit; & tandem nos in cruce fuſus ab hoſte redemerit. Ad quam rem pulcherrimam Ioannis Chryſoſtomi ſuper Ioannem introducta eſt auctoritas in hunc modum: Hic ſanguis effuſus vniuerſum abluit orbem terrarum: de quo multa Paulus ad Hebræos proſecutus eſt: hic ſanguis delicta & Sancta Sanctorum purgabat: Quòd ſi eius figura tantam habuit vim in templo Hebræorũ in media Ægypto liminibus aſperſus, longe magis veritas hic ſanguis aureũ altare ſanctificauit: ſine hoc princeps ſacerdotũ in penetralia ingredi nõ audebat: hic ſanguis ſacerdotes faciebat; hic in figura peccata purgabat, quæ ſine verbi coniunctione haudquaquã potuiſſet efficere. Inuenta eſt diui Bernardi auctoritas, qui vnam guttã ſparſi ſanguinis Domini Saluatoris ad redimendum genus humanũ ſuffecturã fuiſſe teſtatur. Idem affirmat Clemens Pontifex maximus in epiſtola, quã edidit exhortatoriã, vt Chriſtiani principes pro tuenda religione aduerſus infideles arma ſumerent: quã & Nicolaus quintus in ſuis litteris inſeruit, & addidit rationem Clemens propter vnionẽ Verbi, quæ vim ſanguini dedit. Cumq; omnium doctorũ ſententia ſit, ſanguinẽ Chriſti tanquam noſtræ redemptionis pretiũ non diabolo, vt quidam ſtultiſſime putauerunt, ſed Deo patri, atq; ipſi Trinitati fuiſſe traditum, alienum à noſtra religione, abſurdum, atque impium videri debet Dei ſanguinem Deo datum, Dei eſſe deſinere, & pretium ipſum in ipſa traditione vileſcere, ac ſi aurum creditori numeratum conuertatur in cuprum, damnarent homines hoc inter homines fieri: & nos hanc deceptionem apud diuiniſſimam Trinitatem admittemus, & Deum ſibi ipſi concedemus illudere? Cur præterea nobi-

liſſimus Chriſti ſanguis iam ſemel diuinitatis vnione donatus tanto priuetur dono? cum dicat Apoſtolus, ſine pænitentia eſſe dona Dei, quoniam ſine culpa non amittuntur eius cui donantur: & quæ culpa fuit ſanguinis? nulla equidem vt obediret Trinitati, & quod erat conſtitutum ab initio fieret: de corpore miſſus fluxit in terram: non eſt obedientia plectenda, ſed præmio proſequenda: Et anima quæ ſemel Deo per beatitudinem vnita eſt, nunquam diſſociatur, dicente in Apocalypſi Ioanne, Foras nunquam egredietur: non tam ſolida illa eſt vnio, quàm verbi & ſanguinis, & illam diſſolui nolumus, hanc diſſolutam aſſerimus? vt quid inſuper ſeparatio breui temporis, cum paulo poſt iterum vniri deberet? Vnam verbi & hominis vnionem factam eſſe, non duas legimus: quo pacto cum ſanguine bis vnitum dicimus verbum? quæ ratio ſuadet? quæ vtilitas? Inſtituit Dominus ſacramentum altaris in vltima cœna, vt eſſet paſſionis ſuæ memoriale perpetuum, & ſanguinem ſeorſum à corpore conficiendum docuit, quoniam in triduo paſſionis ſanguis fuit à corpore ſeparatus: ſi fuiſſet tunc diuinitate priuatus, non meruiſſet in altaris ſacramento repræſentari, quia vilior fuiſſet ipſo repræſentante: nec ratio ſuadet eius rei pro eo tempore memoriam fieri, quo diuinitatem perdiderat, & nullam, vt aduerſarii volunt, ad ſalutem humani generis vim obtinebat. Quid ſi Iacobus Apoſtolus, quem ferunt miſſam ordinaſſe, in triduo paſſionis celebraſſet, an purum hominis ſanguinem, & non Dei confeciſſet? Dicent aduerſarii ſine Deo ſanguinem eſſe in calice, quia ſine Deo iacebat in terra. At opinioni huic non quadrat Euangelica lectio, in qua Chriſtus loquens Deus & homo ſanguinem ſuum dicit: non erat ſuus ſi non erat Dei. Quòd ſi nondum toto effuſo ſanguine, nondum aperto Chriſti latere celebratio interceſſiſſet, dicendum eſſet in calice ſanguinem pro parte coniunctum diuinitati contineri, pro parte diſiunctum, ſi Minoribus auſcultetur, qui ſanguinem in corpore retentum ſemper vnitum, à corpore ſeparatum, ſemper à verbo diſiunctum tradunt, nec dubiũ eſt quin totus Chriſti ſanguis in calicem perfluxiſſet, quæ res multas ſecum afferunt ineptias pro Minorum opinione recenſitæ. Oportuiſſet quoq; ſanguinem in triduo diuinitate priuatum propriam hypoſtaſim habuiſſe, quæ poſtea fuerit annihilata vnionis reditu; quod tamen ab initio incarnationis filius Dei abhorruit, qui ne vel duæ hypoſtaſes in Chriſto dici poſſent, vel aliquam hypoſtaſim deſtruere oporteret, ipſe carni factus eſt hypoſtaſis, & in eodem temporis momento ſimul caro, ſimul verbi Dei caro, ſimul caro animata & rationalis creata eſt, quemadmodum ex Leone, Damaſceno, & aliis auctoribus licet accipere. Sicut igitur corpus Domini ab anima ſeparatum in ipſa verbi conquieuit hypoſtaſi: ita & ſanguis ab ipſo corpore diſiunctus. Faciunt ad hoc Saluatoris verba, qui vbique parem ſanguinis & corporis rationem videtur habere; dicens, Caro mea vere eſt cibus: & ſanguis meus vere eſt potus. & niſi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis: propter quod in cœna ſua corpus pariter & ſanguinem ſuis diſcipulis miniſtrauit, & vtriuſque commemorationem fieri mandauit. Similiter & in epiſtolis Paulus Apoſtolus ſanguinem Domini cum corpore æqua lance penſitat: Reus erit (inquit) corporis & ſanguinis Domini: & plura in hunc modũ. Impia igitur eorum vox eſt, & ab Eccleſia repellenda qui corpus in ſepulchro iacens Domini Saluatoris diuinitati vnitum aſſerunt, ſanguinem eius in terra fuſum à diuinitate ſeparatum affirmant: nam quæ charitas, quæ pietas, quæ humanitas patitur ſanguinem, qui modo in ſinu diuinitatis confouebatur, & vnum erat cum verbo ſuppoſitum, & vna perſona, ſine culpa, ſine cauſa relinquere, & à ſe abiicere, & bene merenti contumeliã inferre? Non ſunt hæc de Deo putanda, quem pium prædicamus & iuſtum, atque omnis iniquitatis oſorẽ. Meus eſt ſanguis, inquiũt reges, noli tangere. Quantũ memoria hominum ſupputare valet, & recta linea, & tranſuerſali in ſexu virili, & in feminis longe remotis, familiæ nobiles ſanguinẽ ſuum honorant, atq; inuiolabilẽ fore cupiũt: quanto cum fauore Vergilianum illud in conſpectu Auguſti recitatum eſt de Marcello ſororis filio (ſanguis meus?) tam procul ſuum ſanguinem commendat Anchiſes. Quid viros commemoramus illuſtres? plebei & agreſtes homines ſine litteris, ſine legibus, duce tantum natura vitam agentes, quotiens iniuria generi eſt illata; noſter inquiunt læſus eſt ſanguis: & ſi vulnus aut mors interuenit; noſtrũ inquiunt ſanguinẽ effude-

effuderunt:nec dubitant ſanguinem pro ſanguine ponere. Commune omnibus eſt homioibus propioqui ſanguinem in terra iacentem colligere,atque in ſepulchro recondere. Poſuerunt inquit Pſalmiſta,morticinia ſetuorum tuotum eſcas volatilibus cęli;carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ: effuderunt ſanguinem ipſorum tanquā aquam in circuitu Hieruſalem,& non erat qui ſepeliret: inhoneſtationem ſanguinis & caroium æque deplorat,tanti mortales ſuum ſanguinem ęſtimant: & nos pium ac miſericordem Deum contempſiſſe ſuum dicemus, & eum reliquiſſe in terra iacentem,quoniam de corpore iuſſus exierit? Timenda eſt beati Pauli ſentētia,quę ad Hebręos ſcribitur hoc modo: Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtib. moritur: quāto magis putatis deteriora mereri ſupplicia,qui filium Dei conculcauerit,& ſanguinē teſtamenti pollutum dixerit? pollutum videtur dicere ſanguinem Saluatoris,qui iacentem in terra diuinitate priuatum fuiſſe cōtendit. Corruptus fuiſſet illico ſanguis diuinitate priuatus aduerſus Dauiticam ſententiam,quæ ait: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Et iterum: Quæ vtilitas in ſanguine meo dum deſcendo in corruptionem? Ac ſi dicat Saluator Dominus vt homo: Quid proderit humano generi ſanguis meus,ſi poſtquam illum effudero reliqueris eum Deus,& putreſcere,atque corrumpi permiſeris? Vanum hoc & impium: oon ergo factum; quia nihil inutile,nihil impium Deo placet. Conſeruauit filius Dei ſua præſentia, & hypoſtatica vnione ſanguinem ſuum in triduo paſſionis ab omni corruptione,& tertia deinde luce in glorificato corpore reſumpſit, & cum illo demum cælos aſceodit,& ad dexteram Patris ſedet in ſæcula glorioſus. His rationibus Prædicatores ſuam ſententiam firmauere: Cui & Thomam Aquinatem virum ſanctum,& Albertum Magnum, & Nicolaum Lyritanum, & Ioannem Neapolitanum aſtipulari dixerunt,eorum verba recenſentes. Adductus eſt liber quidam Nicolai Eymerici,quem vocant Directorium de inquiſitionis officio;in quo ſcriptū eſt apud Barchinonā in eccleſiis prædicatum fuiſſe, in triduo paſſionis Domini ſanguinem in terra iacentem indignum latria, quod d ctnm tanquam erroneum & hæreticum Clemens ſextus corrigi,atq; damnari mandauerit: De qua re producta ſunt demum publica documenta cum Pius eſſet Tybure. Minorum aſſertio hunc fere modum habuit.

Quæ latent in archanis Dei,& ab illius ſupremæ poteſtatis voluntate dependent, neminí licet affirmare,aut negare,præter ea, quę ſacris in eloquiis diuinitus ſunt expreſſa,vnitas ſanguinis à Chriſti corpore ſeparati cum verbo ex Dei voluntate depeodet,& in archaois eius latet,ſacro canone nihil de hoc dicente;non eſt igitur aſſerenda. Diuinitas pręterea ſanguini in corpore Chriſti exiſtēti,mediāte ipſo corpore fuit vnita q; nemo negat: ceſſauit igitur vnio dimiſſo corpore, quod erat vnionis medium: amplius ſi quid duabus rebus vnitur alteri principaliter, alteri per conſequentiam,ſeparato principali ab eo,quod per conſequētiam vnionem recepit, ſeparabitur pariter & vnitū: nec dubium eſt, quin ſanguini Dominico verbum diuinum non principaliter,ſed per coocomitantiā quādam fuerit vnitum, atq; idcirco ſeparatum à corpore ſanguinem vniooís gloriam perdidiſſe. Ea inſuper à ſe inuicem ſeparata vnionem retinere fas fuit, quæ ordinem ſeruauerunt ad humanam naturam, cui facta fuit vnio verbi,quia remanſit in illis aſſumptibilitas, vt in vnum redirent: Sanguis hoc ordine caruit,ad humanam naturā minime pertinens: nō ergo retinuit vnionem: quòd autem ſanguis ad humanam naturam non pertineat, multis rationibus oſtenditur: cum dicitur aliquid de veritate cuiuſpiam rei eſſe, perinde eſt ac ſi dicatur ad eſſentiam illius pertinere: ſine his quæ ſunt de rei eſſentia res ipſa ſtare nō poteſt;at humana natura ſine ſanguine cōſiſtit, ſaltem ad breue tempus: non eſt igitur ſanguis de veritate, vel de eſſentia humanæ naturę: conſtat enim embryonem in vētre materno prius animari,id eſt hominem fieri,quàm ſanguis introducatur: quoniā embryo cum factus eſt caro,& habet membra principalia, & ſpermatica completa,mox rationalem,& intellectiuam conſequitur animam, quæ vitam tribuit, & tunc ſtatim ſanguis nō adeſt,quem generari oportet ab epate ex alimētis forinſecus accipiendis,quod generato iā homine,& ſenſato iam corpore,per ſucceſſum temporis fieri oeceſſe eſt: ergo pro eo temporis ſpatio, quāuis breuiſſimo, humana natura Reſponſio

id eſt homo ſine ſanguine fuit, quod erat impoſſibile ſi de hominis veritate vel eſſentia ſanguis fuiſſet. Si quis negat ſanguinem ab epate produci ex materia de ſotis accepta, philoſophorum auctoritati contradixerit, & præſertim Ariſtotelis. Inuenitur & decretalis Innocentii, quæ differre ab elementis humores tradit, & illis componi corpus humanum, his vegetari atteſtatur: vnde apparet ſanguinem, qui humor eſt, non eſſe de his quæ corpus humanum cõſtituunt; nec partẽ humani corporis: & cõſequẽter ad humanã nõ pertinere naturã, quæ ex anima cõſtituitur & corpore. Senſit & Albertus magn⁹ in libro de generatione primo, ſanguinẽ nõ eſſe humani corporis partẽ, qui lõgo ſermone partes hominis diffiniẽs nunquam meminit eius: quòd ſi eſſet pars hominis ſanguis & ad veritatẽ humanæ naturæ pertineret, eſſet vtiq; animatus; anima caret, non eſt igitur de veritate hominis: inanimatum eſſe ſanguinem inde cognoſcimus, quia nullam operationem aut actũ exercet animatæ rei: non nutritur, nõ ſentit, nõ viuit, non ægritudinem patitur; non igitur animatus: his enim præcipue ſignis ſeſe indicat anima: quòd ſi non eſt animatus ſanguis, profecto nec pars hominis eſt; quia nihil eſt in homine non animatum: minime ergo per ſe vnitus verbo ſanguis fuit, ſed per corpus in quo erat, quo dimiſſo & verbi vnionẽ dimiſit: quòd ſi retinuiſſet vnionem, haud quaquam fuiſſet corruptus, ſed vbiq; gentium conſeruatus ſine corruptione perſeueraſſet, & cultu latriæ fuiſſet adorandus. Oſtenditur autem in Laterano, Venetiis, Mantuæ, & in aliis pleriſq; locis incineratus, atq; corruptus, non ergo retinuit vnionem. Amplius ſi datur vnitas diuinitatis & ſanguinis in triduo paſſionis, neceſſe eſt & idiomata communicari, id eſt proprietates ſanguinis Chriſto attribuere: ſicut enim Chriſtum ſepultum dicimus, & ad inferos deſcendiſſe, quamuis ſolum corpus fuerit ſepultum, & anima ſola deſcenderit ad inferos: quia diuinitas, neq; à corpore, neque ab anima receſſit, ita dicere oporteret Chriſtum effuſum aut ſparſum propter ſanguinem, qui fuit effuſus & ſparſus; quod nemo aut dixit vnquam, aut dicere tentauit, quoniam non manſit vnitas cum ſanguine. Ad hoc clariſſimorum auctoritates doctorum accedunt, & primo Ioannis Damaſceni, cuius hæc ſunt verba de Chriſto loquentis; Et ſi mortuus ſit vt homo, & ſancta eius anima ab incontaminato diuiſa ſit corpore; deitas tamen ab vtriſq; inſeparabilis permanſit, & additur, ab anima ſcilicet & corpore aio: nihil ille de ſanguine conteſtatus eſt, nec nos decet atteſtari: ipſe enim præcipuus auctor eſt, à quo ceteri doctores inſeparabilitatem vnitatis acceperunt. Propter quod eius potiſſime verbis inhærendũ eſt, nec dicendũ quod ille non dixit. Adducitur & Bonauentura ordinis Minorum profeſſor, qui tandẽ Romanæ Eccleſiæ cardinalatum obtinuit: is ſententiã illam, quę aſſerit nihil à verbo dimiſſum, quod ſemel aſſumpſerit, veram eſſe ait ad principia naturæ relatam, nõ ad coaſſumpta: principia vero naturæ anima eſt & corpus, vel partes eſſentiales hominis, inter quas ſanguis non continetur, vt monſtratum eſt: dimiſſus igitur fuit. Sequitur & Riccardus, cui Mediamuillã dicunt fuiſſe patriam: is aſſerit, Chriſti pedẽ ſi fuiſſet à corpore ſeparatus, vnitatem diuinitatis retẽturum fuiſſe, & cultu latriæ dignum; ſanguinem vero quia non ſit de corporis eſſentia, ab eo ſeparatum nõ mereri latriam. Cum his & Scotus concurrit, qui propter acumen ingenii doctor ſubtilis appellatur: eius hæc ſunt verba: Cum dicitur aſſumptum à verbo nunquam fuiſſe dimiſſum; de principalibus partibus corporis debet intelligi, quæ concurrunt ad perfectionẽ hominis; cuiuſmodi ſunt heterogeneæ, vt cor, caput, manus: & de his loquitur Damaſcenus. Franciſcus vero Maronius, cuius eſt non contemnenda doctrina, in quarto ſententiarum, & in pluribus ſermonibus ſuis non obſcure aut perplexe, ſiue implicite; ſed aperte verbis clariſſimis atteſtatus eſt, ſeparatam fuiſſe diuinitatem à toto Chriſti ſanguine in triduo paſſionis effuſo. Non eſt credibile tam illuſtris doctrinæ viros in tanto erraſſe negotio. Neq; nobis aduerſa eſt Damaſceni, aut Leonis ſententia, quæ ſoliditatem vnionis adducit, neq; vult aliquid eſſe dimiſſum, quod ſemel fuit aſſumptum: abſurda enim eſt, & aliena à vero ſimpliciter intellecta, & minime commentata: aſſumpſit humanitatem diuinitas, & dimiſit: quoniam in triduo Chriſtus nõ fuit homo: aſſumpſit mortalitatem, & dimiſit: in reſurrectione factus eſt immortalis: aſſumpſit paſſibilitatem, & dimiſit: factus eſt impaſſibilis. Aſſumpſit omnia quæ ſunt hominis præter ignorantiam, & peccatum; nec tamen omnia perpetuo retinuit.

nuit. Si ſtaret ſententia, pellicula præputii, quæ oſtenditur in Laterano, adhuc eſſet vnita Verbo: amputati vngues Domini, ſiue capilli, raſi pili, ſputa & ſudores, & ſanguis ſua ſpõte de naribus effluens, & quicquid ex corpore Chriſti cecidiſſet, in vnione Verbi perpetuo permanſiſſet: quod nefas eſt dicere. Oportet igitur ſententiam illam late patentem reſtringere; vel ſicut Bonauentura dicit ad principia naturæ, id eſt animam & corpus, non ad coaſſumpta: vel ſicut Scotus interpretatur, ad principales corporis partes, quæ concurrunt ad perfectionem hominis: cuiuſmodi ſunt heterogeneæ, vt cor, caput, manus: vt euitemus abſurditates, quæ ſine commento paſſim irrepũt. Nec rurſus illud magni facimus, quòd auctoritates admodum multæ tum doctorum antiquorum, tum ſacri canones aſſeruntur diuinas proprietates ſanguini vel fuſo tribuentes, quod abluere peccata dicatur, & noſtræ redemptionis pretium: cuncta enim quæ de ſanguine dicuntur ad vitam Chriſti mortemq; referuntur: ait enim Apoſtolus: Chriſtus pro nobis mortuus eſt, & cum inimici eſſemus, recõciliati ſumus Deo per mortem filii eius. & Auguſtinus: Nihil, inquit, inuenit diabolus in Chriſto vt moreretur; ſed pro voluntate Patris mori Chriſtus voluit, nõ habens cauſam mortis, ſed obedientia & iuſtitia mortem geſtauit, per quam nos redemit à diaboli ſeruitute. Et magiſter ſententiarum, per ſanguinem, quo nos redemptos in epiſtola Petrus affirmat, mortem Domini ſignificari intelligit, dicens: Reconciliauit enim nos Trinitati per mortem, vt Petrus ait, nõ corruptibilibus auro, & argento, & reliqua: pretioſum ſanguinem pro morte accipiens, quam pretioſam dicere licet: quia per eã Chriſtus ſoluit pretium, dans vitam ſuam pro ſuis ouibus, vt eſt illud Euangelicum: Bonus Paſtor ponit animam ſuam pro ouibus ſuis. Et in hunc modum quæcumque de ſanguine Ieſu dicuntur, ad mortem eius, vel ad vitam trahenda ſunt. Nec putandum eſt quòd ſanguis fuerit pretium generis humani: quia indignum fuiſſet pretium pro animato anima carẽs. Reperimus eaſdem proprietates quæ ſanguini tribuuntur, cruci attributas eſſe: nec propterea dicimus vnitam verbo fuiſſe crucem. Potuiſſet & genus humanum ſine ſanguine redimi, ſi filius Dei retento ſanguine, pro nobis animam poſuiſſet. Nõ eſt igitur neceſſe dicere, effuſo ſanguini vnitã manſiſſe diuinitatẽ. Nec mouemur quòd in triduo paſſionis ſi quis celebraſſet diuinitatem in ſanguine non reperiſſet: quoniam nemo legitur celebraſſe, neq; diuinitas ibi nõ affuiſſet, propter ſanguinẽ, qui remanſit in corpore, neq; idcirco inutilis eſt memoria ſanguinis Domini, quamuis in triduo fuerit diuinitate nudatus: iuuat enim meminiſſe abiectionis & confuſionis ſuæ, quas pro noſtra ſalute pertulit: neq; prorſus inconueniens eſt digniora repræſentare viliora. Rurſus nec curæ nobis eſt quæ fuerit ſanguinis hypoſtaſis extra corpus manentis, dum reuerſum ad corpus in Chriſti dicamus hypoſtaſe conquieſcere, quæ vna ſemper fuit, nunquam plures. His argumentationibus Minores vſi ſunt vt Chriſti ſanguinem in triduo paſſionis diuinitate priuatum oſtenderent; aſſerentes propterea diuinitati Saluatoris nihil ignominiæ aut contumeliæ irrogari, cuius mors tanto glorioſior fuit, quanto contẽptibilior. Non tacuere his auditis Prædicatores, ſed hæc addidere repẽte. Quamuis Chriſti ſanguinẽ in paſſione fuſum vnionem verbi retinuiſſe in ſacris eloquiis non reperitur explicite, implicite tamen & in veteri lege, & in noua licet inuenire, cũ ſanguini tribuuntur ea, quæ ſunt diuinitatis: multa declarauit Eccleſia, quæ in ſacris eloquiis nũ erãt expreſſa. Dicũt Minores; nos ſine canone loqui, dicimus aduerſario; Medice cura te ipſũ: in emittentẽ ſagitta reuertitur, & ſuo gladio vulneratur hoſtis. fatetur aduerſarius vnitũ verbo ſanguine fuiſſe priuſquam funderetur, hoc amplectimur; fuſum dicit vnionẽ amiſiſſe, hoc negamus: ſeparationem ponit, ſeparationem doceat: nõ docet, victus eſt: ſed ait amoto medio, quo duo coniunguntur extrema, coniunctionem ipſam ceſſare oportere, quoniam mediante corpore ſanguini fuit vnitum verbum, ſeparato ſanguine à corpore neceſſe fuit & verbum à ſanguine ſeparari: facile reiicitur hæc ſagitta. Doctores duplex coniunctionis medium inducunt, alterum neceſſitatis, alterum congruitatis, quod dicitur de ceſſatione coniunctionis relicto medio, verum eſſe aiunt, in medio neceſſario, ſecus in congruo: alioquin in corpore Chriſti ab anima ſeparato neceſſario ceſſaſſet vnio Verbi, cui, vt Damaſcenus ait, mediante anima fuerat vnitũ: at ceſſaſſe diuinitatis vnionem in corpore, nemo præſumpſerit dicere, ſicut in corpo-

re,ita in ſanguine licet argumentari. Non quieſcit aduerſarius principaliter, inquit, corpori facta eſt vnio Verbi,ſanguini per conſequentiam: quoniã erat in corpore, extra corpus igitur vnionem perdidit. Nos & animæ,& corpori, & ſanguini, & oſſibus & neruis,& reliquis,quæ ſunt de ſubſtantia hominis vna vnione & principali vnitam diuinitatem dicimus. Quòd ſi principaliter animæ ſimul & corpori vnionem concedamus; alia vero minus principaliter,& per quandam ſequelam vnita fateamur, dicemus de ſanguine,quod de carne,oſſibus,ac neruis,itemq; de manibus, & pedibus, & reliquis membris,quæ vnito corpore vnionem conſequuntur. At ſi pes Chriſti,aut manus,aut alterum membrum fuiſſet in eius paſſione à corpore ſeparatum, non tamen vnionem perdidiſſet,vt ipſi etiam ſeparationis auctores fatentur. Idem & nos de ſanguine dicimus: quærimus quare in pedibus ac manibus hoc dicant; reſpõdent, quoniam remanſiſſet in illis à reliquo corpore ſeparatis ordo ad humanam naturam, & vt ipſi dicunt aſſumptibilitas: hoc ipſum in ſanguine reperimus, qui ad glorificatum corpus reſumptus eſt: quomodo enim in eo nõ remanſiſſet aſſumptibilitas, quẽ conſtat fuiſſe reſumptum? Repetamus aduerſantium verba: in his quæ non habuerunt ordinem ad humanam naturam ab inuicem ſeparatis non remanſit aſſumptibilitas, ideo nec vnionem retinuere: Sanguis non habuit hunc ordinem, nõ ergo remanſit aſſumptibilitas,in eo,nec vnionem retinuit: mutemus argumenti formam,& reuincamus aduerſarium ſuo iaculo: Vbicumq; remanſit aſſumptibilitas ad humanã naturam,ibi & ordo ad eam fuit,cui facta eſt vnio: in ſanguine Chriſti remãſit aſſumptibilitas,quia reſumptus eſt; igitur & ordo remanſit ad humanam naturam,nec ceſſauit vnio. Tota vis diſputationis huius articuli huc tendit: An ſanguis humanus ſit de veritate humanæ naturæ: aduerſarius hoc negat, & multis vtitur argumentationibus,in quibus nõnunquam ſibi ipſi contrarius eſt. fatetur ſanguini vnitum fuiſſe verbum dum erat in corpore; dicit nulli rei vnionem concedi, quæ non ſit de veritate humanæ naturæ,& hanc ſanguini negat: quo modo fuit vnitus verbo ſanguis, ſi non fuit de veritate hominis? Aſſertionẽ aſſertio tollit, ponit & negat aduerſarius, & ſuo ſe vulnerat enſe. Pergit & ait vnitum fuiſſe ſanguini verbum; at nõ principaliter, neque per ſe,ſed per quandam conſequentiam,cum eſſet in corpore diuinitati vnitus: Si nõ erat ſanguis de veritate humanæ naturę,neque pars corporis humani, quæ vriſit cõſequentia vnito corpore vniri ſanguinem? an quia erat in corpore,idcirco vnitus eſt? pudet hoc dicere: Ad excrementa ſuperfluitateſq; corporis liceret hoc modo progredi,quod abſurdum eſt,ac prorſus alienũ. Non eſt ſufficiẽs vnionis cauſa verbi & ſanguinis,quia ſanguis erat in corpore: aut igitur ſanguis vnitus eſt,quia de veritate fuit humanæ naturę,aut ob aliã cauſam: ſi fuit de veritate,habemus quod volumus, & reiecta ſunt hoſtilia tela: ſi propter aliam cauſam, oſtendere oportet, quę nam fuerit illa cauſa,quam cum neſciat aduerſarius deducere, remanet veritas humanæ naturæ in ſanguine. Quòd ſi forte cauſa deducatur altera,non ceſſabit vnio verbi & ſanguinis, niſi & illa ceſſante,quamuis ſanguis fuerit à corpore ſeparatus. Sed proſequamur naturam ſanguinis,an humana ſit: Concedimus nulli rei vnitum verbum,quod non eſſet de veritate hominis: quoniam humanatum verbum, legimus nõ ſaxificatum, aut herbificatum,& hominem factum nõ brutum aliquod animal: negatur ad eſſentiam hominis pertinere ſanguinem,quia poſſit homo ſine ſanguine viuere, quamuis tempore breui. Si hoc licet aſſerere,neq; pes neq; manus ad veritatem humanæ naturę pertinebunt,ſine quibus nõ breui temporis ſpacio,ſed æuo lõgiſſimo licet homini vitam degere: Dicent Minores,hominem quidem eſſe his carẽtem membris, ſed minime integrum: nos quoq; exanguem hominem imperfectum dicemus & mancum & amplius adiiciemus,quoniã diu viuere nõ poſſit: immo vero neq; vllo modo viuere: quamuis enim epar,(vt dictum eſt) Generatiuum ſanguinis exiſtat, ac de foris materiam expectet,non tamen idcirco ſequitur in ipſa hominis cõſtitutione nullum affuiſſe ſanguinẽ cum ipſo ſimul epate,cordeque,& aliis membris generatum, cum & ipſum epar vt Macrobius ex mẽte antiquorum philoſophorum ſcribit nil aliud ſit, quam ſanguis concretus: fatemur epati datam eſſe à natura vim generãdi; vlterius & ſupplendi ſanguinẽ qui deperit. Verum ab initio vitalem ſanguinem ab ipſa natura productum aimus: nã cum ex ſanguine menſtruo carnes, & oſſa, & omnis compago cor-

go corporis, & cor, & ipſum epar generetur, quid prohibet tum quoq; & ſanguinem aliquẽ in homine generari? Mẽſtruus mulieris ſang::is & in carnem cõuertitur noui fœtus & ſanguinem: & quia ſeceſſu rempotis ſanguis ille conſumitur, atq; reſoluitur, & pars in membra cõuertitur; prouidit natura vt epar ex cibis nouum in dies ſanguinem generaret, cibos autem deforis acciperet. Non eſt verum hominem ſine ſanguine, vel paruo temporis momento viuere poſſe: Verius eſt quod Ariſtoteles ait, nullum animal ſine ſanguine viram agere: Nec nobis Decretalis aduerſa eſt, quæ corpus humanum elementis conſtare dicit, humoribus vegetar:: longinquam enim cõſtitutionem corporis commemorat, & quæ fit ex materia tranſeunte, nec negar ex humoribus conſtitui corpus, quamuis vegetationem illis attribuit, cum & humores ipſi ex elemẽtis cõſtituantur pariter ac reliquum corpus. At cum decretalis, Ioannis Apoſtoli in epiſtola verba recenſeat dicentis: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis*, partem noſtram defendit, per hæc aſſerens Apoſtolum oſtendere voluiſſe, quòd Chriſtus ſit verus homo, & ad probandam veritatem humanitatis ſpiritum, aquam, & ſanguinem adduxiſſe: Non probaretur per ſanguinem vera humanitas, niſi & ſanguis ipſe ad humanitatis veritatem pertineret. Dicetur & hac ratione, aquam, quæ de corpore Ieſu defluxit ad veritatẽ hominis pertinuiſſe: concedimus eo modo, quo Phyſici in caſſula cordis humani aſſeruari aquam tradunt; eſt igitur ſanguis inter partes hominis neceſſario computãdus: neq; mouemur auctoritate Alberti, qui eum prætermiſit. Auerrois inter philoſophos clarus & Alberto antiquior mẽbra hominis bipartitur, & alia ſimplicia ponit, & alia compoſita; & inter ſimplicia collocat ſanguinem, cuius officium ſit deferendi ſpiritus in humano corpore. Ferunt & Auicennam inter membra hominis ſanguinem poſuiſſe, cuius inter medicos præcipua eſt auctoritas. Nec verum eſt quod Minores aſſerunt, ſanguinem non habere actionem animatæ rei: ducit enim ſpiritus in corde generatos ad reliqua membra: & in Leuitico legimus quòd anima omnis carnis eſt in ſanguine. Quo in loco Auguſtinus commentator ait, aliquid vitale eſſe in ſanguine: quia per ipſum maxime in hac carne viuitur, & per omnes venas corporis diffunditur. Et Auerrois ex Galeno colligit, aliquem in animali ſanguinem eſſe vitalem. Viuit ergo ſanguis, viuit & nutritur: quomodo enim viueret, ſi nutrimento careret? Nec propterea licet dicere non nutriri, quia non accipit in poris nutrimentum ſicut cetera quæ nutriuntur; quoniã nutritionis plures eſſe modi queunt: Et Auguſtinus in libro muſicæ ſexto dixit: Vngues & capillos dum ſecantur non ſentire: non quia iſta in nobis non viuant, aliter autem non continuarentur aut creſcerent, aut etiam vitam ſuam, & ſemina iſta propria monſtrarent: ſed quia minus libero aere penetrantur: quam vt motus poſſit ab illo fieri. Si viuunt capilli & vngues, ergo & nutriuntur, quoquo tandem modo nutriantur, idem par eſt de ſanguine dicere: Nec obſtat quod nutrimẽtum dicitur eſſe viuentis, poteſt enim & in ſe viuere, & aliud nutrire, quẽadmodum caro noſtra viuit, & vermiculos qua corrumpitur alit, nec idcirco inanimatus dicendus eſt ſanguis, quia non ſentit, quando & oſſa & cerebrum carere ſenſu tactus philoſophi tradunt. Nec verum eſt, quod ægrotare ſanguinẽ negant, quia dum vergit ad corruptionẽ ægrotat, & vulgo dicimus viuum ſanguinem, & mortuum ad mortem per ægritudinem peruenitur: Mors ſanguinis corruptio eius eſt: Nihil igitur argumẽtationis afferunt Minores, quod ſanguinem de veritate humanæ naturæ non eſſe oſtendant. Docendum eſt quod illi dedocent, id eſt ſanguinem ad veritatem humanæ naturæ pertinere, ad quam rem neceſſarium eſt inquirere quid ſit veritas humanæ naturæ. Beatus Thomas in ſeptimo quolibeto teſtimonium Auicennæ affert, veritatem cuiuſq; rei nihil aliud eſſe, quàm proprietatem ſui eſſe, quod ſtabilitum eſt ei. Illud enim dicitur verum aurum, quod ad terminos à natura ſibi ſtabilitos peruenit. Similiter & vera eſſe humana natura dicetur, quæ terminos ſuos, & ſuas conſecuta eſt proprietates. Obſcura hæc apertius profari libet. Natura humana ſpecifica eſt hominis forma diſcreta ab alia quacunq; natura, quoniam non eſt diuina, aut angelica, neq; lupina, aut canina, neque alicuius bruti animalis, aut plantarum, aut lapidea: humana eſt, quia hominis eſt ex anima & corpore conſtitura, & ſingulis quibuſq; partibus ad perfectionem hominis pertinentibus, & participat cum Deo & angelis intelligendo,

Natura humana.

cum brutis animalibus ſentiendo, cum plantis vegetando, cum lapidibus tantum eſſendo. Et competit huic naturę ſingularis forma, ab aliis naturis ſeparata, quia nullum eſt animal homini per omnia ſimile. Ad hanc naturam conſtituendam, vt integra ſit & perfecta multa concurrunt, non anima ſolum & corpus, ſed anima humana, id eſt rationalis & intellectiua, & corpus humanum, id eſt humanam effigiem habens, quæ per caput, manus, pedes, & cetera membra inſinuatur: nec eſt humanum corpus ſine capillis, & vnguibus, atque aliis pilis: monſtrum, non hominem diceremus: ſi quis ad ætatem triginta annorum ſine pilis & vnguibus perueniſſet, quia non attigiſſet terminos ſibi à natura conſtitutos, quæ illa in ætate barbam requirit, vngues vero mox vt eſt natus homo præſefert: monſtruoſior autem ſiue puer, ſeu vir exiſtimaretur ſine ſanguine, ſi poſſet homo ſine ſanguine viuere, pallore deformis, & macie venis languidis, & omni carne rugoſa, & propemodum tabefacta. Quæcunq; autem hominem ad verum hominis ſtatum perducunt, ea ſunt de veritate hominis: perducit procul dubio ſanguis, immo ſine ſanguine natura non perſiſtit humana: de veritate igitur eius cenſendus eſt. Dicet aliquis hæc noſtra inuenta eſſe, & ſine auctoritate decurrere. Doctrinæ veteris ab aliis hæc accepimus. Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Exodum: Subſtantiam Chriſti, id eſt humanam eius naturam, ex carne, & pellibus, & ſanguine intimatã dixit. Beati Leonis ad Flauianum hæc verba legimus: Integra veri hominis, perfectaq; natura verus natus eſt Deus, totus in ſuis, totus in noſtris: noſtra autem dicimus, quæ in nobis ab initio creator condidit, & quæ reparanda ſuſcepit. Continet igitur humana natura, omnia quę ab initio creator in nobis cōdidit. Sanguinem condidit in nobis, vt oſtenſum eſt: ad noſtram igitur, id eſt ad humanam naturam, & eius veritatem pertinet ſanguis. Si hoc negetur, aliud quod iam conceſſum eſt non negabitur: ſanguinem ſcilicet, vt repararetur in nobis fuiſſe à Deo ſuſceptum, quando iam reparatus eſt, & in cælum cum glorioſo corpore translatus. Quicquid vero reparandum in nobis Deus ſuſcepit, ad noſtram naturam pertinere magnus affirmat Leo: ergo & ſanguis pertinet non minus quàm caro: cum vellet enim Leo Chriſtum verum eſſe Deum, & verum hominem oſtendere, totus inquit, in ſuis, & totus in noſtris: cum dixit, noſtra, humanitatem ſignificauit; diuinitatem cum dixit, ſua, & ad humanitatis veritatem cuncta retulit, quæ in nobis ab initio conditor condidit, & quæ reparanda ſuſcepit. Condidit ſanguinem & reparandum ſuſcepit; noſter igitur ſanguis fuit, id eſt ad naturam noſtram, & eius veritatem pertinuit. In hanc ſententiam & doctor Aquinas inclinat in quarto ſententiarum libro, qui hominem microcoſmon, id eſt paruum mundum eſſe ait, & maioris mundi ſimilitudinem gerere, & ita ſe habere humores in corpore humano, quemadmodum ſe habent elementa in vniuerſo mundo, quæ mixta componunt, & inter partes vniuerſi numerātur: & in corpore quidem noſtro coleram igni, ſanguinem aeri, flegma aquæ, melancoliam terræ correſpondere: Elementa vero in via generationis eſſe ad corpora mixta, cum ſint eorum materia, non tamen adeo vt ſemper in corpora mixta tranſmutentur, aut in tranſmutatione perſiſtant, ſed habere proprias ac determinatas formas, ratione quarum ad perfectionem pertineant vniuerſi: ſicut & corpora mixta eodem modo, & humores in homine ad membra ſe habere, quoniam & proprias retineant formas, & officia propria etiam per ſeipſos, non corrupti, aut in membra tranſmutati; ſicque de perfectione humani corporis eſſe, quemadmodum partes reliquas, quamuis minorem perfectionem aſſequantur: nam & elementa minus perfectas formas habent, quàm corpora mixta: & ſicut omnes mundi partes non ęqualiter, ſed ſecundum vniuſcuiuſq; perfectionem conſequuntur, ita & humores aliquo modo ab anima rationali in homine perfici, non tamen æque ac membra principalia, & partes perfectiores, quia non ſentiunt, ſicut neque capilli, neque vngues, aut oſſa. Hæc ex beato Thoma mutuari licet, cuius aperta ſententia eſt, ſanguinem ad humanæ naturæ veritatē pertinere. Sed quid tantopere contendimus? Diffinita res eſt: fatentur omnes, diuinum verbum ſacratiſſimo Chriſti ſanguini fuiſſe vnitum dum erat in corpore: Vnionem vero aperte dicunt ad ſolam humanam naturam pertinere: conſecutus eſt ſanguis vnionem, ergo de veritate humanæ naturæ fuit: nec nobis licet occurrere, quòd per conſequentiam fuerit vnitus in corpore clauſus: quocunq; enim

modo

modo fuit vnitus, ad humanitatem pertinuit, quando nulli rei vnionem ſui permiſit filius Dei, niſi ad humanam pertinenti naturam: alioquin potuiſſet vnitum corpus ad res ſuperfluas vnionem trahere, quod antea damnauimus. Male igitur aduerſarii propterea ſanguinem de Chriſti corpore fuſum diuinitatis vnionem amiſiſſe contēdunt, quia non fuerit de veritate humanæ naturæ: fuit enim, & vnitatem retinuit: quamquam etſi concedere aliquis velit, ad humanam naturam non pertinere ſanguinem; non tamen idcirco concludere licebit diuinitatis vnionem abeſſe, quando, vt diximus, de vnione conſtat: quod ſi ſemel fuit vnitus, quomodocunque fuit vnitus, non eſt ratio quæ vrgeat vnitatem abiiſſe in paſſione poſt triduum redituram; alioquin & corpus potuiſſet in ſepulchro à diuinitate relinqui, quod omnes negant: manet enim inconcuſſa ſententia: quod ſemel aſſumpſit Verbum, nunquam dimiſit. Nec obſtat quod obiicitur de humanitate, quę aſſumpta, relicta eſt in triduo; & de mortalitate, & de ceteris accidentibus; quia factus homo immortalis, impaſſibilis, & incorruptibilis. Cum dicimus, quod aſſumpſit, non dimiſit, realem aſſumptionem, & realem dimiſſionem accipimus; ad ſubſtantias refertur, non ad inania nomina & accidentia, quæ per ſe nihil ſunt. Cum dicimus humanitatem Deus aſſumpſit, corpus, & animam, & omnia, quæ concurrunt ad humanitatem realiter conſtituendam intelligimus. & hæc ſemel aſſumpta nunquam dimiſit Deus: humanitas ipſa non poteſt dici relicta, quia deſiit eſſe in triduo, nec relictæ ſunt paſſiones humanæ, quia & ipſæ deſierunt eſſe: relictum alterum ab altero dicitur, cum permanet vtrumque; atque hoc eſt quod Franciſcus Maronius ait de Verbo: quod ſemel aſſumpſit nunquã dimiſit, intelligendum eſſe remanentibus extremis, quia non dimittitur, quod non remanet. Bonauentura, qui veram eſſe ſententiam dixit ad principia naturæ relatam, non ad coaſſumpta, non ſatis plene locutus eſt: aſſumpta ſunt enim omnia coaſſumpta, & coaſſumpta ſunt, id eſt ſimul aſſumpta omnia membra hominis, quæ ſi potuiſſent à Verbo relinqui, falſa eſſet commentatio Scoti, qui partes heterogeneas dixit non poſſe relinqui. Et ſimiliter Ricardus, qui pedem à corpore ſeparatum latria dignum cenſuit; ſed arbitramur principia naturę apud Bonauenturam cuncta complecti, quæ cum anima & corpore hominem conſtituunt: coaſſumpta vero ad accidentia trahi, quę tandem deſiuerunt, nec apparet Bonauenturam de ſanguine loqui. Scoti vero commentatio prorſus damnabilis eſt, qui partes heterogeneas nō potuiſſe dimitti, homogeneas potuiſſe dicit. Quo dicto non ſanguinem tantum, ſed carnem, & cutim, & neruos, & venas, & viſcera potuiſſe relinqui videtur aſtruere, quod piæ non patiuntur aures. Quis enim dixerit viſcera Dei ſi fuiſſent extra corpus emiſſa, aut ingentes carnis portiones à corpore ſeparatas diuinitate caruiſſe? profecto nemo: quoniam quæ ratio corporis eſt, eadem & carnis eſt; & quæ carnis, eadem ſanguinis. Perſeuerat ergo auctoritas ſalua; nihil relictum à verbo fuiſſe, quod ſemel aſſumpſit. Neque horremus obiectionem de ſputo, de ſudoribus, de ſanguine ſua ſponte de naribus effluente, de crinibus amputatis, de præciſis vnguibus, de reliquis pilis raſis: nam quod ad ſputa attinet, ſalutifera vis fuit in eis: nunquam enim ſpuiſſe Dominum legimus, quin ſalutem hominibus attulerit: quòd ſi aut ſudauit, aut ſanguinem è naribus emiſit, ſuperfluitates illæ fuerunt, nec vnquam vnionem obtinuere. De pilis, & vnguibus amputatis, nihil conſtat; quia Nazarenus fuit Ieſus, & nouacula non aſcendit ſuper caput eius. Et legimus in Euangelio, quòd capillus noſtri capitis non peribit; quanto magis non peribit capillus Ieſu? ſi quid defluxit per reſolutionem, idem iudicium habet, quod ipſa caro. In ſpecie, reſeruatur vnitas diuinitatis, & in materia, quæ remanet, non autem in eis rebus, quæ vel defluunt, vel prorſus annihilantur. Et per hoc obiectioni reſpondetur, quæ fit de præputio Domini, ſiue apud Lateranum, ſiue alibi conſeruato. Ait enim Bonauentura in quarto ſententiarum: pelliculam illam præciſam, vel non fuiſſe de carne ſecundum ſpeciem, ſed diuina diſpenſatione parum aliquid ſecundum materiam, vt daretur nobis in deuotionem more reliquiarum: vel aliquid fuiſſe de veritate, & illud reſurrexiſſe cum Chriſto, & eſſe in cælo: nam cum dicimus, quod in reſurrectione reſumuntur omnia, quæ ſunt de veritate humanæ naturæ, intelligitur ſecundum partes formales, non ſecundum materiales: non enim quęlibet pars materialis carnis, aut ſanguinis reſurget, quod eſſet deforme,

ſed illæ tantum reſurgent, in quis debita proportio corporis & membrorum continetur, & partes quidem reſolutæ non neceſſariæ non reſurgent. Non deſtruimus igitur religionem cum dicimus, Saluatorē in ſua reſurrectione omnia reſumpſiſſe, quæ fuerunt de veritate humanę naturę. Nō tollimus religionē de præputio, vbicunq; ſit cōſeruata in terra eius pellicula ſeu caruncula execta: ſed aimus illic non eſſe diuinitatem coniunctam, cum nō ſit ibi ſpecies, aut pars formalis de Chriſti corpore ſumpta: nec tollimus religionē cum dicimus ſanguinē, qui oſtenditur in Eccleſia Lateranēſi, aut in capella regis Francię, aut in eccleſia ſancti Andreæ Mantuæ, aut apud Minores in Rupella, aut Venetiis in æde diui Marci ſacratiſſima Dominicę cœnæ nocte ſolemni cęremonia, aut alibi, vnionē Verbi non retinere, quod ipſa corruptio manifeſtat. Non enim negamus ſanguinē illum, quem populi colunt Chriſti fuiſſe, ſed dicimus aut miraculoſe apparuiſſe, aut aliàs quàm in paſſione fuiſſe fuſum: & ſi fuſus in paſſione fuit, nec rediit ad corpus in reſurrectione, non fuiſſe vitalem ſanguinem, ſed nutrimentalis ſuperfluam quandam partem, quę nunquam obtinuit diuinitatis vnionem. Thomas Aquinas enim duplicem videtur in Chriſto Domino ſanguinē conſideraſſe, radicalem & nutrimentalē: radicalem quidem totum fuiſſe reſumptū; nutrimentalē vero eatenus reſurrexiſſe cum Chriſto, quatenus ad veritatē humanę naturę pertinuit, id eſt quatenus ad proportionē corporis æquam fuit neceſſe: quod amplius fuit, ſuperfluit quidē, nec habuit ordinē ad humanā naturam, nec remāſit in eo aſſumptibilitas, quamuis in Chriſto, quo tempore paſſus eſt, difficile ſit credere aliquid ſuperflui ſanguinis inueniri potuiſſe, cum eſſet in ætate perfecta, & complexio eius, vitaq; temperatiſſima. Vrgent deinde Minores ad idiomata recurrentes: Si datur, inquiunt, in triduo paſſionis vnitas diuinitatis & ſanguinis, neceſſe eſt & idiomata cōmunicari, id eſt proprietates ſanguinis Chriſto attribuere: ſicut enim Chriſtū ſepultū dicimus, & ad inferos deſcendiſſe, quamuis ſolū corpus fuerit ſepultum, & anima ſola deſcenderit ad inferos propter diuinitatem, quę neq; à corpore, neq; ab anima receſſit, ita dicere oporteret Chriſtū effuſum aut ſparſum propter ſanguinē, qui fuit effuſus & ſparſus, quod eſt abſurdum. Franciſcus Maronius hunc nobis clypeū obiicit, nec putat reiici poſſe. Bonauentura, & Thomas Aquinas multa de idiomatibus in mediū adduxere, quę non magnificamus, breuis tamen reſponſio eſt; nihil abſurditatis habet ſi dicatur Chriſtus effuſus, cū de ipſo legamus in pſalmis: Sicut aqua effuſus ſum: quæ ſunt verba Chriſti ſecundū cōmentatores: & quāuis figurata locutio videatur, poteſt tamē in proprio recipi ſenſu, quoniā filius Dei per ſanguinē fuit effuſus in cruce: & ita poſſemus ſparſum dicere nō incōcinne: nō dicimus quia nō recepit vſus, & nouitates introducere abſtinemus. Quod vero Damaſcenus ait ab anima, & corpore inſeparabilem permanſiſſe diuinitatē, nō propterea ſanguinē excludit, qui appellatione corporis cōtinetur: alioquin ſibi ipſi cōtrarius eſſet Damaſcenus, qui alibi dixit de verbo Dei tractās, quòd nullā partium naturę reliquit, nō corpus, nō animā, ſed corpus & animam rationalē & intellectualem, & voluntatiuā, & motiuam poſſidet, & ita ad cęlos rediit: Dixit Damaſcenus Dei filium non reliquiſſe corpus in paſſione: neque animam, & ita ad cælos rediiſſe: ſi per corpus non intellexit ſanguinem, ſine ſanguine Chriſtus ad cælos rediit, quia dicit: & ita ad cælos rediit: hoc prorſus abſurdum eſt, & alienum à vero: ergo dicendum eſt, quòd nominādo corpus, omnia complexus eſt, quæ ſunt de corpore humano, inter quæ ſanguinem contineri non eſt ambiguum. De Scoto, Riccardo, & aliis doctoribus contrariam ſententiam affirmantibus, tale iudiciū facimus, quale rationes eorum merentur. Non afferunt rationes efficaces, non mouemur. Quòd autem aduerſarii fundamēta noſtra pro vnione facta refellentes, auctoritates omnes de ſanguine adductas, quòd pretium noſtræ redemptionis fuerit, quòd nos Deo reconciliauerit, & reliqua fecerit diuinitatis opera, ad mortem vel ad vitam Domini retorquent: & auctoritatibus quibuſdam innituntur, confutatione opus habet: in qua parte illud in primis concedimus; mortem Chriſti nobis vitam peperiſſe: verum eſt enim quod ſacroſancta canit Eccleſia. Ipſe enim verus eſt agnus, qui abſtulit peccata mundi, qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit: nec imus inficias vitā Chriſti noſtræ redemptionis fuiſſe pretium: Saluatoremque ipſum voluntarie paſſionem & mortem acceptando, meruiſſe vt nos redimeret:

eſt enim

eſt enim Chriſtus & redemptor, & redemptionis pretium, qui ſe ipſum pro nobis obtulit (vt Apoſtolus ait) non tamen hæc vrgent, vt ſcripturas de ſanguine loquentes ad mortē contorqueamus, vel ad vitam, & tantā imponamus doctoribus notam, vt propriis vti vocabulis ignorauerint. Si vnus aut alter metri cauſa, vel alia quauis neceſſitate ſanguinem dixiſſet, volens mortem ſignificare, poſſemus commentationem admittere, & ſanguinem pro morte recipere: ſed quis dicat antiquæ legis ſcriptores aut euangeliſtas, aut Petrum & Paulum, aut alios doctores ſanctos, Leonem, Auguſtinū, Ambroſium, Hieronymum, Gregorium, Bernardum, Bedam, & cum his etiam doctores Græcos in oratione ſoluta, cum mortem voluiſſent dicere, ſanguinem dixiſſe? Peritiſſimi fuerunt, & vim nouere verborum, & crucis myſterium non ignorarunt. Sciebant ſancti viri, & ſpiritus ſancti gratia illuſtrati per mortem Chriſti, & voluntariam vitæ traditionē humanum genus fuiſſe redemptū: verū neque Chriſtum obiiſſe, niſi ſanguinem effundendo: neque vitam datam, niſi cum ſanguine: & in paſſione Dominica corpus, & animā, & ſanguinem interueniſſe, & omnia ſimul ad ſalutē hominis propter verbi copulam operata: licereque abſque offenſione dicere, & corpus Chriſti redemiſſe hominem, & animam redemiſſe, & ſanguinē redemiſſe, cum totus Chriſtus hominē redemerit, in quo hęc Verbo coniuncta fuere, & nunc ſunt. Quidquid enim in paſſione Domini operatus eſt Deus, homini tradimus: & quæ operatus eſt homo, concedimus Deo propter cōmunicationem idiomatum: nec dubium quin corpus Chriſti, & vita Chriſti, & ſanguis Chriſti pretium fuerit humanę redemptionis: nam Chriſtus (vt inquit Apoſtolus) per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, & Eccleſia in benedictione cerei canit: Vt ſeruum redimeres, filiū tradidiſti: filius igitur Dei, Deus & homo Chriſtus Ieſus redemptor fuit & pretium, caro pretium, & ſanguis pretium, & anima pretium, & vita pretium: nec tamen multa pretia, ſed vnum pretiū, Chriſtus Ieſus, in quo continentur omnia. Vera eſt vox, quæ dicit nos Chriſti morte redemptos, & quę ſanguine redemptos affirmat, nec male dixerit qui vel corpus, vel animā adiecerit. Cūcta hęc ad noſtrā redemptionē concurrerunt, mors, vita, caro, ſanguis, anima, diuinitas, & ſimul operata ſunt. Et licet redemptionis meritū ad voluntatē Domini referatur, efficiētia tamē aliqua in carne & ſanguine fuit, quemadmodū Paulus oſtendit, qui ſanguinem Chriſti ad ſanguinem cōparat hircorum & taurorum, & maioris efficacię oſtendit eſſe. Sunt inſuper & nonnulla verba doctorum, quæ nullo pacto commentationem illam patiuntur, vt ſanguinem pro vita vel morte recipiamus, ſicut eſt illud Leonis de paſſione loquentis, vbi ait, ſanguinem iuſtum fudit, qui reconciliando mundo pretium eſſet & poculum. Nam quomodo vita poculū, aut mors poculum de fuſo ſanguine loquitur, & pretiū vocat, quia pretiū fuit ſanguis redemptionis humanæ, & poculū ad potum reſpiciens, quem Dominus ſuum eſſe ſanguinem dixit: & doctores viuificare animam affirmauerunt propter adiunctam, & indiſſolubiliter copulatam diuinitatem. Non eſt igitur cur verba ſanctorum violemus, & verbū pro verbo interpretemur. Neq; illud admittendum quod aliqui ſubnectunt, ſanguinem Chriſti ad redemptionem hominis velut inſtrumentum interueniſſe, niſi adiiciant diuinitati adiunctum, quemadmodum & homine Chriſto tanquā inſtrumento coniuncto, & ſibi vnito ad ſalutem noſtrā diuinitas vſa eſt. Nam filius Dei, qui totum ſibi vniuit hominem & partem ſibi vniuit; & qui cum toto aliquid egit, id ipſum cum parte peregit. Quod autem Minores aiunt, morte Domini non cruenta ſaluari hominem potuiſſe, nemo negauerit, ſi tamen ita ab initio fuiſſet decretum: immo vero & ſine vlla morte potuiſſet redimi genus humanum. In voluntate Trinitatis fuit, quo placeret modo redimere, & cum morte & ſine morte, & cum ſanguine & ſine ſanguine, & cum cruce & ſine cruce: At cum in exordio rerum ſtatutum fuerit pro noſtra redemptione vnigenitum Dei filium carnem induere, crucem ſubire, & animam cum ſanguine fundere, quemadmodū prophetæ annuntiauerunt; non eſt obiiciendū, quòd ſine ſanguine potuerit primi parentis culpa deleri: electa eſt cruenta & doloroſa mors, atque horribilis, vt charitas maior oſtenderetur; & ita vetus piaculum in Chriſti ſanguine (ſecundum oracula prophetarum) abolitum eſt. Illud vero ſtultum, quod quidam aiunt, Chriſti ſanguinem minus dignum fuiſſe pretium ad humani generis redemptionem tanquam inanimatū

pro animato; nam Chriſti ſanguis propter vnionem verbi omni humano genere dignior atque nobilior eſt; neque inanimatus eſt (vt diximus) quamquam ſiue animatus eſt, ſiue inanimatus, ſufficit hypoſtatica vnio verbi, quam ſanguini non conuenire tanquam inanimato ſi quis dixerit, facile reuincetur, cū probata ſit vnio ſanguinis & verbi; plenumq; temeritatis fuerit aſſerere, non conueniſſe quod Deus fecit. Multa vt videtis aduerſus vnionem ſanguinis effuſi dicta ſunt, quæ ſtare non poſſunt, neque vllum habent fundamentum: Deus ab initio incarnatus cum ſibi aſſompſit hominem, vt totum redimeret, & in eo ſanguinem quem plantauit aſſumpſit, & quod ſemel aſſumpſit humanæ ſubſtantiæ nunquam dimiſit. Minime igitur in paſſione fuſum dimiſit ſuum ſanguinem, ſed ſemper cum eo fuit, & cum corpore, & cum anima, & hæc demū in reſurrectione coniunxit in corpore glorificato, cum quo victor mortis, ac mundi & diaboli triumphator aſcendit io cælum, ibique ſedet in dextera Patris per ſæculorum ſæcula regnaturus. Hæc cum Prædicator dixiſſet, Minor non pauca replicauit, volens ea deſtruere, quæ ſuæ ſententiæ videbantur aduerſa. Auditus & ipſe eſt quantum voluit, ſed omnia in prius dicta recidebant. Pontifex auditorium diſſoluit: deinde cum cardinalibus pleriſque diebus rem tractauit. Maior pars ſententiam Prædicatorum approbauit, pauci cum Minoribus ſenſere. Pius quoque in maiori parte fuit: ſed non eſt viſum eo tempore decretum fieri declarationis, ne multitudo Minorum, cuius erat contra Turcas prædicatio neceſſaria offenderetur: in aliud tempus deciſionem referre placuit.

Paulus Fulgoſius Genuenſis archiepiſcopus ducatū patria à ciuibus exturquet, Galloſque mox Genuam inuadentes armis propellit.

Hæc dum Romę geruntur, Genua in Liguribus, pro ſua conſuetudine, tumultuat. Paulus archiepiſcopus Lazarinus, & alter Paulus Benedictus, & Martinetus gentis Fulgoſiæ principes coniuratione inita ad decimum octauū calendas Ianuarias, amicorum non parua manu armata ducale palatium inuadunt: Ludouicumque gentilem ſuum, atq; vrbis ducem in vincula coniiciunt, deinde captum ad monaſterium diui Franciſci rapiunt, quod eſt arci proximum, vt eam tradi iubeat, patibulo coram erecto, in quo ſuſpendatur, niſi mox cuſtodes arcem reddant. Paruere cuſtodes, atq; arcem archiepiſcopo tradidere: qui mox accerſito conſilio ducatum ſuæ ciuitatis extorſit, haud immemor quod anno ſuperiori diebus paucis imperaſſet, ceſſiſſetque Ludouico vel inuitus cum ille arcem teneret. Apud Romanos gloriæ fuit quartum fieri conſulē: Ludouicus cum magno ſuo dedecore quater in patria ducatum geſſit, & totiens tanquam inutilis eiectus eſt. Mira res & noſtro non prius audita ſæculo, pontificem ſuæ ciuitatis per arma tyrannum creari. Paulus dux creatus in hunc modum Pio Pontifici litteras dedit. Quia hæc ciuitas noſtra per varios fluctus à multo tempore citra ducebatur, quos nūc ciuiles diſcordię, nunc bella externa, nouiſſimeq; Turcarum moleſtiæ afferebant, omnium ciuium, & optimatum maxime precibus & conſilio concitatus, veriuſq; impulſus (licet hoc idem patriæ charitas perſuadere merito potuiſſet) regimen, & ducatum eius ſuſcipere in tanto caſu non neglexi, eo quidē animo, vt quantum in me fuerit opinioni, quam de me ciues concepiſſe videntur, & meo in patriam amori ſatisfaciam. Hoc igitur vtrinque tentato, hodie pro Dei clementia adhunc aſſumptus ſum ducatum ſine vllo armorum ſtrepitu, ſed togatis ciuibus tranquillitate animi, & libero conſilio, conſenſuq;, vt hoc fieret acclamantibus: habita ſtatim integra poſſeſſione arcis Caſtelletti, vt nihil ad firmitatem, quietemque rerum deeſſet. Quod tuæ beatitudini ſignificandum duxi, vt quod Dei prouidentia magis quàm humano conſilio factum videtur, tua ſanctitas ſua benedictione confirmet, & me adminiſtrandi vtriuſque gladii onere preſſum, ſua ope, ſuoq; conſilio iuuare dignetur; ad cuius iuſſa ſum ſemper deuote paratus. Subſcriptio hæc fuit: Tuæ ſanctitatis deuotiſſimus Paulus Fulgoſius Dei gratia archiepiſcopus, & dux Genuenſis. Reſponſum à Pio huiuſmodi redditum. Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorū Dei, Venerabili fratri Paulo archiepiſcopo, & duci Genuenſi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ducatum patriæ tuæ ex libero ciuium decreto te aſſecutum ſcribis, eumq; per noſtram benedictionem fraternitati tuæ flagitas cōfirmari: admirati ſumus conſilium tuum, qui eius ciuitatis temporale regimen acceperis, quæ ſuper omnes Italos nouitate gaudens ſemper nutat, ſemper in motu eſt, nec vllum diu rectorem, ducemve patitur: & tu anno ſuperiore quanta ſit tuorū ciuium conſtantia in te ipſo didiciſti

qui

qui cum ab eis ad hunc ipſum principatum fuiſſes aſſumptus, non tam cito magiſtratum iniſti, quàm deponere coactus fuiſti. Nobis quidem eodem fere tempore & aſſumptio tua, & depoſitio nuntiata fuit; quid nunc futurum ſit ignoramus. Huic accedit rei nouitas: nam & ſi poteſt idem homo & ducis & archiepiſcopi perſonam gerere, ſanguinis modo abſit effuſio: neſcimus tamen an archiepiſcopus Genuenſis ante te alius ducatum inierit: maximam eſſe cauſam oportet, quæ hanc nouitatem induxerit. Forſitan experti Genuenſes iniuſta eſſe regimina ſæcularia, atq; inde tot mutationes oriri putantes, ad te confugerũt, & faſtidio quodam ſæcularis imperii experiri aliquando ſacerdotale decreuerunt: ſi forſitan iuſtius, ac mitius gubernentur. Magna eſt tibi bene agendi neceſſitas impoſita, niſi rectam iuſtitiæ virgam tenueris, niſi vim prohibueris, niſi paci & otio conſulueris, niſi modum prauis cupiditatibus impoſueris, niſi te ipſum & tuos ſtipatores in honeſtatis formam redegeris, non ſtabit poteſtas tua, breui dominaberis, cito regnum amittes, eiicieris non ſine tuo & ſacerdotalis eminentiæ magno dedecore: ſi tamen eiiciaris, & non peiora tibi accidant, vt ſunt ante oculos exempla domeſtica. Vide quid agas, non eadem eſt ſacerdotalis & ſæcularis imperii norma. Paternam & omni clementia plenam eſſe Pontificalem adminiſtrationem oportet, non tyrannicam. Multa in ſæculari principe ferunt homines, quę abhorrent in Eccleſiaſtico: quæ in laico puſilla & leuia exiſtimantur delicta, in clerico maxima & grauiſſima iudicantur. Sacerdotes, quorum vita veluti ſpeculum inferioribus eſt, non ſolum à malis operibus abſtinere, ſed omnia declinare conuenit, quæ quoquo modo præ ſe ſpeciem mali ferunt. Vide quem gradum aſcenderis. Si potis es pie & iuſte imperare, ac non ſubditos ſolum, ſed te ipſum coercere, ſi vales virtute irrumpere iniquitatem, ſi pro communi vtilitate quęrenda nõ pro tua libidine explenda ducatum accepiſti; ſi ad tutandam religionem Chriſtianam aduerſus impios Turcas animum geris, & in eam rem corpus tuum deuouere proponis, & iniuriam proximi non quæris, confidentes rite & ſecundum leges tuæ ciuitatis principatũ hunc ad te delatum eſſe, & quod, vt polliceris, vtiliter populo tuo præeris, illum tibi & tuis ciuibus & vniuerſæ reipublicæ Chriſtianæ in nomine ſanctę Trinitatis benedicimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum pridie calendas Februarias, anno Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo tertio. Vera & memoriæ tenenda dixit Paulus ſcripta Pontificis, quamuis dura: nec prohibuit exemplaria cupientibus exhiberi: ob quam rem breui apud omnes Ligures epiſtola vulgata eſt. Archiepiſcopus inde commonitus regimen ſuum magna in parte correxit, moderatiorq; poſtea viſus eſt. Franci rurſus cum parte ciuium archiepiſcopo infenſa armatis quibuſdam nauibus Genuã inuaſere, ingreſſiq; vrbem amiſſum imperium recuperare tentauerunt. Occurrit cum ſuis archiepiſcopus, ac conſerta pugna victor euaſit: fugere ad naues trepidi hoſtes, quidam cæſi ſunt, & quidam capti: inter quos duces factionis aduerſæ nonnulli quos ad ſupplicium rapiendos communis opinio fuit: Quod vſq; in hunc diem minime factum eſt, archiepiſcopo ſæuitiam ſuam coercente.

Diximus ſupra Ludouicum Francię & Henricum Caſtellę reges conuenturos fore de pace Cathalanorum & regis Aragonum tractaturos, cum alter Cathalanis, alter regi ſocia arma iunxiſſet, nec tamen inter ſe ipſos priſcum fœdus violare vellent: nũc quo facto res acta ſit exponendum eſt. Ludouicus Baionam ſe contulit, quæ ciuitas eſt in littore maris Oceani; proſcindit à ſeptentrione terras Oceanus, ſinumq; efficit late patentem, qui longo tractu in meridiem vergit. Dextrum littus Hiſpani occupant, Galli ſiniſtrũ: regnorum limes non procul à Baiona cernitur. Henricus per Biſcainos profectus in regno ſuo prope fines conſedit: mittuntur legationes hinc atque inde; agitur de conuentione, ingerũtur ſuſpiciones, vt fit, in cõgreſſu potentiſſimorũ adſunt adulatores, curioſi omnes pro ſui ſalute domini videri volunt, ingens de gloria concertatio: ille inquiũt, cum exercitu venit, & expedito milite: te togati ſequuntur: cauendæ inſidiæ ſunt. Nulla coercet honeſtas regnandi cupiditatem: tu omnium regum maximus es, aut certe ſecundus: quis non appetat tuo loco regnare? Si tuas opes ſuis accumulet alter, quis illo maior erit? aut quid illi ad orbis imperium deerit? Cogitare animo quæcumq; poſſunt occurrere pericula prudẽtis eſt, eaq; declinare: quid præterea neceſſitatis habet iſte conuentus? ad pompam quæritur, non ad vtilitatem,

Francia & Caſtella reges apud Baionam conueniunt, ac largitur pacem inter Aragonenſem & eos.

Ingredieris alienum regnum, minor videberis, gloriabitur te hoſpitem accepiſſe, & in annalibus adnotari iubebit rex Franciæ, Caſtellę regem ſeſe olim adoratum veniſſe, atq; vtinam non peiora intercidant. Pulchra eſt Caſtella noſtra & glorioſa, & magna: fruamur nos bonis noſtris & Gallici fruantur ſuis; nos te maiorem nouimus neminem: nulla diſpar ſocietas diuturna eſt. Hęc & his ſimilia regis Caſtellæ auribus inculcata aliquandiu animum eius in diuerſa rapuere: nec minora regi Franciæ dicta ſunt. Oratores crebro hinc atq; inde miſſi difficultates abſtulere: maxime vero ad cōcordiā operata eſt legatio regis Caſtellę, quā huiuſcemodi pompam duxiſſe cōperimus ad Francū profectā. Muli quinquaginta pręceſſere onera ferentes, & ſupellectilē legationis ambitioni conuenientē, quos totidē duxere pedites venabulis armati. Tū quinquaginta ſecuti ſunt iuuenes, curſoribus inſidētes equis more Mauritano, haſtilia in manu gerentes, peregrino habitu admirabiles: exin tertius quinquagenariorū ordo ſucceſſit, purpurati equites fuere, torquibus aureis, & multo gemmarū pondere illuſtres. Poſt hos tubicinum, & qui Numidica pulſarent tympana ingens numerus. His proxima caduceatorum turba, quos noſtra ętas Eraldos vocat apud occidentales reges non contemptibile genus hominum: tum principes legationis venere Alfonſus archiepiſcopus Toletanus, & Ioannes marchio Villenæ apud regem in primis accepti, alter inter Caſtellæ Pontifices maximus, alter inter proceres cultu vtrique ſuæ dignitati conueniens, & qui legationē ornaret: poſt eos conſiliarii, & rogatorum miniſtrorumque maxima turba. Ludouicus primiores ſuæ curiæ aduentantibus Hiſpanis obuiam miſit, & ingreſſos palatium vultu benigno, & alloquio blando excepit. Tractatum eſt de concordia pleriſq; diebus, & in ipſa paſchali feſtiuitate concluſio facta. Hiſpani pro ſua conſuetudine glorioſi nulla nō die veſtes mutauere in conſpectu regis, vt ſplendidiores apparerent. Concordię hæc ſententia fuit, regnū Nauarrę Ioanni Aragoniæ regi quoad vixerit cedito, poſt mortē eius ad filiū comitis Fuxi pertineto. Comitatus Stellæ, qui fuit pars regni Nauarræ, ad regnum Caſtellæ accedito. Iura Infantatus, & alia quæcumq; obtinet rex Aragonum in regno Caſtellæ dimittito. Henricus Caſtellæ rex quæcunq; de regno Aragonum, ac Valentię abſtulit, Ioanni reddito. Comitatus Ronſilioni, ac Ceretanię regi Franciæ tandiu pareto, quoad auri trecenta millia nummum Aragonenſis diſſoluerit. Principatus Cathaloniæ ad obedientiam Ioannis redito, & ſub antiquis priuilegiis gubernator: pro rebellione veniā habeto: niſi paruerit trium regū arma timeto. Hæc tandiu occulta fuere donec reges cōuenerunt Caſtellæ & Francię in ipſis regnorū finibus. Viderunt ſe duo reges, & amplexati ſunt, & duabus circiter horis inter ſeſe ſecreta miſcuere colloquia. Magnū ibi fuiſſe hominum concurſum memorant, & magnos apparatus, vtroq; rege ſuam magnificentiam oſtentante. Et quoniam multi mari aduentarunt, multa de nauibus digna memoratu relata ſunt, quarum proras aureas, & puppes argenteas, & vela ſericea, & rudentes ſericeos & malos inauratos tradidere, & alia multi generis ornamenta. Breui diſſoluta conuentio eſt. Non potuere duo reges, quorum diuerſiſſimi mores eſſent, & quorum de gloria par contentio, diu ſimul eſſe: alter contempſit alterū, quamuis in præſentia ſeſe inuicem magnifacere viderentur. Reperit vterq; quod in altero reprehenderet, & ſtaturam corporis, & mores. Vbi diſceſſio facta eſt, publicata concordiæ formula non defuere qui duos reges in perniciem tertii conueniſſe dicerent: ambo enim inter ſe ſpolia regis Aragonū partiti ſunt. Henricus partem regni Nauarræ ad ſe traxit, & Infantatus iura, quæ aureorū triginta millia quot annis Ioanni præſtare ferebantur. Ludouicus omnem terram citra Pyrenæos montes Cathalanici iuris ſibi arripuit, quaſi pro pignore ſumptuum, quos feciſſet in bello, mercatura ea fuit non amicitia auxilia vendidit: non gratis miſit; ſibi, non amico bellauit, indigna quæ de regibus dicerentur. Regina Aragonum dum hæc aguntur mœſta, Ludouicū adiit, inique cum viro ſuo actum dicit, cui multa ſint erepta, pauca dimiſſa. Rex vt videretur mulieri aliquid annuiſſe, trecenta millia pro quibus pignori traditum Roſſilioni comitatum, & Ceritaniæ diximus, ad ducenta millia reduxit: mulier infelix triſtior abiit quàm venerat. At de Caſtellæ rege longe peiora in vulgus iactata ſunt, quem prodidiſſe Cathalanos cuncti affirmauere: accepiſſe illum Barchinonenſes. & omnes Cathalinici principatus ciuitates in protectionem ſuam, dixiſſe ſe Cathalonorum domi-

Digitized by Google

dominum, iuſſiſſe omnes in ſua verba iurare: monetam auream & argenteam Barchinone percuſiſſe; miſiſſe armatorum copias, quæ Ioannis violentiam propulſarent: ſpem pulcherrimam præbuiſſe nunquam ſe relicturum Cathalanos, quos ſibi ſuæq; coronæ peculiares elegiſſet. Nihil ex Gallia timendum dixiſſe, cuius rex aut amicitiæ ſuæ, aut armis ceſſurus eſſet: nunc vel metu, vel amicitia victum, receptos in fidem reliquiſſe: & cui credas ſi caſſa eſt regum fides? Metus regem, an auaritia vicerit incertum.

Adolfus archiepiſcopus Maguntinus inter hæc quamuis rigeret hiems collectis militibus circiter octingentis intempeſta noſte Maguntiam inuadit: bellatores audaces ab ea parte muros ſcandunt, quæ vineas & hortos intra vrbem claudit: Fit tumultus in ciuitate, poſtquam hoſtis ingreſſus eſt: concurritur ad arma: pugnatur inter frequentia vrbis ædificia ſumma contentione, hinc Dyetheri præſidium, inde Adolfi miles acrius vrget: ciuium diuerſa ſunt ſtudia: ſuperat tamen Adolfus, ac cæſis fugatisq; Dyetheri partibus vrbem in poteſtatem recipit non ſine admiratione cunctorum, qui tam parua manu tantam ciuitatem ſuo populo & externo defenſam potuerit obtinere. Noctis beneficio res acta, metus adeſſe maiores copias credidit: Aduerſæ factionis ciues ſponte ſibi exilium elegere. Hæc pro captis à Palatino principibus belli compenſatio Adolfo data, vt eſt rerum humanarũ incõſtans ſtatus nunc vnam nunc alteram eleuans partem. Palatinus poſt victoriam de principibus habitã, nulla vſus clementia captiuos (vt diximus) in vincula coniecit, & in tetro carcere [illegible] compedibusq; coercuit, & catenis tanquam latrones vltimo ſupplicio dignos. Cum ferre miſeri captiuitatẽ nequirẽt; & ſquallorẽ carceris horrerent; peterentque vt à ſuis redimi poſſent, his tandem legib. dimiſſi ſunt. Metenſi epiſcopo aureorum quinquaginta millium impoſita mulcta eſt: marchioni Badenſi centum millium: tantundem comiti Virtembergenſi, reliqui nobiles pro ſuis facultatibus & vltra mulctati. Amplius marchioni, & comiti munitiſſima adempta caſtella, & quædam ita dimiſſa, vt pro illis homagium facerent, & tanquam Palatini vaſalli in eius verba iurarent. Vxor quondam Ludouici fratris Palatini gemmas & aurea vaſa, donaq; non pauca pretioſa ab eo receperat, quo mortuo Virtembergenſi comiti nupſerat, ſecumq; dona portauerat; ea Palatino reſtituere cuncta oportuit, & annua quinque millia remittere, quæ ſibi tanquã dotis vſusfructus ex comitatu Palatino debebantur quod pro viri libertate non inuita fecit cum tantum auri corradere principes nequirent, quo ſe redimerent, amicos inuenere fideiuſſores; atq; ita demum carcerẽ exiere. Ea Palatini liberalitas fuit, & animi magnificentia, & gloria Baioaricę gentis. Idem factitauit Alexander victo in India Poro: idem Cyrus ſuperato in Aſia Cræſo: idem Philippus maria captis nauali prælio regibus, quorum alter Alfonſus ſeptem præfuit regnis. Non tantum auri Palatinus ab infelicibus captiuis exegit, quamuis totum extorſit quod potuit; quantum victor Philippus donauit victis, vtraq; liberalitas fuit: Palatinus ſuis captiuis ademptis bonis miſeram donauit vitam: Philippus quos vicerat non ſolum viuere, ſed bene viuere iuſſit, ditioreſque reddidit, quàm fuerant ante captiuitatem.

Maguntia ab Adolfo noctu occupata Dyetheri partib. cædibus & rapinis in captiuos principes barbara ſæuitia.

Vienna in Auſtria, quæ (vt ſupra diximus) Imperatorẽ & dominum ſuum in arce clauſit, & machinis oppugnauit, ac ſuopte arbitrio iuri iurando renuntiauit: hæc eadẽ, vt de crudelitate Barbarica amplius aliquid adiiciamus, nouam materiam ſuggerit. Nicolaum cognomento Holzer ſupra retulimus apud Viennenſes rerum nouatorem fuiſſe, cuius conſilio, qui plebis ductor eſſet, Imperator Federicus Viennam amiſiſſet, Albertus german⁹ eius obtinuiſſet. Pænituit hũc patrati facinoris, cũ violẽtum eſſet imperium Alberti, & in vrbe nulla libertas, nulli ſua ſupellex, nulli cõiunx, nulli familia ſalua, rapinæ militum cuncta paterent. Cognouit excluſo pio principe, crudelem admiſſum eſſe tyrannum: doluit vrbis vicẽ, quæ ſua culpa peſſum iret: conatus eſt errata corrigere, vrbemq; reſtituere Federico. Clam per internuntios res componitur: Panehircher, & Grafnecher copiarum duces equites mille ducentos haud procul ab vrbe in inſidiis collocãt. Pulchauſer duarum portarum cuſtos in ipſa Paſchæ vigilia quadringẽtos equites intra mœnia recipit. Excitatur ſubito rumor captam eſſe vrbem: conclamat populus Cæſarianos ingreſſos ferro & igne cuncta

Coniuratio Holzer contra Albertũ apud Viennam deprehenditur ſupplicium; de cõiuratis inter ſolemnia Paſchalia atrociſſime ſumitur.

vaſtare: occurrit Albertus valida militum caterua ſtipatus; ſumunt & arma ciues, qui ſe prædę futuros verebantur: Nondum ſignum intromiſſæ cohortis, qui latebant in inſidiis acceperant, nec ſe loco mouetant. Pugnarur in vrbe infenſis vtrinq; animis, & ira feruida: vincuntur Cęſariani, capiunturq; omnes ducentis trucidatis. Clauduntur portę ciuitatis, & in ipſis paſchæ diebus vnica Alberti cura eſt conſpiratores inquirere, neciq; tradere: opulenti quiq; in ſuſpicionem adducuntur, nunc iſte, nunc ille rapitur, nō ſufficit publicus carcer, implentur atria, proſcriptorum bona inter milites diuiduntur. Holzer, cuius opera nō erant dubia, tumultuante ciuitate cum aufugiſſet, à piſcatoribus intereeptus, arq; in forū deductus, in quatuor partes diſſectus eſt, caput eius haſta affixum in eā potta ſuſpenſum, quam Cæſarianis apetuerat; dignus qui hoc fine periret, ex fece vulgi tribunus vrbis effectus, modo has partes, modo illas adiuuans, nulli fidus, & nullo rerum ſtatu contentus. Captus eſt & Oſualdus Reicolfus vnicus opulētorum ciuium, cuius proauus Viennæ fuiſſet natus, Viennam enim frequētes incolunt aduenæ, indigenę pauci, cum eo & Sebaſtianus Zigelauſer, quem magiſtratu ciuium Cęſar dignum duxerat, plebs reiecerat, in vincula coniectus eſt: Et Pulchauſer quem diximus equites Cæſarianos admiſiſſe, & Auguſtinus equeſtri militia recens donatus, & Ioannes Odonacher alter plebis concitator, & Volchangus quidā de plebe audacis ſpiritus, quibus poſt habitas quæſtiones in publicum adductis, inter ipſa paſchalia feſta ſpectante populo ceruices præciſę ſunt: tātu[illegible]ligioni Albertus attribuit: in cuius poteſtate vſq; in hunc diem Viēna perſeuerat [illegible]tu coercita, digna tali Domino, cui iuſtus clemenſq; placere non potuit.

...nnis Dra... immania atque nefanda crudelitas, eiusq; in regem Hũgaria deprehenſa perfidia, & tandē captiuitas.

Auſtrialem ſæuitiā, & crudele deſcripſimus Alberti facinus, adiicienda eſt Ioannis Dragulę atrox nequitia & natura immanis; cuius inter Valachos, quibus præfuit, adeo nobilitata ſunt ſcelera, vt nulla queant tragœdia ſuperari. Valachi populi ſunt vltra Danubium habitantes inter Euxinum mare, & regiones, quas hodie Tranſiluanas appellant: in quis ſeptem ciuitates Theutonici ſermonis exiſtunt. Valachi lingua vtuntur Italica, verum imperfecta, & admodum corrupta ſunt qui legiones Romanas eo miſſas olim cenſeāt aduerſus Dacos, qui eas terras incolebāt: legionibus Flaccum quendā præfuiſſe, à quo Flacci primū, deinde Valachi, mutatis litteris ſint appellati; quorū poſteri (vt ante relatū eſt) barbariores barbaris euaſere. Is noſtra ætate Dragula præfuit animo inconſtanti & vario, quem anno ſexto & quinquageſimo ſupta mille quadringentos incarnati Verbi Ioannes Huniates regni Hungarię gubernator, eo quod ad Turcas defeciſſet, bello victū, captumq; cum altero filio neci tradidit, Ladiſlao quodā ei ſuffecto, qui Valachos imperio regeret. Fugit gubernatoris manus alter Dragulę filius nomine Ioannes, qui paulo poſt exercitu comparato, interfecto Ladiſlao, paternæ hereditatis magnam partem vendicauit, cunctis qui ſibi, patriq; fuerant aduerſi crudeliter necatis: Cybiniēſem ingreſſus prouinciam quamplures villas populo plenas ſuccendit. Viros catenatos admodū multos in Valachiā tractos palis affixit. Negotiatores publica illectos fide per Valachiā cum pretioſis mercibus tranſeuntes, direptis bonis interemit. Ex Vurcia quadringentos pueros tanquā lingua Valachorū erudiēdos, ad ſe iuſſit afferri, quos in æſtuario clauſos immiſſo igne cremauit. Viros ſui generis nobiliores, & qui propinquiores ſibi fuerunt, cum liberis & vxorib. interfecit. Quoſdam ex domeſticis ſuis vmbilico tenus terra ſuffodi iuſſit, ac ſagittis transfodi: nonnullis cutem ademit: Daym quendam filium alterius Daym Vaiuodæ in bello cepit, viuētiq; ac videnti ſepulchrū erexit, iuſſitq; ſacerdotes exequias decantare, quibus finitis captiuo caput amputauit. Legatos Siculorum, & Tranſiluanorum quinquaginta tres ad ſe miſſos in vincula coniecit, & ingreſſus eorum terras, nihil hoſtile timentes, ferro & igne cuncta vaſtauit. Cæilinum ſuarum copiarum ducem, eo quòd immanitati ſuæ non ſatisfaceret, palo transfixit. Viros ex Vurcia ſexcentos in alteram prouinciam tranſeuntes, cum in manus eius perueniſſent, ad palos peremit. Zeganum quendam quoniam furem deprehenſum recuſaſſet manu ſua ſuſpendere in magno lebete decoxit, epulandumq; ſuis ciuibus tradidit. Pueros quoque lactantes è ſinu matrum abſtulit, & illis videntibus ad ſaxum alliſit. Tranſiluanam ingreſſus prouinciam cunctos Valachos illic habitantes quaſi amicos ad ſe vocauit, & in vnum congregatos immiſſis militibus interfecit, & villas eorum exuſſit.

Supra

Supra triginta hominum millia his artibus interfeciſſe proditur. Anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſecundo Turcarum Imperator, cuius ditioni ſubeſſet cenſum petiit: ipſe iturum ſe Andrinopolim dixit, cenſumq; allaturum: petiit ergo litteras ad locorum præfectos, quibus tuto ire poſſet, conceſſę ſunt. Tranſmiſſo Danubio, qui glacie coactus erat, cum exercitu occurrentes Turcarum præfectos interfecit, & late craſſatus in populos, ſupra viginti quinque millia vtriuſque ſexus hominum trucidauit, inter quas & virgines venuſtiſſimæ perierunt, quamuis à Valachis peterentur vxores: captiuorum magnum numerum in Valachiam duxit, quorum aliis pellem ademit, alios igni aſſauit affixos verubus; alios in oleo feruenti decoxit; reliquos palis affixit: ita vt ſilua palorum quędam in campo appareret, in quo hæc ſunt geſta. Cum animaduertiſſet virum aliquem in agro laborantem, cuius camiſia breuior vix pudibunda tegeret, percũctatus eſt, an vxorei eſſet, vbi didicit vxoratum, iuſſit accerſiri feminam; venientemq; interrogauit quodnam eius eſſet artificium? reſpondenti nere & ſuere: cur ergo ſubintulit viro tuo camiſiam quæ verenda tegeret non perfeciſti? iuſſitq; mox feminam ad palum rapi; viroq; aliam dedit vxorem. Cum tot flagitia perpetraſſet, à Matthia rege Hungariæ, tandem captus eſt ea hieme, qua Pius Pontifex ex Tuderto Romam rediit; capturæ cauſam præbuere litteræ ſuę, quæ in hunc modum ad Imperatorem Turcarum cum ſcriptę mitterentur, interceptæ ſunt. Imperatorum Imperatori, & dominorum domino, qui ſub Sole ſunt magno Admurato, & magno Soldano Maumethi, in omnibus fortunato; Ioannes Vaiuoda, & dominus Valachiæ humilem ſubiectionem. Seruus ego magni imperii tui certiorem te facio me hodie ad terram meam proficiſci cum exercitu, & confido in Deo obtenturum me illam, niſi tuo præpediar imperio. Ideo magnitudinem tuam ſupplex oro, ne meum errorem, & peccatum magnum meum inſpicias, quoniam imprudenter in te peccaui, & malum feci in terra tua; ſed miſereatur mei tua clementia, atque indulgear, vt legatos ad ſe mittere poſſim. Mihi nota eſt omnis Tranſiluana regio, & omnis Hungaria, & conditiones locorum, rerumque calleo. Si placuerit imperii tui magnitudini, poſſum pro redemptione delicti mei totam regionem Tranſiluanam tuis manibus tradere, cuius poſſeſſionem adeptus, poteris omnem Hungariam tuæ poteſtati ſubiicere. Legati mei plura ad te deferent. Ego quoad vixero tuus ero inconcuſſæ fidei ſeruus. Deus magni imperii tui multos faciat annos. Scriptum in Rhotel ſeptimo idus Nouembris milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſecundo. Fuerunt & aliæ binę litteræ eiuſdẽ fere ſententiæ, vnę ad Baſam, alteræ ad Thoenonę dominum, vt pro ſe intercederent apud magnum Imperatorem. Eæ de lingua Bulgarica in latinum conuerſæ ad Pontificem miſſæ fuere. Valachus adhuc in carcere deliteſcit, magno & honeſto vir corpore, & cuius ſpecies imperio digna videatur, adeo ſępe differt hominis ab animo facies.

Stephanus circa idem tempus, qui paulo ante genitori ſuo regi Boſnæ vita functo ſucceſſerat, legatos ad Pontificem miſit duos ſenes ſtatura proceros, & habitu venerabiles: quorum alter huiuſcemodi orationem habuit. Rex Boſnæ filius tuus, beatiſſime pater, nos ad te miſit, iuſſitque ſuo nomine hæc dicere. Certior factus ſum Maumethem, qui Turcis imperat, æſtate proxima infeſta contra me ſigna moturum, & iam copias, & belli machinas apparaſſe. Non ſum ego qui tantum impetum ferre poſſim: oraui Hungaros, & Venetos, & Georgium Albanum, vt opem mihi afferant: idem ex te peto; neque auri montes poſtulo: ſcire hoſtes ac prouinciales meos cupio tuum mihi fauorem haudquaquam deeſſe. Si norint Boſnenſes me non futurum in bello ſolum, fortius dimicabunt, neque Turcæ terras meas ingredi audebunt, quarum ſunt aditus difficillimi, & arces pluribus in locis propemodum inexpugnabiles. Tuus anteceſſor Eugenius patri meo coronam obtulit, & pontificales eccleſias in Boſna voluit erigere. Renuit pater ne Turcarum in ſe odium prouocaret. Erat enim nouus Chriſtianus, nec Manichęos adhuc regno expulerat. Ego à puero baptizatus fui, & litteras latinas didici, & Chriſtianam fidem ſolide complexus ſum: non timeo quę pater timuit; coronam vt ad me mittas opto, & ſanctos epiſcopos. Hoc ſignum erit te mihi non defuturum, ſi qua ingruerit belli mo-

Legatorum Boſnæ regis ad Pium, oratio contra Turcas, auxilia quędam alia petens, Piiq; clementiſſimum ac ſuum reſponſum.

les. Spem ſubditis à te coronatus, terrorem hoſtibus afferam. Iuſſiſti, viuente genitore meo, arma quæ in Dalmatia ſub Venetorum manu erant, Cruciatę nomine collecta, vt ad eum mitterentur. Non placuit ſenatui Veneto. Iubeto ad me modo mittantur, fortaſſe maius imperium inuenies, quando mutata eſt mens Venetorum, & Turcis feruntur indicturi bellum. Hæc peto, & vt legatum ad Hungaros mittas, qui meam cauſam regi commendet, horteturq; arma mecum iungere, hoc pacto ſaluari Boſna poterit, alioquin peritura eſt. Turcæ in meo regno munitiones aliquas conſtruxere, & in agreſtes mitem animum oſtendunt, dicunt futuros liberos quicumque ad ſe deficiunt, blandeque complectuntur: ruſticorum rude ingenium non intelligit artes & libertatem perpetuo duraturam exiſtimat. Facile his dolis illectæ plebes à me deficient, niſi tuo præſidio munitum viderint, nec diu nobiles in ſuis arcibus perſeuerabunt deſerti à ruſticis. Si quæreret regnum meum Maumethes, neque vltra progredi vellet, ferenda eſſet mea ſors, neque pro me ruendo reliquam Chriſtianitatem vexare deceret: verum inſatiabilis regnandi cupido nullas habet metas. Poſt me Hungaros agitabit, & Dalmatas Veneris ſubiectos, & per Carnos, & Hiſtros quæret Italiam, cuius imperium ambit, & ſæpe de Roma loquitur; atque huc direxit animum. Quod ſi permittentibus Chriſtianis meo regno potitus fuerit, aptiſſimam prouinciam, & loca peropportuna inueniet ad ſuum deſiderium explendum. Ego tempeſtatem primus expecto, poſt me Hungari, & Veneti, & reliquæ nationes ſuam ſortem experientur: nec Italia conquieſcet. Sic ſtat conſilium hoſtis. Hæc explorata ad te defero, ne olim dixeris non fuiſſe prædictum, & me argueris negligentiæ: pater meus anteceſſori tuo Nicolao & Venetis futuram Conſtantinopolis calamitatem prædixit, non fuit adhibita fides; amiſit cum ſuo magno malo Chriſtianitas regiam vrbem & patriarchalem ſedem, & Græcię columen: nunc ego de me vaticinor; ſi fidem datis & opem, ſaluabor, alioquin peribo, & meam ruinam multi ſequentur: hæc Stephanus ad te deferri iuſſit. Tu qui Pater es Chriſtianæ religionis, & conſilium, & auxilium adhibe. Pius his auditis conſilio fratrum adhibito, ita reſpondit.

Reſponſio Pontificis.

Habemus fidem legationi Stephani, eadem multis ex locis nuntiantur. Occidentis quærit Imperium Maumethes, qui orientale peruaſit: aptiſſima eius deſiderio Boſna eſt; hanc portam (credibile eſt) in primis perfringere conabitur: non perficiet audente rege forti animo reſiſtere. Ardua ſunt montium clauſtra, & aditus, quos facile tueri pauci queant. Coniungent Hungari arma, & Veneti, legatum eius rei cauſa ad vtranq; gentem mittemus; communem cauſam communibus adiuuabunt viribus. Nos tantum auxilii præſtabimus quantum per facultates licebit. Arma quæ ſunt in Dalmatia miniſtrari iubebimus: Eccleſias cathedrales in Boſna mandabimus erigi, & erectis conſtituemus epiſcopos. Coronam mittere ſine præiudicio regis Hungariæ haudquaquam poſſumus, cuius rex Boſnæ vaſallus eſt, & ad eum pertinet coronare regem. Sciſcitabimur quid ſit animi eius: ſi æquo animo tulerit, coronam quæ parata eſt, per legatum mittemus, inuito non faciemus iniuriam, neq; irritabimus eum à quo ſunt auxilia expectanda. Stephanus (ſi ſapiat) Matthiam Hungariæ regē omnibus ſibi ſtudiis conciliabit, quo cum fœdere, ac beneuolentia iunctus difficile à Turcis peſſundabitur. Sic remiſſi Boſnenſes læti abierunt, quos ſecutus eſt orator Pōtificis Dominicus Lucenſis, qui & apud Venetos, & apud Hungaros eorum poſtulata curaret exequi.

Rebellio quorundam oppidorum comitatus Fani, & eorum celerrima recuperatio.

Inter hæc nonnulla caſtella comitatus Fani, quę ſuperiori æſtate Eccleſiaſticus exercitus armis obtinuerat, cōiuratione facta media hieme nocte concubia rebellauere, captiſq; præſidiis quę inerant cum per inertiam parū ſibi cauerent, ad Sigiſmundum defecere. Ea comes Vrbinas primo Veris aduentu non magno negotio recuperauit; coegitq; patrati flagitiī pœnas dare.

Leges pacis inter Pontificem & Dominicum Malateſtā.

Circa idem tempus cum Veneti vehementer vrgerent Dominico Malateſtę veniam dari, ſeq; concordiæ per legatum mediatores offerrent; annuit Pontifex, atq; in hunc modum pacis leges edixit. Dominicus ſi peccati veniā petierit, ſi Rauennati Eccleſiæ, & Sarſitanēſi bona quę abſtulit reſtituerit: ſi oppida quę ab Eccleſia capta ad eum defecere rurſum in poteſtatē Eccleſię dederit: ſi cenſum Apoſtolicæ camerę debitum

bitũ diſſoluerit: ſi cauerit, vt ſe ſine liberis maſculis legitimiſq; decedẽte, Cæſena Bretenorũ, Meldula, & alia quæ poſſidet oppida, ad imperium Eccleſię redeant: ſi deinceps fidelem vaſallum ſe promiſerit, pacẽ habeto: neq; ſperato recuperare, quæ ſibi armis adẽpta ſunt vno tantũ caſtello excepto, q pro ſua liberalitate donaturus eſt ei Pius Põtifex. Placuere leges, in eo tamen difficultas orta, quo pacto caueri poſſet poſt obitũ Dominici ne ciuitates eius in alias manus quàm Eccleſiæ peruenirẽt: digna res videbatur: de modo erat contentio. Pontifex in eam rem iuramenta ciuium requirebat, quibus ſe obligarent, deficiente ſine liberis Dominico, nullius imperium, pręterquam Romani Pontificis admiſſuros: legatus Venetus id nouum atq; inſolitum aiebat, neq; ſine vilipendio Dominici fieri poſſe.

Veneti contra ius fasq; Ceruiam à Malateſta emunt ac Pii apud eorum legatum redargutio.

Deliberatione pendente Veneti Ceruiam à Dominico data pecunia coemunt quatuor millia aureorum ſibi quoad vixerit, & ſe mortuo quibus voluerit quot annis diſſoluturi, & amplius ſaccos ſalis ducẽtos. Salinæ apud Ceruiam ſunt, & ſal ibi optimum reperitur, quod ad Romãdiolæ vrbes delatum plurimum Malateſtis emolumẽti præbuit, Veneti quoniam Ferrarienſibus vel inuitis ſales præbent, veriti ne clam hinc ſubueniretur illis, locum quocunq; tandem modo poſſent ſiue iure ſiue iniuria ad ſe trahere ſtatuerunt: feudum hoc erat Eccleſiæ Romanæ deficiente Malateſtarum virili ſobole ad eam rediturum; nec licebat Malateſtis in aliam familiam gentemve quouis pacto transferre, nec Venetis, aut cuiquam fas erat inuita Eccleſia Ceruiam emere. Sed quid mirum ſi à non domino Ceruiam emerunt, qui paulo ante Rauennã Eccleſiaſtici iuris occupauerant? Facit & Ceruia ad imperium ampliandum, cuius ſales Romandiolæ magno erant vſui: nunc ex Venetis quęrendum ſal, niſi lõginquum afferatur: quod ſine magno pretio fieri non poteſt. Damnauit omnis Italia Venetorum factum, qui Ceruiam Eccleſiæ ciuitatẽ ab eo emiſſent, qui vendere non poſſet. Pius cum accepiſſet de Ceruia quod factũ erat, accerſito Venetorum legato percũctatus eſt, quid ea in re excuſationis afferret. Ille factum confeſſus eſt, vt qui ſciret non poſſe defendi: dixit tamen id vtilitatis cauſa factum, quoniam ſalis vectigal, quod Venetis in agro Ferrarienſi viciniſq; locis maximum eſt, Ceruienſibus ſalibus clam aduectis magnopere comminueretur, noluiſſe id detrimenti rem publicam ferre, atq; ita locum emiſſe, vnde fraudibus occurri poſſet. Cui Pontifex: Senatu intercedente Veneto pacem Dominico promiſimus, te vice ſenatus concordiæ mediatorem accepimus, inter concordiæ leges illa præcipua fuit, vt moriente ſine virili ſobole Dominico, ciuitates eius, quas ab Eccleſia recepiſſet in feudum ſeu vicariatum, ad Eccleſiã reuerterentur. Laudaſti hanc legẽ; laudauerunt & Dominici procuratores, quamuis de modo contentio eſſet. Interea Ceruiam ab eo qui vendere non poteſt, ſenatus emit: obſtat natura feudi, obſtat confiſcatio propter rebellionem: obſtat lis iam mota: obſtant Apoſtolicæ litterę inueſtituræ, quæ omnem alienationem prohibent: obſtat ipſa honeſtas. Agimus de Ceruia & aliis Malateſtæ ciuitatibus, quomodo ad Eccleſiam redeant illo vita functo, cum Venetis iſta tractamus, & dum ſimul cogitamus, Venetis Ceruiam emere fas non erat. Ceterum vos quantum lucraretur veſtra reſpublica, & nõ quantũ damni Romanæ inferretis Eccleſiæ animo pẽſitaſtis. Roma ſacerdotalis facta eſt, & maior Italiæ pars beato Petro æternæ vitæ clauigero & ſucceſſoribus eius in patrimonium ceſſit. Cuncti reges & Imperatores Romano Pontifici tanquam Ieſu Chriſti Vicario caput inclinant, & pedes eius exoſculantur, ſic & vos Venetos iura, ipſiuſq; poſſeſſiones defendere par erat. Ea cum audiſſet legatus Venetus cum nihil aliud haberet, quo ſuæ ciuitatis cauſam tueri poſſet, reſpondit ſe quamprimum ſenatum de Pontificis animo certiorem facturum, & quicquid à patribus accepiſſet, id totum ad Pontificem maximum primo quoq; tempore allaturum, aſſerens ſe ſperare ſenatum facile Ceruiæ emptionem irritam redditurum, & in Pontificis ſententiam venturum.

Iſidori Rutheni & Proſperi Columnenſis cardinalium ac Theoderici Colonenſis archiepiſcopi obitus, co-

Hunc annum viri tres in Eccleſia præcellentes inſignem moriẽtes reddidere: primus fuit Iſidor⁹ cardinalis epiſcopus Sabinẽſis, qui diu antea percuſſus apoplexia (vt diximus) perdiderat ſermonis vſum: Ruthenis hic præfuerat quondam pontifex Borealibus populis græcanicum ritum ſeruantibus. Cum capta eſt Conſtantinopolis à Turcis legatum illic agebat Apoſtolicæ ſedis iampridem ab Eugenio Pontifice maxi-

ramq; vita breuiſſima deſcriptio atque electio noua Colonienſis.

mo cardinalatus dignitate donatus,in cæde Chriſtianorum,quæ ingens ibi facta eſt, iacenti cadaueri hominis,qui ſibi fuiſſet ſimilis veſtimenta ſubtraxit,& cum ſuis permutauit,cuculla & rubenti pileo ſupra mortuum dimiſſis. Ipſe tanquam vnus de plebe captus paruo pretio redemptus eſt;cadaueri ſuper quo inſigne cardinalatus repertum,caput abſciſſum eſt,& haſtæ ſuffixum cum pileo per vrbem caſtraq; Turcarum per ignominiam contemptumq; ſedis Apoſtolicæ vectatum,clamitante præcone eſſe Rutheni cardinalis verticem:ipſe vero paulo poſt ad Nicolaum Pontificem rediit, quem aliquor annis poſtea defuncto Gregorio Patriarcha Conſtantinopolitano, qui anno quo Mantuam itum eſt,non ſine ſanctitatis opinione Romæ obiit,Pius Pōtifex ad Patriarchatus culmen euexit,eiq; fatis functo Beſſarionem cardinalem Tuſculanum virum doctiſſimum ſubſtituit,natione Græcum, genere Trapezuntinum. Obiit & Proſper S.Gregorii ad vellus aureum diaconus cardinalis Columnenſis familiæ princeps Martini quondam quinti nepos, miti vir ingenio litterarum cultor, & quem nemo potuiſſet non amare,niſi plus æquo Gebell.narum partium ſtudioſis auſcultaſſet.In monte qui Larianus dicitur,imminetque Velitris, & vniuerſæ Campaniæ dominari videtur arcem ædificare cœpit,neq; ceſſauit (prohibente Pontifice)nouum opus erigi.Ceterum dum operi eſſet intentus acri correptus morbo non ſolum ab ædificando deſiſtere,verum & caram relinquere vitam coactus eſt. Luxere Romani eum fere omnes,& cardinales,& qui curiam ſequuntur exteri:nec Pius eius mortem non acerbe tulit,memor antiquæ beneuolentiæ. Pius hominem ſemper dilexit,atq; idcirco fratres eius & nepotes,& vniuerſam Columnenſium gentem ſingularibus fauoribus proſecutus eſt.Theodericus quoq; hoc anno è vita deceſſit,Colonienſis Eccleſiæ præſul cum annis ſupra quinquaginta pontificatum adminiſtraſſet.Tres ei fratres fuere,ſenior comitatum Morſæ gubernauit, vnde illuſtris familiæ Morſenſis nomen,alter eccleſiæ Monaſterienſi præfuit epiſcopus: tertius ad Traiectenſem eccleſiam electus,nunquam poſſeſſionem adipiſci potuit, quamuis per arma tētauerit ingredi:Cunctos ante ſe fratres præmiſerat, cum deceſſit Theodericus, vir ſui temporis omnium Germanorum facile princeps: fuit enim ſtatura eminenti, & corpore pulchro atq; agili,adeo vt ſeptuageſimum agens annum nullo adiuuante conſcenderit equum,& arma non magis grauate quàm iuuenis geſtauerit. Induunt loricas,& thoraces,& galeas epiſcopi Germaniæ,& pro neceſſitate eccleſiarum aliquando tanquam reges bella gerunt,interſuntque prœliis: an id deceat nō aſſerimus: moribus multa tribuas neceſſe eſt:quæ ſunt in vna prouincia ſanctæ leges, ſæpe in altera damnantur.Theodericus pro ſua eccleſia plurima bella geſſit clientelis & affinitatibus potens,alloquio blandus, auditu facilis, comitate & liberalitate inſignis, circumſpectus in rebus agendis,& ſolers;latinas litteras domi didicit, vt Pontificii iuris notitiam adipiſceretur,in Italiam venit; Bononiæq; doctores canonum audiuit,atq; ibi à Ioanne vigeſimo tertio Pontifice ſummo, Colonienſi eccleſię pręfectus, cuius poſſeſſionem priuſquam aſſequi poſſet, decies centena millia auri nummum in bellis abſumpſit:nec minorem ſummam aduerſus Cliuenſem ducem bellum gerens(vt ante diximus)exponere coactus eſt:quæ res & ipſum,& Eccleſiam ad egeſtatem deduxere; cum pacem aſſecutus præterita reſarciret damna, rebus humanis exemptus eſt.Canonici ſucceſſorem ei elegerunt Robertum Baioarię ducem Federici comitis Palatini Germanum,ſperantes eum eſſe, qui Colonienſi & Maguntinæ eccleſiis pacem daret. Miſſi ſunt oratores ad Pium confirmationem petentes: Pio res ſuſpecta viſa eſt,cum propter fratrem Eccleſię Romanę infenſum hoſtem, tum propter electionem,quæ parum ſincera dicebatur:nec Federicus Imperator eam electionem laudabat eius viri,cuius frater hoſtis eſſet imperii: Accedebant & Philippi Burgundi preces nepotem ſuum,archiepiſcopum Lugdunenſem ad eam eccleſiam trāſferri petentis,nec de poſſeſſione dubitantis;cuius amici, & conſanguinei Colonienſem diœceſim ſuis principatibus vndiq; cingerent:quibus rebus factum eſt,vt prouiſio tam inſignis Eccleſiæ, aliquandiu dilatata ſit.

Quarti anni conſilia atq; inſtitutа belli gerendi in

Quartus interea iam currit annus belli, quod de Siciliæ regno gerebatur, & uer prope aderat,in quo expeditas vtrinq; copias prodire oportebat; nec dubium quin multo melior eius eſſet conditio partis,quę prior exercitum inſtruxiſſet, atq; in hoſtium

ſtium percutriſſet agros. Multa Franci minabantur, auri montes ſuis militibus promittentibus. Appropinquante vere nulla apparebant ſigna, quæ partibus Gallicis ſpem certam præberent. Pertinax odium in Ferdinandum, & conſcientia criminis, & vltionis metus fortem in aduerſis animum faciebāt: experiri omnia extrema animus erat, priuſquam reditent ad eum, à quo per proditionem defecerant. Pius Pontifex & Ferdinandus & Franciſcus Sfortia omnem in celeritate apparendorum exercituum ſpem victoriȩ collocant; nec dubitant quin priores ad bellum prodeant, cuius gerendi hoc conſilium ineunt: In Calabros quoniam eſſent hoſtes propemodum attriri, illud duntaxat afferret metum quod amici Ferdinandi copiarumque duces potentia & auctotitate pares alter alterius nollent imperium ferre; Alfonſum eſſe mittendum regis primogenitum, cui nemo parere dedignaretur, quamuis annis minori: Principem Tarenti frequentibus legationibus verbiſque blandioribus in officio retinendum. In Apulis eas equitum turmas retinendas, quæ hoſtiles incurſinnes prohibere poſſent: tum ſegetes in agris inimicorum corrumpere, falce magis quam enſe vtendum. In Terralaboris exercitum cogendum Eccleſiaſticorum, regiorum Sfortianorumque qui vt primum ematuruerint fruges, in agrum Theanenſem, Sinueſſanumq; ptorumpens ſpem meſſis auferat hoſti, abſtineat munitas vrbes atque arces inuadere, ne tempus incaſſum terat: frumenta corrumpat, pecuſque abigat: vbi cuncta vaſtauerit relicto Sinueſſe duce, quem Roſſani principem vocant, dimiſſis copiis, quæ ad tutandam regionem ſufficiant, rex Alexander, Antonius, duceſque reliqui vnitis viribus in Aprutium traiiciant, Ioannem Andegauenſem, & Iacobum Picininum vbicunque locorum fuerint oppugnaturi: impares illos tantis apparatibus haud auſutos congredi, in fuga ſpem poſituros. Quod vbi Aquilani ceterique Gallicarum partium amici populi animaduerterint, non expectabunt infeſta ad ſe ſigna conuerti: Ferdinando prius ſeſe dabunt, quàm requirantur: in reditu facile Sinueſſa, Theanumque, & aliæ hoſtium ciuitates fame laboraates capientur; ſic fututum vt æſtate proxima bello finis detur. Cum his mandatis Alexander Sfortia, Antonius Picolomineus, & Ioannes Comes, qui ad Pontificem venerant, remiſſi ſunt: ſtatuium quoque eſt ne interim Picininus in agtum Romanum excurrere poſſet, Neapuleonis copias augeri, qui ei eſſet oppoſitus. Auxit eius exercitum Pontifex ad turmas equitum vſque duodecim, & Rnberto fratri eius ſtipendia dedit, qui Matthæo Capuano iungeretur: alteram Aprutii partem defendenti ad Adtiaticum mare verſam: duas quoque turmas equitum ex Piceno accerſiuit, quæ Roberti, Matthæique copiis iungerentur. Cardinalis Theanenſis ad res Malateſtarum miſſus pecunias attulit, vt coactis quamprimũ copiis cum Federico Vrbinate, ceteriſque ducibus Atiminum pergeret obſidere. Hic ordo rerum inſtitutus poſtea mutatus eſt, quemadmodum res caſuſque tulit. Quis enim futura ſatis præuidit? Nulla mortalibus certitudo conſiliis ineſt.

regno, & in Piceno poſtea pro rerũ opportunitate mutata.

Ad hoc vſque tempus non viderat Pius Oſtia Tyberina, neque id mare, quod littus Romanum abluit. Inuitatus à cardinali Rothomagenſi, qui Oſtienſis eſſet epiſcopus, ſub monte Auentino nauem conſcendit, & quatuor cardinalibus comitantibus amne ſecundo nauigationem gratiſſimam peregit. Ripæ fluminis virebant hinc atq; inde gramine læto, floribuſque variis Maio menſe cuncta veſtiente, niſi qua veteris ruinæ manſere veſtigia, quæ pleriſque in locis tanquã parietes fluminis alueum coercent. Cum ventum eſt ad Oſtiam ſeptem maximi piſces in littore ſunt oblati, noſtra ætas ſturiones vocat, & in pretio habet, vetus nomen non inuenimus, niſi lupos Tyberinos hos fuiſſe vocatos quiſpiam voluerit; ducentarum & quinquaginta librarũ vnius pondus eſſe dixere. Oſtiam vrbem condidit Ancus ex priſcis Romanorum regibus tertius: fuiſſe olim magnam ruinæ probant, quæ multum agri occupant: mille circiter paſſibus à mari abfuit. Viſuntur dirutæ porticus, & columnæ iacentes, & ſtatuarum fragmenta: extant & veteris templi parietes marmore ſpoliati, qui nobile quondam fuiſſe opus oſtendunt. Cernitur & pars aquæductus, qui ex locis remotioribus ſalubrem vrbi inuexit aquam. Vetuſtiora vrbis mœnia, & ampliora iampridem corruerunt, & in anguſtiorem redacta formam, eccleſiam tantum cathedralem, & paucas habitantium domos clauſerunt: quorum pars in ipſis aquæductibus fundata fuit. Hæc quoque noſtra ætate Ladislaum Siciliæ regem deſtruxiſſe ferunt. Aperti

Pii ad Oſtia Tyberina amœniſſimus ſeceſſus, atq; eius loci, & Portuenſis iucundiſſima deſcriptio, & ingẽs ac terribilis tempeſtas.

ſunt magna ex parte muri, ædem ſacram, quam non ignobilem fuiſſe conſtat, incertum an vetuſtas diſiecerit, an violentia; pars tantum ſuperior extat, in qua eſt ara maior: ſub ea; Eugenio ſedente, pleraque ſanctorum oſſa reperta ſunt: inter quæ diuæ Monachę Aurelii Auguſtini matris corpus inuentum, Romam delatum eſt, & apud Auguſtinenſes reconditum, cui Maffeus Vegius poeta marmoreum locellum condidit, & verſibus adornauit. Domus reliquæ dirutę iacent: palatium epiſcopale Ludouicus Eugenii camerarius tecto cooperuit, & aliquantiſper inſtaurauit, neque aliud extat ædificium, quod inhabitare queas, pręter meritoriam quandam tabernam, & turrim, quam Martinus quintus excelſam & rotundam ædificauit ad loci cuſtodiam, ne vectigalia fraudari poſſent, & quaſi ſpeculam ne hoſtis aſcenderet improuiſus. Hanc ferunt (ſi vera eſt fama) multo ſublimiorem fuiſſe, quàm nunc eſt: ſubſediſſe agitatam terræmotibus aiunt, & vltra quàm hominis ſtatura eſt, intra viſcera terrę delituiſſe. Huiuſcemodi hodie Oſtia eſt: cuius magnum fuit apud antiquos nomen, Piſcatores pauci inhabitant è Dalmatia profecti, & turris cuſtodes. Ager in quo iacet triangularis eſt, partem mare abſtulit per duo millia paſſuum, nec minorem partem circuit Tyber: reliquam claudit ſtagnum in quo ſales fiunt. Aquæductus olim per medium ſtagnum ędificatus, hodie pontis vſum prębet, & per ipſum ab Oſtia rectum iter ad Vrbem pedibus patet. Olores in ripa & herba paluſtri oua ponunt, & pullos alunt, quorum greges viſere atque audire ſuaue eſt. Stagnum vix paſſibus quinquaginta abeſt à Tyberi, ita vt facile ſit ex peninſula veram inſulam facere: vbi latius ſtagnum cernitur, ſtadio patet, nec altitudine hominis profundius eſt: coanguſtatur cum mari appropinquat, & formam canalis habet hinc atque inde arboribus ſeptum, in quis dulce modulantur aues: mari haudquaquam coniungitur, niſi tumeſcente pelago: tunc enim arena, quæ inter ſtagnum & mare littus efficit, vndis tegitur, & ſtagnum inflatum cum mari idem efficit corpus. Tota peninſula graminea eſt, & vtilis pecori, quamuis pleriſque in locis, & pręſertim circa mare arenis abundat. Oſtium ipſum Tyberis maius triremes admittit, & naues onerarias non admodum magnas, verum cum periculo, quia non amplius tribus cubitis ſuper arenam efferri aquam ferunt, & arenam ipſam ſæpe mutare locum. Ob quam rem magiſtro opus eſt, qui loci naturam nouerit, pedotam vocant, eumque mercede conducunt. Si quis neglexerit auaritiã naufragio punit. Huic Oſtio obiectam fuiſſe Carthaginẽ tradunt, nec pluſquam quingentis millibus paſſuum abfuiſſe, aduectaſque ficus recentes inde Romam, propter quas argumentum ſibi Cato aſſumpſerit delendã eſſe vrbẽ, quę hoſtis populi Romani potentiſſima tam propinqua eſſet. Ioannes cardinalis, & epiſcopus Portuenſis, vbi accepit Pium Oſtiam petiuiſſe, ad eum nauigans, rogauit ſuam quoque eccleſiam viſitari: non negauit Pontifex. Ingrediũtur cardinales, & Papa nauigium vnum, & amne aduerſo trahuntur. Supra Oſtiam milliario ſecundo Tyber in duas partes ſcinditur: pars maior, & quæ multo ſuperat alteram, ad ſiniſtram decurrit Oſtiam verſus: pars minor ad dexteram flectitur, & in occidentem vergit, ſiue natura id iter inuenit, ſiue humana vis effodit: inſulam hæc duo Tyberis brachia non paruam efficiunt paſcuoſam, & bubalis apprime gratam. Eccleſia Portuenſis in ea iacet detecta; parietes tantũ extant, & turris campanaria ſine campanis nõ ignobilis. In inſula nullum eminet aliud ædificium; verum vbicunque effoderis, marmora inuenias, & ſtatuas, & columnas ingentis magnitudinis: marmora huc aduexiſſe è Liguſticis montibus, aliiſque regionibus mercatores ferunt, atque hic Romanis expoſuiſſe venalia, quorum fruſta multa iacent ſcabra & impolita, vniuerſa fere ſupercreſcente terra obruta iacent. Inſula plana eſt & herboſa ambitus decem millium circiter paſſuum: tempore pacis armentis plena. In parte Tuſciæ: qua minor Tyberis pars Thirenum influit pelagus, Claudius Imperator portum extruxit, circundato dextera ſiniſtraque brachio, & ad introitum profundo iam ſalo mole obiecta, quam quo facilius fundaret nauem ante demerſit, qua magnus obeliſcus ex Ægypto fuerat aduectus cõgeſtiſq; pilis ſuperpoſuit altiſſimã turrim, in exemplũ Alexandrini fari, vt ad nocturnos ignes nauigia curſum dirigerent. Turris adhuc extant veſtigia, quæ procul in mari cernuntur, reliqua funditus periere: huic propinqua vrbs Portuenſis à portu nomẽ ſortita, ſiue Claudii fuerit opus, ſiue Traiani, ruinę tantũ viſuntur

ſuntur

ſuntur: Extat porta vrbis nudata marmoribus, & pars murorum corrupta, cernuntur & Gentilium templorũ veſtigia,& Chriſtianarũ eccleſiarum cadauera: in medio nauale fuit,quod Traiani opus dicunt, & vulgo pro Traiano Troianum vocant multarum triremiũ capax, nunc ſtagni formã habet oppletum cœno: olim canale per duo millia paſſuum à mari portuque naues eduxit, & ſalſam dulci miſcuit aquam. Circa ſtagnum columnarum ordines nondum omnes cecidere, quibus alligari naues conſueuerunt prope adſunt fornices ad ſeruandas merces apti, & ampliora officinarum loca ad ſtruendas reparandaſq; naues idonea. Pamachius Patricius Romanus hoc in loco Xenodochiũ ædificauit, quem diuus Hieronymus commendat, cuius rei nullæ viſuntur reliquiæ. Vrbs olim deſtructa fuit, poſtea in formam caſtelli redacta, & id quoq; inhabitatum cernitur. Cardinalis Portuenſis ſuper ruinis dirutę vrbis tentoria fixit,& tabernacula ex ramalibus erexit;atq; in his Pium Pontificẽ excepit hilari vultu & alloquio blando, multa de Traiano locutus, cui ſucceſſiſſet Hiſpanus Hiſpano. Reuerſus Oſtiam Pius reperit piſcatores delphiũ quendam permagnum cepiſſe, quẽ quidam multis modis coctum auide comederunt:ceteri autẽ ad crapulam vſq; turionibus ſaturati fuerunt. Delphini captura ſignum futuræ tempeſtatis habitum:nocte quę ſecuta eſt,decimo octauo calendas Iuniũ hora circiter tertia, mare quod ſuperioribus diebus ſemper inquietum, atq; intractabile fuerat, longe plus ſolito conturbari cœpit,tempeſtas exoritur valida, auſter ab imis ſedibus pelagi aquas euoluit, fluctus immenſi euerberant littora,audiſſes quaſi gemens & vlulans mare. Vis tanta ventorũ fuit, vt nihil ei reſiſtere poſſe videretur; ſæuire inter ſe ipſos & alter alterum nunc fugare,nunc fugere:ſiluas & obſtantia quæque ſubuertere;coruſcare crebris ignibus ęter:intonare cęlum,& fulgura è nubibus terrifica ruere:ex quis vnum turrim percuſſit,& propugnaculum quoddam,ſimulq; campanã deiecit in terram, parumq; abfuit quin monachum quendam opprimeret ſomno ſepultũ. In proximo armenta boum ſtabulabãtur,& vaccæ fœtæ pro vitulis anxiæ horribilem mugitum emittere, ſiue tonitrua vererentur, ſiue lupos in tenebris formidarent. Nox obſcuriſſima, quamuis crebri micarent ignes,terrorem ingeminauit,& tanta vis aquarum è cælo cecidit, vt iam non pluuias, ſed diluuium diceres, tanquam ſtatuiſſet orbis conditor humanum genus ictum aquis inuoluere. Cum non eſſent in epiſcopali palatio, neq; in turri diuerſoria,quæ omnem Pontificis,cardinaliumque familiam capere poſſent,multi ſub tentoriis iacuere,& pars in nauibus quietem quæſiuit: inter quos ciues Romani fuerunt,& nonnulli ex familia Pontificis,& diſpenſator domus Rothomagenſis: Ii tempeſtate oborta cum ventus nauim agitaret,&pluuia carinam impleret,metu attoniti, quid agerent neſciebant. & diſpenſator quidem aquã fugiens, in aquã ſe proiecit parumque à ſummerſione abfuit: forte fortuna proximus ripæ funem apprehendit, & auxilium implorans:tandem adiutus, flumen madidus ac ſemimortuus exiuit. Vnus ex familia Papæ apprehenſo lumine, quod vnicum erat in naui, proſiluit in terram: Tum Romani in tenebris relicti, alter amplexari alterum, rogare ne relinquerentur: miſeros ſe dicere, quibus ſine lumine pereundum eſſet, ſuam fortunam lugere amariſſime, diem vltimum adueniſſe nõ dubitare; atq; ita complexi madidiq; rei exitum expectare. Tentoria ventus cuncta deiecerat:duo erant tentoria extra muros,in quibus familia Vicecancellarii decubuerat:hæc violentus turbo cũ arripuiſſet, obtrũcatis funibus,perfractiſq; malis prorſus dilacerauit,& malorum alter prope iacentis viri tibiã caſu percuſſit,ac pene diſrupit,fugere omnes tentoriis diſiectis,nec per tenebras licebat iter cernere. Vis nimbi inter carduos,qui multi locum obſederant,nudos impulit,& ſpinis vulnerauit aſperioribus:miſerabile viſu,eruenti tandem,& gelu rigentes, ac propemodum ſtupidi ad vicecancellarium peruenere in palatio iacentem, & horridæ tempeſtatis impetum formidantem,qui vbi ſuos vidit relictis tentoriis aduenisſe nudos,nũ ſalui ne omnes eſſent, & vbi poſuiſſent argentũ interrogauit, nec vnquam conſolatus eſt,niſi poſtquam omnes ſaluos eſſe cum argento didicit. Tremere in palatio cuncti,nemo ſuæ vitæ non timere, præter eos qui in cœna plus ſolito adbibiſſent, & in cubiculis humilioribus collocati fuiſſent, altiſſimo ſepulti ſomno nihil audiuere. Pius in cubiculo ſuo pro conſuetudine dictare aliquid cæperat, Auguſtino Patritio ſcribente, & iam quaſi horam nihil motus tempeſtatem paruifaciebat: at cũ

increbuiſſet nimborum violentia, & venti muros quaterent, nutarentq; parietes; totaque domus tremeret, & in tecto verſę tegulæ huc atque illuc taperentur, timere periculum cœpit, & aſpiciens parietes, ac laquearia, cum vetuſta omnia cerneret, vereretur que ne putreſacta corruerent, iuſſit Auguſtinum ſurgere, atque accerſire cubicularios, quibus aduenientibus: afferte, inquit, veſtimenta, vt domum exeam: negabant illi vtile conſilium eſſe, quia nec foris tuta manſio eſſet in pluuia vehementi, nec in palatio locus tutior cubiculo ſuo: At Pontifex minime, (inquit) ſapitis, ferenda eſt magis pluuia, quàm ruina domus: veſtite me cito ſub diuo tegar melius: muri fatiſcũt, & in cubiculo confiditis? Obediunt cubicularii: cum ſemiueſtitus eſſet Pius tempeſtas illico ſedata eſt, & omnes venti quieuerunt tanquam Pontifici veriti fuiſſent incommodum afferre, nec aliud auditum eſt quàm pluuia: & Pius mutato propoſito in lectulo ſuo quieuit. Patem tempeſtatem perpeſſus eſt eadem nocte cardinalis. Portuenſis in vrbe ſua commoratus, qui ruente tentorio, atque diſiecto ſub diuo relictus veſtimentis ſeſe operuit, atque ita pluuiam & noctem euaſit periculoſam: fuerunt & Romæ tonitrua non minora quàm Oſtiæ; Pontifex ſequenti die domum rediit, non ſine lætitia expectantis populi.

Ouium Aquilanorum maxima multitudo Apoſtolico fiſco ipſo iure applicanda, Pii liberalitate Aquilanis ingratis redditur.

Aquilani per hoc tempus gteges ouium, quæ in Eccleſię paſcuis maritimiſque locis hiemauerant, ad montana reducere ſatagebant: Pontifex violaſſe Aquilanos induciarum fœdera reſpondebat, qui Picinino Sulmonam obſidenti commeatus præbuiſſent, atque hoſtis copias in ſuis municipiis admiſiſſent, prædaſque coemiſſent in agris Eccleſię factas, & alia quamplurima aduerſus induciarum formulam datamque fidem patrauiſſent: propter quę pœnam aureorum quinquaginta millium ſæpe incurriſſent, oues pro pœna retinendas fore. Aquilani contra, liberas oues dicere, neque retineri poſſe ob inducias violatas, aliudve delictum, etiam ſi laſę maieſtatis crimen interciderit, ita cum publicanis Eccleſiæ fuiſſe conuentum, cum miſſæ ſunt oues: Procurator fiſci publicanorum eam poteſtatem eſſe negare. Rebus in contentionem deductis, Pontifex auditores ſacri palatii ad ſe quaſi ob aliam cauſam vocatos iuramento adigit, vt taciti veritatem inquirant, ſibique ſuum iudicium afferant, liceatne ſtante publicanorum conuentione, ob violatum fœdus Aquilanorum greges retinere. Illi tempus deliberationis expoſcunt, atque octo diebus inter ſe dubio diſcuſſo, Pontifici nuntiant in quæſtione propoſita quid ſit iuris compertum habere. Pius accerſitis cardinalibus publicum conſiſtorium edicit, & Aquilanorum legatos adeſſe iubet, atque in hunc modum affatur. Quamuis duobus de regno Siciliæ contendentibus, eum Aquilani complecti regem, venerarique debeant, cui ſancta ſedes Apoſtolica regnum decernit, immemor tamen honeſti, iuſtiq; ciuitas Aquilana, tanquam nihil in ſe iuris habeat Romana Eccleſia, Ferdinãdo à nobis rege declarato ſeſe oppoſuit, Rhenato eiuſque filio paruit: duces noſtros Ferdinando militantes armis aggreſſa eſt: Picinino agrum Eccleſię vaſtanti peditatum adiecit, nec verita eſt modis omnibus aduerſus dominum ſuum Romanum Præſulẽ hoſtilem ferre animum. Cũ noſtri ſuperiores in bello eſſent, diripereturque rebellium Aquilanorum ager, rogati ſumus bellum remittere atque inducias amplecti: Miſerti filiorum, ceſſare ab armis placuit, temporaneamque pacem Aquilanis elargiri: his adiectis legibus, ne hoſti cõmeatus miniſtrarent: ne Picinini exercitum intra ſuos fines reciperent; neve prædas emerent ex noſtris agris ereptas, ſi contraſacerent, aureis quinquaginta millibus totiens mulctarentur, quotiens delinquerent. His communi conſenſu conſtitutis, greges ſuos quoniã alibi per hiemem ſeruari non poterant, ad loca noſtra maritima miſerunt, fide publicanorum accepta, quòd nullam ob cauſam retineri poſſent. Poſt hęc bis terque violata ſunt ab Aquilanis induciarum fœdera: propter hoc diximus perdidiſſe Aquilanos oues. Vos oratores eorũ, quamuis delictum fateremini, violataq; pacta; negatis tamẽ retentioni ouium eſſe locum, publicanorum obſtante cõuentione: Nos rem omnem ad auditores palatii noſtri retulimus, qui rotam faciunt, orbemque iudicant, ab his audietis perdita ne ſint animalia veſtra: Dicite auditores quid tandẽ in hoc dubio ius decernat. Tum decanus rotæ vir grandæuus natione Hiſpanus, qui multos annos reddendo iuri in Apoſtolico palatio dediſſet operam: Adſumus, inquit, Beatiſſime Pater, capellani tui auditores rotę: fecimus quod mãdaſti, examinauimus diligen-

Digitized by Google

diligenter propoſitam quæſtionē, factum quomodo ſe haberet diligenter cognouimus: vidimus cōſtitutiones Apoſtolicę cameræ: vidimus conuentiones Aquilanorū & Publicanorū, quę ſuper mittendis ouibus interuenere: vidimus induciarū fœdera Aquilanorum notoriā rebellionē, & in te cōmiſſum læſę maieſtatis crimē, & inducias manifeſte violatas conſiderauimus: Inuenimuſq; publicanos tuos non potuiſſe promittere quę promiſerunt, neq; te illorum pactis aſtringi, quę decreta Cameræ prohibent. Quibus ex cauſis manifeſti iuris eſſe didicimus Aquilanorū oues abſq; vlla reprehenſione per te poſſe retineri. Exin Pontifex: Omniū veſtrum hæc, inquit, ſententia eſt, an aliqui contradixere? Aderat Sanctius vnus auditorū, & ipſe itē Hiſpanus atq; penultimus in collegio: is aſſurgēs, deinde genua flectens: Omnes inquit (vt ait decanus noſter) eius ſententię ſunt, quæ dicta eſt: ego ſolus diſſentio, & cur diſſentiā inter collegas dixi: Tum alii diſſenſiſſe quidē Sanctium à ſe dixerūt, verū diſſenſionis cauſam, quæ pondus haberet nullā adduxiſſe. Poſt hæc Pontifex: Audiuiſtis, inquit, oratores Aquilanorum quę ſit auditorū ſacri palatii ſententia. Oues veſtrę perditæ vobis ſunt, & factæ noſtræ: iure poſſumus illas retinere: quod ſi fecerimus, minor erit pœna veſtra, quàm delictum; nec quiſquā qui ſapiat dixerit non iure factum, quod primū in orbe tribunal iuſtum cēſuerit; poſſumus ab ingratis, & rebellibus filiis pœnā exigere: non faciemus: maior erit noſtra clemētia, quàm veſtra perfidia: Ite & animalia veſtra, quæ iure perdideratis domum reducite; dono ea damus reipublicę veſtræ, quamuis malemerenti. Diſcite inter Eccleſiaſticum & ſæculare imperium quantū interſit. Nemo qui regem quempiam offenderit, quemadmodū vos Eccleſiam offendiſtis, ab illo eam gratiam reportaſſet, quam vos hodie refertis à nobis: vos deinceps niſi prorſus fueritis ingrati, Romanam Eccleſiam abſtinebitis lędere. Reſumpſere ſpiritum Aquilanornm legati his auditis, qui prius quaſi attoniti quo tenderent verba Pontificis expectabant anxii, melioremq; longe ſortiti finem, quàm ſperauerant: confeſſi errorem ciuitatis ſuæ, Pontifici gratias egerunt. Admirati ſunt omnes liberalitatem Præſulis: nam ſupra centū millia ouium ea die donauit Aquilanis. Miſerat & ante aliquot dies Præſul ad Aquilanos protonotarium Bononienſem cum decreto Rotæ, vt in ſenatu ciuium perditas oues oſtenderet, ac benignitate Præſulis prioribus dominis recuperatas, quod ideo factum eſt, ne legati Aquilanorum ſuæ diligentiæ adſcriberent quod benignitate Pontificis erat factum: ſed nihil ea res Aquilanorum perfidiæ detraxit; acceperunt oues, nihil effecti meliores.

Euerſus Anguillariæ comes dum talia fiunt, nullo vnquā tempore perfidię ſuæ oblitus, multa in Pontificem machinatus eſt, ſi quo pacto perdere eum poſſet vel ferro vel veneno: Broccardum ad eam rem præcipuum Picinini cancellarium conſultorem habuit. Inuentæ ſunt epiſtolæ alterius ad alterum miſſæ, in quis plures modos tentatos fuiſſe conſtabat extinguendi Prēſulem: nōnullos adhuc tentandos. Reperta eſt & Petri Pazii Florentini epiſtola ad Euerſum, qui de nece Pontificis ab eo requiſitus, reſpondit ſe Gallis amicum eſſe, eorum cauſa nec fortunis ſuis nec corpori hactenus pepercíſſe: idem facturum deinceps; verum animam Deo ſeruare velle; Pontificis maximi inſidiari vitæ nulli fas eſſe, neque ſine animæ detrimento fieri poſſe: Deſineret poſthac ſimilia ex ſe quęrere. Venenum ſe Broccardus inueniſſe aiebat, cuius ſi vel modica portio ſellam tinxiſſet Pontificis, mox illi in ea ſedenti vitam eriperet: corrumpendum eſſe aliquem ex Pazalię ſatellitibus, quibus geſtare Pontificis ſellam mos erat: extincto Pontifice Ferdinandum prorſus periturum: Apud Andegauenſes manſurum regnum, ex quis Picininus, Euerſuſque cuncta quæ velint, obtenturi ſint. Cauit ſibi Pontifex inuentis his litteris quanto amplius potuit, quamuis diuinæ magis cuſtodiæ, quàm humanæ ſe credidit. Euerſus interea ex domeſticis ſuis quoſdam apprehendit, tanquam cum Gregorio Lollio de nece ſua tractaſſent, & apud Vetrallem patrem eum duobus filiis in puteo arido clauſiſſe, ibi fame perituros traditus eſt, ore ita obſtructo vt audiri nullatenus poſſent, alios aliis ſuppliciis peremiſſe. Quibuſdam proditionem confeſſis, quaſi clemens pepercíſſe, litteris per Italiam miſſis, quibus Pontificem ſuæ vitæ inſidiari diceret ignarus ſuos mores omnibus eſſe notos, qui cum ſe proditum dicit, cum prodere alios fruſtra tentauit.

Euerſus Anguillariæ comes Pontifici vitæ inſidias parat, & eorum quoſdam è ſuis quaſi Pontificis iuſſu ſibi inſidiantes ſupplicio affecit.

Pius interea celebrato in æde ſancti Petri Dominicæ Aſcenſionis feſto, inuitatus

apud Albanum gratiſſimum, & multorum locorum accommodata deſcriptio.

à cardinali Aquileienſi camerario ſuo, monaſterium ſancti Pauli, quod eſt in Albano viſere, vt ea vetuſtatis loca cognoſceret, non inuitus annuir. Profectus oo tris cardinales & domeſticam familiam ſecum aſſumpſit. Egreſſus Appia porta per viam, quæ ducit Neapolim, multas inter eundum ruinas contemplatus eſt, quarum præcipua fuit Hippodromi apud ſanctum Sebaſtianum, & magni confracti obeliſci, ad quem dirigere bigarum quadrigarumque curſus conſueuere, & Cæciliæ Metellæ ſepulchri nobilis: Bouiſcaput nunc vocitant: Villas deinde plurimas dirutas offendit, & aquæductus altiſſimis ſuſpenſos fornicibus ſępe interruptus, prope Albanum inter nemora Appia via reperta eſt atro ac duriſſimo ſilice ſtrata, & hinc atque inde frequentes ſepulchrorum moles inſtar turrium ſpoliatæ marmoribus. Ludouicus camerarius in Albano monaſterium aſſecutus ſancti Pauli, quod olim Honorius tertius Pontifex maximus gentis Sabellæ fundauit, iam dirutum inſtaurauit, Eccleſiam quæ ſine tecto fuit, reparauit, ædes egregias ædificauit: & vbi quondam lupos, vulpeſque cepit, hortos plantauit, & amœniſſimum locum reddidit: ibi fons perennis eſt, & nihilominus additæ ciſternæ ſunt, ex quis aquæ meliores haurirentur. Aer hic non inſaluber, quamuis marinis expoſitus ventis locus, qui ex Africa perflant. Hic animalia Ludouicus nutriuit diuerſi generis, inter quæ pauones aluit, & gallinas Indicas, & capras ex Syria vectas, quarum aures longiſſimæ fuerant, & late hinc atque inde pendentes, & vtraſque tegentes genas. Reformata eſt ſub Ludouico facies loci, & monaſterium reparatum; diſpar circa eccleſiam ſuam cardinalis Fuxenſis cura. Albam olim paruam fuiſſe vrbem crediderim, in qua regnauit Aſcanius Æneæ filius, & quæ de Scrofa albos enixa ſuillos cognomen accepit; ſextodecimo ab vrbe milliario diſtans. Illam deleuit Tullus Hoſtilius traducto Romam populo, & in monte Cælio collocato; inſtauratam deinde, & in ampliſſimam formam ædificatã fuiſſe conſtat, ſicut ruinæ murorum veteres oſtendunt, quæ non minus ſpatii ambiunt, quàm Bononiæ mœnia: à labro enim Albani lacus vſque ad caſtellum, quod nunc Albanum vocant, protendebatur: nec minor erat amplitudo. Extant veſtigia priuatorum & publicorum ædificiorum ex quadrato lapide raræ magnitudinis. Cernitur adhuc theatrum, cuius pars media monti cohærens in ipſo montis inciſa lapide vetuſta ſedilia retinet, formamque ſeruat integram, quamuis obſitam rubis: alteram partem ex cocto latere addiderunt fornicibus, qui adhuc extant innixam compluribus: aquarum conſeruatoria plurima & ingentia inſunt. Baptiſta Florentinus ex Albertorum familia vir doctus & antiquitatum ſolertiſſimus indagator ſupra triginta inueniri tradidit, quæ inter vepres ruboſque latitant; Pius quatuor inſpexit ingentis amplitudinis nondum collapſa. Henricus tertius Teutonicæ gentis Imperator maiorem Albam ſubuertit vltimus. Super ruinis caſtellum ædificauerunt Sabelli parui ambitus, quod noſtra ætate patriarcha Alexandrinus deſtruxit, cum Eccleſię Romanæ eſſet infenſum: id nunc reparatur, & iam defendi poteſt. In eo palatium Aſcanii adhuc manere dicunt: falſa res eſt: thermæ fuerunt Imperatorum opus magnum ac ſublime: altiſſimi fornices extant, vnde calefactę defluxerunt aquę veſtigia oſtentantes. Amplitudo thermarum ea fuit, quę nunc Albani eſt, cuius muri ab ipſis ruinis robur accipiunt. Cernitur ad eam partem, quæ reſpicit Ariciam quadrata moles exteriori ſpoliata muro, è cuius ſummitate quinque aſſurgunt pyramides forma rotunda ſublimes, quarum tres ſectis lapidibus, quibus veſtitæ fuerunt, nudatæ cernuntur: duę adhuc ſuum retinent ornamentum, quamuis inimica rerum vetuſtas nõnullos lapides ita commouerit, vt ruinam minentur, & in pleriſque locis infenſam muris inſeruerit caprificum. Hunc vulgo tumulum eſſe aiunt Curiatiorum, qui pro libertate certantes cum Romanis Horatiis trigemini pugnauerunt, atque in pugna ceciderunt: aiuntque duas pyramides additas propter duos Horatios, qui ſimul corruerunt: Quod nobis non fit veriſimile: trigemini enim inter Romam & Albam pugnantes cecidere, vno ſeruato, qui patriæ victoriam peperit: vbi res geſta eſt illic titulos erexiſſe maiores crediderim & vbi ſunt inuenta cadauera, aut certe non procul inde tumulos excitatos, Albam ex vrbe petenti tres moles oſtenduntur vetuſtate corroſæ, quas cenſent Curiatiis fuiſſe dicatas: in agro enim Albano iacent. Retro Albam qua perflat ſeptentrio lacus Albanus in valle profunda latitat, quem hodie Caſtelli

ſtelli appellant à Caſtello Gandulfi Sabinorum, quod illi ſupereminet, olim à patriarcha deſtructũ, nunc inſtaurari cœptum. Pius eo ſe cõtulit, ſi quid ineſſet vetuſtatis inſpecturus. Mira eſt eius lacus amœnitas, vndique rupibus cingitur altioribus, quarum quæ minor eſt Romam verſus ſtadii deſcenſum habet: aliæ multo altiores ſunt, & inacceſſibiles: ſiluæ omnia tegunt, in quis multa eſt ilex omni tempore virens: forma lacus quaſi oui, paulo longior quàm latior: ambitus quinque millibus paſſuum panditur; aptiſſimus naumachiæ locus, quam ſpectare infiniti populi queant: aquæ perſpicuæ, & piſces alunt optimos, pręcipue vero anguillas eximiæ magnitudinis. Profunditatem lacus quidam immenſurabilem dicunt, cuncti maximam ferunt. Traditũ eſt bello Veiẽti vatẽ Hetruſcum dixiſſe, ſi emitteretur aqua ex Albano lacu futurum vt Romani Veiis potirẽtur. Factum eſt emiſſorium maximi operis, & mons ipſe Albanus haud minus duo millia paſſuum perforatus, ex qua re ingẽs vtilitas emerſit: molæ conſtructæ ſunt, quę perpetuo agitantur, anguillarum inuenta captura, agri ſitientes humefacti, lacus ne creſceret cohibitus. Aquam inde egredientem Blõdus hanc eſſe ait, quæ ad ſanctam Anaſtaſiam tertio ab vrbe milliario decurrit, ac paludẽ efficit, quam vocant ad aquas ſaluias. Pius vtrinq; locum ſpectauit, & qua egreditur aqua lacus deductum foramen, & qua ingreditur, vtrumque dignum admiratione. Vidit & ſpeluncam in ſaxo defoſſam muris vetuſtioribus amplificatam, tẽpli faciem præſeferentem, & loca in quis idola fuiſſe apparet: antrum dixeris, quod ab occidentali parte adiacens lacui Driades habitauerint. Media ſunt inter lacum & antrum prata ſatis ampla, ſiue nundinarum locus, ſiue ſacrificii fuit aut ſpectaculi, nihil ei ad voluptatẽ defuit. Hinc Pontifex Albam redijt, & ſequenti die ad viſendum lacum Nemorenſem cuius ingentes acceperat laudes ſeſe contulit Appia via profectus, quæ adhuc ſtrata cernitur, formoſior in pleriſque locis, quàm Romanorum florente imperio fuerit nucis auellanæ frondentibus, atque admodum menſe Maio virentibus circum ſupraque tecta. Iter natura gratiſſimum præbuit quamuis arte ſuperior. Antiquæ ruinæ ad ſiniſtram in monte manſere, ſub quo reliquiæ veterum cernuntur ædificiorum, quas Bouillas dicunt, & locum eſſe tradunt, vbi Clodium occiderit Milo. Aquæ ibi recentes ſcaturiunt, & agri ſunt vberes: à dextris mille circiter paſſibus ſtagnum cernitur, cui Aricino lacui nomen impoſuere. Aſcenditur deinde mons, in quo Cynthianũ caſtellum ſedet Columnenſis familiæ à Cynthia dictum, quam & Dianam gentilitas appellauit, ſub eo Nemorenſis lacus iacet, quem & Dianæ ſpeculum priſci vocauere latini: neque ab re; ſpeculi enim orbiculati formam gerit; & aqua in modum vitri perlucida intuentis reddit imagines, vallem profundam occupat, in quam deſcenſus præceps haud minus quàm duo ſtadia continet à ſummo vſq; ad imum nemoroſus: Ambitus duo millia paſſuum, aut paulo amplius complectitur. Circa lacum vndiq; via eſt, quam poſſis deambulare, & planities non æqualis, vbi minor eſt decem paſſibus coarctatur; vbi maior in ducentos aut eo plures extenditur: deinde rupes incipiunt, & arduus in montes aſcẽſus. Omnis planities & omnis rupes vſq; ad ſupercilium montis arboribus fructiferis tegitur: partem caſtaneæ tegunt pulcherrime virentes; partem maiores nuces in ordinẽ poſitæ: auellanæ partem. Adſunt & mali diuerſi generis altiores, & ſub his humiles meſpili aſſurgũt, & pirorũ plantę, & quæ cotonea ferunt, & quæ pruna; ſub his vmbrę ſuaues, & inacceſſa ſoli virentia prata, nullis impedita ſentibus. Cum ferax eſt annus hinc poma in vrbem, quæ plebi ſufficiant afferuntur. Nihil per æſtum his vmbris delectabilius inuenias, aptiſſima poetis deambulatoria, nuſquam excitabitur vatis ingenium, quod hic torpuerit: muſarum domicilia dixeris, nympharumq; tecta: &, ſi quid ineſt verum fabulis, Dianæ latibula. Sub caſtello quod Nemus vocitant, & è regione Cynthiani, in altero labro lacus ſedet, gelidæ & admodum perſpicuæ erumpit aquæ fons, & in lacum decurrit adeo largus & exuberans, vt piſtrinorum molas quamplures ſuo caſu toteret. Caruit & hic lacus exitu: Romani emiſſorium perfoſſo mõte magno labore & longo itinere perfecerunt, vnde aqua in lacum Aricinum decurrit tantæ magnitudinis, quantam amplexari vlnæ hominis queant. Quidam hinc fontem habere Numicum amnem exiſtimant, in quo Troianus diſparuerit Æneas: quod minime verũ putamus: prius.n. Numicus Æneam abſorpſit, quàm lacus

emiſſorium factum fuerit: potuit tamen hęc aqua in Numicum poſtea decurrere, cuius adhuc ſtagna cernuntur mari proxima non procul ab Ardea. Iulius Cæſar iuxta lacum ad occidentalem partem villam ædificauit, nec reſpondentem expectationi iuſſit deſtrui: ruinę adhuc extant: delitias hic Romanorum fuiſſe præcipuas multa indicant, maxime vero nauis, quæ noſtra ætate reperta eſt in fundo ſummerſa lacus vlnis fere ſub aqua duodecim. Proſper cardinalis Columna accerſitis ex Genua nautis, quibus ſub aqua degere non fuit difficile, extrahere nauem aggreſſus partem perfractam eduxit, quę formam & compaginem indicauit: corpus ex ligno larice compactum, tris digitos craſſitudinis habuit, pars exterior bitumine oblinita fuit: tum ſericeus pannus ſiue crocei, ſiue rubri coloris adiectus, hunc plumbi laminæ operuerunt, clauis æneis, quorum capita deaurata eſſent, ita cohærentibus affixæ, vt nulla poſſet aqua ſubingredi: pars interior ne poſſet igne ſuccendi poſt bitumen, incruſtationem habuit ex mixtura ferri & argillæ, qualem noſtra ingenia non intelligunt, & ea tantæ ſpiſſitudinis fuit, quantę & materia interius clauſa, ita vt perſpicuum eſſet ab igne tutum nauigium: & carina quidem corpuſque nauis in ſua digeſtum membra ita compactum apparuit, cuius longitudo haud minor viginti cubitis fuit, latitudo quæ longitudini conueniret. Supra nauim ædificatam fuiſſe domum exiſtimant, qualem vidimus in Pado Borſii Ferrarienſis: aut in Mintio Ludouici Mantuani: & qualibus in Rheno principes electores vtuntur: Qui nantes ad ima lacus deſcenderunt, aiunt in fundo nauis arcam ferream ſeu cupream ſe vidiſſe, quatuor annulis colligatam & hydriam fictilem, cuius coopertorium æris deaurati fuerit. Hoc opus Tiberii Cęſaris arbitrantur, eo quòd in lacu fiſtulas plumbeas quamplures inuenerint, in quis ſcriptum eſſet litteris maiuſculis Tiberius Cæſar. Pius Pontifex trabes ex ipſa naui ereptas in littore vidit ligni laricis, quod abiegno conſimile eſt. His non ſine voluptate perſpectis Cynthianum aſcendit, neque intrauit caſtellum, ſub ipſis portis iter habuit. Plebs obuiam effuſa benedictionem obtinuit, quam optauit: Vidiſſes grandæuos ſenes præ lętitia lacrymantes, qui ſeſe ipſos amplexantes, aiebant: & quis putaſſet nos antequam moreremur his in locis Romanum Pontificem ſpectaturos? Deus hac gratia nos donauit. Cum rediret Appia via Pontifex inuenit diligentia Romanorum locum, qui fuerat aſcenſu difficilis factum facilem, hinc præciſo monte, inde muro ex quadratis ampliſſimiſque lapidibus erecto, qui viam retineret. Hic, homo lapides effodiebat, viamque deſtruebat ex ingentibus ſaxis parua fruſta conficiens, quibus apud Cynthianum domum extrueret: hunc Pontifex acriter increpauit, mandauitq; principi Columnenſi Cynthiani domino, ne deinceps viam publicam tangi ſineret, quæ ad Pontificis curam pertineret. Reuerſus Albã poſtera die ad nemora inferiora deſcendit ſpectatu digna ſub caſtello, quod Sabellum vocãt: vnde Sabellę familię nomen inditũ. Hic Iuturnæ lacum inuiſit, in quo Turni ſoror audita illius morte ſeſe præcipitaſſe traditur, & huius ſtagni, ſiue lacum eſſe velis, nullus apparet exitus, profunditas parua eſt, & ambitus paruus: piſces tamen alit non paucos. Poſt hæc rogauit Pontificem Adoardus Marſiæ dux familiæ Columnenſis, Arcem quam Papæ vocitant, vt accedere dignaretur, & ſi placeret loci amœnitas, ibi ęſtatem ageret: annuit Pius Pontifex mortuo cardinali Columna, vt intelligerent omnes nihil minus Columnenſe genus Pontifici carum eſſe. In itinere monaſteriũ ſanctæ Marię Palatioli cognominatũ inuiſit ibiq; Miſſarum ſolemnibus interfuit. Eccleſia eſt vetuſti operis non magna vno contenta fornice, cuius veſtibulũ marmoreis nitet columnis: inſunt monachorũ habitacula, & officinę opportunę quãuis parum nitidę, & vetuſtate corruptæ. Imminet locus Albano lacui. Saxum exciſum eſt ad tantum ſpatium, quãtum monaſterio neceſſe fuit & horto. Speluncę quoq; ſuffoſſę ſunt: aquarum vis magna bis ſcaturiit, & fontes perlucidi viuaria implent piſcium. Delectabile eſt ſub ęſtu frigidas & bullientes aquas cernere, quę per fiſtulas emiſſæ ſublime ſaliunt, & ad omnia monachorum opera præſto adſunt: vltra hortum quem pulcherrimę excoluerunt, antrum eſt ante meridię ſemper vmbroſum inſtar aulæ, in qua plures poſſint apparari menſę: illinc quoq; fons largus emanat perſpicuę perennis lymphæ, quæ iuxta piſcinam implet. Iſidorus cardinalis

Ruthe-

Ruthenus cũm per ęſtatis caumata eo profugiſſet, in hoc antro plerumq; prandium fecit. Olim Carthuſienſes inhabitarunt, æſtiuum Romæ fugitãtes aerem, nunc ſancti Franciſci monachi tenent, quibus obſeruantia regulę nomen dedit. Aditum ad monaſterium perangustum pauci facile cuſtodiunt, à dextris altiſſima præcipitia in lacum tendunt, à ſiniſtris ingens ac ſublime prominet ſaxum, in quo viam ferro excidit antiquitas: Priuſquam monaſterium ingrediaris ſtat rupes alta pro muro ſiniſtræ partis, in qua faſces conſulum Romanorum, & duodecim ſecures pro veteri cõſuetudine ſculptę fuerũt, ſex hedera cooperuit: ſex adhuc viſuntur. Pius hederã iuſſit amoueri antiquitatis memorię fauens. Hinc ad Arcempapæ ſe contulit, quę in alto ſita mõte munitiſſima eſt, & loci natura, & ope humana. Proſper Columnenſis multum adiecit roboris: vna ex parte oppugnari poteſt, qua itur ad altiores montes, quamuis ſaxum natura obiecit, ſuper quo turris ingenti murorum mole excitata eſt: reliquas partes fruſtra tentauerit hoſtis, quæ oppido imminent in pendenti rupe collocato. Exceptus eſt in Arce Pontifex blando & benigno ducis vultu, factoq; ibi prãdio exiuit in prata, quæ latiſſima patent ante Arcẽ: tum gramine cuncta virebãt & floribus: deinde in ſiluas ꝓceſſit auellanæ nucis, ſub quibus vmbræ ſuaues: mox caſtanea multa ſucceſſit, & diuerſi generis arbos: pratis atq; Arcipapæ collis ſupereminet mille circiter paſſibus altior, & qui omnia ſuperat circumſtãtia iuga. Hũc Põtifex aſcendit: in cacumine planiciẽ reperit, ſtadium aut amplius paulo in circuitu complexam antiqui per ambitum muri fundamenta extant, & ſaxa ingentia ferro expolita, & ſacellum in medio dirutum, ſuper cuius ruinis Dalmata quidam eremitorium ſibi cõſtruxit cõgeſtis ſine calce lapidibus. Hic olim fuiſſe aut caſtellum aliquod aut villam potentis cuiuſpiam Romani indicio eſt ſtrata per montem via Appiano ſilice, quæ vſque ad ſummum cacumen adhuc integra perſeuerat. Nonnulli Gabiorum arcẽ fuiſſe coniectant, quia montẽ Cauarum vulgus appellat, quaſi Gabiorũ per corruptionẽ dicere velit. Excelſitas hinc patet quod Amiatæ montem non obſtante Cimino, qui medius interiacet inde cernere licet. Conſedit Pontifex aliquantiſper cum cardinalibus, & maritimam contemplatus plagam à Terracina vſq; ad Argentarium montem omne littus Eccleſiæ metatus eſt oculis: intuebantur Centumcellarum iuga quę nouo alumine noſtram ætatem ditant, & vſq; ad Romanum portum, Thuſcorum frequentia littora: Tum Oſtiam in latio, & in morem anguis labentem Tyberim varios per plana flexus agentem. Vidit & Ardeam Turni patriam ſiluis vndiq; cinctam, & mare verſus ſtagna Numici, ex quis tantum libari Veſtæ fas fuit: & Aricinæ ruinas, vnde matrẽ Auguſti ortam memorant, & in colle ſitum Lauinium à Lauinia dictũ latini filia Aeneę cõiuge: Vidit & in littore maris Neptunium in Antii ruinis ædificatum, cuius populus piſcatione venatu & aucupio viuit: vere coturnices ex Africa redeũtes allectas fiſtula retib. capiunt: triginta diebus aucupiũ durat: captura vnius diei ſæpe cẽtũ millia coturnicũ interficit. Capitur & ibi vis magna palumborũ, cũ trãſuolare mare, Italiamq; relinquere parãt. Vertit & oculos Põtifex ad Circei culmina mõtis, & iuga fabuloſa, & Pontiã inſulã Alfonſi regis captiuitate nobilitatã, & ipſam deniq; Terracinam, quam Volſci ſua lingua Anxur vocauere Nemorenſis lacus, & Aricinus, & qui de Iuturna nomen habuit, & Albanus haud aliter de monte cernebãtur, quã ſi ſuper eorũ labiis cõſederetur: indeq; & magnitudinẽ & formam ad verum cognoſcere licuit, & interiacentia ſpatia, quę frondoſis eo tempore ſiluis, herbiſq; tecta virentibus, varios atque iocundos expreſſere colores. Maxime vero geneſta placuit, quę flore ſuo magnã cooperuit camporum partẽ. Roma deinde in conſpectu ſe tota obtulit, & Soracte, & ager Sabinus, & Apenninum iugum niue candidum, & Palumbaria, & Tybur, & Præneſte, & in agro quem nunc Cãpanum appellãt, plurima loca. Cernebatur & lacus Regillus, quem hodie Griphorum paludem vocitant. Tuſculi quoque ruinæ in conſpectu fuere: Romani vrbẽ deleuere poſt acceptam cladẽ ſub Federico primo, quam ferunt fuiſſe maximam: regiam ibi magnificentiſſimi apparatus fuiſſe Strabo commemorat, cuius adhuc fundamenta viſuntur fornicibus innixa quamplurimis: tamen non procul Molara deſerta iacet. Cernitur & Rocchaprior Sabellis parens, & Lucullanum L. Luculli quondam villa, Fraſcatum hodie dictũ: & Marianum, quod Marinum appellant, Columnenſis familiæ oppidum, ſexdecim

ſtadiis ab arce remotum. Pontifex omnibus è monte conſideratis, in Arcem rediit, ibique pernoctauit. Exin ſummo diluculo ad Criptam ferratam ſe contulit. Id vetus monaſterium eſt in agro Tuſculano ſitum, Marianum inter & Lucullanum, quo in loco Ciceronis villam fuiſſe putant, & ibi quæſtiones Tuſculanas editas. Cœnobium monachi Græcanico ritu barbati colunt, diuinaſque laudes, & officia græce canunt. Templum vetuſtum nobili opere conſtructum glorioſæ Virginis reginæ cælorum, cui dicatum eſt, effigiem pulcherrimam ſeruat in tabula pictam, Græcanicum, Lucæ (vt perhibent) opus Euangeliſtæ, ad quam viſendam Septembrio menſe ſingulis annis frequentes cóncurrunt populi: quo tempore & nundinæ fiunt. Aquam monachi more Græco in feſto Pentecoſtes purificant, & in Eccleſiæ veſtibulo vaſe marmoreo clauſam toto conſeruant anno, febricitantibuſque concedunt tanquam febris expultricem. Habitacula monachorum, & abbatis ſeorſum egregia ſunt, & horti olerum pulcherrimi, & qui cetera ſuperat fons frigidus ac largiſſimus ante veſtibulum eccleſiæ ſcaturiens ad omnes officinas deriuatur, & piſcinam implet late patentem. Huic monaſterio præfuit abbas Calaber, homo litigioſus, verum qui multa per iudicium recuperauit amiſſa: Romani hunc infeſtum habuere, cum poſſeſſiones eorum vetuſtas perturbaret, & antiquas ſopitaſque dudum lites pergeret excitare: Pius eum in Siciliam tranſtulit, ibique fecit Archimandritam: Criptam ferratam Beſſarioni cardinali Nicæno commendauit, qui monaſterium ipſum nouis ac pulcherrimis ædificiis inſtaurare cœpit. Pontifex hic prandium peregit, deinde præter opinionem omnium æſtu iam excitato, via Latina inter multas veterum ædificiorum ruinas Romam repetiit: & Lateranenſem ingreſſus eccleſiam apud aram maiorem cum paulullum oraſſet inſpexiſſetq; templi tectum, cuius magnam partem reparauerat, reliquam reparari mãdauerat, per vias Vrbis inhabitatas transſtyberinam regionem intrauit, & deinde in palatium ſe recepit apud beatum Petrum, in cuius æde ſequenti die ſacram Pentecoſtem ſolemni pompa celebrauit, & populo benedixit.

Blondi Flauii obitus, eiuſque opera.

Pridie nonas Iunias huius anni Blondus Flauius obiit hiſtoriarum ſcriptor egregius, natione Forliuienſis, qui diu ſecretarium Apoſtolicum geſſit, & Eugenio quarto Pontifici maximo acceptiſſimus fuit, ab Honorio Arcadioque Cæſaribus (quo tempore inclinaſſe Romanum imperium memorant) vſque ad ætatem ſuam vniuerſalem ſcripſit hiſtoriam, opus certe laborioſum & vtile; verum expolitore, emendatoreque dignum. Procul Blondus ab eloquentia priſca fuit, neque ſatis diligenter quæ ſcripſit examinauit, non quàm vera, ſed quàm multa ſcriberet curam habuit. Si quis aliquando vir doctus ſcribendi peritus opera eius emendare, atque ornare decreuerit, haud parum vtilitatis poſteris afferet, & ſe ipſum clarum efficiet: multarum ætatum geſtis, quæ propemodum ſepulta ſunt, in lucem redditis.

Idem fortaſſe de nobis dixerit aliquis; neque ab re, qui etſi vera ſcribimus, elegantiarum tamen expertes indigeſtam & rudẽ teximus hiſtoriam. Alius olim fortaſſe inuentionib. Blondi, noſtriſq; lucem dabit, & alieni laboris fructum metet. Extant & alia Blondi opera non paruæ vtilitatis, quamuis caute legenda ſunt, ne falſa pro veris accipias; in pluribus enim erraſſe deprehenditur. Scripſit Italiam illuſtratam, Romam inſtauratam, & eandem triumphantem, quam paulo ante obitum abſoluit. Mortuus eſt Romæ pauper vt philoſophum decuit, familiam bene inſtitutam reliquit vtriuſq; ſexus. Patrimonium quod habuit tenue, dotium cauſa inter feminas diuiſit: maſculis præter doctinam, bonoſq; mores nihil reliquit; id morienti ſat fuit eius ætatis filios dimiſiſſe, qui ſibi ipſis conſulete poſſent.

Pius laborantibus Hungaris ab eorum legatis requiſitus ſuppetias mittit.

Legati per hoc tempus Matthiæ regis Hungariæ Pontificem adeunt. Albertus epiſcopus Veſprimienſis, & Stephanus Segniæ comes: ſtatuiſſe Turcas Hungariã inuadere dicunt, nec vires Hungaris eſſe, quibus tãti hoſtis propulſare impetum queant: periiſſe ſuperioribus bellis omne robur exercitus: regnum nec vires habere, nec opes, niſi externa inueniant auxilia, nullã ſpem ſupereſſe ſalutis: orare Pontificẽ rebus afflictis vt opem afferat, ſimulq; reliquos Chriſtianos hortetur, ne Chriſtianæ religionis murum expugnati ſinant: murum eſſe Chriſtiani nominis Hungariam affirmant,

mant, quo perfracto facile pateat in omnes Chriſtianorum prouincias Turcis iter. Occurrendum prius quàm porta pateat hoſtibus. Pius collaudata Hungarorum conſtantia, qui annis ſupra octuaginta cum Turcis pro religione certauerint, ſtipendia equitum mille miſſurum ſe regi pollicetur in annum præſentem: hortaturumque reges, qui proximi ſunt, vt arma coniungant: in annum ſequentem ſpem longe maioris auxilii præbet: dum medio tempore ſibi ipſis & reipublicæ non defuerint Hungari. His ſponſionibus legati fiduciæ pleni domum rediere, vbi res multo deteriores inuenere, quàm dimiſerant regno Boſnæ à Turcis interea ſubacto.

Boſnenſe regnum à Turcis occupatur, rexq; gladiis contra datam fidem obtruncatur.

Boſnenſe nomen apud veteres nõ inuenimus, nouum eſt à Boſna (vt arbitramur) fluuio receptum, qui regnum Boſnæ interfluens, Sauum influit. Prouincia vero Boſnenſis à Moeſia initiũ capiẽs Occidentem verſus, media inter Pannoniam, & Dalmatiam procurrit. Rex genris nouus tributum, quod ſui maiores iampridem pendere Turcis conſueuerant incertum qua ſpe fretus petentibus recuſauerat, & oppidum quod ad cõfluentes Sauum, Boſnamq; hoſtes cõſtruxerant, Sclauis & Hungaris magnopere formidandum expugnauerat; ea contumelia permotus Maumethes Turcarũ Imperator virus, quod in Hungaros, aut alios exiſtimabatur concepiſſe, in hunc regẽ euomit: Quod cum ille accepiſſet mœſtus ac pauid⁹ accerſito Nicolao Modruſienſi epiſcopo, qui tum forte Romani Præſulis in regno Boſnæ legationem gerebat: Tu me, inquit, legate his merſiſti malis: qui eouſque tuis cõnſiliis perpuliſti, vt Imperatoris potentiſſimi, cui vix queat orbis reſiſtere, auſus fuerim oppida expugnare: aufer quod intuliſti periculũ. Cui legatus: Sine, ait, in Hungariã proficiſcar; mox adero cum certis, & validis auxiliis, tu modo in fide permaneas. Cõceditur eundi facultas: epiſcopus Hungaros adiit, & Apoſtolicæ ſedis nomine pereuntis Boſnenſibus opẽ implorat. Hungari exercitum cogunt, Sauoq; propere trãſmiſſo, hoſtẽ à tergo laceſſere ſtatuunt, ſi forte retrahi ab incepto poſſit. Vtile conſiliũ perfidia intercepit: vnus ex Turcarum ducibus, Baſſam vocant, decimo quarto calendas Iunias ingentibus præfectus copiis ſub oppido Bobazio, quod regni Boſnæ caput fuit, caſtra locauit, poſtridie Imperator conſecutus eſt: Radaces Manichæus olim, deinde Chriſtianum mentitus, oppido præfectus erat: is pretio corruptus hoſtem intra mœnia recepit, ſuaſitque cuſtodibus arcis, ne Turcis rerum dominis reſiſterent. Tradita eſt arx munitiſſima, quæ facile poterat biennio defendi, nulla re indigens. Imperator præter opinionẽ potitus oppido ad perſequendum regem cum parte copiarum Baſſam mittit triginta millibus paſſuum rex aberat in oppido, quod Lazi vocant: eo namq; Turcarum aduentu percepto, cum theſauris confugerat Dalmatiam petiturus. Baſſa cum veniſſet Lazi, abiiſſe regem inuenit, eumq; magnis itineribus conſecutus in caſtello Elutio clauſit, & arcta cinxit obſidione. Ille quarta demum die fame & ſiti coactus, ſeſe cum omni theſauro, quem quinq; reges tot annis congregauerant fidei Baſſę credidit: quẽ Imperator ad ſe ductum multa ſpe demulcens, facile induxit, vt oppida, quæ in ſua poteſtate reſtauerant, reddi iuberet, plura & meliora à ſe deniq; expectaturus: Scribitur præfectis arcium, claues, munitioneſq; tradant: parent omnes, atq; ita octo ferme dierum ſpatio amplius ſeptuaginta natura, & arte munitiſſima oppida, & auri amplius quàm decies centena millia nummum ex Chriſtianis opibus in manus hoſtium peruenere, quamuis non tam re quàm nomine Boſnenſes Chriſtianum ſibi nomen vſurpauere. Raptę matronæ, atq; virgines, templa ſanctorum diruta: Viri religioſi omni contumeliarum genere affecti: nobilitas omnis ad ſeruitium in Aſiam miſſa: regi paucis poſt diebus caput abſciſſum, & cum eo alti ſanguinis pleriq; necati. Poſt regem ſecundum in Boſna caput dux Stephanus fuit, ſubditorum numero, atq; auro potens, verum Manichęorum infectus hęreſi: filius eius cũ patris imperium ferre non poſſet ad Turcas defecit, quorum armis adiutus patrem bello perſequi cœpit: eumq; virib. imparẽ ad inſulas Dalmatiæ fugere compulit. At vbi regem Boſnæ contra fidem necatum animaduertit, veritus Turcarum ſæuitiam, patri reconciliatus eſt, & cum eo ad munitiora loca ſe cõtulit. Regina Boſnæ dum perdito regno, viroq; capto ab hoſtibus, furorẽ Turcarum fugitat, in manus Pauli cuiuſdã Sclauoniæ Ba-

ni peruenit, à quo tanquam hoſtis eſſet, captiua tenenta eſt, quamuis ad eum, quaſi hoſpitem declinaſſet. Ipſe vero non multo poſt dum Turcis agrum ſuum vaſtantibus occurrit, cum quingentis nobilibus circumuentus, ab illis occiditur, atque ita violati hoſpitii pœnas perſoluit. Bacchari vndique per Boſnam Turcæ: abdita quæque ſcrutari, nihil intactum relinquere: vicinas regiones incurſare, atque prædari. Prope rex Hungariæ aderat cum copiis, qui vbi per transfugam inſidiari ſibi Turcas accepit, inſidias contra tetendit. Turcarum ducem quendam cum quatuor millibus militum circumuenit, congreſſuſque vertit in fugam, ac perſecutus trucidauit fere omnes. Hoc tantum ſolamen poſt amiſſum Boſnæ regnum Hungaris datum.

COMMEN-

COMMENTARIORVM PII II. PONT. MAX.

LIBER DVODECIMVS ET VLTIMVS.

Sorani dux à Pii exercitu Sora & maxima agri ſui parte mulctatus pacem petit.

NEAPOLEO dum ea geruntur Eccleſiaſtici ductor exercitus coactis duodecim equitum turmis, ac mille fere peditibus in agrũ Soranum ducit Petri Cantelmi ſuperbi atque inſolentis ducis, qui iampridem Pio Pontifici fuiſſet infenſus, temeritatem cor recturus; ac prima incurſione caſtellum adortus Caſale vi capit, militique tradidit diripiendum, lateque vaſtat agros,& iam matureſcentes quaque verſum corrumpit ſegetes. Inſulani primi agrorum vaſtitatem perpeſſi, deditionem faciunt, ſtulto conſilio, qui non ante ſe dediderunt: id eſt oppidum agris Eccleſiæ conterminum, aquis vndique cinctum, profluentibus ripis altioribus. Fluuium quod ambit inſulam Viridem vocant, aut Lyris hic eſt, aut in Lyrim cadit: trutis abundans, nuſquã vado circa inſulam tranſmittendus. Situm oppidi hunc perhibent. Flumen de ſuperioribus partibus quiete placideque labens ſaxum offendit latum atque altum, à quo duas in partes diſciſſum hinc atque inde in ſubiecta barathra præceps ruit; circundatoque non ſine querelis, ac murmure aliquanto terræ ſpatio, rurſus in vnum coit. In ſaxo quod aquam diuidit, arx iacet natura ipſa & arte munita, reliquam inſulam oppidum tenet, arce humilius, inter vtrumque educta foſſa aqua compleri poteſt, oppidanos ab arce prohibens. Obtento per deditionem oppido reſtabat arx difficilis expugnationis flumine atque altitudine defenſa. Tentare etiã difficilia placuit: nec cœptis audacibus bonus euentus defuit. Bombardæ transfluuium collocantur illic arcem quaſſaturæ, qua diximus ſurgere ſaxum, quo flumen ſcinditur: oppugnatur pluribus diebus arx, nec ſpes vlla victoriæ datur, niſi poſtquam concuſſa frequentibus bombardarum lapidibus maior turris ruinam fecit, caſuque ſuo iter præbuit, quamuis arduum, quo ſcandi poſſet. Tum miles æthiops, qui pluribus annis inter ſeruitia Neapoleonis fuerat, tandemque militiæ ſeſe dederat: Video, inquit, commilitones apertam in arcem viam, & ruinam turris ſcandere licet: capta eſt (ſi mihi creditis) arx, meque ſequimini: ibo primus, atque iter aperiam: Audete pariter mecum, nec me ſolum ire ſinite. Quibus dictis lancea trans aquam in ruinam turris emiſſa, proiectis veſtibus, nudus in aquam proſiliit, celerique natatu traiecto flumine comprehenſa lancea tetro niger aſpectu ſuperare molem nititur: ſequuntur exemplum quicumque ſunt in caſtris audaces: impletur natantibus aqua, duos vis fluminis verticibus abſorptos in præcipitia rapit, caſuq; magno in præͅrupta ſaxa deuoluit: quorum alterum euaſiſſe perhibent: reliqui ad æthiopem ſalui perueniunt, ſimulque mole conſcenſa, (mirabile dictu) armatos pro muris ſtantes, ſaxa telaque iacientes defenſores arcis, nudi haſtiſque tantum armati loco deturbant, atque arcem ingreſſi cuncta diripiunt. Audax facinus, & incredibile, noſtra tamen ætate geſtum. Virtus æthiopis quod inexpugnabile credebatur, munimentum expugnationi ſubiecit; poſteritas fabuloſum putabit. Nam quo pacto verum exiſtimabit ventura ætas auditum, quod noſtra viſum ſomnio ducit ſimile? Qui capti ſunt in Arce, vbi ſe prædam videre nudorum, ſupra quàm dici poſſit mœrore affecti ſunt, quòd fabula deinceps & irriſio plebis futuri viderentur. Arpinum deinde itum eſt, nobile olim Romanorum municipium, vnde Caius Marius, & Marcus Cicero originem trahentes, alter armis, alter litteris vrbem illuſtrauit. Dedere ſe Arpinates Eccleſię nihil morati: arces duæ, quas dux Soranus in oppido muniuerat vi captæ ſunt, Arpinates fere omnes, aut Tullios, aut Marios appellari hodie perhibent, eo pacto clariſſimorum ciuium conſeruati memoriam apud ſe ratos. Sorani cum accepiſſent arcem

Sora

Arpino

Inſulæ expugnatam, Arpinum quoq; deditionem feciſſe, legatos ad epiſcopũ Ferrarienſem miſere, qui Pontificis legatus erat in caſtris, pariturosq; ſe mandatis eius obtulerunt, haud alium quàm Romanũ Pontificem habituri dominum: tædere ſe tyrãnicæ dominationis. Romanæ Eccleſiæ paternum imperium eſſe, ei ſe libenter obedituros. Annuit conditionibus epiſcopus, Soranamq; vrbem pro Romana Eccleſia ſeſe dedentẽ accepit: loci epiſcopus eius rei præcipuus extitit auctor: dux Soranus his acceptis vulneribus, pacem petit, aut ſaltem inducias belli, quibus durantibus à ſummo Pontifice pacem valeat impetrare. Conceduntur induciæ paucorum dierum, tribus munitiſſimis oppidis ab eo receptis, ea lege vt niſi gratiam Pontificis obtineret, ſciret ſe ea oppida prorſus amiſiſſe. Venere legati ducis Romam: Pax hoc modo conuenit: Iuſſus eſt dux Soranus monaſterio Caſſinenſi, marchioniſſæ Piſcheriæ, comiti Populi germano ſuo, & aliis pleriſq; quæcunque abſtulerat quamprimum reſtituere: Sora, Arpinum, Inſula, Caſtellucium, Domuſoliuerii, Fontana, & alia pleraq; loca apud Eccleſiam remanſere: perpauca ei, & parui momenti reddi iuſſa. Sic mulctatus, coercituſq; Soræ dux relictis Francis, ad imperium Ferdinandi rediit, decreto Pontificis, factus certior, quod à rege non poſſit contumeliam ferre.

Expugnatio Pontiſcorui, & Roccha Sicca, Antonii Spinelli pertinacia, atque mors, & monaſterii Caſſinenſis oppidorum recuperatio.

Soranis rebus peractis, exercitus Eccleſiaſticus vlterius profectus, Pontemcorui, nobile oppidum in poteſtatem accepit. Alfonſus Siciliæ rex id oppidum ab Eugenio quondam armis abſtulerat: Ioannes Rhenati filius Ferdinando demũ ademerat hoc bello ad verum dominum rediit. Roccha deinde Sicca per deditionem accepta eſt: arx viribus expugnata, quamuis in alto ſita monte inacceſſibilis videretur: Ea Ferdinandi nomine capta. Proximus his locis erat Antonius Spinellus Gallicarum partiũ præcipuus aſſertor, & qui omnium conſpirationum aduerſus Ferdinandum patratarum fuiſſet inuentor: huic munitiſſimum parebat oppidum, Vilhelmi Rocham vocant, ex quo tempore belli octingenti pugnatores & quidem, vt montani feroces ad pugnam exire ſolẽt: in montibus ſitum, arduos habet aditus, quos aduerſus quamplurimos pauci cuſtodiant. Mittuntur nuntii, qui Antonio amicitiam Ferdinandi ſuadeant; reſpuit ille Aragonenſe nomen, ac mandata cum deriſione contemnit: Neapoleo duo eius caſtella inuadit, primoq; impetu capit: cuius rei percepto nuncio Antonius ſenio grauis, ſubito mœrore concuſſus, exanimatus cecidit, nec locutus quicquam, in ſubitam mortem oculos clauſit. Manſere eius filii, & fratris filii de ſucceſſione cõtendentes. Oppidani arcem in ſuas manus receperunt, hiſque tandem legibus cum Ferrarienſi epiſcopo ac Neapoleone conuenerunt, vt litem de ſucceſſione Antonii Papa decideret; arx & oppidum ei pareret, cui ſedes Apoſtolica hereditatem adiudicaret: Victor Eccleſię vaſallus eſſet, nec regno Siciliæ, nec Ferdinando quicquam deberet. Accepta eſt cõditio, ne tempus ibi fruſtra tereretur. Deinde caſtella pleraq; ad Caſſinenſe monaſterium pertinentia, quę Gallici occupauerant Alfonſi exempla ſecuti, recuperata ſunt, ac monaſterio reddita, quod iampridẽ ſpoliatum atq; direptum, hoc deniq; tempore ſub Pio Pontifice reſtitutum & inſtauratum eſt.

Cur Veneti bellum Turcis indixerint eorum deinde motus; Beſſarionis cardinalis Nicæni ad eos legatio, auxiliaque Raguſiis decreta.

Veneti priuſquam rex Boſnę caperetur, accepto nullum eſſe in Peloponneſo Turcarum exercitum Imperatorẽ namque in Boſnam profectũ omnes fere copię ſecutæ fuerant, tempus adueniſſe rati, quo maximam nobiliſſimamque totius Gręcię Cherroneſum ſibi ſubiicere poſſent, ingentẽ claſſem inſtituerant: præfecto Aloyſio Lauredano ingentis ſpiritus, vt exiſtimabatur viro, quem ſub ſpecie Eubœæ defendendę in orientem nauigare iuſſerant, poteſtate conceſſa, vt ſi ſibi è republica videretur, bellum Turcis inferret. Peloponneſum illis ceteriſque poſſeſſoribus quocumq; poſſet modo eriperet. Aderat omnis Albanenſium fauor Venetorũ imperiũ ſupplicibus votis vltro vocantium, quorũ ingens multitudo Archadiæ, ceteroſq; peninſulę montes inhabitat Græcis infeſta: equitatus ex Italia peditatuſq; numeroſus tranſuectus erat: ex Creta ſagittariorum tria millia fuerant accerſita. Ex aliis inſulis alia auxilia cõuenerant, nec dubium erat, quin Albanis in caſtra Venetorum venientibus exercitus ſupra triginta millia bellatorum poſſet ad pugnã educere. Belli cauſę iniuriarum propulſatio, & Chriſtianę religionis defenſio prætendebantur: Argolica expugnatio, & Naupacti direptio cõtra fœdera Turcis obiiciebatur: Peloponneſus quãti eſſet emolumenti norant, cuius vectigalia auri trecenta millia nummum quot annis afferrent.

Arcem

Arcem hanc olim Græciæ vocitatam non ignorabant in medio maris ſitam, quod Aſiam, Syriam, Ægyptum, Libyam, Hiſpaniam, Galliam, Italiam, Illyricum, Macedoniam, Epirum, Boetiam, Atticam, Theſſaliam, atque omnes Tracias abluit, & Euxino miſcetur pelago: aptiſſimam ad orbis commercium regionem, veramque mercatorum ſedem, vino, tritico, & omnibus, quæ vitæ humanę requirit vſus abundantem. meditabantur Veneti Peloponneſum modico labore expugnare poſſe, quando nuntiatum eſt regem Boſnę à Turcis infeliciter captum, omnemque prorſus Illyridem in periculo verſari maximo. Renuntiant audita Pontifici: Chriſtianos omnes per litteras in auxilium vocant, reique ſuæ maxime timent, qui alienis paulo ante imminebant: nec ſatis domi ſecuri ſunt, qui foris terrere alios cœperant. Raguſei quoque & Georgius Albanus, & Deſpotus Artæ, & alii quamplures Romam mittunt cōſilia atque auxilia petitum. Pontifex quoad poteſt omnibus conſulit; Beſſarionemque cardinalem Nicęnum Apoſtolicę ſedis legatum Venetias ire confeſtim iubet, qui Senatui ſpem auxilii præbeat, metumq; hoſtis auferat: Vocaturum in arma Pontificem Chriſtianos reges aſſerat, futurumq; breui, ſi Deus annuerit, vt ingentes copię ſub vexillo Crucis aduerſus Turcas educantur: Raguſeis peditum manus, viſque non parua frumenti auxilia decreta.

Pontifex Vrbis caumata timens Tybur vadit.

His conſtitutis Pontifex vrbis caumata veritus celebrato apud ędem ſancti Petri martyris eius feſto, ſequēti die Tybur conceſſit. In quo itinere Salone fontem nō ſine voluptate animi ſpectauit. Duę ſunt ſcaturigines Anieni propinquę, decimo ab vrbe milliario diſtantes adeo copioſę, vt molam vertere ſingulæ facile queant, vbi caſus aliquantiſper adſit. Perlucida eſt vnda, & admodum frigida, quæ res incautos per ęſtatem multos exanimat. Cardinales nouem in itinere Papam ſecuti cum eo apud alterum fontem, decurrentemq; riuum in tabernaculis pranſi ſunt, quę de ramalibus excitauerant famuli: Prandium vt Pontificem decebat, magis nitidum, quàm ſumptuoſum fuit, cuius multæ reliquiæ remanſere, quamuis ſexcenti & amplius viri ad ſaturitatem ediſſent. Illic dum ferueret æſtus, dulces inter cardinales & Papam fuere ſermones: ventulo deinde ſuborto, qui ſpem falſam temperati aëris præbuit, iter continuatum, & ſub ipſo ſolis occaſu ventum Tybur.

Regionū excurſio in agrum Theanenſem, & Sinueſſanaque planitiei direptio, ac vanus tractatus pacis inter regem & Sinueſſanum.

Ferdinandus hoc anno ſiue negligentia, ſiue perfidia ſuorum ducum, ſiue quòd ærario prorſus exhauſto ſtipendia militi dare non potuit, longe ſerius quam conſtitutū eſſet in caſtra exiuit, nec Sfortianos ex ordine dato ſecum duxit: ſex tantum & viginti equitum turmis, peditum duobus millibus in expeditionem coactis. Cum his profectus in agrum Theanenſem vicinaſq; regiones Sinueſſano duci parentes, fruges iā maturas, ac falcis egentes paſſim corrupit: nec potuit hoſtis impedire agrorum vaſtationes, quāuis equitū ordines ſexdecim expeditos in armis haberet. Miles lucri auidus, alienā meſſem ſuam fecit: vſi falcibus pedites, manipulos in areas comportauere, euerberatiſq; diligenter paleis excuſſere triticū, Capuaniſq; vēdidere modiorū ſupra ducenta millia frumēti & ordei ex hoſte rapta perhibentur quod aſportari nequiuit, conculcatū exuſtumq; eſt, & omnibus agreſtibus ſpes meſſis adempta. Reſtabat ager Sinueſſanus frequentibus ędificiis, quæ vocant caſalia plenus, vini frugumq; ferax, & rebus abundās vniuerſis humanę naturæ amicis: beatū dixeris, & cæli clemētia, & vbertate ſoli. Hūc ab orienti ſole, borealiq; vento montes altiſſimi claudunt, à meridie Tyrrhenū pelagus, ad occiduas partes Lyris excipit amnis, profundior quàm vadari queat, & latus, triremiumq; capax. Qua nauibus trāſmittitur turris antiqua, & in arcis modū munita cuſtodit aditū. Vnicus erat per planū introitus ab orientali parte inter montē, & mare perangustus: hunc quoq; deducta foſſa, excitatoq; vallo prorſus inſuperabilē reddiderant. Arx quoq; ad radices montis ſita natura & arte munitiſſima hoſtes ab aditu prohibebat. Secura intus omnia & tranquilla pax, Sinueſſę tyrānus ceteraio manu Dei poſuerat: Sinueſſanam planitiem totius belli expertē exiſtimabat, hoſteſque ingreſſuros eo non modo non verebatur, ſed neq; ingredi tentaturos: ſubditi eius ex propinquis regionibus quæcunq; habuere cariſſima, huc tanquā in tutiſſimas munitiones aſportauere. Ferdinādus nocte de quarta vigilia Robertū Sancti Seuerini, & Antoniū Picolomineu cum peditatu equitatuſq; parte, montē editiſſimum arci, qua diximus aditum cuſtodire imminentem, & pene inacceſſibilem occupare iubet:

ipſe iam albeſcente aurora cum reliquis copiis mouet. Cumque hora diei ferme tertia ad ipſum aditum perueniſſet, quem ad turrim Balnearum vocant, acies tantiſper immorari præcepit, dum claſſis, quę plenis ferebatur velis Villamarina præfecto (terra enim & mari ſtatuerat hoſtes aggredi) littori applicaret. Interim tentato leui prælio cum feliciter ſuccederet, milites ſuperatis primo impetu foſſis, vallum aſcendere: quibus principio deiectis, cum mox magis magiſque irritatis animis alii atque alii aſcendiſſent, peditesq; qui montem occupauerant de ſuperiori loco impetum etiam facerent; regius exercitus antequam claſſis eo appuliſſet, vallo potitur, quo ſtatim effracto, duo primum equitum ordines immittuntur, qui cum equitatu hoſtium tranſuallum congreſſi illum fugant. Accurrit cum reliquis copiis tyrannus Sinueſſę: interea regi vallum tranſmittunt: inſtauratur pręlium ab hoſte fugato: fit maior à regiis impetus, quem cum ſubſtinere hoſtes non valerent, terga & ipſi vertunt: Inſtant regii, longeq; perſecuti fugientes multos capiunt, nec fit inſequendi finis donęc ad diui Franciſci templum, quod ſub ipſis Sinueſſæ mœnibus ſitum eſt, eos compulerunt. Equites galeati circiter quinquaginta capti, in his Acciaiolus Florentinus, Pandolphus Pandonus, Vrſus Anguillaria, Ioannes Archionus, & Sanctius Charillus equitum præfecti: gregariorum vero militum magnus numerus. Tyrannus ipſe Sinueſſæ abiectis armis ac faleris, equiq; tegumentis inciſis, fuga ſaluatus eſt, equo inter fugiendum pene exanimato: vici qui plurimi in agro Sinueſſano ſunt, direpti pene omnes, & in his multi mortales capti, tandemque ad multum diem cum ingenti præda in caſtra reuerſum. Sententia regis, ducumq; fuit ad ipſum Franciſci templum caſtra ponere; ſed cum munitiones valli defatigato iam milite dirui non potuiſſent, nec foſſæ impleri, quę duodecim erant pedum, traduciq; impedimenta nullo modo valerent, & iã veſper eſſet, placuit ea nocte caſtra ad ipſas foſſas habere: biſque poſt æquatis, munitionibuſque deiectis Sinueſſam petere cum omni exercitu. Sequenti die excurſus eſt totus ager Sinueſſanus, tantaque vis pecorum abacta, vt boues aureo nummo venirent, ſues argenteo: mercatores è Caieta nauibus aduecti prædam coemerunt. Irrupere Sinueſſani in palantes regios, ceperuntque nonnullos pedites: ſed accurrentibus equitum cohortibus repulſi ſunt non ſine damno. Caſtra à Sinueſſa ſecundo milliario locata, & ad portas vſque prædando diſcurſum. Vocatus à rege Neapoleo cum copiis Eccleſiaſticis permittente Pontifice non eſt aduerſatus, in itinere pleraque oppida citra Lyrim expugnauit Sinueſſani tyranni, quæ Fundorum comiti in ſortem ceſſere. Auxilio Sinueſſani Ioannes Rhenati filius cum duabus equitum cohortibus, peditibuſque ducentis profectus, haud ſpem tantam obſeſſis dedit, quin concordia tractaretur. Miſſi legati ad regem inducias petiuere paucorum dierum, donec de legibus pacis conueniret: rex pacis tractatum nõ abnuit, inducias negauit: oppugnatumque interea miſit turrim, quam diximus fluminis tranſitũ obſeruare: quę paucis bombardarum ictibus concuſſa ruinam fecit, & aliquos ex cuſtodibus interfecit: reliqui panore attoniti ſeſe dediderunt. Turris altera in oſtio eiuſdem fluminis ſita multo munitior fuit, nec tamen præfectus eius expectare bombardas præſumpſit, pactus ſalutem è veſtigio ceſſit. Arx imminens vallo regiorum impetu perfracto, & turris, quam vocant ad Balneas, ipſa die introitus interceptæ fuerunt, & poſtea incenſæ atque dirutæ. Interea de pace actum Antonius Tricienſis ducalis legatus à Sinueſſano vocatus poſtquam aliquandiu collocutus eſt, perſuaſiſſe tyranno fœdera pacis exiſtimauit adeo ſibi certus, vt ad regem reuerſus oliuæ ramum in manu geſtauerit, regiq; certam ſpem concordiæ fecerit. Poſtera die Sinueſſani legatos in caſtra venturos, obſignatamque concordiam allaturos. Crediderat mendaci Antonius magno captus errore, qui periuri hominis iuramento fidem præbuit. Non venere legati, vt erat conuentum, excuſatio ea prætenditur, quod Franciſci Mediolanenſium ducis non eam attuliſſet Antonius auctoritatem, quę obligare illum poſſet: generale quoddam mandatum oſtenſum, cui non ſatis confideret: concordiæ tamen ſe cupidum eſſe: orare vt mittatur Colantonius compater ſuus, ei ſe fidem habiturum, mittitur Colantonius: dicuntur cõcordiæ leges: acceptantur, omnia placent: Vade (inquit) Sinueſſanus, certioremq; regem facito, me poſtridie procuratores miſſurum, qui conuenta inter nos meo nomine publice amplectãtur, & in verba Ferdinandi iurent. Cui Colantonius,

Antonio

Antonio inquit Tricenſi hoc idem promiſiſti, nec fidem ſeruaſti, caue ne me fallas. Si non eſt animus ea facere quæ polliceris, nunc potius negato, nec me vana ſpe deludito. Ad ea Sinueſſanus, perge, certa ſunt quæ promitto: non mutabor: oſtenſoque filio impubere, qui coram aderat: hunc, inquit, fame compellar edere, ſi te fefellero. Mentitus & huic eſt, vana fuere promiſſa; non poſſe ſe his mediatoribus credere Sinueſſanus ait, viris maioribus opus eſſe: adeſt Ferrarienſis epiſcopus Apoſtolica auctoritate præditus, & huius quoque poteſtas non ſufficere dicitur. Accerſitur à Beneuento frater eius cardinalis Rauennas Apoſtolicę ſedis legatus: iterum atque iterum de concordię legibus agitur, dantur verba, nec certi quicquam excutitur; quanto diligentius concordia quæritur, tanto plures Sinueſſanus moræ cauſas annectit, difficultateſque ingerit ampliores.

Infauſta Montiſaragonii obſidio, ſubitus Sinueſſanorum in vagos inſultus atque Antonii Picolominei, & ſociorum egregia virtus, & rurſus pacis irritus tractatus.

Interea rex ad oppidum, quod Montiſaragonum vocant, caſtra locat, bombardaſque admouet, quę nullo vſui fuere, ſiue magiſtri negligentia, ſiue quod his erat loci ſitus, vt lędi bombardis nequiret. Emiſſi lapides intactum oppidum pręteriere, ſpes erat ſiti oppidanos ad deditionem compelli poſſe, prohibito ad fontem aditu, vnde aquari ſolebant, ciſterniſque omnibus per ęſtum exhauſtis. Iugum montis erat vnde Sinueſſanis ad ferendum obſeſſis opem patebat iter. Hic Ferdinandus caſtellum ex materia excitat, imponitq; cuſtodes, qui Sinueſſanis prohibeant tranſitum. His Poſſa præfectus erat Senenſis bellator egregius: paulo inferius ad bombardarum cuſtodiam Antonius Picolomineus locum ſortitur. Caſtra regis ſub monte quingentis paſſibus adſunt. Marcus Cremonenſis, qui paulo ante ab hoſte defecerat, fontem obſeruare iubetur, ne oppidani per noctem aquentur. His ita conſtitutis Sinueſſanus mille, aut amplius pedites robuſtę iuuentutis eligit, iubetque intempeſta nocte vias hoſti non cognitas ire, Antonioque vel capto vel fugato bombardas rapere; falluntur excubiæ regiorum, priuſque caſtellum ligneum a Sinueſſanis inuaditur, quam audiri hoſtis aduentus queat. Oppugnatur in tenebris caſtellum, defenditur ſumma vi: præfectus Poſſa viri fortiſſimi officio fungitur: ſocii quoque pro ſua quiſque virili audacter hoſtem repellunt, ſed parua inerat manus, & hoſtium multitudo caſtelli munimenta parum firma diſiecit. Sagittariorum ordo quingenta ſimul tela vnico iaciebat impulſu. Præfectus Poſſa multis vulneribus confoſſus, & omnes qui cum eo erant vulnerati capiuntur: curritur ad tumulum, in quo erat Antonius & Ioannes Comes Romanus: exoritur clamor cum primum ad tentoria ventum eſt; vix ſpatium quo ſumerent arma Ioanni & Antonio datur: in tenebris tanto maius eſt periculum, quanto minus cernitur. Ruunt ex monte Sinueſſani, impetumq; in Antonium faciunt; qui poſtquam arma induit, & Ioannes adfuit. En age, inquit, Comes hunc ſeruare locum promiſimus, aut hoſtem fugare oportet, aut hic mortem oppetere: me viuo non auferet Sinueſſanus machinas fidei meæ creditas. Laudat Ioannes Antonii propoſitum, amboque hoſti ſeſe obiiciunt. Sequuntur quatuor tantum, ſexve famuli: pelluntur Sinueſſani, qui priores irruerant: armantur interim cōmilitones Antonii, eique iunguntur: augentur & Ioanni vires, ſed magis hoſti, cateruatim ex monte Sinueſſanorum multitudine deſcendente, & iam ægre defenditur tumulus. Currūt ad Bombardas hoſtes, minoreſque rapiunt: egrediuntur ad pugnam oppidani, res ſummo in periculo geritur. Marcus Cremonenſis audito tumultu, ratus quod erat, propere cū cohorte ſuorū accurrit, mediumq; ſe pugnæ infert, neutri parti cognitus & vtriq; ſuſpectus. Is vbi timere hoſtes animaduertit, edita voce qua poſſet internoſci, in hoſtes impetum fecit; ſecuti ſunt alacres Ioannes & Antonius: hoſtes terga dedere, dimiſſiſque bombardis, & omni pręda nō paucis eorum cæſis in montē diffugerūt. Oppidani intra munitiones trepidi ſeſe receperunt, cum iam albeſceret: Sic eius noctis euitata pericula. Sinueſſanus, qui præcedenti die omnem concordiæ tractatū abruperat, vbi fruſtra tentatas inſidias animaduertit, nocturnumq; prælium male geſtum; præmiſſis pro ſua conſuetudine falſis excuſationibus, denuo pacem flagitat. Interuentu cardinalis pluribus diebus res agitatur; cum compoſita omnia ſunt, nec iam aliud reſtat, quam formulam ipſam ſubſcribere, atque obſignare concordiæ: Sinueſſanus nouam adiicit difficultatem: vſque adeo regem offendiſſe ſe ait, vt veniam ſperare non poſſit, niſi filio ſuo filia regis nubat: fit voto eius ſatis: promittitur matrimonium, & poſtu-

lata dos: certiſſima in alteram diem expectatur concordia. Interea venti ſiue auſtrales, ſiue alii nubes cogunt, imbreſque copioſos excitant, ciſternas obſeſſorum implent, & quæ vnica erat obſeſſoribus capiendi per ſitim oppidi, ſpem omnem adimunt. Afferuntur & Tarentini principis litteræ Sinueſſano, ne regi concilietur ſuadentes, auxiliumque promittentes: quibus erectus perfidi hominis animus, nouas in dies concordiæ moras inuenit, & noua quærit fœdera. Cardinalis ſe verbis retineri cognoſcens, indignatus tandem è caſtris abiit, Beneuentumq; repetit. Rex obſidionē non ſine ſuo dedecore Montiſaragonum ſoluit, qui parum explorato conſilio, & pleriſque contradicentibus eo caſtra locauerat: cui non ſuccedit conatus, hūc ſtulte meditatum exiſtimat populus. Erat in caſtris regiis Romanus quidam Gentilis cognomento Molara, quem dux Mediolanenſium pacis cauſa ſæpe ad Sinueſſanum miſerat: hic reuerſutus Sinueſſam contendit, conuenienſq; tyrannū cur pacem ſpreuerit, & cur toties mentitus ſit percontatur: cui tyrannus: Nulli mentitus ſum niſi compatri meo, & id quidem confidenter, ita mos patrius eſt inter compatres nulla ſeruari promiſſa: reddet ille vicem quando voluerit, mendaciumque mendacio penſitabit: quòd pacē mihi meiſq; ſubditis neceſſariā non amplector diffidentia eſt: regem dolo interficere ſum conatus, nō poſſum ſperare veniā. Exiget aliquando tanti flagitii pœnas rex quis dubitet, ſi eius incidero manus? n ſi magnos expromiſſores habeam, non poſſum quieto eſſe animo. cui Gentilis: at Mediolanenſium principem Antonius Tricienſis expromiſſorem dedit; cardinalis Papam: cur tantis nominibus non credidiſti? Ad ea tyrannus: cancellarioli me ſequi fidem iubes? non eſt Antonii ea dignitas, cui tuto poſſim meam ſalutem credere. De cardinali quid dicam? nunquam mihi placuit: perfidus atque indignus cui milites auſcultent. cui Gentilis: Iratus es, inquit, & incompoſitæ mentis verba profaris; qui ſacerdotes odit, & Deum, cui miniſtri ſunt odit. Vale, ſi quid mandas hero meo, libens proferam. tum Sinueſſanus: Commendato me, inquit, duci, dicitoque ex ſuis aliquem mittat virum auctoritatis, cui credere poſſim; omnia faciam quæ iubebit. ſubiecit Gentilis: Parebo, quamuis ſcio nō plus ponderis his eſſe tuis verbis, quàm ſuperioribus. Indeque digreſſus Pontifici apud Tybur agenti hos ſermones expoſuit. Rex alia via Sinueſſanum aggredi propoſuit.

Sfortiani Lucerenſiū Seuerinorū atque comitis Baſſi agris vaſtatis in Aprutios tendunt: Lucerienſes deinde regi ſe permittunt: Seuerinenſes vero concordiam quærunt.

Alexander Sfortia per hoc tempus in Appulis agens ſupra quam ſua & omnium eſſet opinio in colligendis armandiſque copiis immoratus eſt, adeo vt ſæpe de eo maleſit cogitatum: tarditatis cauſam præbuere cohortes apud ſanctā Seueram per proditionē interceptæ, quibus equi & arma fuerant adempta. His longum fuit quæ ſunt neceſſaria cuncta miniſtrare; in Apulia præſertim prouincia non tam equitibus, quàm bubulcis ac paſtoribus apta. Inſtruxit tandem acies Alexander, & agros Lucerienſes, Seuerinoſque prorſus vaſtauit: deinde comitis Campibaſſi corrupit ſegetes, & in Aprutios ingreſſus eſt iter. Lucerienſes ſpe ſegetis adempta, Francos excluſere; miſſiſque ad Ferdinandum legatis deditionem fecere. Seuerinenſes vero ita demum ad obedientiam redituros ſeſe polliciti ſunt, ſi regimen eorum cardinali committeretur, cuius tecti clypeo impunitam fore ſuam rebellionem nō dubitarent: cardinalis annuente rege ad eam rem profectu: dolis & fraude Tarentini principis fruſtratus eſt.

Fanenſis difficillima obſidio, naualis victoria cōtra Sigiſmūdum, & Venetorum occulta auxilia.

Federicus Vrbinas, & cardinalis Theanenſis collecto inter hæc milite cum ſtatuiſſent Ariminum ire obſeſſum, mutato conſilio quod ad expugnationē vrbis amplæ, egregieq; munitæ non ſatis copiarū videbantur habere, Fortunæ Fanum contendūt: poſitiſque ad iactum ſagittæ caſtris cum quatuordecim turmis equitum, peditibuſque nō multis vrbem circumuallant; aduectiſq; tribus bombardis maioribus mœnia quatiunt, ſubterraneoſque meatus effodiunt, quos cuniculos dicunt, quibus poſſint ad muros tecti peruenire; & ne mari, cui adiacet vrbs, importari commeatus aliudve genus auxilii queat, onerariam nauim ſeptingentarum, vt aiunt, amphorarum, triremenique vnam, nauigiaque minora ex Ancona, Piſauroq; accerſunt: quibus armatis Fanenſe littus diligenter cuſtodiūt. Augentur caſtra Eccleſiæ ex Foroliuii, Fauentriaque decem turmis equitum accedentibus. Premuntur fame obſeſſi; adeunteſq; Robertum Sigiſmundi filium, tradituros ſe vrbem aiunt, niſi afferatur annona, pugnare, vigilare,

vigilare, incommodaq; ferre, perpeti omnia milites poſſe, præterquam famem. Robertus ex aduerſo bene ſperare milites atq; oppidanos iuber, atq; vt res ſuas meli⁹ firmaret, Venetum mercatorē, qui forte Fani aderat, quaſi legatum ducis Veneti in medium produxit, miſſuroſq; propediem Venetos certiſſima auxilia dicit. Interim patri ſcribēs hortatur quā celerrime ſuccurrat obſeſſis, niſi propere ſubueniat, ſe cum inſigni dedecore ciuitatem amiſſurum. Sigiſmundus oneratis frumento quibuſdam nauigiis, permagnam quandā nauim, & minores quas vocant fuſtas armat, inſtructāque rebus omnib. claſſem iubet ſtatim rectà Fanum contendere: quod cum Federicus per exploratores accepiſſet, nauticæ turbæ parū fidens in claſſe Anconitana delectos è caſtris milites, audaceſq; ſtatim collocauit, iuſſitq; omnes pręſtanti eſſe animo, hoſtilemq; repēte claſſem ſiue die, ſiue noctu acceſſerit, prælio adoriri: nil fruſtra dictū. Poſt mediū noctis claſſis Ariminēſis ex cōdicto tenſis velis in littus Fanenſe defertur: occurrit Eccleſiaſtica, pugnę poteſtas fit: cōmittitur acre certamē, nauis Ariminēſis, quę cunctis altior eſſet, frequētibus miſſilibus Anconitanā triremē, ac minora nauigia grauiter infeſtate, Eccleſiaſtici bombardulis, iaculiſq; & omni genere tormētorum contra niti. Aderat forte ſacerdos acris ingenii, nō tam ſacræ militiæ idoneus, quàm profanæ: is ſubito iaculatus ignē maioris nauigii vela ſuccēdit: curritur ad reſtinguendā flammā: interim Eccleſiaſtici admotis ſcalis nauem ſcandunt, nec mora victoria potiuntur: capiuntur naues omnes, tam oneratæ, quàm armatæ, & iam in ipſo diluculo cum ingenti gloria Anconam ducuntur præter maiorem, quam velis carentē perfractamq; multis in locis trahere nō potuerunt: impoſiti ſunt milites, qui eam ſeruarent. Accerſiuerant per id tempus Veneti ex Dalmatia quatuor triremes, iuſſerantq; Ariminum petere tanquam piraticam prohibituras: re vera vt Sigiſmundi cauſam ſua iuuarent præſentia: acceſſerant iam duę, quæ vbi captam Sigiſmundi claſſem didicere, nauimq; videre relictam, illico impetum in eam fecere, ſuperatoſq; paruo certamine cuſtodes ceperunt, & nouis impoſitis velis Ariminum duxerunt. Miſit cardinalis Theanenſis ad Venetarum triremium præfectos percunctatum cur nauim iure belli à ſe captam inuaſiſſent, cum inter Venetos Papamque pax eſſet? Negauerunt ſe nauim cepiſſe, immo vero decepiſſe nautas, qui erāt in ſentina clauſi poſitos ad cuſtodiam milites, vocaſſe illos ad colloquium, blandiſq; verbis illectos ad inferiora traxiſſe, ipſoſque paulatim exiuiſſe, & ſuperiora nauis obtinuiſſe: eoque facto clauſiſſe qui ſe clauſerant in locum ſuum, atq; ex victis victores factos, ſe vela carentibus conceſſiſſe, cum iam liberi eſſent. Quæ res Fanenſium animos ad perferendam obſidionem magnopere auxit, tanquam certa res eſſet Venetos Sigiſmundo fauere, breuique miſſis auxiliis Malateſtarum rebus opem laturos: At Venetis alia mens fuit, quibus nec vincere Sigiſmundum, nec vinci placebat; producere bellū ſtudebant, & ambas partes fatigare ſumptibus: ſic futurum arbitrati, vt relictus ab omnibus Sigiſmundus accepta pecunia Ariminum & quæcumq; obtineret loca eis venderet.

Anconitani Montemmartianum dolo occupāt. Neapoleo cū exercitu in agrum Celanũ proficiſcitur.

Anconitani per hoc tempus miſſo clam legato ad Sigiſmundum, Montemmartianum, quem Exini mandante cardinali obſidione cinxerāt, occultis pactionib. dedi ſibi petiere: Quid ille reſponderit incertum; illud conſtat Anconitanos miſſo præſidio arcem, atq; oppidum obtinuiſſe, Exiniſq; vt abirent mandauiſſe, nec parentes telis impetiuiſſe. Cardinalis ne nouum incendium in Picenſibus oriretur, dilata in aliud tempus tantæ temeritatis vltione, Exinis vt obſidionem ſoluerent imperauit. Neapoleo ex agro Sinueſſano dimiſſa copiarum parte in caſtris regiis cum receſſiſſet, reliquam exercitus partem, quod poſtea proſequemur aduerſus Rugerottum Celani comitem duxit.

Conuentus Picinini cum Alexandro Sfortia, & orationes eorum militares, ac diſcordia tractatus: tandemque pacis leges.

Alexander Sfortia dum iſta fiunt magno labore ſuperatis mōtibus, qui Apulos, Brutioſq; diſterminant, in agrum Caudolēſium deſcendit, non procul ab oppido, quod Archa[illegible]m arcē vocant, ducēs ſecum lectiſſimas equitum turmas octo & decē: ibi ad eum conuenere Matthæus Capuanus, Robertus Vrſinus Alonſus Hiſpanus, & Iacobus Picininus cognomento Caballus præfecti equitum, qui per omnem hiemē regias partes in Aprutiis defenderant, nec minus quam duodecim ordinibus equitum præfuerant. Iacobus Picininus percepto Alexandri aduentu, intercipere tranſ-

itum eius conatus eſt: quod vbi non ſucceſſit ad Archas ſe contulit, & ante oppidum caſtra locauit, turmis equitum decem ſimul collectis, inter quas & Caudolæ computati ſunt: pedites quoq; non paucos neq; inexpertos penes ſe habuit. Alexander explorato conſilio comitum, vbi omnes in vnam ſententiã conuenere, laceſſere prælio Piccininum ſtatuit, ſi forte pugnandi copiam faceret. Campus erat ad iactum teli propinquus hoſti; hic tentoria figere decretum, atq; inde hoſtem laceſſere. Præmittuntur qui campum occupent delecti equites: Piccininus ſuos contra dirigit, qui loco arceãt Sfortianos; præludia quędam certaminis, nõ prælia dixeris. Procurrunt Bracciani, fractiſq; cum hoſte lanceis illico ſe recipiunt, nec totis habenis in pugnam deſcendere audẽt. Aduolant Sfortiani ſuis auxilio cõplures, Braccianoſq; campo deturbant, & ad munitiones vſq; caſtrorum reiiciunt, probriſq; omnibus irritare hoſtes pergunt; vbi nemo ad pugnam exit amplius. Alexander quo in loco deſignauerat atque in oculos Piccinini tentoria figit, Piccininus ſub ſilentio noctis caſtra mouet, conſceſſoq; mõte medium inter ſua & hoſtium caſtra relinquit oppidum, propinquitatẽ veritus: Poſtera die miſſis ad Alexandrum nuntiis, colloquium petit. Res in conſilio ducum agitatur: placet audire præclarum belli ducẽ, ſi forte aliquid afferat ad regnũ Ferdinandi ſalutare. Deſcendit in caſtra regia Piccininus, & cum eo fratres Caudolæ, & ductores ordinum viri fortes: Itur ad tentorium Alexandri; ibi omnes conueniunt duces equitum, peditumq; præfecti: fit corona virorum illuſtrium: reſpiciunt alteri alteros, reſq; ſingulorum geſtas animo voluunt, atq; inde cõparatione facta, quãtum quiſq; ſuperet expendunt. Illic Piccininus: aduerſus me, inquit, proceres conueniſtis omnes: vnum me perdere multi quæritis; impar ſum, fateor, veſtris viribus, nec poſſum qui puſillo ſum corpore, iuſto certamine vobiſcũ cõfligere, nec vos me compellere poteſtis inuitum pugnare: natura me loci tuetur, & fides militum, hiemis aduentu obſidionem ſoluere coget, interim fruſtra teretis tempus: nouus annus noua conſilia miniſtrabit. Sed eſto Piccininum prȩlio vincere, atq; in vincula rapere liceat: quẽ viciſtis obſecro duces? nõne ego is ſum, qui vos nutrio? Ego vobis opes, delitias, ac regna concedo, me duce atq; arma tenente, & Italiæ pacem infeſtante vocati eſtis ad bellum, qui domi iaceretis inertes. Ego vobis aurum, quo fulgetis, arma, veſtes, equos apparaui: & qui paulo ante fuiſtis ſine nomine, glorioſos feci: me igitur perſequimini veſtræ ſalutis auctorẽ? Eſto, capiar, aut in bello moriar: quid vobis emolumẽti ſupererit? Vobis ne, an aliis conſuletis? quieſcet Italia me mortuo? cui pax vtilis eſt niſi mercatoribus & ſacerdotibus? presbyteros impinguabitis, ſi non ſunt ſatis pingues: mercatores ditabitis, ſi nõ ſunt ſatis opulenti. Sinite me: veſter ego ſum auceps. Vobis venor: in mea ſalute veſtra eſt ſita ſalus. Quid Romana curia ditius? quid opulentius Venetis ac Florentinis? quicquid eſt vbiq; deſiderabile, pax Italiæ his affert. Niſi ardeat Italia bello, nihil inde corradere poſſumus. In pace deſpectui ſumus, atq; ad aratrum cogimur; in bello clari. Ars noſtra eſt arma tractare; nolite rubiginem in ocio contrahant; conſulite in medium, bello & armis fauete. Ab his qui arma tractauerunt, æquum eſt regna teneri. Laudo Franciſci Sfortiæ dominatum, bellica virtute quæſitum: regnare deſides turpe atque indignum. Mercatores emundis vendundiſq; mercibus inſudent: ſacerdotes ſacra miniſtrent: nobis imperia debentur. Si mihi credītis facile omnes opes ad nos trahemus: quæritis quo pacto? in prõptu ratio eſt. Nolite vincere: trahere bellum conſilium eſt, in cuius fine militaris lucri eſt finis. Nemo qui ſapiat, ad eius rei terminum feſtinat, qua pereunte, ſua pereunt commoda. Excepta ſunt ingenti fauore Piccinini verba, pauci non vera locutum putauere: indignũ dicere ductores ordinum, gregariiq; milites inſignẽ belli ducẽ ita vrgere, vt fugere nequeat: Piccinino capto nullam ſuperfore de regno litẽ. Quo ibimus inquiunt? pacata eſt omnis Italia; ad Ligonem redibimus: pax nobis mortifera eſt: in bello viuimus, ſinite viuat, qui nobis vitæ cauſam præbet. Claudamus oculos, locumq; fugæ Piccinino demus: ſuperiores fuiſſe ſufficiat: belli ſemper reliquiæ ſuperſint aliquæ, hoc demũ pacto ſalui erimus. Aderant veterani milites, idemq; factitatũ ſuperioribus bellis aiebant: alius ſe olim potuiſſe Nicolaum Piccininum incaute agẽtem capere: alius Franciſcum Sfortiam abſtinuiſſe ne bellum finiret: alii alia exempla commemorabant. Tum Alexander: Nolite, inquit, timere commilitones, nunquam

quam Italia bello carebit, niſi vnius imperio gubernetur, quod quàm facile factu ſit, ipſi cernitis. Multa imperia bello carere nõ poſſunt, dum alterum imminet alteri, ſolumq; cupit eſſe: niſi Venetus Italiæ principatum arripiat, nõ intelligo quiſnam alius indomitam hanc prouinciam frenare poſſit: hunc timete, huic reſiſtite, eiq; ſi quando militaueritis, cauete; ne vincendo vincamini. Nunc alia ratio belli eſt, hoc abſoluto bello, ad maiora vocamur. Nec tu tibi Picinine hanc gloriam arrogaueris, quaſi vnus ſis, qui bellatores in Italia nutrias. Superaſſent Gallici Ferdinandum, pacatumque regnum tenerent: ceſſaſſentq; iampridem tibi ſtipendia miniſtrare; niſi Pontifex maximus duxq; Mediolani ſuppetias Ferdinando miſiſſent: bellumq; hoc annorum quatuor, quo nutritus es nutriuiſſent: ſed ais ceſſiſſent Galli iampridem, niſi dux eorum fuiſſes; non eo inficias: verum non ſine dedecore Gallicæ gentis ducatum accepiſti. Inſignia fers Aragonenſia, & Aragonenſem Ferdinandum impugnaſti: natus ſub Eccleſia, aduerſus Eccleſiam militaſti: Ducis Mediolani fratris mei gener ſocerum perſequi non dubitaſti. Hęccine tua fides? tanta ne tibi honeſti cura? Te noſtræ ſalutis auctorem vocitas? priuſquam arma indueres, me belli ducem ex his commilitonibus multi videre: Non ex te pendet vita noſtra: Tu magis ex nobis pendes. Seruare te poſſumus & perdere, quamuis ſpem videaris in montibus collocaſſe: cælum hi milites ne dum iuga montium expugnabunt: quin potius ſorti cedito, atq; in noſtras cõcedito partes? Ego ſi annuas, & Papæ, & regi, & duci conciliatum te dabo: ſic tuum exercitum, teq; ipſum conſeruabis. Cetera quæ commemoras, vana ſunt: nos fide optima noſtris ſuperioribus militamus. Ad hæc Picininus: coact⁹, inquit, militaui Gallis, cum me alius nemo vellet. Nolui ab exercitu derelinqui nutritus in armis: patri potius indixiſſem bellum, quàm miles me reliquiſſet: accepi Gallorum ſtipendia: nõ licuit non ſeruire pecunias ſuggerenti: nunc liber ſum, quocumq; vocabor ibo: ſi modo conditiones me dignas inueniam. His dictis ambo in cubiculum ſeceſſere, multaq; ſimul de concordia locuti ſunt: tandemq; his modis conuenere.

Picininus regiarum omniũ copiarum imperator eſto: aureorum nonaginta millia ſtipendii nomine (quamdiu regi militauerit) quot annis habeto. Ciuitates & oppida, quæ obtinet in Aprutiis retineto: poſſeſſiones comitis Campibaſſi licenter inuadito, atq; acquirito: equitum tria millia, pedites quingentos quoties opus fuerit ad prælium educito, ac per omnem Italiam vbi rex voluerit bellum gerito: Francorum ſigna perſequitor; ſtipendii mediam partẽ ex vectigalib. exigito, quæ ſunt in Aprutiis obnoxia regi: reliquum Pontifex maximus, rex Ferdinandus, & dux Mediolani æquis portionib. perſoluunto: comes Brocardus cãcellariam regni, & vrbem in Appulis Veſtã obtineto: Picininus in verba regis iurato, eiuſq; vexilla erigito, quamprimum quarta portione ſtipendii percepta: ſtipendium in annum durato, & ſi regi placuerit, iiſdem legibus in biennium, ſi modo ante finẽ primi anni mentem ſuam declarauerit: ſtipendio finito cui velit Picininus militato, dum regi non inferat arma. Et in hũc modum plura condicta & accepta ſunt; ea conditione adiecta, vt liberum ſit Ferdinando, Papæq; ea intra decem dies, vel rata habere vel reiicere. Duci Mediolani bis tantum temporis datum. Alexander vt conſenſum Pii Pontificis extorqueret, iturum ſe ad eius præſentiam pollicitus eſt. Nec mora apud Tybur Papam conuenit, diuq; de concordia locutus ratihabitionem in formula promiſſa obtinere non potuit, immutatis pleriſq; conuentionum capitibus remiſſus eſt, vulgata vbiq; fama tanquam Picininus in gratiam Pontificis rediſſet, relictiſq; Gallis ad Aragonenſes prorſus defeciſſet.

Conditiones pacis.

Interea exercitus, qui contra Picininum conuenerat aduerſus Aquilanos proficiſcitur, primoq; mox incurſu caſtella nonnulla cepit: inter quæ oppidum magni mõmenti, Anum vocant comitis Mõtorii apud Aquilanos potentiſſimi. Peſtifera tunc lues vrbem inuaſerat: primarii ciues in villas & caſtella remotiora ſuæ ditionis effugerant: tenuiores in ſuburbana prædia ſe receperant: trepidare omnes hoſtis aduentu cognito propere in vrbem reuerti: contemnere mortis periculum, dum patriæ cõſulant. Conueniunt in ſenatu frequentes, quo ſe vertant, vnde auxilia petant, neſciunt: nihil à Picinino ſperandum aiunt, quem ſciunt Ferdinando cõciliatum: à Pio

Aquilani armis hoſtili perterriti vrbem Pontifici tradere in ſenatu decernunt.

Pontifice quem ſpreuerint minus: aut Ferdinando parendum, aut armis dimicādum, alterum ciuitati odioſum, alterum impoſſibile: placet tandem legatos ad Pium mittere, eiq; vrbem & agrum dedere, atq; vt populi ſui misereatur ſupplicare.

Gerardi cuiuſdam Galli magna pollicitationes de ſocietate Ieſu congreganda, & demum comperta mendacia.

Miſerat iampridem Pontifex Lucam quendam Dalmatam in Gallias viſum, an ea vera eſſent quæ Gerardus ſcripſerat. Meritoriam hic tabernã Bononiæ tenuerat, natione Gallus, quęſtuq; mendaciſſimo peculiolum congregauerat: deinde perdita Conſtantinopoli, cum accepiſſet prædicatores in eccleſiis ſermocinantes publice aſſerere, cælum mereri qui contra Turcas arma capeſſerent, zelo fidei ac religionis feruore correptus ſub Caliſto tertio publicata in hoſtes fidei Chriſtianorum expeditione, diſtractis rebus, & omni ſubſtantia in argentum redacta, cum trecentis peditibus Romam venit, profecturus in Græciam, ſi ſtipendio iuuaretur. Cum nihil accepiſſet, mœſtus abiit, feruoreq; omni depoſito, in Sabaudiam migrauit. At Pio Mantuam petente, ad eum ſe contulit, multoſq; ſibi comites eſſe ait, qui cuperent contra Turcas militare: facultas eis tantum detur ſocietatem congregandi ſub nomine Ieſu, in qua conſcripti plenariam peccatorum remiſſionem conſequantur. Accedit Beſſario cardinalis Nicænus, dignumq; fide hominem probat, concedenda eſſe omnia quæ petuntur: facile illum decem millia hominum cogere poſſe, quæ rebus gerendis magno ſint adiumento: Petrum eremitam vilem & abiectum hominem idem factitaſſe, quo tempore Gottifredus Bolionius exercitum traiecit in Aſiam. Cur nequeat ea præſtare tempora noſtra, quæ pręſtitere ſuperiora? Cur non fiet iterum quod ſemel eſt factum? Annuit Pontifex ea lege, vt in ſocietatem nullus admitteretur, qui ſuis militare ſumptibus in Turcas per annũ nequiret. Profectus eſt homo cum litteris, quas optauit: & cum Gallias circuiſſet, quarto demum anno, memoria eius iã obliterata, ex comitibus ſuis vnum ad Nicænum cardinalem miſit, Pontifice apud Pientiam agente, quatuor hominum millia in eam vſq; diem ſocietati adſcripta referentem, breui ſupra decem millia conuentura. Vexillo opus eſſe, & facultatibus quibuſdam amplioribus, ac ducẽtis aureis quibus filium redimat creditorib. obligatum. Nicænus his acceptis, lætus ad Pontificem pergit: nuncium adducit, litteras oſtendit ad ſe miſſas: rogat ne tanta bene gerendarum rerum omittatur occaſio: Pontifex ſimilia ſomnio dicit quæ referuntur, excogitataſq; nugas ad corradendum aurum; Vexillum quod petitur haud temere credendum, niſi homini cognito ac probato: facultates quæ peterentur, non parui ponderis eſſe, neque cuique concedendas, timendum ne nouum inde quæratur aucupium, quęſtus cauſæ peti; ducentos aureos perdere haud multum eſſe Romano Pontifici; at honorem amittere nimium. Miſſurum ſe hominem in Gallias fidum, qui rei veritatẽ inquirat, feratq; aurum; & ſi recte actum inuenerit, Gerardo tradat: reliqua è veſtigio mitti poſſe, vbi fraus abſit. Laudat Nicænus conſilium Præſulis: Lucas mittitur, qui Gerardum conueniat, & an vera ſint quę ſcripta ſunt inſpiciat. Huic quoque mandatum eſt Burgundiæ ducem accedere, & quę dixiſſet ei Ferrarienſis anno ſuperiore, quęve ipſe reſpondiſſet commemorare: cur non ſeruata eſſent promiſſa perquirere; hortari vt voto ſuo faciat ſatis: Lucas in Sabaudiam cum appuliſſet, inuento Gerardo de ſocietate Ieſu percontatus, comperit generoſos aliquos, excellẽteſq; viros dediſſe nomina, daturumq; ducis filium nomine Philippum, ſi dux ſocietatis à Pontifice crearetur: quæ res non nihil ſpei Lucæ prębuit. At cum ventum in Burgundiam eſt, quo in loco quatuor millia conſcriptorum eſſe ferebantur, & arma multa collecta, diligenter omnia perſcrutatus nihil inuenit, Gerardum de mendacio coarguit. Ille ſe vera locutum aiebat: verum Burgundiæ nomine Brabantiam ac Flandriam intellexiſſe, quòd ibi quoque Burgundus dominetur: eundum illuc eſſe conſcriptorum multa millia inuentutum. Itur Bruſcellas, in itinere multæ inſidię Lucę fiunt: quibus ſuperatis certus redditur nugacem fuiſſe Gerardum. Interrogantur epiſcopi, qui rerum geſtarum fuiſſe teſtes aſſerebantur; nemo Gerardum ſe noſſe ait, nec quiſquam inuenitur, qui de ſocietate Ieſu aliquid audiuerit: illud vero quidam ex conſilio ducis aſſerunt fuiſſe Gerardum apud regem Franciæ Carolum prius quàm moreretur, facultatemque petiuiſſe ſocietatem congregandi: educturum ſe exercitum ex Gallicis copioſum, tanquam contra Turcas iturum, & apud Anconam traiecturum mare: at in

Picenſes profectum,in Aprutios tranſiturum,deiectiſq; Ferdinãdi partibus regnum Rhenato firmaturum: ſpreuiſſe regem flagitioſi hominis conſilium,qui religioni ſtatuiſſet illudere. Hæc de Gerardo comperta, cuius conuerſionem non habuiſſe radicem conſtat. Vera eſt Euangelii parabola de ſemine iacto. Non inuenit in Gerardo verbum Dei terram bonam,cito euanuit pia cogitatio, quia non fuit ſale condita: plura ſibi perſuaſit quàm præſtare poſſet,deceptus in arcum prauum conuerſus eſt, qui poſtquam Lucam incolumem appuliſſe Bruſcellas animaduertit, ſciens mendacia ſua deprehenſum iri, curauit ne vſquam inueniri poſſet.

Lucas conuento Burgundo mandata Pontificis expoſuit: ille in Anglicos ſuæ tarditatis cauſas côiecit: nõ potuiſſe inducias belli paciſci: nõ tutum fuiſſe impacata domo longinquã expeditionẽ inire: de concordia vſq; in eam diem actum, in natalitio diui Baptiſtæ futuros apud ſanctum Audomarum Francorum & Anglorum legatos, atq; in annos decem ſe auctore accepturos pacem ; licere iam exequi Ferrarienſi epiſcopo, quę ꝓmiſiſſet: memorem ſe verbi ſui, q̃ non eſſet facturus irritum. Placuit Lucæ reſpõſum: quod cũ firmari litteris peteret, modo ad hunc, modo ad illum miſſus, multos dies fruſtra cõſumpſit, laſciuienti inter delicias Burgundo, quamquã ſeni, & modo in choreis, modo in palęſtris voluptates haurienti, cœnaſq; lautiſſimas ad noctis vſq; medium producenti, cura religionis excidit. Purpurati pręterea expeditionem in Turcas peſtiferã ducere: principem ętate grauẽ prauo cõſilio domum relinquere, ignotaſq; prouincias bello quęrere. Burgundis nimis remotam eſſe in Græcia militiam, nunquam reuerſurum ſi ierit: ſua quiſq; metiri pericula: alii labores metuere, alii ſumptus, alii mutationẽ imperii animo voluere, pro mitiſſimo patre filium regnaturũ, cuius non ſatis perſpectam naturã habeant: vereri ne clementiſſimo domino crudelis ſuccedat: illud euitari non poſſe, quin nouum dominum noui ſequantur miniſtri; ſibi relinquendam aulam eſſe, ſiue in militiã proficiſcãtur, ſiue domi maneant. Deteſtari omnes propoſitum principis, & cum nõ auderent aduerſari palam domino, cauſas morę clam nectere, tardoq; ſuapte natura nemo ſtimulum adhibere. Mutatum iam propoſitum videbatur, de Turcis ſilentio facto, cum ſubito poſt tertiã noctis vigiliam Burgundus in morbum cadit, adeoq; ſenſus omnes amittit, vt aliquandiu mortuus crederetur. Accurrunt medici, remedia omnis generis adhibent: alii vitæ ſpem minimam faciunt, alii prorſus deſperant. Sequenti die ſiue bonitate naturę, ſiue miraculo quodam diuino Burgundus ad ſe redit, breuiq; priſtinæ valetudini reſtitutus, conſilio proceerum accerſito: Quòd viuo, quòdq; ſoſpitem me cernitis, inquit, proceres, diuina gratia eſt: commerui mortẽ, qui voto meo non feci ſatis. Noſtis quę vouerim, & quę Pio Pontifici promiſerim, quamuis animus ſemper fuit adimplere promiſſa: plus tamen æquo diſtuli, domeſticis voluptatibus allectus. Interea nõ ſine magno Chriſtianitatis damno aucta eſt Turcarum potentia: iure indignatus Dominus morbo me flagellauit, ſed vſus miſericordia correctum me morti non tradidit: præter veſtram & meam opinionem priſtinam valetudinem cito recuperaui: commonitio hæc fuit: citauit me Deus, nõ eſt quod amplius differã. Ite omnes & qui mei amici eſtis, quiq; vouiſtis mecum, accingite vos itineri, vt eum Pius Pontifex iuſſerit, præſto ſitis. Ego quidẽ niſi mor.ar non deero. Dixere omnes parendum Deo, neq; vltra morandum: ſuum quiſq; corpus ſuamq; animam obtulit: vocauit & Lucam princeps, dixitque: Redi quamprimum Romam, ac Pio dicito: legatos meos in feſto Aſſumptionis beatæ Virginis Mariæ ſecum futuros, meq; facturum poſtulata: quibus modis in Turcas eundum ſit legati expedient: curet Præſul ad conſtitutam diem totius Italiæ legationes habere, quibuſcum res ipſa tranſigatur. Lucas eius rei teſtes litteras expoſtulauit: quibus obtentis, pridie quàm Pontifex Tybur cõcederet, Romam rediit. Quo audito Pius ingenti gaudio repletus, vniuerſis Italiæ potentatibus Burgundi propoſitum ſcripſit; vtq; legatos ad medium Auguſti Romam mitterent imperauit.

Mandata Pii ad Burgundum, eiuſq; in promiſſis exequendis tarditas, ſubito ac graui morbo correptus: & tandem de legatis pro expeditione versũ mittendis firma deliberatio.

Ludouicus dum hæc geruntur Franciæ rex, ex animo Pontifici diditiſſimo, viſus eſt paululũ cecidiſſe, ſiue quod eũ ſecundæ res extuliſſent nimis, ſiue quod ægre ferret Ferdinandum fauore Præſulis in regno Siciliæ ſuperiorem eſſe: ſcripſit litteras Pio, itemq; cardinalib. ſua dignitate indignas, & quaſi Papa ſuperior eſſet, damnauit

De Franciæ regis contra Pium indignatione, eiuſque arro-

grauiſſimis litteris, ac iniquiſſimis decretis, & Pontifice ad eum legatione.

opera eius,& quomodo Pontifici maximo viuendum eſſet regulas præſcripſit. Vexare illum bello regnum Siciliæ,ſuis conſanguineis hoſtem eſſe,nec pacem velle,neque inducias,eccleſiam Maguntinam diris calamitatibus ſubieciſſe. Comitem Rheni Palatinum,ducem Auſtriæ Sigiſmundum durioribus edictis vrgere:regem Bohemiæ hæreticum compellare,nullum ſinere frui quiete:facturum melius ſi paci Chriſtianorum ſtudens contra Turcas conſilia verteret: petere vt cardinales de mente Pontificis ſibi quamprimum reſponderent.Recitatæ ſunt in conſiſtorio ſecreto litteræ.Pontifex innocentiam ſuam oſtendit:cardinales ſcripta regis magnopere admirati,aut parum in eo eſſe conſilii dixerunt,aut aliter ſcriptum eſſe quam ipſe præcepiſſet: ſed non hic ſolus error eius.Tria decreta edidit.Primum,in quo ſe iudicem competentem,& non alium declarauit omnium litium, quas ſuper regaliis oriri cõtingeret,aut contigiſſet.Regalias vocant Galli ius quoddam à Francorum regibus vſurpatum:vacantibus eccleſiis cathedralibus,redditus earum arripere,ac beneficia conferre.donec nouus epiſcopus inueſtituram accepetit.In altero decreto ſanciuit, præſides Parlamenti,cunctoſq; miniſtros ſuos in cauſis etiam beneficialibus his priuilegiis gaudere,quibus Apoſtolica ſedes Pariſienſem ſcholam donaſſe perhibetur. In tertio,iudicium ſuper poſſeſſorio cuiuſcunq; beneficii Eccleſiaſtici ſuum eſſe cõſtituit:nec licere in regno ſuo præter ſe,cuiquam ad id manus extendere. Conſtituta pœna ſi quis decreta tranſgrederetur, non tam religioſus abolita pragmatica ſanctione viſus, quàm huiuſcemodi decretorum editione ſacrilegus. Pius irato regi haudquaquam litteris reſpondendum cenſuit,quæ ſemel lectæ, quod amplius dicãt nihil habent,nec reſpondent interrogatæ. Duo legati miſſi ſunt, alter ab ipſo, alter à collegio viri excellentes,qui iamptidem in Rotæ iudicio claruerunt: Theodorus epiſcopus Feltrenſis,& Ludouicus archidiaconus Bononienſis Apoſtolicæ ſedis notarius, quorum doctrinam,an facundiam magis admirere incertum ducas.Inſtructi ſunt quibus modis obiecta Pontifici crimina diluerent: quibuſve regem placarent: eique potiſſimum rei incumbere iuſſi: de bello quoq; aduerſus Turcas ſuſcipiendo verba facere,eamq; prouinciam quoad poſſint ſuæ celſitudini perſuadere, facultate conceſſa,inducias in regno Siciliæ quinquennales triennalesve ſaltem componendi,ſi regi contra Turcas animus ſit arma ſumere.

Hungariæ ſitus ac gentis origo, eorumque præclara geſta & varia fortuna, & tandem inter Matthiam ipſorum regẽ atque Imperatorem cõfecta pax.

Per hos dies adnitentibus Pii Pontificis oratoribus Dominico de Dominicis epiſcopo Torcellano,& Rodulfo decano Vormacienſi rex Hungariæ Matthias Imperatori Federico,cui iampridem fuerat infenſus, reconciliatus eſt: Chriſtianis rebus ſalutare factum.Hungaris aduerſus Turcas audacius pugnaturis nihil à tergo timentibus.Hungariam nonnulli quaſi Hunnariam,& Hungaros pro Hunnis dictos putant,tanquam Hunnorum reliquiæ ad ætatem vſque noſtram perdurauerint. Nos compertum habemus vltra Tanaim non procul à fontibus eius in Aſiatica Scythia populos vſque hodie reperiri,qui Hungari appellantur, quorum ſermo nihil ab eo differt,quo circa Iſtrum habitantes vtuntur.Illi parentes horum ſe dicunt, Deoſque more Gentilium,& idola colunt,rituq; barbarico,ac propemodum ferino vitam agunt.Eugenius quartus Pontifex maximus ad cultum Chriſti traducere conatus eſt: miſſis ex Hungaria nobis propinquiori viris religioſis, qui verbum Dei prædicarẽt, & notam illis facerent baptiſmi gratiam:interiacentes Rutheni tranſitum vetauere, qui Græcanico ritu Deo ſacrificantes,perire potius in errore idololatrae voluerunt, quàm Romanæ ritum Eccleſiæ ad eos deferri.Hungaria noſtris nota circa Danubium ſita eſt, vtranq; ripam obſidens pars citerior Pannonia quondam fuit à ſuperiori Myſia,vſque Noricum intra Danubium & Illyridem ſita:partem vlteriorem Gepidę tenuerunt,& alia Sarmatarum barbarorumq; nomina Romani florẽte imperio Pannoniam tenuere: iis declinantibus Gothorum ſubiere reges: deinde Huni: poſtea Longobardi: vltimi omnium acceſſere Hungari,quorum tantam ab initio immanitatem fuiſſe proditum eſt, vt humanis veſci carnibus crederentur: his multa cum Germanis fuere prælia: victores aliquãdo ad Auguſtam vſq; Vindelicam cuncta populati proceſſere: illic prælio ſuperati profligatiq; ſunt,& ingreſſi Hungariam Theutones,non minora quàm acceperant intulerunt hoſtibus damna:fortuna deinde res Hungaricas adiuuante imperium gentis adeo propagatum eſt, vt à regno Poloniæ

vſque in Dalmatiam, & Adriaticum pelagus protenderetur, rurſuſque ab Auſtrialibus, Morauiſque gentibus ad Euxinum mare pertingerer, ſeptemque regna ſub vno concluderet, linguas plutes diſſonaſque complexum, Cloatini, Dalmatæ, Boſnenſes, Seruienſes, Raſciani, Bulgari, quos Myſos vocauere priſci Sclauonico ſermone vtuntur: Valachi corrupto Italico: Tranſiluani Theutonico. Scythas veros eſſe Hungaros aiunt, quorum parentes primi ab antiqua Hungaria profecti fuerint, nec mores præter cultum religionis mutauerint: genus hominum pauper, lacerum ac nudum: verum ſuperbum & arrogans, ſolos ſe nobiles ex Hungaris putant, & ſeipſos ſalutant dominos: pauci agros colunt, opes armenta ſunt, ex quibus victitant. Tributa nulla pendunt: niſi regiæ coronationis adſint ſolemnia: tunc quot ſunt patresfamilias, tot boues regi donant: Sexaginta millia proditum eſt aliquando boum regi fuiſſe tradita. Intra regni limites ſine ſtipendio militant, exire non compelluntur: Inter reges Hungaricæ gentis claruiſſe olim Belam memorant, & Andream, & Ludouicum Stephanum cunctis præferunt, & rerum claritate geſtarum, & vitæ rectitudine, cui Germanici iugum Imperatoris declinanti Romanus Pontifex coronam miſerit gemmis & auro precioſam, quæ vſque hodie quaſi ſacta ſeruatur: nec Hungari verum exiſtimant ſuum regem eſſe, niſi qui ea fuerit coronatus. Ludouicus ſine virili ſobole deceſſit: filiam eius Sigiſmundus Caroli quarti Imperatoris filius duxit vxorem, cum qua regnum Hungariæ adeptus ſupra duos & quinquaginta regnauit annos digna, & indigna perferens, qui prælio cum Turcis commiſſo, victus profligatuſque fuit, quãuis ex omni Europa ad eum auxilia acceſſiſſent: Gallos cladis cauſam fuiſſe memorant, qui propter nobilitatem priores pugnæ partes ſibi arrogantes vbi ad hoſtes peruenere dimiſſis equis pedeſtrem pugnã conſeruere; nec Hungaros ſui conſilii fecere participes. Soluti equi retro abierũt, quos ſine ſeſſoribus conſpicati Hungari vniuerſam Gallorum Anglorumque manum (excitatus enim puluis proſpectum impediebat) obtruncatam credidere, ac terrore perculſi turpi ſe fugæ commiſerunt. Illi dum acriter pugnant relicti à ſuis, vndique ab hoſtibus circumuenti magna ex parte cæſi ſunt, reliqui capti: inter quos fuit Ioannes Burgundiæ dux, cuius geſta ſupra conſcripſimus: & Amedei Sabaudiæ ducis frater extra matrimonium natus, quem Turcæ emaſcularunt: vterque auro redemptus eſt. Sigiſmundus ad mare confugiens, Conſtantinopolim nauigauit: indeque domum ſaluus, ſed inglorius rediit. Ab eo tempore res Hungaricæ declinare cœperunt: Turcanicæ vero, quę Aſia, Gręciæque magna parte ſubacta admodum florentes erãt, in dies magis ac magis augeſcere, & tum quidem Bulgaria ad hoſtes defecit. Oram Dalmatiæ maritimam Veneti iampridem ſibi acquiſierant. Obiit & Sigiſmundus ſine virili ſobole, filiam eius Heliſabeth vxorem duxit Albertus Auſtriæ dux, cum qua regnum Hungariæ, Bohemiæque conſecutus, Imperium quoq; Germanicum eſt adeptus. Huic ſicut & ceteris regibus infeſta fuerunt Turcarum arma; aduerſus quos profectus intemperie locorum offenſus in morbum incidit, breuiq; mortuus eſt, cum tribus non plenis regnaſſet annis relicta vxore prægnante: cuius imperium non ferentes Hungari, Vladiſlaum Poloniæ regem aſciuerunt in Hungaria regnaturum, ac reginæ futurum virum: regina conſenſuram ſe ait, niſi maſculum pareret. Dum Vladiſlaus ſe itineri accingit, Heliſabeth filium parit, quem Ladiſlaum appellat: baptizatumque illico in Albaregali pro veteri conſuetudine coronari iubet; nec morata puerum cum corona, quam ſanctam dicunt, Federico patrueli Auſtriæ duci, qui poſtea Imperator aſſumptus eſt, alendum conſeruandumque mittit, verita ne Poloni aduentu interceptus occideretur. Polonus Budam profectus, tanquam rex intromittitur. Regni proceres, prælatique in duas diuiſi partes, alteri Ladiſlaum, alteri Vladiſlaum regem eſſe dixerunt: Regina Laurini ſe cõtinuit, ad quam omnes ſe contulerunt, qui Ladiſlaum regnare cupiebant. Quorum princeps Vlricus Ciliæ comes ingentis ſpiritus vir, & in armis clarus, partes aduerſas magnis affecit cladibus. Federicus imperio præfectus tanquam Ladiſlai tutor, ab altera Hungarorum parte receptus, hoſtis Polono fuit. Interuentu deinde Iuliani cardinalis ſancti Angeli Apoſtolicæ ſedis legati, cum Turcæ Hungariam premerent, fœdera cum eo pepigit, & inducias belli; Polonus pacem à tergo conſecutus, pugnare cum Turcis conſtituit, frontemque tueri ab hoſte inuaſam: exercituque coacto Po-

lonorum & Hungarorum in Raſciam contendit, & vltra in hoſtium fines accurre te Amurate Turcarum Imperatore cum ingentibus copiis audacius quam conſultius (vt eſt mos gentis) commiſſo prælio ſuperatus atque occiſus eſt. Dignus laude, & fortaſſe martyrio coronatus, qui pro religione decertans occubuit, niſi regnandi libido plus valuit. Cardinalis S. Angeli tribus ſagittis vulneratus inter fugiendum apud quandam paludem equo prolapſus nobilem exalauit ſpiritum. Ioannes Huniates celeri fuga ſeruatus eſt: qui regni gubernator effectus, non multo poſt tentare iterum cum Turcis belli fortunam decreuit, nec melioribus auſpiciis ad pugnam profectus maiorem exercitus partem amiſit, pleriſque proceribus ac prælatis in prælio cæſis. In vtroque conflictu, ſupra quadraginta Hungarorum millia periiſſe proditum eſt: nonnulli cæſorum numerum adduplicarunt. Duobus his attriti vulneribus Hungari, Ladiſlaum regem acclamauere omnes; miſſiſque ad Imperatorem legatis dominum ſuum coronamq; petiuerunt: nec impetrauere, dicente Cæſare, nec tutum eſſe puerum extra tutelam ſuam emittere, neque Hungaris vtile à puero gubernari. Confirmata eſt Huniati gubernandi poteſtas, tanquam pro Ladiſlao regnaret. Imperator Romam profectus coronæ ſuſcipiendę gratia, Ladiſlaum ſecum duxit, duodecim annos natum. Id ægre Hungaris, Bohemis, ac Auſtrialibus fuit, qui Alberto quondam parentes imperium filii ſummo cum deſiderio expectabāt. Conſpirauere abſente Imperatore cuncti ſimul; vendicareque ſuum dominū armis conſtituere: primiq; Vienenſes eiectis magiſtratibus ab Imperatore præpoſitis libertatē ſibi aſſeruerunt, quouſque Ladiſlaum vendicaſſent: exemplum primariæ vrbis cuncta per Auſtriam ſecuta oppida. Reuerſo ab Italia Cæſari legationes præſto adſunt Ladiſlaum petentes: vbi negatus eſt, Auſtriales ac Bohemi, non expectatis Hungaris, collectis raptim copiis Imperatorem apud Nouamciuitatem Auſtriæ obſidione claudunt, coguntque puerum tradere: qui apud Viennam multarum gentium dominus præcipuam imperii ſui ſedem elegit, quamuis modo in Hungariam modo in Bohemiam proficiſceretur. Interea mortuo apud Turcas Amurate, Maumethes ſuſcepit imperium acris ingenii adoleſcens, & regnandi cupiditate inſatiabilis: qui ſub Nicolao quinto Pontifice maximo regiam vrbem Conſtantinopolim orientalis imperii ſedem atque totius Græciæ columen (vt ante dictum eſt) terra marique obſeſſam vi cepit atq; diripuit, Imperatore gentis occiſo, & omni nobilitate ferro deleta. Fleuere Chriſtiani omnes tantæ vrbis cladem: conuentus agitauere: occurrendum Turcis priuſquam amplius inualeſcerent, vtile conſilium putauere, hinc Romanus Pontifex inde Cæſar, reges ac populos in arma vocare, religionis periculum ante oculos ponere, hortari, monere, ne ſuo tempore ſanctū Euangelium conculcari ſinerent: fruſtra omnes fuere conatus. Domeſticæ ſeditiones externi remotioriſq belli curam reiecere: ſegnitieſque & auaritia obſuit. Turcæ capta Conſtantinopoli in Raſciā Seruiamq; traiicientes, gentis dominum (quem Deſpotum appellant) eiecerunt: conſanguineis eius interceptis oculos effoderunt: regionumque munitiſſima quæque oppida, pręter Sinderouium, & Belgradum expugnauere, ac tranſmiſſo Danubio, Valachos ſibi vectigales fecere: aptiſſimus ad incurſandos Hungariæ fines viſus Belgradi ſitus, quem confluentes Sauus Danubiuſque duplici latere ambiunt; priſci Taurunum, hodie Belgradum vocauere, Hungari & Theutones alteram Albam appellant. Huic Maumethes coactis ex omni regno viribus ingentes copias duxit: qui maiora de magnis loquuntur, trecenta hominum millia in caſtris eius conueniſſe tradiderunt: qui autem appoſite ad verum, quæ viderunt enarrauere centum & quinquaginta millia. Caliſtus tertius natione Hiſpanus ex ciuitate Valentia Romanæ præſidebat Eccleſię, qui percepto Turcarum ad inuadendam Hungariam apparatu, legatum Apoſtolicæ ſedis eo direxit Ioannem cardinalem ſancti Angeli virum prudentem, & animo præſenti; plenariam peccatorum veniam largiturum his qui contra Turcas arma capeſſerent. Quæ res multos ex Germania populos traxit: Verum pauperes ac prope inermes; horum eſt enim regnum cælorum: Diuites præſentibus illecti delitiis, haud quaquam futura inquirunt. Erat in Hungaria Ioannes Capiſtranius, ordinis Minorum profeſſor, natione Italus, verbi Dei acceptiſſimus in populis prædicator: quippe qui litterarum eruditionem cum vitæ ſanctitate iunxiſſet, exemploque Domini Saluatoris: pietatis

opera

opera faceret, & doceret: huic Germani ſe coniunxere: ingens cruce ſignatorum numerus hunc ſibi ducem elegere, nec alterius parere imperio voluerunt: cum eo Taurunum profecti ſeſe Turcis obiecere: Ladiſlaus qui paulo ante Budam venerat, trepidante regno, Turcarumque arma timente, retro in Auſtriam fugit, Ioanni Huniati regni gubernatione ac tutela dimiſſa: Is quoque propere cum equitatu peditatuque raptim collecto, obuiam hoſti proficiſcitur: delectaque militum robuſtiſſima manu ingreſſus oppidum, Turcarum conſilia quam diligenter noſſe conatur, atque illis occurrere. Adoriuntur priores oppidi muros Turcæ, machiniſque deiiciunt. Vacua ibi pars oppidi fuit, in qua cruce ſignati ſtationes habebant. Ab his prælium cum Turcis initur, qui modo Turcos extra mœnia compellunt, modo repulſi intra vrbem pugnant. Capiſtranus & Huniates ex arce altaque turri proſpectant prælium, & alter oſtentans diui Bernardini Senenſis imaginem, atque altiſſima voce Saluatoris inuocans nomen, Ieſus Ieſuſque ſæpius intonans, pugnare cruce ſignatos admonet: alter cui ſit loco inſtandum, ſubueniendumque docet, ceſſare vulneratos, feſſoſque iubet; & ſufficit integros.

Chriſtianorum cũ Turcis victoria.

Interdum & ipſe vbi pugnari à ſuis remiſſius videt, è turri deſcendens fortiſſimi militis partes implet. Diu prælium anceps ducitur, cum modo Chriſtiani cederent, modo Turcæ: tandem fugati longius extra muros hoſtes noſtris victoriam reliquere, Maumethes ſub mamilla vulneratus, ea quæ ſecuta eſt nocte relictis Bombardis cum omni exercitu aufugit: trepidus fama quæ raro quadrat vero, quadraginta Turcarum millia in ea pugna cecidiſſe vulgauit: qui diligenter perſcrutari ſunt verum, iacentiaq; in campis cadauera dinumerarunt, haud multo plura quàm millia quatuor inuenta prodiderunt. Trepidatio & fuga Imperatoris potentiſſimi victoriam nobilitauit, & claſſis eius in Danubio diſiecta, atque combuſta. Huniates & Capiſtranius fugato inſignes hoſte paulo poſt morbo obiere; felices tanquam rebus proſpere geſtis triumphaturi, (vt creditum eſt) ad ſuperos migrauere. Capiſtranii cadauer tanquam viri Deo accepti ſepeliri Hungari non permiſerunt: conditum arca in Eccleſia cuſtodiunt, ſacrumque habent. Ladiſlaus his cognitis ex Auſtria Budam venit, non tam hoſte profligato lætus, quam Huniatis obitu, qui ſe potentior in Hungaria fuiſſet. Deſcendit iam ſecuro regno ad viſendã Albam, & loca in quibus pugnatũ erat: vbi dum ſacris operam dat, miſſamque audit, Vlricus Cilię comes à Ladiſlao Huniatis filio in conſilio obtruncatur, ſumpta occaſione quòd ſuam à comite vitam didiciſſet inquiri. Nõ eſt auſus rex damnare factum, propter potentiam occiſoris: diſſimulauit ad tempus iniuriã, donec Budã rediit: ibi Ladiſlaum in arce deprehenſum ſecuri percuſſit, & fratrem eius Matthiã in carcerẽ coniecit, ſecumq; deinde in Auſtriam, & demum in Bohemiam captiuum duxit. At cum in Praga (quæ eſt Bohemorum Metropolis) celebrare nuptias parat, miſſis legatis, qui ſponſam ad ſe deducerent Magdalenam Caroli regis Franciæ filiam ſubito morbo correptus interiit. Quidam toxico periiſſe tradiderunt, quod ſibi Georgius regni gubernator propinauerit, & hęreſiarchæ Rochezanæ miniſterium. Hungari cognita regis morte ſucceſſorem electuri, apud Peſtam frequentes conueniunt trans Danubium è regione Budæ. Eo Michael Silagi auunculus Matthiæ cum quatuordecim millibus equitum ſe confert, Matthiamque Huniatis filium regem proclamat. Conſentiunt omnes, cum libera non eſſet inter armatos contradicendi facultas. Arma regem vel captiuum faciunt. Mira res: Matthias ex carcere ad faſtigium regni ſublimatur. Georgius qui & ipſe regnum Bohemiæ vſurpauerat, acceptis quinquaginta millibus aureis captiuum dimiſit, eique filiam deſpondit vxorem. Matthia regnum adepto nunquam Turcæ conquieuerunt, modo hanc regni partem, modo aliam inuaſere: ęgreq; illis reſtitit, cum plenam in ſubditis obedientiam non haberet, tanquam non eſſet verus rex, per vim electus, nec ſacro diademate coronatus. Petiit ſæpe ab Imperatore coronam, neque obtinuit. Ob quam rem deſpectior apud ſuos in dies fuit. Acceſſit & manifeſtæ rebellionis malum: præcipui regni proceres Eccleſiaſtici & ſæculares ab eo deficientes, Federicum Imperatorem ſupra ſe regem conſtituerunt, cum quibus & Michaelem Matthiæ auunculum ſenſiſſe proditum eſt; qui poſtea à Turcis captus necatuſq; eſt. Hinc ortæ inimicitiæ inter Federicum & Matthiam capitales, cum regnum non ca-

peret duos, & vterq; regem Hungariæ ſe diceret. Et quamuis Hungari Imperatori fauentes, eo minora faciente quam promiſerat cito ab eo defecerint, & in gratiam Matthię redierint, non tamen ceſſauit odium, nec belli materia defuit, Imperatore regni coronam & titulum retinente; Hungariamque per ſuos duces pluribus in locis infeſtante. Moleſta ea res Pio Pontifici fuit, cum propter odia regum nullo tempore non deteſtanda, tum quòd ea diſſenſio Turcas ad impetũ occidentis ſuopte ingenio erectos magis ac magis inuitabat. Mandauit igitur cardinali ſancti Angeli apud Hungaros agenti, vt Imperatorem accederet, pacemq; ſuaderet. Paruit cardinalis, fruſtraque verba fecit. Miſſus eſt & Beſſarion Nicænus alter cardinalis id ipſum procuraturus, nec profuerunt labores eius: Hieronymus deinde Cretenſis archiepiſcopus ad eandẽ prouinciam iuſſus ire, quamuis prope ad concordiam reges deduxit, non tamen perduxit ad exitum inchoata. Succeſſit vltimo Rodulphus, qui modo vnam, modo alteram partem adiens monendo, vrgendo, dies ac noctes inſtando, concordiæ tandem formam reperit, quam rex vterque probauit. At cum ſignari conuenta peterentur, Imperator nihil facturum ſe ait, niſi Romani Pontificis accederet auctoritas, quæ fœdera comprobaret, & aduerſus ea facturos anathemate feriret: Ea res triginta dies pacem ſuſpendit. Interim Pius ſecundum poſtulata litteras Apoſtolicas ad Rodulphũ miſit: tum quoque & aliæ difficultates interceſſere. Opportune circa idem tempus Torcellanus epiſcopus aliis de cauſis in Germaniam miſſus Imperatorẽ adierat: hunc ſibi Rodulphus in tam difficili ac propemodum deſperato pacis negotio, ſocium aſciuit, nec recuſauere partes ob reuerentiã primæ ſedis: ambo concordiæ ſummis conatibus operas nauauere, alter ad eam rem miſſus alter admiſſus: quibus adnitentibus præter omnium ſpem ſublatis difficultatibus his fœderibus in concordiam itum eſt. Matthias regnum & regni titulum conſeruato; Imperatoriſque filius adoptiuus eſto: eique auri nummum octuaginta millia diſſoluito. Decedenti ſine liberis Maximilianus alter Imperatoris filius ex coniuge natus ſuccedito. Imperator regium inane nomen, & oppida quędam in finibus regni vita comite retineto: vlterius regnũ ne ingreditor; ſacram coronam Matthię reddito: amici deinceps ambo ſunto. His vltro citroque acceptis, atque obſignatis, rurſus noua contentio emergit: priores ne Hungaros pecuniam numerare oporteat, an Imperatorem tradere coronam. Legati vno ſimul tempore, & aurum ad ſe deferri, & coronam iuſſerunt: quo facto, vt acceperunt, partibus tradiderunt, publicariq; pacem iuſſere; quæ tanto iucundior viſa populis, quanto diutius expectata. Tempeſtiua res & ad expeditionem contra Turcas ineundam admodum neceſſaria Pio Pontifici nuntium eius vltima die quinti Pontificatus ſui anni allatum eſt: ſequenti die anniuerſarium quaſi natale celebratum: & annus inchoatus ſacerdotalis eminentiæ ſextus.

Leodienſium cum eorum epiſcopo reconciliatio.

Paulo ante Hungaricam pacem, & Leodienſes feroces Belgiæ populi (quorum ſupra meminimus) interuentu legati Apoſtolici epiſcopo ſuo cõciliati ſunt: cum prope ad arma veniſſent. Ciuibus cum iuriſdictionem Eccleſiaſticam violaſſent epiſcopus ſacris interdixerat ob manifeſtam iniuriam: clerus epiſcopo ſuo paruit: populus ęgre ferre diuinorum ſubſtractionem, maledicere ſacerdotibus: verbera cædeſq; minari: epiſcopus Philippi Burgundiæ ducis, cuius eſſet nepos, auxilia quærere: ciues Ludouici Franciæ regis patrocinia implorare; vterq; poſtulata promittere: Superbire magnis adiutoribus partes: augeri in dies odia, nec aliud expectari quàm bellum: quod ſine magno Gallicæ gentis incendio fieri nõ poterat: emergentẽ ignem, & iam comburere incipientem Petrus Ferricii ſacri palatii auditor, quem Pius ad eam rem miſerat, priuſquam flammas euomeret ſumma diligentia extinxit, perſuaſis partibus iudicia potius experiri, quàm arma.

Tractatus concordia inter Maguntinos & leges pacis.

Bellum quoque Maguntinum, quod biennio iam geſtum vicinas regiones exuſſerat hoc tempore intermiſſum eſt. Carolus marchio Badenſis è carcere miſſus inducias pepigit, paciſq; fœdera in hunc fere modum dixit, Archiepiſcopatũ Maguntinũ pro decreto Pii Pontificis adiudicandum eſſe; Dyethero quoad viueret quatuor oppida relinquenda dandamque peccati veniam. Quę Dyetherus Palatino caſtella donaſſet, ea nomine pignoris apud illum remanere, donec auri Rhenenſis centum millibus nummum redimerentur: cenſuras in eum prolatas vltro remittendas: fratrem

Pala-

Palatini electum Colonienſem, quàm minimo fieri queat ſumptu à Pio Pontifice confirmandum. Omnes qui mandata Pontificis ſpreuerint, damnumve dederint, eccleſiæ Maguntinæ abſoluendos. Et cetera in hunc modum minutiora, quæ ſi à Pontifice impetrari poſſent, Palatinus de ſumma centum millium florenorum pro redimendis caſtris decreta viginti millia remitteret: captiuis quoque dimiſſis, inflictam mulctam comminueret. Adulfus ita demum ea probare ſe ait, ſi Pio Pontifici placerent: ob quam rem legati miſſi ſunt Marcus Marchio Badenſis Caroli frater, Ropertus Scholaſticus Maguntinus, & duo Alfonſi nepotes, quorum ſenior nondum quintum decimum expleuerat annum. Tres quoque doctores acceſſere, & vnus eques: Quibus apud Tybur auditis, digerere pauliſper conuenta placuit, ac deinde reſponſum dare.

Obitus optimi viri Alexandri cardinalis ſanctæ Suſannæ.

Medio tempore Alexander cardinalis ſanctę Suſannæ non ſine ſummo Pontificis mœrore febre correptus extinguitur, cuius vitæ ſanctimonia, cum per omnem vitam emicuiſſet, tum maxime in obitu claruit: qui etſi dies quamplures agonizauit, nunquam tamen intermiſit de fide catholica diſputare, ſymbolum exponere, obſtruſos ſcripturarum ſenſus aperire, dubiaque reſoluere: hortari aſtantes ad Euangelicam vitam; ad cæleſtis patriæ deſiderium erigere, contemnenda eſſe huius promiſſa ſeculi, quę velis, nolisve relinquere oportet: In ea patria theſaurizandum, cuius gaudia fine carent. Cum rogaretur teſtamentum facere: animam, inquit, meam Deo relinquo: Pio Pontifici corpus, & hęc quæ vocantur ſæculi bona; ipſi familiæ curam & ſepulturę meę committo. Deinde quaſi dormiens expirauit, ingens ſacri collegii decus in quo vitæ fulgor cum doctrinæ luce contendit. Potuerant ſine damno multi homines periiſſe: in hoc graue vulnus accepit Eccleſia. Ita plerũq; fit, vita breuis bono eſt, malo quamdiutiſſima: ſeruantur ad pęnitentiam peſſimi, ſiue vt bonos exerceant: probitas cælũ petit. Pius exequias cardinale dignas amico peregit, & familiæ curam ſuſcepit. Ad eccleſiam Camertinam cui pręfuerat Alexander, Agapytum Anconitanũ epiſcopum tranſtulit: Aprutinum ad Anconitanam, ad Aprutinam Crotoniatem. Legaris Germanicis ad res Maguntinas componendas miſſis, grauia eſſe poſtulata reſpondit: legatumque videri mittendum, qui cõditiones Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedis amicorum meliores efficeret, neque id legatis ingratum Tricaricenſis epiſcopus natione Romanus eam prouinciam ſuſcepit.

Veneti Apoſtolici legati ſua'u bellũ Turcis palã indicunt.

Beſſarion cardinalis Nicęnus dum iſta fiunt, cum Venetias appuliſſet, Bucentauro naui magno ciuitatis fauore à principe & ſenatu exceptus eſt, & pro reuerẽtia primæ ſedis, præcipuis cumulatus honoribus. Auditus in ſenatu perſuaſis patribus facile ſuaſit quæ voluit: id eſt vt bellum in Turcas publice decernerent. Veneti enim etſi præfecto claſſis liberum belligerandi arbitrium permiſerant, tectum id tamen conſilium ſapienter ſeruabãt, non prius vulgaturi quàm magno aliquo damno, vt ſeſe occaſio obtuliſſet, hoſtes affeciſſent: at Beſſarione audito cognitaque Pontificis voluntate, qui ſe belli ſocium offerebat, ſenatus conſultum palam ediderunt, in quo Turcæ hoſtes Venetorum declarati ſunt: hiſque magnis animis bellum indictum, & ad claſſem, quæ iam nauigauerat plures triremes additæ, & ſupplementa militum miſſa. Beſſarion obtento decreto rem diuinam in diui Marci templo fecit coram principe & ſenatu, cum Vrſati Iuſtiniani claſſis imperatoris vexillo benedixiſſet, eidemque cum imperio abeunti maiorum more ſolemni cæremoniã de Turcis victoriam precatus eſſet: mox religioſorum pompam per vrbem duxit, decimas, vigeſimas, ac trigeſimas impoſuit: & plenarias indulgentias publicauit his qui ſanctam expeditionem, aut ære, aut manibus adiuuarent.

Legatio Burgundi Pontificem Tybure conuenit.

Circa idem tempus legati Burgundorum Pontificem apud Tybur conuenere Gulielmus Tornacenſis epiſcopus iampridem Pontifici notus, & ab eo ex Tullenſi Eccleſia ad Tornacenſem tranſlatus, & cum eo tres proceres in ducali palatio potentes. Qui ſine arbitris auditi, Philippum, dixere, principem ſuum ſtatuiſſe facere pro defenſione fidei, quæcumq; deſideraſſet ab eo Ferrarienſis epiſcopus: dilationis interiectę Anglicos fuiſſe cauſam, qui bellũ illaturi Galliæ videbantur, impedituriq; ducis iter; nunc induciarum decennalium ſpem certam fore, liberumq; duci quo velit ire: reliqua ſe Romę dicturos, quam breui petiturum Pontificem didiciſſent. Collau-

dauit Pius ſanctum Philippi propoſitum, dignumq; principem eſſe dixit, quem ſancta ſedes Apoſtolica ſummis proſequeretur honoribus.

Legatus Apoſtolicus à Rege Franciæ intercipitur, & Auinionenſis cardinalis temporalitate priuatur.

Longe diſpar hiſdem ferme diebus Ludouici Franciæ regis obedientia viſa eſt, qui ſpiritu rebellionis imbutus, legatum Apoſtolicum Ioannem Cæſarinum ſacri palatii Auditorem in Britannia proficiſcentem comprehendere, ſcripturaſque cunctas ei auferre temerario præſumpſit auſu: neque his contentus Alano cardinali Auinionenſi, qui mittendi legati cauſa fuiſſet, fructus beneficiorum omnium, ſiue, vt aiunt, temporalitatem ademit, ſibique vſurpauit. Pari pœna & duos eius nepotes epiſcopali dignitate præditos coercuit, quamuis prorſus innocentes. Comminatus eſt, & cardinali Rothomagenſi, tanquam & ipſe cum Auinionenſi conſpiraſſet: crimini dabat miſſionem Cæſarini, quoniam de feudo iudicaturus iret in Britanniam inter epiſcopum Nanetenſem, & gentis ducem, quos ſuos eſſe ſubditos aiebat, ſibique iudicium feudi pertinere, non Papæ: tyrannica vox & mendax. Neque dux, neque epiſcopus regis Franciæ ſe ſubditum confitetur, quamuis vterque magni regis potentiam vereatur, quemadmodum imperatorem in ſuo regno Ludouicus ſe dicit, ita & ſe regē in ſuo principatu Britanniæ dux aſſerit: epiſcopus vero Nanetenſis prius fundatam fuiſſe ſuam Eccleſiā, temporaliaq; dominia, & quæ vocāt regalia iura habuiſſe contendit, quàm regnum Franciæ conſtitueretur, in quo Ludouicus regnat: merito itaq; Pontificem in contentione ducis & epiſcopi iudiciū ſuſcepiſſe. Sed quis iſta regi ſuadeat cum pro lege cupiditas eſt, prurienteſque tantum auribus magiſtros audit?

Georgii Scāderbechii ad Piū expurgatio, quòd fœdus cum Turcis fecerit.

Auditus eſt & Tybure legatus Georgii Albaniæ domini, quem vocant Scanderbechium: Verba eius hunc habuere ſenſum. Veniſſe Maumethem Scopiam innumerabiles ducentem copias, improuiſumque Georgium opprimere voluiſſe: nullum patuiſſe Georgio ad muniendam prouinciam tempus. Vnicū ei ſalutis remedium fuiſſe, pacem ab hoſte petere: id facturi eſſe conſeruandæ prouinciæ cauſa: at cum voluerit Pontifex, rurſus in bellum ibitur: optare Georgium in terris Eccleſiæ refugium, ſi regno pellatur a Turcis. Pontifex neceſſariam pacem non improbauit ſi, quod aiebar Georgius, imperium Apoſtolicæ ſedis ſaluum eſſet: refugium pulſo in agris Eccleſiæ non defuturum, ſi pro religione pugnans ab hoſte fidei eiiciatur.

Aquilani rebus ſuis diffiſi, Ferdinando regi ſeſe tradunt.

Alexander interea, quem diximus inducias belli cum Picinino pepigiſſe, atque ad Pontificem, de pacis fœderibus acturum veniſſe, accepto reſponſo in Aprutiū rediit. Matthæus Capuanus, & Alonſus Hiſpanus cū ſuis & Alexandri copiis in Aquilanos duxere: caſtellaq; comitatus fere omnia prima excurſione cepere. Rocchamedia, & alterū quoddam oppidū, cum aliter furorē exercitus euadere nō poſſent, Neapoleoni Romanæ Eccleſiæ nomine ſe tradiderunt. Aquilani (vt diximus) ſæuientē in vrbe peſtilentiā in agros cōfugerant. At vbi hoſtis adfuit, mox intra mœnia ſe receperūt, non tā diuinum bellū veriti, quam humanū. Secuti ſunt & agreſtes cū pecoribus, & imbelli mulierū puerorumq; turba: nec minus in vrbe quā ciues poterāt: qui vbi hoſtes tenere agrū didicere, & ad portas vſq; procurrere, nec vllā auxilii ſpem ſupereſſe, hinc peſtem, inde ferrū timentes, aperiendā Ferdinando vrbē clamauere: quē ſedes Apoſtolica regē dediſſet, haud amplius recuſandū eſſe; niſi petant ciues pacē ſibi non deeſſe animū tradēdæ vrbis ſtultū eſſe cum Deo & hominibus bellū gerere. Aquilani, qui ſe liberos, & vxores vēdituros, aut famis cauſa comeſturos ſæpius aſſeuerauerant, priuſquā Ferdinandū regem admitterēt, ad primā ruſticorū territi vocem, quærendā cum hoſte pacē cenſuere: miſſiſq; legatis pro voluntate ducū, regi ſe dedidere; oratoribus auctoritate abrogata, quos ad tradendā Pontifici vrbem miſerant: auctorē tam repentini conſilii Petrum cognomento Lalla Montorii comitem tradiderunt, virum muliebris animi, & cui vxor imperat: hunc Aquilani ſequuntur propter familiā, cuius eſt princeps, parati vel boui parere, qui domui Componiſcorum præſideat. Petrus igitur quàm fuit in tradenda Gallis vrbe leuis, tam modo in reſtituenda Ferdinando præceps viſus & inconſultus, cui multo ſalubrius fuerat mediatore Pontifice in gratiam Ferdinandi rediiſſe, quod ei non erat difficile: ſed quæ poſſunt effeminati eſſe cōſilia? Aquilanæ vrbi ſi bene ſucceſſerit, miraculū erit, cuius populus imprudentem ſequitur ducem, ducique imprudentior imperat coniux. Illud præſidio poteſt eſſe, quod aiunt: ibi plurimum eſſe fortunæ, vbi minus eſt prudentiæ.

Ruge-

Celani comitatus expugnatio, eiuſq; conceſſio Antonio Pontificis nepoti facta, & Pii erga comitiſſam clementia.

Rugerottus Celani comes, cuius ante meminimus, his mutationibus & quoniam Neapoleo ſibi inuulerat arma deterritus, matrem hortatur, vt ſe liberam Pōtifici ſcribat, veniamq; filio petat: mulier ne peiora ferat quod iubetur facit: accedunt legati Pontificē matris & filii literas afferētes, belluinq; deprecantur. Pōtifex indignum pacc Rugerottum ait, qui nec matri dederit pacem; comitiſſam tunc ſe liberā crediturum, cum extra poteſtatem filii fuerit; illā ſi ſe adierit inuenturam pro meritis gratiā; Rugerotto aut principatum, quem matri abſtulit dimittendum, aut armis defendendum. Neapoleo interea comitatum ingreſſus cum exercitu, caſtella pleraq; & munitiones vi obtinuit, inter quę magni momēti oppidum expugnauit Ortuchiū Fucino adiacens lacui: quo percepto Rugerottus matrem dimiſit, ſperans per eam Pontificem poſſe placari. Illa Tybure Piū conuenit, atq; his verbis vſa eſt: Ante tuos pedes conſtituta, maxime Pontifex, nunc demum me liberam eſſe intelligo. Impius me filius coniecit in carcerem ancillam, & captiuam ex domina fecit: tua mihi pietas libertatem reddidit, tibi gratias ago, meq; commēdo, & hunc paruulum filium (duxerat enim ſecum alterum ex liberis natu minorem) pro maiore nihil peto, plura dicere volentem lacrymæ impediuerunt; cui Pius: Tua fides, inquit, mulier digna eſt, cui fauori ſimus; neq; tibi, neq; huic ſecundo filio tuo deerimus: adſunt in Apulia nō parui cenſus caſtella, quæ Rogerottus tibi perdidit ea in tuam poteſtatem reſtitui iubebimus: tu deinde huic relinques. Comitatus Celani, cuius erat Rogerottus heres, quoniam ille indignum ſe fecit, ad Antonium nepotem noſtrum ex voluntate regis perueniet. Armenta, quæ in agrum noſtrum hiematura miſiſti, petenti Rogerotto nunquam tradere voluimus, ſalua ſunt tibi: eſto boni animi: non erit ſine noſtro prę ſidio tua virtus. Nec plura in primo congreſſu verba fuerunt. Sed cum Pontifex breui Romam profecturus eſſet, mulier quoq; eo pergere iuſſa eſt. Medio tempore Celanum per deditionem captum eſt, & arx tradita apparatu regio ædificata; nec minus munita, quàm commoda. Similiter & caſtella reliqua comitatus, præter duo, deditionem fecere, quorum alterum nondum tentatum erat: in alterius arcis oppugnatione Robertus Vrſinus lapide ictus in fronte prope exanimatus fuit.

Pacis tandē confectio inter Sinueſſanum & regē & inter eos affinitas.

Marinus vero Sinueſſæ tyrannus poſtquam tandem expertus eſt plus regias vires, quàm ſuas valere fraudes; nec iam amplius inſidiis eſſe locum, pacem quam ſæpe promiſſam reiecerat, miſſis legatis, vltro repetiit, neque repulſus eſt. Filia regis eius filio deſponſata eſt. Arces & oppida pleraq; munitiſſima tanquam fidei pignus regi tradita: Ioannes Andegauenſis, qui Marino cum duabus equitum turmis auxilio venerat, intra dies quindecim ex agro Sinueſſano iuſſus excedere, intra conſtitutam diem ad Enariam inſulam nauigauit, fideiq; Ioanni Entoreliæ ſe commiſit, hominis Aragonenſis famoſi piratæ, & qui dominum ſuum Ferdinandum prodidiſſet. Alumen (vt ante diximus) in inſula reperitur, cuius ſeruandi cauſa Ferdinandus turres aliquas erexerat; ac præſidium impoſuerat, quod pluribus diebus Ioannes fruſtra oppugnauit.

Pontifex viſo Fraſcato ex Tybure Romam reuertitur.

Pontifex cum iam legationes Italicæ Romam peterent, ad res fidei accerſitæ, relicto Tybure ad eas properare ſtatuit: prius tamen Fraſcatum adiit, quod ſupra diximus olim villam fuiſſe Luculli, nunc oppidum eſt haud magnum: ruinæ veteres priſcam nobilitatem oſtendunt. Aſcendit & Tuſculanum montem, cuius vrbem naturaloci munitiſſimam, ac propemodum inexpugnabilem, ante annos trecentos deleuere Romani: regiæ nobiliſſimæ, de qua Strabonem meminiſſe retulimus, fundamēta extant, & altiſſimi fornices ad occidentem ſolem, meridianumq; verſi: præclarum id opus fuiſſe apparet, ſiue regia fuit, ſiue curia ſenatorum: reliqua ſolo æquata iacēt, quibus inſpectis, & iterum Criptaferrata reuiſa, vbi & caſum aquæ altiſſimum ſpectauit, & Miſſarum ſolemnia ritu Græco coram ſe celebrari iuſſit. Quinta denique die idibus Septembris Romam reuerſus eſt, cardinalibus, omniq; clero, & populo, ac legationibus principum extra mœnia occurrentibus.

Oratio Burgundorū, & Pii excellentiſſimum reſponſum.

Poſt dies deinde aliquot, eo in conſiſtorio publico ſedente, accerſitis Burgundorum legatis, & quæ vellent dicere iuſſis, Guilelmus epiſcopus Tornacenſis profeſſione monachus, legatorumque primus, longam ac doctrina refertam orationem habuit: in qua multa de Turcis, & eorum inſolentia, fœdiſque moribus diſſeruit: ge-

ſta eorum expoſuit, & quanta intulerint Chriſtianæ religioni detrimenta narrauit. De nobilitate Gręcorum, de antiquitate, de doctrina plura recenſuit; eorum ruinam deplorauit; oſtendit pericula, quæ Chriſtianis ceruicibus imminerent, niſi celeriter arma ſumerent, ac ſeipſos defenderent. Adhortatus eſt Pontificem maximum, cardinales, cunctaſque legationes aſtantes, ne tanto in periculo differrent amplius Chriſtianæ reipublicę conſulere, atque hoſti occurrere. Philippum Burgundiæ ducem, qui ſe miſiſſet, ſtatuiſſe proximo verno tempore claſſem in Turcas ducere, bellumque totis conatibus pro ſacra religione ſuſcipere: neque corpori ſuo parſurum, quamuis ſenex eſſet: venturum in exercitum, ac non ſolum ducis, ſed militis quoque munera ſubiturum, niſi mala valetudine impediretur: eoque caſu miſſurum qui ſuas vices implerent. His auditis Pontifex, ita locutus eſt: Expectatis venerabiles fratres, filiique dilectiſſimi, Burgundis oratoribus auditis, reſponſum noſtrum non ſine deſiderio (vt arbitramur) in quo dignas pro meritis amantiſſimo filio noſtro Philippo Burgundiæ duci laudes attribuamus: & quæ ſunt ampliſſima eius præconia in medium afferamus: non tam poſſibilia, quàm iuſta deſideratis: non eſt ea nobis dicendi vis, quę veſtræ queat expectationi ſatisfacere. Multa & magna de Philippo dicenda eſſent, quæ ſine vena oratoris vberrima explicari non poſſent. Dicendum eſſet de nobiliſſimo familiæ genere, cuius originem ab Ilio repetunt: de corporis & animi dotibus, de iuſtitia, de fortitudine, de moderatione, de humanitate, de ceteris virtutibus, quæ in ſummo viro ſemper ſummę fuerunt. Dicendum eſſet de rebus ab eo clariſſime geſtis, ſiue pacis fuerint tempora, ſiue belli; cuius tot fuere victoriæ, quot prælia, & tamen pluries cum hoſte conflixit, quàm alius noſtri temporis quiſpiam cum inimico ſuo concertauerit. Plena eſt omnis terra Gallica trophæis ab eo poſitis, qui etiam vltra Rhenum in Germanica gente victoriarum ſigna defixit. Non ſunt hæc, quæ noſter poſſit percurrere ſermo, ne dicamus explicare: acre ingenium, & os magna ſonaturum cupiunt: ſenilis & arida vena noſtra tantæ rei non ſufficit. Nec Philippus iſta deſiderat: vera virtus eius ſe ipſa contenta, verborum lenocinia non requirit. Magna & præclara operatus eſt, non cupiditate laudis, ſed vt Deo placeret; ab eo præmium expectat non ab homine, qui nihil poteſt non mortale largiri. Sed eſto non poſſumus Philippo quantas meretur laudes impartiri, nec ipſe talia requirit: an propterea legationem hanc digniſſimam præteribimus, & nullo proſequemur honore? minime gentium: dicendum eſt aliquid ad ea quæ modo propoſita ſunt, nec fraudanda eſt ſuo præconio tam inſignis legatio. Quid habet legatio Philippi? quid mandat? quid offert? Turcarum arma noſtris imminere ceruicibus dicit: clades quas paſſa eſt Chriſtiana religio, & quas paſſura videtur, in medium affert: hortatur hoſtibus obuiam eamus, prius quàm amplius inualeſcant: Philippum ſi Turcæ bellum indicatur, ſi exercitus idoneus apparetur, in hanc expeditionem venturum, nec corpori ſuo parſurum, vt incolumitati conſulat ſacrę religionis. Qualia vobis iſta videntur, fratres? quis non hæc maxima & ſumma dixerit? quis hunc principem ſatis collaudare potuerit? nulli Chriſtianorum minus timendi ſunt Turcæ, quàm Philippo: & nihilominus primus eſt, qui ſe profecturum in eos, geſturumque bellum pro ſacro Euangelio pollicetur. O mentem principe dignam; ô excellentem animum; ô ſanguinem nobiliſſimum: longiſſimum iter opponitur: rigidæ ſuperandæ alpes: altiſſima tranſmittenda flumina: latiſſima tranandа maria: vaſta terrarum ſpatia ab occidente in orientem peragranda: cuncta ſuperare eſt animus. Nullum in cauſa Dei recuſandum fore laborē; nullum vitandum periculum cenſet. Amanti omnia ſunt facilia: princeps Deo amicus nihil tã horribile putat, quin pro Dei honore ſit ſubeundum. Ditiſſimus principum maximis æquandus regibus, cui opes & delitiæ omnes affluunt: cui tot latiſſimæ prouinciæ, tot clariſſimæ vrbes, tot validę gentes, tot ditiſſimi populi ſeruiunt, cui præſto adſunt cuncta, quæ mortales maxima ducunt: relinquere ſplendidam domum, amatam cōiugem, cariſſimum filium, dilectam ſororem, dulces nepotes, fideles amicos vt Deo ſeruiat non veretur. Accedit ætas grandior, cui quiete opus eſſet: hanc quoq; poſtponit: nihil ſibi antiquius eſt, quàm Deo placere: ſpernit omnia propter Deum. Nec vos ante egregiam voluntatem aut leuem, aut nouam putetis, ſolida

Pii verba.

ſolida eſt, & iampridem firmata, diu hoc propoſitum Philippo fuit, ab eo tempore quo Turcæ Conſtantinopolim expugnauere hoc votum vouit, nec vnquam ab eo receſſit: decimum fere annum in hac voluntate perſeuerat. Sereniſſimus Imperator Federicus complures in Germania conuentus celebrauit, in quis de ſuſcipiendo contra Turcas bello conſuluit: in omnibus aut præſens Philippus adfuit, aut legatos habuit: nos eum Ratisbonæ in Norico ſupra Danubium vidimus eadem promittentem, quæ nunc à ſuis oratoribus audiuiſtis. In Mantuano conuentu Ioannem ducem Cliuenſem ab eo miſſum vidiſtis, nec excidere memoria (vt arbitramur) egregia eius promiſſa. Iamdudum obfirmatum hoc propoſitum magnanimo duci fuit, vt aduerſus Turcas proficiſceretur: non eſt profectus, quoniã non adfuit conſenſus aliorum principum, qui ad tantam expeditionem obeundam ſufficeret: nunc fortaſſe miſerebitur noſtri Deus, exercitumque iam tandem in Turcas cogi validum, ac felicem donabit, quando etiam Venetorum florentiſſima reſpublica claſſem armauit potentiſſimam, & in hoſtem miſit: & Matthias Hungariæ rex coronam & pacem in regno cõſecutus, quas volet armare copias poterit; & hic nobiliſſimus princeps cum lectiſſima militum manu ad hoc bellum venturum ſe pollicetur. Conuenient (vt ſperamus) & reliqui potentatus Italiæ, nec reges occidentis auxilia negabunt oſtẽdetq; pius Ieſus Maumetheas ſpurcitias ſibi odioſas eſſe, & pro nobis pugnans ante faciem noſtrã conteret hoſtes. Sed vt ad vos tandem, inſignes oratores verba noſtra conuertamus, conſolati eſtis nos hodie oratione veſtra, & magnifica ſponſione Philippi digna profecto ſuo ſanguine, ac ſuo nomine. Quod autem nos hortamini, vt ad fidei ſanctæ defenſionem nauemus operas, currentem pungitis equum. Nihil nobis tam cordi eſt, quàm ſacræ religionis defenſio. Audiuit omnis eccleſia in conuentu Mantuano conſilia & deſideria noſtra; nõ fuimus exauditi, fruſtra laborauimus: nec tamẽ propterea defatigati ſumus: ſtat animus ab inceptis non deſiſtere, donec Chriſtianos principes ac populos ad defenſionem ſacroſancti Euangelii, diuinæq; legis excitemus: ob hanc cauſam accerſiuimus per hos dies ad præſentiam noſtram Italiæ potentatus; quorum legationes adſtantes cerneris, vt cum his & vobiſcum de tuenda religione conſulamus. Quòd ſi non defuerint nobis auxilia fidelium, & præſertim Italorum; intelliget breui non Roma ſolum, ſed omnis Italia, & ipſa tota Chriſtianitas curam nobis & animum Chriſtianæ reipublicæ conſulendi non defuiſſe. Pietas tamen magni Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti nobis adſit, & ſuam potius miſericordiam, quam noſtras metiatur iniquitates. His dictis ex auditorio diſceſſum eſt, cunctis Philippi nomen & animum ad aſtra tollentibus.

Pontificis ad Italiæ legationes oratio, earumq; reſponſa, & Venetorum magnifica verba.

Poſtridie Pontifex legationibus Italis ad ſe vocatis percontatus eſt, quando Philippi ſponſionem audiſſent & neceſſitatem belli gerendi non ignorarent, quid tandẽ offerrent pro fide catholica defendenda: quibus reſpondentibus expectare omnes, quòd Pontifex onus imponeret, nullum pro ſua virili in opere tam ſancto defuturũ. Tum Pontifex: Quid opus eſt, inquit, multis immoremur? extat Mantuanum decretum: illud ſi placet ſeruabimus; in eo ſecundum vires diſtributa ſunt onera: clericis decimæ, laicis trigeſimæ prouentuum trium annorum impoſitæ ſunt: Iudæis omnium bonorum vigeſimæ: laudauerunt hoc omnes populi, quamuis poſtea executio impedita eſt, Italia nouis bellorum motib. perturbata: nunc pax propemodum rediit, licebit iam Turcis inferre bellum: pecunia quæ neceſſaria eſt, ſecundum decretum, colligi poterit: nobis nec facilior vlla via occurrit, nec diſtributio æqualior. Ad hæc legati probare ſe verba Põtificis dixerunt, tanquã priuatos homines: verũ vt oratores nõ habere ad ea poteſtatẽ: rogare vt liceret ſuos dominos reddere certiores, atq; ab eis conſenſum requirere. Solus orator Venetus: Meus, inquit, princeps his hortamẽtis haudquaquã eget, in bello eſt, Vrſati Iuſtiniani fortiſſimi viri auſpiciis claſſem aduerſus hoſtes fidei, & magnam & validã miſit; & iam partem Peloponneſi à Turcis eripuit. Acceptauit decimas, vigeſimas, ac trigeſimas, & alia ſponte per ſeipſum conſentiente ſenatu, ſuis ſubditis aſcripſit onera: omnia fiunt quæ ad victoriam neceſſaria creduntur: tibi noſtra reſpublica nulla in parte deerit. Tum Pontifex collaudatis Venetis, qui magno, & excellenti animo bellum fidei ſuſcepiſſent, cõuerſus ad legatos reliquos: Ite, inquit, & veſtris dominis renuntiate quæ diximus, atq; hoc vnum

adiicite:nos eorum pecunias minime cupere, nec tangere illas velle: exigãt ipſi à ſuis ſubditis argentum, atq; in milites & naues erogent, quibus in bello poſſimus vti: ipſi duces ſibi deligant, & ſua nauibus affigant ſigna: libentius hæc auxilia, quàm pecuniaria ab eis accipiemus. Placuit dictum, nec plura eo die geſta.

Florentinorũ de bello Turcarum diſſuaſio, & Pii prudentiſſimum reſpõſum.

Florentinus orator nihil horum æquo animo audiuit, cui ſuſpecta erant omnia, quæ Venetorum æſtimationem augere viderentur; is ſolus Pontificem ſolum adiẽs. Quid agis, inquit, maxime Præſul? aduerſus Turcas bellũ geres, vt Italiã Venetis ſeruire cogas? Quæcunq; in Græcia exactis Turcis acquirentur Venetorum erunt, qui ſubacta Græcia fortaſſe ad reliquam Italiam manus apponent: noſti gentis inſatiabilẽ regnãdi cupiditatẽ: ſuccedere Romanis ſe iactitant, & imperium orbis ſibi deberi: huc eos adiuuas ſocia iungens arma, nec vides quo præcipitem trahis Italiam: ſed taceamus Italiæ damna, quid erit Eccleſia Romana illis regnantibus? putas ne ſuam dignitatẽ ſeruabit? Tuç prudentiæ fuerit his periculis obuiam ire. Venetus in bello eſt Turcaſq; graui vulnere laceſſiuit, Peloponneſo propemodum adempta: nõ eſt quòd amplius reconciliari Veneto Turca queat: immortale odium natum eſt. Hoc nobis meo iudicio optandum fuit. Sine inter ſe decertent: æquę ſunt hinc atque inde vires: nec Venetus Turcam, nec Turca Venetum debellabit: diu trahetur bellũ, & ambo fortaſſe corruent; vt nos tandem frui quiete permittant. Tuum propoſitum eſt, quantum ego animaduerto, Italiam & omnem Europam à metu Turcarum liberam reddere, atq; idcirco belli ſocietatem cum Veneto iungis: ego ſalubrius affero conſilium, qui non modo Turcas Chriſtianorum ceruicibus imminentes, ſed ipſos quoq; Venetos doceo repellendos, atq; id ſine ſumptu, ſine labore, ſine periculo, & cum ſumma quiete. Florentinorum conſilia (quemadmodum ego exiſtimo) pro tua ſapientia non contemnis, neq; paruiducis: hæc è media prudentium aliquorum ſchola ad te detuli: tu quod in rem Chriſtianam fuerit, complecteris. Admiratus eſt vehementer Pontifex his acceptis, tandemq; ita locutus eſt.

Pontificis reſponſum.

Si eſſemus ipſi quo tu es loco: nec ſacris imbuti, nec Ieſu Chriſti vicariatu decorati, fortaſſe idem ſentiremus quod ipſe ſentis; fucatiſq; rationib. tuis ſuccumberemus: ſed non eſt principis eadem quæ priuati hominis mens; nec viris Eccleſiaſticis idem animus, qui ſæcularibus: multa in populo tolerantur, quæ in clero nemo audire poteſt: quę ſunt plebi venialia peccata, in ſacerdote mortalia ducuntur. Principes ſęculi, & vrbium rectores, quocunq; tandem modo ſua tueantur imperia nõ curant, dum tueantur; atque idcirco ſæpe ius gentium violant, & moribus aduerſantur honeſtis. Populus victorẽ laudat, nec turpitudini aſcribit per fraudes ac dolos viciſſe; ſi modo laicus eſt qui ſtrauit hoſtem: at ſi ſacerdos inſidiis inimicum perdidit, immo & ſi aperte inſidiantem necauit, iniurius habetur, adeo iuſtiorem populus clericum vult eſſe, quàm laicũ. Noli ergo mirari, Otto amantiſſime, ſi de rebus quæ modo gerendæ ſunt, alia eſt noſtra, quàm tua vel Florentinorum ſentẽtia. Illi ſi ſalua republica ſua, omnia ire perditum ſinunt: ſi fidem negligunt, inter homines tamen ſuum retinent locum. At nos ſi vel minima negligentia in his vtimur, quæ ſunt fidei, mox omnium Chriſtianorũ vocibus laceramur: En, inquiunt, Chriſti vicarium ſiccine defenſionem fidei poſtponere decet? concilio opus eſt, in quo negligentia puniatur, & melior eligatur. Nulla in Pontifice maximo tam parua culpa eſt, quàm populi non ducant maximam: Angelum eſſe volunt non hominem. Audi ergo ex nobis, Otto, verba, & ſi non angeli, at ſaltem clerici & hominis communem ſortem excedentis. Fatemur Venetos more hominum forſan plura cupere, quàm habeãt, atq; Italiæ dominatum quærere: ſed id commune eſt vitium, latius vnumquemq; dominatum cupere, cum nemo ſua ſorte quieſcat: victoria potiti aduerſus Turcas Veneti Illyridis, ac Græciæ poſſeſſores effecti, Italiam forte ſubigere conabuntur, ſi modo barbarorum metu vacẽt, & nõ externis bellis diſtineantur. Sed eſto Italiam ſubigant; quid ais? Veneris an Turcis ſeruire mauis? Iuimus Mantuam, Chriſtianos omnes adhortati ſumus, in Turcas vt arma caperent, nec ſinerent hoſtes fidei in Chriſtianos vltra graſſari: ſpreuerunt Veneti hortamenta noſtra: ſpreuerunt & alii ferme omnes nõ ſine magno detrimento Chriſtianæ religionis. Nunc mutata eſt ſententia Venetorum: audito legato noſtro apertum bellum indixere Turcæ, & armata ingenti claſſe hoſtem perter-

perterruere: ſuppetias à nobis petunt, vt qui ſe hoſte inferiores eſſe nõ dubitant. Suaſimus Venetis bellũ pro religione capeſſerent, paruerunt, nunc petentibus auxilium denegabimus? Quis hæc audiẽs laudabit? Deus hanc mentem inimicis tribuat viuificæ crucis, vt cõſortes ſuę legis in bello relinquant, Nobis nõ licet pro ſancto Euangelio pugnantibus opem quouis pacto ſubtrahere. Dices in bellum Venetos nõ fidei defendendæ cauſam, ſed imperii cupiditatem adduxiſſe: Peloponneſum quæſiuiſſe: ſit ita, hoc ſatis eſt nobis, quoniã vincẽte Veneto Chriſtus vincet: Turcarum victoria Euangelii ſubuerſio eſt, quã totis conatibus auertere tenemur. Aſſeruiſti Turcis atq; Venetis cõtendẽtibus, futurũ vt ambo corruãt tanquã non ſint maiores Turcę quàm Venetorũ opes: falleris: multo eſt inferior Turca Venetus, quamuis claſſe maritima ſuperior habeatur: Inſulas & quæ ſunt in littore maris oppida vexare poteſt: in Mediterraneis minimum eſt quod efficere queat; quòd ſi Turcarum duces terreſtres copias (quod Deus auertat) in oras Dalmatiæ deduxerint, quemadmodum conſilium cepiſſe videntur, facultatem Venetis armãdi claſſem facile poſſent eripere, qui remiges naualeſq; ſocios ſæpe ex Dalmatia legunt. Non tam facile terræ imperium, quàm maris acquiritur. Memoriæ traditum eſt Rhodios, & alios pleroſq; imperitaſſe mari, quorum in terra admodum parua poteſtas fuit. At qui longe lateque in terra dominati ſunt, his proxima maria plerunque patuerunt. Non eſt igitur exiſtimandum Turcarum principatũ, qui eſt in Aſia terra & Europa latiſſimus à Venetis poſſe deleri, quamuis mare pro ſua voluntate procurrunt, quando in terra pugnaturi caſtra conferre caſtris nequeunt, equitum peditumq; turmis ac robore multo inferiores. Quòd ſi à nobis & aliis Chriſti fidelibus non fuerint adiuti; cum dedecore damnoque noſtræ religionis cito deficient. Maximi ſumptus eſt claſſem in orienti magnam alere, nec diu id fieri poteſt: At ſi recedit claſſis quæcunque illic quæſita ſunt, neceſſe eſt ad hoſtes illico deficiant, quorum præſto aderunt exercitus, niſi prorſus ab Europa migrare Turcæ cogantur. Perparum eſt quod in Græcia obtineri à Venetis aut ſeruari queat. Non eſt ergo ſalubre conſilium tuum, quod nec Venetos ſeruat, nec Turcas delet. quod ſi perierint Veneti fruſtra de ſeruanda Italia cogitabis. Bellum maximum & periculoſiſſimũ inierunt, in quo ſine pernicie Chriſtianæ religionis ſuccumbere nõ poſſunt, ferenda ſunt laborantibus auxilia: adiiciendæ vires, ſupplemẽta militum miniſtranda, atque omni ope nitendum ne cedere cogantur hoſti: commune bellum eſt: quærenda eſt omni ſtudio victoria; & nos quidem cum Philippo Burgundiæ duce Venetis non deerimus, claſſes claſſibus coniungemus, atq; omnes maritimas vrbes infeſtas reddemus Turcis. Ex altera parte Matthias Hungariæ rex ſuperiorem Myſiam, Macedoniam, vicinaſque regiones terreſtribus copiis agitabit: difficile erit Maumethi, cui non deſunt potentes in Aſia inimici, omnibus in locis reſiſtere. Vincetur, vt noſtra fert opinio, atq; ab Europa prorſus eliminabitur, niſi iuſtus & miſericors Deus noſtris offenſus iniquitatibus, aliud (quod abſit) de ſuo populo cenſuerit. Nec propterea Venetos Italiæ iugum impoſituros arbitramur, quando de Turcis triumphauerint. Non omnia quæ Turcę occupant in Europa Venetorum erunt. Peloponneſus illis cedet, & fortaſſe Boetia atque Attica, & in Acarnania, & in Epiro pleraque loca, quę mari cohærent. In Macedonia Georgius Scanderbechius primas partes ſibi vendicabit: in aliis Græcię regionibus non deerunt Græci nobiles, qui Turca eiecto tyrannidem occupent, quib[us] neceſſe erit libertatem relinquere. Reliqua quę vergunt in Danubium vt eſt Bulgaria, quę olim inferior Myſia dicta eſt, & Raſcia quę ſuperior, & Seruia, & Boſna, & vltra Danubium, Valachia, quam priſci Datiam vocauere in ſolo Sarmatico, ſiue, vt quidam volunt, Scythico, vſq; ad Euxinum pontum, cuncta ad Hungaros peruenient, quorum aliquando fuere poſſeſſio. Nemo victis eliminatiſq; Turcis plus locupletabitur, quàm Hũgarus: qui multo potẽtior erit quã Venetus, inter quos poſtea de Dalmatia forte bellum orietur: nũc autẽ inter eos aduerſus cõmunẽ hoſtẽ, quẽ magis verẽtur ſocietas eſt, & de lite Dalmatica ſilentiũ; nõ eſt quòd Italię tãtopere timeamus: nec Romanorũ exẽpla vereri oportet: lõge diſtãt, à Romanis Venetorũ mores. Multas licebit videre niues, priuſquam Veneti Italiam frænent: at niſi Turcę potẽter reſiſtimus, cito & Hungari cedẽt, & Veneti; nec mora fiet quin noſtra quoq; libertas pereat. Occurrendum eſt præ-

ſenti periculo quòd à Turcis imminet. De Venetis ſuo tempore cogitabitur ſi opus erit, nec deerunt valentia remedia. Prouidentes viros eſſe Florentinos ab ipſa pueritia didicimus,& res antequã fierent multo cernere, atq; hoc eſt quod de imperio Veneto vaticinamini: verum ſimile monſtri eſt, non videre propinqua eos qui longinqua proſpectant. Ardentibus ædificiis nõ affertis aquam: crematuris olim conſulere properatis. Ægrefertis in Græcia creſcere Venetos, atq; vt magis magiſq; creſcant operam datis: qui ſocietatem belli declinantes, quæ veſtra futura erant ſpolia, Veneto relinquitis: non eſt hoc ſapere: cõſultius ager veſtra reſpublica, ſi pro ſuis viribus claſſem inſtruens nobis ſeſe adiunxerit: Orientaliſq; prædæ partem petierit, hoc pacto honeſti & vtilis rationem habebit. Quod ſi otioſus domi Florentinus remanſerit, cum Papa in bellum ierit,& reliqua omnis Italia in arma proruerit, infame nomen vrbis erit; & Deus illi ſuccenſebit, nec ducturos in eam Venetos quiſpiam arguet aut opem vobis afferet. Iuſtum Dei iudicium illud experiemini, vt qui Chriſtianos in bello contra Turcas periclitantes reliqueritis in diſcrimine conſtituti & ipſi ab omnibus deſeramini. Ea cum accepiſſet Otto; exiſtimare ſe, inquit, Pontificem vera loqui, nec animum eius fore mutabilem. Victum ſe rationibus prope adamantinis: ſcripturum ſenatui Florentino quæcumque accepiſſet, nec dubitare quin tandem omnia fierent ex voluntate Pontificis, verum non ſine labore ac mora: cum populo rem gerendam, cui nihil odioſius eſt, quàm aurum exponere; nec plura locutus abiit.

Pii Pontificis ad cardinales ardentiſſima oratio, multis argumentis bellum contra Turcas ſuſcipiendum oſtendens.

Pontifex ſequenti die ſecretum conſiſtorium aduocat, cardinaleſque hoc modo alloquitur: Sextus agitur annus (viri fratres) poſtquam beati Petri cathedram aſcendimus. Quis veſtrum interea defenſionem fidei non multis magniſque precibus nobis commendauit? quis non dixit bellum contra Turcam gerendum eſſe, & omnes Eccleſiæ theſauros effundendos? Veſtro conſilio ſuaſuq; Mantuam iuimus, Chriſtianos vt ibi reges in belli ſocietatem accerſiremus: non ſucceſſit ex ſententia: nõ audiuerunt Chriſtiani Paſtoris vocem. Reuerſi domum perturbata omnia reperimus Ioannes Andegauiæ Rhenati filius nauigia, quæ cardinalis Auinionenſis ſacra pecunia contra Turcas in Rhodano comparauerat, ſibi arripuerat, & inſtructa claſſe aduerſus Chriſtianos in regnum Siciliæ duxerat, atq; Italiam, quæ pace gaudebat bello infeſtauerat. Miſimus ſuppetias Ferdinando qui rex erat à nobis conſtitutus, ne de regni poſſeſſione ſine iudicio eiiceretur. Rem difficilem inchoauimus: regni Barones paucis demptis, omnes aduerſus Ferdinandum rebellauerant. Magnum & memorabile Franciæ nomen haud parum in regno valebat. Acceſſerat Picininus Picinini filius, qui à rege Ferdinando ad Francos defecerat,& tanquam belli fulmen terrorem prouincialibus ingeſſerat. In agris Eccleſiæ familiæ nobiles aut aperte cum hoſtibus ſentiebant, aut auxilia clam miniſtrabant, Vrſinis exceptis atq; Comitibus, quos ære conduximus. Columnenſes in Campania ſæpe res nouas moliti ſunt. Euerſus Anguillariæ comes modo vnum, modo alterum furari oppidum aggreſſus eſt. Gentilis Salenſis Vrbem veterem occupare tentauit,& Ficullam nobis eripuit. Rebellauerunt & nobiles in arce Canali municiſſima, quam putabant inexpugnabilem. Quid Sigiſmundus Malateſta, quot nobis moleſtias intulit? Liberatus ab boſte cui prorſus erat impar beneficio noſtro, pacemq; conſecutus, Muldauium & alia oppida, quæ iure pignoris tenebamus, per fraudem doloſq; nobis eripuit, ad hoſtes defecit, Gallorum ſtipendia meruit, copias noſtras in Piceno profligauit: omnemq; late agrum populatus eſt. Peruſini nouarum cupidi rerum non tam nobis, quàm Picinino fauebant. Rheatini vix in officio manſere. Romana iuuentus craſſari per vrbem: rapinas cædeſq; facere, hoſtemq; accerſire. Aduerſus tot, tantaſq; difficultates nec Veneti, nec Florentini, vt ex fœdere tenebantur, auxilia præbuere. Dux Mutinæ Gallorum partes enixiſſime iuuit. Solus Franciſcus Mediolanenſium princeps Ferdinãdo nobiſq; auxilio fuit. Vidimus per id tempus vos ferme omnes metu trepidare, nec quiſquam veſtrum conſilia noſtra probabat: ruituram Eccleſiam arbitrabamini, nec poteratis de nobis non dura loqui, qui re Turcarum omiſſa, bellum Gallicum ſuſcepiſſemus, Ferdinandiq; magis cauſam, quàm Chriſti defenderemus. Exiſtimabatis ex animo noſtro zelum fidei penitus decidiſſe, nec vllam nobis eſſe curam tuendæ religio-

religionis: falſa opinio fuit: male de nobis opinati eſtis: non videbatis cor noſtrum neque introſpicere mentem poteratis: nulli moleſtiores quam nobis fuere Turcarũ victoriæ: nullæ ab illis ſubactæ gentes: nullę vrbes euerſæ, nullæ Chriſtianorum animæ raptę ſine ſingulari mœrore noſtro atque intenſiſſimo dolore. Ardebat animus ſubuenire miſeris: pudebat hoſtes graſſari in agris fidelium, neque inuenire reſiſtentes. Sed quid ageremus? occupati domeſtico bello foris pugnare non poteramus: aut Roma cedere oportebat, aut Gallos vincere, qui ſpretis iuſſionibus noſtris contra ius faſque Siciliæ regnum inuaſerant, vaſalloſque noſtros in circuitu contra nos armauerant. Neceſſaria ſumpſimus arma, quæ defenderent, non quę offenderent: pacate domum oportuit, deinde Turcas bello petere. Huc mens noſtra, huc cogitationes omnes intentæ fuerunt. Pro Chriſto pugnauimus cum Ferdinandum defendimus. Turcis bellum intulimus, cum Sigiſmundi concuſſimus agros. Vidit ex alto pius atq; optimus Deus animum noſtrum, nobiſque adfuit, & direxit conſilia noſtra. Miſit de cælo angelum ſuum, atque hoſtes conterruit & contriuit. Factioſi tyranni omnibus exuti oppidis præter pauca proſtrati ante pedes noſtros veniam petiere. Tyburtini, qui & ipſi propemodũ ad hoſtes defecere, arcis ſubire iugum coacti ſunt. Columnẽſes humiliati ſummis precibus, vt eos ab inimicis protegeremus pro vetuſtate dignitateque domus obtinuere. Euerſus pauidus tremenſque domi quieſcit: Canalenſes funditus deleti ſunt: Gentilis quoque amiſſo patrimonio in exilium actus: Peruſini dicto parentes effecti: Rheatini nulla imperata recuſant. Iulius Camertinus, qui vnus fuerat ex conſpiratoribus à Sigiſmundo citatis, domi contra naturam quieſcens, oppidum Scorticatæ, quod non recto titulo inuaſerat, trepidus reddidit. Quid de Sigiſmundo ſit actum tenetis omnes, cum Senogalliam nobis eripuiſſet, inuaſus ab exercitibus noſtris, fugatus, profligatuſque eſt, vixque cum paucis euaſit: Muldauium deinde vi captum, quamuis externo milite abunde munitum eſſet, & omnia Vicariatus oppida in poteſtatem recepta. Tranſiuere copiæ in agrum Ariminenſem, breuique Mundainum, Montemflorum, Verruchium, ſanctum Archangelum, & circumiecta caſtella partim vi, partim deditione noſtri duces obtinuere: mirabili prouidẽtia Dei, atque miſericordia, inexpugnabilia quæ putabantur loca, & quæ nec Picininus, nec Franciſcus Sfortia præclari duces, quamuis tentaſſent, euincere nullo pacto valuerunt, breui tempore capta ſunt. Itum eſt ad Fan. mœnia vrbs magna & potens, & in littore maris iacens, vnde ſæpe auxilia ſuſcepit, obſeſſa tandem manus dedit: recepta eſt & Senogallia, & Gradaria, quæ Franciſcum Sfortiam in obſidione iacentem deluſit. Nihil Sigiſmundo remanſit præter Ariminum. & quædam in Apennini montibus niuoſa loca, & in Hetruria Ciſterna: magna Dei vltio; peſte, fame, atque bellu cõteritur, qui paulo ante ſuperbus per contemptum atque irriſionẽ interceptis epiſcopi Cornetani ornamentis equitem ex ſuis quendam iuſſerat illa induere, atq; obequitantem per caſtra quaſi legatum ſummi Pontificis populo atque militi benedicere: ſic ſacrurum contemptoribus Deus retribuit. Dominicus Malateſta cum Sigiſmundo fratri opem tuliſſet, noſtriſque conatibus aduerſaretur, magna parte agri mulctatus eſt; fuiſſetque Cæſena reiectus, niſi reſipiſcens ad miſericordiam noſtram cunuolaſſet. Hæc in agris Eccleſiæ geſta extra regnum. Referamus nunc breuiter quanto nos fauore miſericos Deus in ipſo regno proſecutus eſt: tranſeamus Campaniæ recuperationem, cuius magna pars ad hoſtem defecerat, concordiam Vrſi Vrſini, res Calabrum, expugnationem Coſentiæ, reditum marchionis Crotoniatis, & ſancti Seuerini familiæ: ad maiora veniamus. Quid Troiana victoria glorioſius, in qua omnes hoſtium vires in vnum coniunctæ infelix pręlium commiſere? Ioannes Andegauenſis, cuius auſpicio res gerebantur, & Picininus formidatus copiarum imperator, atq; inuictus exiſtimatus, primariiq; duces turpem arripere fugam coacti ſunt: Troia deinde in poteſtatem venit, & Ioannes Coſſa regia liberalitate dimiſſus. Contra principem Tarentinum ductæ copię, Aſculum illi eripuerunt: dux Melfię ad Ofantum regi ſe dedit, & paulo poſt princeps ipſe relictis Francis, atque abiurata Picinini ſocietate ſuo regi recõciliatus eſt, cum quo procerum maxima caterua in gratiam rediit. Neapoleo noſtri ductor exercitus ad compeſcendã Sorani ducis temeritatem profectus, Inſulam & Soram, & Arpinum, & alia pleraque magni momenti caſtella illi eripuit,

ac frenum impoſuit, recuperauit & agrum Abbatiæ ſancti Germani, & Pontemcoruum olim Eugenio ab Alfonſo ereptum; Antonio Spinello præcipuo Gallici nominis aſſertori tantum terroris incuſſit, vt ſubito morbo correptus obierit: nepotes eius in Arce Vilhelmi, quam inexpugnabilem putant, Eccleſiæ vexilla erexerint. Duxit & aduerſus Rogerottum Celani comitem, qui Picinini armis adiutus, priuatam imperio matrem in carcerem coniecerat, huic breui tyrannidem ademit, atque vt Ferdinandus decreuerat, comitatum nepoti noſtro Antonio tradidit. Ex altera parte Alexander Sfortia ab Apulis per aſperos montes in Aprutios duxit, coniunctuſque Matthæo Capuano, & Roberto Vrſino in Caudolas Piciniumque contendit, qui apud Archas caſtra tenebant. Non fuit animus hoſtibus cum Alexandro manus conſerere, mutatis caſtris ad munitiora montis loca migrauerunt, ac miſſo caduceatore pacem petentes poſt paucos dies compoſitis rebus ſuis Ferdinando ſe ſubmiſere: duxit & Alexander aduerſus Aquilanos, qui omni ſpe auxilii deſtituti, mox deditionem fecere; quamuis liberos & vxores comeſturos ſe olim dixerant, priuſquam Francos relinquerent: vt ſæpe maior oris quàm animi ferocitas repetitur. Ferdinandus vaſtata Roſſani principis agrorum magna parte in planiciem Sinueſſanam ingredi conatus eſt, quę mari flumine, ac montibus clauſa difficillimos habet aditus: vicit omnia conſtans animus diuino fauore adiutus: munimenta diſiecta ſunt, & omne præſidiũ ad turrim, quam vocant Balnearum locatum magna vi repulſum, obtenta eſt: planities & ager omnium ditiſſimus direptioni datus, atque vſque ad portas Sinueſſæ procurſum. Conſternatus tandem animo Roſſani princeps, quamuis Andegauenſis cum duabus equitum turmis auxilio aduenisſet, pacem nihilominus petiit: mulctatuſque nonnullis munitiſſimis locis in priſtinam beneuolentiam receptus eſt: Ioanni libertas data eſt intra quindecim dies quocunque vellet extra regnum abiret: is apud Enariam ſe recepit, ibique Cathelani fidem ſecutus, qui ſuum dominum prodidit egens mœrenſque latitat. Hæc illi præmia ſunt violatæ fidei, & Eccleſiaſticæ claſſis in Chriſtianos armatæ: ſic Deus in ſuos hoſtes vlciſcitur. Quis non hæc diuina opera recognoſcat? Non ſunt hæc noſtra, viri fratres, Deus Deus eſt, qui talia orditur & texit. Maximum regnum quadringentis circiter millibus paſſuum protenſum, nuſquam minus quàm centum millibus latum, tot vrbibus, tot munitis arcibus refertum: tot baronibus, tanta militia plenum cum vno anno concordi rebellione ad Francos defeciſſet, pauciſſimis aut ciuitatibus, aut baronibus cum Ferdinando remanentibus, donante altiſſimo cuius eſt regna de gente in gentem transferre, huc denique redactum eſt, vt omnia Ferdinãdi nomine teneantur, exceptis in Aprutiis Ortona, in Appulis Manfredonia, Beſtia, Sanctaſeuera, & arce Luceriæ, & Campibaſſi comitis paruula regione: in Calabris Manthea: in Tyrrheno mari è regione Neapolis Caſtrũ oui ſemidirutũ ab hoſtibus detinetur: & non procul à Bais arx Enarię, in qua diximus Ioannem latere: reliqua noſtris & ſociorũ armis euicta ad officiũ rediere. Quorſum hæc quæritis, tam longa narratio? Nempe vt intelligatis beneficia magni Dei, quibus & Romanam Eccleſiam, & vos noſque cumulauit, vt cogitetis vnà nobiſcum vicem rependere, atque habere gratias largitori. Peracta ſunt duo grauiſſima bella Siculum ac Picenſe. Et quamuis reliquię in regno nonnullæ remanſerint, ſatis eſt quòd noſtris cogitationibus impedimento eſſe non poſſunt: ipſe per ſe Ferdinandus minuta hæc quę reſtant euellere offendicula ſufficit: nobis iam liberum eſt aduerſus Turcas arma capeſſere: non poſſumus amplius nec volumus differre: nunc deſiderium noſtrũ implere licet: nunc pro fide pugnare fas eſt quod ſemper optauimus: Nouit Deus cogitationes noſtras, hiſq; viam iam tandem expeditam reddidit. Rogaſtis nos ſępius, vt hoc ipſum ageremus: nũc vos rogabimus: cauete ne quod in nobis reprehendiſtis; in vobis increpare poſſimus. Nunc veſtra fides, veſtra religio, veſtra deuotio, in lucem veniet: ſi vera erit, non ficta charitas veſtra, nos ſequemini: exemplũ dabimus vobis, vt quemadmodum nos ipſi facturi ſumus, ita & vos faciatis. Nos autem magiſtrum, & dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pium & ſanctum paſtorem imitabimur, qui pro ſuis ouibus animam ponere non dubitauit: ponemus & nos vitam noſtram pro grege noſtro, quando aliter Chriſtianæ religioni, ne Turcarum viribus conculcetur, ſubuenire non poſſumus. Armabimus claſſem quantam pro facultatibus Eccleſiæ

instruere

inſtruere poterimus:aſcendemus nauem quamuis ſenes,morbiſque conquaſſati. dabimus vela ventis, atque in Græciam, & Aſiam nauigabimus. Et quid ages(dicet quiſpiam) in bello?ſenex, ſacerdos, mille morbis oppreſſus, & in prælium ibis? quid togata valebit in pugna cohors? quid ſacer ordo cardinalium præſtabit in caſtris? vix tympana tubaſque ferent,ne dicam bombardas hoſtium: in delitiis egere iuuentam, & tu ſenium macerabis armis?inconſulte agis:melius domi cum cardinalibus, atque omni curia remanebis:claſſem vero argento paratam fortique & aſſueto malis milite inſtructam mittes in hoſtem; aut Hungaris aurum ſuggeres, qui copias quamvalidiſſimas in Turcas agant. Pulchre dictum & vtile,ſi adſit aurum,ſed vnde id corrademus? Ærarium noſtrum diutino bello exhauſtum eſt: nec prouentus Eccleſiæ ii ſunt, qui tantæ rei ſufficiant, quamuis diuino munere aluminis vena reperta eſt, quæ magis ac magis diuinæ pietati nos obligat,& ad tuendam religionem inuitat. Omnis pecuniarum ſumma, quæ ſingulis annis ad Cameram noſtram peruenire poteſt, trecenta millia auri nummum haud quaquam aſcendit: mediam partem cuſtodes arcium,& præfecti prouinciarum,& belli duces,& aulici noſtri conſumunt: neque his ſumptibus carere Apoſtolatus poteſt: quis reliquum ad debellandos Turcas ſufficere dixerit? Intelligitis pro veſtra prudentia longe maiori pecunia opus eſſe vix decies centena millia in annum ſufficiant Turcanico bello, quod triennale, aut certe longius futurum in Mantua viri docti iudicauere. Audimus inſuſurrationes veſtras: ſi adeo difficile bellum cenſes,qua ſpe pergis non apparatis viribus quę ſufficiant? Iſtuc venimus: bellum neceſſarium cum Turcis imminet, niſi ſumimus arma, atque occurrimus hoſti,actum de religione cenſemus:tales inter Turcas erimus, quales inter Chriſtianos Iudæorum deſpectam cernimus gentem, niſi bellum ſumimus infames ſumus. At bellum ſine pecunia geri non poteſt: quærere occurrit hoc loco, vbi pecuniam perquiremus? à fidelibus Chriſtianis reſpondebitis: vrgemus amplius:quo pacto?quonam modo? omnes tentatæ viæ ſunt,nulla voto reſpondit. Indiximus Mantuæ conuentum, quis inde fructus emerſit? Miſimus in prouincias legatos, ſpreti atque irriſi fuere.Impoſuimus clero decimas,appellatum eſt pernicioſo exemplo ad futurum concilium. Iuſſimus indulgentias prædicari; aucupium id eſſe ad extorquendas pecunias dixere, & inuentum curialis auaritiæ. Omnia quæcumque agimus in partem deteriorem populus accipit:ea conditio noſtra eſt,quæ menſariorum perdita fide,nihil creditur nobis; deſpectui ſacerdotium eſt & nomen cleri: & ſi verum fateri volumus,nimius eſt curię noſtræ vel luxus vel faſtus:hinc odioſi populo ſumus,adeo vt nec vera dicentes audiamur. Quid agendum in tanta contumacia cenſeris? An nõ quærenda via eſt, qua perditam fidem recuperemus? Vtique dicitis: Et quæ via huc nos ducet?nulla certe noſtris temporibus vſitata: ad inſueta iampridem itinera tranſeundum: quærendũ eſt quibus artibus maiores noſtri hoc nobis imperium Eccleſiæ latiſſimum pepererunt,atq; illis vtendum. Principatus enim facile his modis retinetur,quibus ab initio partus eſt: Abſtinentia,caſtitas,innocentia, zelus fidei, religionis feruor,contemptus mortis, martyriique cupido Romanã Eccleſiam toti orbi præfecerunt:primi Petrus,& Paulus inclyto martyrio dicauerunt:ſecuti deinde Pontifices alter poſt alterum longa ſerie ad Gentilium tribunalia rapti, dum falſos deos accuſant, Chriſtumque verum & ſingularem Deum manifeſta voce fatentur, exquiſitis ſuppliciis mortem obiere;eoque pacto nouellæ plantationi conſuluerunt. Credidere diſcipuli magiſtros vera locutos,qui ſua doctrina mortem firmaſſent,nec vllis potuerint ab ea tormentis auelli: veri & probati paſtores, qui pro gregibus ſuis animam poſuerunt,magiſtrum & Dominum imitati Ieſum æternum & optimum Paſtorem,qui pro ſuis ouibus in ara Crucis occiſus humanum genus pio Patri reconciliauit: conuerſis deinde ad Chriſtum Romanis,apertis eccleſiis, & Euangelio paſſim diſſeminato, ceſſauere martyria, & ſancti confeſſores introiere, qui doctrinæ lumine, ſanctioriſque vitæ fulgore non minus Chriſtianis plebibus profuerunt, quàm martyres, vitiis hominum fræna ponentes, quæ ſolent in pace latius euagari: ab his, & ab illis Eccleſia noſtra magna effecta eſt. Seruari non poteſt, niſi prędeceſſores noſtros imitemur, qui regnum Eccleſiæ condidere: nec ſatis eſt confeſſores eſſe, prædicare populis,fulminare vitia, virtutes in cælum tollere:ad priores illos accedendum eſt, qui

pro teſtamento Domini ſua corpora tradiderunt. Nihil eſt quod pro ſalute gregis nobis commiſſi perpeti non debeamus, etiam ſi anima ponenda ſit. Turcę modo iſtã, modo illã Chriſtianorũ prouinciam vaſtant: Boſna hoc anno capta eſt, & rex gentis obtruncatus: trepidant Hungari, trepidant vicini omnes: Quid agemus? armatas illis copias mittemus obuiam? non eſt aurum vnde parentur: quid ergo? reges hortabimur illis occurrant, atque hoſtes è noſtris finibus propulſent? at hoc fruſtra tentatum eſt: non bene dicitur, ite: fortaſſe melius audient, venite: hoc tentare libet: ſtat ſententia in bellum contra Turcas pergere, Chriſtianoſque principes vt nos ſequantur facto ſimul & verbis inuitare: fortaſſe cum viderint magiſtrum & patrem ſuum Romanum Pontificem Ieſu Chriſti Vicarium, ſenem, & ægrotum in bella vadentem, pudebit eos manere domi: arma capient, defenſionemque ſacræ religionis fortibus animis amplectentur. Hæc niſi via Chriſtianos in bellum excitat, neſcimus aliam: hanc ingredi placet. Scimus rem ſenio noſtro pergrauem eſſe, noſque ad certam quodammodo mortem profecturos; neque hanc recuſamus: cuncta Deo committimus: fiat voluntas eius; moriendum nobis aliquando eſt, neque intereſt quo in loco, dum bene moriamur. Beati qui moriuntur in obſequio Domini. Mors bona malam vitam redimit. Nobiſcum bene actum putabimus, ſi Deo placuerit in eius ſeruitio noſtros finiri dies. Vos qui tantopere nos adhortati eſtis in Turcas bellum mouere, domi in otio remanere non decet: oportet membra ſuo coaptari capiti, & illud ſequi quocunque ierit. Quod agimus neceſſitatis eſt: promiſſa eſt profectio noſtra Philippo Burgundiæ duci; votum is vouerat profecturum ſe contra Turcas in bellum, ſi aut Imperator, aut rex Franciæ, aut alius princeps, quem ſe ſequi non dedeceret, idem agere proponeret. Intelligebamus quanti momenti eſſet profectio Philippi, quem magna pars occidentis ſequitur. Cupiebamus hunc iter incipere, atque (vt aiunt) glaciem perfringere primum, haud dubitantes, quin eum maxima nobilium ac procerum multitudo ſectaretur: Verum neque Imperator, neque rex Franciæ, neque princeps alius eo ſuperior in Turcas arma proferre animum appoſuit: ſolutum ſe voto Philippus exiſtimabat, cuius non eſſet impleta conditio: venit in mentem excuſationem hanc ei ſubripere, vocatiſque ſex cardinalibus, quorum fides ac taciturnitas ſpectata nobis erat, anno abhinc fere ſecundo, propoſitum noſtrum aperuimus. Obſtupuere ad primum ſermonem cardinales rem maximam, & ſuperioribus inauditam temporibus probare non poterant; at poſtquam ſæpe conſultatum eſt, & hinc pericula fidei, inde Romanæ Eccleſię detrimenta æquis lancibus ponderata ſunt, in ſententiam noſtram omnes conceſſere. Scripſimus itaque ſenatui Veneto propoſitum noſtrum indicto ſilentio, eiuſque principis conſilium, & auxilium poſtulauimus. Placuere Venetis meditata noſtra atque auxilium promiſerunt, ſummaque fide ſilentium ſeruauere. Epiſcopum deinde Ferrarienſem ad Ludouicum regem Franciæ miſimus, qui veluti ſomnia dicta noſtra contempſit: ratus idcirco talia nos effinxiſſe, vt eius animum à rebus Italicis auerteremus, quamuis maiora eius fuere ſomnia, qui ſe vno anno victurum Angliam atque Hiſpanicas contentiones pacaturum iactitauit: deinde per Italiam domitis Genuenſibus, ſubactoque Siciliæ regno facile in Græciam traiecturum, omnes barbaras nationes edomiturum. Deſeruit Ferrarienſis regem, & ad Philippum (vt erat iuſſus) rectà ſe contulit; ad quem cum veniſſet lectulo cubantem: atque inter cetera dixiſſet, neceſſarium ei eſſe contra Turcas arma ſumere, votoque ſatiſfacere: nam & nos ipſi in eam expeditionem profecturi eſſemus, qui regis & ſacerdotis locum teneremus: Probe ades, inquit, epiſcope, nam hoc mihi nuntio ſanitatem affers: faciam quæ iubet Pontifex, euntem ſequar, breui ad eum legatos de tota re tranſigenda miſſurus. Ecce adſunt legati, audiuiſtis eorum poſtulata, defenſionem fidei nobis ſuadent, atque in Turcas bellum: promiſſa Ferrarienſis exigunt: venturum principem dicunt, ſi nos pergimus; ſin minus domi manſurum: Quid aimus? promiſſa duci & Venetis profectio ſine dedecore, ſummaq; turpitudine negari non poteſt: non eſt integra res, ire oportet. Periculoſum iter ingredimur, non negamus, nobis ſcilicet, qui ſenes & valetudinarii ſumus: ceteris non item quando ſpes magna victoriæ conſequendæ oblata eſt: neque enim ſoli in hoſtem pergimus: Venetorum valida claſſis & maris domina nos comitabitur. Ad-

tur. Aderunt & alii potentatus Italiæ dux Burgundiæ occidentem attrahet ſecum. A ſeptentrione vrgebit Hungarus & Sarmata: rebellabunt per Græciam Chriſtiani, atque in caſtra noſtra procurrent. Albani Serui, Epirotæ libertatis tempus aduenisse gaudebunt, & partes noſtras adiuuabunt: nec deerunt in Aſia motus Caramanni, & Ianſæ, & aliorum qui Ottomannos oderunt. Adſit tantum diuinus fauor, ad victoriam cetera ſuccurrunt: nec nos pugnaturi pergimus corpore debiles, & ſacerdotio fungentes, cuius non eſt proprium verſare ferrum. Moyſen illum ſanctum patrem imitabimur, qui pugnante aduerſus Amalechitas Iſraele, orabat in monte: ſtabimus in alta puppe, aut in aliquo montis ſupercilio habenteſque ante oculos diuinam Euchariſtiam, id eſt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ab eo ſalutem & victoriam pugnantibus noſtris militibus implorabimus: Cor contritum & humiliatum non deſpiciet Dominus. Eritis & vos nobiſcum: exceptis ſenibus, quibus vt remaneant ignoſcimus: orabitiſque pariter, & operibus bonis Chriſtiano populo diuinitatem reddetis propitiam. Cogitatis dum iſta dicimus, quod erit interea Romanæ regimen Eccleſiæ: recuſabunt Vltramontani vltra mare te ſequi, nec in abſentia tua ſatis tutum erit Eccleſiæ patrimonium. Iſtuc pergimus: omnia prouiſa ſunt: Audite, Romanam curiam, & omnia eius officia, & duos pariter legatos ex ordine veſtro apud Vrbem relinquemus, alter ſpiritualibus negotiis præerit, temporalibus alter: inuenient omnes quod quærent non iniqua petentes. Maiores tantum cauſæ, & perdifficiles, & raræ ad nos deferentur. Vicarius noſter iuſtitiam temperabit, beneficia conferet: viduatis prouidebit eccleſiis, ſuccurret egentibus; diſpenſabit: gratias elargietur pro dignitate & perſonarum meritis. Alter ſubditis Eccleſiæ ius dicet, & hoſtem propulſabit, præſidio militum fultus, quorum ductor erit Antonius nepos noſter. Huic equitum tria millia: peditum duo millia relinquemus, quorum pars apud Picenſes manebit. Hoc pacto quantum humana poſſumus ratione proſpicere, in tuto dimittemus omnia: ſed nihil eſt in quo magis ſperemus, quàm in Altiſſimi adiutorio: niſi enim Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Pro Deo noſtro propriam ſedem, & Romanam Eccleſiam relinquimus, & hanc caniciem, atque hoc debile corpus ſuæ pietati deuouemus: non erit immemor noſtri: ſi non dabit reditum, dabit in cęlum aditum, & primam ſedem, ſponſamque ſuam indemnem conſeruabit. Audiſtis propoſiti noſtri ſeriem, vos nunc viciſſim animi veſtri ſententias promite.

Cardinaliũ conſenſus de bello contra Turcas ſumendo.

Inter loquendum ſæpe illacrymatus eſt Pontifex, neque fletum cardinales continere potuerunt. Prior in collegio qui reſponſurus eſſet cardinalis Oſtienſis fuit, Rothomagenſis eccleſiæ pontifex, homo Gallicus, qui licet à re propoſita alienus; iuſſus tamen ſententiam dicere minime aduerſari auſus eſt: naturam hominis rei peruicit honeſtas: Ego, inquit, & conſilium tuum Pontifex laudo, & animum admiror, te ſequar quocunque iuſſeris: & ſi mihi nihil nauigatione difficilius eſt: onus quodcunque impoſueris feram. Cardinalis Portuenſis natione Hiſpanus atque grandæuus, cadentibus vbertim lacrymis; nec ſingultus retinere valens: Hominẽ te, inquit, hactenus exiſtimaui, Pontifex, nunc Angelum iudico, viciſti opinionem meam: Deus adſit tuis cœptis: ego lateri tuo ſemper comes adero, ſiue aqua, ſiue terra ſit, iter habendum; nec te per flammas euntem deſeram, quando rectà in cælum vadis. Similia fere locuti ſequentes ad Spoletanum vſque Pontificis propoſitum ſummis in cælum laudibus extulere. Spoletanus etſi vnus eorum cardinalium fuerat, cum quibus rem ab initio tractatam diximus, & in vtramq; partem diſceptationes audierat, intellexeratque obiecta in contrarium confutata fuiſſe; vt tamen plus aliquid quàm ceteri ſcire videretur, propoſitum Pontificis, etſi magnum & dignum laude videri aſſeruit: ignorare ſe nihilominus ait an perfici poſſet, difficultateſque iam millies refutatas in medium adduxit, tanquam ea primum die de profectione verbum audiſſet, ſed non impune locutus eſt. Pontifex facile ſæpe victum reuicit Aliorum percontatus ſententias nullum inuenit, qui non magnopere profectionem & laudauerit & ſuaſerit: nec quiſquam fuit qui non res ſimul & corpus obtulerit, excepto Atrebatenſi, vt poſt ſubiiciemus. Pontifex lætus aſſenſione ſenatus ſilentium imperauit vſque ad conſtitutam diem.

Fortunæ Fanum, & Senogallia, & Gradaria expugnatio.

Interea cardinalis Theanenſis, & Federicus Vrbinas poſt diutinam Fani obſidionem, in qua ſupraquam dici queat incõmoda pertulerunt, nõ ſolum ab hoſte iaculis, ac tormentis mirũ inmodum laceſſiti, verũ etiam inclementia cæli, & imbribus vexati; quibus caſtra tanquam ſtagna, & ingentes lacunæ inundauerunt: oppugnare tandem vrbis mœnia decreuerunt cuniculis, & patentibus foſſis, per quas miles à lateribus tutus incederet ad muros vſque deductis. Sigiſmundus Malateſta per eos dies ex Arimino Fanum venit, inſpecturus an ſeruari oppidum poſſet, commeatu (quod pro tempore parare potuerat) nauibus importato. Is vrbe luſtrata, & hoſtium robore atq; operibus cõſideratis accerſito Roberto filio, quem loco præfecerat: Ego, inquit, Ariminum neceſſario reuertor: tu quemadmodum cepiſti, hanc vrbem forti animo defendito: quòd ſi vis hoſtium ſuperauerit, aut deditionẽ ipſi ciues tentauerint, caueto ne ſalua ciuitas ad Eccleſiam perueniat: aut ignem tectis iniicito, aut hoſtibus exponito prædæ; atque his dictis abiit. Vrbinas & Cardinalis cognitis quę gerebantur in ciuitate, paratis machinis muros adoriuntur. Committitur acre certamen; vndique tela & ſaxa volant: ſcandunt Eccleſiaſtici muros iam magna ex parte bombardis eiectos. Reparauerant ciues interius ex materia terraque alteram molem, quam dum illi ſeruare nitũtur, Eccleſiaſtici deiicere, multi mortales periere, multi ex vtraq; parte vulnerati ex pugna receſſerunt; fuiſſetque procul dubio capta moles, & vrbs direptioni expoſita, niſi Eccleſiaſticis miſſilia defeciſſent: quod vbi Federicus agnouit receptui cecinit. Intellexere Fanenſes periculum in quo fuerant, nec auſi ſecundam expectare pugnam, intempeſta nocte legatos ad cardinalem miſere, cum quo rebus compoſitis ſeptimo calendas Octobris deditionem fecerunt: nec facultas fuit Roberto patris imperium exequi, qui paulo poſt arcem & ipſe tradidit, paternamque ſęuitiam veritus declinato Arimino Rauennam ſe contulit. Pius in menſa forte accumbebat cum cardinalis nuntio ſignificatum eſt Fortunæ Fanum in poteſtatem ſuam integrum deueniſſe. Erexit illico ad cælum manus, & optimo ſummoque Deo gratias egit, qui ſe tantis beneficiis cumularet: ſecumque tacitus, inquit: Nulla iam cauſa eſt, quæ me domi retinere poſſit: vocat me Deus ad bellum ſuum, atque iter aperit. Non eſt cur amplius differamus: capto Fano, paulo pòſt & Senogallia in poteſtatem recepta eſt, & oppidum ſancti Ioannis in Mariliano: & Gradara deditionem fecere. Et Anconitani quamuis inuiti Montemmartianum, quem clam legato à Sigiſmundo coemerant, Eccleſię tradiderunt. Deinde cum omnibus copiis cardinalis in Montemferetranum traiecit.

Italorum omnium præter Florentinos cõſenſus de auxiliis contra Turcas mittẽdis.

Italorum interea legationes acceptis à dominis ſuis reſponſis Pontificem adeunt, decretumque Mantuæ factum de decimis, vigeſimis, ac trigeſimis receptum eſſe affirmant: mittantur exactores, nihil morę futurum, quin Præſulis deſiderio ſatis fiat: Ferdinandus Sicilię rex ita reſpondit: & Franciſcus Mediolanenſium dux: & Borſius Mutinenſis: & Ludouicus Marchio Mantuanus: & Bononienſes, & Lucenſes. Genuenſes quamuis rogati nullum ad conuentum miſere: nec Sabaudiæ dux, quamuis in Italia multum agri obtineat: nec marchio Montisferrati. Florentini legato miſſo, nihil niſi verba dedere, habere ſe Conſtantinopoli negotiatores ſuos primarios ciues, vereri ſe ne bello contra Turcas implicantibus, ſui ciues infortunium patiantur: vt ſunt Barbarorum mores: ſtatuiſſe magiſtratus triremes ex maioribus tres, quas vocant galleatias, ſub ſpecie negationis Conſtantinopolim mittere, indeque ſuos ciues, atque omnes eorum fortunas abducere: quod ante natale Dominicum exiſtimarent futurum: tum facile ciuitati ſuaderi bellum poſſe, ſine pecuniarias ad bellum contributiones: priuſquam hoc fieret, fruſtra tentari populũ; cui nihil difficilius, quàm ſumptum ſuadeas. Senenſes poſt diutinas conſultationes, & fruſtra ſenatorum defatigata ſubſellia, tandem auri nummum tria millia trecentos in eam expeditionem ſeſe collaturos dixere: Tantum illi & Ieſu Chriſto domino Deo ſuo polliciti ſunt, tantum Romano Pontifici ciui ſuo blanditi: qui poſt acceptum Pontificatum in vrbem Senenſem ſupra quingenta millia aureorum tranſtulit. Contempſit Pontifex illos: neque enim de Florentinis aliud iudicium fecerat. Correxerunt ſe tamen poſt aliquot dies Senenſes, & pro tribus millibus decem millia collaturos ſcripſerunt, ſuæ reipublicæ paupertatem excuſantes: quæ licet opinioni Pontificis minime ſatisfacerent,

accepta

accepta ſunt tanquam grata, vincente Pium patriæ charitate, cui vel erranti acquieſcendum putauit.

Veneti Peloponneſi maximā partē occupant, Iſthmumq; firmiſſimo atq; alto muro incredibili celeritate muniunt, & inſulas pleraſque recuperant.

Veneti, vt relatum eſt, apertum indixerant Turcis bellum. Aloyſius Lautedanus claſſis præfectus ad Iſthmum Peloponneſi adnauigauerat, vaſa quindecim millia calcis eo detulerat: elaboratæq; materię tantam vim, ex qua turres quinque multorum tabulatorum ſiue caſtella excitari poſſent. Duo hic maria Ionium & Ægeum ad ſex millia paſſuum terram coercent: hoc ſpatium Examilium Græci vocant, quo clauſo, vniuerſa Peloponneſus à terreſtribus copiis defenſa eſt. Propter quod murum à mari ad mare duxerunt veteres turtibus & foſſis egregie munitum, qui ſæpe ab hoſtibus deiectus, ſæpe ab incolis inſtauratus eſt. Turcę vltimo deuicta Conſtantinopoli Attica & Boetia ſubacta, murum deſtruxere; Peloponneſumq; ferme omnem in ſuā poteſtatem redegere. Extabant adhuc fundamenta, & reliquiæ veteris ædificii, cum Veneta claſſis appulit. Excitatus eſt repente murus Veneti ſtudio in altitudinem, & craſſitudinem priſtinam. Turres erectæ ſupra centum quadraginta, & ab exteriori parte latior ac profundior foſſa deducta: cumque Venetis interior quoq; vis timenda videretur: neq; enim Græci omnes peninſulæ ad eos defecerant, Turcarumq; non parua manus munitiora inſederat loca, alteram quoq; foſſam interius effoderunt egeſtamq; terram in aggeris modum compoſuerunt, propugnaculis & armamentis deſuper conſtitutis, ſeruato ſpatio inter murum & aggerē, in quo velut in arce cuſtodes protegerentur, & machinę omnis generis ad propulſandos hoſtes conſeruarentur: tum portæ opportunis conſtitutæ locis. Quatuor tantum oppida in fide Turcarum māſere, in quis præcipua fuit Corinthus, vrbs quondam celebris: tria millia eo cōfugiſſe Turcarum fama fuit. Veneti non præſumpſere munitiſſimū oppidum ac defenſore plenum armis oppugnare: fame macerandos hoſtes putauerunt, curis omnibus atq; ſtudiis ad muniendum Examilium conuerſis. Duces Turcarum, qui Atticā obtinebant, vbi murari Examilium didicerunt, coactis octo millibus equitum perturbaturi opera eo procurrerunt: ſed cum iam opus abſolutum inueniſſent, retro abiere confuſi, maioribus viribus opus eſſe cēſentes. Interea & lemnos & complures inſulę Ægei maris, quas vocant Cyclades, abiecto Turcarum iugo ad Venetos defecere: quæ cum Pontifex didiciſſet, decretū ſuæ profectionis promulgandum ſtatuit: ad quam rem perficiendam multa conſultanda cum cardinalibus fuerunt, in quis ſemper aduerſum ac renitentē Ioannes cardinalis Atrebas ſeſe prębuit cū ſubalienato animo Pontifici eſſet, namq; cum aliorum iudicio doctus, ſuo vero doctiſſimus Atrebas ſibi videretur, vt qui litteras memoriæ multas mandaſſet, & profanas & ſacras: & quicquid apud latinos legitur percurriſſet, ſelectiſq; philoſophorum & poetarum dictis referſiſſet memoriæ penu, ac de quacunq; re ſermo incidiſſet, paratus eſſet aliquid dicere, & priſcorum dicta doctorum in medium afferre: omnia hac de cauſa ſibi licere exiſtimabat. Cum itaq; vacaſſent in Gallia aliquot menſibus ante duæ inſignes eccleſiæ, altera metropolitica Veſuntiorum apud Burgundos, altera cathedralis Albienſis apud Francos in Aluernis, vtraq; ſatis diues, Atrebas vtranque ambiuit, atque Pontificem adiens: Veſuntinam, inquit, eccleſiam, vnde mihi origo eſt, negare non potes, Albienſem petit rex Franciæ vt mihi commendes, iampridem hoc regi promiſiſti, cui Pontifex: Noſtram, inquit, conſuetudinem noſti, Pontificales eccleſias nulli duas committimus, niſi ſit altera ex titulis cardinalium; harum vnam delige, duas ſperare noli. Quo audito Atrebas vehementer doluit, & quaſi contumelia tactus commemorare ſua in ſedem Apoſtolicam beneficia, pragmaticæ ſublationem ſibi attribuere, & amicitiam regis Franciæ, quæ ſuo ſtudio quęſita fuiſſet. Manſit tamen in ſententia Pontifex, quare indignatus Atrebas Pontifici quantum potuit ſemper deinceps reſtitit, & demum impetrata abeundi poteſtate, poſt decretum in Turcas promulgato in Franciam abiit.

Franciſcus Sfortia imperium exercitus contra Turcas recuſat. Pius decretum ſuæ profectionis publice declarat.

Inter hæc voluens animo Pontifex quantum & quàm periculoſum eſſet bellum, q; aduerſum Turcas ſuſcipere ſtatuiſſet, & quantū reb. gerēdis cōduceret Frāciſci Mediolanēſis auctoritas in eo militantis, longā ad eum epiſtolā miſit, quæ inter alias eius inſerta eſt. In ea conatus eſt homini ſuadere, vt ſecum in expeditionem iret, totius exercitus Apoſtolici dux futurus, æternam inde famam, & animæ ſalutem con-

ſecuturus: poſteritatiq; ſuæ in principatu Mediolanenſi cōſulturus. Sed fruſtra conatus eſt, delitiis iam præſentib. deuinctus animus futuras contempſit: excuſationeſq; procul quæſitas obtendit. Pius nihil minus in adiutorio confiſus Altiſſimi, ad vndecimum calendas Nouembris, Pontificatus ſui anno ſexto, conuocato publico conſiſtorio, quod admodum frequēs fuit, tanquā legatis Burgundis reſpōſurus, Gregoriū Lollium decretū communi cardinalium conſilio & aſſenſu editum legere iuſſit; in quo & neceſſitatem belli contra Turcas gerendi, & profectionis ſuæ, & ſperandæ victoriæ cauſas, & prǣmia bellatorum, & impedientium vltiones late diſſeruit. Auditū eſt ſumma attentione decretum, quamuis vix duab. horis recitari potuerit. Ipſa dulcedo ſermonis, reiq; nouitas, & promptitudo Pontificis animam ſuā pro ſuis ouibus offerentis multis aſtantibus excuſſit lacrymas: Burgundi ingentes gratias egere Pōtifici, domino ſuo tam gratum, tamq; magnificum relaturi reſpōſum. At Romani cognita Pontificis deliberatione, prope in deſperationem adducti ſunt, tanquam Romanam curiam, & quæ inde proueniunt emolumenta prorſus amiſſuri. Quod vbi Pontifex animaduertit: Bono inquit eſtote animo, filii Romani, quos velut animam noſtram diligimus: Profecturi aduerſus Turcas Apoſtolicam hic cameram relinquemus, & audientiam cauſarum, & cancellariam & pœnitentiariam, & reliqua Romanæ curiæ munera, & duos legatos, alterum qui temporalibus præſit rebus, alterum qui ſpiritualia adminiſtret, & concurrentibus ad vrbem vice noſtra ſubueniat. Remanebunt & cardinales antiqui, quibus ægritudo profectionem interdicit: nos quoque (auctore Domino) cito cum victoria reuertemur. Confidite Deus conſolationis & pacis huic vrbi ſanctorum Apoſtolorum martyrio conſecratæ ſua præſidia non denegabit. His dictis ſumma omnium alacritate dimiſſa concio eſt. Pontifex, qui acerrimo pedis dolore tenebatur, atq; ægre tamdiu pœnam diſſimulauerat, propere in cubiculum abſceſſit.

Fœdus inter Pontificem, Venetos, ac Burgundum contra Turcas.

Diebus præcedentibus conuenerant legati Burgundi, ac Venetus cum Pontifice, atq; in hunc modum fœdus inierant. Bellum totis viribus contra Turcas in vnum duos, treſve annos (ſi ſic res poſceret) geſturos ſe promiſerant, ea conditione adiecta, vt ſine ſociis nulli liceret à bello diſcedere: Addideratq; Pontifex veniente Philippo duce ad Italicas oras, & in Græciā profecturo ſe ſimul iturum: legati quib. eſſet ampla poteſtas his vinculis ſuos dominos obligauere ſimile fœdus & Matthias rex Hungariæ cum Venetis pepigit.

Picininus tandem concordia cum rege.

Picininus qui leges pacis ab Alexandro dictas aliquandiu recuſauerat, nec retinere mendaciis militem poſſet, vltro in concordiam venit; Sulmonem vrbem, & aliquot in Aprutiis oppida conſecutus, & in annum ſtipendii nomine auri nonaginta millia nummum, quorum Pontifex pacandi regni cupidus, quindecim millia diſſoluit: multum enim ad victoriam pertinebat, quarum partium Picininus eſſet.

Sigiſmundus Malateſta animo fractus, à Pontifice tandem ſupplex pacem impetrat.

Sigiſmundus Malateſta in Arimino clauſus, caſtella iam pauca poſſidens, animo fractus, legatos ad Pontificē mittens: Pacē, inquit, victus peto, quas leges dederis ſubiturus: victoris honor eſt victo parcere. Cōfiteor, peccaui in te grauiter: verum neq; leues dedi pœnas: ſeruatus deinceps cauebo Eccleſiam lædere. Pontifex exhiberi mandata iuſſit: quæ poſtquam iureconſulti probauerunt, in hunc modum Sigiſmundo pacē dedit. Procuratores eius in baſilica ſancti Petri die feſto dum res diuina geritur, errores ſuper quibus accuſatus eſt manifeſtam hæreſim ſapientes ab eo prædicatos, atq; aſſertos fuiſſe teſtentur, illoſq; ſuo nomine reuocent & abiurent; eos præſertim, qui mortuorū reſurrectionem inficiantur, & animas hominum immortales: idem Sigiſmundus per ſeſe agat in Arimino. Pro crimine maieſtatis, atq; hæreſis omni ſe priuatum imperio, ceteriſq; fortunæ bonis intelligat: Ariminum ex benignitate Apoſtolica correctus de nouo nomine Vicariatus accipiat, cenſumq; pēdat quot annis mille aureos, oppidis & arcibus reliquis, munitionibuſq; quocunq; in loco ſitæ fuerint, nihil moratus cedat. Eccleſia quam læſit pro damnis cūcta recipiat. Federicus Vrbinas quæ ſua fuerunt recuperet: his peractis pax eſto. Tum quoque apud Ariminū pars agri propinqua, & vrbi neceſſaria & immunita, reconciliato Sigiſmundo dono dabitur. Procuratores dictam pacē acceptauerunt, quibus perdēdæ ciuitatis Ariminenſis magnus inceſſerat metus. Et die Dominica, quæ proxima fuit, in

Apoſto

Apoſtolorum baſilica frequente ad rem diuinam populo mnltis aſtantib. epiſcopis apud aram diuæ Mariæ, alta & intelligibili voce Sigiſmundi hæreſim publice confeſſi, iuxta facultatē traditæ poteſtatis abiurarunt. Sigiſmundus autem oppidorum, & atcium, vt erat iuſſus, cardinali Theanenſi poſſeſſionem ad præſtitutam diem tradidit: inter quæ nobile oppidum Ciſternæ in Tuſcia Tifernatibus imminens ad Eccleſiam peruenit non ſine Florentinorum moleſtia, qui eo loco potiri multis artibus adnixi fuerant. Perfecta eſt conſignatio locorum per Sigiſmundum pridie calendas Nouembris: ſequenti die cardinalis pacem ei reddidit, & agrum præſcripſit, quem poſſet Ariminēſem dicere, & ſibi poſſidēdum habere: in arctum coarctata poteſtas eius eſt: tumbæ (vt appellant) quædam ei dimiſſæ ſunt, id eſt palatia paucis habitata colonis: munita & frequentia loca cuncta perdidit. Poſt hæc Sinueſſanus epiſcopus ex imperio cardinalis Ariminum cōceſſit anathema ſublaturus, cui vniuerſus populus & ipſe Sigiſmundus occurrit, erratorum veniam petens. Ipſe ad Eccleſiam profectus quantum erraſſet & tyrannus & populus palam oſtendit, qui mandata Eccleſiæ contempſiſſent: iuſſitq; triduo ceſſare diuina officia: atq; in ieiuniis eſſe populum, vt mereretur abſolutionē accipere. Poſt triduum congregato in Eccleſia populo Sigiſmundus flexis genibus coram epiſcopo, & ara maiori errores ſuos confeſſus eſt, & veniā petiit, atq; in verba Pii iurauit; idemq; populus fecit, ptomittentes deinceps mandata & cenſuras Eccleſiæ omni tempore ſeruaturos. Epiſcopus vero hoc facto, pænitentes abſoluit, ciuitatiq; benedixit: Sacerdotibus, qui ſtante interdicto diuina profanauerāt officia, pro facinoris qualitate ſuſpenſis. Atq; is tandem belli Picenſis & Malateſtarum rebellionis, ac inſolentiæ finis fuit, pro ſedis Apoſtolicæ manſuetudine haud ſeuerus, pro ſcelerum magnitudine mitiſſimus. Feliciter hæc Pio ceſſere: nec minus illud quod circa idem tempus de Maguntina Eccleſia geſtum eſt.

Dyetherus Adolfo Maguntino præſuli Palatino inconſulto cedit ſecundum Pontificis decretũ. & Frankfordiæ laudes.

Miſerat Pius (vt ante diximus) epiſcopū Tricaricenſem in Germaniam ad res eius Eccleſiæ componendas. Interea ſeu fractus animo Dyetherus longis bellorum calamitatib. afflictus, ſiue diuinitꝰ ab iniquo propoſito retractus, miſereri Eccleſię cœpit, cuius eſſet filius, & quam diutius afflictaſſet, haud ignarus: Palatinum comitem nil aliud belligerādo quærere, quàm Magūtinæ ſedis neruos omnes elidere, ac dignitatē prorſus extinguere, quæ ſuum videretur ſplendorem obnubilare: clam igitur eo per internuntios Adolfi conuentum qnæſiuit, quoniam pacem ei reddere ſtatuiſſet. Conuenere ambo cum amicis, belliq; ſociis, excepto Palatino, apud Frankfordiam quæ ciuitas Mogano adiacet, frequentib. nundinis, & Imperatoris electione inſignis. Hic enim vacante Imperio Germani electores conueniunt, & in prætorio clauſi Imperatorem eligunt, quamuis non ante Imperatorem appellant, quàm Romæ coronetur. In Aquiſgrani ſuſcepto diademate Romanum regem vocitant, prius Electum. Templa hic diuino dicata numini magnificentiſſima ſunt, & domus ciuium egregiæ quamuis maior pars ex materia conſtat. Teguntur omnes tenuiſſimo lapide plumbei coloris, quem noſtri abbacum vocant. minutis fruſtis ita contextis, vt ſquamas piſcium imitari videantur, & lucente ſole mirum ſplendorem exhibeant. Moganus ex montibus Bohemiæ proximis effuſus in occidentem vergit, Herbipolim & alias pleraſq; Franconiæ ciuitates percurrens, apud Frankfordiam ponte iungitur lapideo, quatuordecim fornicū vno interrupto vlterioris oppidi metu, quē pacis tempore trabibus nectunt: ferax amnis piſcium, & anguillarum maxime: è regione Maguntiæ Rhenum influit: nulla nō die trecentorum hominum capax nauis, altera Frankfordiam petit ex Maguntia: altera ex Frankfordia Maguntiam trahentibus equis: tanta eſt vehendarum neceſſitas mercium. Hoc in loco Adolfus, Dyetheruſq; cōueniētes, accerſito Petro Ferrici Apoſtolico nuncio, cuius auctoritate res gereretur, de concordia tractauerunt. Conuenitq; tandem inter eos, vt Dyetherus iure quod in Eccleſia Maguntina ſibi competere aſſeruerat prorſus dimiſſo, Adolfum tanquā dominum ſuū & archiepiſcopum à Romano Pontifice inſtitutum veneraretur. Nec mora in cœtu virorum illuſtrium, qui frequentes aderant, gladium inſigne principum, quod electores ante ſe ferri iubent, depoſuit, & humiliatus flexo genu ab Apoſtolico nuncio veniā petens abſolutus eſt, & tanquam priuatus prætorium exiit, moxq; Aſciaff. nburgium, & alia quæ tenebat oppida, munitiſſimaſq; arces Adolfo reſtituit,

retentis aliquibus ex conuento quoad viueret, ne ad inopiam vergeret, diſſipato diutinis bellis patrimonio. Par fere iſtius & Sigiſmundi fortuna, vterq; contra ſedem Apoſtolicam nixus exauctoratus eſt. Quantum Pio diuina pietas faueret ambo ſenſere, quamuis miſericordiam magis quam ſeueritatem experti. Germani archipræſulē Maguntinum quaſi alterum Deum exiſtimant: neq; in eum Romani Pontificis auctoritatem extendi cenſent, atq; idcirco cum depoſuiſſet Pius Dyetherum, irridebant tamquam rem aggreſſus eſſet effectu carituram: nec in collegio deerant cardinales idem ſentientes, nimiamq; Pontificis audaciam clam inſimulantes. Vicit conſtantia vanas opiniones, eoſq; delirare conſtitit, qui deliraſſe Præſulem putauerunt: Adolfus ſecundus eſt, qui ex familia Naſſauiorum, iubente Romano Pontifice, Maguntinum archiepiſcopum è ſolio deiecit, & in eius locum ſublimatus eam cathedrā cum dignitate retinuit. Pio hinc nomen ingens ortum, & ad res contra Turcas gerendas liberior datus animus.

Tarentini principis obitus, totiuſq; ſui principatus ad Ferdinandum regi defectio, & duodecimi atque vltimi libri abſolutio.

Reſtabat princeps Tarentinus in regno Siciliæ, qui profectionem Pontificis in Turcas perturbaturus videbatur, noua incendia aduerſus Ferdinandum excitaturus: cui etſi anno ſuperiore poſt victoriam Troianam recōciliatus fuerat, memor tamen perfidiæ ſuæ bellum ſibi ſalubrius quàm pacem arbitrabatur. Simulare igitur cum Ferdinando beneuolentiam, eamq; palam oſtentare: clam vero Ioanni Andegauenſi ſuppetias promittere, hortari ne regnum relinqueret; ſi nequeat tutam alibi manſionem habere, munitiones ſuas offerre, oppidanos ſanctæ Severæ bono animo eſſe iubere, cauerent ne Ferdinando ſeſe redderent: polliceri auxilia, & in milites externos pecunias miniſtrare, & iam duas ac viginti equitum turmas ad res nouandas in ſuperiorem Apuliam expeditas ducere. Compertæ ſunt eius epiſtolæ eadem die ſcriptæ; altera ad Ferdinandum miſſa præcipuam quandam charitatem præſeferebat: altera Ioanni directa, ne animo deficeret hortabatur, & auxilia vltro offerebat. Quibus cognitis maturandum in Apuliam Ferdinandus cenſuit, & iam Luceria Saracenorum eiecto Gallico præſidio ad eum defecerat. Delectis igitur ex omni exercitu quatuor & viginti equitum turmis, propere in Apuliam traiecit, nec ſanctam Seueram egregie defenſam aggredi auſus: Manfredoniam petiit, quæ mox deditione ciuium in eius poteſtatem deuenit, quamquam direptionem euadere non potuit: præfectus arcis Gallicā triremem ad ſe nauigantem cōſpicatus, & noui auxilii ſpe deceptus eruptionem facere præſumpſit, cui dum Ferdinandi cohortes reſiſtunt, & miles è caſtris ad tumulum excitatus occurrit, ciuitatis rapina prohiberi non potuit. Præfectus in arcē repulſus nō ſine damno profugit, triremiſq; ipſa Gallica intercepta eſt, defenſoribus in terra deprehenſis. Completa eſt nouis militibus capta triremis, & aduerſus alteram, quæ non procul aberat, tamquam amica nauigare iuſſa, illam quoque fraudis ignaram comprehendit. Quod poſtquam principi Tarentino nunciatum eſt, ſubitus illum inuaſit mœror & ſtomachi dolor, vehemens metus exagitabat hominem: erat enim puſilli animi, ſuperbus & tumens in ſecundis rebus, pauidus & fractus in aduerſis. Creſcebat in dies morbus, neque medici ſpem vllam ſalutis promittebant. Retro igitur ad propria reuerti ſtatuit iam ferme dies duodecim aduerſus ægritudinem contendens, vehebatur clauſa lectica ad oppidum, cui Altamura nomen eſt, quem cum deponere vellent, decimo ſeptimo calendas Decembris extinctum ſine teſtamento inuenerunt; neq; confeſſione Deo reconciliatum, neq; ſacramentis Eccleſiaſticis ex more Chriſtiano munitū: qualis vita præceſſit, talē cōſecutus eſt exitū. Sine religione vixit, ſine religione deceſſit. Oppidani nihil eius morte felicius audiuere: mira res: nulla ciuitas eius indoluit mortē, publicum vbique gaudiū, publica conuiuia, & comeſſationes, communiſq; lætitia, vt aſſolet in auari diuitis obitu; quem nihil recte facere vulgo dicunt, niſi cum moritur. Auariſſimus enim fuerat Ioannes Antonius, adeoq; lucris intentus, vt ſibi ſoli mercaturas ſui principatus reſeruauerit, à ſubditis emit quāti voluit pretii quæcumq; venalia fuerunt: eaq; vendidit negotiatoribus externis: creditoribus raro ſatisfecit: Iudæos, quos poſſet expilare facilius, complures in ditione ſua ſuſtinuit: cum Turcis commercia habuit: tenui victu contentam eſſe familiā voluit: luminaribus nullis vtebatur: niſi candelarum ex adipe, hiſq; perparce. Itaq; mors eius viſa eſt ſubditorum vita & reſurrectio.

ctio. Ferdinandus accepto mortis eius nuntio, relictis apud Manfredoniam paucis, qui arcem expugnarent, cum omni equitatu celeri curſu Altammuram contendit: vbi ſingulari omnium lætitia exceptus eſt. Ingens rerum mutatio: infra dies ferme octo legati ciuitatum, & oppidorum omnium: quæ in poteſtate principis fuerant ſupra trecenta percupide ſeſe regi dediderunt: principis quoq; coniunx & Iulius gener, & duces exercitus nihil morati imperata regis fecere: atq; in eius verba iurauerunt. Ingens gaza reperta, nihil regem l. tuit. Conſeruatæ in multos annos opes, & nimium cuſtoditi theſauri ſubito in lucem venere. Relatum eſt ſupra decies centena millia auri nummum valuiſſe quæ in theſauris, horreis, ac pecoribus principis inuenta ſunt, & ſine diminutione in regis manus peruenere. Secundum hanc felicitatem, & arx Manfredoniæ obtenta eſt, & vrbs Veſta. Seuerinenſes apud legatum Apoſtolicum de reconciliatione ſua tractare cœperunt, cum ſe omni ſpe deſtitutos intelligerent. Lucretia Alfonſi quondam amaſia Ferdinandi faciem verita cum filio Ioannis Coſſæ in Dalmatiam fugit, ibiq; fertur deliteſcere. In regno cuncta Ferdinando parent, præter ſanctam Seueram, niſi in hanc diem ſe dederit, & arcem Luceriæ, & caſtella pauca Baſi comitis in Apulia, & Ortonam in Aprutiis, & Manteam in Calabris, & in Tyrrheno mari Enariam inſulam, in qua Ioannes Andegauenſis latitat, & arcem, quam vocant Oui Neapoli proximam bombardis propemodum dirutam: reliqua iuſſa faciunt, nec iam dubium eſſe videtur quin pace regnum fruatur, Pioq; Pontifici ad expeditionem in Turcas obeundam nulla deinceps impedimenta, & multa poſſint adiumenta prouenire, quibus ipſe confiſus ad eam rem ſe accingit, & omnium bellorum maximo præparat; cuius cœptis, vt adſit diuina pietas rogamus. Hæc habuimus, quæ ad annum ſextum Pontificatus ſui nondum exactum de rebus eius ſcriberemus, in libros digeſtis duodecim, quorum vltimus pridie calendas Ianuarias finem accepit, anno ab incarnaro Verbo Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo tertio.

Commentariorum Pii ſecundi Pontificis maximi libri duodecimi & vltimi finis.

INCIPIVNT COMMENTARIA IACOBI CARDINALIS PAPIENSIS.

IACOBVS PICOLOMINVS, CARDINALIS PAPIENSIS INCLITO GEORGIO CARDINALI RHOTOMAGENſI S. D.

Collegi nuper reliquias meas, Cōmentarios ſcilicet, & Epiſtolas, quas olim ſcripſerā, vt tibi vtrūq; opus dicatū appareat. Nec pœnitebit, vt arbitror, legere, nō tā ob ſtili ſpē, quàm ob tēporū varietatē: Alter tamen, ſicut mihi viſus eſt laudē parare: ita quoq; altera peperit nomini Gallico amplitudinē Regni. Scribēdo equidē acrior interdū quibudā viſus ſum, quod damnarē quæ publicis morib. officerent, dū ipſi indulgerent ſibi nimis, qui plus valebant Sed poterā hac moleſtia carere, niſi eā mihi perſonā aut tribuiſſet natura, aut Fortuna cōfirmaſſet, quæ aberat ab omni adulationū ſpecie. Cū tamē & tacere in communi cauſa & loqui ſæpe iuxta delictū aut periculū foret. Ceterū nihil vnquam malui, quàm quod alii pleriq; dū noluerunt, eo peruentū ſit, vt pecuniæ plurimū, dignitatis vero minimū retineatur. Quare meorū ſcriptorū editionē diſtuli, ne mortuus adhuc moleſtus in viuētes exiſtimarer, de quib. bona fide mereri bene volebā. Sed nunc tēpus idoneū nactus negligere occaſionē ex re amplius nō putaui. Quoniam libertate Gallica per Italiā cōſtituta, fructus capitur vberrimus, Quod & res multæ ſint præclariſſimè geſtæ, & victores videantur eſſe, qui lōgius à periculo nō fuerunt. Sequeſtres.n.facere cōſueuit Deus victoriarū Gallos, qui opibus, armis, equis, virtute, cōcordia abundātes prouocari nō poſſunt impune, & cū ſuperiores fuerint, humanitate vincuntur, benigni, hoſpitales, liberales. Verū Tu in omni tā inclytæ gentis decore præcipuus haberis, quod ſapientiſſimus Rex maximas Regni curas in te inclinet, quē ſit à pueritia expertus fideliſſimū cuſtodē in omni fortuna, quæ fuit illi ſæpe varia, & caſibus inſignis, & amicū nunc intelligat inter ardua laboris minime fugientē, cū vigiliæ nullæ fatigent, nec auctoritas corrumpat animū aut inſolentē vſpiā faciat. Inde in omniū ore verſatur veriſſima confeſſio: poſt Regē in Gallia eſſe nihil Rhotomagenſe præclarius, opportunius, melius, prudentius, firmius. Sed ne de te plura, de quo infinita poſſunt, videar nunc dicere, fuit ratio illa quoq; huius editionis præcipua, quod incurrit in Pontificatū Iulii Secūdi, quē olim à patrui felicis memoriæ Sixti dignitate cōparare ſibi cernebam omnia ſpei ac ſplendoris plena, vt aliquando is eſſet, cuius inuicto animo culmen Romanū refloreſceret. De ſubſellio igitur tecum ago, ne meorum ſcriptorum me pœniteat, qui ea cum tua laude coniuncta eſſe velim, & dum in adminiſtratione ampliſſima verſaris, plane ſperes fore, qui tuam quoq; æternam memoriam litteris conſecrent. Quippe vnus es, qui feliciſſimum efficis Regem: in quo omnia virtutis lumina diuinitus accenſa, tanquam ignem Veſtalem cuſtodis, & in religionem vertis, vt qui incolumitatem rerum amant, nihil magis contendant votis à Deo, quā vt Rex viuat, & tu poſſis quæ potes ampliſſima diu. Vale.

ALEXAN-

ALEXANDER MINVTIANVS STEPHANO PONCHERIO, PARISIENSI EPISCOPO VIROQVE INTEGERRIMO S. D.

MONVMENTA Iacobi Cardinalis Papienſis olim diſiecta, & nunc ſumma induſtria perquiſita, & ad temporum ratione in ordinem redacta amplitudinis quoque tuæ præſidio eo audacius communienda duximus, quod ipſius auctoris manes ad Superos excitati in inclyti Georgii Cardinalis Rhotomagenſis ſinum confugerũt. Verebantur enim quod paulo liberius de temporibus ſuis loquerentur, ne per importunum viatore ad ſeuerioris alicuius ſubſellii cenſuram ſiſterentur. Sed in primis ad hoc me impulit tui promerendi occaſio, ſi in noſtra hac editione auguſtiſſimas Rhotomagenſis Præſulis laudes celebrarẽ, quem tu ipſe tanquam præſentiſſimum numen & veneraris & colis, cuiuſque diuinam in gerendis rebus ſapientiam cotidie, dum hic apud nos eſſes, prædicabas & extollebas. Neque aliud exiſtimo, Vir optime, quamobrem doctos viros tua tanta familiaritate dignaris, niſi vt munifica tua humanitate prouocati Ludouici Regum maximi & Rhotomagenſis, quo poſt tantam maieſtatem nihil in tota Gallia excelſius eminet, res glorioſiſſime geſtas celebrent, & in poſteros ſcriptorum monumentis diffundant atque propagent. Sed longe ſecius quam cogitaram euenit. Nam qui ſperabam tibi gratificandi facultatem mihi datam, in tanti Principis æternales laudes ingreſſus pedẽ refero, ac rei magnitudine deterritus cõſilium muto. Ita enim magnifica ſe mihi omnia obtulerunt, ita ſublimia ſeſe oſtentarunt, vt tantis conatibus ingenioli mei vires impares eſſe ſentirem. Etenim vt omittam generis claritatem, quod diu in Gallia velut fulgentiſſimũ ſidus reluxit, id omnium virtutũ iubar in eo ſemper emicuit, vt vel excellentiſſimi ingenii aciem facile perſtringat. Quis enim aut in aduerſis conſtantiam, aut in ſecundis modeſtiam dignè dixerit? Quis in verbis fidem & ſinceritatem, in conſiliis maturam celeritatem, in gerendis rebus diuinam ſapientiam laudauerit: quibus egregiis virtutibus effectum eſt, vt Rex ſapientiſſimus totius regni ſui procurationem illi demandauerit, & theſaurorum omnium cuſtodiam & diſpenſationem crediderit. Et cum ipſius conſiliis ita acquieſcat, vt eius nutu cuncta regi videantur: is tamen in tanta ſua poteſtate ſatis abunde habet, ſi probus frugique ab aliis cognoſcatur. Et quæ tanta vnquam fuit frugalitas, quæ tanta continentia, quæ cum hac conferri poſſit? Cui cum per potentiſſimi Regis indulgentiam lautiſſima ſacerdotia, quibus propter antiquam gentis religionem Gallia eſt ornatiſſima, liceat poſsidere, vnico tantum contentus fuit, quo & Cardinalatus dignitatem cum mediocritate ſuſtineat, & præter cæteros, in quibus aliquid nobilitatis eluceat, non multum ſe extollat: adeo à tenera vſq; ętate

propoſitum hoc conſtantiſſime renuit, non immodicis honoribus homines Illuſtres fieri, ſed virtutibus Principum nomen clareſcere, immortalitatique optime commendari. Sed vt ad ea, quę ad nos ipſos attinent, propius diuertam, quis huius clementiſſimi Patris immortalia erga nos beneficia commendabit: cum trepidante patria imminentem direptionis & militaris licentiæ atque libidinis procella ſola auctoritate de ceruicibus diſcuſſit, adeo vt quæ antea rapinis & cædibus patebant, biduo tuta & pacata reddiderit? Et non iuſtius eum patriæ parentem nuncupabimus ipſius clementia ſeruari, Regique potentiſſimo cotidie magis commendati, quàm Syracuſani Marcellum, à quo fuerant euerſi, patronum nuncuparunt, & in perpetuum habuerunt? Sed clarius quanta nos pietate complecteretur, oſtendit, cum ab inuictiſſimo Rege impetrauit, vt quãdo per ſe (id quod maxime optabat) Mediolanenſes ſuos regere nõ liceret, quod totius Regni Gallici curas in ſe inclinatas videret, per cariſſimum ex fratre nepotem id efficeret, exiſtimans nos præſenti ſua tutela non penitus orbatos, ſi per Carolum ſummæ indolis & certæ ſpei iuuenem regeremur. Habuit tanta erga nos pietas optatum exitum. Nam vbi Illuſtriſ. hic Princeps noſtrę fluitantis nauis gubernaculo admotus eſt, nihil prius duxit, quam vt in aliquem tutum & tranquillum portum nos dirigeret. Proindę ea ſeueritate, quæ coercendæ audaciæ neceſſaria viſa fuit, gladiorum licentiam, quę in tanto rerum motu conualuerat, in primis compeſcuit: ita vt qui antea vel ſola nocendi libidine gladios in vulnera & cædes intentarent, etiam à quibus fuiſſent grauiſſime offenſi, vel verbo lædere non auderent. Factiones ſi quæ erant extinxit: cum diuinitus ab illo eſt procuratum, vt tam Troes quàm Tyrii nullo diſcrimine eſſe lætarentur. At boni ciues, & qui pacatum rerum ſuarum ſtatum concupiuerant, veram ſibi libertatem datam ac ſolidam bonorum ſuorum poſſeſſionem reſtitutam inuicem gratulantur. Iam certatim quiſq; ſuas opes oſtentat, precioſo apparatu ædes exornant, matronarum cultui ita indulgetur, vt qui carpentis eas per vrbem geſtari videant, totidem reginas eſſe exiſtimenr. Quæ quidem felicitas & ſi indulgentiſſimi Regis iuſſu nobis contingat: continentiæ tamen Caroli, quem vices ſuas hic obire voluit, magna ex parte acceptam referimus, & ne regendis imperio populis & pacis artibus tantum aptus putaretur, in proxima hac expeditione aduerſus Bentiuolos & opibus & cõſiliis præpotentes, quid in militari diſciplina valeat, quantuſque in armis aſſurgat, vt vniuerſa nunc nouit Italia, ita litterarum monumentis poſteritas nõ ſilebit. Hanc tam honeſtam præfecturam ne tanto Iuueni præſtitiſſe videretur, quia Illuſtris, quia nepos, quia ſibi dilectus eſſet: ecce, Ampliſſimi Senatus, qui ſua ſapientia totam Italiam regere & adminiſtrare poſſet, te moderatorem ſtatuit, quem non tanta generis claritas, non ambitio, non diuitiarum magnitudo illi conciliauit, ſed nuda veritas, ſincera fides, ſingularis probitas carum effecit: vbi audiendo, reſpondendo, & ſtatuendo te ita exercebas, vt neceſſariis vſibus vix vacare poſſes: Cuius deſiderium deuotiſſima tibi ciuitas prorſus nõ ferret, niſi permittente Chriſtianiſſimo Rege

Iaſredum

Iafredum Caroli reliquiſſes: qui in ſanctiſſimo hoc Senatorum ordine vice tua fungeretur. Is etenim ingenii promptitudine, & vitæ puritate Iuſtitiam, quam de cælo reduxeras, apud nos tuetur & ſeruat. De quo quidem viro vt paucis multa complectar: Ita ampliſſimum hunc ordinē moderatur, vt Stephani Poncherii, viri ſanctiſſimi, digniſſimus ſucceſſor vicarius habeatur. Suſcipe igitur Pater Opt. nouos hos clientes, qui etſi maximi Principis præſidio ſe tutos putent: patrocinium tamen tuum affectarunt. Cognoſces eos acerrimam temporum fuiſſe limam, & nullam timuiſſe inuidiā, dum ſumma libertate de magnis Principibus cenſuram agerent. Tempora vero Pii, & Pauli commentariis ita ſunt complexi, vt præſentem Italiæ ſtatum poſteritatis oculis quodammodo ſubiicere voluerint, cum interim ad externas gentes diuertendo, earum mores, & inſtituta declarent: Atque obiter in Boemia quædam hæreſes à quibus excitatæ, quibus ſtudiis adauctæ, quomodoq; extinctæ fuerint, exponit: quæ omnia cognouiſſe illis narrantibus haud erit ingratū. Vale decus & præſidium bonorum omnium, atque Alexandro tuo, qui ſe tibi totum addixit, patrocinium denegare nolis. Mediolani. M.CCCCC.VII. Idibus Ianuarij.

IACOBVS VOLATERRANVS SECRETARIVS ET PROTONOTARIVS APOSTOLICVS LECTORI
Salutem.

CARDINALIS *Papienſis, cuius non tam vitam, quàm vitæ illius curſum deſcribimus, Iacobi nomen Patris voto adeptus eſt, Luca clara Etruriæ ciuitate, Amannatorum familia non ignobili, honeſtis parentibus genitus. Prima litterarum rudimenta puer in oppido Piſciæ Lucenſis diœceſis didicit. Florentiæ vero iam adoleſcens ſub Carolo & Leonarda Arretinis Poeticæ & Rhetoricæ operam dedit. Ad finem Iubilei ſedente Nicolao Quinto Pont. Maximo, Romam ſe contulit, & à Cardinale Firmano in Secretariũ eſt aſcitus. A Calixto deinde tertio, qui Nicolao ſucceſſit, eodem Secretarii munere ornatus, Apoſtolicorum diplomatum ſcriptor effectus eſt. Calixto defuncto, aſſumptus ad Apoſtolatum Pius Secundus, ad eandem Secretariatus dignitatem ipſo die aſſumptionis illum nec poſtulantem nec opinantem vocauit. Biennio poſt Eccleſiæ Papienſi præfecit, ac paulo poſt ad Cardinalatum aſſumpſit. Dilexit enim illum vnice Pius, tam propter elegans eius ingenium & bonarum litterarum peritiã ac dexteritatem ad quæque obeunda, quàm propter manuum puritatem, quas toto vitæ ſuæ tempore ab omni corruptionis genere immaculatas ſeruauit. Defuncto Pio, cui Paulus Secundus ſucceſſit, habitauit ad Tyberis ripam modicis ædibus, ſed multa hilaritatis gratia & aeris ſalubritate conſpicuis. Secedebat aliquando æſtiuo tempore in Etruriam apud Senenſes, cum quibus propter Sanctiſſimi Patris Pii memoriam libenter viuebat. Vbi & prædia & domos ſibi parauerat. Biennio ante obitum, Lucenſi Eccleſiæ præfectus fuit: ad quam viſendam profectus, iiſdem honoribus receptus eſt, quibus Pont. Max. ſiquando Lucam diuerterunt, recipi conſueuere. Cenſus illi Sacerdotiorum fuit ad modeſtiam dignitatis. Quorum aceruos non quæſiuit modo, ſed in aliis vehementer deteſtabatur. Vir certe fuit magni ingenii. Ac ſi ei aliter mori contigiſſet, maioris conſilii habitus. Manu dexter ad omnia ad quæ intendebat animo. Elegantis & magnæ doctrinæ, atque in ſcriptis ſuis non minus ſententiarum grauitatem quàm ornatum oſtendens. Frequenter Scripturæ ſanctæ verbis de induſtria vtebatur, vtpote quæ ſorti & dignitati ſuæ conuenire plurimum exiſtimabat. Scripſit Pont. vitas quæ vel æmulorum malignitate deperditæ ſunt: vel forte (quod velit Deus) in aliud tempus ſeruatæ. Scripſit Commentarios à Pii profectione Anconam dum in Turcos expeditionem pararet, vſque ad obitum integerrimi Patris Cardinalis Caruaialis. qui annorum fere quinque hiſtoriam continet: omnium videlicet quæ vbique memoratu digna inciderunt. Scripſit epiſtolas multas tam otii ad alendum ingenium, quàm negotii cauſa ad Amicos, à me in hunc diem ſupra ſexcentas magno labore & cura collectas. Scripſit verſus magis argutos quam ſuaues. Eiuſmodi tamen, vt facilè quilibet non malignus interpres ingenii ipſius præſtantiam poſſit agnoſcere. Initio Pont. Xyſti quarti Pont. Max. Peruſinam & Vmbriam prouincias ſecunda fama adminiſtrauit. Biennio ante obitum Tuſculanæ Eccleſiæ titulo honeſtatus eſt: cum prius inter Presbyteros cooptatus, ſancti Chryſogoni titulum habuiſſet. Teſtamenti pars prima, quæ funeris rationem tantum continet, inter ipſius ſcripta reperta, nec, vt videri licet, emendata. Ineunte autem nono anno Xyſti Pontificatus in Vulſinienſes triduo iter ab vrbe Roma ſeceſſit, æſtiui aeris vitandi gratia. ſicuti quolibet fere anno conſueuerat. Cum vero quartanæ morbo aliquantulum laboraret, ad depellendum flumma quod inhæſerat ſtomacho,*

cho, ignobilis cuiuſdam Picentis Medici conſilio, accepit helleborum, male, vt creditur, ab illo temperatum. Quo hauſto, altiſsimo ſomno correptus, minus diei ſpatio, in oppido Laurento tertio Idus Septembris mortali vita exceſsit, Anno ætatis ſuæ ſeptimo & quinquageſimo. Magnæ virtutis Patri hic vitæ exitus fuit. Corpus eius Pont. & Patrum decreto in Vrbem relatum: proſequente familia: & in æde Auguſtinienſium marmoreo ſepulchro conditum. Funus de more celebratum. Supellex eius omnis iubente Pont. argentum, prædiola, & domus vendita. Nonnulla Xenodochio ſancti Spiritus elargita. Aureorum octomillia tantum domi & apud Menſarios inuenta: & Pontifici numerata. Veſtis ſacra & vaſa nonnulla argentea ſacri vſus Apoſtolico ſacrario dicata. Sed vt bona ipſius omnia multis diſtributa, & quaſi ſub haſta vendita, paruo tempore conſumentur: ita eiuſdem ſcripta, iam pluribus grauibus & eruditis viris nota, in dies celebriora erunt, nec vllo vnquam tempore interibunt. Vale, Lector. MCCCCLXXVIIII.

IACOBI CARDINALIS PAPIENSIS COMMENTARIORVM LIBER PRIMVS.

PIVS ſecunda cruce iam in Turcos propoſita, ad XIIII. calendas Iulii in baſilicam Petri mane deſcendit, ſicuti ſuus erat mos ſemper cum iter agebat. Ibi veneratis aris, & ſucceſſu rerum pie deprecato Roma egreſſus eſt: patribus & populo lecticam eius ſequentibus. ad pontem Miluium dimiſit à ſe omnes: his tantum retentis, qui ſecum erant ituri. Lembum inde aſcendens ad fatigationem leuandam terreſtris itineris, per aduerſum Tyberim ad caſtellum Iubileum peruenit, x. ab Vrbe miliario. Delegerat ſibi huiuſce ſubuectionis comites Dominicum Torcellanę, Agabitum Camerinæ, & Ioannem Tiphernati eccleſiæ præſules, quorum Dominicus & Agapitus de ſupplicationibus referre ſoliti erant, Ioannes ſacrarii Apoſtolici curam gerebat. Me quoque, & Gregorium Lollium adiungi his voluit. Pranſus eodie in lembo eſt, & cœnauit, & quieuit nocte illa. Poſtridie ante ortum Solis inde abeuntes, Phianum acceſſimus, primis iam intendentibus tenebris, longam ſubuectionem emenſi paſſuum amplius milium ſexaginta. Cœnatum quoque eſt, & pernoctatum in flumine. Neque enim ſine multa offenſione membrorum tractari iam & circumferri à lecticariis poterat. Eodem die venit ad eum Nicolaus ſanctæ Cecilię Cardinalis, quem Pius adhuc Senę agens ad Piſanum portum præmiſerat: vt partem claſſis quę ibi parata erat: & quæ ex Genua expectabatur, per Siciliæ fretum ad ſe Anchonam perduceret. Is ergo ad hoſtium Tyberinum appellens, vbi abiiſſe Pium, ſed non longe abeſſe cognouit, terreſtri itinere meridiem circiter nos eſt aſſecutus. Cupiebat de legatione, & triremibus antequam progrederetur referre. Ad moleſtiam incommoda navigationis hæc quoque ſancto Seni eodie triſtitia acceſſit. Iuuenis vix annos natus XX. ad nauigii miniſterium poſitus, dum per ripam fluminis ſubducendo lembo incautius nititur, lapſus in eam partem qua profundior aqua erat, nauiculatoribus tarde opem ferentibus, ante oculos noſtros ſummerſus eſt. Hunc caſum ingemuit vehementer Pius, taciruſque, & lachrymantibus oculis orationem ſæpe defuncto ſoluit. Die quæ ſecuta eſt iter fuit non amplius XXV. millium paſſuum. Peruenimus autem ad cœnobium Diui Benedicti, inclinato iam ſole, quod poſitum ad radices eſt montis Soractis, qua in orientem porrigitur. Ante meridiem Cardinalis quem dixi, renunciatis Pontifici quæ opus habebat, benedictione accepta ad claſſem reuerſus eſt. Pio vix ad ripam appulſo præſto fuit Ioannes Caruagial, genere Hiſpanus Portuen. Cardinalis, & pręſul ſancti Angeli vulgo dictus: qui eodem die maturato itinere ex Vrbe aduenerat. Nam cum biduo ante allatę litteræ ab Hieronymo Antiſtite Cretenſe eſſent, quibus ſignificabatur, magnam cruce ſignatorum multitudinem Anconam confluere, identidemque lamentari, quod Pontificem, qui ſe traiiceret non inueniſſent, veritus ne turba diuerſarum nationum, id quod accidere in talibus ſolet, tumultum aliquem per otium excitaret, aut in diuerſa dilaberetur: præmittere hunc intendebat, qui deductis confeſtim nauigiis in Peloponeſum eos traduceret. Homine autem

Iohannes Caruagial Cardinalis.

ad eam

ad eam rem opus putabat, cuius auctoritatem ſecuti illi, deſiderio non tenerentur ſecum eundi, quem tardare diutius oportebat. Hanc ob cauſam Cardinali ad ſe maturius euocato rationem vocationis prima in collocutione proponit, atq; vt profectionem capiat non tam imperat, quam deprecatur. Verecunde admodum annoſo ſeni, & attrito pro eccleſia, onus tam grande iniungebat: ſed magnitudinem rei conſiderans, cognoſcenſque quam pauci eſſent, qui ſuſcepturi id imperium viderentur, annis eius parcendum non duxit. Affui ego ſolus ſermonibus his cum haberentur. Vna ſemper atque eadem Ioannis vox fuit, plena humilitatis ac animi. Si is ſum, Pie Pontifex, quem tantis rebus idoneum iudices, ſequor ſine mora imperium tuum, & certe etiam exemplum, qui in fragili valetudine animam pro me ponis, & pro cæteris ouibus tuis. Scriptum mihi eſt, *Veni*. Ecce adſum. Imperatur vt vadam: iam iter ingredior. pars hæc vitæ vltima neganda Chriſto non eſt. Commouere hæc dicta pontificem, quantoque maius animi robur in ſene agnouit, hoc eum miſeratus eſt magis. Amabat vnice Pium Ioannes, vehemenſque huius ſancti propoſiti fuerat perſuaſor, eos ſedulo increpans, qui infirmioribus animis diſſuadere illi nauigationem hanc contendebant: id agens videlicet, vt extremus vitæ actus reliquis operibus non eſſet abſimilis. Obierat autem ante Cardinalatum legationes complures, difficiles ſemper & plenas periculo. Cardinalis quoque creatus ſedente Nicolao v. in Germaniam miſſus eſt: & ſuccedente Caliſto III. ab initio ſtatim Pontificatus in Pannoniam, atque omnem oram Illirii ad bellum in Turcos iuſſus eſt ire. Sexennalem his in locis legationem inter aſperam gentem cœlumque inſalubre geſſit. Verſatus ſæpe in caſtris eſt. Sæpe etiam nunciatis irruptionibus hoſtium contendit obuiam cum militibus his qui ſua opera Crucem aſſumpſerant. Deſertus nonnunquam a ſuis, quos ex Hiſpania & Italia in domeſticum famulatum adduxerat, ſeipſum tamen nunquam deſeruit. Patienter pro Chriſto tulit omnia. Languit inter hos labores annum fere continuum vſque ad deſperatam ſalutem. Propter vim etiam frigorum, quibus infeſta regio illa eſt, dentes ſic ei omnes emoti ſunt, vt quotidianis pelliculis abuolutis ægre illos ſicut videmus retineat. innumeris porro difficultatibus vno aliquando tempore circumuentus, nunquam tamen eſt reditum deprecatus. Expectauit quid Romana Sedes de ſe ipſo ſtatueret. Erat ergo Patri prope iam ſeptuagenario in tot anteactis ærumnis legitima excuſatio prouinciam deprecandi iuuenibus etiam operoſam: ſed nil tale venit in mentem carnis contemptricem. Pro Deo, & pro Imperio Romani Pontificis patientiſſime ſubeunda omnia iudicauit. Dignatus eo die eſt Pius honore menſæ ſuæ illum & me, nil inter epulas præter deſiderium ſoluendæ claſſis ſuſpirans. Ipſe poſtmodum ex conſuetudine ſuperiorum dierum pernoctauit in lembo. Nos ad cœnobium diuertimus. Ea nocte miſſio Legati ſignificata Anconam eſt nuncio veloci, ad animos illorum qui conuenerant retinendos. A cœnobio ad portum Ocriculi, IIII. ſtatione peruentum eſt, aſcenſu non breuiore xx. millium paſſuum. Inter eundum tractatum ſedulo eſt de ratione tota traducendorũ cruce ſignatorum, & de eroganda pecunia, & de literis ad iniunctum opus ſcribendis. Mallianenſes quoque (quod oppidum in Sabinis eſt) nomine tantæ profectionis exciti ad ſubiectam ripam Tyberis, qua tranſeundum Pio erat, populariter deſcenderant omnes abeuntem illum viſuri. Trahebatur lẽbus per ſiniſtrum amnis latus funibus ad malum deligatis, vt nauiculatorum noſtrorum eſt mos: ſed Pius conſpicata oppidanorum multitudine motus acclamantium vocibus, ne inconſolati dimitterentur, conuerti ſubito in dexteram nauigium iuſſit, atque ibi aliquandiu viſendum ſe, adorandumque præbuit. Grata Mallianenſibus ea humanitas fuit: euntemque miſerati reditum celerem orauerunt, & felicem rerum ſucceſſum. Cardinalis mandatis iam omnibus à Pio acceptis veſperi dimiſſus eſt, cum benedictione, & oſculo pacis. altera die Ocriculum vltra progreſſi non ſumus, contenti ob prementem valetudinem duobus tantum millibus paſſuum. Hic de rebus nonnullis proſpere in Peloponneſo geſtis eſt nunciatum. Legati Venetorum, qui nos ſequebantur, ex Senatus ſui litteris eum ſucceſſum ordine indicarunt. Gratias habuit Deo Pius, & continuationem diuinæ opis eſt deprecatus. Ab Ocriculo ante lucem mouen-

tes nondum intendente æſtu Narniam venimus; patriam natalem Berardi Cardinalis ſanctę Sabinæ, quem Pius propter excellentem virtutem quadriennio ante ab ordine Referendariorum ad Cardinalatum aſſumpſerat. Ibi totam eam diem quieuimus.

Pius Interamnam venit.

Poſtridie Interamnam contendimus via breuiore, & pridiana minus difficili. Ea ad dexteram Naris fluminis continuo fuit. Paulo poſt ortum Solis ciuitatem ingreſſi ſumus, & natalem Ioannis Baptiſtæ eodem loci peregimus. Statuerat enim Pius minutis itineribus periculum offendendæ grauius valetudinis euitare. Adiuncti ea die nobis ſunt Guiliermus Cardinalis Rothomagenſis, & Berardus, quem dixi, & Rodericus Eccleſiæ Romanæ Vicecancellarius, ex Vrbe nos aſſecuti. Hic ego horis compluribus nonnulla ſcribendo operatus, quæ iniuncta à Pontifice erant, dum adhuc ſtudium in noctem produco, & propter æſtum negligentius tegor, ſubita vi frigoris ita obſeſſus ſum, vt quamuis ad laxitudinem fotus, vix recaleſcere vltra noctem mediam poſſem. Mane diei ſequentis, etſi motum hunc initium febris eſſe intelligebam: tamen diuelli à Pio non valens, quem & febrientem, & doloribus anxium ferri ad bellum pro nobis videbam, remanendum non cenſui. Itaque admixtus cæteris ſecutus ſum eum vt potui.

Spoletum.

Iter ab Interamna Spoletum, etſi non amplius milibus paſſuum XII. eſſet, tamen quia inter perpetuas ſaxoſaſque valles, operoſum nimium videbatur, partiendum Pius putauit. Igitur ad tabernas tres Vallis ſtrictur æ prope ſacellum, quod eo in loco vnicum erat, reſtitit, viæ pene medio, Cardinalibus præcedere Spoletum iuſſis, vt commodius apud ciues diuerterent. Me autem ſecum eſſe imperauit, neſcius quid nocte proxima accidiſſet. Diem ibi reliquum, & ſequentem noctem ſub tentorio fuimus non ſine incommodo.

Auctoris morbus.

Inde cum abiremus, febre ſupra modum inualeſcente, ægre Spoletum perueni: vbi continuo magis adaucto languore dies XX. non ſine vitæ periculo iacui. Dolens eo caſu Pius, a quo ſupra meritum diligebar, Medicos propere ad me miſit, qui ægritudine inſpecta adminiſtrarent neceſſaria, & ante reſumptas vires, ne abirem loco ſuo nomine imperarent. Ipſe continuato itinere ad medium fere Iulium non ſine labore Anconam peruenit. Valetudini prope iam redditus, cum ſextum iam diem febris me non attigiſſet, iter, quanquam diſſuadentibus medicis ingredior, Patris ſequens veſtigia. Via omnis benignitate Dei ſine incommodo accidit. Nocte autem eius diei, quo Anconæ propinquans Auximum veni, ecce præſagium calamitoſum futuræ mortis accipio, cum non ad patrem, ſed ad paternum funus iturum me putem. Conſueueram ſuperioribus diebus, ne membra languore attrita æſtu amplius offenderentur, tantum itineris ante lucem conficere, vt Sole nondum intendente peruenirem quo diebus ſingulis intendebam. Igitur quia via Anconam vſque octo tantum milliarium reliqua erat, remittendum æquo animo cenſui de matutina ſolertia. euigilans tamen qua hora ſolitus eram, & mox de induſtria conſopitus repetere vrbem videor, & pontificiam Vaticani intrare, vbi eſſe ſecum conſueueramus dies ac noctes tum eius cubiculum petere. Hic vero patefacta cuncta inuenio ſine cuſtodibus oſtia, & lectos ſine ſtratis, & ſine auleis parietes. Nulli obuiam cubicularii erant, nulli condomeſtici. Admiratio & conturbatio cordis plurima inſurgebat.

Auctoris ſomnium.

Cubiculum vero ipſum ingreſſus vt viderem ſi ſaltem eſſet Pius, etiam nihil inuenio. Cerno pallia lectuli conuoluta in globum. Creſcit impenſius ſpectaculo illo anxietas. Recurro in anteriores aulas aliquem perquiſiturus, qui de patre aliquid doceat. Obuiam fit ſudans, & feſſus Gaſpar Picolomineus, ſororis Lollii filius. Gaſpar, inquam, quid ſibi hæc ſolitudo pontificiæ vult? aut quonam portatus eſt Pius? Ille, vt viſum mihi eſt, triſtiore voce ſacellũ maius oſtendens: Huc, inquit, intra & inſpice ſolitudinis huius cauſſam, & vbi agat Pius intelliges. ſimulq; his dictis à conſpectu ſe meo proripuit. In ſacellum aſcendens video Cardinalium lectulos ordine diſpoſitos, velaque in circuitu obtenta, ſicut in Põtificum electionibus adornari locus eſt ſolitus. agnoſco collegarum facies, & hunc modo, nunc illum intueor. Senenſem vero & Spoletanum non videbar videre. Erat autem ita dolore obſtructum pectus coniicienti ex his quæ videbam interitum Pii: vt cupiens loqui hiſcere vel pauſillum non poſſem. Vnus ex his ad me veniens, & triſticiam

ſticiam ridens,quam deprehendebat ex vultu : Quid tu, inquit, mœſtus es & affligeris? An non vides morte Pii contritum laqueum, & nos liberatos ? Inter hæc flens & mœrens,propter vim ſummam doloris euigilo,ſentiens corpus totum ſudore,& lachrymis vultum aſperſum. Ago gratias Deo,quod hæc facta ad verum non ſunt,ſed per ſomnium viſa. Fatigatus vero his imaginibus multum, & recreari quietius cupiens iterum addormire incipio. Ecce idem locus, eademque facies rerum rurſum obiicitur. Iri in conſeſſum video, & ſingula ad electionem parari, quæ inter nos ſolita ſunt. Ego duos,quos dixi,Cardinales non videns, tum autem neſciens an plane Pius eſſet defunctus, reſumpta iam per indignationem voce clamo,iniquum facinus eſſe, alienumque à patrum decretis: incerta Pontificis morte de ſucceſſore iam agi,aut ſi certa eſſet,abſentes Cardinales legitimis diebus non expectari. Videbar hæc loquens contemni,& neque attendi quod dicerem. Iterum hæc mentis anxietas excitat me conturbatum iam animo: & male de Pio ominantem,quod bis ex interuallo ſopitus,bis idem viſum vidiſſem. Surgo triſtis,& parari omnia ad diſceſſum præcipio. Lux aperta iam erat. Iter vero ingreſſus reuoluere animo ſomnium noctis incipio.Hinc me confirmabat vanitas ſomniorum, quibus ſapientes fidem habendam negant, hinc ſummus amor in Pium cor affligebat, cogebatque gentilibus libris quàm noſtris me aſſentiri. Recordabar Auguſti, qui nec ſuum,nec amici de ſe ſomnium vnquam neglexit. Repetebam hiſtorias, in quibus memineram,quæ viſa per noctem aliquando eſſent,vigilantibus eueniſſe ad verum. Tempus ſomnii pariter attendebam,in quo viſa haudquaquam ſolere falli dicuntur:& verſiculus Flacci etiam occurrebat : *Poſt mediam noctem viſus cum ſomnia vera.* Adiunxerat ſe mihi comitem Angelus Sueſſanus Præſul iunctim adequitans. Is ſedulo loquebatur,& hiſtorias neſcio quas ſui præſidatus, quem paulo ante in Flamminia geſſerat,recitabat. Ego hac vna in cogitatione fixus,& ſilentium agens,nil auidius expectabam, quam domeſticum Pii quempiam procedere obuiam,ex quo ſciſcitari veram eius valetudinem poſſem. Coortus erat tunc imber vehemens, & ego alia quam credebatur porta Anconam intrabam. Igitur ſe nemo obuiam dedit : ſed mox deſcendenti ad ædes, quæ mihi ſub Epiſcopio paratæ erant,præſto eſt Senenſis Ambroſius Aulicus Pii, vnus omnium attentiſſimus ſemper ad odoranda quæ fiant. Complexus eſt me facie præter ſolitum triſti. Peto ab eo,Ecquid de Pio noſtro Ambroſi? Ille ſtatim : Papienſis mi, ingrauatus in diem magis eius eſt languor. Paulatim abſumitur, nec integrum menſem ſuperfuturum nobis exiſtimo. Mora non interpoſita aſcendo ad Epiſcopium inſpecturus ipſe,quod verbo ille contenderat.

Auctor ad Pium redit.

Intranti cubiculum ſubito iacentis Senis concidiſſe facies tota eſt viſa, quam dies iam xxx. non videram. Neſcio enim quo pacto ex interuallo eandem rem intuentes rectius, quid auctum, quid immutatumve ſit internoſcimus. Ne illum contriſtarem triſtitia mea,ſubito ſerenam faciem induo,& ante lectulum pedem oſculaturus procumbo. Signandis ſupplicationibus tunc operam dabat. Quieſcere Referendarios, & tolli è medio omnia imperat. Rorantibus oculis complectitur me, atque oſculatur, moxque ſupra vires ſpiritum gerens ita de nauigatione ſua,& rerum gerendarum ſpe ſermonem habet, vt qui præ deſiderio ad horam diſceſſus ſe venturum non crederet. Diebus ſequentibus Ducem Venetorum expectans, quem dolebat Anconæ non reperiſſe, ſupraq; xx. diem poſt acceſſum ſuum tardare, comparari omnia ad nauigationẽ curabat, ſtudium in hoc vno præcipuum habens. Confluxerat eo loci turba multa ex variis gentibus,nõ ſatis conſideratè domo egreſſa.

Cruciferorum ratio.

Etenim cum eos ſolos euocaſſet Pius peccatorum propoſita venia,qui vel annum,vel anni dimidium ſuo ſtipendio in exercitu militarent, decretumque per orbem circummiſſum ita haberet: Illi tamen neſcio quo inconſulto zelo compulſi veniendum ſtatuerant, credentes ſtipendium ac victum miniſtrante Pontifice non defuturum. Cum autem non inuenirent, quæ ſibi animis finxerant (neque enim Pius vnus alere tantum concurſum equitum ac peditum poterat) venditis armis regrediebantur in patriam. Quorum nihilominus miſertus ille, ne omnino fruſtra veniſſe ſe angerentur, decreti ſui eos participes

fecit. Erant vero inter hos, qui conſideratius venientes tolerare ad diem præfinitam militiam poſſent.

Naues Venetorum in mora.

Horum ergo traducendorum cauſſa naues Venetorum duas dies iam multos in horas ſingulas expectabat; ſic enim illi facturos ſe antereceperant: ſed cum eæ diutius tardarent quam oporteret, qui ſuperfuerant cruce ſignati moræ impatientes cateruatim abibant, ita vt non multo poſt appulſis iam nauibus miles non ſupereſſet, qui illis poſſet imponi. Ea res cauſæ quoque plurimum accelerandæ mortis Pio dedit, dolente eo ac ſupra modum triſtante, quod retineri in eam horam non potuiſſent. Interim nunciis ac litteris Raguſianorum certior factus eſt, Turcum magno exercitu non longius xxx. millibus paſſuum à Raguſia conſediſſe, miſiſſeque ad magiſtratum legatos, qui dicerent, niſi triremes inſtructas, quas ea ciuitas collatura ad bellum erat, actutum ſubducerent, imperatoſque obſides traderent, ac tributum in annos ſingulos penderent, ad eorum ſe mox oppugnationem venturum. Nunciabatur quoque, quoſdam leuis armaturæ milites in eorum agrum prædandi cauſſa excurriſſe, in ciuitate vero non ſatis frumenti ad perferendam obſidionem haberi, & militibus eſſe opus, qui in defendendis mœnibus vſum haberent. His nunciis permotus Pontifex ſagittarios pene omnes ad cuſtodiam corporis ante aſcriptos Ducibus attributis nauigare ſubito Raguſiam iubet, frumentumque imponit, quantum ad primam neceſſitatem ſatis eſſe putaret. Litteras quoque addit, quibus illos conſolabatur, & ſpem ſubſequentis præſidii dabat. Ipſe accerſiri ad ſe ſtatim Ioannem Cardinalem ſancti Angeli iubet, quem (vt diximus) propoſiti ſui ſtudioſum habebat.

Pontifex Cardinalem Caruagial conſulit.

Hunc præſente me conſulit, quidnam agendum cenſeat, ſi obſideatur Raguſia. Ille, vt erat ſemper ad opus Dei accinctus, nihil deliberando cunctatus, Ibo, inquit, ego hac nocte cum triremibus, quæ in portu inſtructæ ſunt, & vel obſidionem adiuuante Deo diſſoluam, vel territis oppidanis ſpem atque animum addam. Et quid, inquit Pontifex, connauigare tecum me prohibet. Frater, conſilium eſt ſi obſeſſum illuc veniat Turcus, cum quibus patero triremibus eodem ſine mora contendere. Ciuitas ad primum littus maris eſt poſita, natura & manu egregie communita. Eadem quoque portu abluitur. Multa ad bene agendum facultas oſtenditur. Inuehi in vrbem ſine periculo poſſumus. Sola præſentis Pontificis opinio Turcum poterit ab obſidione repellere, commeatuum alioquin inopia in locis aſperis laborantem. ſi conſilium comprobauerit Deus, fama hæc in omnem partem vulgata Chriſtianorum mentes ad nos ſequendos inducet, concipientes ex felici principio victoriæ reliquum. His cum aſſenſiſſet Ioannes, ego miſer carnem magis quam ſpiritum ſapiens, pium hoc propoſitum ſummopere diſſuadebam. Non quia euentura non crederem, quæ illi proponerent, ſed quia in fragili corpuſculo febre ac doloribus fatigato nauigationem illam finem vitæ futuram verebar. Contendebam igitur argumentis multis, ſed euincere mentes non poteram in Deum ſine metu mortis ſpectantes. Confirmata inter ſe profectione, imperat Pius magno ſtudio militem cogi ad triremes imponique neceſſaria omnia, quibus ad primum obſidionis nuncium ſoluere poſſent. Verum quatriduo poſt nunciato receſſu hoſtium diuina benignitate parcendum conſilio fuit. Interea dum Venetorum Dux à Pontifice expectatur: perurgens languor vſque adeo inualuit, vt parum vitæ ſuperfuturum Medici dicerent.

Pii morbus ingraueſcit.

Premebatur dies & noctes non doloribus modo, ſed duabus etiam febribus, quarum altera concepta in venis ceſſabat nunquam, altera ex interuallis recurrens magno ardore, velut flamma membra abſumebat. Hæc mala ingrauabant æſtus continui, qui Iulio & Auguſto tam vehementer intenderant, vt nocturnis & diurnis horis ciuitas videretur. Re igitur ad extremam prope deſperationem adducta:

Dux Venetorum Anconam venit ad Pont. f.

tandem Venetorum claſſis, quæ Ducem eorum vehebat, pridie Idus Auguſti non multo poſt ortum Solis à longe conſpecta eſt equatis velis procedens. Duodecim numero triremes erant, rebus ad bellum omnibus egregie præparatæ. Hoc cognito Pius ſubito ſuas & ipſe triremes, atque omne genus nauigii, quod eſſet idoneum, adornari magno ſtu-

gno ſu-

gno ſtudio iubet,atque obuiam Duci exire, Cardinalibus v. Pontificali quadriremi impoſitis, qui eum aduenienrem exciperent. Proceſſum cum omni apparatu ac pompa eſt,tam à Patribus, Prælatiſque, qui Pium ſequuti erant: quam à magiſtratibus Anconitanis. Cum ad trium fere miliarium claſſem Venetam in conſpectu haberemus, ſubito illi vela demittentes (quod eſſe ſignum nauigantium ſolet, cum teuereri digniorem claſſem volunt) remis conſurgunt, ac vt quam bene inſtructas adducerent,qui pugnæ ſpem oſtentarent, iubent tanquam ſi inituri prælium eſſent, armatos à prora & puppi, & lateribus collocari, atque omnifariam tela & tormenta contendi. Mox vero vt illo ventum eſt, vt contingere triremes ſe mutuo poſſent, ſublato clamore, & armis ad certaminis oſtentationem concuſſis, tormentiſque per inane emiſſis, ſpectaculum iucundiſſimum præbuere. Pius ea die quanquam ita affectus vt diximus, cernere & ipſe pompam aduenientium cupiens ad feneſtellam cubiculi, quæ in mare, atque in portum deſpiciebat, non ſine labore deferri ſe imperauit, ibique obuias claſſes aliquandiu inſpexit. affictari ruſum incipiens, quod ea iam valetudine non eſſe ſe intelligeret, vt pro deſiderio connauigare illico poſſet, ſalutato Duce, à quinque,quos diximus, Catdinalibus diſceſſum vtrinque eſt. Neque enim propter peſtilentiam, quæ magnis detrimentis ciuitatem premebat, aut deſcendere ipſe ex quadriremi voluit, aut quenquam ex ſuis ventitate Anchonam. Neceſſariis antea communiti in portu ſe continebant: triremibus ad ancotam deligatis. Nocte quæ ſecuta eſt attenuatus multum eſt ſpititus Pii, & vox pene conſumpta: Propterea Ducem, qui venturus ad colloquium erat, audire altera die non potuit: ſed diſtulit in ſequentem, expectans num ſuſcitationem aliquam virium Deus concederet. Verum in horas ſingulas deterius ſemper ſibi eſt factum. Profeſtus Dies ille erat aſſumptionis Mattis Domini in cœlum: quo die conuenire in eccleſiam ad ſacrum veſpertinum Romanus Pontifex cum Patribus ſolet. Hoc eum impleri per illum non poſſet, nihilominus per Pattes eſt factum. Perfectis ſolemnibus veniſſe iam horam ſuam Pius intelligens, qua teddendus Domino ſpiritus eſſet, conuocari fratres in cubiculum iubet,atque his ingreſſis, etſi ad loquendum iam erat inualidus: tamen morientibus vt poterat,atque interruptis vocibus nos appellans, Fratres, inquit, dilectiſſimi, videtis quo adductus ſum. Hora mea iam venit. Deus hinc nos euocat. Morimut in fide Catholica, in qua & viximus, nihil habentes à Romana Sede diuerſum.pro oṫibus creditis egimus in hanc diem quod potuimus. Non pepercimus laboribus vllis atque periculis. Bis caput noſtrum obtulimus ad communem ſalutem. Perficere quod vltimum cœpi, poteſtas vltto non eſt. Reliqua veltra ſunt. Curate vos opus hoc Dei, nec ſinite pet negligentiam labi Chriſtianæ fidei cauſam. Ideo vocati in eccleſiam eſtis, vt ſuis temporibus illi opem feratis. Mementote officii veſtri, & Deum attendite, qui contemplator eſt omnium,retribuitque ſecundum opera noſtra. Fideli miniſterio & creuit, & progreſſa eſt dignitas veſtra. Vtique pet fidele miniſterium eſt retinenda. Quærentes quæ veſtra ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, illam retinere diu haudquaquam poteſtis. Sumite quoque ex hac hora communis patrimonii cutam, videteque ne detrimentum accipiat. Studium hoc omne patre decedente Filiorum eſſe opottet: noſtrum dum licuit fuit. Porro autem, Fratres, in Cardinalatu noſto ante, poſt in præſulatu, ad quem nos elegiſtis, conuerſati vobiſcum annos plures ſumus. Conuerſatio noſtra ſine peccato eſſe non potuit: ex carne enim ſumus. Offenſus nimirum aliquando Deus eſt, offenſa & charitas veſtra. Pto iis, quæ in Deum peccauimus,ipſe qui pius, qui omniporens eſt, noſtri miſericotdiam habeat. Pro iis vero quæ in vos, rogamus, dilectiſſimi noſtri, vt placatis animis morienti ſit venia. Eos autem, qui vel famulati ſunt nobis, vel noſtri ſunt generis, ſi ſe dignos præſtiterint, commendatos habete. Valete iam. Pax Dei, & cœleſtis gratia vobiſcum ſit. His ægre & cum lachrymis enunciatis, tantus ſubito Patrum, qui lectulum circumſtabant, coortus eſt fletus, vt diu præ gemitu lo-

Pii morientis oratio ad Cardinales.

Cardinalis Nicenus ad Pium pro omnibus.

qui verbum nemo poſſet,atq; ora ſingulorum lachrymantia cernerentur. Tandem Beſſarion,Cardinalium primus pro omnibus verba fecit. Indoluit caſum in quem erat adductus,non ſui tantum cauſa, quem lachrymabile erat deficere: ſed magis Chriſtiani populi,qui tantum ſalutis auctorem amitteret. Laudauit Pontificem, & præclara eius in præſulatu opera:agẽs identidem gratias, quod etiam ſuprema hora ſalutaribus monitis communem rem adiuuaret. Orare ſe Deum dixit patrem miſericordiarum,vt ſic affecto & iacenti ſalutem tribueret: Verum ſi propter peccata ſuperſtitis populi eſſet migrandum, manſura in animis noſtris ſancta eius præcepta, datutoſq; operam filios, vt nec publicæ Chriſtianorum res , neve priuatæ Romanæ eccleſiæ detrimentum acciperent:quam autem veniam popoſciſſet,humilitatis ſuę, non erratorum eſſe confeſſionem: Benigne omnes atq; indulgenter habitos ſemper,nec querelam aduerſus eum extare:ſuorum quoq; quos commendaſſet, gratam apud omnes futurã memoriã dixit, docens quàm charus eſſe deberet vel ſanguis, vel contubernium eius,qui tantum de Chriſtianis,& de Ro.ſede meritus eſſet:Poſtulare autem ſingulos fratrum,vt poſtremum piumq; benedictionis ſuæ munus manſuris relinqueret.Poſt hoc reſponſum iterum conſurrexit fletus: & contriſtatio cordium multa. Pontifex manuè palliis paululum eleuata oſculandam eam omnibus præbuit,flens ipſe & flentes alios intuens. Nos manu apprehenſa atq; ante lectulum procumbentes, ſigillatim veniam precabamur erratorum noſtrorum, ſupremumque oſculum Patris capiebamus. Quibus ille: Miſericors ignoſcat Deus,& ſpiritum rectum confirmet. Ac ſimul benedicens fratribus dimiſit eos à ſe. Biduo ante admonitus à Medicis in omnem caſum vitæ vel obitus habendam ſupremam rationem animæ eſſe,Domini ſacramentum,quod celebribus ſemper diebus valens ſumebat,etiam tunc magna mentis religione accepit, tundens pectus ad ſingula, & flens,& peccatorum ſe confitens indignum communicatione tanti myſterii. Repetere illud mane ſequentis diei optabat in ampliorem ſalutem, in honoremq; beatiſſimæ Virginis, cuius aſſumptionem ſciebat inſtare. Hanc enim ab adoleſcentia peculiari quadam pietate coluerat, hancque vitæ Ducem, & actionum habuerat. Nobiſcum aliquando familiarius loquens,recenſenſq; anteactæ ætatis curſum, credere dicebat,quia tantum huic matri ſe deuouiſſet, ab Epidemia ſemel, à lethalibus languoribus ſæpe,nonnunquam ex manifeſtis vitæ periculis ereptum fuiſſe. Omnẽ deniq; ſucceſſum dignitatis,& rerum huc referebat:Propterea templum illud pientinum mirifici operis à fundamentis extructum, ſuiſq; manibus conſecratum fuiſſe. Solamen ergo hoc animi præcipuum expectabat, vt intra cubiculum (quando in Eccleſia iam non licebat) ſolemne ſacrum cantati audiret: ac tanquam ſupremum vale in religionis miniſterio cum fratribus ageret. Optabat autem, ſicuti mos erat, per Cardinalem id fieri, meq; vnum delegerat, qui diuinis his operatus confectum Domini ſacramentum rurſus porrigerem. Inſtituerat etiam vt Patres adeſſent reliqui,veteriq; inſtituto cætera ſeruarentur. Comparatis igitur ad peragenda hæc omnibus,ecce inclinante iam Sole inclinare & ipſe admodum cœpit, vt non procul à morte iudicaretur abeſſe. Confeſtim itaque ſacramenta reliqua perſoluuntur morientibus debita,ſenſu adhuc integriore,quam lingua. Nox ad primam vſque horam proceſſerat, Cardinaleſque,qui eo conuenerant,domos quiq; ſuas diſceſſerant. Reſtiteram ego ſolus ex omni collegio,volens quam Patri pietatem debebam, etiam ſuprema hora perſoluere. Mecum erant præſules tres ex Pontificis familia, & ex ſorore filius Andreas,& Lollius conſobrinus frater cæterique qui ad interius miniſterium cubiculi ſeruiebant. Circumſtabamus omnes deficientem Senem lachrymantes & mœſti,famulabamurque morienti in eo quod vltimum poteramus. Intuens vero ille in me oculo innuit vt accederem propius. Acceſſi ſtatim. Voce itaque iam conſumpta,quæ auribus admotis audiri vix poterat: Ora inquit pro me, fili;peccator etenim ſum. Simulque ad crucem conuerſus,quæ collocata ante oculos erat, non ſine ſuſpiriis iterabat: Miſerere mei Deus,miſerere mei. Et tu Virgo mater ſeruum deficientem non deſere. Per miſericordiam filii ſuſcipe animam excedentem. Paulula deinde intermiſſa mora rurſus in me dirigens oculos, Continuationem, inquit, ſancti propoſiti memora fratribus,& adiuua tu quoad potes. Propinquant ſupplicia ſi Dei

opus

opus deſetitis. Cum reſpondere temptarem multa, nec poſſem præ gemitu, dextoram manum, quæ eleuata in cubitum erat, demittens ſupra collum: Benefac, inquit, fili, orationemque offer Deo pro me. Hoc illi vltimum verbum fuit. Loqui vltra non valuit ob flemma profluentem, qua pectus iam & fauces erant completæ. Legebantur ſine intermiſſione precationes eccleſiæ, quibus expiari decedentium animæ ſolent. Ipſe ad audiendum attentiſſimus erat. Ecce horam circiter tertiam inter legendum, tanta quiete ſpiritum Domino dedit vt conniuere, non mori eum putares, protinuſque ſine vllo ſenſu mortis excedere. *Pius moritur.* Hic tanto præſuli exitus fuit, atque hic labores omnes athleta fortis abſoluit. Incertum mortene, an vita felicior, qui ad ſummum Pontificatum ſuffragio virtutis perueniens, religioniſque & ingenii æternam gloriam cõſequutus: mortem ſic nactus, qua, ſi humana attendimus, nulla ſublimior: ſi cœleſtia aſpicimus, nulla amplioris meriti contingere poterat. Mortuus pro veritate eſt, & pro redemptione plebis oppreſſæ, offerens ſeipſum hoſtiam Deo, relinquenſque ſacerdotibus exemplum, quales eſſe pro ſuis plebibus debeant. Martyrium autem pene quotidianum paſſus eſt a die, quo Burgundorum Dux Philippus miſſis oratoribus venturum ſe ad Bellum, ſociumque ſancti operis futurum promiſit. Subito enim in omnem partem curam impertiens fatigari amplius ſolito, ac vehementius cœpit: non remittens ad contrahenda neceſſaria ne tempus quidem nocturnum quietis. Diuidebat per horas ſingulas cuique opus ſuum rerum prouidendarum, perire huic cauſę exiſtimans quicquid eſſet momenti aliis impartitũ. Cognoſcebat quoque operoſam molem ſublatam humeris ſuis, ſub qua eſſet cadendum, ſi omnifariã ſtudio difficultates vndique ingruentes nõ ſuperarentur. Hæc animi anxietas labefactauit ægram alioquin valetudinem ſenis, dum nec de alio cogitare, nec quietem capere, nec cibum ſine aſtante cura ſumere poſſet. Comparatis denique omnibus iucunda ſpes aduenientis Ducis, quæ ſola ſpiritum ſuſtentabat, vbi in medio rerum feruore defecit, mirum dictu eſt quantum non animo ſolum, ſed totis viribus eſt conſternatus. Iudicabat, quod re vera ſapientes videbant, illo non veniente, maximam incepti partem abrumpi, laboremque accreſcere: tum autem promiſſos orbi fructus detrimentis maximis retardari. Acceſſerant præterea duæ dolorum faces, *Incommoda Crucia.* quæ animam incendebant ad complenda incepta ſedulo properantem. Altera quod ab eis lente ac frigide adminiſtrari omnia ſentiebat, qui vel pecuniam pendere, vel armatum militem mittere, vel triremes ad bellum inſtruere ſtipendiis ſuis promiſerant. Altera quod Anconam proficiſcens, cateruas regredientium cruce ſignatorum quotidie habebat obuias, inermes ac vacuas pecunia, qui, vt antè dictum eſt, lege decreti ſui non obſeruata, temere iter erant ingreſſi. Ii vero ad ſuos redeuntes, culpaturi nimirum Pontificem videbantur, vt tegerent inconſulti motus ſui culpam. Tot ſingulis pene horis infigebantur cordi vulnera, quot cateruæ huiuſmodi obuiæ debebantur. Vidi ego aliquando, eis tranſeuntibus, faciem mœſti ſenis ſic conturbatam, vt habendum in negotio, Medicis dicerem lecticæ vela demittere, vbi eæ conſpectæ à longe eſſent. Complectar verbo vno: Publicæ Chriſtianorum cauſæ vir ſanctus non defuit. Sperans in Domino ſupra vires animum geſſit. Defuerant ei, qui deeſſe nullo modo debebant. Ipſe cum omni conſtantia ad mortem contendit, & patienter paſſus eſt pro Chriſto Deo ſuo.

Igitur die, quæ ſequuta obitum eſt, producto in templum cadauere feretroque ſolenni impoſito, iuſta à Patribus vetuſto more ſunt perſoluta. Inde Venetorum Duci (Chriſtophorus Mauro is fuit) Senatus noſter eſt datus. *Venetorum ducis oratio ad Cardinales.* Appellandos enim de republica patres ante abitum iudicabat. In eum cum veniſſet, receptus in conſeſſum inter duos poſtremos Diaconos Cardinales, ampliſſima oratione Pium laudauit, ſicut verum Paſtorem eum fuiſſe diceret dignumque ſucceſſione Petri Apoſtoli. Obitum quoque intempeſtiuum defleuit, quo non obſcure intelligeretur conatus tantos interruptos eſſe, ſpemque expectati boni magnopere diminutam. Commendauit Venetam rem conſilii ſuſcepti participem. Hortatuſque eſt eum legeremus plebi Dei Pontificem, qui vel proſequeretur inceptum, vel ſe iam eccleſiæ incitationibus bellum ingreſſos collatis opibus adiuuaret. Cui orationi cum opportune reſponſum à Senatu eſſet, poſtulatique ſubſidii non incerta ſpes præbita, togatus eſt inſequentem

adhuc diem eſſet Anconę. Illo igitur ad claſſem reducto, conuenere mox ad conſilium Patres: vtque animi in eos noſtri prima documenta cognoſcerent, decretę illis ſunt triremes inſtructę, quæ tunc in portu erant, recepta reddendarum fide, ſi aut decretum non probaret ſuffectus Pontifex, aut Pii exemplo proficiſcendum ſtatueret.

Matthias Coruinus.

Hungarorum quoque Matthię Regi, cuius opera in pręſenti bello maxime fidebant Veneti, quemque adiutum pecunia cupiebant, ipſiq; aliquando adiuuerant, duo de quinquaginta nummũ auri, quę apud Pium inuenta tunc ſunt, cõcordibus ſententiis data. Quibus illi decretis lęti cum gratias ampliſſimas egiſſent, inde ſoluentes Venetias teuecti ſunt. Patres ad legendi curam Paſtoris conuerſi, Romę legendum eſſe conſtituebant: nõ modo quia collegę nonnulli propter ſenium venire Anconam ipſi non poterant, ſed magis quia ſacris legibus ad id cogebantur, electionem fieri oportere dictantibus, vbi Romana eſt curia.

Pontifex Romæ eligitur.

Curiam porro Romanam cauſarũ tribunal appellant, quod Pius ad leniendos de abitu ſuo Romanorum animos, apud eos reliquerat. Maturandum autem multis ex cauſis, atq; iiſdem grauibus iudicabat, quarum illę non in vltimis erant, quod noui quotidie motus diuerſis in locis noſtræ ditionis nunciabantur, paſſimq; erat licẽtia quaſi decuſſo iugo, quęlibet in quemq; audendi. Nec antea habituta finem videbantur, quã vindex eſſet electus. Quędam ego ex his ad poſterorum documentũ non inutiliter adiungenda huic libro putaui:

Firmanorũ lis cum Alienſibus.

Contenderat annorum iam nonnullorũ lite Firmanorũ ciuitas longe inter Picenies potentiſſima, vicinum ei oppidũ, quod in Alleis dicitur, ſui agri iuriſdictioniſq; eſſe. Eam oppidani ſeruitutẽ conſtanter negauerant, iudicioq; peruicerant, nil ſibi rei cum Firmanis eſſe. In præſidem tantum prouinciæ Allenſium cõmune reſpicere. Quam illi rem cum indignari magis, quã vlciſci, propter viuum Pontificem poſſent, vendicare pecunia ius oppidi tentauere. Summam pergrandem, miſſis Anconam ad Pium oratoribus, obtulerunt: ſed ille amborum tecogitãs odia, timenſque ne Firmani poteſtatẽ nacti (vt eſt gens ad vltionem ferocior) contentionis tecordatione imperium durius exercerent, auro pietatem antetulit. Cuius tamen ad tantum bellum præfecturę, pro rei magnitudine ſumma erat inopia. Ab hac repulſi ſpe, quod vltimũ ad conatus explendos reliquum erat, aggredi armis rem mox vt nauigaſſet Pius, clandeſtinis conſiliis agitabãt. Sed occaſionem conceptã cum maturius mors, quam nauigatio obtuliſſet, nihil cunctati, altero ab obitu die, collecta raptim ex agris, ac ciuitate armatorum multitudine, quæ x. milium fuit, infeſtis animis ad oppidum contenderunt: magnaque Allienſium parte in agris oppreſſa, protinus eodẽ curſu ad portas delati ſunt: quas cum qui intus erant tumultu iam cognito illico præcluſiſſent, in muriſq; conſiſterẽt, facile à primo impetu fortunas oppidi defenderunt. Neq; enim in tam tumultuario acceſſu opportunũ aliquid ad oppugnandũ potuerat comparari. In triduũ iam extracta obſidione, Allienſes veriti grauiora, quod defunctis Pontificibus leuia eſſe ſoleant ad cogendũ ſubſidium Senatus imperia, tum autem maioribus in diem copiis: atq; operibus ſeſe circumueniri videntes, de conditionibus cognoſcendũ duxerunt, quas ſępe oblatas, ne audiendas quidem in eam horam putauerant. Igitur earum conſtituendarũ cauſa duo Firmanorũ, qui eo tempore pręfecturã ciuitatis gerebant cum plæriſq; armatis, qui non tam ad cuſtodiam corporum, quam ad dignitatẽ magiſtratus eſſent: data ab oppidanis fide in oppidum recepti ſunt. Illi vero arrogantius vſi fide, dominatumq; iam aſſerentes, in vicina turri vexillum, quod ſecum intulerant, parte admodum conſpicua erexerunt. Id ſpectaculũ, cum noſtris moribus imperantiũ inſigne ſit, perquam indigne tota Allienſiũ multitudo accepit: fidens adhuc conditionũ beneficio partem ſe aliquam iuris priſtini retenturam. In communi omnium dolore quidã (vt ſæpe accidit) animo accenſior ad deiiciendum vexillum armatus cõſcendit. Cuſtodes, à quibus illud erat propoſitum, auelli nõ ſinunt. Clamor vtrinq;, & concurſatio fit maiore adhuc vocum quã telorum tumultu. Clauſerãt oppidani reliquæ multitudini portas, caſum deceptionis in differendis conditionibus veriti. Etenim milites noſtri quidam, quorum in Firmano erant ſtatiua, auidi prędę ad delectum conuenerant. Tum Dalmatæ permulti, qui in continentem noſtrum traiicere ſoliti ſunt, ac manuum mercede inopiam tolerare, eodem congreſſi nil minus quã conditionibus finiri motũ optabant. Ii ergo circumfuſi muris vt primũ tumultuari interius ſenſerunt, ſuſpicati cędẽ

Firmano-

Firmanorum eam eſſe, ſublatis & ipſi clamoribus irrumpere ad præſidium conabantur. Idem à ciuibus, qui extra manſerant, actius (vt par erat) fiebat. Ardorem hunc adoleſcentis vnius cædes in extremam pene rabiem vertit. Is enim dum audacius inſtat, atque in ipſis portæ clauſtris aditum quærit, veruto traiectus, relatuſq; ad ſuos miſerãdum ſpectaculũ præbuit: eo quidem infeſtius, quod non obſcuro loco natus propter egregiam etiam indolem multitudini erat chariſſimus. Tum vero vno annitentiũ impetu quaſi ariete propulſa porta, ad prędam cædemq; oppido toto diſcurrunt. Miſerorum Allienſium fortunę (re aliter non cognita) diripiuntur. Incenduntur ędificia. Spoliantur eccleſiæ. Muri deiiciuntur. In totum deniq; loci corpus ita ſæuitur, vt nulla olim ſtantis oppidi ſpecies reliqua fieret. Eorũ vero, qui ſuperſuetant cædi, pars nuda & lacera diffugit in proxima: pars ob pudorem facti Firmũ compulſa eſt, ac publice ſuſtentata. Ita oppidum florens, Romanæ ſedi ſemper fidele, nullo adiuuante, in oculis noſtris ad internitionem exciſum eſt. Hanc calamitatem altera apud Fulginium excepit, magnitudine quidem non par: verum improbitate longe ſuperior; in qua nõ caſus aut error: ſed ſola voluntas ad crimen eſt referenda. Præſes erat eo tempore ciuitatis Franciſcus Patricius, Caietanæ eccleſiæ præſul: Vir doctrina ſingulari ac vita: hunc iuſte adminiſtrantem maior atque eadem ægra Fulginatium pars rebus ſuis parum opportunum ducebat. Prohibebat enim rapinas, obſtabatque conſiliis, quæ illi plurima aduerſus Pium bello implicitum inibãt quotidie. Dux ſeditionis erat Nicolaus quidam, cognomento Taccha, Bracchianæ in Italia factionis, nouarum ſemper rerum cupidus, in nullumq; minus quàm in Principem ſuum reſpiciens. Hunc olim Nicolaus quintus, inde Caliſtus III. huiuſmodi quibuſdam offenſi, iuſſerant comprehendi, cõuictumque ſupplicio affici: verum magnis deprecatoribus vſus (vt nulli vnquam malo patrocinium deeſt) repromiſſa animi ſanitate ſeruatus eſt. Sed mox liber factus oblitus diſcriminis ad ingeniũ rediit. Amouere tunc præſidatu Patricium contendebat vigilem actionibus ſuis cuſtodem, eamque ad rem ſtudium omne contulerat. Simulatione igitur amplificandę ciuitatis, xxx. ciues ex aſſenſoribus ſuis ope ſatellitum creari curat, atq; iis poteſtatẽ permitti, quæ à præſide proxima eſſet: ipſe in numerum hunc allectus oratorem ſe atq; alterum conſpiratorẽ decerni ad Pium curat, quorum legationis ſumma eſſet: petere magnis precibus ciuitatem Patricio præſidi ſucceſſorem amodo mitti, quod & male iam adminiſtraret, & ferri à ciuibus non poſſent ſuperba imperia. Seditionis huius certior factus Pius, ſimul iam Nicolao ob proditiones infenſior, conniuendum in tanta improbitate non duxit. Itaque mox vt peruenere ad ſe, Collega quidem, cuius ſperari adhuc ſanitas poterat, Fulginium remiſſo Nicolaum retentũ intra molem Adriani aſſeruari grauius iuſſit, putans auctore mali abiuncto conſpirationis reliquum negotio non magno ad officium rediturum. Sed facile patuit, quanta in conceptis malis aliquando ſit pertinacia, nuntio de vinculis Nicolai accepto, aperta iam contumacia à præſide, paucis exceptis diſcedunt omnes, eiuſque detrectant imperia: vlturi nimirum armis, ſi quid contra grauius tentaretur. Interminationibus agebat ex longinquo Pius, conabaturque ad obſequium male ſanos reducere. Sed cum nihil aſſidua cura ſuccederet, Anconitano mox itinere Fulginium veniens, ne impacata ciuitas linqueretur, duo de triginta ciues ſequi ſeſe vicinũ Aſſiſium iubet, quorum quidem partem cõtentionis auctricem eſſe cognouerat. His comparentibus atq; in arcem perductis: Filii, inquit, quod iuſtum præſidem, quem ſana pars ciuitatis colit, ad libidinem veſtram non ſuſtuli, deficere coniurationibus à me voluiſtis. Imperaui ſæpius dicto eſſetis audientes, quietemque ageretis, ſuperbia maiore an perfidia imperia contempſeritis, incertũ eſt mihi. vocati hanc ob cauſam huc eſtis, pertinaciæ nimirum luenda eſt pœna. quam tamen meorum morum quam veſtri facti malo ſimilem eſſe. ſanguini & fortunis ciuium parco. Mulcto ex vobis tredecim meo delectu, relegatione locorum quæ cuiq; monſtrauero. ac ſimul loca ipſa, & damnatos pronunciat. Hi vero in fletum conuerſi protenſis ad Pium manibus pœnam ſuppliciter deprecabantur, orantes identidem, vt quos nuper appellaſſet filios, eorundem pœnitentium peccatum ignoſceret. Preces cæ adiutæ lachrymis cum ſilente illo non intermitterentur, mollito iam ad pietatẽ animo, cui natura erat obnoxius: Ergo, inquit, arbitrii mei per lachrymas veſtras eſſe non licet? Hic quoque ſi re-

Allienſes euerſi.

Franciſcus Patricius.

Nicolaus Tacca dux ſeditionis Bracchianæ.

ſaneſcendi voluntas eſt, de indicta pœna multum remitto. Relegationis locum deligite vobis quo cuique commodum eſt. Seueritati longinqui ſoli iam parco. Hanc facilitatem, cum magno illi beneficio ducerent, gratiaſque aduoluti pedibus agerent, villam quiſq; ſuam ciuitati proximam ad mulctam delegit. Quieuere inde Fulginatium res dies complures: ſed poſt paulo obitu nunciato, prioris peccati ſimul & recẽtis veniæ obliti, ad ſæuiendum in publicam poteſtatem ſe comparant. Præſes eo tempore per æſtum anni, qui maximus erat, Nuceriam ſui præſidatus montanam vrbem ſeceſſerat. Propræſidem reliquerat Nicolaum Bectonium Piſanum doctrina iuris inſignem, qui neceſſaria muneris cum opus eſſet obiret. Igitur relegatorum propinqui, imploratis iis qui ex triginta delecti antea fuerant, priuato conſilio ſimul conueniũt, contemptoque inprimis decreto Pii reuocant in ciuitatem emiſſos. Quibus reductis, ad permiſcenda facinoribus omnia furorem conuertunt. Miniſtrum Bariſelli (id publici cuſtodis eſt nomen) documenta quædam ad ærarium præferentem, inuentum in foro gladiis confoderunt, ſpoliatumque & exanimem abiecerunt. Rixa inde cum magiſtratu commiſſa, qui ex curia ad tumultum egreſſus deponi arma iubebat. quendam his comitem graui vulnere affecerunt, ipſumque magiſtratum in fugam verſum ad curiam vſque telis ſunt inſecuti. In eius vero limine Siluium Iureconſultum collegii tunc Principem non veriti ſunt pilo appetere. Eadem concitatione ad prætorium verſi, in quo clauſis ianuis, communitiſq; feneſtris Propręſes ſe continebat, cum non facile expugnare id poſſent; vererentur autem ne à Pręſide audita re ex vicinis locis immitterentur præſidia, data ſalutis fide in poteſtatem illum accipiunt: qui vt ad primum in Curiam aſcenſum peruenit bipenne à tergo ictus ſubito concidit, ſtratuſq; vndique laceratur. Paululum adhuc ſpirans à ſacerdotibus vicinæ Eccleſię, quæ prominet foro, in eam defertur. Confluente ad ſpectaculum multitudine, ambigentibuſque plæriſque, lethaliane ea eſſent vulnera: Tubicen magiſtratus noxæ olim ab illo conuictus, leuiuſque quam facinus poſtularet damnatus, gladio diſtricto per circumſtantem turbam ad ſemianimem penetrãs: Ego, inquit, vos ambiguitate hac eximam: ſimulque reſectis ceruicibus, quod reliquum vitę erat, inter altaria effigieſque ſanctorum confecit. Ad prætorium inde regreſſi vt patibus exemplis Bariſellum acciperent cum non inueniſſent, fortunas præſidis, ac ſuorum omnes, quæ ad reditum conditę ſeruabantur, ingenti auaritia diripuerunt, nil reliqui vllibi permittentes. Ex eo prætorio Bariſellus accepto tumultu: in coniunctam mulieris Fulginatis domum poſtico quodam effugerat, arcaq; incluſus exitum fortunę trepidus expectabat. Eas latebras Satellitum vnus argumento quodam coniiciẽs: circumuenta blanditiis muliere, & repromiſſa latentis ſalute (vt eſt credulum ſemper mulierum ingenium) ad arcam deducitur: ea aperta prodire miſer iubetur. Deprecante illo & lachrymis vitam petente animum proditor facit, affirmans ſalutem mulieri indici repromiſſam ſe protinus præſtaturum. hortatur tamen in prætorium, quod ea hora vacuũ ſcirent, ſe comite redeat. De mulieris enim domo ſuſpicionem conceptam dicit: qua & ipſe adductus illuc primus acceſſerit, reliquoſq; affuturos non multo poſt pertimeſcat. Rediit in prætorium his ſuaſionibus Bariſellus, vilibuſque ſtramentis ex cubili quodam à Fulginate occulitur: Cuius fidem vt gratitudine aliqua conſtantius retineret, quicquid pecuniarum anni illius emolumento collectum inopi erat, proditori eſt elargitus: abiit ad conſatellites ille præſenti pręda lætus, & futura mox cæde, locumque latebrę indicat. Curſu ad infelicem contendunt, ſtramentiſque depulſis tendentem fruſtra manus obtruncant. Inde ſpirantem adhuc ex proxima cubiculi feneſtra in forum deuoluunt. Die toto cadauere ad ſpectaculum relicto, poſtridie nullo religionis penſo in eundem, quo beſtiæ abiici ſolent, locum extra portas traxere. Ad priuatas quoque inter ſe moleſtias eadem progreſſa licentia eſt. Fuerat menſes nonnullos inter ſenem Fulginatem contentio, perſpectæ modeſtię ciuem, quendamque ex craſſatorum cohorte, perditæ famæ hominem: pro ſene apud Prætorem iudicatum bis erat. Tertia pronuntiatione expectabatur finis iudicio. Ille igitur præuenire gladio damnationem iudiciariam cupiens, adducto ſecum ſpiculatorum cuneo ſenem inopinantem aggreſſus manu ſua confecit, vitæ & liti vna impietate finem imponens. Huiuſmodi paſſim erant ſatellitum opera. At triginta viri ſimilia quædã in curia molientes, tres

tes, tres imprimis ciues, quos ſenſiſſe cum Pontifice cognitũ erat, rogatione tumultuaria relegarunt, tanta proficiſcendi impoſita neceſſitate, vt direptionem minitarentur priuatarum rerum niſi e veſtigio illo abiiſſent. Quam ad rem vexillum quoque ciuitatis proferri & in foro ſtatui edixerunt. Illis itaque cedentibus mulctam inſuper aureorum octingentorum adiiciunt, exigendam domeſticarum rerum iactura, niſi horarum trium ſpacio ad ſe eſſent relata. eam neceſſarii illorum ad ſeruandas fortunas ex priuata pecunia illico contulerunt. Vulgo hæc pœna non ciuibus modo, ſed agricolis quoque vt quique fideles præſidi fuerant, pari ſeueritate publice indicebatur, & priuatim quoq; ſine vllo triginta virorum imperio plęrique per hunc modum ſuo compendio ſeruiebant. Poſt hęc de mutanda adminiſtrationis forma, atq; ad libidinem conuertenda decernunt. Arculam curiæ, in qua aſſeruari magna religione ſortes magiſtratuum ſolitæ erant, quæque ex delectu bonorum ciuium fuerat inſtituta, proferunt in medium fori, ac quanquam matris Domini ipſiuſque lactentis Domini pictam imaginem contineret, inſigneq; præferret Romanę Sedis, materia circumpoſita acclamante ſeditioſorum turba incendunt, ipſiq; ex ſuorum numero nouam cõficiunt: In qua quidem, vt quiſque crudelitate inſignis erat, ita maioribus eſt renunciatus ſuffragiis. Prætorem denique iuri dicundo, quod à Pio datum cognouerant, nondum muneris expletis menſibus, negata etiam mercede abſcedere quam primum Fulginio compulerunt.

Per idem tempus ſub Ocriculo quoque non leui detrimento tumultuatum eſt. *Ocriculi tumultus.* Oppidum erat Xenodochii Romani ſancti Spiritus in Saxia haud ſane magnum, cęterum opportuno loco inter Tybrim & Ocriculum ſitum, quod ad circumſtantis agri cuſtodiam magis, quàm ad habitandi commodũ paucis incolis tenebatur. Campouaro illi erat nomen. Vicini Mallianenſes, de quibus ante retulimus, eum agrum ſui eſſe territorii aſſerebant: eo contentioſius liti inſiſtentes, quod in collibus poſiti, anguſtioribus per plana paſcuis alendo pecori vtebantur. Campouarenſes cuſtodes nunc in ſua tranſgreſſos paſtores armis arcebant, nunc ad ſatiſdationem illati damni pecus intra muros oppidi auertebant. Quibus ex rebus accreuerat in diem magis vtrorumque contentio. Bona autem paſtionis illius pars Ocriculanis pecuariis erat locata, veteribus Xenodochii amicis. Itaque morte Pii libertatem Mallianenſes ad facinus nacti, in planiciem populariter noctu deſcendunt: Paſtoreſque Ocriculanorũ ſilentio comprehenſos cum gregibus Mallianum compellunt: veriti ne ſi ad ſuos illi mali nuncium pertuliſſent, demiſſo ocyus ſubſidio, cum detrimento cogerentur abſcedere. Porro autem eadem taciturnitate ad oppidum delati ſchalis in murum euadunt, oppreſſiſque vigilibus in poteſtatem omnia redigunt. Eminebat in eius medio prædalta turris ad arcis ſpeculæque officium, cuius per eos dies vni tantum credita erat cuſtodia. Illam ergo Mallianenſes ſumma vi expugnare adorti, cum obfirmatis aditibus non facile poſſent, fumo ingenti excitato cuſtodem ad deditionem liberam cõpulerunt. Direptis itaque omnibus, Mallianumque miſſa præda, ne is locus in poſterum ad peruaganda paſſim omnia impedimento eſſet, funditus euerterunt. Deſcendentibus ab Ocriculo ad Tyberim ad dexteram viæ id oppidum eſt. Nos in vrbem redeuntes eam calamitatem ante oculos habuimus. Itinere ab hoc loco diei vnius ſimilia quędam inter vicinos ſunt intellecta. Ioannes Baptiſta Toparcha Stabię, militaris homo, & audax, cui rapto, quam parto viuere cõſuetius erat, inimicitias cum Pandolpho Sabello veteres exercebat. Ariano is tunc imperabat non ignobili oppido. confinem Toparchiam inter ſe ambo habebant: ſed Pandolphus ingenio miti: atque ad iniurias opportuno perferre quidẽ eas malebat, quam tædia contentionũ ſubire. Igitur Ioannes Baptiſta licentia dierum inter pontificatus ad vexandum hunc vſus, latrocinali equitum turma, quorum nonnulli ab Euerſo Anguillaria ex ſuis copiis additi erant, in agrum Arianenſem impetum facit: dieſque continuos decem omnifariam cõuecta præda, quicquid etiam in vinetis vuarum fuit, immatura vindemia abripuit. Quatuor inde Arianenſes capita ex vulneribus cruentatos per ludibrium ad Pandolphum remittens: Renunciate, inquit, quatuor me illi nunc Cardinales creaſſe: Alludens videlicet ad rubra pilea noſtra: ſed mox octo alios his additurum, vnumque etiam acceptum inſignius vt ad Apoſtolorum Saluatoriſque numerum, ſit etiam

Atiani cum ſuis cardinalibus Pontifex. Deniq; obſeſſis vndiq; viis, curialiū plurimos ex Ancona regredientes pulſauit atq; diripuit. Cardinalibus vero ſeſe è ſiluis oſtētans irrogatas à Pandolpho contumelias, & ſi Deo placet, vim quoque illatam vociferationibus lamentabatur: Iis alludens videlicet, quorum ęſtimationem ob veterem horum temporum impunitatem nihil timendam ſciebat. Inter hos caſus ne in Sabinis

Sabelli. quidem ſatis habita quies. Ademerat triennio ante Pius Iacobo Sabello in ea familia Principi, oppida ſeptem Toparchiæ ſuę non vltima, quod is ad Andegauenſes deficiens, illorum ad ſe accerſito præſidio, quicquid a Palumbaria ad portas vrbis intererat agri aſſiduis excurſionibus infeſtum habuerat. eorum oppidorum quod potiſſimum fuit, Donadeum nomine, collegio ſacerdotum Baſilicę Petri immune ac liberum dedit. Reliqua ne ad circumſtantes Toparchas nouo iterum vrbis damno redirent, tribus honeſti ordinis ciuibus vendidit, Georgio Cæſarino ſedis Notario, Marcello Ruſtico ab epiſtolis ſecretario, & Lelio Vallenſi conſiſtorii Apoſtolici aduocato. Adiere ii venditorum ſine lite poſſeſſionem, poſſederuntque ad obitum Pii ſumma Romani populi, & ſubditorū etiam gratia. Verum eo defuncto Gentiles Sabelli, quibus alioquin debita fuiſſet hereditas (fratres ii duo erant Marianus, & Franciſcus) præuiſa in eum euentum conſilia ſine mora exſequuntur. Georgium ad confirmandos popularium animos circumeuntem oppida in itinere adorti paulo minus comprehendere. Refugientem in vicinum caſtellum oppidum, cui Deodato eſt nomen, maioribus contractis copiis obſederunt: reſiſtentem timidius in deditionē cum oppido accepere. Equi porro turmalis impoſitum clunibus, quanquam Sacerdotem, & ſenem, ac cycladis honore inſignem, cum contumelia non incommodo tantum, Palumbariam perduxerunt. Vbi ad electionem Pauli carcere maceratus, nō ante dimiſſus eſt, quam ad victoris arbitrium chirographum dedit; quo mentiēs cogebatur obuenientem oppidorum partem venditam à ſe Sabellis fratribus eſſe, miliaque auri nummum duo, precii nomine ab his perſoluta. Marcellum autem, & Lelium conati ſæpius hiiſdem artibus circumuenire irrito ſemper incepto vix quieuere. Talia quædam plæriſque in locis noſtri dominatus eodem tempore acciderunt: quæ licet non leuia fuerint, aut mediocris audaciæ; tamen ne in eis commemorandis cum volumine tædium creſcat, libenter omitto: ſatis compertum habens ab ſola impunitatis ſpe

Incommoda ſedis vacantis. ſolere hæc prouenire. Patres quidē paucis illis interpontificatus diebus creando ſucceſſori intenti: non ſat apud ſubditos auctoritatis habent, atque imperii. Ideoq; vindicant nihil. Creati vero Pontifices prima ſtatim ſtudia ad gratiam cōferunt, famamque clementiæ. Recentes noxas deprecantibus facile condonant. Multa magnis interceſſoribus permittuntur. Ipſi etiam neſcio quo fortunæ incommodo, alienis vt plurimum in defunctum animis ad Pontificatum perueniunt. Actionibus anteactis obtrectant, iniuſtaque adminiſtratione accidiſſe ea contendentes. Seipſos propemodum excuſatores facinorum, non indultores tantum oſtendunt. Quod vero indignitatis vltimum eſt, damna etiam paſſis, iniuriaſque ſuas deflentibus benignitate verborum magis quam ſatiſdatione ſubueniunt. Ita fit vt ad omnes ſemper Romanorum præſulum caſus impunitate propoſita, calamitatibus variis intra ditionem eccleſiæ confligatur.

IACOBI CARDINALIS PAPIENSIS COMMENTARIORVM LIBER SECVNDVS.

Cardinales Romam reuertuntur.

SEPTIMO igitur die poſtquam Ancona diſceſſum eſt, reuerſi in vrbem Patres ſunt, & cadauer Pii templo diui Petri illatum, ſepultumq; in Andreæ Apoſtoli cella, quam ille viuens pulcherrime adornatam, oſſium ſuorum, & ſancti capitis tabernaculum eſſe voluerat. Conuocati poſtmodum in ædes Ludouici Cardinalis Aquilegienſis ſunt, qui Camerariatum Romanæ Sedis tunc obtinebant: quo in loco diſſidere inter ſe nō mediocriter inceperunt de loco ad conclaue eligendo: contendentibus nonnullis vt intra vrbē ad ædem Miueruæ, pleriſq; vt in Vaticano iuxta antiquam conſuetudinem ſtatueretur. Diſſenſionis vero præbuit cauſam Adriani moles nondum collegio rradita. Antonius ex ſorore Pii filius Vicariis cuſtodibus illam tenebat, aberatq; ipſe tunc Celani, quæ Marſorum eſt ciuitas. ſentire vero cum Vrſinis proceribus putabatur: quorū factio pleriſq; patrum erat ſuſpecta. Illud quoq; proponebatur ad metum, ne ſi Pontifex Ferdinando Aragonenſi non gratus eligeretur, prohibiturus eſſet Molem reſtitui. Gener quippe eius erat Antonius, ſortunæq; omnes ſuæ defuncto auunculo in illum reſpiciebant. Qui ergo metuenda hæc affirmabant inter medios Romanos eligendum eſſe aiebant, apud quos turi ab omni contumelia præſtarentur: augētes formidinem de Mole, neganteſq; vel ad nouendiale ſacrum, vel ad conclaue ſe ante ituros, quàm redditā Molis cuſtodiam intelligerent. Tranſeundū vociferabantur per anguſtias pontis, & ſub turribus communitis, vbi facile eſſet quemq; noſtrum ſublatis catenis comprehendi: admoneri nos pontificiis legibus liberam electionē oportere eſſe, nec vlli obnoxiam metui: eam autē totam tolli arce ſuperimminenti nō reddita. Qui vero aliter ſentiebant, putantes formidinem confictam eſſe, magiſq; ad ambitionem, quàm ad commodum pertinere, Vaticanum reſpondebant, antiquam Pontificum ſedem eſſe: in eo decentius quàm alibi de conſtituendis ſucceſſoribus agi: Antonium cum arcis cuſtodiam accepiſſet, Pio iuraſſe fidē quamdiu viueret: eo defuncto Cardinalium collegio illam ſeruaturum cum reqnireretur: nondū repetitam eſſe: nec oportere mētem iuuenis ante damnari, quàm noſci: Incredibile videri, eum qui tanta beneficia à Romana Sede tuliſſet, propter Vrſinos, aut Regem velle facinus tam ingratum admittere: Eſſe hic fratres eius duos germanos, alterum Cardinalem, alterum priuatum: ambos vero in Collegii poteſtate, non vſque adeo amentem illum futurum, vt chariorem ſibi Adriani molem putet, ad quam non poſſit accedere, quàm fratrum duorum ſalutem, qui Romæ tanquam certa pignora tenerentur: Ad hæc audiri quotidie cuſtodum voces pleno ſtudio Eccleſiam inuocantium; quam non inuocarent, ſi aduerſam Antonii mentem cognoſcerent: Futurum breui, vt ille noſtris acceptis litteris miſſurus ſit, qui molem vel Patribus: vel nouo Pontifici reddat. His itaque atq; aliis Cardinalium pars maior ad Vaticanum inclinans diſſentientes traxit ad ſe. Igitur celebratis exequiis: & conclaui iam conſtituto, ſexto calendas Septembris, qui fuit annus à Chriſtiana incarnatione milleſimus quadringenteſimus ſexageſimus quartus, recluſerunt ſe omnes ad nouam electionem in anteriores Pontificiæ Vaticanæ aulas. Cuſtodiæ primæ, & quæ proxima Patribus fuit, præfuerunt epiſcopi decem, qui ſcrutarentur ſingula, quæ vel cibi, vel alterius rei cauſa inferrentur ad eos, differenteſque eligere decretus Patrum, ad maturandum arctarent. Secundæ Oratores regum principumque,

Diſputatio de loco conclauis.

Conclaue in Vaticano conſtituitur.

Cuſtodia prima.

Secunda.

Tertia.

qui Romæ inuenti tunc ſunt. Tertiam autẽ, quę vltima erat, prætoriani milites aſſeruabant. Diem, quæ ſecuta ingreſſum eſt, totam formandis legibus impendere ad ſanam Pontificum adminiſtrationem maxime neceſſariis: quibus Patrum quiſq; ſubſcribens iureiurando votoq; promitteret, obtemperaturum ſe illis, ſi ad Pontificatũ aſſumi ipſum contingeret. His conſtitutis ad electionem procedi eſt cœptum, cuius

Ritus electionis Pontificis Rom.

ſolennitatem ſeruari hanc vidi: Mane Patres omnes induti palliis à ſummo deorſum apertis, quas croccias vocant, in cellam beati Nicolai, quæ ad dexteram primę aulæ eſt, ſilentio conuenere. Ibi diuina ſpiritus ſancti per Cuſtodem ſacrarii Apoſtolici rite ſunt celebrata; quibus abſolutis ſuo loco diſpoſuerunt ſe per ſubſellia. Quiſq; quos decreuerat eligere in codicillo ante deſcripſerat, huncq; ſuo annulo obſignarat. Inde tres tantum ex Patribus ad altare aſcendentes, primi videlicet inter Epiſcopos, presbyteros, atq; Diaconos, calicem ſacrificii, in quo ea die fuerat conſecratum, ad medium altare conſtituentes, cuſtodes ipſi omnium aſtitere, atq; inſpectores. Poſthæc eodem ordine proceſſerunt reliqui: atq; ante altare in genua procidentes codicillum ſigillatim in calicem demiſere. Id vero poſtquam ab omnibus factum eſt, tres illi, quos diximus, calicem ipſum ad cęteros inferius conſedentes ſublatum altius retulere. Conſiſtenteſq; in ſubſelliorum medio, vnde & ſpectari, & audiri à circumſtãtibus poſſent, numerarunt mox codicillos: quorum vt conueniſſe numerus inuentus eſt, ſinguli ab Epiſcopo aperti, & lecti, proximo Diacono pronunciandi traditi ſunt. Patrum quiſq; papirum tenens, ac pugillare, quem quiq; elegerant ſuo chiro-

Eligendi Pontificis ratio.

grapho annotabat. Solent Cardinalium partes duæ veteri decreto pontificem facere. Qui numerus ſi ex codicillis non adimpletur, liberum eſt cuiq; quem voluerit Patrum non electum à ſe ſcripto, voce, eligere. quæ electionis ratio verbo noſtræ conſuetudinis acceſſus dicitur. Inauditum vero eſt præſenti, & maiorum memoria quempiam ex ſolis codicillis electum eſſe. Vocum acceſſio conficere totum opus eſt ſolita. Igitur omnibus legitime obſeruatis, duodecim Cardinales inuenti ſunt, qui Petrum tituli ſancti Marci, ex codicillo eligerent, annos quadraginta & octo natum,

Petrus Barbus eligitur.

Venetum natione, & in Barborum nobili familia ortum. Duę tantum voces ad cõplendam electionem videbantur deeſſe, cum ſubito Patres alii quatuor vno ferme momento ad reliquos acceſſere, tanta quidem celeritate, vt dubium apud nos fuerit cuius eſſet vox prius audita. Cardinales etſi ſuperare ad perfectam electionem ſuffragia intelligebant, iamq; pro Pontifice babebatur Petrus: tamen vt vnus omnium eſſet conſenſus, exquiri ſigillatim eligentium ſententias voluerunt. Biſſarion itaque Tuſculanus Epiſcopus, primum in collegio locum habens, vnumquemq; ordine appellans, rogauit num ea placeret electio. Cum vero ab omnib. prona aſſenſione placere reſponſum eſſet, conuerſus ad Petrum: Patres, inquit, hi te in Pontificem elegerunt, & ego omnium nominibus rurſum te eligo: id agens videlicet, vt quæ ſunt ad electionẽ legitima, viderentur in hanc conueniſſe. His dictis ſalutatus eſt Pontifex, & gratulabundi omnes ad eius genua procidere. Ante vero quàm quid actum eſſet pronũciaretur ad populum, oblatæ ei iuxta condictum leges ſunt, de quib. ante meminimus: quibus ille accepto ſtatim calamo ſine cunctatione ſubſcripſit, ſeruaturũque ſe eas iurauit ac vouit. Indiderat autem ſibi Formoſi Pontificis nomen (ſicuti mos eſt quemq; electum nouam appellationem aſſumere) ſecutus credo religionem

Mos mutandi nominis.

animi quandam, qua hiſtoriam eius legens innocentiam adamarat, miraculo etiam poſt obitum comprobatam. Verum cum ea res alludere ad eius ſpeciem videretur, quæ formoſiſſima erat, ſuaſus à Patribus in Marcum mutauit. Sed cum id quoq; me admonente minus idoneũ putaretur, quòd Veneti hac inuocatione viuntur in præ-

Petrus Pauli II. nomen aſſumit.

liis, ipſeq; Venetus ſtuduiſſe patriæ affectibus nimium videri poterat, rurſum in Paulum conuertit, in quo nunc perſeuerat. Incredibili lætitia à Patribus, & populo hæc excepta aſſumptio eſt. Populus quidem ad Vaticanum cõueniens gaudio exultabat, datum Pontificem credens, qui Romanis amica ſemper ſenſiſſet. Patres vero illum circumſiſtentes benedicebant Domino, q̃ ſine vlla contentione rem tranſigi cõtigiſſet: Idq; accidiſſet ſuo munere: quod pauci noſtris ſæculis ſunt aſſecuti. Non enim electis Pontificibus ſtatim re ipſa ſunt gratulati. Multos inuidia, nõnullos metus, plerosq; ſui ipſius ambitio coegit triſticiam ſumere. Nubili vultus, & pallẽtia ora mœſtos

animos

animos indicarunt. Hic vero & ridere viſi ſunt omnes, & fraterne inuicem gratulari. Vnus modo ex nobis, qui raro in vita ei conſenſerat, parum cæteris conueniſſe eſt viſus. Is erat Ludouicus, in cuius ædes conuocatos nos diximus, Patauio ortus, & profeſſione medicus, qui apud Eugenium IV à quo Cardinalatū acceperat, auctoritate ante alios valens, atq; huic ipſi Petro ſororis filio ſemper infeſtus: etiam ad hanc electionem veterem mentis acerbitatem attulerat. Ad hunc tamen q, æger pedibus è ſella ſe mouere non poterat acceſſit Paulus, complexuſq; hominem conſolatus eſt, & bono animo eſſe imperauit. H c fuit exitus conclauis noſtri ob eam cauſam mirabilis iudicatus, q prima conuentione Patrum eſt abſolutus. Non enim noſtra memoria hoc cuiquam accidit. Diſceptari dies complures ſolitum eſt, & diſſentiri, & nec ſine labore duas vocum partes in vnum aliquem colligi. Cardinalium vero, qui electioni affuerunt, libet referre nomina, vt etiam ex dignitate eorum rei geſtæ celebritas pateat. Conuenere Ep ſcopi quatuor, Presbyteri duodecim, Diaconi tres. Biſ- *Cardinaliū nomina.* ſarion natione Græcus, ſummi ingenii, ſummęq; eloquētiæ vir, clarus legationibus *Biſſarion Græcus.* tribus. Hic ſedente Eugenio cum de proceſſione Spiritus Sancti in ſynodo Florētina inter Latinos & Græcos magnis contentionibus ageretur: ad quam Imperator Conſtantinopolitanus cum Patriarcha, & Epiſcopis Græcis conuenerat, primus veritatem agnoſcens, ſuorum pertinaciam condemnauit, atque ad noſtros conceſſit, quam ob cauſam donatus Cardinalatu ab Eugenio eſt. Guillelmus Epiſcopus Hoſti- *Guillelmus Gallus.* enſis conſanguinitate Reges Francorum attingens, doctrina pontificii iuris, & Principum clientelis, vna quoq; ad Gallos ſuos legatione inſignis. Ioannes Caruagial epiſcopus Portuenſis Hiſpania oriundus, præſtans & ipſe pontificii ciuiliſq; iuris in- *Ioannes Caruagial Hiſpanus.* terpres. Hic vero ante Cardinalatum, & poſt complures eaſdemq; operoſas legationes pro Romana Eccleſia, & Chriſti fide ſub tribus Pontificibus geſtas, nouiſſimam ad Hungaros tulit: qu bus pugnantibus Turci apud Belgradum ingenti prælio ſunt ſuperati. Habuit per omnem vitam integritatis & continentiæ notiſſimam laudem. Ab eadem natione Ioannes Turrecremata Sabinorum Epiſcopus. Huius *Io. Turrecremata.* vmbratilis gloria præcedentium non ceſſit laboribus: primas inter Theologos ſui temporis tenens propter auctoritatem Sedis apud Gallos defenſam: quanquam ex prædicatorum eſſet ordine, nullaq; adhuc dignitate inſignis, ad Cardinalatum Eugenio ſedente vocatus eſt. Scripſit commentarios diuinarum rerum complures, vtiles illos, & magni in Eccleſia æſtimatos. Ludouicus quoq; à Patriarchatu Aquilegienſi *Ludouicus Patriarcha Aquileienſis.* nuncupatus. Huius fuit foris, quam domi maior cōmendatio. Miniſtrum impigrum, atq; in multis vtilem ſe Eugenio præbuit. Sforciani ſua opera Picenum agrum, quem occuparant, ſunt coacti dimittere. Prius quoq; eo legationem gerente Brachiani, qui Duce Nicolao Picinino vexabant Pontificem, apud Anglarium oppidum fuſi, fugatiq; ſunt. Miſſus quoq; à Caliſto III. in Turcos Conſtantinopolim nauigauit, nonnulliſq; per Ægeum receptis Inſulis, diſſoluta poſtmodum claſſe Romam reuerſus eſt. Solus apud Eugenium, in cuius fuerat famulatu, voluit poſſe. Vtinam tam religioſi animi, quàm ad ſæcularia vigilis. Latinus tituli ſanctorum Ioannis & Pauli *Latinus Vrſinus.* ex nobili vetuſtaque Vrſinorum familia, præſtans ingenio moribuſq;, & facilitate vitæ laudabilis. Referendariatum ſub Nicolao Pontifice geſſit, & à Pio Neapolim miſſus coronam regni Ferdinando Aragonenſi impoſuit. Alanus tituli ſanctæ Praxedis *Alanus Brito.* genere Brito, ſua & fratrum cognatorumq; nobilitate præclarus. Hic quoq; legationem ad Gallos pro fide gerens, triremes vtiliaq; multa in Turcos parauerat, ſi ſancta Caliſti conſilia non intercepiſſent varii caſus. Philippus tituli ſancti Laurentii in Lu- *Philippus Sarezanus.* cina, Sarezana oppido Thuſciæ ortus. Hic à Nicolao quinto fratre eius in Cardinalē aſſumptus, legationem in Picenis ſecunda fama adminiſtrauit, & à Pio, quē diximus, maior pœnitentiarius factus eſt: homo in omni vita verax & integer. Ioannes tituli *Ioan. Zamorenſis.* Sanctæ Priſcæ, Zamorenſis ciuis, & Præſul. Huius prima iuuentus ingreſſa vrbem in extremum nunc ſenium perſeuerat: vir laborioſus, & iuſticię miniſter intrepidus. Diuerſis quoq; temporibus cunctos pene noſtræ curiæ magiſtratus ſolus adminiſtrauit. Iacobus tituli Sanctæ Anaſtaſiæ natione Romanus: benignitate inſignis, & bono- *Iacobus Romanus.* rum ſemper conſiliorū ſectator. Hunc paulo ante Cardinalatū Spoletano præſidatui, dehinc Peruſino Caliſtus præficiens, mox in collegium adoptauit. Ricardus tituli

Ricardus Normannus

Sanɛti Euſebii, Normandia ortus, inter ſuoſque admodum celebris. Huic olim Carolus Francorum iuſticiæ adminiſtrandæ, & regendi conſilii primum apud ſe locum conceſſit. Sacerdos indicenda ſententia liber, & in propoſito conſtans.

Angelus Romanus.

Angelus natione itē Romanus, tituli ſanɛtæ Crucis in Hieruſalem: cuius integerrime aɛta vita ad Cardinalatū eſt ſuffragata. Annis vero iam oɛto cum ſumma innocentiæ æſtimatione difficilem legationem Bononiæ adminiſtrat.

Berardus Narnus.

Berardus ex proxima Narniæ ciuitate tituli Sanɛtæ Sabinę. Hic Rotę primo iudex factus, inde Spoletinę præfectus eccleſiæ. Poſt laborioſam adminiſtrationem omnium magiſtratuum curiæ ad Cardinalatum aſſumptus Peruſinam legationē accepit. Vir propoſiti tenax, & ſeuerus cultor iuſtitiæ.

Bartholom. Rouerella.

Bartholomęus Rouerella tituli Sanɛti Clementis, qui à ſecretariatu Eugenii ad eccleſiam Rauennatem vocatus, ac poſt ſedente Nicolao in Angliam legatus miſſus, Præſeſque omnium pene prouinciarum eccleſiæ diuerſis temporibus factus prudentiæ: & integritatis ſpecimen clariſſimum dedit. Nouiſſime quoq; in regnum Neapolitanum legatus à Pio miſſus, non minus diligētia ſua Ferdinandum Aragonenſem contra Andegauenſes iuuit, quam exercitibus alii.

Ludouicus Libretto, vel potius Albretto.

Ludouicus Libretto tituli ſanɛtorum Petri & Marcellini, amor & deliciæ collegii noſtri, qui anno proximo vita functus eſt. Hic nobilitate generis inter Gallos excellens, maternum & paternum ſtemma à Regibus Ftancorum ducebat. puri admodum cordis, ad charitatēque hominum nati. Ita vero omnibus ſemper charus, vt non fuerit nobis vita eius iucundior, quā triſtior acciderit mors.

Rodericus Borgia.

Rodericus ex ciuitate Valentia tituli ſanɛti Nicolai ad Carcerē Tullianum. Is admodum iuuenis a Caliſto III. eius auunculo Cardinalis factus Picenam legationem conſtantiſſime geſſit, moxq; Vicecancellarius Romanæ Eccleſię eſt diɛtus.

Franciſcus Pii nepos.

Franciſcus Sanɛti Euſtachii ſororis Pii filius. Is quadriennio toto eandem legationem ſumma Prouincialium beneuolentia rexit, Saxoferratumq; oppidum, quod in poteſtate tyrannorum erat, recepit.

Franciſcus Mantuanus.

Franciſcus ſanɛtæ Marię Nouę loco, non intelligentia vltimus. Hic Ludouici Marchionis Mantuani ſecundo genitus filius materno genere Brandeburgenſem domum Dacarumq; reges, atq; adeo Federicum tertium, qui nunc Romanorum habet Imperium, conſanguinitate attingit, prudentis conſilii, atq; ante annos virilem curam grauitatemque gerens. Horum vero, quos nominaui, nemo non vel theologiam, vel ciuile, vel pontificium, vel vtrunque ſimul profeſſus eſt ius, & nemo non dignus eccleſia. Reliquus

Auɛtor de ſe.

ego ſum: qui ſcribendis his operor, Iacobus tituli ſanɛti Chryſogoni, Lucenſi patria natus, qui ſextumdecimum abhinc annum Vrbem ingreſſus, poſt longam inopiam, miſerante Domino, ſecretariatum Caliſti primo, inde Pii ſum aſſecutus. Moxque eccleſiæ Papienſi propoſitus ad Cardinalatum vigeſimo poſt menſe aſſumptus ſum: nulla Principum, vel maiorum commendatione adiutus. Quanquam vero demandatas legationes iuriumque codices referre in meritis meis non poſſim: referre tamen poſſum ſalutares vigilias, documentaq; permulta ingenii, quibus aliquando vel repreſſa, vel oppreſſa ſunt impiorum conſilia. imprimis autem manuum puritatem, quas in maxima corruptelarum opportunitate, Deo adiutore, innocentes

Initium Pontificatus Pauli II.

ſeruaui. Igitur non multos poſt electionem dies peraɛtis ſolennibus ſuis Paulus, in quibus ſacratus eſt Pontifex, & coronam poteſtatis accepit, ad adminiſtrandum conuerſus variis hominum ſermonibus operum initia duxit, cum & nonnulla benigni animi argumenta ſint iudicata, & pleraque moribus priſtinis multum contraria. Cardinalibus, qui ſacris induti veſtib. à prælatis inferiorum otdinum præterquā

Mitra ſericea Cardinalibus indulta.

loco non noſcebātur, vſum mitræ ſericeę Damaſceni operis rubraq; capitia indulſit: quibus ſoli Antiſtites Romani antea vtebantur. Subſellia quoq; tam ad ſenatus quam ad ſacrificiorum cōſeſſum altius eleuauit. Aureos mēſurnos centum ſingulis Patrum inſtituit, quibus annua quatuor millia ex ſacerdotiis non prouenirent. Epiſcopis quoque multis vel ieɛtis ſedibus, vel inopes eccleſias poſſidentibus pro conditione liberaliter erogauit. Humanum autem perhorrens ſanguinem in reos etiam grauiſſimorum criminum ſolis carceribus vindicare ſat habuit. Idem vero congregandę pecuniæ auiditate incenſus, breui tempore magnum eius numerum comparauit. Tanta in ea re adhibita cura, vt etiam illius accipiendæ perſoluendęq; officia q; lucellum habere intelligerentur, a mercatoribus, apud quos erāt, ad ſe aduocata, miniſtris do-

mesticis

mœſticis attribueret: Ipſe vero nonnunquã in ſeligendis colligendiſq; nummorum ſortibus longa ſpatia occuparet. Porro autem gẽmis lapillisq; admodum delectatus, in quibus ſola erat eius voluptas, conquiſitis vndiq; precioſiſſimis, mitram, quæ tribus educta coronis Regnum appellatur, atq; à Põtificibus multis antè ſęculis deſita erat geſtari, nouam confecit atq; adhibuit, cuius hodie licitantium opinionibus amplius centum & viginti millium eſt æſtimatio.

Mitra Pontificia quanti olim æſtimata.

Ad hæc (quod in Cardinalatu etiã familiare erat) vigilare noctes totas vſq; in primam lucem inſtituit: Ita vt diebus tantũ ſenatus exceptis, in quibus tanti officii cauſa remittebat ſomnum, pranderet ad veſperum, pauloq; ante albeſcentẽ diem cœnaret: audiri autem nemo ante noctẽ facile poſſet, & perpetim vigilare, quibus negocium eſſet, neceſſario cogerentur.

Paulus ex nocte diem faciebat.

Admirationem hæc, & ſermonem in plebe multum induxerant: ſed quod de abolendis legibus tanto conatu mox egit bis iuratis ac votis, animos Patrum maxime conſternauit: vt iam non eſſe eam in homine facilitatem prænoſcerent, quam in priuato erant intuiti.

Abolere conatur leges.

Fiebatq; eo iniuſtior omnis eius cõtentio, quòd inter ſubſcribendum circũſtantibus palam edixerat, etiam ſi conſtitutæ non eſſent, nihilominus ſua ſe ſpõte ſeruaturum eas fuiſſe. Quin & aliarum, quæ prioribus Pontificibus poſitę dicebantur, inuentor ipſe exactorq; ante alios fuerat. Earum vero capita ſi quis agnoſcere velit, hanc fermè ſententiam continuerunt. Iurabat vouebatq; Deo, ſanctiſq; Apoſtolis Petro & Paulo, Quiſquis Patrum ad Pontificatum eſſet aſſumptus inchoatam expeditionem in Turcos, quantum Romanæ Eccleſiæ paterentur opes, continuare,

Iuramentũ Pontificis.

prouentumq; aluminis ad eam rem integrum adhibere: Lapſos etiam curialium noſtrorum mores ad Patrum diſciplinam reſtringere: Curiam porro ipſam de prouincia in prouinciam ſine plurium ex patribus intra Italiam, extra Italiam, ſine omnium aſſenſu, qui ſubſcriptionibus pateret, non transferre: Concilium generale Chriſtianorum intra triennium cogere, in quo & Principes ſæculi ad tuendam religionis cauſſam accenderentur: ægręque partes Eccleſię communi medicamento ſanitatem reciperent: Cardinales non ante creare, quam ii qui creati iam haberentur, intra viginti quatuor eſſent reducti: maioremq; hoc numero nõ pati in Eccleſia eſſe: Neminẽ quoq; aſſumere, qui nõ trigeſimũ annũ excederet, quiq; nõ profeſſus eſſet vel Pontificium ius, vel ciuile, vel litteras ſacras: Nec niſi vnum eumq; huius generis hominem de cognatione ſua eligere: In omnibus autem eligendis ſententias Patrum non tacitas in aurẽ, vt ante, ſed ex ſubſelliis ad declinandos errores, palam accipere: De maioribus inſuper committendis ſacerdotiis non niſi in conſiſtorio ſentẽtiis auditis decernere: Ius ad ea nominandorum nulli omnino permittere: Diplomata etiã non dare, quibus ad alienum arbitrium eadem ſe collaturum promitteret: Si qua eſſent antea data, vno edicto adimere: Non deſtituere ſede ſua Epiſcopum quemquã Abbatemve: poſtulatione vlla principum, niſi & talionẽ ex iuris forma in ſe ante reciperent auditiq; rei ſolenni iudicio eſſent: Non Cardinalem, remve ſuam apprehẽdere, niſi ex Patrum ſententiis: Non damnare etiam, niſi ex Synodali conſtitutione: cuius eſt initium. SS. pręſul. SS. Nil porro ex omni Eccleſiæ patrimonio, quod paulo inſignius eſſet, in quemquam diſtrahere, aut eius cenſum minuere, niſi & aſſenſerint Patres, & conceſſioni ſubſcripſerint: Iiſdem quoq; non conſulentibus, nulli non ſubdito bellum inferre, aut ad inferendum fœdus quodquam inire: Teſtamenta defunctorum curialiũ libera ſinere: Portoria noua nulla inducere, nec vetera augere: Principi potentatuive tributum de clericis ſine ratione nullum concedere: Arcium cuſtodes iureiurando, vadimoniiſq; adigere de iis vacante Sede collegio repoſcenti tradendis: Eas quæ eſſent momẽti maioris, ſolis clericis, qui tamen ſuæ cognationis non eſſent committere: Eundem vero & arcis cuſtodem & præſidem ciuitatis nõ facere: Præſidibus prouincia decedentibus adminiſtratorum omnium iudices dare: Ducem eccleſiaſtici exercitus ex ſuo genere non conſtituere: Nil in diplomatib. factum dicere ex fratrum conſilio: quod ad verum conſulẽtibus eis decretum nõ eſſet: Demum primo quoq; menſium omnium conſiſtorio imperare has leges ad innouãdam memoriam ex ſcripto præſente ſe recitari. Additum & his eſt: vt bis quotannis per Calendas Decẽbres, Maiaſq; Patres ſeorſum à Pontifice cõuenientes cognoſcerent inter ſe, an ſeruatæ illæ iudicarentur. Id ſi minus factum intelligerent, chari-

tate quæ filiis in parentes eſt debita, vſq; ad tertia rememorationis officia tráſgreſſionis,& periurii illum monerent,ad ſeruandumq; precarentur. Has leges cum ante Cardinalis,vt dictum eſt,moxq; Pontifex factus ſubſcriptionibus duabus iureiurando votoq; firmaſſet,delere nihilominus poſt paulo aggreſſus eſt, aliena magis inſtigatione,quã ſuo propoſito.Erãt inter miniſtros eius domeſticos Præſules duo Cardinalatum magnopere ambientes, Stephanus eccleſiæ Mediolanenſis Antiſtes, & Theodorus Tharuiſinæ Epiſcopus: qui videntes deſideria ſua his legibus impediri, quod numerus Cardinalium iuſto maior non niſi longa expectatione tediturus ad legitimum videretur,ſimulato in Pontificem affectu agere cum eo de his abrogandis cœperunt,Indignum,aientes,vicariam Chriſti poteſtatem humanis conditionibus ſubdi:Ipſumq; non tam ſui arbitrii, quam alienæ moderationis miniſtrum videri:quærendam libertatem eſſe: idq; agendum, vt auctoritatem Eccleſiæ apud ſe non Cardinales eſſe omnes agnoſcerent. Taruiſinus ſummi ingenii vir, ſummæq; doctrinæ,qui multos iam annos ad tribunal Rotæ exercuiſſet iudicia, fidemq; veritatis haberet facile inſinuationibus hiſce rem Paulo perſuadet:cum litteris non multum imbuto,tum ſui iuris admodum retinenti. Itaque ex amborum ſententia nouæ quædam leges quaſi ex perſona Patrum ſcribuntur,quarum erat obtẽtu,quod priores illæ cognoſcebantur inutiles:Induxiſſe eos hãs nouas, quibus tantum obnoxium eſſe Pontificem vellent. Libellum quoq;, in quo erant digeſtæ, ſigillatim cuique ad ſecundam ſubſcriptionem offerre cœperunt:imperioſius totam rem iam contendẽtes.Inuenti inter eos nonnulli ſunt,qui gratiæ magis quam animæ obſecuti, manus ſtatim requirentibus dederint.Qui vero & iuriſiurandi magnitudinem & voti ſanius expendebant,ſanctumque eccleſiæ miniſterium cupiebant,eam inconſtantiam à Pontifice deprecabantur,nec dicto erant audientes. Pudendam rem,aientes,earum legum damnatores eos mutatoreſq; videri,quarum nuper ſummo conſenſu conſtitutarum vixdum eſſent atramenta ſiccata.Quo loco commotiore iam animo ille factus,atq; ad peruincendum firmato, agere in diem ſeuctius cum Patribus cœpit, nunc pollicens multa,nunc vexans,nunc lacerans maledictis, nunc etiam liberius minitans. nec vllum erat temptandæ mentis tormentum quod ad oppugnandum horis omnibus non adhiberet.Nicenum Cardinalem primæ ſententiæ patrem,fatigatum diu intra cubiculum,moxque inſuperatum egredientem manu intus retraxit, foribuſq; occluſis eo anguſtiarum adduxit,vt anathema illum pronunciaret, ſi non ſtatim ſubſcriberet.quin & poſcentibus quibuſdam vt perlegendi ſemel libelli ante acciperent poteſtatem, grauate admodum indulgebat. manu nonnunquam inter ſubſcribendum ſcripturam contegens totam, ne ſcriptorum vanitas appareret, quæ calidi artificis formata ingenio plena erant verborum effugiis. His atq; huiuſmodi moleſtiarum aſſiduis machinis debilitati Patres tandem ceſſerunt, atq; ad vnum omnes non ſine gemitu ſubſcripſere:Ioanne Caruagial tantum excepto,qui Portuenſi Eccleſiæ antiſtes annoſq; iam ſeptuaginta natus, quod iuuenem ſe non feciſſe meminerat,vt nulla de cauſa mutaret ſententiam, id iam ætatis non commiſſurum reſpondit.Libellum quoq;,cui nil Pontifex ad conuentorum fidem ſubſcripſit, in ſuas arculas condens nec protulit poſtmodum,nec cuiquam eſſe eius exemplum eſt paſſus:vt palam omnibus fieret,irriſui habitum Collegium eſſe,& nec tam moderandarum,quam tollendarum omnino legum occaſionem quæſitam.Si quod in eis rogãdis Cardinalium peccatum fuit,veniam errori det conſcius infirmitatis noſtræ Deus: ſanctam tamen adminiſtrationem quiſq; in propoſito habuit. Sin in eiſdem abrogandis diuina eſt pietas offenſa:etiã memor miſerationũ ſuarũ,quæ ſunt ſuper omnia opera eius,non ad Paſtoris factum,ſed ad fidem Eccleſiæ benigne aſpiciat, greſſuſq; ſuos in ſemitam ſtatuat,quæ ſequentem gregem non fallat. Vitionis ramen in auctores mali argumenta ſtatim manifeſta præuidimus, Mediolanenſis ſpe Cardinalatus ſæpe fruſtratus abſtinere etiam curia neceſſario coactus eſt: & Theodorus Taruiſinus Cardinalis ſecreto factus in languorẽ miſerrimum incidens,hora ſuprema vitæ, ad leuandam vim morbi,indicante Pontifice,quod factum erat agnouit:eoq; exceſſit acerbius,quod dignitatem tanto peccato, tantaq; anxietate quæſitam, auditam tantum,& nec viſam ſe intellexit dimittere.

Noua leges.

Cardinales iis ſubſcribere renuunt initio.

Eodem anno, Toparchatus Angnillariæ gentis ad ius Romanæ Sedis ſumma felicitate reductus eſt: de quo ideo paulo pluribus repetendum putaui, quòd toti pene orbi infamis diuturnā noſtræ ignominiæ notam abſterſit, viiſque apertis ſecurum ad nos patefecit acceſſum. Euerſus eius gentis ætate noſtra primarius hunc Toparchatum tenebat, non hominum ſolum, ſed Dei quoque, & Sanctorum eius contemptor. Is quantum itineris à Viterbio in Vrbem patet, aſſiduis latrociniis infeſtum habebat, nulli hominum generi, nulli ætati aut ſexui parcens. Vni modo prædę intentus ſine diſcrimine in viatores miſeros graſſabatur. Sanctuaria hæc noſtra ex omni natione petentes poſt longa terrarum confecta ſpatia, ante faciem noſtram quaſi in portu facere naufragium cogebantur. Spoliabantur, cædebantur, & in ignoratam ſeruitutem miſerrime trahebantur. Raro noſtri oculi fœdis carebant ſpectaculis. Raro Pontifex in publicum prodiens à lamentis oppreſſorum ceſſauit. nuditatem ille ſuam, contuſionē alter: & liuorem verberum oſtendebat. Erant qui vulnera & mortes comperegrinantium ſuorum deflerent. Operiebantur confuſione facies noſtræ, quod tantum obprobrii ferremus tot annos. Credebamur ab iis qui ea videbant, vel nolle, vel non poſſe latrunculum anguſti dominatus corrigere. Nolle impietatis erat: non poſſe dedecoris. Miſera ab hoc portento proueniebant omnia. Voluntas delendi illius Pontificibus ſæpe fuit: defuerunt tempora, quæ ſuis conditionibus dura non ſunt paſſa deſiderium perfici. Admonitus tamen ſæpe eſt nunciis & litteris, liberius quoque increpitus, atque aliquando bellum ei denunciatum ſi ab iniuriis nō temperaret. Tanquam ad ſe illa non pertinerent: ita monentium officia deriſui habuit. Concluſi nonnunquā apud eum inuenti ſunt peregrini homines Tranſalpini & Itali, mares & fœminæ, pueri quoq; & puellæ ad opus damnati. Paulus Pontifex in Cardinalatu agens à Caliſto III. ad eum miſſus: immanitatem illam aſpexit, miſeranſque nō valuit tollere. Erant illi oppida pene omnia inter Vrbem Viterbiumque media, munita egregie natura & manu. Ab iis obſeſſis viis operabatur has impietates. Roncilio autem itineris medio poſitus, per quem obſtructis itineribus tranſiri erat neceſſe, ſummam ad ea conficiēda opportunitatem pręſtabat. Notior infamiorque propter hæc ſcelera quiſquam ętate noſtra nō fuit. Nuncupatus Euerſus non hominis iam, ſed portenti nomē habebat. Nulla in eo erat religio, nulla humanitas, nulla Dei vel noſtri cognitio. Dies feſtos profeſtoſque vno contemptu æque habebat. Dominicis autem cogens ad priuatum opus miſeros ſubditos: Domini dies eſſe illos dicebat, ac propterea Domino ſibi merito debitos. A libidinibus quoque intactum eſſe nil permittebat. Ferebatur impetu ferali ad eas explendas: parante ſemper metu quod impudica mens affectabat. Sæpe cum Virgo ſponſa ducebatur ad virum, ad ſe eſt interuerſa, & prima ſpurcitiæ ſuæ tulit connubia. Nec in vicinos populos noſtræ ditionis eſt inuentus modeſtior. Nullius optauit agrum, bouem, aut equum, quem non extorſerit ſtatim iniuria. Nullius inſpexit animum à ſe paulo alieniorem, quem non confeſtim afflixerit. Factionem vbique ſuam eſſe volebat, atque alienæ ſemper præſtare. Si qui Eccleſiæ ſtudio conſtantius aduerſus eum retinebantur ſubmiſſis interfectoribus tollebat è medio tam diu eorum obſeruans itinera aditus, atque egreſſus, donec cogitatum impleret. Nulli ſine vitæ periculo fides ſua in Pontificem ſtetit. Redierant iam eo loci Eccleſiæ res, vt hominis imperia potiora noſtris apud noſtros ſubditos eſſent. Accedebat aliud grauius, quod ſi qui vel odio habebant Pontifices, vel cum iis bellum gerebant, conatus eorum omnes aſſiduis ſollicitationibus inflammabat. Id agens vt fatigata ſemper Eccleſia maliſque externis implicita auerteretur à ſe maioremque occaſionem exercendis prædis præſtaret. Eugenius quartus ab initio ſui Pontificatus trahere ad ſe beneficio hominem cogitauit, medicinamque leuitatis apponere, vbi ſine periculo adhiberi ſcalpellum non poterat. Humaniter appellare eum proſequique honoribus cœpit. Oppida etiam nonnulla, quæ adempta erant Vicanis tyrannis dono conceſſit: admonens identidem, vt beneficii memor coleret Eccleſiam, quietem ageret, à peregrinantium temperaret iniuriis: futurum ea ratione oſtendens, vt non modo ceſſaturus eſſet à metibus: ſed rem atque æſtimationem gratia Pontificum aucturus. Sed nimirum impiorum mentes excæcatæ malis lumen ſalutis non vident, & ad conſuetas ſemper ſe referunt tenebras. Manſuetudo hæc paululum ab initio Euer-

Anguillaria pontifici cedit.

Euerſi tyrannis.

ſum continens, continere din non potuit. Ad ingenium rediens maioribus quam ante incommodis infeſtum illi ſe præbuit. Franciſcum Sfortiam minus tunc amicum Eugenio, magnis pollicitationibus ad prædam Romani agri induxit, ſperans adiutū ſe iri oppidis & commeatu Euerſi, poſſeque ex propinquo Romam laceſſere. Vrbem veterem totis copiis aduolauit, perturbaturus omnia, ſi fidem, quam fregerat Eugenio, illi ſeruaſſet. In Nicolaum quintum, qui Eugenio, & in Caliſtum tertium, qui Nicolao ſucceſſit, idem inuentus eſt. Conatus Nicolaus non bello aperto, ſed inopinato impetu bis illum opprimere, non ſuccedente fortuna neceſſario deſtitit. Caliſtus etſi difficultatibus rerum prohiberetur multis, delere hanc maculam ſæpe temptauit: Verum conſilio eorum abſterritus, qui publicæ quieti, Euerſique beneuolentiæ ſtudere putati ſunt, à cogitatis abſtinuit. Iniquior in nullum fuit, quam in beatæ memoriæ Pium. Occupauerat poſt Caliſti obitum, vacante adhuc Sede, Iacobus Picininus Ciuitates nonnullas intra viſcera Eccleſiæ, quarum iactura eo grandior apparebat, quo opportunitas inde maior ad vexanda reliqua præbebatur. Ferdinandus Aragonenſis per id tempus defuncto Alfonſo patre in Regnum Neapolitanum ſucceſſerat. Beneficio illi Pontificis opus erat ad coronam regni accipiendam, quam miſſis oratoribus, à Pio velut paterno amico impenſe petebat, ille conceſſurum ſe eam ante negabat, quam Picininus, qui ſtipendia eius merebat, ſua opera quæ ademerat redderet. Id cum ſummo ſtudio conaretur Ferdinandus, Euerſus, qui pacem noſtram bellum ſuum putabat, quotidianis litteris Iacobum admonebat, nullorum minis aut precibus cederet, pulcherrimam occaſionem præſtitam docens parandi dominatus, quam neglectam nunc, poſthac habiturus non eſſet: Regem ſuis rebus, non amici fortunis conſulere: Decere vnumquemque circumſpicere rationes priuatas, neque timenda ſibi arma Eccleſiæ, quæ bellum neſciat gerere: Ipſum eſſe Ducem inuictum, ſatiſque habere ad perficienda quæ diceret, copiarum maiores quotidie ex tota Italia ob ſpem prædæ ad ſe conuecturas. Offert quoque ſua, & ſentientium ſecum præſidia, quæ maiora opinionibus oſtendebat. Denique his ſtimulis iuuenem per ſe ſatis accenſum ſic incitauit, vt aliquando & Pontifici, & Regi ſanitas eius in deſperationem veniret, grauiaque interim ſuſcipere nrār incommoda. Rurſum vero agente Pio Mantuæ fidei cauſa, per occaſionem abſentis Principis maiora molitus eſt. Iuuentutem Romanam præſidum negligentia ptoterius laſciuientem, non deſtitit ad permiſcenda omnia commouere, refugia etiam dare, ſi quādo ad pœnam à Rectoribus vocarentur. Rurſumque ad alendam ſeditionem clam in vrbem remittere. Adeo autem valuit eius peruerſitas, vt ceteris coniuratorum iuuenum rem in diſcrimen adducentibus, nil ab hoſtili bello eſſet diſſimile. Inter hæc quoque Senam reuerſo Pio, & veletudinis cauſa ad Aquas Petriolanas agente, ope quorundam exulum ingreſſus Viterbium eſt, atque eam ciuitatem ſubito impetu conatus opprimere, ſed vicinis immiſſis præſidiis repulſus ad portas, vbi propoſitum renere non potuit multis interfectis, domibus circiter trecentis direptis, quibuſdam incenſis, Vetrallam præda onuſtus reuerſus eſt. Expoſtulante deinde iam grauem iniuriam Pio per irriſum excuſabat, nec ſe imperante, nec conſcio factum id eſſe: milites tantum ſuis ducibus vſos, ab exulibuſque per occaſionem prædę illectos ea tentaſſe. Tribus præterea non totis intermiſſis menſibus ſuſcepta per Eccleſiam Ferdinandi Regis aduerſus Andegauenſes defenſione, ne qua in re nō eſſet incommodus, cum iis, & nonnullis per Latium Toparchis ſceleratis pactionibus coniurauit: Quibus vrbana Mercatorum & curialium præda, circumſtantiaque oppida in mercedem coniurationis dabantur. Porro filium Deiphebum contra edictum Pii in regnum ad bellum miſit. Ipſe domi manens omnia moliebatur, quibus labefactari cauſa Eccleſię poſſet. Ferentes arma, pecuniam litteras, & quicquid adiumento Andegauenſibus eſſet, ex locis ſuis tutum iter habebant. Quicquid à quoque vbique coniurabatur, firmabatur apud ſe. Ipſe pactionum formator erat, atque expromiſſor. Venere ad manus noſtras nonnulla intercepta per vias, quibus pernicioſæ cogitationes apertiſſimè patuerunt. Conſiliis vero non ſuccedentibus, reputans ſola Pontificis morte procedere res Andegauenſium poſſe, ad venena confugit. Artificem & aditum ad caput eius præmiis magnis parauerat: ſed protector noſter Deus, qui reſpicie

ſpicit in faciem Chriſti ſui, intercepit funeſtum conſilium. Taceo quę ante eam diem per contemptum noſtrum in vicinos effecit. Adminiſtratorem Xenodochii in Saxia, quod ſub tutela Pontificum eſt, comprehenſum per fraudem non ante dimiſit, quam vicina oppida diu à ſe expetita accepit. Admonitus, iuſſus à Pontifice adminiſtratorem oppidaque ſtatim dimittere, pari contumacia auctoritatem contempſit, & prius Vpupæ arcem, quæ ditionis itidem Xenodochii erat, moxque oppidum Tolphenouæ pacatis Vrſinis ademerat. Vt autem nulla deeſſet iam indignatio poſt hęc facinora territabat Eccleſiam, modo vrbis, modo fodinarum aluminis direptionem, quæ illi propinquæ erant, nobis denuncians. Erat ſummum Pio deſiderium iniurias has vlciſcendi: ſed bellis diſtinebatur, quæ diuerſis in locis neceſſario gerens, non poterat ſine magnis detrimentis vel exercitus aliunde abducere, vel ad cætera bella hoc nouum adiungere. Non multo vero poſt domito iam Sigiſmundo Malateſta, rebuſque in Flaminia pace compoſitis, magis ac magis ad tollendam hanc peſtem animabatur. Sed appetebat hiems, in æſtatemque proximam nauigandum erat in Turcos. Cupiebat ante diſceſſum hominem perdi: quem abſente ſe furiturum nimium putabat. Sin per hiemem confici non poſſet negotium, dignitatis ſuę aut rerum Eccleſiæ non ſtatuebat impacata relinqui vicina vrbi loca, ex quibus protendi latius incendium poſſet. Itaque confeſtim Neapoleonem Vrſinum, *Fran. Pacaninus hic fuit Neapoleo.* Pręſulemque Ferrarienſem, qui copiis ſuis ea æſtate præfuerant, ad ſe conuocauit, quæſiuitque num hiemem inſtantem ſatis ad perdendum hominem iudicarent. Cum reſponſum eſſet, loca Euerſi annis iam plurimis in hunc caſum munita, conſiſtere in locis aſperis, in quibus nulla pabuli copia hiberno tempore haberetur, ac propterea rem in æſtatem neceſſario trahendam, conſilio abſtinuit, confidens quam occaſionem tollendi portenti id tempus non dabat, daturum opportuniore alio Deum. Seruatus itaque tunc eſt neceſſitate magis quam voluntate. Verùm Pio ad Dominum non multo poſt euocato, Paulo autem ad Apoſtolatum aſſumpto, contigit Euerſum per eoſdem dies decedere, relicto dominatu filiis duobus Franciſco, ac Deiphebo. *Euerſus moritur.* Non fuerant ii viuente patre ab illo diſſimiles. *Filii patri ſimiles.* Educatoris totam apprehenderant diſciplinam. Si vero minus opetati perniciem videbantur, id ea factum erat gratia, quod minus etiam poterant. Volens nequitiam omnem ſibi aſcribi pater continuerat in metu filios: non plus licere illis permittens, quàm ſibi placitum eſſet. Facti ergo per patris obitum liberi: haudquaquam degeneres ſe oſtenderunt. Fuerat Paulus dum in Cardinalatu ageret Euerſo amicus, mediatorque nonnunquam conſtituendæ pacis inter ſe, atque Vrſinos vicinos. Sperabat eam ob cauſam paternæ coniunctionis futuros memores filios, atque ad obſeruantiam, quæ debetur Pontifici, aditum iri priuatum affectum: ſed longe aliter ceſſit res. primum enim Topatchis omnibus, qui in circuitu ſunt, diem coronationis ſuæ, vt mos eſt, honorantibus, ſoli officium contempſerunt. Continuerunt ſe in oppidis, vel diffiſi conſcientiæ, vel ex conſuetudine domus auctoritatem ſedis ludibrio habentes. Deiphebus autem priuatæ mox rei cauſa venire in vrbem cupiens, non prius veniendum putauit, quàm ex quorundam Cardinalium litteris fidem Pauli accepiſſet. Venientem benigne accepit, blandeque eſt allocutus, docens paternum amicum ſe eſſe: ſperanda ſibi, ac fratri ex ſuo Pontificatu omnia, ſi in fide perſiſterent. *Deiphebus Romam venit.* Hortatur ne imitatores ſint paterni inſtituti: colant apoſtolicam Sedem: reuereantur Pontificem, nec vexent latrociniis itinera publica. atque hic rememorans varias Euerſi iniurias, quas diuerſis intuliſſet, ſignificat poſtquam ad Pontificatum aſſumptus ſit, earum ad ſe delatas querelas, iudiciumque pro iis poſtulatum: non eſſe ſuæ dignitatis ſubditorum damna per negligentiam præterire. proinde Vpupam arcem, & Tolpham, quæ poſſeſſoribus abſtuliſſent, deponerent apud ſe, donec palam iudicio fieret, ad vtros ca ſpectarent: Iudices daturum ſe eos, qui cum ſuſpecti non eſſent, tum vero inclinaturi ad ſuam potius, quam ad aduerſariorum rem viderentur. Reſponſum non male à Deiphebo eſt. Modeſtiam humilitatemque oratio habuit: exitus fuit vt ſe, & Franciſcum diceret ab eius imperio non abituros: Arceſque mox vt reuerſus eſſet ſine mora daturos. Habita eſt fides dictis. Cre-

didit Pontifex, Deiphebum partim admonitum paternis periculis, partim illectum antiqua beneuolentiæ ſpe ſerio locutum eſſe: ſed nimirum mens innutrita malis domeſticiſque exemplis corrupta, ab ingenio non poteſt diſcedere, ſenſum boni ſic horrens, vt nulli ſanitati locum relinquat. Aliud agitabat animo Deiphebus, aliud ementita eſt lingua. Reuerſus domum pedites Eccleſię, qui ad accipiẽdas arces miſſi à Paulo erant, contumelioſe accepit, comminationibuſque multis remiſit, parans paulatim laqueum, in quẽ ipſe & frater eſſent caſuri. Turpe ducens ſibi Paulus iocos à Deiphebo de ſe habitos eſſe, deferendam nulla ratione inchoatam rem eſt arbitratus: litteris confeſtim ab vtroque contendit, mature promiſſum adimpleant, nec ſe veterem amicum ad vlciſcendum inſtigent: etiam nunc ſi imperio pareant, contumeliæ acceptæ nullam apud ſe rationem futuram. Sed cum ſic quoque nil perfici poſſet, denunciat bellum. ea comminatione tandem permoti illi faciunt imperata. Verum vt nullum eſſet officium, quod non admiſceretur peccato, ante arcium traditionem Vpupæ quidem ſumma propugnacula deiecerunt, ementiti fulminum caſus. Tolphæ vero murum duobus in locis ab imo ſuffoſſum leui materia ad ſuperficiem retexerunt, vt ſi quando occupare illam iterum vellent, è locis notiſſimis poſſent. Paulus etſi intelligebat vtraque cum perfidia geſta: ſatis tamen habens ſatisfactum imperio hactenus in eos commotus eſt, vt & reprehenderet factum, & ne in reliquis eſſent ſimiles admoneret. Dies non multos poſt, impleta Pauli voluntate ſecurus ad eum acceſſit Franciſcus, benigne & ipſe acceptus. Precatur ſuæ, & fratris ſaluti impenſius conſulat. Subditos eorum dicit ob deditionem arcium in ſuſpicionem veniſſe, ne ipſe & frater minus iam grati Pontifici eſſent, proindeque detrectare imperia. Contendit vt litteras ad oppida mittens de ſua voluntate omnes admoneat, nuncietque in fidem Sedis ambos ſuſceptos. Id ille cum rebus eorum libenter dediſſet, multis rurſum precibus poſtulat, vt inter ſe & Securantiam quendam iudicium de Caprarola oppido faciant, quod magnis contentionibus pertinere ad ſe affirmabant. Poſſid batur eo tempore a Securantia: qui vnus ex Vicana familia reliquus ſummo Euerſanis odio erat. Hoc quoque negatum à Paulo non eſt. Cauſa vt petitum erat in Rotam coniecta. Veritus tamen ne tracto ad iudicium Securantia ipſi vacuam Caprarolam per opportunitatem abſentis cuſtodis inuaderent, frequenter edixit Franciſco: viderent etiam atque etiam ipſe ac frater ne beneficio ſuo ad perniciem vterentur, armiſque non expectato iudicio Oppidum vendicarent: futurum ſi ita accideret, vt cuius experti eſſent benignitatem, cogerentur acerbitatem mox experiri. Ad ea Franciſcus: etſi diceret nil tale in ſuam aut fratris mentem vnquam caſurum, ſponderetque omnia de ambobus pacata: ſuam tamen ſuſpicionem magis quàm eius orationem attendens etiam abeunti ingeſſit eadem interminatuſque eſt. Illuſerant ante Deiphebus & Franciſcus Romano Pontifici. parant nunc quoque impudenti contumacia declinare imperia. Vt primum enim Securantia in vrbem venit vocatus ad iudicem, nullo illi ſpacio ad facinus intermiſſo nocturno impetu occupant Caprarolam, præſidiiſque munientes ſe ad reſiſtendum obfirmant. Paulus ea re cognita offenſam ſupra modum auctoritatem ſuam exiſtimans alterum ſibi contendendum eſt ratus: vt vel ſtatim ad tradendum oppidum ſuo illos imperio cogeret: vel bello præſentem præteritaſque vlciſceretur iniurias. Itaque ad eos ſubito mittit qui perfidiam arguant, & Caprarolam iubeant tradi. ſi minus id agant, taciti ad ſe reuertantur. Illi non contenti imperium Principis contumaciter detrectare, contumeliam inſuper verborum adiiciunt. Iniuſte aiunt Pontificem agere, qui ſibi alienam rem petat: Meminiſſe eum debere Euerſi ſe filios eſſe, cuius fuiſſet ſemper inferre, non pati iniurias: Retenturos Caprarolam bello aperto, ſi ita expediat: Paulum ſi ſe armis laceſſat, intellecturum quid ad defenſionem animi habeant. His acceptis Pontifex, Vicarium eius ſe recognoſcens, ad quem dictum eſt: *Exaltare qui iudicas terram: redde retributionem ſuperbis.* ſimul aperire itinera cupiens, quæ non peregrinis modo, ſed Pontificibus quoque neceſſarium erat turpiter declinare, duo imprimis ſingulari ſtudio curanda putauit: alterum, vt ignaros conſilii repentino adortu hoſtes opprimeret, alterum, vt ante demeſſas ſegeres copiæ ad op-

Franciſcus Angil. Romam venit.

ad oppida eſſent: futurum ea diligentia credens, vt illi colligendi ſui ſpacium non habentes perturbatiores ad omnia redderentur, & Oppidani meſſe, omnique pecore amiſſo deditionem maturius facerent: aut ſi ad reſiſtendum ſe compararent, acceptis his detrimentis minus diu ſubſiſterent: ad hæc componenda opportunum oblatum eſt fortunæ auxilium. Ferdinandus Rex turmas equitum nonnullas ad fines regni circumforana loca iuſſerat mitti, quæ olim ſuæ, nuper noſtræ ditionis ſunt facta. Ea res ſuſpicioſa omnibus videbatur: putantibus ad repetenda quæ dixi, illas veniſſe. Venerant autem, vt conſtabat, diuerſam ob cauſam. Hanc igitur occaſionem ſecutus, Ducibus copiarum ſuarum, quæ vbique erant, arctiſſime imperat, vt quam celerrime cum ſuis ad Vrbem feſtinent: vt ſi Regi ſit obſiſtendum, conſilio prius ſecum habito ſciant quid inde agendum. Præſulem quoque Mediolanenſem, de quo ante meminimus, eadem celeritate mittit ad Regem ſpecie ad cohibendas turmas ne in ditionem Eccleſiæ tranſeant: re autem vera ad earum præſidium contra hos impetrandum. Etenim cum feudum regni à Pio, & coronam accepit, conditionibus erat conuentum, vt in omnem caſum Eccleſiæ equitum peditumque certum numerum Pontifice requirente concederet. quod ille cum fidei præſtitæ non inuitus dediſſet, eo diligentius adminiſtranda omnia iudicauit, quod Deiphebus, & Franciſcus perpetuo bello cum Andegauenſibus ſenſerant. Deiphebus etiam Regem ad colloquium per cauſam conſtituendæ pacis extractum gladio venenis illito temptarat occidere. Itaque ſub vnum fere tempus Præſule, quem dixi, ad Pontificem reuerſo, noſtriſque, & Regiis copiis ad irrumpendum paratis toti exercitui Federicum Feretranum: & Neapoleonem Vrſinum præfecit. Qui dies permultos ante admoniti quid facto opus eſſet, bifariam Euerſanos adorti, intra duodecimum diem in poteſtatem omnia redegere: Tanto rerum ſucceſſu, vt pene finitum bellum ante audiretur, quam inchoatum. Nullum Oppidum oppugnatum eſt, nulla dimicatio facta. Deiphebo tantum, & Franciſco intra munitas arces ſe continentibus: mox vt admouebantur exercitus, fiebat Oppidanorum deditio. Quidam etiam non obſidionem expectantes, per oratores idem agebant. Vbique inuocabatur Eccleſia, & vbique ſtudium erat deiiciendæ ſeruitutis, quam miſere tot annos pertulerant. Erant illis oppida tredecim natura loci, frumento, armis, cæteriſque ad defenſionem neceſſariis egregie communita, Iouium, Carbonianum, Caprarola, Roncilio, Capranica, Vetralla, Bleda, Vianum, Monteranum, Cerete, Charcatum, Seuera, Monticellum, partim accepta à patribus, partim per iniuriam vicinis adempta. nec putabatur ſine magnis incommodis hanc victoriam futuram Eccleſiæ. Motus maiores ſecuturi inde iudicabantur. Suſpicioſa erat multorum vicinitas, quibus dolitura credebatur Euerſanorum deiectio. Quidam quoque potentatus Italiæ odio præſentium rerum fauturi his dicebantur. Viuens porro Euerſus, atque ex conſcientia obſidionem timens, ad eam perferendam quæ potuerat ante contraxerat. Iunxerat fœderibus ſecum affinibus ſceleris ſui, qui nec pauci per agrum Romanum erant, nec contemnendi. Inſtaurauerat labore continuo muros, foſſas, & turres, in arceſque omnifariam munimenta contulerat. Congeſſerat quoque pecuniam non contemnendam in temporis longi ſtipendium. Ad hæc patris ſtudia accedebat Deiphebi auctoritas, qui ſtrenue in bellis verſatus, Duciſque periti nomen habens, iudicabatur grande momentum ad diſtinendos noſtros futurus. Qui breuius finiendo bello ſpacium ſtatuebant, menſium ſex opus arbitrabantur. erant qui anni, & qui biennii dicerent: ſed patuit manifeſte omnipotentis Dei vltio obſcurantis oculos impiorum. Contra Romanæ Sedis vexilla tanta hæc munitionum vis nihil eualuit. Sicut deficit fumus, ſicut fluit cera à facie ignis: ſic defecerunt apparatus horum à facie Dei. Ipſi vero Deiphebo non mens, non ratio, non conſilium, non diligentia fuit. Iacuit totus tremefactus ac pauidus, ignorans non ſolum aduerſariorum copias, ſed etiam ſuas. Noctu tandem peditibus paucis comitatus, exportans neſcio quid ad fugæ ſubſidium, ex arce Bledæ, ad quam à Vetralla refugerat, ingenti trepidatione abſceſſit, ac pene eſt interceptus. Ecce vetuſtæ, ſed nocentis familiæ exitum. *Vidi* (inquit Propheta) *imperium exaltatum eleuatumque ſicut cedros libani. Tranſiui, & non erat: quæſiui, & non eſt inuentus locus*

Stephanus Nardinus.

Euerſani euertuntur.

eius. Factæ ſunt viæ eorū tenebræ, & lubricū, & Angelus Domini perſequens eos. Venere in poteſtatē Pontificis Franciſcus, & filii eius omnes. Itidem & primogenitus Deiphebi, qui mole Adriani incluſi vitam nunc miſerã infelicemque agunt. Poſt victoriã autem recenſentibus noſtris ſecreta arcium, vt fit, repertæ ſunt formę complures adulterandæ monetę: In quibus Nicolai, Caliſti, & Pii noſtri ſuperſcriptio, & character erat impreſſus. Adulterini quoq; ex his numi permulti. Inuentę & ſyngraphæ ſceleratarum pactionum, in quibus qualis eſſet patris, & filiorum in Eccleſiam mens perſpicue patuit. Ex tetris quoque cauatiſque ſub terram carceribus extracti multi ſunt, quos Tyrannorum crudelitas annos iam multos ſuppliciis miſerandis affecerat. Non tam igitur lætata antiqua ſæcula ſunt ob Cachi latronis interitū, cuius cęde & rapinis omnis hic tractus reddebatur infeſtus, quam gauiſa ſunt noſtra Euerſanorum ruina. Sed alter non multo poſt ſucceſſus rerum in Flaminia contigit recenti Euerſano non minor, cuius euentus ex initio huiuſmodi ſuum exitum duxit. Fuerat Sigiſmundo Malateſtæ germanus frater Malateſta Nouellus. Is in partitione dominatus paterni Ceſenam, Bretenorumque ciuitates, & latiſſimum multorum oppidorum agrum Pontificum beneficio erat ſortitus: ſed poſtmodum acceptorū omnium immemor, vt Vicariorum noſtrorum eſt mos, bello Andegauenſium multa Eccleſiæ Romanę occultis conſiliis intulerat detrimenta. Quam ob cauſam iuſto eſt odio habitus: mox etiam oppugnante Pio Sigiſmundum, qui hęreſis iudicio fuerat condemnatus, in auxilium veniens, apertum ſe hoſtem oſtendit. Frater namque rem magnis conatibus adiuuabat. Verum illato in agrum Ceſenatem bello ad tutanda ſua retractus, præter duas, quas dixi, ciuitates, reliqua fere ditionis loca intra pauciſſimos dies amiſit quam fortunam Sigiſmundus etiam ferens, mœnibus tantum Arimini ſe tutabatur. Ad miſericordiam ergo Pii vtroque confugiente: Sigiſmundo etiam abiurante hęreſim, indulta ambobus eſt venia: ea tamen addita conditione, vt Ceſenatium ciuitas Bretenorenſiumque publico cauerent iureiurando mortuo Malateſta, cui liberi nulli erant: ad ditionem Eccleſię repulſis cæteris, ſe reuerſuras. Quod cum ſolenni decreto vterque populus libenter egiſſet, accidit mox in Pontificatu Pauli, vt vita functo Malateſta, legati noſtri ad repetendam fidem illico mitterentur. Qui ob cauſam perficere primo aduentu rem non potuerunt, quod Robertus Sigiſmundi ex concubina filius, per neceſſitudinis cauſam ad morientem patruum veniens poſt funus eius in arce ſe continebat, & de retinendo per vim dominatu agitabat: ſed dies nonnullos poſt, cognita ciuium voluntate, quos ad ſeruandum iuſiurandum conſtabat ſpectare, impetratis à Pontifice nonnullis per prouinciam Oppidis ciuitatem illi liberam tradidit. Bretenorenſes quoque exemplum hoc conſecuti ſponte ſua deditionem fecerunt. Ita vno ferme tempore duarum prouinciarum ſumme opportuna loca ingratis familiis duabus adempta, breui negocio ad gremium Matris ſunt reuocata.

[Sigiſ]mūdus [Ma]lateſta.

Ariminum ad fidem redit.

IACOBI

IACOBI VOLATERANI CARDINALIS PAPIENSIS COMMENTARIORVM LIBER TERTIVS.

QVIEVERAT Italia annum fere iam tertium, nec vllibi tumultus grauior fuerat intellectus. Tantum Euerſani fratres, quos dixi, dierum paucorum oppugnatione dominatum omnem amiſerant, non tam vt hoſtes, quam vt violatæ maieſtatis damnati: ſed innouandarum mox rerum ciuilis quædam Florentinorum diſſenſio præbuit occaſionẽ. ideo à me paulo altius repetenda, quod cognoſcẽdis perturbationũ initiis eſt neceſſaria.

Florentinorũ factiones.

Obtinuerat in ciuitate Florentina principatum annos prope triginta Coſmus ex Medicorum familia, vir ſapiẽtia, & opib. clarus, ita quidẽ inter ciues ſuos verſatus, vt cum ſumma omniũ ad eum veluti ad iuſtũ dominum deferretur, omnib. tamẽ charus eſſet atq; acceptus, paucis exceptis, quos vel publica res, vel priuata dolere eã ob cauſam cogebat.

Coſmus Medices.

Creuerat autẽ inter amicos eius pręcipue Lucas quidam Pittus, homo facultatis nõ multæ, ſed illi obſequens ſemper, & quotidianis in ciues officiis, ad quæ facilis erat, magnopere in republica gratioſus.

Lucas Pitti.

Erat quoq; Coſmo ex duobus, quos genuerat, filiis alter ſuperſtes, Petrus nomine, vir acris ingenii, ſed patri in colligẽda popularitate ſane nõ ſimilis. morbo autẽ articulari ita oppreſſus, vt inualidus ad cętera ſemper iaceret. Is igitur defuncto in honorib. patre auctoritatẽ eius cõtendebat in ciuitate retinere, putãs quia familię ſuæ beneficio tantũ creuiſſet Lucas, cedi ſuccedẽti ſibi debere. Ille vero ætatem ſuam conſiderans, & gratiam ciuium, quorum altera maior in eo erat: altera pene par, indignum cenſebat, ſi maxime obſequens patri fuit tantæ ſapientiæ viro, etiam parere filio lõge infra illius merita poſito. Itaq; concertationes quędã inter eos ſuſcitari ſunt ceptæ, de priuatis amicorum ſtudiis primo, mox de tota republica: Vtroq; in eum locum ſe vendicante, in quem viderant Coſmum. Erant his duobus poteſtate proximi duo item alii equeſtris ordinis ciues, nec Petro pacati ſatis, nec Lucæ ante id tempus amici, Angelus Acciaiolus nobili familia ortus, & Detiſaluius Nero, ſua magis induſtria, quàm maiorum cõmendatione honores adeptus: & Angelum quidem à Medicorum factione, cuius olim aſſerendæ cauſa fuerat relegatus, indignatio quædam auerterat, ꝙ filiam nuprui daturus Petrus iuuenẽ inferioris nobilitatis Filio ſuo generum prætuliſſet.

Angelus Acciaiolus.

Detiſaluium vero huius etiam ipſius, pro quo certabatur, Principatus cupiditas: ſed horum nullius grauius in Petrum odium putabatur quàm Detiſaluii, nec vllius erat ad conficienda negotia aſtus maior, atq; attẽtio. Igitur gliſcentib. in diem magis diſſenſionibus his nactum ſe Detiſaluius occaſionem credens, qua & Petrum opprimere, & concupitam poteſtatem vna diligentia aſſequi poſſet, ad Lucę ſtudia ſeſe primo adiungit, illiuſq; fit aſſectator: inde Angelo perſuadet, cuius eſſe in populo gratiam pręcipuam cognoſcebat, idem vt faciat: docens, contendentibus ex æquo vtriſq; futurum facile, vt & liberiorem ipſi Rempublicam habituri eſſent, & vltuti cõtumelias viderentur, quas à patre & filio accepiſſent. Ea res ab Angelo credita Pitteæ factionis opes admodum auxit, & omnium quæ ſecuta ſunt malorum, ſeminarium præparauit. Pugnari enim ex illo tempore fortius in Republica cœpit, Petro quidem paternis amicitiis ſe adiuuante, Luca autem duob. his ad rem ſuam adiunctis: ſed horum quàm illius eo videbatur iuſtior cauſa, quod ille de retinenda tantum patris poteſtate, hi vero de tollendo ex ciuitate dominatu putabantur contendere. Eratq; illa eorum frequens conqueſtio: ſatis iam diu vni ciui ſeruiuiſſe Rempublicã: nõ oportere miſerã tot annorum ciuitatis conditionẽ vlteri-

us propagari, quæ eo indignitatis eſſet adducta, vt derelicta iam curia, ex priuata domo publica conſilia ſumerentur, nec iam bella modo & paces ad eius arbitrium fierent, ſed nec magiſtratum aſſequi quiſquam nec filiam deſpondere, aut de re vlla priuata, niſi ex præſcripto illius poſſet ſtatuere: Recipiendos animos aliquando, & reſumendam libertatē, quæ à maioribus tradita per ſocordiam proiicienda non eſſet: nō id agi his eorum ſtudiis vt ciuitate pellatur Petrus, quem ſaluum velint: ſed vt poſito dominatu ciuilem æquitatem accipiat: Satis illi eſſe debere, ſi retentis opibus, quas beneficio ſeruientis populi maximas comparaſſet: adminiſtratorum impunitatem ferat, & honoribus quos habeat ciuitas, decreto ciuium non ſua voluntate fungatur. His vociferationibus, cum & quotidianæ eſſent, & à cupido libertatis populo audirentur, factum eſt breui, vt abrogato decemuiratu, cui dandorum adimendorumque magiſtratuum erat poteſtas, ea Reipublicæ forma reddita iam videretur, quæ dignitatem ciuitatis quęrenti, non ſuam, eſſe tolerabilis poſſet. Sed neutris id erat propoſitum. quiſq; vel ambitioni ſuæ, vel iracundiæ per cauſam boni publici ſeruiebat. eoq; iam erat progreſſa contentio, vt ſuperioribus Lucæ rebus immoderatius ab his tribus agerentur omnia, & plena cupiditatum ſingula viderentur. Quo factum eſt breui, vt detectis affectibus, quibus non tam libertas, quàm principatus in ꝓpoſito erat, plurimi, quos ſtudium publicum à Petro auerterat, minus iam indigne habentes antiquo domino ſeruire quàm nouo: in eius partes redirēt, & propugnatores pro impugnatoribus fierent. Quibus ille mox recreatus, viciſſimq; aduerſantium iniquitatem accuſans, ad reſiſtendum eſt factus validior. Nullis omnino de rebus publicè referebatur, in quibus hæ duæ factiones ſibi non diſſentirent. Eratq; vna ambobus per dies ſingulos cura, quam plurimos aſſertores conquirere, quorum ſuffragiis alteri alteris præualerent. Nocturni vtrinque habebantur conuentus, quibus iureiurando, & chirographis alterutrius peſtis fiebat profeſſio. Interdiu autem paucis quibuſdam in curiam ad magiſtratum conueniētibus, reliqua ciuium multitudo ad duorum horum ædes tumultuoſius aderat: quorum alterum morbus corporis domi incluſerat, alterum ſalutationum ambitio. Rebus in hanc perturbationem adductis de euentu ſollicitus Petrus, volenſq; ad quamuis aduerſariorum violentiam ſe præmunire, Nicodemum quendam ab oppido Tuſcorum Pontremulo, qui per id tempus pro Duce Mediolanenſi agebat Florentiæ, per alterius rei ſpeciem ad illum mittit, familiæ ſuæ magnis de cauſis obnoxium, qui ſtatum ciuitatis omnem oſtendat, doceatq;, vna inimicorum contentione & pelli ſe facile poſſe, & amicæ illum reipublicæ coniunctione priuari: Oret proinde vicinum, aliquod ſubſidium ſine mora cōparet, quod in omnem neceſſitatem ſit præparatum. His cognitis Dux concedenda illico quæ peterentur putauit, ea maxime ratione adductus, ꝙ ſecuritatis ſuæ non ſtatuebat, potentiſſimam ciuitatem, quæ in eam diem ſecum ſenſerat, ad amicitiam Venetorum tranſire, quibus non dubie alteram factionem adhærere compertum erat. Itaq; Ducibus copiarum, quæ fortuna conciliante à bello Neapolitano ad ſe reuertebantur, negotium dat, vt in agro Bononienſi per occaſionem quietis conſidentes Petro, ſi ita ferat neceſſitas, ſubito aſſint, atq; omni ratione dignitatem amici hominis tueantur. Sed Lucas hanc Nicodemi profectionem quærendorum auxiliorum cauſa comparatam ab initio timens: tum autem ea iā collocata in proximo videns, ne imparata res ſua ad ſe pellendum Petro animum faceret, agit & ipſe cum Duce Mutinenſium Borſio, quem pro ſua factione ſtare certiſſimum erat, vti in omnem eius caſum, quam maiorem poſſit, equitum ac peditum numerū ad fines ſuos inſtructum cōtineat, qui ſi à Sfortianis vis aliqua inferatur, momento eſſe in auxilium poſſit. Dum externa hęc præſidia à partibus conquiruntur, in ciuitate interim fatigatis iam aſſidua contentione animis, nec re in alterutrius perniciē adhuc inclinata, quędam pacificationis ratio ſponte ſuſcepta eſt, quæ erat huiuſmodi, vt conſilia poſthac in priuatorum ædibus nulla haberentur: ſed ad Curiam conuenirent omnes, vtq; in exilium agi nemo contendentium ſineretur: omnes autem ad ſalutem ciuitatis idem ſentirent. Quam rem iureiurando & documentis publicis cōfirmarunt ad iudicium Romani Præſulis: ſi violaretur fides, omnia referentes. Hac fiducia conuētorum Petrus in vicinum rus deportari ſe iuſſerat, putans nil iam periculi eſſe, & per abſen-

abſentiam ſuam renouandæ diſſenſionis occaſionem nullam futuram. Scripſerat etiam Ducibus Sfortianis, vt quando pacata iam ciuitate ſua omnia in tuto poſita eſſent, redirent ad Ducem cum vellent. Igitur per has pactiones quieturi aliquando diu animi videbantur, & formam adminiſtrandæ Reip. interim accepturi: ſed fortuna quædam errori admixta neutrum permiſit. Etenim cum Duci Borſio conuenta hæc inter ciues eſſent ignota, propter Sforcianos autem vicinos properantius ad fines monſtratos poſtulata præſidia cogeret, creditum à nonnullis eſt, continuato itinere Florentiam illa contendere. Quapropter re primum Bononiæ cognita, atque inde Petro per fautores quoſdam tumultuoſius nunciata, in antiquam contentionem omnia rediere. Subito enim eo nuncio perturbatus, ac plane ſe proditum credens, collecta vt potuit vicinorum agreſtium manu, in vrbē cum iam eo die veſper eſſet referri ſe imperat, cōuocatiſq; amicis, iiſq; ad reſiſtendū cōfirmatis, litteras in omnem partem quanta maxima celeritate poteſt dimittit, quibus clientelæ ſuæ in hunc caſum antea excitatæ ad ſe vocarentur. Sfortianos quoque, vbicunque eſſent, accelerare Florentiam iubet: nec ſecius interim pro diei tempore ædes præſidiis firmat, nocti inſtanti timens, per cuius occaſionem ad ſe impetum facturos aduerſarios iudicabat. Lucas autem nil ſibi ſuiſve conſcius, trepidationem hanc Petri, & ſtudium magnopere mirabatur, reputans nihilominus animo, ex compoſito forſan ſimulari hunc metum, vt meditata deceptio ſine perfidia videretur impleri: domum & ipſe ſuam communit, ſtudioſoſq; litteris velocibus aduocat. Noctem eam totam vtrobiq; metus fuit, & inſidiarum ſuſpicio. Mane diei ſequentis ex Bononiēſibus litteris, quas Petrus excuſandi tumultus gratia miſerat ad Senatum, cauſa intellecta, cum hi falſam formidinem magnis obteſtationibus affirmarent: ii vero ad perniciem ſuam properare Borſianos contenderent: ſummus magiſtratus Petrum & Lucam ad ſe illico vocat, cumq; affuiſſet ſine mora Lucas, pro Petro autem languoris excuſatione filii adueniſſent, docet ſine cauſa ſumpta eſſe à partibus arma, neq; à Luca Petro, nec Lucæ ab illo quicquam eſſe timendum. Proinde ea deponant, in fide quę paulo ante accepta & data permaneant. Ante omnia vero clientelas remittant, quæ ſine maleficio eſſe in ciuitate non poterant. His Senatus exhortationibus cum ab vtriſq; benigne aſſenſum eſſet, oblata rurſum ſecuritate complexi ſe inuicem ſunt, ac oſculati. Placuit quoq;, quo tutior Petro fides eſſet, Loyſium Lucæ fratrem ad Borſianos celeriter mitti, qui diſſolui copias & reuerti domum ſine mora curaret. Per hunc modum paululum interquieuit ſuſpicio imminuta magis quàm ſublata, & ſimul vtrinq; dimiſſa præſidia ſequenti die nouis iterum rumoribus de Borſianis allatis, quibus metus magis quàm res haberi fidē cogebat, reuocantur. Clientelæ à Petro, quæq; ex longinquioribns locis adeſſe iam cœperant, intra ciuitatem recipiuntur. Idem à Luca fit, eo tamen remiſſius, q. Petrum confidebat intellecta tandem rumorum temeritate deſiturum tumultuari. Circiter primam autem noctis vigiliam Nicolaus quidam ex Soderinorum familia, quo nuper magiſtratum ſummum gerente, decemuiratus, quem dixi, fuerat abrogatus, & graues in Petrum habitæ conciones, veritus ne inter has moras aduerſa factione adaucta, id quod per horas ſingulas nunciabatur, ſuæ imparatæ migrandum eſſet, homo lingua & manu promptus, armata ex vicinis textrinis ad trecentorum Germanorum manu, tumultuoſius ad Lucam venit, irrupturus eodem veſtigio ad Petrum, ſi fuiſſet permiſſus: ſed Lucas, cui ambitioſior adhuc natura erat quàm ferocior, recogitans merita in ſe Coſmi, quibus in tantum magnitudinis creuerat, volenſq; his ſuis conatibus deprimi Petrum, non pelli ciuitate, Nicolaum apud ſe retinuit, egitq; vt dimiſſis Germanis nocte illa quieſceret. Audito hoc motu Petrus, vehementer rebus ſuis pertimuit, videns nondum ſatis præſidii ſibi eſſe aduerſus popularem multitudinē ciuitatis, quæ libertatis ſtudio excita haud dubie pro Luca erat futura. Igitur poſtridie ex aſſertoribus Petri quidam, quibus apud Lucam fides adhuc aliqua manſerat: agnoſcentes hoc noctis indicio nil crudele mentem illius agitaſſe, bona ſpe molliendi etiam magis animi ad eum accedunt, laudant diligentiam hominis, qua & retentus Nicolaus ſit, & ciuili ſanguini parſum. Prædicari aiunt tota vrbe eam patriæ charitatem, nec multos iā annos factū ciuile illuſtrius accidiſſe: Petrum quidem quod ad ſe attinet, gratias omni-

um maximas agere, parentemq; illum alterum defuncto Coſmo ſibi ſta[illegible] roga- re autem vt malis ſuaſoribus poſthac fidem non habeat, quorum artificiis factum [illegible]deat, vt duæ coniunctiſſimæ domus, vnum autem ſentientes, magnis Reip. de[illegible] mentis in hanc contentionem adductæ ſint: Angelum quidem & Detiſaluium no[n] id agere, vt pulſo Petro principem eum ſequantur: ſed vt ambobus in contentione occupatis, ipſi cum populo ſentientes operentur exilium: Eius rei argumento eſſe quod neuter eorum his tumultibus proximis ad eum armatus conuenerit, cum a Nicolao & cæteris ſtudioſe id ſit adimpletum. Talibus per horas ferme ſingulas Lucæ inculcatis (ſummittebantur enim à Petro noui ſedulo ſuaſores) tepefacta multum eius eſt mens, atque eo adducta, vt depoſita iam contentione, amica in Petrum omnia cogitaret. Erat magiſtratus ciuitatis, qui ex nouem ciuibus conſtat, Lucæ tunc quàm Petro fauentior: amicorum tamē Petri ſic munitus numero, vt ſatis ad ea impedienda eſſet, quę contra eum cogitarentur decerni. Sed is cum in fine iam eſſet, & noui conſtituendi dies appeteret, quem propter abrogatum decemuiratum ex tota vrbana multitudine ſorte duci oportebat, id propoſitum Petro fuit, vt ſi ex aliena factione dari eum contingeret, continenda ſibi arma putaret, quæ alioquin aduerſus Remp. præualitura non eſſent. Sin vero ex ſua, vim eo duce apertam tempraret, atq; eo quidē fidentius, quod remiſſo iam Lucę ſtudio, Angelo & Detiſaluio, quos ante alios formidabat, contentionis exitum expectantibus, Borſianis quoq; redire domum iuſſis, maiores quotidie ad eum copiæ confluebant, & Sforcianos, qui ad duo millia delectorum equitum erant, iter ad ſe ingreſſos conſtabat. Itaq; mox die ipſo Comitiorum cum fortuna ex eo ciuium genere magiſtratum dediſſet, quos Petrus nec ſtudioſiores ſui, nec aptiores ad nouandas res deligere ipſe poterat: conciderunt illico aduerſariorum animi, & Lucas quod conſilio cœperat: neceſſitate iam in Petri partes conceſſit. Itaq; collatis ambo conſiliis conuocandum in concionem populum, & rogationem ferendam conſtituerunt, quæ parlamentum vulgo dicta non niſi ſummis Reip. caſibus ferri eſt ſolita. Eius illud erat caput præcipuum, decemuiratum, quem dixi, ante omnia in ciuitate reſtituendum. quam quidem rogationem, & cætera quę victorum tulit voluntas, trepida plebs obſeſſo armis foro cōſuetis acclamationibus ſciuit. Octo viri etiam cuſtodiæ ciuitatis creati ſu[n]t: addita poteſtate quæ eiiciendorum & necandorum ciuium maxima permitteretur. Quæ omnia cum in caput ſuum Angelus, Detiſaluius, & Nicolaus fabricata intelligerent, iuſq; omnium ad vnum reductum, quem oderant ipſi, & acerbo in ſe odio eſſe cognouerant, vrbe excedentes fuga elapſi ſunt, ac mox relegati. Angelus Neapolim conceſſit, Nicolaus Ferrariam, Detiſaluius vero ad Bartholomęum Bergom[a]tem cognomento Colium profectus eſt, celebrem rei militaris Ducem, multiſq; officiis ſibi amicum. Lucæ autem, qui in ciuitate manſerat, honor, vt graui quondā aduerſario habitus eſt, ſed non vt beneuolo fides. Apud Bartholomęum igitur veniens Detiſaluius, de ſua, & cæterorum exulum reductione quotidianis ſollicitationibus agere cœpit, afferens plurima, quibus induci ad capeſſendam rem ambitioſi ſenis animum crederet. Oſtendebat enim gloriam præſtātis facti, quod tot Familiæ nobiles ſummis antehac functę honoribus, ſuo beneficio reſtitutæ in patriam dicerentur, quibu[s] nō peccatum, ſed ſola reducendæ libertatis voluntas eiectionis cauſam dediſſet: Ducum excellentium eſſe ſeruitutibus homines liberare, & oppreſſis leuamen afferre. Eam tyrannidem Petri eſſe, vt qui eam tollat, perpetuum laudis monumentum in tam celebri ciuitate ſit adepturus: Neq; vero tantum odii concepiſſe Florentinum populum in Mediolanenſium Ducem, quod pene excuſſum ſeruitutis iugum armis ſuis reduxerit, quantum ei gratiarum habiturus ſit, cuius virtute deiectum id videat: Nulla de re alia totam nunc Italiam loqui, lamentari omnes, & indigne ferre propagationem han[c] Florentini dominatus: fortunam quoq; exulum miſerari, quos & floruiſſe in ſua Rep. recordentur, & liberandæ ciuitatis cauſa indigne habitos videant: Proinde acer[]bitatis huius vltorem magnis affectibu[s] exoptare, qui ſi volente Deo futurus ſit, ipſe omnium procul dubio votis ac laudibus in hanc cauſam [illegible]oceſſurus. Addit & tranſigendi operis facilitatem: perturbatam adhuc ciuitatem: [illegible]tus potentes quàm plurimos qui ſentiant ſecum: Plebem autem odio præſentium rerum grauio-

Bartholomæus Colionenſ.

grauiorem motum al·quem expectare: Copiarum porro nil publice eſſe, vt quibus in longa pace opus non fuerit: priuatim collectitiam tantum turbam haberi prædę aptiorem quàm pugnæ: ærarium quoq; direptionibus inteſtinis exhauſtum cõparandis ſubito exercitibus importunum eſſe: Tributi autem ex priuatorum facultatibus conferendi non modo nomen aſperum eſſe: ſed rem quoq; in tanta alienatione ciuium ſeditioſam: quippe q, vnius tantum oppreſſuris ſui ſeruandi cauſa comparari exiſtiment. Memorabat inſuper ciuitates nonnullas & oppida Florentiam circumſiſtentia, quę in clientelis eorum ſemper fuiſſent, & magnis à ſe affecta beneficiis tenerentur, non dubie illato bello conceſſura ad antiquos patronos: ſperare Bartholomęum debere, ingreſſo tantum Florentinorum fines paritura vndiq; omnia, Petrũque popularis ſeditionis atq; aduentus ſui metu ſpontẽ ciuitate ceſſurum: Neq; vero aut Ferdinandi regis, aut Mediolanenſis Ducis timenda eſſe ſubſidia, quorum vterque auariſſimus eſſet, & vnius tantum Petri cauſa grandi bello nollet inuolui. Homo perſpicacis ingenii, qui infirma quæque ſuæ ciuitatis cognoſceret, atq; ex recenti adhuc auctoritate fidem teneret, his rationibus communem exulum cauſam facile perſuadet: eo autem facilius, quod iam ſenex Bartholomæus nullius adhuc memorabilis facti in tam longa militia nomen habebat, appetentiſſimuſque erat gloriæ, & grandem congeſtam pecuniam poſſidebat, quam filios non habenti procliue erat ad res gerendas conferre. Quia vero ſtipendiis Venetorum erat obnoxius: quorum totis præerat copiis, fidei ſuæ non ſtatuebat, militiam promiſſam dimittere, nec rurſum ſani conſilii iudicabat, illis non adiutoribus tanti motus fortunam tentare. Cuncta igitur, vt inter ſe & Detiſaluium tractata erant, ad eorum ſenatum ordine refert, docens ſi rem probant, atq; adeſſe velint, nil in eo moræ ad inferendum bellum futurum. Venetis non ingrata hæc nouandarum rerum occaſio accidit, videntibus aduenisse tempus, quod diu expectatum, vltro nunc fortuna offerret. Itaq; re in conſilium adducta facile ad dimittendum Bartholomæum: & incepta eius iuuanda animos firmant: Cuius quidem rei illæ proponebantur rationes, quod Ferdinandus Rex, Florentini, & Mediolanenſes odio ſui ſentire inuicem credebantur, pertinereq; ad ſuam ſecuritatem putabant, hanc trium potentatuum ſocietatem diſſolui, quam caſuram non ambigebant ſi reducti exules eſſent, non modo q, ſuo beneficio id fieret: ſed quod aduerſariorum maleficio nuper pulſi in gratiam redituri non viderentur. Ad hæc accedebat, q, Paulo Pontifice, Veneto licet, communẽ ſe contendentib. oſtendente, ſolos in Italia ſine cuiuſquã auxilio ſe relinqui videbant: idq; non modo ad rẽ, ſed ad hominum quoq; æſtimationẽ incommodum iudicabant. Angebantur porro ſuam remp. Turcorum bello implicitam magnis quotidie ſtipẽdiis exhauriri: Illos vero pulſis Italia Andegauenſibus vacuos negocio, gloria atq; opibus creſcere. Quamobrem miſſo ad Bartholomæum exuleſq; qui ad eum conuenerant, per alterius rei ſpeciem oratore, Senatus decretum clam renunciant, atq; vt belli ſuſcitandi auctores ipſi non videantur, à periculiſq; abſint: cum Colio agunt vt per exauctoratæ militię occaſionem ſuo atq; exulum nomine primo egreſſu bellum gerendũ pronunciet: Nec minus pollicentur in omnem eius caſum reliquis ſe copiis affuturos. Igitur rebus in hunc modum condictis, quàm maximum poteſt equitum ac peditum numerũ ſcribit Bartholomæus, omnibuſq; ad bellũ neceſſariis ſine intermiſſione ſe inſtruit, nunc in Neapolitanũ, nunc in Mediolanenſem ad diſſimulanda conſilia ductorum ſignificans. Ii vero de ſe minimum, de Florẽtinis autem tota cura ſolliciti, ne videlicet pulſo Petro ad amicitiã Venetorum adiungerentur, ac veluti repagulo interpoſitu quemuis eorum illis opprimendum obiicerent: conſeruandam ſibi eam ciuitatem, quacunq; poſſint ratione, conſtituunt. Mittunt ad Pontificem legatos, qui iniuſtam Bartholomæi cauſam proponant, alterumq; ab eo contendant, vt vel auctoritate ſua, qua apud Venetos plurimum poſſit, mali huius initia tollat, vel ſi id parum poſſit, in turbatorem pacis arma coniungat. Quibus cum reſpõdiſſet ille, deprecationibus & monitis ſe omnia temptaturum, belli autem ſocietatem, quam peterẽt, Romano Patri non conuenire: cuius munere diſſidentes filios eſſet, nõ propugnare: priuata ipſi inter ſe fœdera inierunt, quibus ad priuatos cuiuſq; caſus iidem omnibus eſſent hoſtes atq; amici. Vt autem ad propulſandum, non inferendũ, bellum inducta

ea oſtenderent,poteſtatem Pontifici ac Venetis fecere eorundem accipiendorum cum vellent,nec ſecius conducendis & ipſi militibus intendentes.Federicum Feretranum,ſummæ prouidentiæ Ducem,cuius virtus multis iam bellis cognita erat,cōmunibus ſtipendiis ſummæ rerum præficiunt.Omnium deinde animi cōfirmantur, qui venienti in Tuſciam Bartholomæo impedimento eſſe ac moræ poſſint: ratio denique militaris nulla omittitur,qua & dignitatem tueri,& violatorem quietis poſſint vlciſci.Imprimis autem,quia ex valle Lemonia breuiſſimus in agrum Florentinum tranſitus erat, placuit Feretranum in Flaminiam præmitti, qui eis in locis motum Bartbolomæi operiens,vel facturo iter per vallem occurreret,vel Piſtorienſi via deſcendentem Florentiam præueniret.Iamq; Aragonenſes copiæ nonnullæ in agrum Ariminenſem ad eum peruenerant,& maiores in diem ſubſequi dicebantur. Itaque Federicus non totis triginta turmis ac peditibus mille ex hibernis ducens, ſecundis caſtris in agrum Fauentinum peruenit,vnde in vallem patebat deſcenſus. Præfecturam illius ciuitatis pro Romana Eccleſia tunc gerebat Aſtorgius quidam ex Manfredorum familia, vir dubia fide,qui tamen in re militari nomen aliquod eſſet adeptus.faciebat autem eo tempore ſub Florentinis ſtipendia: quæ cum ad finem pacti temporis iam perueniſſent,eorum innouandorum ſic exploratam rem dederat, vt inter Duces ſuos iam haberetur. Verum cum mox Veneti opportunitatem loci magis quàm hominis virtutem ſecuti, quotidianis ſollicitationibus animum eius temptarent,& ſtipendia maiora promitterent, vſus ingenio ad eos defecit, cum tamen perfidia hæc clam adhuc haberetur. Quamobrem Florentini defectionis huius ignari,Oratorem cum ſtipendio venientis anni ad eum mittunt, nouum militiæ ſacramentum Reip.nomine accepturum. Sed ille comprehenſo Oratore & omni ad ſe per vim adducta pecunia,quod ex anteacta militia reliquum debebatur arbitrio ſuo ſibi perſoluens, inanem illum vexatumq; dimiſit. vtq; apertum ſe iam hoſtem oſtenderet,Federicum,quem antea parcis commeatibus iuuerat, locis nunc ſuis iubet excedere, Venetorum iam ſtipendia profitens. Quæ res ſocialium mentes plurimum perturbauit,Bartholomæoq; ad perficienda conata animum addidit. Ea enim erat loci,atque hominis opportunitas,vt eo manente in fide,aut de alio itinere cogitandum Colio eſſet,aut in Lemoniam non ſine magnis periculis deſcendendum. Vaſtare igitur eius agrum cœpit Fedeticus, eo grauiora inferens detrimenta,quod maturæ iam fruges in aruis erant,paſſimque pro commeatibus metebantur: Quod quidem Bartholomęo maturandi tranſitus cauſam dedit, timenti ob crebras, quæ ad eũ afferebantur,querelas, ne homo alioquin varius etiam impatientia incommodorum,noua interim conſilia caperet. Igitur aduentu hoſtis cognito, Feretranus, cum adhuc par viribus illi non eſſet,locum autem,in quo erat, non ſatis tutum arbitraretur,vlterius progreſſus loco munitiſſimo caſtra poſuit,eo quidem conſilio, vt copias ſociales,quæ iter dicebãtur ingreſſæ,minotibus periculis expectaret:nec tamen propoſitum tenuit,cum & eæ diutius tardarent quàm crederetur, & munitionibus Caſtrorum aduerſus potentem hoſtem fidendum non iudicaret. Itaque hunc quoque locum dimittens,inter oppidum cui Bononienſe cognomen eſt, & Imolam ciuitatem conſedit, quorum alterum Bononienſium ditionis erat,altera Tadei Manfredi, quos vtroſque pro ſocialibus ſentire tunc erat opinio.

Inter hæc Colius tranſmiſſo iam Pado in agrum Imodenſem peruenerat, atq; eis in locis caſtrametari parabat, vnde intercludere Feretranum commeatibus poſſet. Sed ille conſilium præuidens,prætérita Imola ad Pontem Legium progreſſus eſt,Bononiæ ad quartum milliare propinquum:quæ ciuitas multos iam annos Sfortianorum fidem ſecuta,etiam tunc veterem clientelam ſeruabat.dederat autem ſpem Colio Taddeus,cum adhuc in Tranſpadinis ageret, deficiendi ad eum, cum primum Imolam propius acceſſiſſet,putans tardatura nimium præſidia fœderatorum eſſe, & nullo interim defendente omnem ſibi quærendę ſalutis rationem honeſtam futuram.Nam antea ſine violatæ fidei ſuſpicione cum illorum faceret ſtipendia,non poſſe id fieri videbat,nec ſtatuebat ob leue militiæ commodum de ſumma rerum ſuarum periclitari.Verùm poſt paulo nunciis confirmatus, quibus ſignificabatur, Sforcianos ad fines agri Bononienſis iam perueniſſe, magnumq; equitum ac peditum

numerum

numerum ducere, Galcaz autem Sfortiam copiis totis præeſſe, Aragonenſeſque ducente Alfonſo Chiuara per Tuſciam properare, remiſſiora omnia cœperat Bartholomæus reſpondere: nec erat illi obſcurũ propinquitate auxiliorũ id prouenire. Quã ob cauſam grauiter indignatus, occupatis vno impetu Bubano, Mordano, & Bagnatia, quæ ſunt agri Imolenſis Caſtella, ad ipſam ciuitatem caſtra poſuerat, totiſque eam viribus cœperat obſidere: nec ſegnius per Taddei coniugis fratrem, qui apud ſe militabat, animum eius ad promiſſam defectionem ſollicitabat. Quod intelligens Federicus, timenſque ciuitati, quam non minus vxoris, quam mariti imperio regi ſciebat: ad oppidum celeriter regreſſus: quod Beati Petri dicitur: ſeptimoque ab hoſte miliario aberat: ſeptingentos notæ audaciæ prætorianos: cum iis equites centum Imolam iubet contendere, qui vrbem ingreſſi præſidio contra obſeſſorem ſint, & in officio Taddeum contineant. Illi vero, etſi vndique circumfuſo exercitu operoſam rem cognoſcebant: tamen virtute vſi, obnitentibus fruſtra obuiis imperata fecerunt. Quæ res omnem defectionis, atque obſidionis rationem Bartholomęo reddidit duriorem. Inter hæc nunciatur Sfortianos, & Aragonenſes, quos dixi, Bononiam propinquare, numerumque omnem credi ad turmas delectorum equitum ſexaginta, peditumque milia circiter duo, quæ quidem biduo illo debeant Federico coniungi, & ad liberandam obſidione Imolam properare. Non putauit eum impetum expectandũ Bartholomæus, ſciens equitatu, qui nondum totus ad eum conuenerat, inferiorem multo ſe eſſe, nec niſi aduerſis cõditionibus in conſpectu inimicę ciuitatis geri rem poſſe. Itaque relicta Imola, in ea caſtra recepit exercitum, quæ ab initio Federicum metatum prędiximus, cum ad ſe ire Colium intellexit, putans propter propinquam Fauentiam ſubuectiones omnes rerum neceſſariarum ſibi quàm hoſtibus expeditiores futuras. Sed cum illi dimicandi cupidi mox affuiſſent, locaſſentque ita caſtra coniuncta caſtris, vt vallo tantum, ac foſſa diuiderentur, veritus ne in tanta vicinitate vel neceſſario decernere cogeretur, vel turpiter continere exercitum, per ſpeciem oppugnandorum locorum hoſtilium Caſtrocarum Florentinorum oppidum contendit, eo fidentius obſidionem aggreſſus, quod inter Fauentiam, Forliuium, Rauennamque medium, inimica fœderatis loca, ſuperiora omnia ſibi efficere videbatur. Sed hoc eius conſilium intuitus Federicus, recepto primum Bubano, quod aduentu hoſtium fuerat occupatum, & firmo illic præſidio conſtituto, ad premendam obſidione Fauentiam conuerſus eſt, caſtraque eo in loco conſtituit, vnde quotidie & pugnare in portis, & vaſtare late omnia, reliquumque quod in agris ſegetum erat, poſſet aſſumere. quibus incommodis iterum adductus Bartholomęus, maxime quod ab Aſtorgio diutius ferri non poterant, timendumque erat, ne dolore tantarum iacturarum impulſi ciues, ciuitatem hoſtibus dederent. Venetis quo in loco res eſſent ſtatim perſcribit, aduerſariorum vires, ac ſuas proponit, docetque in tanta tenuitate copiarum non modo illos diſtineri non poſſe, ſed ne ipſum quidem ſine detrimento in propinquo conſiſtere. Proinde orat, quas contrahere vndique poſſint copias ſine mora ad ſe mittant: futurum breui, ni ita agant, vt magnis ſuę Reipublicę incommodis exercitum reduci trans Padum oporteat. His nunciis permoti Veneti, quorũ magis quam Bartholomęi, vel exulum agi cauſa iam videbatur: tempore non interpoſito mittunt ad Alexandrum Sfortiam, & Herculem Eſtenſem, nonnulloſque militares eorum Præfectos, qui magnis obteſtationibus agant, vt quanta celeritate poſſint ad Bartholomæum conueniant. Ipſi quoque priuati ſtipendii omnes, qui in hibernis adhuc reliqui erant, eodem iubent contendere, legatumque ex ſua nobilitate adiiciunt, qui ad exercitum veniens ſpectator omnium quæ fiant, & cognitor ſit. Hac auxiliorum ſpe recreatus Bartholomæus Fauentiam pręmittit, qui aduentum eius ſignificent, moxq; ipſe cum toto exercitu ſubſecutus, ad muros ciuitatis conſedit, loco ſic opportuno, vt cum liberi ſibi ad hoſtem impetus eſſent, ipſe tantum nec offendi vlla vi poſſet, nec inuitus ad dimicandum compelli. Expectabantur his in caſtris imperata auxilia, nec interim militum cuiquam exeundi ad pugnam fiebat poteſtas, cum tamen ad munitiones vſque inſtructi hoſtes ſæpe accederent, & decertandi copiam facerent, quod profecto moleſtiſſime ferebant Coliani, dolentes timiditatem, & ignauiam aſſiduis vociferationibus immerentibus exprobrari. Poſt vigeſimum tandem diem Alexan-

der Sfortia cum omni euocatorum numero peruenit in caſtra: qua acceſſione cũ numerus equitum iam pene par eſſet, peditum autem ſuperior fuiſſet, viſum Bartholomæo eſt fidentius ſe hoſti oſtendere. Erant cuiq; eorum turmę equeſtres circiter nonaginta: Bartholomęo autem peditum milia ſex, Socialibus tria, fereq; ex omni Italia militares copiæ, quę vbiq; erant, paucis exceptis, in bina hęc caſtra conuenerant. Fiebatq; operæ precium intueri præſtantes vtrinq; Duces, atque omnium rerum inſtructiſſimos exercitus, in quorum dextris quatuor maximarum ciuitatum fortunæ non dubie gerebantur. De ſocialibus tamen maior erat virtutis opinio, quod ex vetuſta Sfortianorum, Brachianorumq; militia videbantur electi. Apud Bartholomæũ vero quod potiſſimum erat, id ex veteranis quibuſdã fiebat, qui longa ſub eo ſtipendia fecerant. iis addebatur Alexander, quem dixi, multis in Italia bellis nobilitatus: quo etiã Duce quadriennio ante Iacobus Picininus Andegauenſium Dux apud Troiam Apulię fuerat profligatus: tunc autem ex indignatione aduerſus Ferdinandũ concepta Venetos adiuuabat. Igitur Socialium copiæ, quæ trigeſimum iam diem iiſdem in caſtris deſederant, ſiue quod auctis hoſtibus alienum locum timerent, ſiue quod proximis quibuſque conſumptis longius cum periculo pabulari eſſet neceſſe, mouere inde inſtituunt, atque ad obſidendũ Mordanum oppidum proficiſci, eo conſilio, vt ſi inſecutus Bartholomæus decernere æquo loco vellet, pugnę temptaretur fortuna. Prius tamen leuia quędã prælia commiſſa ab equitatibus ſunt, in quibus Forliuii præfectus Pinus, graui accepto vulnere pene eſt interceptus. Bartholomęi quoq; exercitus dolis temptatus. Triduo etenim ante diſceſſum pronunciato more militari in diem ſequentem abitu, mane ad egreſſus oſtentationem tabernaculis detenſis, ſarcinas collegerunt, & frequentes fumos ad ſtationes militum excitauere. Ipſi interim ad pugnã inſtructi intra vallum ſe continebant, vt ſi Coliani oppugnaturi extremũ agmen effuſo, vt fit, exercitu ſequerentur, in eos incidentes facile perturbatos opprimerent. Sed cum Bartholomæus inſidias veritus, ippotoxotas tantum quoſdam ſpeculatum quæ fiebant miſiſſet, iique propius caſtra accedentes conſilium agnouiſſent, fruſtrata illorum ſpe, ſine detrimẽto ad ſuos reuerſi ſunt. Poſtridie ad verum moturi caſtra edixerunt Duces, ne qua in diſceſſu tabernacula incenderentur, tubarumve fieret ſignificatio: ſed contempto edicto, vt in multitudine accidit, aut minus intellecto, accidit mox, vt paucis quibuſdam incenſis flamma illico vento delata, quicquid tabernaculorum vbique fuit apprehenderet: quo factum eſt, vt denſitate fumi, atque ignĩu proſpectu adempto, paſſim cuncta tumultibus replerentur. Obtulerat ea perturbatio bene gerendæ rei occaſionem Colio, ſi fortunæ beneficio vti potuiſſet: Sed dum vel ætate, vel conſilio remiſſius adminiſtrat cuncta, magiſq; ad ſe tuendum, quàm propugnandos hoſtes intentus eſt, impune illis hunc caſum permiſit. Igitur Federicus non vltra vicum progreſſus, qui Beati Proſperi nuncupatur, ſequenti die meridiano tempore Mordanum acceſſit, bombardiſque Bononia accitis, munitionumq; dimenſo opere, obſidionem acerrimam præparabat, id volens vt ad ignominiã retenti tot dies, ſine pugna exercitus etiã Mordana expugnatio, quę ante oculos fieret, Bartholomęo ad dedecus adderetur. Sed conſiderans ille, quanti ad opinionẽ hominum ea res pertineret, motis & ipſe caſtris ad oppidum Salarolum Fauentinæ ditionis proceſſit, miliaribus quinque Mordano propinquum, credens in tanta caſtrorum vicinitate Federicum tepidiorem ad oppugnãdum futurum. Sed huic conſilio opportunius aliud fortuna adiunxit: etenim præſidium militare, quod Bubani à Socialibus impoſitum diximus, nullo interim coercitum imperio, aſſiduis detrimentis oppidanos affecerat, fueratque per ſingulos dies ea rerum iniuria, vt non alio iam quàm hoſtes loco habiti viderentur. Quod illi cum ferre vltra non poſſent, de ſecunda ad Bartholomęum defectione miſſis nunciis agunt, moxq; compoſitis inter ſe omnibus, Nicolaum quendam ab oppido Medicina Colianæ turmæ præfectum, intra oppidũ noctu recipiunt, & Bartholomæo ſe dedunt. Quo ex tempore non mediocris fieri cœpit rerum conuerſio: ita vt qui antea tam audacter fuerant inſecuti, iniecto metu nunc cederent. Etenim vno eodemq; nuncio certiores facti Bubanum in poteſtate hoſtium eſſe, quod breui interiecta planicie duobus tantum miliaribus aberat, & Bartholomæum motis ante lucem copiis inſtructo agmine propinquare, nullo ad cognoſcendum ſumpto

ſpacio

ſpacio ſublatis tentoriis ad vicũ, quem dixi, Beati Proſperii trepida fuga reuerſi ſunt, atque ita ſub Imola conſedere, vt primorum tabernacula pene muros contingerent. Bartholomæus Bubanum prætergreſſus non eſt. Eam quam ſecuta eſt, noctem totam Sociales ſub armis egere, rebus ſuis ita timentes, vt cum pauci quidam, vt fit, in nonnullos impetum feciſſent, qui nouiſſimo loco temptoria fixerãt, toto exercitu ſit trepidatum. Poſtridie Mediolanenſium Dux annos viginti & ſex natus, qui per eos dies ad Bartholomæi caſtra ſe oſtentans, iactantia iuuenili ſæpe illum ad pugnam vocauerat, cum pridianæ fugæ repugnantibus cæteris auctor fuiſſet: tunc autem propter vicinam Imolam auxiſſet metum, quã ad Bartholomæum in noua fortuna conceſſuram putabat, à Tadeo contendit, vt obſidem ad ſe filium mitteret, negans alia conditione eo in loco diutius permanſurum. Quod ille cum præter eius expectationem ſine mora egiſſet, formidine non tamen depoſita, relicta in diſcrimine amiciſſima ciuitate, nullo indicto militibus ordine, profligato aſſimilis ad Caſalecium venit miliario decimo à Bononia poſitum, quo in loco licet vndique ab hoſte tutus eſſet, quoſdam tamen ex ſuis rogaſſe fertur, an & ibi extra periculum eſſet. Hoc ab iis ego dictum cognoui, qui requirenti & trepido affuerunt. Moleſtiſſima ea res Federico, totique exercitui fuit, ſatis intelligenti his iam duabus perturbatis fugis partam ante eam diem æſtimationem pene amiſſam, biſque vniuerſum exercitum vano metu in diſcrimen adductum, aliena cunctatione magis quam ſua prouidentia conſeruatum. Sed non minus de venturis anxius erat, quam de præteritis angeretur. Videbat enim illo præſente: nil à ſe vel quoquam adminiſtrari vtiliter poſſe, quod dignitate & numero militum cæteros antecedens obtemperari ſibi in omnibus poſtularet, animoq; in periculis trepido retineri ad perſiſtendum non poſſet. Accedebat impatiens militiæ valetudo ſua magis, quam eorum pro quibus pugnaret captans commoda: mens quoque ad explendos affectus omni licentia præceps. Quibus incommodis adductus Federicus, ſimul quod ſpem ſalutis in ſe vno poſitam ſentiebat, ſine mora Florentiam mittit, qui paucos principes ciuitatis ſecreto alloquantur: doceantque quanto periculo bellum geri neceſſe ſit, ſi Dux agat in caſtris, etenim vel turpiter cedendum eſſe ſemper, vel incommodum graue aliquod capiendum. Proinde dum tempus eſt, communibus rebus proſpiciant. Florentini, qui aliunde eandem difficultatem cognouerant, differendum non rati, per ſpeciem captandi ſecum conſilii, cum Duce agunt vti relicto in caſtris exercitu mature Florentiam veniat, futurũ aientes ſua præſentia vt de tota ratione proſequendi belli, ſoluendorumque ſtipendiorum, quæ alioquin grauia viderentur, deditiſſima illi ciuitas conſtantius ſtatueret. Quod quidem ignarus rei iuuenis cum libenter egiſſet, adminiſtratio tota ad Federicum conceſſit. Interea Bartholomæus Sfortianos inſecutus ad Caſtellum Guelfum acceſſerat, non totis quatuor milibus paſſuum à caſtris hoſtilibus diſtans. Erat per eos dies frequens opinio parare illum in agrum Parmenſem irrumpere, quod ſummo in Ducem odio eſſet, à quo impedita ſua conſilia cerneret, & ab altera factionum quibus ea ciuitas ſæpe diuiſa eſt, vocari iudicaretur. Eam ob cauſam Federicus ad Ricardinam fluuium ſubito illum præueniens, in vlteriore ripa, quæ Occidentem reſpicit, caſtrametatus eſt, tranſitu quoad poſſet venientem hoſtem prohibiturus. At Colius biduo tantum iiſdem in caſtris moratus, tertio die copiis eductis ad eandẽ Ricardinam tendebat, poſiturus & ipſe ad citeriorem ripam caſtra. Hoc aduentu cognito, Federicus æſtimationis ſuæ non ſtatuens ad eundem fluuium hoſtem conſiſtere, ſubito exercitum omnem produceit, turmiſque in aciem compoſitis aduerſus Bartholomæum, cum eſſet paulo poſt Solis ortum, contendit, equitatui fidens, qui in patentiſſima ac nullibi impedita planicie ſuperior videbatur futurus. Læua Orientem verſus ibat Federicus: dextra in Occidentem veniebar Bartholomæus, quod latus & paludibus, quæ ad Padum vicinum pertinent, & locis editioribus pediti quàm equiti aptius putabatur. Ea viæ diuerſitate factum eſt, vt cum vterque ſe ſuo loco contineret, neuter in alterum antemeridiano tempore inciderit. Progreſſus ad milia paſſuum ſex, Feretranus exercitum reduxit in caſtra, putans ea die Bartholomæum mutato conſilio ad caſtellũ Guelfum manſiſſe. Exarmati itaq; erant iam milites, & curandis corporibus dabatur opera, cum ſubito ab exploratoribus, qui in eam partẽ præmiſſi erant, affertur, primas

hoſtium copias Alexandro Duce ad fluuium perueniſſe, & Bartholomæum cum omni peditatu confertaq; equitum acie ſubſequi: locum autẽ ſtatuendis caſtris ad duo milia paſſuum inferius delegiſſe. quo intellecto, Federicus non expectandum ratus, donec ſtationibus iam collocaris difficilior oppugnandi ratio fieret, armari ſubito exercitum iubet, turmaſque in aciem ſtructas antecedentem ſe ſequi. ipſe ripam ſuam obſeruans in hoſtem ducebat, omnibus ad pugnam ordine præparatis. Alexander primo aduentu ſuo de hoſtium cõſilio veritus id quod mox accidit, agere adhuc omnes ſub armis iuſſerat, donec cum reliquis veniens Colius tutam figendorum tabernaculorum facultatem præberet: ſed illi, vt in noſtrate hac militia ſæpe contingit, imperio non obſeruato, ad curã procurandæ quietis depoſitis armis ſe verterant, paucis omnino exceptis, quos non tam Ducis non ſui metus, quàm facti dedecus in officio continebat. Iter diei illius ad milia paſſuum viginti Colianis militibus fuerat, menſe quidẽ Iulio, cum immẽſiſſimi æſtus eſſent. Huc addebatur, quod hora diei iam nona nemo vel ſui, vel equorum curandorum habuerat facultatem. Igitur Federicus vt hoſtes ad alteram ripam in conſpectu habuit, Alexandrumq; proſpexit magno ſtudio in aciem turmas reducere, exque numero equitum ac peditum, qui ſecum venerant, opportunis locis præſidia collocare, vocatis ad ſe celeriter militaribus præfectis, digitumq; in Colianos intendens, Hi, inquit, commilitones, quos videtis, hoſtes noſtri ſunt. Ad pugnam inuitus venio, noſcens quanta vnum in diſcrimẽ adducam: ſed quando huc loci proceſſimus, neceſſitate meo iudicio eſt dimicandum. etenim ſi conuertimus aciem, aut inſequentur illi nos, ſi viri erunt, cedenteſq; opprimẽt: aut ſi abire permittẽt, hoc erit factum noſtrum apud omnes infamius, quod in eos pugnare non fuerimus auſi, qui terga noſtra timuerunt. Bono eſtote animo, ac fortiter dimicate. Melior noſtra in hoc prœlio conditio, quam hoſtium eſt. Defatigati illi & ieiuni arma non ſuſtinent: nos curatis corporibus ad pugnam integri venimus. ſine lege illi, vt video, huc & illuc errant: noſtri omnes ad ſigna ſe cõtinent. Eſtote memores antiquæ virtutis fideiq; his datæ, pro quorum libertate arma ſumpſiſtis. Id præſenti bello à Venetis quæritur, vt ereptis quæ poſſident cæteri, in eorum ſeruitutẽ cuncta perueniant. Nos vt dignitatẽ & fortunas iis conſeruemus, qui in pace agentes aliena ambitione in has difficultates adducti ſunt. Sperate Deum tantæ iniquitatis in hoc prælio vltorem futurum. Dum hæc à Ducibus agerentur, Prætoriana Aragonenſium cohors, quæ ad alteram Ricardinæ ripam ſtationem habebat, pariter cum equitatu progreſſa, in hoſtes iam impetum fecerat, & ad munitiones eorum vehementer pugnabat, loco tantum ſe continens, qui inter ripam, & perpetuas agrorũ ſcrobes medius linquebatur. Nec ſecius à Colianis magno animo reſiſtebatur, quos Alexander tuendæ ripæ cauſa in eam partem dimiſerat. Roberto Seuerinati Florentinarum copiarũ Duci prima cuſtodia exercitus ea die more militari obuenerat, pugnandumque illi propterea ante alios erat. Igitur tranſmiſſo fluuio cohortemq; celeriter conſecutus, vbi vidit locũ, in quo certabatur, expletũ pugnatoribus eſſe, & nec ſpaciũ dimicandi ſuis relinqui, ſcrobes tranſgreſſus in agro vicino, quod grandi iam canabe ſatum erat, aliaſq; item ſcrobes Orientem verſus habebat, alterum cum Colianis prælium inchoauit. Eodem etiam tempore Robertus Vrſinus bellator inſignis ad turmas nonnullas delatus, quæ ad occidentalẽ ripam præſidii cauſa paulo inferius conſidebant, magnis eas viribus propellere nitebatur. Ita tribus in locis vno ferme tempore congreſſi hoſtes ſumma contentione pugnabant, nec alteri alteros loco poterant dimouere. Videns Federicus iuſto prope iam prælio decertari, & rem negligendã non eſſe, ad Canabem ſe illico cõtulit, vbi & hoſtium plus, & periculi eſſe videbat. Turmas autẽ omnes, quæ ſecum ad quinquaginta reliquæ erant, Corrado ex Ducibus Sfortianis vni regendas permittit: iubens vt, niſi à ſe vocaretur, nullam omnino ſineret Ricardinam tranſire. Alfonſum quoq;, qui, vt dictum eſt, ſummæ Aragonẽſium præerat, cum delectis equitibus ſubſidio Prætorianis iubet ſuccedere, quos premi iã ab hoſtibus apparebat. Horum Ducũ aduentu reſumpta validius à Socialibus pugna eſt, & maiori impetu cœpta res geri. At vero Alexander, qui ab initio frequentes nuncios ad Bartholomæum miſerat, quarto adhuc miliario ſubſequentem, celeraretq; illum monuerat, proſpectis, vt in tumultu licuerat, neceſſariis rebus, circuibat acies nomine appellans quemque, & ad pugnam

accen-

accendens. Turmas quoq; ex itinere venientes in eas partes ducebat, quę maioribus præſidiis videbantur egere. eos etiam qui tabernaculis antea procurandis exarmati erant, armati ſubito, atq; ad ſigna conuenire edictis continuis imperabat. Oppoſuerat autem Roberto Vrſino Deiphebum ex Anguillaria veterem familiæ ſuę hoſtem, & Alfonſo Ghuiarę Silueſtrum Placentinum ex Brachiana militia. Contra Federicum autem, & Robertum ipſe vt plurimum ſupra ætatis vim, & valetudinis procurabat. Dum in hunc modum acriter pugnatur, Bartholomęus iam cum reliquo equitatu, ac quatuor fere milibus peditum, quos ad impedimenta ſecũ habebat, maturato itinere in caſtra peruenerat, protinuſq; inſpectis omnibus quæ gerebantur: arces ex ſuorum numero confirmauit, atq; animum totis copiis addidit. Erat autem magna vtrinq;, vt in hac noſtra militia hominum cædes, ſed maior equorum, peditibus Colianis vndiq; circumfuſis, ex ſcrobibuſq; feretranos longuriis baliſtiſq; inceſſentibus. His vero minoribus Bombardis, quas Germanico verbo ſpingardas vocãt, ex vlteriori ripa in eos graſſantibus: hoc modo vſque ad duodecimam diei horam continenter pugnatũ eſt, cum ab ambobus de ſumma rerum ſæpe ſit dubitatum, & neutri mouere alteros loco potuerint. Feſſi autem erant omnes pugna ſimul & æſtu: ſed Coliani imprimis, quos præter incõmoda certaminis fames etiã, longiuſq; iuſto iter, languidiores reddiderat. Itaque primis iam intendentibus tenebris communi voluntate ſignum receptui datũ eſt, & pręlium diremptum. Coliani figendis tentoriis, curandiſque corporibus indulſerunt: Sociales in caſtra reuerſi ſunt. Mane diei ſequentis ambobus exercitũ recenſentibus repertum eſt à Federico quidem milites ducentos: equos vero ſupra ſeptingentos in prælio cecidiſſe: à Barthlolomæo dimidio fere plus hominũ, equorum autẽ ad eundem numerũ, minus vulneratorũ magna vtrinq; inuenta eſt multitudo: plauſtris poſtmodum in proximas ciuitates euecta: nam fere ſtrenuus quiſque qui pugnæ affuerat, aut ceciderat in acie, aut grande aliquod detrimentũ acceperat. In his Hercules Eſtenſis poſt multa fortitudinis edita opera deſinẽte iam pręlio ſpingarda ictus ad Borſium fratrem pene ſemianimis relatus eſt. pauci captiui pari vtrinq; iactura abducti ſunt. Intellectum eſt poſtea ab his qui rei militaris vſu iudicare hæc ſolent: haud dubie futuram fuiſſe apud ſociales eo die victoriam, ſi ab initio cum imparati ac perturbati Coliani erant: Bartholomęuſq; aberat, totis illos copiis eſſent adorti. Verum dum Federicus ſiue timore, quod de libertate Italiæ vno illo prælio decerni videret: ſiue conſilio: quod totum ſimul exercitum fortunæ obiiciendum non iudicaret, ferri in hoſtem differt: & quadraginta ſolas turmas ad pugnam adhibet: factum eſt, vt & cunctatio componendis præſidiis ſpacium Alexandro daret: & oppugnantium paucitas ſuſtineri facile à defeſſis pluribus poſſet. Eodẽ die Bartholomæus copias omnes in armis habuit: veritus ne Federicus turmarum quinquaginta fiducia quæ adhuc illi integræ erant: ad ſe impetum faceret: cuius omnem exercitum pridiano pręlio fatigatum ſciebat. Sed cum illum quoq; non inuitum quieſcere intelligeret: mane ſequenti longius ab hoſte abiens ad Molinellam conceſſit: opportuno ad quietem loco: & qui perpetuis à tergo paludibus; dextera autem & leua duobus fluminibus circumcluſus: vnum eumq; peranguſtum ad ſe aditum aperiret: Quem ille firmo præſidio muniens ab omni incurſu hoſtiũ, in tuto ſuos continuit. In his paludibus poſt dies aliquot magno apparatu pontẽ ſuperextruxit per quem via breuiori tranſmittere exercitũ poſſet: ſiue quod in Parmenſem, vt ante dictum eſt, ducere cogitaret: ſiue quod ea ſignificatione reuocari domũ Sfortianos vellet. quorum eſſe inter ſociales ſummã virtutem cognouerat. iamq; impedimentorum plęraq; ad præparatas ſcaphas erant conuecta. Quo metu illi adducti relicta ſine mora Ricardina: ad pontẽ Poledranũ paulo ſupra Bartholomæũ ſe contulerant: vel prohibituri illũ tranſitu ſi conaretur: vel ſi diuerſum cœpiſſet iter, Parmã ante venturi, quã ad nouandas res excitatã conſtabat. Erant autẽ hæc ad pontẽ caſtra ſic Colianis incommoda, vt cum pabulari anguſtiſſime cogerentur: tum neceſſariorũ cauſa progredi longius ſine detrimentis nõ poſſent. Interea Mediolanenſiũ Dux crebris matris ſuę litteris, quæ adminiſtrationi ducatus abſente illo præerat, Mediolanum reuocabatur: acceperat enim de Bartholomæi conſiliis, proximoſq; Sabaudienſes Venetorũ impulſu ſumpſiſſe arma: atque ab Alpibus imminere nunciabantur. Quamobrem Florentia confeſtim diſcedens, atq; ad ſuos reuerſus, Fe-

dericum cæteroſq; trepidationibus quotidianis coegit, vti ad fines agri Bononienſis occidentem verſus procederent: ſupraque Semogiam amnem conſiderent: vnde ſibi quam hoſti breuior in Parmenſem reditus fieret. Quo diſceſſu factum eſt vt Coliani, qui propter vicina prius caſtra magnis difficultatibus premebantur, eis iam longe poſitis expediendorum omnium acciperent facultatem. Eo quoq; in loco dies paucos moratus, validiſſima Sfortianorum parte abducta Parmam contendit ſumma Florẽtinorum indignatione, ac Regis, qui ſupra modum dolebant breuiſſimi temporis impatiẽtia, quo apud Poledranum nullis precibus retineri potuerat, partam pene victoriam de manibus cecidiſſe, cum Bartholomęo neceſſariorum iam inopia quam vltra decimum diem apud Molinellam ferre non poterat, aut domum tranſmiſſo Pado redeundum eſſet, aut Rauennam iactura exercitus concedendũ. Hæc cum apud vtroſque rerum eſſet conditio, interuentu interim Borſii ducis induciæ certorum dierum inter eos ſunt pactæ, addita lege, qua tamdiu illæ putarẽtur valere, quoad militari more alterutris remiſſę ab alteris eſſent. Quibus induciis quietura omnia in hyemem vſque facile videbantur, niſi à Ferdinando Rege miſſa iterum pręſidia earum tollendarum occaſionem dediſſent. Etenim ille qui ab initio variam Mediolanenſis mentem intuitus, timuerat ſemper ne iuuenili impetu aliquo, cum maxime præſentia ſua opus eſſet, copias intra fines reduceret, atq; ita exinanitum exercitum hoſtibus proderet, florem equitum, qui apud ſe reliquus erat, redactum in turmas quatuordecim maiori natu Alfonſo filio ducendum ad Federicum tribuerat. Hanc itaq; manum cum properare ad ſe per Tuſciam Colius accepiſſet, motis ſubito à Moinella caſtris, eodẽ quo venerat itinere Bubanum regreſſus eſt: Quem non multo poſt, Sociales coniunctis iam copiis ad Seluſtam fluuium ternis ſtationibus ſunt conſecuti. Cumque in proximo locaſſent caſtra miſſo ex conſuetudine caduceatore inducias hoſtibus remiſerũt. Bartholomæus Bubano dimiſſo Bagnariam primo: mox in agrum Rauennatem reduxit exercitum: transfugiis ad hoſtem continuis maxime diminutum. Sociales Venetorum fines non auſi contingere, ne apertum intuliſſe bellum iudicarentur, Fauentiam iterum conuerſi: ex valle opulenta, quæ à decurrente flumine Senia nuncupatur, intactaq; in eam diem erat, quotidianis excurſionibus prædas innumeras adducebant, cuius cuſtodiæ cum Aſtorgius aduerſus tantum exercitũ ſatis non eſſet, miſſi à Bartholomæo equites nonnulli ſunt ac pedites, qui poſt paulo in turmas ſocialium incidentes turpi fuga ſunt diſſipati. Exin Federicus oppidulis quibuſdã hoſtium oppugnatis, quibuſdam ad deditionem temptatis, cum nullibi conatus ſuccederent: imbribus autem aſſiduis ac peſtilentia fatigati milites deduci in hiberna tumultibus flagitarent, parte copiarum in agro Bononienſi dimiſſa Sfortianis ad Ducem redire iuſſis, reliquos ipſe in Tuſciam hiemandi cauſa deduxit: quorum mox diſceſſu Bartholomæus liberam occaſionem nactus, Douadulam Florentinorum oppidum dies aliquot oppugnauit, ac tandem ea potitus eſt, vbi præſidio impoſito in Rauennatem & ipſe ad hiberna conceſſit, Socialibus ſero iam auxilium miſſis. In ea oppugnatione, Siluester, quem dixi, ſaxo de muris ictus, curato negligentius vulnere paucos poſt dies interiit, maiore damno obitu tanti viri accepto, quàm Douadula occupata illato.

IACOBI VOLATERANI CARDINALIS PAPIENSIS COMMENTARIORVM LIBER QVARTVS.

Pontificis Pauli exercitus.

TOTAM eam æſtatem Pontifex Paulus copias ſuas, quæ ad duo millia equitum erant, ad Ceſenam Flaminiæ ciuitatem cōtinuit, monens Ducem earum Neapoleonem Vrſinum, vt tantum fines a maleficiis petentium, late commeatus cuſtodiēs, quid agendū amplius eſſet paratis omnibus expectaret. Cogitabat autem ciuitates nonnullas eius prouinciæ, quę partim peccato poſſidentium ad ius noſtrum redierant, partim neglectis Pontificibus alienam fidem erant ſecutæ, in poſſeſſionem veterem reuocare. Idque in tanta rerum perturbatione oblaturum ſibi caſum aliquem iudicabat. Maxime autem ad Forliuienſem intenderat animum, quòd præfectus eius Pinus, quem dixi, necato per ſcelus fratre, dominatum paulo ante inuaſerat, & plerique intus ciues quotidianis incommodis fatigati, redire ad Eccleſiam cupiebant, nunciiſq; occultis de ſe dedendis agebant. Ad eam vero rem quod in proximo Venetorum eſſet exercitus, ſolę ſuæ copiæ ſatis non videbantur. Itaq; occaſiones captabat ſedulo, quibus neceſſitate aliqua ſociales ad coniungendos exercitus, recipiendumq; Forliuium poſſent induci. Spōdebat autem eo facto ad finem vſq; belli totis ſe eos viribus adiuturum, per cuius acceſſionem certam habituri victoriam viderentur. Sed ea cōditio cum ab initio Socialibus placuiſſet, mox diſſuadente Federico accepta nō eſt. Etenim habens ille Vicarium ab eccleſia dominatum, cumq; propinquum Forliuio noſtrā omnem eis in locis vicinitatem detrimentoſam ſibi putabat, huicq; rei ob eam cauſam magnopere erat aduerſus. Videns itaque Pontifex, exercitus iam in hiberna reductos: recuperandarum autem ciuitatum ſpem non ſupereſſe, quod fere omnes in clientela Venetorum poſitæ etiam à Socialibus per hæc conſilia iuuarentur, ad componendam pacem curam conuertit, veritus ne ſi aliis procurantibus per inſtantem hiemem ea conſtitueretur, hoc eſſet deterior ſua omnis conditio, quod tollendis ab initio diſſenſionibus cum ortæ ſunt, non multum intendiſſe putatus eſt, & ab alienis non vtique, vt à ſe ipſo rem Eccleſiæ procuratum iri videbat. Igitur Legatos potentatuum, qui in eam diem apud eum otioſi deſederant, & cum iis patres nonnullos ad id dudum electos conuocare ad ſe ſtudioſius cœpit, totoſque huic vni rei dies impendere. Verum quarto iam in his menſe abſumpto, ſiue quod cōueniri aliter inter legatos non poſſet, ſiue q. Venetorum ſuperiore æſtimatione deponi bellum optaret: indicere ipſe ſuis conditionibus pacem conſtituit, putans quaſcunq; tuliſſet, eas Sociales continuandi belli metu in beneficio habituros. Itaque relicto iam electorum Patrum conſilio miniſtris ipſe occultis diplomata conficit, tanto omnia tegens ſilentio, vt quid edicturus tandem eſſet, nemo ne ſigno quidem, ante recitatæ rei horam poſſet accipere. Ad recitanda quoq; diplomata diem celebrem purificatæ Matris Domini elegit, atq; ad ædē Capitolinam aſcendit, quæ Ara Cœli vulgo dicta, à minoribus Cœnobitis incolitur. Recitandi inſuper negotium, quo maior adiiceretur auctoritas, Diacono Cardinali in ſacra veſte, & mitra ex edito loco attribuit. Legatos deniq; omnes adeſſe iuſſit, quaſi quæ mandarentur ſua præſentia accepturos. Qui triſte aliquid occultis reb. ſubeſſe timentes, etſi conuenire ab initio recuſaſſent, tamen ne perturbarent Pōtificem, dicto audientes fuere. Erat magna hominum expectatio, in quam ſententiam tātus hic apparatus euaderet: diuerſa a diuerſis commemorabantur: omnium tamen eo tendebat ſuſpitio, vt Venetorum rem magis quàm Socialium crederent procurari, quod Venetus ipſe ſuorū ſtudio teneretur, & propter impedita Forliuiēſis rei conſilia, minus iam in cōſilia eſſet propē-

Pontifex Paulus ad pacem inclinat.

ſus, quos antea ſpe ſuffragii multis rebus contra Bartholomæum iuuiſſent. Sed horum mox omnium, vt recitando patuit, hæc ſumma inuenta eſt. Pręferebātur damna innumera, quibus præſenti bello labefactabatur Italia: impedimenta quoq; numerabantur, quibus per eam contentionē cauſæ religionis maxime nocebatur. Eius tuēdæ neceſſitas lamētis multis veniebat in medium. Narrabatur porro inter quos eſſet cōtentio. Veneti hi dicebātur eſſe, ac Sociales. Imperabatur proinde vtriſq; pax intra diem triceſimum documentis publicis accipienda, quam ipſe ſuo, & ſucceſſorum nomine primus accipiebat. cęteris quoq; Italiæ principatibus fiebat poteſtas, cui horum vellent intra diem quinquageſimum adhærendi. Porro autem Italorum omniū

Colionius dux contra Turcos eligitur.

Dux ad gerendum in Turcos bellum creabatur Bartholomæus, ſtipendiumq; addebatur centum millium aureorum, quod in annos ſingulos his partitionibus eſſet pēdendum, millia videlicet vnde viginti à Romano Pontifice, totidem à Rege & Venetis & Duce: à Florentinis autem quindecim tantum: à Senenſibus verò & Borſio Mutinēſi, quod eorum eſſet dominatus anguſtior, quatuor, & à Lucenſibus mille. ad hæc videbatur intra eundem dierum numerum quæ abſtuliſſet omnia antiquis poſſeſſoribus reddere, Douadulam Florentinis, Taddeo Imolenſi Bubanum atque Mordanum: intra quem etiam numerum traiicere exercitum in Epirum debebat. Interim vero ſtatiua ei in Italia permittebantur, tertiæ quidem exercitus parti trans Padum in Venetorum ditione, reliquis duabus apud Borſium Ducem, & ciuitates Flaminiæ Rauennam, Foroliuium, atq; Fauentiam. Pronunciabantur vltimo loco pœ-

Pœna Pontificia.

næ non obſeruantibus formidandæ. Eæ erant anathema, imprecatio, & ſacris omnibus interdictum. Quarum expiationem cum non habeat maiores eccleſia, ſibi tantum & ſucceſſoribus reſeruabat. Atq; huius totius imperandæ pacis auctoritatem ex canone Agatenſis concilii videbatur elicere, cuius hæc verba in commentario decretorum habentur SS. Placuit vt quicunq; odio aut longa inter ſe lite diſſenſerint, & ad pacē reuocari diuturna obſtinatione nequiuerint, à Sacerdotibus ciuitatis ante omnia arguantur: quod ſi inimicitias deponere pernicioſa intentione noluerint, de Eccleſiæ cœtu iuſtiſſima excommunicatione pellantur. SS. omnibus itaq; in magna hominum frequentia recitatis, cum mox ad Venetos, & Sociales per eorum legatos eſſent ordine nunciata: Veneti quidem intra dies legitimos ſine difficultate

Sociales pacis conditiones repudiant.

ſingulis aſſenſere: Sociales vero accepta tantum pace conditiones eius omnes vno conſilio repulere, factum Pontificis non mediocriter admirati: meminerāt enim damnata ſæpius ab eo fuiſſe in ſenatu & apud alios Bartholomæi incepta: Prædonem illum appellatum, turbatoremq; quietis: Venetos autem iniuſtos, quorum vel permiſſu, vel voluntate ea eſſet molitus. Sciebant quoq; ſe coactos, cum tranquilla fruerentur pace, ſumpſiſſe arma, non vexandi cuiuſquam cauſa, ſed ſua tantum tuendi, quorum etiam ſumendorum incitamentum ipſe dediſſet: q; & multo ante Bartholomęi motū prænunciaſſet, & ad communē ſalutem inter ſe fœdera ſuaſiſſet: grandem porro in hoc bello conſumptam pecuniam, quamplurima detrimēta ſuſcepta, volūtate Dei repulſum tandem hoſtem eſſe, eoq; exercitum eius adductum, vt victo ſimilis in agrum Rauennatem refugerit. Pro pœnis autem, quæ tantis iniuriis debebantur, præmium nunc ex tota Italia peti, victoribuſq; imperari tributa, quę victis pēdantur. Huc accedebat, quod tutam rem non iudicabant, tanto ſtipendio manifeſtum hoſtē augeri, qui vt municeps Venetorum eſſet, & ſuæ magis quam alienæ Reipublicæ auditurus imperia videretur. Attendebant quoq; ætatem eius extremam, quæ cum molliorem nuper Italiæ militiam ferre non valuiſſet: nimirum ad externæ aſperitatem incommodam iudicabant: Ducem quidem tantam rē poſcere nō animo ſolum, ſed corporis quoq; viribus fortem: Agatenſis autem Concilii canonem, quem velut clypeum facti prætenderet, non opportune in eam rem deriuari: De priuatorū odiis, non publicis contentionibus ſenſum illius eſſe: nec imperati ab eo cōditiones pacis: ſed quam ipſi non reſpuant: Nullas ſibi cum Bartholomæo inimicitias, nullum odiū, nullam obſtinationem futuram: quę ſint canonis argumenta, ſi poſitis armis vexare ſe deſinat. Hæc vero omnia ſi contra illi ſecum ſint, & gratis ſuſcepta eſſe, & ſuo damno, non alieno poni debere: ſibi quidem, quod pro Italorum libertate certaſſent, laudē & præmia; quod tanta ſtipēdia facere, & tot incōmodis agi aliena improbitate

eſſent

eſſent coacti, ſatisfactionem etiam lege deberi: Venetis Bartholomæoq; ſatis ſuperq; eſſe debere, q̃ bello inferiores pacẽ beneficio ſuo accipiant: Ad iniuſtas conditiones nec poteſtatem in ſe Romano Pontifici eſſe: nec vllam ſuæ Reipublicæ voluntatem. His atq; huiuſmodi rationibus imperata Pauli declinabant Sociales: ſed contra ille quantum poterat contendebat: vt placatis animis ad Venetorum perducerentur exemplum, totumq; huic vni rei ſine intermiſſione ſe impendebat, nunc precans, nunc pollicens, nunc ſi diſſentirent, adhæſurum ſe Venetis minitans. Fiebatq; eo laborioſior ſua omnis anxietas, quod priuati conſilii, non Senatus decreti conditiones eſſe illas ſciebat, earumq; reiectarum culpam in ſe vnum referri dolebat. Nec ignorabat, quantum ad æſtimationem Romani ſacerdotii additura videbantur, ſi eſſent recepta tantum: demptura cognoſcerentur, ſi non pateretur. Mutare quoq; ex his quicquam vel tollere minus ob eam cauſam licebat, quod frequenter iam quaſi minabũdus Legatis edixerat, epoturum ſe ante præſentis veneni poculum, quam variaturum quod tot audientibus in omnem partem eſſet vulgatum. In his ergo altercationibus diebus pene ſeptuaginta conſumptis, Sociales, quorum propoſitum erat, vt ante extrema paterentur omnia, quàm id honoris in Bartholomæum Venetoſq; conferrent: à Pontifice petunt vt (quando conueniri nil poſſit) liceat bona venia reuerti ad ſuos: petituros eos ab armis pacem, quam æquitate non inuenirent. Fecit illis ad veſperum Pontifex abeundi poteſtatem: ſed per noctem quæ ſecuta eſt, recogitans diligentius, quantæ ignominię futura res videretur, poſt anni diſceptationem omnibus infectis diſcedi: tum autem timens ne apud alios qui parati iam dicebantur, felicius pax diceretur, mane illos reuocatos ad ſe multis verbis hortatur, vt de his iam conditionibus agant, quæ æquis vtrinq; animis accipi poſſint: Non vſq; adeo iuris ſui ſint retinentes, vt non aliquid gratiæ ſuę & ſaluti Italiæ largiantur: Daturum ſe operam, vt idem à Bartholomęo ac Venetis fiat. Quamobrem ad diu habitos tractatus reuentum eſt iterum, atq; animis iam melioribus conditiones dici ſunt cœptæ. Vix dum trigeſimus in his interceſſerat dies, cum & diplomata imperata ſeponi eſt paſſus, paribuſq; vtrinq; poſtulationibus pacem ſolam Veneti accepete: cuius quidẽ hæc fuerunt potiſſima capita: vt alteri alteris irrogatas iniurias cõdonarent: vt ablata omnia intra diem vigeſimum redderentur: vtq; habenti in Italia dominatum liberũ eſſet hanc pacem ſuſcipere, quam ipſe ſuo & Eccleſiæ Romanæ nomine pari beneficio acciperet. Dixerant autem eã quoq; conditionem, vt ſcribere ad militiam ſuam liceret neminem qui fuiſſet alterius. Quia vero deſignata tantum verbo hæc erant, & necdum documentis firmata: dies autem celebris Marci Euangeliſtæ inſtabat, quem honorari publicatione huius operis affectabat, in coniunctam Marci ædem mane ad ſolennitatem deſcendit, atq; in magna Patrum & populi frequentia, quæ facta erant, ex ſolio nunciauit, Legatoſq; omnes ad ſua primum, tunc ſingulos inter ſe ad mutua oſcula complexuſq; accepit. Nec multo poſt, ſcriptis iam omnibus, ſupplicationem diei vnius ad ædem Laurentii in Damaſo habuit: In qua magno omnium apparatu cum Patribus & religionum collegiis in veſte ſacra proceſſit. His actis ſupererat ex cõuentorum ſententia, vt quiſq; quos ad beneficium receptæ pacis vellet adiungi, alterutrum profiteretur. Qua in re cum Ferdinandus Rex nonnullos profeſſus eſſet, qui Eccleſiæ Romanæ ſubditi erant, plurimum eo facto doluit Paulus, putans auertendę à ſe ſuorum fidei cauſa inuentum id eſſe. Quamobrem viciſſim ipſe ciuitates nonnullas, Toparchaſq; regię ditionis profitens: illudq; adiecit, denunciare ſe omnibus Soranum Ducem Toparchatumq; eius omnem, item & Caſſinenſe cœnobium ad ſe pertinere. Quæ denunciatio eũ nouorum motuum mox cauſam prębuerit, de Sorana re paulo altius noſcendorum omnium gratia eſt repetendum. Bello Andegauenſi, q̃ annis fere ſex continenter eſt geſtum, Pius ſecundus tuendas Ferdinandi Regis partes aſſumpſerat, qui magnis tunc ſubditorum factionibus laborabat, atq; aditu primo ſui Pontificatus Regnum illi, Regniq; coronam Senatus decreto conceſſerat. Contigerat autem vt Soranus Dux, quem dixi, ſuſceptam aduerſus eundem perfidiam pertinacius tueretur, nec vllis conditionibus reduci ad officium poſſet, quæ res ad ſucceſſum belli magna impedimenta pręſtabat, quod vno ex loco vicinus Dux Sueſſanus animos in Regem maiores aſſumeret: proximæ autẽ prouincię

Pontifex Sociales in ſuã ſententiam trahere conatur.

Ducatus Sorani controuerſia.

noſtrę quotidianum periculum immineret. Ad hunc igitur oppugnādum Pius Neapoleonem Vrſinum cum parte copiarum, quæ domitis Malateſtis redierant, miſit. Is vero ſolita virtute vſus breui temporis ſpatio Soram, Arpinumq; ciuitates, nōnullaq; eius Toparchatus oppida per deditionem accepit. Illa petentibus populis conceſſa, fide vt nominis eccleſiæ facti, nullo regi tempore redderentur. Quam conditionem cum Dux ipſe ſe quoq; accepturum ſponderet, ſi par apud illum ſibi gratia eſſet, Pius ne quid non volente Rege tranſigeret, ad eum ſcribit, docetq; quam ſit operoſum ex munitiſſimis arcibus, ad quas refugiſſet, illum deiicere. Hortatur proinde malit, quātulam hanc tam lati Regni partem amico ſibi quam hoſtibus Andegauenſibus eſſe, quam videat grauia vtriſq; afferre incommoda: Victoriæ quidem ſpem omnem in celeritate tollendorum quacunque ratione hoſtium ponendam eſſe. Nec tam attendendum, quid adderetur Eccleſiæ, quam quid illis nunc auferretur: Futurum procul dubio, hac defectionis nunciata fama, vt communibus rebꝰ multum fortunę accederet. Rex ſiue ſtudio maturandæ victorię, id quod illi facile erat agnoſcere, ſiue gratitudine, ꝙ aduerſæ res manſuetiores homines faciant, celeriter perſuaſus, miſſis ad Pontificem legatis, de Duce, atq; eius dominatu arbitrio ſuo cuncta permittit, fidemq; ſe præſtaturum dicit quamcunq; ea in re expediat interponi. Cuius reſponſi fiducia Pius Ducem illico Soranamq; omnē ditionem ad poteſtatem Eccleſiæ reuocauit, continuoq; in Sueſſanum produci exercitum iuſſit: qui obſtruſis vndiq; a ſe viis triginta equitum turmis proximis quibuſq; infeſtiſſimus erat, occaſionemq; vel certiſſimam Regi præſtitit, vt clauſtris refractis, cum à tergo & fronte vno tempore premeretur, intra Sueſſam ciuitatem à miſſo equitatu illum compelleret. Quo vno facto quicquid vbiq; victoriarum inde habitum eſt, haud dubie initium tulit. Sed rex omni non multo poſt recuperato regno, atq; Andegauenſibus pulſis, pecunia & exercitibus pollens (vt eſt natura hominum qui in timore magis benigni ſunt, quam in victoria grati) repetere a Pio Toparchatum hunc dediditium cœpit: hactenus tamen, vt non niſi perſuaſionibus contendendum putaret: eum vero cum propter obligatam iam fidem non recepiſſet, defuncto illo a ſucceſſore Paulo primis Pōtificatus diebus repetiit, & quidem ab initio, iiſdem etiam precibus, verum cum nuper in profitendis, vt dictum eſt, pacis affinibus affectato Soranum dominatum pro ſuo denunciatum videret, nolens ſolennibus documentis, quæ diuturnam hominum memoriam habitura putabat, quaſi prærogatiuam quandam iuris rebus noſtris adiungi, quod hactenus verbis, nunc etiam armis contendere ſtatuit, multis alioquin ex cauſis Pontifici non ſatis pacatus. Huic vero eius conſilio opportunas occaſiones duas eodem tempore adminiſtrauit fortuna, alteram, quod exercitus ſui, quos in Tuſciā ad hiberna deductos prædiximus, redituri ad ſe propediem erant, alteram, ꝙ non lōge ab Vrbe temptatum armis erat a Paulo: id quod potentem eis in locis Vrſinorum factionem vehementer accenderat. Id vero erat huiuſmodi. Fodinis aluminis noſtri, quæ viuente Pio prope Minionem fluuium inuentæ erant, prominebat ab edito colle arx quædam Ludouici Romani proceris natura & manu egregie communita: Cuius erat ea conditio, vt paucorum hominum maleficio impedire totum fodiendi miniſterium facile poſſet: ex quo annua cētena millia in ærarium veniebāt. Tolfenouę erat arci nomen. In hunc autem Ludouicum Pius, ꝙ in agris ſuis alumen id eſſet repertum, beneficentiſſimus fuerat. dederat eius quod conficeretur annuam partem, egentemq; & nubiles habentem complures filias pecunia & veſte ſæpe adiuuerat. arce autē ſic libere vti eum permiſerat, vt iam non paternam rem, ſed creditam fidei videretur tenere. Summa illi erat tranquillitas, alendæq; familię certa fiducia. Duxerat autem vxorem nobilem fœminam, Vrſi cuiuſdam ſororem: qui Vrſina familia natus, Aſculanæ ciuitatis in Apulia Ducatum gerebat, & primos eo tempore in exercitu Aragonenſi ſub Alfonſo primogenito ducebat ordines. Additus iuueni militaribus in rebus quaſi monitor quidam, ac cuſtos. Tulerat autem ex ea vxore Ludouicus filias ſeptem: quarum maior adhuc pars apud eum reliqua erat. Huius ergo potiundę arcis ſpes cum Pontifici à quibuſdam eſſet oblata, qui ad fodinas opus habebant, dicerenturq; aratores nonnulli, qui continuum arci vicum incolebāt, vinctum illum nullo negotio dedituri, credita re, vt in iis ſolet, quæ cupiunt homines, mittūtur ex vrbe pe-

dites

dites complures,qui Procamerario duce adinturi negotium ſint,& arce occupata in præſidium ſucceſſuri:ſed caſu detectis inſidiis peditibuſq; repulſis,quod dolo parum ſucceſſerat,aperta iam oppugnatione temptatur.Obſidetur ex propinquo arx,& copiæ maiores vndiq; aduocantur.Tum bombardæ aduehuntur ex vrbe, protinuſque oppugnandi omnis ratio ſummo ſtudio comparatur.Sed natura loci primos hos impetus facile ſuſtinebat,nec iam paucorum dierum opus id videbatur. Interim ergo nunciata obſidione Vrſo,qui Regis imperio ex hibernis Florentinis ad illum copias reducebat,dolens ſupra modum germanæ Sororis filias paternis ademptis ad mendicitatem vltimam cogi,velocibus nunciis à Rege contendit,vt ad ſoluendam obſidionem muniendamq; arcē dirigi ad eam iter aſſentiat,futurum oſtendens,vt breui conata perficere,& incolumes reuerti ſine periculo poſſent.Eam poteſtatem Ferdinandus ſumma voluntate indulſit,putans munito ex ſuis præſidiis loco per noui negotii metum faciliorem Paulum ad reddendam rem Soranam futurum.Iter ergo haberi ad ſiniſtram per Peruſinum & Picenum agrum debebat,quibus ex locis ante aduenerant,miſſiq; ob eam cauſam certi quidam à Pontifice erant,qui per eas prouincias ſine maleficio ducerent,& neceſſaria omnia facerent expediri.Sed cum ad Policianum Florentinorum oppidum copiæ perueniſſent,conuerſis ſubito ad dexteram ſignis in vallē Vrciā deſcenderunt,quæ Senēſis eſt ditionis,ac loco caſtrametati ſunt, qui à Pientia ciuitate,quo ego tunc per æſtatem ſeceſſeram,millibꝰ ſex paſſuum aberat.Ibi totum biduum commorati:tertia die ad Centenū pontē progreſſi ſunt, & nec ab Aquapendentanis impetrata via,qui tranſitus omnes aggeribus eductis obſtruxerant,Petilianum Vrſinorum oppidum petunt,atq; inde tertiis caſtris in planiciē deſcendentes,quæ Tolphæ ſubiecta erat,à milliario ſexto conſidunt:quo aduentu dies nonnullos ante præcognito, Pontifex iuſſerat obſidionem ſtatim diſſolui tanto ſuſtinendo exercitui parum idoneam,& Medicum cubicularem, qui familiæ Vrſinæ amiciſſimus putabatur,ad Ducem Vrſum præmiſerat,qui animum eius leniret,& de componendis rebus bonam ſpem faceret.Ille vero qui per hunc motum id tantum quærebat,vt fortunę ſuorum collocarentur in tuto,per otium autem tranſigerentur reliqua,benigne ad ſingula reſpondens mane diei ſequentis cum expedito equitatu ad Ludouicum acceſſit,abductaq; inde omni familia, firmiſſimum ex prætorianis prȩſidium collocauit,frumentumq; ac tela quantum ſatis eſſet inuexit.Quibus actis, videns Alfonſus & monitis paternis , & Vrſi obſequio iam ſatisfactum , tranſmiſſo Tyberi,nec vllo alio illato detrimento,in Marſos,qui intra Regnum Neapolitanum ſunt,reduxit exercitum:non minorem hoc facto generi ſuo ingratitudinis, quàm Eccleſiæ imparatę timiditatis notā inurens.Parum enim vt viſum eſt, ad memoriā beneficii retulit noningenta,atq; eo amplius aureorum millia, quæ paulo ante ſeruandi regni ſibi ac patri cauſa Romana Sedes inſumpſerat: Tantaq; inſuper diſcrimina, quæ in continuatione belli magnis detrimentis coacta erat ſubire.Sed nec ſine diuino numine talia eueniſſe credita ſunt, quando ſola opportuni loci cupiditate innocentis hominis quæſitæ fortunę ſunt,& miſerandę familiæ auitarum rerum omniū intentata calamitas. Erat in Marſis Rogerion quidam aſſertor olim contra viduæ matris ſtudia rerum Andegauenſium. Is ob eam cauſam amiſſis reliquis ſolum Balzeranum oppidum quinto adhuc poſt finitum bellum anno ſine impedimento poſſederat,cum tamen nō ſatis pacato in Aragonenſes etiam tunc animo putaretur. Itaque cupiens Ferdinandus has quoq; reliquias tollere,quo liberius Soranis rebus poſſet intendere,locum improuiſo adortus,intra paucos oppugnationis dies in deditionem accepit:quanquam ex iis vnus Rogerion eſſet, quem Pontifex ad beneficium pacis ſuæ nuper elegerat.Porro autem à Balzerano in Soranum Ducem conuerſo exercitu,arces nonnullas,quæ illi munitiſſimæ erant,pari deditione accepit,imminens iam ciuitatibus, quas volente illo poſſeſſionis noſtræ factas iam diximus. Hanc vero concitationem Regis iam pridem etiam intuitus Pontifex, putanſq; rebus à ſe tam imparatis vnicam in extrahendo tempore ſpem poſitam eſſe, iuſſerat Præſulem Tyraſonenſem domeſtico ſibi miniſterio charum, & auctoritate inter Palatinos prȩcipuum ad illum proficiſci,& perſuaſionibus impetum retardare.Interim tamen quam maiori poterat equitū ac peditum præſidio ciuitates & caſtella firmabat.

Sed illo infecta re non multis poſt dies reuerſo, fiducia amplioris dignitatis iubetur ſuccedere. Cardinalis ſancti Clementis, qui toto Andegauenſium bello legationem gerens vehementer illum adiuuerat, idq; vnum monetur, vt quacunq; ratione poſſit, rem in inſtantem hiemem deducat, cuius beneficio ſpatium ſui colligendi habitura eſſet Eccleſia. Is igitur gratia apud Regem, de quo erat ſumme meritus, valens, monitis multis effecit, vt ab aperta vi abſtinens iudicio cognoſci inter ſe & Pontificem cõſentiret. Quod cum mox in eius ad vrbem reditu conſtitutis iudicibus fieri cœptum eſſet, Aragonenſes ad hiberna proxima deducti ſunt, & Sorana res impendenti periculo eſt liberata. manſit tamen vtrinq; ab opinione illatæ acceptæq; iniuriæ acerbitas animorum multa, atq; indignatio.

Leodii expugnatio.

Dum in hoc ſtatu res Italæ agerent, lachrymabile interim nuncium Romam affertur, quo animi omnium non mediocriter ſunt contriſtati. Significatum eſt enim, ciuitatem Leodienſem magnitudine atq; opibus claram, quæ in omni caſu Eccleſiæ fidem Romanæ Sedis erat ſecuta, ferro atque igni ad internetionem deletam, nulla ætatis, ſexus, vel ſacrorum habita ratione: eam vero cladem vnico Caroli Burgundorum Ducis, & Ludouici Gallorum Regis impetu irrogatam, qui ad tantum facinus animos & arma iunxiſſent. Eam ego non ab re cenſui quarto huic Libro mandandam, quo noſtris Pontificibus eſſe documento poſſit, quantum ſæculi Principibus oporreat credi, quantumq; adhiberi curæ conueniat, ne ii Paſtores plebibus dentur, quorum vel ætate, vel ambitione pro pane lapis, & pro ouo ſcorpius iuxta verbum Domini offeratur. Igitur ſedente nuper Caliſto tertio petebat Philippus Caroli pater, vt Ludouicus, qui in Borboniorum familia genitus erat ex filia, Leodienſi præficeretur Eccleſiæ, quam Ioannes annorum iam multorum præſul, miſſis ad Pontificem documentis parabat dimittere. Sed ea res cum propter iuuenilem ætatem, quæ vigeſimum nondum annum attigerat, Pontificiis legibus eſſet contraria, Caliſto parum, & patribus probabatur, videbanturque vno conſilio omnes non aſſenſuri, niſi maiores cauſæ ad impetrandam rem non afferrentur.

In Turcas expeditio.

Erat eodem tempore præcipuum Pontifici ſtudium parandæ claſſis in Turcos, quæ ad redimendam Conſtantinopolim duceretur, miſeratq; propterea in omnem Italię partem ſacerdotes quæſtores, qui futuri operis prædicatione condonationibuſq; peccatorum, cuiuſquemodi ſubſidia compararent. Ad ripam quoq; Tyberis Vaticano proximam comportari materiam, & triremes fabricari ſine intermiſſione curabat, nulla de re alia vel loquẽs gratius, vel audiens. Id vero ſtudium cum ad Philippum ſignificationibus multis eſſet perlatum, ſenili & ipſe obſequens animo, quod iure de Ludouico negatum erat, promiſſis artificioſis aggreditur. Spondet ſi impleatur quod cupit, miſſurum ſe terra & mari grandia ad conceptum opus ſubſidia, quæ & facilia ſibi futura eſſent, & magnopere conatum Eccleſiæ adiutura. Totam hanc ſponſionem ea dictorum ſcriptorumq; conſtantia firmat, vt nil minus iam putaretur, quam non facturum illum quod tam aſſeueranter aiebat. Credidit ſenex Caliſtus primus explendo deſiderio intentus, mox etiam in eandem ſententiam traductis Patribus Philippo eſt obſecutus, ciuitatiſq; tam populoſæ adminiſtrationem iuueni credidit munerum Eccleſiæ omnino experti: æſtimans annorum paucorum iacturam emolumento tanti boni compenſari æquo animo poſſe. Sed accidit diuino iudicio, vt malo inchoata initio calamitoſum mox exitum caperent. Nam neq; tantarum promiſſionum fructus perceptus eſt, & fundamenta ſunt poſita totius, quæ ſuperinducta eſt, cladis. Hunc ergo Paſtorem plebs illa, etſi longe inferiorem priore ſuo annis meritiſq; videbat: gratiam tamen magni Ducis ſecuta acquieuerat facto, ſperans mox vt per ætatem licuiſſet, ſumpturum ſacra Ludouicum, atque eorum Antiſtitem pleno ciuitatis imperio pręfuturum. Aliquandiu igitur in hunc modum ſine diſſenſione proceſſit res, cum tamen Ludouicus fortuna ſuorum elatior, Leodienſium legibus, quas ante eum ſeruarant cæteri, aduerſaretur ſæpe, & ab Eccleſia errans, laſciuiorem vitam tanto indignam ſacerdotio ageret. Procedentibus annis idoneus iam ad conſecrationem factus, ad eam peragendam, celebrandam, vnanimi omnium voluntate eſt poſtulatus. Quod ille, ſiue quod à religione adhuc eſſet auerſus, ſiue quod à ſuis eam neceſſitatem imponi grauatè acciperet, cum contumacius pernegaſſet, oriri inter eos apertæ

conten-

contentiones ſunt cœptæ,atque ita in dies adauctæ, vt minus iam natura elatus populus reuereri eius dignitatem rimereque iuriſdictionem inciperet. Verebantur ne ſacrorum delatio eo traherertur conſilio, vt ſæcularis adminiſtrationis inducta conſuetudine Epiſcopum ſuum dediſceret ciuitas, vicinique Ducis paulatim ſubiret imperia: quam illi rem morte quauis grauiorem putabant. Conſiſtantibus in hunc modum Epiſcopo & plebe,creſcebat in dies aduerſus Eccleſiam rebellio, iamque miniſtris eius poteſtates quædam ademptæ erant, quę nullis denunciationibus reduci in locum priſtinum poterant. Itaque Philippus, qui natura vehemens erat, ſuperarique genus ſuum ciuili contentione dolebat, magnis precibus à Pontifice petit, vt dignitatem impugnatæ Eccleſię adimi per ſubditorum violentiam non ſinat, ſed temeritatem populi ſuperbientis cenſurarum irrogatione cõtineat. Quod ille cum Leodienſi Sedi, & communi aliorum dediſſet exemplo, non multo poſt contempta etiam Romani patris poteſtate ciuitati & agro, ſacris eſt interdictum, inuocatuſque ad præſidiũ per iudices Dux, bellum Leodienſibus intulit. Pugna autem non longe à muris commiſſa, occiſis quam plurimis reliqui in fugam conuerſi ſunt, ac ciuitas eodem impetu capta. Quæ vt ad nouam poſthac contumaciam calamitatum continuatione languidior fieret, dirui in circuitu muros iuſſit, tributumq; imperauit, quantum redimendis comparari exercitus ſtipendiis ſatis ſuo iudicio videretur: quodq; omnibus acerbius habitum eſt, eos qui per ætatem ferre arma iam poterant, vno edicto in exilium expulit, paucis quibuſdam ad rei familiaris cuſtodiam cum muliebri ſexu intus relictis. Hac tanta clade Romam perlata, miſeratus Pontifex Eccleſię plebiſque fortunã, Legatum ex Referendariorum ordine proficiſci illuc iuſſit, qui & obtemperari Ludouico Epiſcopo, & diſſidentes animos ſuo interuentu conciliari curaret, reducendis quoque exulibus, leuandiſque tributis quam poſſet operam penderet. Erat is Honofrius Tricaricenſis Præſul, homo Romanus, in familia locupleti, quæ ſanctæ Crucis dicitur, natus. *Legatus Leodium mittitur Honofrius.* Ad hunc igitur cum Agrippinam Coloniam maturato itinere perueniſſet, Leodienſis legatio aduentus huius præſcia acceſſit, ſummis obſecrationibus petens, vt quanto poſſet celerius Leodium properaret, reliquiaſque diſpulſæ plebis redditis ſacris conſolaretur. Quorum ille deſideriis obſecutus, ad oppidum Aquiſgranenſe proceſſit milia paſſuum viginti à Leodio poſitum. Ibi dierum nonnullorum mora cognoſcendum putauit, quo animo Præſul & populus ad ſuſcipienda monita Romani Pontificis eſſet. Eos vt ſentire idem, & in omnia paratos cognouit, itinere continuato à quarto miliario Præſulem Clerumque, & magiſtratus vrbanos obuios habuit, ſinguloſque iureiurando adigens parituros decretis quæcunque ipſe tuliſſet, pœnas Apoſtolicas ſuſtulit, benedicenſque populo ſumma omnium exultatione ciuitatem ingreſſus eſt. Cumque is dies vigiliarum eſſet Apoſtolorum Petri & Pauli, ad ædem cathedralem procedens, ſolenne ſacrum veſpertinum cantauit aſſiſtente plebe, quæ vt in paucitate, frequens ad viſendum conuenerat. Poſtridie quoque Ludouicus ipſe, qui monitu Legati conſecrationem Epiſcopalem iam acceperat, primis ſuis miſſarum ſolemnibus eſt operatus, dominicumque ſacramentum tota vrbe Legato, & Populo proſequente, manibus ſuis circumtulit. Erant gaudiorum plena omnia, reſpirareque tum primum ex longa fatigatione miſeri videbantur, diſſenſionẽ omnem initio hoc ſublatam putantes. Id modo ſupererat, vt exulum quoque & tributorum ſua ratio haberetur, amodoque ciuitatis mœnibus parceretur, quæ Ducis imperio ſine intermiſſione deiiciebantur. Poſtremo vt leges patriæ redderentur, ſine quibus nil quietis habitura tel qua putabantur. Igitur horum cauſa ad Carolum filiũ defuncto interim patre profectus Legatus eſt: ſed in tempora incidit, quæ rebus agẽdis multum erant contraria. Ducebat ille per eos dies vxorem Britannorum Regis filiam, minaſque diligenter propter nuptiarum ſolemnia alienum quicquam intelligere poterat. His vero abſolutis, cum etiam tantum audiſſet Legatum, nil ob eam cauſam certum decreuit, quod bellum aduerſus Regem Gallorum gerens ſociis Britonibus in auxilium properabat, quos magnis copiis premi nunciabatur. Id tantum de poſtulatis Legato conceſſit, vt cum Præſule & populo quæ viderentur componeret, conuentaque referret ad ſe confirmanda decreto ſuo, vel reſpuenda. Hac promiſſio-

ne Tricaricenſis reuerſus, tractare de omnibus cum Præſule & exulibus cœpit, ſperans conditionem ſe aliquam inuentutum, qua ſemianimem populum ſuſcirare, quietemque ſtatuere ſuſpenſis animis poſſet. Sed dum in his ſine intermiſſione laborat, Epiſcopus moræ impatiens ſuas iuueniles cupiditates ſecutus, ad propinquum oppidum ſuæ ditionis Traiectum ſeceſſit, cuius rei occaſione ſimul quod diuturnius inter Regem & Ducem futurum bellum iudicabatur, plurimi exulum, qui in proximas ſiluas ex prælio aufugerant, ad numerum quinque milia reſiſtente nemine Leodium rediere, quos ſtatim & reliqui ſunt conſecuti inermes ac nudi, ſilueſtribus tantum truncis, & fundis, lapidibuſque armati. Reditus huius populari quidem multitudini id conſilium fuit, vt Clerum omnem, cuius nomine tanta mala acciderant, vno impetu ſpoliarent: grauioribus autem paucis, vt pœnitentiæ ſignificatione reditum ſibi in patriam pacemque depoſcerent. Itaque horum ſuaſu ad Legatum vna voluntate omnes accedunt multa per nouitatem facti timentem, orantque vt ſe deprecatore iam tandem vitæ eorum miſereatur Epiſcopus, plebemque diſperſam ac beſtiarum more in latibulis agentem perire in ſiluis fame non ſinat, creditaſque animas vna cum corporibus interire: ſibi quidem id animi eſſe, vt illius ſubſint imperio, ac tanquam miniſtrum Dei dominumque ciuitatis accipiant: Porro vt opificiis intenti in ſudore vultus panem quærant, & quotidianis obſequiis famulentur. Hortantur quoque vt ſupremas has preces miſeræ plebis non negligat, quam eo calamitatis adductam intelligant, vt ſi ſe contemptam nunc videat, timendum ſit ne ciuitatem & Clerum ſacraque, & ſe inſuper ipſam vna impietate inuoluat. His auditis, Legatus miſerans multitudinis faciem, quæ veſtitui in ſiluis diſciſſo, capillorumque & barbarum promiſſione ſilueſtrium hominum inſtar habebat, omnes in forum ad concionem vocatos benignis verbis alloquitur. Docet quanto in honore haberi Epiſcopos velit Eccleſia: quid in contemnentes ſacræ leges decernant: Illos quidem in patrem hunc ſuum paulo contumaciores fuiſſe, diutiuſque quam par videretur in contentionibus perſtitiſſe: Quam ob cauſam coactus ille ſit auunculi Ducis præſidium implorare: magno eos victos prælio tuliſſe conditiones, quæ imperari victis à victoribus ſoleant: miſſum ſe à Pontifice ad conſolandum populum, & ſubleuanda oneta eſſe, feciſſeque in eam diem, quæ tulerint vires. Reddita iam ciuitati ſacra: ad conſecrationem Ludouicum inductum: Cuius dilatæ cauſa tanta mala accidiſſent: ad tollenda reliqua ſe etiam ad Ducem profectum eſſe, facultatemque tractandorum omnium accepiſſe: Opus hoc totum bona ſpe inchoatum: ſed vereri ne hic eorum repentinus ad vrbem acceſſus ſucceſſum ſuis laboribus adimat: Proinde deponant quam primum arma, quietique rerum exitum præſtolentur: Cogitent vero ſi tumultuari pergant, quid Epiſcopo in eos, & quid ſibi, & quid Duci futurum indignationis merito ſit, qui prælio pulſos, muriſque nudatos tanta in ſe audere nunc videat: Ipſum quidem, niſi monitis pareant, abiturum illico ciuitate, nunciaturumque Pontifici, quantum obſtinationis apud eos inuenerit, ad quorum ſalutem procurandam ſit miſſus. Ad has eius exhortationes cum reſpondiſſet quidam neceſſitate impulſam multitudinem: quod viuere in ſiluis non poſſet, domum reuerſam, Ducique & Epiſcopo quæcumque in ſe eſſent paratam præſtare: pati autem non poſſe alienis quam Eccleſiæ dominis ciuitatem ſubeſſe, mortemque ſi ita opus ſit, huius vnius rei cauſa intrepide adituram: Legatus eos iterum conſolatus, vt diſceptationibus in tanto periculo finem faceret, magna voce, quæ à tota concione exaudiri poſſet, poſtulauit, an parati eſſent poſitis armis, ſuis & Epiſcopi imperiis, vt ante promiſerant, auſcultare? Ad quam vocem multitudo omnis diuturno miſeriarum tædio in queſtus & lachrymas commota, protenſis ad eum manibus pacem & miſericordiam acclamabat. Precans identidem vt conciliarentur tandem Epiſcopo, & in patria eſſe cum parentibus, & liberis liceret, ne laniati à feris paſſim per ſiluas impio mortis genere necarentur: Arma quæ retinendæ vitæ cauſa ſumpſiſſent, quamprimum iuſſerit poſituros. Id vero cum ad eius imperium ſtatim feciſſent, Legatuſque propterea ſa-

lutem

lutem eorum curæ ſibi futuram dixiſſet, quieuere paulum omnia, Ciuitaſque ab impetu furentis populi eſt conſeruata, externis poſt paulo cladibus occaſura. Igitur Legatus aſſumptis ſecum Principibus multitudinis huius Traiectum ſe ad Epiſcopum confert, & cauſam miſerorum quàm maximis poteſt precibus agit. Iamque dierum nonnullorum diligentia rem eo redegerat, vt reconciliatus Ludouicus ad oppidum Tungram, quod inter Leodium Traiectumque medium eſt, ſecum accederet, indeque repetendam ciuitatem ſtatueret. Conuenerat autem vt turba omnis pœnitentiæ ſignificandæ cauſa, effuſa obuiam inermis, & ſupplex à tranſeunte miſericordiam precaretur: Illi vero liceret quanto apparatu bellico vellet ciuitatem intrare, dominatumque in ſe omnes ſuſcipere, & ſua voluntate omnibus moderari. Ea dum ad certam deſignatam diem perfici debent, Dux interim, qui accepto tam audacis motus nuncio vehementer erat commotus, ad Epiſcopum ſcribit, vt tractatum omnem, quicumque cum Leodienſibus haberetur, abrumperet, ſeque vltorem propediem expectaret: atque (vt ſine periculo fieri id poſſet) quatuor milia delectorum militum in eius præſidio mittit. Erat Duci iam pene explorata ſpes conſtituendæ cum Rege pacis: quæ cum ſociis Britonibus iam conſtituta, quorum cauſa bellum ſuſceptum erat, faciliorem ſuam videbatur efficere. His ergo intellectis, Ludouicus quod in poteſtate Caroli eſſet, dicto obſequitur, cunctaque diſſoluens, præſidio quod erat miſſum, eodem loco ſe continet, maiorum copiarum aduentum operiens. Id ergo conſpicati Leodienſes, quorum in vtramque partem & ad humilitatem, & ad contumaciam vehemens erat natura, aliam (vt in deſperatione rerum fit) ſalutis rationem adorti, proxima nocte armata duorum milium manu, Tungram maximo ſilentio accedunt, oppidumque ingreſſi, quod in recenti ducis victoria deiectis muris aditus per ruinas habebat, eodem ſilentio ad Epiſcopum penetrant, ſuamque primum, tum aliorum, qui ſecum erant, domos circumſiſtentes impetum in præſidiarios faciunt, nudoſque, & re ſubita perturbatos facile opprimunt. Si qui effugere in tumultu caſu aliquo poterant, ii contendebant Traiectum: Erantque clamoribus & gemitu morientium omnia perturbata. Epiſcopus vero ſuorumque nonnulli, qui ad intimam cuſtodiam excubabant, perfoſſo ſtatim coniunctæ domus pariete, in qua diuertebat Legatus, intra cubiculum eius refugerant, fortunamque aliorum pauidi expectabant. At Legatus, qui ab initio tumultus inermis in vicum erat progreſſus, cognitis ſtatim Leodienſibus, Duces eorum, qui cæde fugientium bacchabantur, vocari ad ſe multis ſuaſionibus contendebat, caſuque peranxius erat, eos tandem venientes cum lachrymis rogat quam nam ob cauſam eo miſeri acceſſiſſent, atque inter deprecatæ pacis tractatus tantum nunc ſcelus admitterent? Illi vt erant madentes ſanguine, & exitu adhuc rerum ſuſpenſi, perturbata voce reſpondent: quod ad Epiſcopum tanta viderint miſſa præſidia, vltionemque ſuam ſint veriti: illuc eos veniſſe mala conſilia præuenturos, ne interim obtentu impendendæ veniæ ciuitati exitium pararetur: Petere id quod ad ſalutem reliquum arbitrentur, vt ipſe cum Epiſcopo eo ex loco Leodium properent: quoniam & reuereri vtrumque, dominumque ciuitatis Ludouicum ſtatuere certum ſit omnibus: Id ni fiat, propoſitum multitudini eſſe, eos atque oppidum vno eius noctis incendio abſumere. Legatus inſtantem neceſſitatem cognoſcens, quod animos ad ea quæ minitarentur incenſos videret, accepta fide ne quem vltra occiderent, de acceſſu ad ciuitatem agere cum Epiſcopo cœpit. Quo ſtatim (vt in tanto periculo neceſſarium erat) in ſententiam traducto, nullo tumultu ambo Leodium rediere, comitante multitudine, non quæ viciſſet: ſed quaſi quæ dominos ſuos ex aliorum captiuitate per vim receptos domum reduceret. Lætabantur omnes: & tota Leodienſis eccleſia reſtituto præſule erat in gaudio. Ii quoque qui in Tungra ſuperfuerant cædi libertati priſtinæ reddebantur: cum honoribuſque remittebantur ad ſuos. in iis erat Dux præſidii paulo ante ad Epiſcopum miſſi: quem in latebris adinuentum: vt ad Carolum proficiſceretur veniamque & pacem multitudini oraret magnis obteſtationibus induxerunt. Dux vero qui nondum his acceptis ad vltionem nihilominus tumultuoſi reditus properabat: audita etiam Tungrenſi audacia nullo

furori conceſſo ſpacio, pacem illico cum Rege conſtituit, impetrata conditione, vt præſentia ſua, atque exercitu conatum hunc adiuuaret. Itaq; ambo in Leodienſem ciuitatem mouentes à miliario vigeſimo conſtitere, præmiſſis tribus milibus Burgundorum, qui vrbi appropinquantes Duces cum reliquis copiis expectarent. Leodienſes tanto hominum numero ad ſe iri videntes, quantum vix Galliæ reliquum per id tempus in armis habebat, neceſſario vel moriendum etiam, vel relinquendam excidio patriam cognoſcebant. Itaque vt eorum erat in magnis rebus ferocia, ratione aliquando parum expenſa, ad extrema perferenda ſe firmant, Tungrenſemque fortunam ſperantes, adoriri noctu propinquos Burgundos inſtituunt, quos non totis octo milibus paſſuum abeſſe conſtabat. Itaque de ſecunda vigilia populariter egreſſi magnis animis in eos tendebant. Illi vero proximo ad Tungram caſu admoniti vigiles in armis agebant, protinuſque cognito per exploratores conſilio progreſſi obuiam prælium acerrimum commiſere, quod ad lucem vſque magna hominum cæde productum eſt. Tandem Leodienſes coacti ſunt cedere. In eo certamine ceciderunt Burgundorum permulti: in iis fortiſſimus quiſque, ac nobiliſſimus. Sed ex Leodienſibus longe plures, quod noctis itinere fatigati, minuſque armati iniqua pugna erant congreſſi. Quæ res ciuitatem omnem alioquin malis feſſam maxime conſternauit, cum & luctibus paſſim replerētur omnia, & orta luce miſerando ſpectaculo referri humeris patres, fratres, & filii exanimes manante adhuc ſanguine viderentur. His tantis malis confuſus Legatus, ac plane iam inops conſilii, quod vnum ad deprecandam vitam reliquum erat, conuocato iterum ad concionem populo in conſpectu omnium lachrymans, videtis inquit ciues fortunam veſtram ferocibus conſiliis, non mea culpa ad ſupremum adductam. Imminet propinquum exitium. Iratus eſt Dux, & Duci adiunctus Rex potentiſſimus ad vos ambo inſtructo exercitu properant. vrgens neceſſitas longam orationem non poſcit. Audite filii, vt extremam vobis quam poſſum pietatem impendam, paratus ſum, ſi ita opportunum putatis, ad Ducem nunc proficiſci, mecumque Epiſcopum ducere. Obuii ambo exercitui, atque humi ſtrati miſericordiam lachrymis noſtris precabimur: Cum perſonam ego feram Pontificis ille Regi Ducique iunctus ſit ſanguine inueniemus forſan, quod reſpirandi ſpacium præbeat, nam imperandi nunc interminandiq; tempus non eſt. precum eſſe redemptionem oportet. legitima de vobis meo & veſtro nomine repromittam omnia. ſi placet hæc ratio acturum ibimus. Sin præſentior apud vos alia eſt, illam monſtrate. Vobiſcum & ſine vobis eundem caſum parati ſumus ſubire. Cum hæc profectio fletibus omnium, & vociferationibus probaretur, ad declarandam inſuper pœnitentiam ciuitatis adiiciuntur primarii ciues ſummum eo tempore magiſtratum gerentes: qui vna euntes imperata Ducis ſuſcipiant, deque reliquorum fide teſtimonium ferant. Itaque hora diei iam decima profecti omnes ad tertiam noctis, non ſine crebris vitæ periculis ad primas ſtationes hoſtium peruenere. Quibus ſtatim præfecti duo obuiam facti, quorum alter erat Præſes Burgundiæ, alter ſororis Epiſcopi vir: intellecta viæ cauſa vetuerunt eos vlterius progredi, ac ſtatim in cuſtodiam Præſidis Legatus: Epiſcopus in affinis ſui tabernaculum adductus eſt, magiſtratus vero omnis in vincla coniectus. Inter hæc congregato Ducis conſilio, cum hora lapſa iam eſſet ad eum omnes deducuntur, quamque ob cauſam id noctis veniſſent requirunt. Dicere pro omnibus orſus Legatus, quanta verborum, & vocis demiſſione miſericordia potuit placare conatus eſt iracundiam Ducis, & veniā miſeris impetrare: Identidem monſtrans præſentem Epiſcopum cuius cauſa ſumpta eſſent arma, quibus ſuis ſalutē precari, ciuitatem paratam eſſe ſi velit, exercitum omnem intus accipere, & Præſuli parere, & quæ imperata poſt primam victoriam erant quamquam maiora viribus, acturum implere: Pro iis autem quæ ad Tungram, & nunc apud antecurſores ſunt geſta, ex Ludouici & ſuo etiam iudicio ſatisfactionem præſtare. Manus quoque in illum ſupplices tendens, atque adhunc affectum lachrymas ſuperimpendens, petiit ſi minus præſtandam eam pietatem humiliato iam populo duceret, præſtaret ſaltem Deo creatori, qui pro crucifixoribus patrem oraſſet, præſtaret & Romano Pontifici, cuius beneficio ea ſedes Leodienſis generi ſuo eſſet conceſſa. Nihilo his dictis obſtinata ad

vltionem

vltionem mens potuit flecti. Reſpondit tantum liberam ſibi in res atque animas ciuium velle poteſtatem permitti: nec omnino conditionem aliquam dici. quæ res Leodium ſignificata ad ſuſtinenda extrema, quęrendamque armis ſalutem corda omnium incitauit, putantium occaſum ſuum quem declinare in prælio forſitan poſſent, in deditione certiſſimum eſſe. Igitur Dux miſſo Traiectum legato, atque eodem loci magiſtratu Leodienſium in cathenis traducto, iniungit Epiſcopo vt ſumptis armis ſecum ad vlciſcendas iniurias eat, patris propoſitum ac ſuum animo agitans. Etenim, quod ea ciuitas potentiſſima eſſet, vicinaque Brabantiæ prouinciæ, frequentes cum illa contentionum occaſiones haberet: ſeruata autem contra maiores ſuos Regum patrocinio diceretur: delere nunc in tanta opportunitate conſpirantis Ludouici Regis ad internetionem volebat. Igitur admoto ad vrbem exercitu bipartito copias diuidit, ac colle occupato, qui Valburgenſi portæ proximus erat, ſuam & Regis ſtationem eodem in loco conſtituit. Ad alteram autem ac longe diuerſam ciuitatis partem Philippum Sabaudienſem cum reliquis mittit, vt vno tempore temptata vtrinque irruptione populus ad duo conuerſus, ad repugnandum inualidior fieret. Leodienſes his tantis anguſtiis circumuenti ſummam rerum ſuarum ad fratres duos, pręcipuę fortitudinis viros, detulerant, Burenũ & Gozonum, quos reliqua multitudo in quamcunque duxiſſent partem illico ſequeretur. Ii vero animis vſi, conuocatis ad ſe primis nonnullis docent, niſi aliquo grandi auſu ſalutem ciuitatis ſtare non poſſe: Proinde ſi accingere ſe vna velint, paratos eſſe omnium primos ſuas animas dare. Cum ſtatim velle ſe omnes dixiſſent, idque vnum conſentirent ad redemptionem patriæ ſupereſſe, partita inter Burenum & Gozonum multitudinę rationem irruptionis hanc ineunt, vt videlicet nocte, quę inſtabat, Gozonus ad caſtra Regia nil tale in tantis copiis expectantia, impetum faciat: Burenus vero eodem conatu ad Philippum erumpat: Futurum ſperantes, vt alter exercitus alterius perceptis clamoribus, deſperatione alterni ſubſidii conuerteretur in fugam. Vt vero etiam perturbatius confunderentur omnia, iubent cupas innumeras ſecum portari nitro & pice completas: quæ primo adortu accenſæ in illorum tabernacula locis omnibus iacerentur, atque inde flamma excita malo ancipiti trepidantes inuaderet. Conditis omnibus ad deſignatum opus diſceditur, animis quam ſucceſſu maioribus. Peruenerat iam ad Regias ſtationes Gozonus nondum intellectus, expectabatque vt à Bureno ſignum acciperet, quo ſignificaretur, ad Philippi caſtra à ſe quoque acceſſum, & pugnam commiſſam eſſe. Sed is dum tardius condictum exequitur, Gozoniani quidam moræ impatientes ad tentoria Ducis Regiſque furtim prolapſi incendere ea cœperunt, & ferocius hoſtibus inſultare. Quo factum eſt, vt clamore ſtatim ſublato, & à Philippenſibus inde excepto, vtrobique armatus exercitus Leodienſes ab incepto terruerit. Orta luce, indignati ambo, quod tot iam cladibus attritus populus nocturno etiam incurſu vitam ſuam petiſſet, ocyus Philippo imperant, vt qua parte muri eſſent diſiecti, conferto agmine irruptionem temptaret: Ipſique ex eo vbi tendebant loco producto exercitu idem conantur. Pugna incepta: magna contentione vtrinque res gerebatur, his annitentibus vt conceptę iracundiæ facerent ſatis: Illis vt coniuges, liberos, parenteſque ſupremo illo certamine ab interitu vendicarent. Sed longe impar Leodienſium fiebat congreſſus, quod hoſtes numero pugnatorum, & apparatu omnium rerum inſtructiſſimi erant: vrbana autem turba nec aſſueta bellis, nec armata ſatis, multis acceptis cladibus ad paucitatem redierat. Quamobrem paulatim ſummota loco, & cadentium numero debilior facta cedere propugnaculis, liberumque ingreſſum irrumpentibus dare coacta eſt. Ita vno tempore duobus ex locis Burgundi calamitatem miſerrimam intulere. Eorum vero qui adhuc integri erant ad hominũ circiter viginti, cum imbelli multitudine in forum ſubito confugerunt, obſtructiſque aditibus, vt in articulo illo licuit, noctem expectabant, per quam reductis in caſtra exercitibus educere ſuos ad fugæ ſocietatem poſſent: ſed ea re intellecta, eueſtigio Dux ciuitatem omnem locaque imprimis foro proxima iubet incendi: Cuius mali neceſſitate compulſi illi relictis omnibus ad ſiluas proximas ſe contulerunt. Clerus inſpecta iam ante ciuitatis fortuna, in ſua quiſque *Leodium incenditur.*

eccleſia clauſis ianuis ſe continebat veſtibus ſacris indutus, Sanctorumque reliquias atque adeo ipſum Domini ſacramentum ad deprecandam miſericordiam manibus præferens. idem Religionum virginumque cœnobia pro ſua quæque conditione egere. Sed nihil inter arma ſceleratæ militum manus incontaminatum liquere. Refractis portis ſacra omnia in lachrymabilem direptionem ſunt data, ſanctuaria Dei tota vrbe incenſa, ſpoliati ſacerdotes atque occiſi. Tum nec parietibus templorum etiam parſum: in ipſam autem imbellem turbam tanta impietate ſæuitum eſt, vt nulli ſexui, ætati, aut ordini ignotum voluerint. Infantes alliſi parietibus ſunt, puerperæ confoſſę: Plæręque virgines ſtupratæ primo, mox ſtrangulatę: ſenes quoque & pueri eodem quo pugnantes habiti loco. Quin & illud ad malorum cumulum accidit, vt parentes cum matribus, filiis, & omni prole inualida fune vno conſtricti ad acerbitatem interitus in profluentem Moſam deiicerentur, in mediiſque diuinis dum aſtat Sacerdos altaribus, & Domini corpus ſanguiſque inter manus verſantur, ſacrę patinę & calices impie raperentur, vt merito de tam ſæuis hoſtibus emitti ad vltorem Dominum vox illa Prophetæ lamentabilis poſſit: *Domine Deus, venerunt gentes in hereditatem tuam: polluerunt templum ſanctum tuum: poſuerunt Hieruſalem in pomorũ cuſtodiam: poſuerunt morticinia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ. effuderunt ſanguinem ipſorum, tanquam aquam in circuitu Hieruſalem & non erat qui ſepeliret.* Inter hęc autem tam fœda crudelitatis miniſteria Ludouicus Rex amicæ ſemper ciuitatis calamitate confuſus, quę in illum pugnans nomen eius clamoribus inuocabat, plane iam facti pœnitens, in proximas regni ſui regiones exercitu abducto conceſſit: Dux vero dimiſſa vrbe prædonibus, ipſe cum expeditis equitibus ad inſequendos qui fugerant continuo profectus eſt. Sed vbi aſperitate ſiluarum ne inueniri quidem illos, ne dum capi poſſe intellexit, regreſſus Leodium tota paſſim ædificia deiici imperauit, ne profugis ſpes vlla reditus ſupereſſet. mox quoque Traiectum contendens Magiſtratum, qui ſalutis fidem ab Epiſcopo ante acceperat, vinctuſque nihilominus illuc fuerat deportatus, ſtrangulari, & in profluentem abiici iuſſit. Eandem fortunam vicina quoq; nonnulla oppida, quæ Leodienſes adiuuerant, mox ſubiere. Hic finis contentionum fuit, atque hunc occaſum celeberrima quondam ciuitas tulit, victoriis nobilitata innumeris, & à Romanis Imperatoribus condita: Clero autem ante alias Germanicas Eccleſias clara: diuini vero cultus ornamentorumque ſacrorum cum ſanctiſſimum, tum locupletiſſimum domicilium. Cuius quidem ante has calamitates is animarum numerus fuit, vt cenſu habito centum & viginti milium intra muros tantum continere inuenta ſit.

IACOBI

IACOBI VOLATERANI CARDINALIS PAPIENSIS COMMENTARIORVM LIBER QVINTVS.

DIES non multos ab inſtituto, vt antea dictum eſt, de rebus Sorani iudicio, Ferdinandus Rex, ſiue quod cauſæ ſuę parum confideret, ſiue q̃ ad tumultũ animus inclinaret, ſiue etiam quod in tã contrariis iudicibus nullum liti finem cognoſceret (etenim pars vtraq; ſuum ſibi delegerat) Pontifici nunciat, iudicium ſe recuſare: Nolle altercationibus verborum cum eo contendere, quẽ ſibi patrem ſors Regni dediſſet: Exploratum habere doctorum hominũ cõfirmatione loca, de quib. certamẽ ſit, Neapolitanæ ditionis partẽ eſſe, ac legib. ſibi Regi debere: Rogare maiorẽ in modũ, vt eorum deditione & Romanę Sedi ſe filiũ retineret, & maiorũ cõtentionum tolleret occaſionẽ: Ferri nõ facile poſſe priorum Regum poſſeſſionem ſe adminiſtrante perire. Paulus hac voluntatis mutatione inſpecta etſi doleret æquabilem finiendæ controuerſiæ viam ademptam: attamen quod irritare armatum Regem tutum non iudicabat, quieſcendum putauit, nouiſq; interim præſidiis eccleſiam muniendam, non tantũ acceptam iniuriã innouatione vlla rerũ vlciſci, vel pacato cuiquã arma inferre. Hãc eius mentẽ Roberti Ariminẽſis perfidia, de quo ante retulimus, haudquaquam teneri permiſit. Qui eo ꝓceſſit amentię, vt merito pœnitendum cõſilii fuerit. Eius hoc initium fuit: Poſt dimiſſam Ceſenã ciuitatem, quam mortuo Malateſta inuaſerat, ne ſine cõmodo (quod noſtris morib. accidit) temptatum facinus eſſet, ad oppida quædã dono illi a Pontifice data additum & ſtipendium militare eſt ſupra ſortem ætatis, vt cum honore agere inter Duces Eccleſiæ poſſet. Veniens quoq; non multo poſt Romam benigne ſuſceptus eſt. Quia vero contra Aragonenſes Neapolitano bello pro Andegauenſibus ſenſerat, proptereaq; dominatum pene omnem Pater amiſerat: putabatur ex vetere damni accepti memoria graues cum Ferdinando inimicitias exercere, tutoque adminiſtrationem omnem cuſtodiæ aduerſus illum poſſe committi. Itaq; Pontecuruum oppidum, quod ad fines noſtri agri poſitum ex iis vnum erat, quæ repetebantur à Rege, cum equitibus circiter ducentis totidemq; peditibus in præſidium miſſus eſt, menſeſq; iam nonnullos in credito munere perſeuerans ab omni incommodo locum ſeruauerat. Sed accidit per eos dies Sigiſmundum, qui à Peloponeſiaco Venetorum bello in Italiam redierat, valetudine aſſidua fatigatum Arimini vita excedere relicta arcis ciuitatiſque cuſtodia Iſottæ vxori, quam Pellicem prius, inde matrimonio adiunctam perditè amauerat. Ea vero non ignara obitu viri vicarium ius loci ad Eccleſiam rediiſſe, parum fidebat ſola ſine liberis in aduerſa ciuium voluntate alienam rem retinere. Quamobrem etſi nouercali odio in Robertum eſſet: tamen quod in re militari exercitatus, cum & ad defenſionem idoneus crederetur, benigne ad eum ſcribit, monens, vt quando ſine præſidio ciuitas ſit, ad eam conſeruandam maturet: Futurum vt communi amborum conſilio, ſuo vero inprimis, omnia regerentur. His acceptis litteris, Robertus non tam caſu patris triſtatus quã nuncio Iſottæ lætus, concipere ex illa vocatione dominatum Ariminenſem incepit, fidens ſi modo adminiſtrationis partem adiſſet, nouercam opprimi poſſe, adoleſcentemq; e Saluſtium ex altera cõcubina fratrem aliquo ablegari. Huic ſpei ea modo res erat aduerſa, quod non facilem ad dimiſſionem ſuam futurum Pontificem iudicabat, partim quod præſidiũ neceſſarium Põtecurui relinqui nollet, partimq; reditu ſuo cõfirmari ciuitatem timeret, cuius ipſe potiundæ deſiderio teneretur. Itaq; vno aſtu fallere Iſottam & Paulum cogitans, Romã ſubito venit, nuncianſq; magnis de rebus veniſ-

De ducatu Sorano. p. 393

Sigiſmundus Malateſta moritur.

Robertus Malateſta Pontificem fallit.

ſe ſe, vt primum admiſſus eſt: Hem tibi, Pōtifex inquit, ſine cōtentione Ariminū. Pater defunctus eſt. Ciuitas auctoritate vacua, & præſidio, nutat. In mulierem ſumma omnium reſpicit. Ea opis egens atque conſilii, adiutorem nunc quærit ſubſtentatoremq; oneris inſueti. ſi per te liceat, ſexto illic die conſtitutus paucos æque poſt dies omni ad me deriuata cuſtodia, arcem ciuitatemque liberam tradam, eā laturus mercedem facti, quam tu iuſtam cenſuris. Admiratus orationem hanc Paulus, quæ vultu adhuc erat quàm verbis præſentior: Et qua, inquit, fiducia Iuuenis tantam rē polliceris? An neſcis Iſottam tibi inimiciſſimam eſſe? nec paſſuram defuncto Sigiſmundo Arimini agere, quem viuo pati non potuit? Ad ea ille inquit, Coniungunt ſępe tempora quos non conciliat ſanguis. Neceſſitate iam mutauit nouerca animum. Hem tibi ad me litteras chirographi ſui, quibus in partem dominatus Ariminum vocor. Et ſimul epiſtolam inſpiciendam porrexit. Paulus vt manum mulieris agnouit, quæ ſibi ex nonnullis ante acceptis litteris non erat incognita, vocationemq; veram inſpexit, credere cœpit, ſi modo voluptas Roberto eſſet ad perficienda quæ diceret, poteſtatem quidem per eam occaſionem non defuturam. Id modo veniebat vnum in metum, ne, vt deſertum præſidium excuſaret, miſſionemque acciperet, ſpectante aliud animo verbis hæc mentiretur. Itaq; ad allicienda veri indicia ſermone diutius tracto, cum inter loquendum frequentius oſtenderet placere ſibi conſilium: ſed mutationem propoſiti formidare: contendebat Robertus, quanto artificio poterat, ad ſpem oblatam animum illius confirmare: crebro inter argumenta perfidiæ repetens, neſcire ſe quo alio poſſet conſilio domum reuerti, aut ſucceſſum rerum ſibi proponere, quando & Sociales paternis iniuriis haberet infenſos; Venetis longo experimēto fidendum non iudicaret: Contubernium autem nouercæ confirmatis iam rebus ſuſpitioſum cognoſcetur. In hoc ancipiti poſitus Paulus, cupiditate tādem in aſſenſum trahente dimittere illum conſtituit, & fortunam promiſſorum temptare. Sed vt præmiorum expectatione minus loci ad animum mutandum permitteret, mercedem facti eodem in colloquio dicit. Ea fuit Senogallienſis ciuitas, & cum circunſtanti agro Mondauium oppidum: Militaris quoq; conditio iuuene grandior. Super hæc autem alterius neptium cum dote locupleti coniugium, vt videlicet per hanc quoq; affinitatem maiorū concepta ſpe cupidius inceptum peragerct. Ea omnia Robertus ſumma voluptate ſe accipere ſimulans, maioraq; meritis dicēs, vt certiorem de ſe opinionem præſtaret, chirographum inſuper ſcribit, obſignatumq; annulo Pōtifici tradit, quo & Ariminum patris obitu factum Eccleſiæ confitetur, & pertinere ad ſuum ius negat, dediturumq; illud confirmat mox vt poteſtatem aliquam accepiſſet. Diris identidem deteſtationibus ſuo capiti diuina iudicia imprecatur, ſi fidē deditam violaret. Hoc chirographo Paulus ad ſpem ſuam amplius confirmatus, vt nullā adiiceret deuinciendę mentis illecebram mille aureis abeuntem eſt muneratus, Ducibuſq; Eccleſiæ, qui vicina Arimino hiberna habebant, per litteras imperauit, vti in omnem ſtabiliendæ ciuitatis conatum vocanti illi adeſſent & iuſſa implerent. Bona ſpe Pauli dimiſſus Robertus eſt: ſed non eodem ille animo abſceſſit: patri nimirum & generi correſpondens: quorum à ſceleribus maior quam à virtute fuit nobilitas. Erenim illa ipſa nocte qua hæc ſunt conſtituta, vix dum domum reuerſus nūcium cum litteris (Bentius is fuit quidam) ad Ferdinandum mittit, qui de ſua ad Sociales defectione propoſitis conditionibus agat, & militare ſtipendium paciſcatur, paratus, vt mox eſt intellectum, Ciuitate ad ſuam poteſtatem traducta reliquum patris ac pattui dominatum illorum ope redimere. Ariminum igitur veniens lętis ciuium ſuſceptus eſt animis, non tam ab Eccleſia auerſis, in quam tacite inclinabant, quàm recordatione vetuſtæ familiæ ex cuius tanto numero hunc modo & Saluſtium, quē dixi, ſupereſſe videbant. Eam ille occaſionem arripiens, nullam popularitatis operam omittebat, qua & ſtudia ciuium conuertere ad ſe poſſet, & tyrannidem concupitam inuadere. Factum autem eſt breui, vt nouerca metu cedente mox & ſepoſita ad eius imperium omnia traherentur. Memor vero inter hæc chirographi dati id vnum maxime laborabat, vt ab omni conceptæ perfidiæ ſuſpicione animum Pauli abduceret, ne illa reſcita ante turbari poſſet, quàm perfici. Ita ad eum frequenter ſcribens nunc condicta exequi ſe confirmabat, nunc res Ariminenſium ad negotium inclinari, nunc

Roberti cum Ferdinando Rege tractatus.

ri,nunc Iſottam,quæ plurimum incepto obſtaret, ſepoſitam eſſe, nunc paululum quid reliqui ad complendam rem ſupereſſe. Perpetuis autem litteris certam propinquam deditionem ſpondebat. Quibus in diem magis illectus Paulus ire Ceſennam iuſſerat Laurentium Antiſtitem Spalatenſem quæſtorem ærarii, à quo & præſidia ſub tranſigendi tempus mitterentur ad illum,& ciuitatem ſi dederetur,conditionib. quas vellent ciues in fidem acciperet. Ille dum in hunc euentum paratis omnibus Ceſennæ agit,Neapoli interim Bentius ſyngraphis datis acceptiſque defectionem tranſegerat,quibus & defenſio ciuitatis in triennium pacta erat, ſi qui intuliſſent arma,& annua decem millia nomine militiæ pendebantur. Ea vero vt indicata Roberto ſunt,maioribus iam fidens præſidiis nouum opus aggreditur,quod perfidiam cum fructu detegeret. In omni ditione,quam Sigiſmundus & Malateſta frater olim tenuerant,popularium quidem cæterorum animi ſatis iam conciliati Eccleſiæ videbantur, permiſſis vbique magiſtratibus, qui nulli antea erant, libertatiſque forma quadam per publicam adminiſtrationem conceſſa. ſolos autem aratores licentiæ veteris adhuc cura tangebat,qua æquo animo carere non poterant:etenim quod Malateſtarum domus maleficiis continuis obnoxia honeſtiores quoſq; locorum ſemper offenderat,minuſq; propterea id genus hominum pacatum ſibi putabat, ruſticanam turbam,quæ vbiq; pars magna,& pugnatior erat,artificiis diuerſis in illos armauerat, nunc criminationibus vtroſq; committens,nunc in mediis contentionibus ſuperiore ruſticorum conditione litem diffiniens,nunc etiam damnatorum bona ad alenda odia agreſti multitudini largiendo. Quam illi indulgentiam ſub præſidibus noſtris æquato omnium iure angebantur amiſſam. Eam mentium ægritudinem nõ ignorãs Robertus ab illa potiſſimum ad recipiendum Ceſennam aditum præparabat,ſperans opportunitate validæ ciuitatis,ſi conſilium perfeciſſet, nõ modo vlteriorem Flaminiæ:ſed citeriorem quoq; Piceni agri dominatum à patre patruoq; poſſeſſum recipere. Itaq; temptatis ad proditionem aratorum quorundam animis, quos non facultatibus modo & cognationibus,ſed audacia quoq; præſtare cognitum erat, nullo illis negotio reditum perſuadet,ſua ſponte,vt diximus,à Romana re ſatis auerſis. Conſtitutis iam omnibus,dieq; ad perficiendum decreta,accidit caſu vt vno ferme tempore & Roberti defectio,& horum occulta rebellio pateſieret. Suſpecta iam cœperat Quæſtori fieri tam longa tradendi Arimini mora: eamq; ſuſpicionem duæ res maxime auxerant, altera quod variantibus litteris (vt eſt mendacium mos) plerunq; ſibi non cõſtabat Robertus,altera quod omnia intus fieri ad arbitrium eius cognouerat, nec aliud quam mutatam mentem per craſtinationem hanc arguebat. Itaq; ad phanum fortunæ nauigandum illico cenſuit,ciuitati illi eo impenſius timens, q; & aratorum plus habebat,& minus quam cæteræ putabatur pacata. Inde explorare Roberti conſilia cœpit,& nunquid clandeſtini mali in agris aleretur cognoſcere. Diebus *Bentius interceptus.* paucis in ea diligentia abſumptis,Bentium,qui Neapoli rediens per auia mutata veſte iter habebat,ad extremos Anconitanorum fines comprehendit,afferebatq; is ſecum conuentorum cum Socialibus ſyngrapham, partemq; pecuniæ in ſtipendium datam,Ferdinandi nomine & ſigno recenter percuſſam. Ad Quæſtorem perductus ſine quæſtione defectionem confeſſus eſt,in fidemq; defectionis conuenta cũ pecuniis protulit. Indicauit quoq; qua die Robertus patris obitum accepiſſet,alieno ſemper in Pontificem animo fuiſſe,ad extrahendaq; in hunc exitum tempora vana ſpe illum duxiſſe. Inter hæc etiam certis indicibus de coniuratione Ceſennatium nunciatur,quæ augebatur in dies,& duces multitudinis deſignantur. Quibus periculis adductus Quæſtor cunctandum non ratus,Ceſennam ſubito reuectus eſt, comprehenſiſq; auctoribus mali,cum eorum confeſſionibus vera omnia didiciſſet, paucorum ſupplicio motum compreſſit,nil iam ſibi à Roberto in tanta propinquitate tutum exiſtimans. Cunctis autem,vt geſta erant, Romæ nunciatis, admiratio ingens Pontificem cepit indignationi & pudori admixta. Admirabatur centeſimo vix à conſtitua pace die eam potiſſimum fœderum conditionem violatam à Socialibus eſſe,cuius ipſi petendæ paciſcendæq; auctores extiterant. ea erat, ne cui militem alterius ſtipendii,qui dimiſſus non eſſet,ad ſuum liceret traducere. Videbat quoq; rem publici riſus eſſe,ſibi id ætatis Pontifici à iuuene impoſitum dici, adiutamq; putari

nimia credulitate tyrannidem eius. Sed illud imprimis erat moleſtum, q. tanto ſuo in fœderatos datæ pacis beneficio, tantiſq; in Sigiſmundum patrem & Robertum filium collatis honoribus, hæc tam ingrata redderetur dettimenti & dedecoris merces. ac ſane (quod bonorum ſermonibus conſtare tunc vidi) inique à Socialibus factum eſt, quos nec pactæ fidei, nec ſuſcepti iuriſiurandi ad violanda fœdera memoria tenuit. Hoc amplius autem peccaſſe Ferdinãdus eſt iudicatus, q. in amiſſum bis regnũ bis Romana Sedes illum reduxerat, ſemel decreto ſuo, iterum annorum quinq; bello grauiſſimo. His addebatur, quod cum à legato Cardinali appellatus Rex eſt, Regnique coronam ſolenni more accepit, inter ſacra altaria fidem patrociniumque in omnem noſtrum caſum iurauerat, eiuſq; rei documenta chirographi ſigniq; ſui adiderat, quæ in Archiuis apoſtolicis in hunc diem ſeruantur. Sed nos quoque errati noſtri ea in re forſan pœnas expendimus, pollutique honoris diuini dignam à Deo vindice retributionem accepimus: etenim memores eſſemus licet Sigiſmundum patrem quinquennio ante ſummo Sedis iudicio conuictum hæreſis damnatumque eſſe, hæreſimq; ipſam armis vrgentibus, non voluntate publice obiuratã pœnitentiam inde nullam ſuſceptam, nulla documẽta ſanitatis mõſtrata: Omnia vero eundem vitæ tenorẽ ſeruaſſe: tamen ad retinendam his delinimẽtis, variam mentem inuiolatum ante illa anniuerſarium aureæ Roſæ donum magnis myſteriis religioſo anni tempore conſecratum præſenti illi decreuimus, protinuſq; ab æde diui Marci Pontificis ad diuerſorium eius medium inter ſeniores Cardinales traduximus, omni collegio & turba patrum ſequente. Quã rem & admirata omnis multitudo eſt, & indignam noſtro miniſterio iudicauit ludibrium arbitrata, à contemptore ſacrorũ ſacratiſſimam rem circumferri, eoſdemq; qui paulo ante atrocibus decretis perditũ illum voluerant, celſo nunc religionis teſtimonio, velut agnum immaculatum populo oſtentare. Sed huius noſtri parum penſati operis veniam indulſerit Deus. De nobis tamen hi vulgo ſermones habiti ſunt, atq; hæc retributa per filium merces. Auertendi autem ab Eccleſia Roberti illa fuit imprimis Socialibus cauſa, quòd circũuenire vndiq; Pontificem cogitabant, ne in vltionẽ ſuam, ſine magnis periculis poſſet aſſurgere. Timebant enim Tolphitanam iniuriam, quam recentem nouerant, & ab ignominia, non minus quàm damno inſignẽ: proptereaq; & Alexandrum Sfortiã quanquam Regi infenſum, & Neapoleonem Vrſinum aſcire ſibi ſtipendio nitebantur: vt videlicet Pontifex amiſſa ſpe Ducum, qui nulli iam liberi in Italia linquebantur, iniecto etiam plurib. ex locis metu, quaſi intra munitiones obſeſſus cõtineretur: Flaminiæ autem imprimis timeret: quam recens ad dominatum noſtrum reductum Malateſtei adhuc nominis memoria teneri non ignoraret. Paulus his omnibus circumſpectis duo inprimis procuranda ſibi putauit: alterum, vt ſi qua ratione poſſet, Roberti perfidiam vlciſceretur, qua in re reſtitutum iri ſuam exiſtimationem videbat: alterum, vt maioribus copiis dum facultas eſſet communiret eccleſiam: itaq; & Alexandrũ, & Neapoleonẽ, quos antea ſe offerentes pacis fiducia recuſarat, nouis ſtipendiis obligat, equitumq; ac peditum quam maximum poteſt, nam ſcribit, excuſans ad tuenda ſua, non permiſcenda aliena id ſtudium pertinere. Cum Neapoleone imprimis, cæteriſq; Romani agri Vrſinis in gratiam redit, quorum mentes ab oppugnatione Tolphæ ſciebat offenſas. Porro autem (quod ante eam diem defugerat) fœderibus ſe cum Venetis iungit, à quibus equitum millia quatuor, & peditum duo, ſi inferretur bellum, ex ſuis copiis offerebantur: inter hunc apparatum Ferdinandus, ſiue vt belli metum Pontifici demeret, cuius trepidationem ex comparandis copiis arguebat, ſiue quod Tolpham circumuentam vndique dominatu noſtro ceſſuram tandem putaret: idq; dedecoris ſui futurum proſpiceret maxime quod diſpoſitis vndiq; cuſtodibus mari, quæ via vna erat reliqua, ægre ſubminiſtrari præſidia poterant, ad illum mittit, quod venditionem loci Ludouici nomine offerant preciumque dicant, quantum æquis æſtimatoribus videatur. Eam rem ab initio Paulus, nec repudiabat plane, nec admittebat: ignominioſum exiſtimans de ſubdito ſuo legem dici ſibi, & quod armis euincere minus potuerat, pro eo nunc cogi pecuniam pendere. Sed mox tempora conſiderans, quæ vtilitatem indignationi præferendam monſtrabant, ad liberandum inteſtina moleſtia Romanum agrum ſententiam

Pontificis propoſitum.

Cum Venetis fœdus.

tentiam inclinauit. Miſſis igitur lectione concordi, qui Toparchia inſpecta arbitrarentur pretium, ſedecim millibus nummum auri eſt empta. Per eoſdem dies intentus Quæſtor ad vindicandam Roberti rebellionem, grauiſſimis primum edictis vetuerat, ne cui ex noſtris quod ad victum pertineret inuehere Ariminum præter vinum liceret, putans obſidionis partem in laboranti fame populo eam eſſe. Tum & de capienda ciuitate conſilium cœperat, quam ad rem magno imprimis ſilentio opus arbitrabatur, nec ex tam propinquo loco, vel ſigno aliquo detegeretur inceptum: porro autem ſolertia & aſtu, quod acerrimus ad cuſtodiam Robertus eſſet. Neque in ea tempus vllum diurnum nocturnumve remitteret. Neceſſarium quoque videbat, vigilum aliquo conſpirante irruptionem iuuari. Quæ omnia his rationibus ſunt ab eo comparata: primum diligentiam ſimulans muniendæ acrius ciuitatis ob proximum coniurationis periculum pedites circiter quadringẽtos ex veteranis collectos, intra arciũ munitiones concluſerat plenius quam vulgus peditum ſoleat armis inſtructos: eodẽ per noctes plurimas, cõtulerat ſcalas cæteraq; id genus ad irrũpendũ idonea. Scripſerat etiam turmam equitum vnam, quam paratam intus, velut ad præſidium continebat, & vigiles nonnullos ſecundæ Ariminenſis portæ promiſſis illexerat, vt in ipſo irrumpendi conatu, quaſi periculo territi, vel relinquerent ſuper imminentis turris præſidium, vel remiſſius obſiſtendo facultatem occupandi aditus darent. ad hæc perficienda diem ſtatuerat Sextum Idus Iunii. Itaque pridie eius diei comparatis iam omnibus fidiſſimos cuſtodes ad portas Ceſenæ diſponit, qui ingrediendi paſſim, egrediendi nulli omnino poteſtatẽ permittant: cauens ne ad extremum producto apparatu nuncius horum Ariminum præueniret. Antonellũ quoq; Foroliuienſem, virũ fortẽ, duarum turmatũ præfectum, qui in proximo Talamello oppido æſtiua ſuorum habebat, ſub veſperum monet, vt mane ante lucem Ceſennæ adſit: quod ille cum mature impleſſet, meridiem verſus vocatis ad ſe primis ordinibus, conſilium aperit in eam horam clam habitum: docet, quanta improbitas Roberti ſit, quantaque in Pontificem ingratitudo: quantæ porro laudis futurum intelligat, ſi eorum virtute ciuitas opportuna Eccleſiæ perditi hominis tyrannide vendicetur. addit præmia, quæ hoc confecto negocio expectare à ſe Pauli nomine debeant: Direptionem prius locupletis vrbis, ſi dimicare malit, quam dextram irrumpentibus dare: duplex inde in ſingula capita ſtipendium, & militares cuique pro conditione ordines: gratiam denique perennem Romanæ Sedis, quæ memor facti ſit ſemper futura. Ab his exhortationibus dimiſſi illi curare equos & corpora iuſſi ſunt, moxque expeditis omnibus ad decimam diei horam totis copiis conuenire: qua hora ipſe incenſo equo ad portam quæ Ariminum ducit progreditur, ibique cum primis copiarum conſiſtens, ſingulos tantum qui noti ſuis ductoribus eſſent emittit: qui noti nõ eſſent intra muros male mulctatos repellit. Portis ſubinde clauſis præſidioque firmatis iter ingreditur. Præfecti à lateribus diſpoſiti erant, qui attentiſſime obſeruarent ne quis via excederet: omnes autem quam arctiſſimo agmine continerentur. præmiſerat etiam aliquanto ante fidos nonnullos, qui ad viarum exitus eos exciperent, quibus Ariminum iter eſſet vel priuati negocii, vel nunciandi motus cauſa. Duo ad deſignatum opus patebant itinera: alteram pone littus maris, qua incultior ager eſt: alterum per continentem interius. Hoc quia celebrius erat, & vicos vndique frequentes habebat, minus ad celandum idoneum habebatur. Itaq; maritimam viam tenentes, cum ab ſexto tantum milliario abeſſent: conſiſtere agmen iubent, & ſub armis paululum quietis accipere. Inde rurſum progreſſi, ex vicino ſacello in pernocti luna conſpecti ſunt: cuius Sacerdos conclamare iam arma campaniſq; perſonare bellicum cœperat: cum ſtatim expediti quidam illuc curſu delati Sacerdote capto funibuſq; abſciſſis indicium ſuſtulere. Ciuitas Ariminenſis ad littus Adriatici maris tota eſt poſita: ab Oriente vero & Occidente duo eam claudunt ſuburbia frequentia ædificiorum & incolentium numero, dimidiam partem interioris ambitus adæquantia. alteri beati Geneſii: alteri, quod eſt ad Occidentẽ, Iuliani eſt nomen: vtrunq; ipſi ciuitati pons ſuus coniungit: ille ex ſublica tantum: hic ex pulcherrimo vetuſti operis marmore factus, quem ex quatuor fuiſſe perhibent, quos Auguſtus Cæſar ſtrata Arimino tenus Flaminia via ad tranſitus fluminum maiores extruxerit. Sub his quoq; amnes decurrunt duo, ab Occidente Ariminus, vnde & ciuitati eſt nomẽ,

Arimini ſitus.

Mareculam incolę vocant:& ab Oriente Aueſa minor aliquanto atq; anguſtior. cōmunitionem vtraq; in circuitu habent, partim ex vallo tantum ac præalta foſſa, quā vtrobiq; non tam manus, quam hibernis torrentibus aucti amnes effluente aqua efficiunt, partim ex muris ambobus ad primum aditum ſingulæ portę cum modicis turribus ſunt, atq; ante has reductiles pontes. Præmiſerat Quęſtor mane quod noctem hanc anteceſſerat, iuuenes fortiſſimos ſex viatorum habitu adornatos, qui ad Sacellum Mariæ Virginis in Laureto miraculis tempeſtate hac celebre, voti ſoluendi gratia ire ſe ſimulantes, quaſi iuſto confecto itinere ad Iuliani portam qua proximum eſſet diuerſorium ea die ſubſiſterent: ſequenti vero mox vt exire in agro cœpiſſent oppidani, primiq; ex noſtris aduentare conſpecti eſſent, portam diſtrictis gladiis occuparent, quos ad eam rem veſte tectos attulerant. Igitur cum iam propinquatum ciuitati eſſe intelligeret Quæſtor, atq; horam tranſigendi appetere: timeret vero matutinos Roberti exploratores, qui prima luce ante aliorum egreſſum mitti quoquouerſum ad veſtiganda loca ſoliti erant, iubet partem copiarum in vicinas muris ſegetes quàm occultiſſimam agere, atq; inde illos excipere: exceptis autem mox vt patefacta eſſet aratoribus porta, recta in ſuburbium, atq; inde in pontem vrbemq; contendere. Ipſe reliquis copiis ſenſim ita ſuccedit, vt perceptis clamoribus adeſſe illico in auxilium poſſet. Albeſcente ergo iam die ex Iuliano ſuburbio equites tres ſpeculatum egrediuntur. Ii circum portam explorant prius omnia: mox ad proximas verſi ſegetes, vt eas in ſeſſas viderunt, ſublato clamore in fugam auertuntur: noſtri nullum amplius inſidiarum vſum videntes, vndiq; in eos impetum faciunt, vnoq; interfecto, aliis per deuia elapſis, ad portam ſine mora accelerant, foſſamq; reductum pontē eadem celeritate aſcendunt, catenisq; disfractis ad cæterorum ingreſſum deiciunt. qui vero intus occaſionem occupandi aditus, vt diximus, expectabant, tumultu accepto ad aperiendam ipſi portam nudatis enſibus aduolant, nulloq; repugnante conata perficiunt. Ita breui ſpatio ſummo militum ardore tam pediti quàm equiti aditus eſt patefactus. Protinus ex eo loco ad alteram interioris vrbis partem paribus animis, ſed non eadem felicitate contenditur: ſenſerant enim iam & ſuburbiani omnes, & qui ad cuſtodiam excubabant, exploratorum clamorem, mox & irrumpentium ſtrepitum, conclamatiſq; armis plurimos ad ſuperſtantem turrim exciuerant. Itaque noſtri cum diu ad eam perrumpendam obnixi viribus molirentur multitudine telorum, quibus denſi attatiq; inter ſpondas pontis de loco ſuperiore neceſſario vulnerabantur, ad alteram eius partem ſeſe receperunt, atq; ibi ſtatim foſſa ingenti in obliquum perducta aggereq; altius eleuato, propugnaculis eum communiunt: vt & populi iam armati ſuſtinerentur impetus, ſi qui in eos fierent, & tormentis minor eſſet ad nocendum facultas. Opere abſoluto redit in ſuburbium Quæſtor ad direptionē prohibendam, in quam ſe iam verterant pedites: optabat enim ſi fieri poſſet, ad retinendos fideliùs animos, fortunas cuiq; ſuas, & ciuitatem Ariminenſibus conſeruare: idq; prima diligentia facile eſt conſecutus, ſublato tumultu, reſtitutis ſi qua diſtracta iam erant. Sed cum poſt paulo Alexander Sfortia ex Piſauro vicina ciuitate affuiſſet mille equites ducens: nonnulli item turmarum Præfecti in hunc caſum vocati, fedatum incommodum tanto impetu innouarunt, vt nulla imperia aut coertiones Ducum contra armatam cupiditatem valerent. Ita direptis omnibus mulieres tantum, & pueri in vicinum Sacellum coacti, à cæteris quæ fert militaris ſcientia ſunt conſeruati: quin & ſequentem diem expediendis ad oppugnationem neceſſariis indulſerunt: temptaturi fortunam pugnæ, qua infirmiſſima murorum pars videretur. Patebat ad mare Septentrionem verſus tertium ſuburbium, vltra Marecculam muros inter, & littus meritoriis tantum tabernis, & mercium repoſitoriis non admodum frequens. Amnis ab ea parte altitudine ſua magnus non erat: cæterum ſuſtinente, vt fit, decurſum mari, ad exitum augebatur, portumq; minoribus nauigiis faciebat, tunc quidem profundior, cum ex alto incitauiſſent ſe æſtus: quod bis ſemper horarum vigintiquatuor ſpatio contingebat. Ad eius portus præſidium ſupereminebat turris munita, ſecundumq; eam quantum in longitudine porrigitur ciuitas, vacua erant ædificiis omnia. Ex eo igitur loco tertio iam obſidionis die ſtatuit Quæſtor in vrbem tranſcēdere, quod humiliora quàm cæteris in locis mœnia videbantur, & propter flumen inter-

Ariminum ſtratagemate tentatur.

interiacens minor ad muniendum fuerat Ariminenſibus cura. Itaque prima luce deceſſum maris obſeruans cum parte copiarum amnem celeriter tranſit, equite ab armo equorum, pediteà capite tantum ex aqua exſtante. In ripam vlteriorem ſtatutus nullo negocio ſuburbium occupat: inde turrim ipſam expugnat, ſuperque eam ad terrendos oppidanos vexillum Eccleſiæ collocat. His actis in Iulianum recurrit, productoque omni ad inſcendendos diruendoſque muros neceſſario inſtrumento, cum reliquis ad inchoatum opus regreditur. Magno animo ad oppugnationem proceſſum eſt. Iamque in ſummum murum pedites quidam euaſerant, ad imumque alii vectibus perforabant, cum perſonato interim in ciuitate bellico populus vndique frequens direptionis metu, ad diſtinendum aſcenſu hoſtem decurrit, celeriterq; qui aſcenderant opprimit, in muroque conſiſtens ſua multitudine locum defendit. Irritum inceptum noſtri Duces videntes, ne detrimenta ſine inferendi ſpe vlterius caperentur, cani receptui iubent, & militem quod meridies iam erat, curare paululum corpora: conſilium mox inituri tenere locum, an cedere vtilius ducerent. Vix primũ cibum ſumentibus: Robertus patefacta porta, quę in id ſuburbium ducit, tribus equitum turmis, quas pręſidii ſui cauſa ab initio intus habuerat, peditibuſque circiter ducentis in eos defertur: ratus quod veriſimile erat, pugna & æſtu languidiores factos noſtros recentibus ſuis facile terga daturos. Sed Quæſtoriani celeriter reſumptis armis directaque acie, erumpentium impetum fortiter ſuſtinuerunt, ludibrium æſtimantes, quos modo per muros petiſſent, ab iis ęquo campo nunc vinci. Acerrime diu pugnatum eſt, & Marte ancipiti: tandem ſentiente Roberto ſuorum vulneratos multos, duos etiam turmarum præfectos captos, reliquos iam durius premi, ſenſim referre pedem cœpit, & intra ciuitatem agmen reducere. Quod ſi vel paululum vltra dilatum, aut minus accurate factum eſſet, ſuccedentibus maiori impetu noſtris, permixtis agminibus penetratum in vrbem, debellatumque ea die fuiſſet: ita obiectus murus clauſæque illico portę periculum imminens auertere. Erant multa quę retineri hunc portum diſſuaderent: ſed imprimis paucitas copiarum, quæ diſpartita ad tuenda duo diuerſa ſuburbia fiebat infirmior, contraq; ſolertem hoſtem eruptionũ opponebatur periculis. Ad hæc Interfluens amnis recurrẽte ęſtu adauctus certis horis tranſiri vado nõ poterat, mutuamq; opem laborante ſtatione altera prohibebat: accedebat quoq;, quod cum à muris ad exitum fluminis, per quem minori periculo erat tranſmiſſus, trecenti minus intercederent paſſus, nec pabula equis, nec commeatus militi ſine detrimentis poterant tranſportari, contingentibus illucuſque ſpingardis, quę in muros diſpoſitæ ſine intermiſſione ad tranſitum operabantur. Itaque videntes noſtri, eam eſſe naturam loci, vt etiam derelictus nunc occupari nihilominus iterum poſſet, ſi vſus accideret, clangentibus tubis (quod eſt ſignum noſtris moribus cum abitur, non fugitur) relicta Marecula per diuerſam regionem circuunt ciuitatem, & ad Iulianum toto agmine reuertuntur. Non ſuccedentibus primis his tridui conatibus reliqua ſpes in deiiciendis mœnibus erat propoſita. Quamobrem ad ripam Mareculę ingentes bombardas quatuor opportunis locis conſtituunt, quę aduerſum alterius ripæ murum aperiant. Earum quæ maior erat, ducentarum & quinquaginta, altera centũ viginti, duæ reliquę octuaginta librarum lapidem emittebant. Inter has quoque ſpingardę circiter triginta frequenter incenſæ requiem cedenti muro non dabant. Paratę inſuper erant biremes nonnullę, quæ oram littoris allegentes, nihil commeatus aut præſidii paterentur inferri, parque à continenti ac in circuitu cuſtodia. Ad auertendos quoque tam præſidiariorum militum, quam ciuium animos diuerſa edicta ad ipſa ciuitatis mœnia pronunciari ſunt imperata, quibus & Roberti adiutoribus pœnę, & qui fauiſſent nobis præmia permagna nunciabantur. Ea cum propter armorum ſtrepitum minus ab interioribus poſſent intelligi, ſcripta, & ad ſagittas deligata ad eos ſunt iacta. Robertus non ſegnius ducendis interius foſſis aggeribuſque pro muro attollendis operam dabat. ad turrim quoque, quę portæ marmorei Pontis ſuperſtabat, in opera noſtrorum, atque adeo in reliquum Iuliani ſuburbii tormenta ſua contulerat, quibus omnibus grauia vtrinque & accipiebantur, & inferebantur incommoda. Ab ipſa turri in aggerem noſtrum, quem diximus ad primum pontis aditum excitatum, bombarda vi ingenti delata propugnatores quinque eodem turbine miſeran-

Ariminum obſidetur.

dum in modum arripuit: Quorum vnius viri fortiſſimi, qui turmæ præfectus erat, caput & brachium ad locum vſque in quo Alexander tendebat, ducentorum circiter paſſuum ſpatio detulit, coxas & crura ſub ipſo aggere alliſit: reliquum vero corpus ad longinquam diuerſamque portus partem adegit. Alterius armaturam totam induti nihil (quod miraculo paſſim fuit) præter vnicum brachiale inuentum eſt: cum tamen ad ſepulturam diligenter eſſet quæſitus. Defleuit hunc caſum omnis exercitus, ipſeque Alexander imprimis, apud quem Pręfectus à puero educatus, annis ſupra triginta præcipua virtute meruerat.

Huius tam ſubitæ tamque inexpectatæ obſidionis vulgata per Italiam fama ſiniſtris pene cunctorum animis accepta eſt, atque in expectationem maiorum motuum omnes arrexerat. Venetos id male habebat, quod ſe inſciis, cum ſocii eſſent, inchoata tanta res eſſet, quodque ad eam diem ſeruandi Arimini cauſam ipſi præſtiterant, non tam Malateſtarum gratia quàm ſua, quos certum erat captaſſe opportunitatem ſemper eius ciuitatis ad ſua imperia traducendę, quam ad Eccleſiam reductam, ad ſe peruenturam non cernerent. Regem vero, Florentinos, & Mediolanenſem publica expectatio angebat, quod Robertum à Pontifice ad ſe auerſum perire, neque æſtimationis ſuæ ducerent eſſe, neque ad retinenda aliorum in ſe ſtudia pertinere: Denique quod opportuniſſimi loci acceſſione attolli animos Pontifici nollent, quem à proximis iniuriis alienatum hoc facto nõ crederent. Neminem ea res magis, quàm Federicum premebat Socialium Ducem: quippe decimo ab Arimino miliari ditionis ſuæ vltima habẽs, plane intelligebat, tam vicina Eccleſia, atq; omni pene potita Flaminia cedendũ ſibi dominatu futurũ, cum Romani Pontifices vel ſola epiſtola imperarent. Itaq; collatis inter ſe dies aliquot conſiliis, tandem vno decreto litteras primo, inde Oratores ad Paulum mittunt, aperte denunciantes, ſi nõ decedatur Arimino, obſidionẽ mox armis vlturos. Ea vero cũ ferocius dicerentur, minuſq; aſſiduis fatigaretur Pontifex: reddique reſponſum illi depoſcerent: vocat in conſiliũ Patres, rogatque ſententias: Deſerenda ne incepta putent, an proſequenda. Erant qui Venetorum fœderis ignari, quod in eum etiam diem clam habebatur, noſtras, & aduerſariorum expenderent vires: Videretur in vnum Pontificem potentatus tres pugnaturos: Veteranum apud eos militem eſſe, apud nos collectitium: Duces illis & ſummos, & cauſæ affectos: Nobis vt claros non tamen incepta noſtra ſatis probantes, quod à ſubditis in ſubditum eſſet pugnandum: quieſcendum propterea dicerent, & in opportuniora tempora Roberti vltionem ſeruandam. Cuius ſententiæ cum Cardinalis Hoſtienſis, homo ingenioſus, auctor fuiſſet, interfatus illico Pontifex, Abunde, inquit, mihi eſt omnium, quæ ſunt neceſſaria. Putari non debet, tantam à me rem incerta ſpe inchoatam. Poſt quam vocem cum intellectum eſſet, non placere conſilium: Reliqui paucis exceptis: continuandam obſidionem dixerunt. Ita ex Senatus ſententia reſponſum legatis eſt. Illi contendendum armis videntes negotium illico Federico dant, vti donec maiores copiæ mitterentur Ariminum, quacunque ratione poſſet incolumem ciuitatem ſeruaret. Is vero nunc arma, nunc eos milites, quorum eſſet ad propugnandum cognitus vſus, clam noctu per aduerſam arcis portam ad Robertum mittens, rem eius paulatim firmabat: identidemque hortabatur, vt obſidionem paucos adhuc dies magno animo ſuſtineret: Affuturos enim breui exercitus, qui repulſuri hoſtem eſſent, & ſua omnia redempturi: ea indiligentia cum nonnunquam miſſi ab eo interciperentur à noſtris cuſtodibus, nouiſſime ex ſclopulatoribus quinquaginta paucisque ippotoxotis, qui in præſidium vna ibant, ad quadraginta comprehenſi ſunt. Reliqui fuga ad proxima ſe oppida recepere. Confirmatior iam aliquanto ex iis factus erat Robertus, verum vt paucioribus intentus validior etiam ad oppoſita noſtrorum opera fieret, Suburbium orientale, quod diximus, munimentis leuibus circumuentum immiſſo igne incendit, habitatoreſque non ſine omnium gemitu intra ciuitatem reduxit. Ad ripam autem portus, qua noſtris tranſitus ante fuerat, ne equiti ſine caſus periculo acceſſus eſſet, obligum lintrem immerſit. Ciues inſuper ne conferre inuicem conſilia, & tædio malorum de deditione agitare aliquid poſſint, acribus obſeruat cuſtodiis, omnibus vero ſine intermiſſione aduigilat: quibus rem integram ad futurum ſubſidium proferat. Partem iam magnã murorũ tormen-

tormenta diruerant, videbaturq; ad introitũ locus apertus: ad ſuperducendum etiam flumini pontẽ erant neceſſaria omnia cõportata: ſed acri pugna apparebat opus, multorumq; periculo, quod pręter oppidanos, qui direptionem timebant octingenti iam pedites equiteſque circiter centum intromiſſi ad præſidium fuerant, cum quibus in non magno aditu per foſſas inædificataque operibus loca pugnam conſeri oportebat. Noſtrotum vero conuenientibus paulatim copiis, numerus omnis ex delectis tribus milibus equitum, & peditum duobus conſtabat: quorum tamen ea vis erat atque is apparatus, vt ad quamuis ſuſtinendam vel inferendam dimicationem idonei viderentur. Suadebat Quæſtor cum his totius obſidionis diſcrimen certamine vno temptari antequam adeſſent hoſtes, quos certis nunciis exploratum habebat ſummo ſtudio apparati: ſed Alexander ſiue irritos conatus metuens, ſiue Piſauro proximo cauens quod eius erat imperii, non tam improbabat conſilium, quam nondum illius eſſe tempus dicebat, monſtrans militaribus documentis minores multo eſſe eis copias, quam quæ tantæ oppugnationi ſatis eſſent: Expectandas maiores iter iam vt ferebatur ingreſſas: nec committendum vel cupiditate nimia vel fiducia, vt fruſtrato irrumpentium impetu, detrimento etiam (quod neceſſe videbatur) accepto frangerentur militum animi, conditioque omnis rerum ipſa opinione deterior fieret. Aſſentiri his cogebatur Quæſtor, partim quod Duci exercitato pudor erat à ſe tum primum militanti non cedi, partim quod inuitum eum nil adminiſtraturum vtiliter in pugna videbat, partim etiam quod rebus corruptis ſacti aduerſi inuidiam apud Pontificem formidabat. Itaque ſuperiore Alexandri ſententia oppugnatio in aduentum maiorum copiarũ differtur quam rem nouus Roberti aſtus vehementer adiuuit: *Roberti aſtus.* is enim ſalutem ſuam in extrahendo oppugnationis tempore collocans, quam re vera plurimum formidabat, cum antea cœnobitas nonnullos de ſua deditione miſiſſet in caſtra, iiſque velut fallaciam afferentibus parum præbitę aures eſſent, nouiſſime ex cõtubernio familiari intimum quendam quàm occultiſſime ad Quæſtorem ire iubet, rogareque, fidum aliquem mittat ad ſe, cum quo aperire interiora quædam cõſilia poſſit, quorum imprimis celatos Sociales expediat. Huic quoq; cum ab initio fides non haberetur, repetitis identidem precibus, conditionumq; præbita conſtantius ſpe, ne duritas ſua publicis bonis diceretur obſtare, tandem poſtulatum cõcedit. Ioannem ſacerdotem, Quæſtori ab epiſtolis famulantem, intelligentia & fide laudatum clam noctu in arcem ad illum mittit, Robertus id vnum attendens vt pauci adhuc ſine pugna ducerentur dies, deſertũ ſe à ſocialibus magnis lamentationibus queritur: expectata tam diu pręſidia nec dum expedita indignatur: dolet ciuitatem interim oppugnando ſemirutam eſſe: & ſubditorum fortunas cõſumptas. neſcire ſe addit, quo alio perfugium quam ad Pauli clementiã habeat: proinde Quęſtorem precari vt pactis Romæ conditionibus nunc etiã acquieſcat, Ciuitatẽ accipiat, eiuſq; reliquias integras malit quàm ciuium dolore ad internitionem collapſas. Hęc atque huiuſmodi ſæpe ad Quæſtorem delata cum veri haberent ſimilitudinẽ, tandem credi ſunt cœpta, putatumque periculis ſuis admonitum Robertum ad ſanitatem reuerti cœpiſſe. Itaque his internuntiis eo fiduciæ proceſſum eſt, vt & ſcriberentur ſyngraphę nouæ, & præter ſubſcriptionem ſignumque nil eſſe reliqui appareret. Sed dolos ille ex dolis nectens (ſciebat enim Regios exercitus iam ad iter accingi) à Quæſtore petit, qua ratione cedenti ſibi Arimino de aſſequendis quæ ex ſyngraphis ſponderentur caueri velit. Æquam poſtulationem cenſens Quæſtor diuerſa illi ad ſecuritatem proponit, quorum erat prompta præſtatio. celeritatem declinans Robertus aliud profert, in quo magis ad animum ſatisfieri ſibi contendit: rogat vt Iulius Camerinenſis ex Ducibus eccleſiæ vnus, ad tranſigenda quæ reſtent, Ariminũ aduocetur. Huius fidei (quod ſororem duxiſſet vxorem) Ciuitatem arcemque crediturum ſe ait, donec præſtentur condicta. Aberat ille tunc cum duabus equitum turmis ad Aufidam Piceni agri pene vltimum oppidum, vbi illum eſſe iuſſerat Pontifex ad arcendos tranſitu Aragonenſes, ſi vt erat fama, id conarentur. Per incommoda erat vocatio propter præſidiũ loci, & dierum plurium moram. Tamen quod occaſio vendicandæ ciuitatis præferenda omnibus videretur, velocibus nunciis Ariminum Iulius accerſitur. Eo cum perueniſſet, indicata vocationis cauſa noctu ad Robertum mittitur cum Ioanne.

Confirmantur in colloquio quę agitata diebus ſuperioribus erant. condicitur proxima nox, qua adeſſe iterum Iulius & Alexander auctoritatis cauſa debeant, ſignisq; & ſubſcriptionibus ſyngraphę ſtabiliri, quam rem à Roberto primum, inde à Quæſtore fieri conuenerat. Interim Roberto nunciatur, Feretranum cum turmis equitum quindecim & duobus milibus peditum die Calendarum Auguſti ad Iſaurum fluuium in expeditionem exiſſe, poſtridie ad Cruſtumium caſtra mouiſſe interuallo ab hoſtibus non plus quindecim milium paſſuum: expectare autem iiſdem in caſtris Aragonenſium copias: quæ magnę eſſe, & venturæ illico dicerentur: Sfortianos quoque & Florentinos dies æque poſt paucos conuenturos eodem. Quo nuncio ille exultans, extractumq; iam ſatis temporis ad rem ſuam exiſtimans, negat condictam noctem ſibi opportunam eſſe, mendaci excuſatione illata, in ſequentem deſignat. Qui cum adueniſſet ſingulari impudentia deſiſtere illos per internuncium admonet: in rem ſuam non eſſe affirmans paternis auitiſque ſedibus cedere. Inde ad bellum animos tollit, non ſpe modo ſoluendæ actutum obſidionis, ſed dominatus quoque augendi. Quæſtorem vno tempore multa circumſtabant incommoda. Videbat in deditione ſpem nullam amodo eſſe: ab expugnatione Alexandrum auerſum: quæ ipſa iam in tanta propinquitate hoſtium ſine periculo temptari non poterat: Socialium porro exercitus mox affuturos: ſuos non tantos, vt ad prohibendum ſimul & obſidendum vno eſſent tempore ſatis. perſiſtere incommodum videbatur, turpe abſcedere Itaque conuocato Ducum conſilio: quod vnum in anguſtis rebus ſupererat: ante omnia ex communi ſententia ad creditum præſidium remittitur Iulius: Inde tormenta ad vicinum munitumque Archangeli oppidum deuehuntur: partim quod iam dirutis mœnibus neceſſaria non videbantur, partim quod ad inuidendum Federicum intenti, ſi in plana deſcendiſſet, occupari ad eorum contra obſeſſos præſidium nollent. Inter hęc Alfonſus Calabrũ Dux, cum monitu patris à die nunciatę obſidionis copias ex omni regno ad ſe conuocaſſet, tranſmiſſo Truento flumine Picenũ ingreſſus eſt, atque ad Tignum amnem Firmani agri poſitis ea die ſtatiuis, ſequenti ad Muſionem inter Recanetum atq; Auximum conſtitit: tertia ad Exim, quarta ad ripã Ceſani ſub oppido Mortarolo, vltima ad Methaurum in finibus prope agri Phanenſis. Ibi quod in ditionem Federici eſſet peruentum, quatriduo ad requiem dato, ex omni numero, qui fuit turmarum quatuor ſupra quadraginta, & delectorum peditum mille, viginti tamen reſumptis turmis, reliquis Federico dimiſſis, ad loca vnde exierat eadem ferme qua venerat celeritate, & via reuerſus eſt. Fuit is eius aduentus & reditus, vt ſine prouincialium maleficio: ita & ſine ſuo vllo incommodo nuſquam deflexum via eſt. Nullibi præterquam noctu immoratum: commeatus rogabantur vbiq;: ſi dabantur, precia reddebantur: ſi negabantur, per vim nihil fiebat. Neapoleo tantũ Vrſinus, & Iulius quem dixi, præſidio turmarum quindecim ad extremum Picenum obuiam dati, cum retinere tantum exercitum ſoli nõ poſſent, paucis quibuſdam feſſis ad agmen vltimum interceptis, conuerſo itinere, Ariminũ ad Quæſtorẽ venerunt. Eodem tempore Veneti motu Socialium cognito, quamquam ſaluum Robertũ vellent, non tamen rei ſuæ arbitrabantur auctis aduerſariorum copiis, vel opprimi Pontificem, vel non ab ſe adiutum videri; pręſertim quod non vſque adeo initum cum eo fœdus potuerat tegi, vt non ad omnium pene cognitionem iam perueniſſet. Igitur legatum ex ſua nobilitate propere ad exercitum mittunt, qui duo milia equitum Rauennæ, & in circumſtantibus locis ſtatiua habentia offerant, maiores autem in armis futuras mox dicat, eodem ſi vſus accidat celeriter conuenturas. His auditis habitæ Legato gratiæ ſunt: idque adiectum, vt quanto maturius poſſent monſtrata præſidia mitterent, quæ haud dubie adiututa victoriam Pontificis eſſent. Primo Aragonenſium aduentu Federicus, vt mutatam conditionem rerum oſtenderet, pedites circiter ſeptingentos ex ſuorum numero ad occupandum ex inſidiis Talamellum oppidum miſit, quod ſuis caſtellis confine, ab Antonello Forliuienſi poſſidetur. Hi fortuna ab initio vſi, oppreſſis iam cæteris, cum in oppugnanda arce diutius molirentur, miſſis illico à Quæſtore ſuppetiis, cumque iis Antonello, non ſine detrimento repulſi ſunt, oppidumque receptum. Noſtri, qui ad minuendas curas tormenta iam in tutum reduxerant: etiam de reducendo exercitu neceſſario cogitabant, ne vno tem-

pore &

pore & ciuitate, & caſtris hoſtium circumuenti omnium inopia laborarent, obſeſſique pro obſidentibus fierent. Itaque diebus ſeptuaginta fruſtra conſumptis, deiecto ad reditum, ſi neceſſarius videretur: quod murorum ſuperfuit Iuliani ſuburbii in proximum ad duo milia paſſuum collem, cui Virgiliano eſt nomen, copias omnes ſubducunt, caſtriſque metatis ambitum vallo & foſſa communiunt, putantes in ea loci propinquitate non omnino viſum iri deceſſum Arimino, ipſi etiam Roberto, ſi non eadem pericula, at eadem prope incommoda quotide ab ipſis futura. Eminebat aduerſus huic & contrarius paſſuum milibus circiter tribus, alter ad Orientem collis, ad cuius radices Aueſa, quam dixi, ex ſuperioribus conuallibus defluebat. In ſummo Cereſolum oppidum erat, quod noſtri ab obſidionis initio Roberto ademptum præſidio peditum nonnullorum munierant. Altitudo collis eius non pluſquam quingentorum paſſuum videbatur. ad hunc Federicus quod ad continendos hoſtes, conuehendoſque in ciuitatem commeatus percommodũ iudicabat, motis ab Iſauro caſtris, ſubito acceſſit, protinuſque Cereſolo per deditionem recepto, locum & ipſe munitionibus firmat. Ripas Aueſæ interiores Ariminum vſque aggeribus eductis præcepit, vt commeari vltro citroque ſine periculo poſſit. Robertum quoq; cum parte copiarum exire ad ſe iubet. Propoſitum erat Socialibus ad minuendam iniuſtæ cauſæ calumniam, quam maiorem poſſent modeſtię ſpeciem oſtentare, vt non tam oppugnare Pontificem quam tueri Robertum, ac non tam bellum gerere quam ęſtimationem datę fidei viderentur ſeruare. Cui rei Federicum ſtudere ante alios apparebat, quod vicarium dominatum ab Eccleſia gerens plus in aduerſa fortuna, ſi qua accidiſſet, pertimeſcendum ſibi cenſebat. Ideoque vt iuratum ducem, non vt vicarium, externoq;, non ſuę ditionis milite exiſſe ſe in expeditionẽ multis Italiæ ciuitatibus perſcribebat. Quod ergo ipſe factum cupiens à ſe factũ videri nolebat, per Robertum male aſſimulata opera fieri curabat, excuſans agere illũ rem ſuam cum quo bellũ eſſet, nec prohiberi licito poſſe. Hunc ergo additis ei copiis in obſidionem vicini oppidi, cui Molazano erat nomen, ſubmittit, tormentaque afferri Arimino iubet. Oppugnabatur ergo is locus ex tuto, quòd præſidio non magno erat munitus, & à tergo hoſtilium caſtrorum relictus acceſſum noſtris non dabat. Cernebantur ab Virgiliano vſq; quę illic gerebantur omnia, bombardarumq; tonitrua, quaſi in conſpectu eſſent, audiebantur. Enim rem pudendam nimis noſtri Duces putabant: non modo quòd par eis erat exercitus, peditũ etiam numerus maior: ſed quod ab obſidione nuper repulſi obſidere nunc hoſtem ante oculos paterentur. Itaq; de ſummouendo longius Federico diluendoque dedecore, diuerſa inire conſilia ceperunt. Quorum illa ſtatuebatur ſumma, vt collatis propius caſtris aquationem, quæ aduerſariis vnica erat, ſubuectiones etiam commeatuũ, qui ex Vrbinati tantum afferebantur, quotidianis dimicationibus impedirent. Neceſſario ea ratione reuocatum iri Robertum, exercitumque exceſſurum finibus iudicabant. Ipſi etiam regione vndique explorata idoneum deſtinatis caſtris locum iam ante conceperant, facilemque acceſſum putabant. Accedebat ad rem, quod Triſtanum Sfortiam à Mediolanenſi cum equitibus ſexcentis, Robertũ Seuerinatẽ a Florentinis cũ mille aduentare cognouerãt: quibus cõiunctis difficilior haud dubie conatus omnis fiebat. Ad Alexandrum & Neapoleonem ſumma redibat imperii noſtri, parque erat amborum poteſtas: ſed Alexandro titulus adminiſtrationis inſignior, quod affectæ iam ætati is honos habendus iudicaretur: apud Neapoleonem vero vexilla erant Romanæ Eccleſiæ, quæ Pontifex in æde diui Marci ſolemnibus ceremoniis cõſecrata abeunti illi de manu ſua tribuerat. Quæſtori autem licet prior ſententia eſſet & locus: tamen cum ventũ ad gerendũ rem erat, libenter iis permittebat imperia. Cognoſcenda tamen atque expendenda prius omnia iudicabat. Igitur cum ab initio conſilia hæc ad eũ eſſent relata, dies nõnullos cunctari eſt viſus: & nec ſatis iudicio aſſentiri: ſiue quod dimicationis fortunã timeret, ſiue quod expectanda repromiſſa Venetorum ſubſidia duceret, ſiue etiam quod rationes ſuas anteponendas illorum conceptibus crederet. cenſebat enim per abſentis Roberti, atq; ad Malazanum occupati opportunitatem, repentino impetu temptandã in ciuitatem irruptionem, qua muri eſſent deiecti: eaque ratione ſi maxime nõ ſucceſſiſſent res, illato tamen in poſterum metu, illum Arimino non habiturum. Sed Duces no-

Arimini obſidio ſoluitur.

ſtri cum magni animi propoſitum faterentur: maioris tamen periculi eſſe monſtrabatur, quod celari apparatus expugnandorum vrbium difficile poſſint, quodque hoſtis inſtructus ab miliario non amplius tertio motus omnes noſtros attentiſſime obſeruaret: equites denique cum ad murum pedibus eſſent progreſſi, in conatuq; tranſcendendi ad diuerſa occupati, nec reuocari tam cito poſſent ad ſubitos caſus, nec equos inſcendere, nec turmas reduci, nec arma equeſtria expedire, facilem præſtari ſemper de imparatis perturbatiſque rebus victoriam. His intellectis, Quæſtor ne ſua pertinacia magis quàm alienus error referretur in culpã, tandem dat manus & in eorum ſententiam tranſit, diemque ad conferenda hoſtibus caſtra tertium ex illo conſtituunt, qui dies anniuerſarius erat aſſumptionis Pauli ad Pontificatum. Non latuere conſultationes hæ Federicum, (vt proditorum plena ſunt omnia) cuncta certis indicibus perferuntur ad eum. Vocat igitur ad ſe illico Alſonſum Ghiuarani turmis Aragonenſibus Ducem relictum, cumque eo primos copiarum omnium ordines. Docet quid hoſtes animi habeant, quantaque ſua ignominia aquari ad eandem Aueſam parent: Confeſſionem eam proculdubio dicit eſſe victoriæ, ſi permittant: Etenim neceſſario vel pereundum ſame commeatibus impeditis, vel ad ſtatiua vnde exierant, turpiter redeundum. Quòd ſi ſentire velint ſecum omnes, in pugnamque deduci repromittere, certam victoriam, quam ipſis propemodum oculis videat. Cõfert Duces cum ducibus, genus copiarum cum copiis, locum denique ipſum, in quo ſit dimicandum, quem vt ſuis ſuperiorem oſtendit, ita aduerſariis alieniſſimum docet. Multa oratione caſtrenſis eloquentię peritus Dux nunc ſua attollendo, nunc hoſtiũ minuendo, ita ad ſpem bene gerendæ rei omnium mentes erexit, vt & pugnandum cenſerẽt, & victoriam in manibus tenere iam crederent. Poſt hęc ſuum cuique opus attribuens, quod curari mox vellet in prælio: ad procuranda reliqua ſtudium ipſe conuertit. A primis munitionibus Socialium in Aueſam vſque deſcenſus erat paſſuum circiter trecentorum, & ab Aueſa in excipientem aduerſumque tumulum tantundem aſcenſus: In cuius ſummo ſemirutum eminebat vetuſtate ſacellum, atque ad eius angulum magna ex parte turris collapſa. Eas ruinas cũ Federicus dies aliquot ante, quo tutior ſuis fieret aquatio, operibus nonnullis muniſſet: nunc quòd intelligeret locum eſſe caſtris hoſtilibus deſignatum, ad priora opera noua quædã adiungit, pręſidiumq; ducentorũ peditũ auget. Tranſuerſam porro ac latam foſſam hyemalibus lacunis magis quam manibus cauatam, quæ ad infima tumuli erat, altius qua parte dabatur attollit, tantumque eius foſſæ terra & cratibus ad tranſitum explet, quantum educendis in pugnam turmis ſatis eſſe intelligit. introrſus vero ad eius aggerem crebra tormenta diſponit: putans his duobus impedimentis oblatis non auſuros noſtros tumuli aſcenſum temptare. Quibus celeriter procuratis, nocte quæ ſecuta eſt circiter tertiam vigiliam ab exploratoribus noſcit profectionem hoſtium indictam à ducibus ſub primam lucem eſſe, iamque impedimenta militum colligi. Itaque ad eam ipſam horam ſuos quoque in armis conuenire & imperata exequi circummiſſis præconibus iubet. Totius vero inſtruendę aciei die illa fuit hęc ratio. Peditatum omnẽ ante alios eduxit ad tumulum, eumq; in cohortes quinque partitus eſt, ſingulis attributis rectoribus. Earum altera ſuccedens alteri tricenum pedum interuallo diſtabat. Singulæ ex quadringentis ferme conſtabant militibus. Primam quæ fuit prætoriana ſua, ad foſſam iuſſit conſiſtere, atque inde ſuccedentes hoſtes detrudere. Eodem deinde ordine & ſpatio ad lęuam turmas equitum ita producit, vt ab vltimo caſtrorum vallo ad eandem foſſam quod intercederet vacui agminibus completetur: ea vero interuallis ſuis ſic erant directa, vt nec pediti eques, nec rurſum equiti pedes impedimento eſſet ad pugnam. Turmam primo prælium inituram duabus à dextra & læua mediocri ſpatio ſtatariis firmat. Hæ ſtatariæ diſciplina noſtræ ætatis ſunt, cum binæ ternæ ve aut plures inter ſe coeunt turmæ, aut ex ſingulis omnium ſinguli notæ virtutis equites in vnam aciem conferuntur. Quod genus præſidii adhiberi tum ſolet, cum aut fortius aliquid eſt perrumpendum, aut maiore vi impetus ſuſtinendi. A firmitate ſua nomen ſumpſere. Duabus igitur his ſtatariis imperat, donec à ſe ſignum accipiant abſtineant pugna: tantum propellentibus ſuis, ſenſim & ipſi procedunt. Stantibus vna cõſiſtant. Id ea ratione prouiſum erat, vt mediæ turmæ in pugna occupatæ, à lateribus

præſidium

præſidium intuentes,alacrioribus animis in prælium vaderent:hoſtes vero, metu ne à tergo clauderentur procurrere longius aut inſequi non auderent. Erat in patēti planitie nō longe Arimino editus collis Sculca nomine, natura ſatis munitus, qui tantundem viæ ab vtriſq; caſtris diſtabat. Hunc veritus Federicus ne noſtri vel mutato, vel diſſimulato conſilio occuparent impedimentoq; inde eſſent,ne importari neceſſaria Ariminum poſſent,reuocatum à Molazano Robertum ſubito ad medium ſpatii,quod eſt inter caſtra,& ciuitatem dimittit negotio imperato , vt ſi cerneret eum collem ab hoſtibus peti,ad ciuitatem cuſtodiæ cauſa reciperet ſeſe:Sin procedi videret,ad tumulum reuerteretur actutum,ſuoſq; ad ſigna inſtituta reduceret. Structa his ordinibus acies eſt & horam amplius continuā in armis habitus miles. A noſtris non eadē diligentia iter ſuſceptum,nec quicquā quod ad prœlium vſui eſſet antea cōparatum. Primum enim tanquā prohibente nemine poſituri caſtra eſſent, perpetuo agmine inceſſere,in quatuor,quas collunnellas appellant, modicis interuallis partiro. Prima attributa erat Iulio Camerinenſi. Proxima Pino Foroliuii Toparchæ, qui pridie eius diei,agmine turmarum octo iuſſu Venetorum in caſtra peruenerat: tertiam in qua vexilla vehebantur Eccleſiæ, Alexander ſibi deſumpſerat: vltimam Neapoleo Vrſinus cogebat: atque earum ſingulas ſingulæ peditum cohortes præibant. Omnem vero exercitum turma vna equitum antecedebat cum prætorianis trecentis, quos Laurentius ob inſignem virtutem ad cuſtodiam ſuam, & duriores quoſq; caſus,antea ſcripſerat:nullæ ne à tergo quidem ſtatariæ ſequebantur:nullis in locis vel obiectæ munitiones erant vel certa præſidia collocata. Magna videbatur ab omni contentione ſecuritas. Ad impedimenta quoque,inter quæ amplius octingenta iumenta onerata ſtraminibus erant,duo ferme pugnatorum millia tuēdatum quiſque rerum ſuarum cauſa reſtiterant:ſpecies ampla erat exercitus: cæterum ad pugnā vſus exiguus. Secundum foſſam,quam diximus,planicies non multa à radicibus tumuli naſcebatur,ſexcentorum paſſuum ſpatio in longum porrecta, atque interualli tantundem lata:ab eius fine tertius, quem dixi, collis leui accliuitate ſurgebat, editior aliquanto quàm tumulus in hunc collem Federicus, quod ea potiſſimum parte ire ad ſe hoſtem optabat,equites circiter viginti leuis armaturæ præmiſit, vt iter aduenientium obſeruarent, & nunc laceſſendo & nunc paulatim cedēdo, ad munitiones vſque producerent. hos conſpicati duces noſtri, qui paucorum manu anteibant agmen,ſubito accelerare turmam anteſignanam cum prætorianis & deturbare hoſtē iuſſerunt. Illi vt erat imperatum primo adortu collem relinquunt, atque in planiciem ſubiectam recurrunt,inde conuertunt ſeſe,atq; in pugnam expediunt. Eo quoque ex loco cum ſummoueri illos præciperent Duces, Federicus optati jam compos turma vna in auxilium miſſa incurrentes noſtros ad primum vſq; aſcenſum repellit. Peruenerat interim ad locum omnis exercitus,& de pugna vel caſtris, vel reditu capiendum conſilium videbatur,ne caſtra metari in tumulo poſſent, prohibebant munitiones paratuſq; ad dimicandum hoſtis,ne pugnarent ſuadebat incondita acies. Ne iter conuerterent pudor facti obſtabat,q; vel noctu ante profectionē exploranda fuerant opera Federici,vel ita comparandæ acies,vt ad peruincendum inſtructæ accederent. Reſtiterat ad ſecundum collem antiſtes,exercitum tranſeuntem recēſens,ignaruſq; erat prælii præter condictum iā inchoati. Itaq; cōtinere ab eo duces nō valuit. Illi vero quod turpē ſine dimicatione reditum crederent, ſiue q; inſtādum territis iudicarent:id quod ex detenſis paſſim tabernaculis collectiſq; ſarcinis videbatur,ſiue quod animo aliud agitaretur, propoſiti certe (quod conſtat) immemores, frequentes turmas, & cum iis omnem fere peditatum in prælium adhibent. A Feretrano quoq; ſignum pugnæ plures accipiunt. Atrox media in planitie dimicatio oritur, variaq; per horas ſingulas diſcrimina videbantur & damna. Noſtri cum ad munitiones ſucceſſerant,de ſuperioribus impetiti neceſſario dabant terga. Cum in cliuum collis ſui receperant ſeſe,pari rurſum deuecti impetu idem hoſti præſtabant incommodum. Fiebatq; eam ob rem vt nunc cedentes, nunc inſtantes detrimenta per vices inferrent,atq; acciperent: tormentorum autem omnis generis multitudo vtrinq; diſpoſita maiorē inferebant quàm milites cladem. In hunc modum cum ad nonā vſq; diei horam vehementer eſſet certatum,depoſito tandē Duces no-

ſtri caſtrorum conſilio, veriti etiam ne procul à Virgiliano nox pugnantes opprimeret, conuocato ad ſe Laurentio, operæ precium monſtrant inclinante iam die certamen dirimere & in priores ſtationes reuerti: nam nouas ne in propinquis quidem locis id horæ ſtatuere tutum oſtendunt: addunt quoque, ne in reducendis turmis, conturbatio ordinum fiat, conuertendum cuique ex loco ſuo veſtigium, vt qui videlicet poſtremi eſſent, primum agmen obtineant; qui vero primi poſtremum. Ille qui vt non probauerat pugnam ita ea commiſſa ad frequentes rei bene gerendæ occaſiones ſegnius inſtatum doluerat: nunc etiam aſſentiēdum Ducibus vel inuito videbat: iudicium illis permittit: eam tantum rem periculi non mediocris eſſe oſtendit, ſi turmę in pugna defeſſę, ad cuſtodiã extremi agminis relinquantur: quomodo.n. ſi inſtet à tergo hoſtis ſubſiſtere conſumptis iam viribus poſſint. Cum ad hæc Duces ſuis quoq; incommodis affectum Federicum libenter quieturum dicerēt, nec inde metum vllum oſtendi, cani receptui iubent, & toto agmine reditum pronunciari. Spingardæ quoq;, quarum formidine hoſtes in eam horam aſcendere collem noſtrũ auſi non erant, reuelli locis ſuis, & imponi curribus imperantur. Subductis in collē omnibus, Ducumq; edicto paſſim vulgato, in negligentiam reſolui cæpta ſunt cuncta. Detrahebantur paſſim galeæ, puerisq; armigeris inerti noſtro more dabantur. Vino etiam, quod ex propinquis rhedis erat aduectum, largius indulgebatur quàm reficiendo militi neceſſarium eſſet. Plurimi quoq; tanquã certari vltra nō oporteret, nulloq; interim cohercerentur imperio, licentius extra ordines vagabantur. Turmæ ſine præfectis erant, quod ab initio pugnæ in aciem primam proceſſerant, & quo quemque ferebat libido, aut via breuior ad inſtauranda tabernacula, requirendasq; ſarcinas properabant. Impedimenta locis omnibus admiſcebantur agminibus. Pedites deniq; omnes, quorum parti oportuerat in prælio parſum, quiq; exinaniti virib. ante equitatum præmitti debebant, vltimi ad reditum collocantur. Hunc neglectum Federicus, partim ipſe à longe proſpiciens, partim à ſpeculatoribus quibuſdam ſuis accipiens, mittendam è manibus perſpicuam occaſionem non duxit: maxime quòd ſpingardas, quibus plurimum nocebatur, ſublatas ex cliuo, quinasq; vicenas aduerſariorum turmas cum omni peditatu adhibitas in prælium nouerat: ſuas conſtabat, non niſi denas, cum duabus tantum cohortibus diei pugnam ſuſtinuiſſe: itaq; producto raptim exercitu dextram, quam dixi, ſtatariam Alfonſo Ghiuaræ permittit, ſiniſtram Roberto Malateſtæ: qui nil iam Arimino timens in aciem cum ſuis ad imperatum redierat, ipſe reliquas copias ſequi ſe medium iubet, cohortibus tribus in frōte locatis, quę diei reliquum fuerant ab omni defatigatione immunes. Hoc ordine cum ad medium collem iam proceſſiſſet, Duces noſtri, apud quos nil iam integri erat, admoniti erroris, quod peditum equitumq; promptum fuit, in hoſtem ad pugnam reducunt. Sed ii partim exarmati iam, partim feſſi ægrè conſiſtunt. Itaq; in collem non magno labore euaditur: vt vero in ſummo conſiſtere ſigna hoſtium à noſtro, qui recedebat, exercitu reſpectum eſt, vltimosq; depulſos, partim iam cedi, partim intercipi receſſum perturbatum in perturbatiorem fugam conuertunt: nullis iam reuocationibus præfectorum, aut Ducum ad retinendum vtilibus. Quin & præſidia, quæ circum vexilla milliario amplius inde aberant, ſummo dedecore ſtatim dilapſa ſunt. Idque vnum exercitus ſpecimen, propter quod extremis dimicationibus ſolet contendi, cum ſolis ſignifetis reliquere: in proximum ab occupato collem, cui diui Martini eſt nomen, noſtri Duces ſtatim ſeſe receperunt. eodem in loco turmæ circiter quatuor, vna conſtitere, ob præfectorum tantum virtutem, quos propria æſtimatio magis quam ſalutis ſpes retraxit à fuga. Peditatus omnis prælio, vt ante diximus, fatigatus, cum adęquare curſum equorum non poſſet, eſt interceptus. Turmis his quatuor conſtantius collem tenentibus, retardatus aliquantulum eſt hoſtiũ impetus, noſtriq; complures, qui illis admixti cedendo pugnabant fiducia earum conuerſi, ad collem vſq; vnde deiecti erant, fugere aduerſarios compulerunt. Verum mox ſuperuenientibus ſtatariis, tam graue agmen ferre non potuit. Pulſi ad vnum ſunt, captiſq; quamplurimis reliqui diſſipati. Eodem porro impetu, cum ad vexilla procurſum eſſet: quæ paululum de via loco edito viſebantur repugnante nullo in eorum poteſtatē venerunt. Superarant iam Virgiliani caſtra, quæ vendicare noſtros ab extrema ignominia

Exercitus Pontificius caſus.

minia poſſent. Sed cum magna exercitus pats capta iam eſſet, plurimi loco diffiſi, ab decumana porta Archangelum oppidum, atq; inde Ceſenam trepidi peterent, non fuere ſaluti. receperat ſe in eo Antiſtes & Duces, cumq; iis equites circiter centū, qui clauſis illico portis quoſdam audacius ſuccedentes, ſpingardarum in prouiſo malo deiecerant. Sed & iiſdē mox dilabentib. relicti cum paucis reliquos Ceſenam ſunt cōſecuti. Profligatio hæc à pręda & captiuis magis quam hominum cęde dānoſior fuit. Duces ambo vulnerati ſunt, interfecti circiter cētum. Ad tria millia capti, inter quos fuere pręfecti militares duodecim primi in exercitu nominis: cūq; iis Virginius adoleſcēs Neapolionis filius. Impedimēta inſuper omnia amiſſa: direpta etiam caſtra: in quis omnis generis tormēta ac tela collata ante ab Antiſtite fuerāt: ab hoſtibus vero quadraginta tantū in pugna cecidere. Viginti circiter capti ſunt. Hoc tantū incōmodū ad Ducū inſcitiā pauci, pleriq; ad perfidiā retulerunt: cuius argumēta cōplurima multifariā collegere, quæ ego cōnumerare ſuperuacaneū duxi. Noluerunt videlicet Pontificē vincere, q in eius victoria vinci ſe, atq; opprimi timuerunt. Erat vicariis ſuis metui maximo Paulus. Putabant nil æque cupere cū, quā cōem eorum internetionē. eā opinionē ab initio Pontificatus collectā, nulla fiducia deponere poterant. Exuit dominatu Euerſanos fratres paucorum dierum conatu: id certe quod propter eorum inſignem nequitiam ferri æquo animo ab omnibus poterat, ſi non eſſet vltra progreſſum. Culpa non magna Franciſcum mox Aluianum paternis oppidis eiecit primum, inde carceri incluſit, cum tamen forti eius opera ad illos oppugnandos fuiſſet antea vſus. Pauli Vrſini non multo poſt fortuna conſimilis fuit. Quem proditione ſuorum Galleſio locupleti oppido depulit. Secuta eſt Tolphæ obſidio, quam ſæpe iam diximus, ingrata multis & dura. De Foroliuienſi Pino voluntas par patuit, quem ob fratricidium recens cogitauit opprimere, ciuibus ad defectionem ſollicitatis, oblato etiam Socialibus fœdere, ſi iungere ad eam ciuitatem copias copiis totum triduum vellent: iam nullę vrbes de oppidis incerti agri contendetant inter ſe, vt non ipſe interueniens ſequeſtrem primo, mox illorum ſe dominum faceret. Vectigalia pro locis qui fuiſſent olim Eccleſiæ, nulla ad ærarium accipi permittebat, ſignificans loca, non pecuniam deberi ſibi. Vetuſta atque ante eam diem incognita proferebat diplomata, quibus hanc vel illam ciuitatem Iuris Romani eſſe, iniuſteque ab dominis poſſideri aiebat: quibus ſtudiis ſermonibuſque (quanquā de re non iniuſta ſæpe haberentur) terruerat multos, effeceratque, vt cupidum eum ampliandæ ditionis intentumque ad alienam calamitatem putarent, proptereaque his eius aduerſarentur inceptis. Quam rem ingrauabat maxime ingens congregata pecunia quotidianumque amplioris congregandæ ſtudium. Pertinere ad ſuam ruinam tantos aceruos ducebant. Cum Neapoleone bis iam interceſſerant non leues, nec dierum paucorum offenſiones, gratia inde conciliata, magis ſtipendii fuerat quam voluntatis: ſciebat Alexander ſuum Piſaurum illo conſcio deditionis temptatum: vicina omnia Pontificis ſuſpecta habebat. Non dimiſerat Pinus memoriam diſcriminis proximi. Redibat in mentem Iulius ſuæ cum Roberto neceſſitudinis. Iam minores vicarii, ex quibus totus pene conflatus erat exercitus, propriam ſortem in ſorte eius, quem oppugnabant, contemplabantur. Veneti porro, à quibus ſtatim Pontifex factus Rauennam repetierat, Ceruiamq; vicinam, non modo creſcere illum in Flaminia moleſte ferebant: ſed præoccupatum animo iamdudum Ariminum eripi noſtris armis ſupra modum dolebant. His igitur tam iniquis conditionibus inchoatum bellum hunc anni exitum tulit: didicimuſq; incommodis noſtris, id quod ab initio ratione parum expendimus. Ex ea fuga qui ſuperfuerant, Ceſenam ſe receperunt reducibus ex omni numero, non totis duodecim turmis. Federicus victorem cum præda exercitum noctu reduxit in caſtra, ac mane diei ſequentis conquiſitos diligenter captiuos deduci imperauit ad ſe. Quibus iactandæ virtutis, ſimul & in Pontificem obſeruantiæ cauſa negari inquit, non poteſt. Externa pugna protinus debellatum eſſe. Amiſſa ſigna. Impedimenta & caſtra direpta. ſatis id probatur: Voſq; apud me captiui plane id ipſum docetis. Arma veſtra equoſque, & ſarcinas noſtri milites habent. Ea quòd iure belli vincētium ſint, adimere illis: vt vobis reddam, non poſſum. Quod poſſum hoc præſto do libertatem. Et ſine

Tolphæ obſidio.

Federici ad Captiuos oratio.

Digitized by Google

fide in me non militandi liberum reditum. Hunc honorem haberi Sociales Pōtifici volunt: hunc ego alumnis Eccleſiæ impendo. Redite ad veſtros cum vultis. Sine fraude id licet. Ita attributo præſidio in tutum omnes reduxit. Cū vero nō tam diſciplina, quàm ludo noſtrę militiæ ſoli qui ſtipēdia faciunt armorū tantum, atq; equi damno redimant ſe: pecunia autē cęteris imperetur: etiam plęroſq; tales, quòd ſubditi noſtri eſſent, immunes abire permiſit. Hæc aduerſa pugna Paulo nunciata animum eius vt par fuit triſtitia affecit, videntem vno belli caſu tantum ſtipendii fruſtra inſumptum liberumq; Ariminum factum. Se autē tot iam Socialium contentionibus amiſſa æſtimatione confuſum, confirmatus tamē poſt paulo litteris Venetorum, qui magna omnia de ſua Republica promittebant: colligere ſe ipſum afflictumq; exercitum reparare inſtituit, ac primum licet pecunia afflueret parcere tamē conditæ volens, à clericis & menſariis, ciuibuſq; Romanis deſcripta cuiq; ſumma mutui cauſa accepit. Porro autem familiaribus Cardinalium equilibus certum equorum numerum imperauit, quos in amiſſorum ſupplementum mitteret ad Quæſtorem: quæ res & in ſermonem omnium venit, & nec tam inſtaurandis copiis profuiſſe, quàm nocuiſſe ad opinionem eſt viſa. Si quidem non eſſe, vnde ea fierent, noſtram inopiam arguebant: abundare eum alienamque Archam exhauſtam malle quàm ſuam anguſtum animum indicabat, non valentem. cum tempus eſt, ad tuendam dignitatem parta proferre. dum hæc Romæ aguntur, Robertus interim præſenti fortuna vſus, recepto per deditionem Molazano, ad cætera recipienda curam intenderat, ac primum maioribus à Feretrano acceptis copiis, caſtella nonnulla Ariminenſis agri inclinatis ad defectionem animis in ſuam fidem traducit: ad Scutulum vero vt ventum eſt, habito iam oppido, oppugnare arcem adortus eſt, quæ peditum noſtrorum præſidio tenebatur. Sed ea cum defendi communitione operum, & loci diutius poſſet, pręfecti ignauia ſeptimo oppugnationis die eſt dedita. Mondainum inde pergebat agri pene totius caput in colle edito poſitum. Sed noſtrorum plures illuc ſtatim poſt pugnam miſſi ad cuſtodiam, vix horis tribus ante per amicam arcem recepti, quod ab oppidanis fuerant recuſati, illud hoſtiliter diripuerunt: inito hoc incepto Robertus conuerſo in Fauenſem itinere, vno excurſu certantibus ad rebellionem aratoribus totum agrum in ditionem redegit. Inter hæc Hercules Eſtenſis manu turmarum x v. peditumque ad mille quingentorum à Venetis miſſus Ceſenam peruenerat. Noſtri etiam multi partim collecti ex fuga, partim ex detrimento recreati mediocrem iam exercitum fecerant. Itaque tam procliuem Roberti ſucceſſum ſuſtinendum Quæſtor ratus, ſuadebat Venetorum legato, qui erat in caſtris, ſummumque habebat ſuorum imperium, vt ad Archangelum caſtra proferrent. Pertinere eam propinquitatem aiebat, ad muniendam de accepta clade opinionem, quæ vbique maxima habebatur, & ad retrahendum à ſollicitandis populis indefeſſum illius ſtudium. Sed cum in longum duci conſultationem videret, orat Ioannem Baptiſtam, Toparcham Romanum, inſignis animi iuuenem, vt cum turmis equitum quatuor, fanum, ſi poſſit, irrumpat: conſiſtere in eo articulo fortunam rerum omnium monſtrat, tranſeundum illi inter Ariminum & caſtra hoſtium erat. Nam in mari id fieret et nauigandi mora, & imminens periculum non permittebat: igitur audacia vſus intempeſta nocte citato curſu, iter ſub ipſis mœnibus egit, atque ad fallendas cuſtodias inuocationem Feretranorum conclamans, ſine detrimento fanum peruenit. Quam rem & ignominiæ ſibi Federicus, & damno immenſo aſcripſit Robertus: Rurſus autem cum Venetorum copiæ, ad procedendum vehementius vrgerentur, futurumq; illarum culpæ vociferaretur Antiſtes, quicquid incōmodi morando eſſet acceptum, detexit tandem legatus coactum in vtrunq; ſubſidium, non moturum ſe inde prius dixit, quàm turmæ ſex reliquę, quæ aduentare dicerentur, adiunctæ cæteris eſſent. Quo ille intellecto, ſimul quod de Roberti ſucceſſibus nuncii quotidiani vrgebant, pedites quingentos, inter quos prætoriani ſui erant, nauigiis raptim imponit, ipſeq; cum iis è portu Ceſenatium ſoluit. Cum vero intendente iam nocte, in conſpectu eſſet Arimini, orta ſubito tempeſtate propulſus in altum eſt, & ad diuerſa reliqui diſſipati, biremis in qua vehebatur, in portum, vnde exierat, vehementi Euro reiecta eſt: cæterę vlteriorem oram Dalmatiæ tenuerunt. Sequenti igitur nocte tranquillo iam mari

eodem

eodem curſu reuectus incolumis fanum peruenit. De cæteris, quos eo in loco non reperit, cura erat non mediocris ac timor, ne videlicet vis procellæ aliqua hiberno iam ad nauigandum mari miſeros abſorpſiſſet. Sed biduo poſt in eundem portum appulſi fatigari fame, & fluctibus ſolicitudinem hanc ademere. Robertus vt illatum fano equitum primo inde peditum præſidium ſenſit, cumque eo Antiſtitem eſſe, Mondauium non ignobile oppidum, quod ſpe defectionis magis quàm oppugnationis circumuenire iam cœperat, deſerit. Protinuſque ad Mondauium obſidendum regreditur fiducia Federici propinqui, qui apud Cereſolum ad eam diem moratus ad proximum Cruſtumium retulerat caſtra. Laurentius vero communito iam validius fano Ceſenam redierat cæterorum ſollicitus. Iterum nouis fatigationibus à Veneto contendebat, vt ad Archangelum procederent copiæ. Quam ad rem & tutiſſima caſtra oſtendebat, & copiam omnium rerum, quæ illuc importari ſine periculo poſſent. Addebat magnum operis fructum gratiamque ingentem Pontificis, qui doleret id ante non factum. Sex quas nuper cauſati eſſent abſentes turmas iam aduenisse. Cauſarum amplius nil ſupereſſe. Si manere in fide fœderum vellent, hanc neceſſario tempore operam impendendam. Quo enim pacto expectari ab eis poſſit diſcrimen pugnæ: quos iter non longum, & tuta caſtrorum mutatio tantopere grauet: præſtent laborem hunc leuem Romanæ Eccleſiæ, tarditatemque præſidii, quæ plurimum nocuit, vno hoc non magni incommodi obſequio penſent: his atq; huiuſmodi cum iterarentur quotidie, tandem ille victus Quæſtori quanquam grauate aſſentit. Poſtridieq; in caſtra iam communita omnes commigrãt. Eius facti fama cum ad Federicum eſſet perlata, ad cætera opportuna hoc etiam primis nunciis attulit. Vt multa ille ſuſpiciens ab Mondaini obſidione ſtatim Robertum ad ſe aduocarit. In quem abeuntem noſtri, qui intus ad præſidium erant, ſub horam colligendorum impedimẽtorum delati pleriſq; direptis in fugam pene conuerterãt: vertiſſent protinus niſi medio in itinere poſita caſtella Laodecium atq; Gridolfum illi ſic laboranti ſe dediſſent. Ad Federicum reuerſus cum dies aliquot in caſtris fuiſſet, receptis iam circiter quadraginta oppidis, perfidia expleta Ariminum lætus contendit. Ipſe etiam Federicus ſatis ea æſtate ad laudem ſecuritatemque actum exiſtimans, q̃ hiems matura iam eſſet, nullaq; his in locis haberetur pabuli copia, hoſtes etiam moliri nil viderentur, militem in hiberna deduxit. Parte copiarum ad cuſtodiam receptorum iuſſa conſidere. Hibernantibus iam Socialibus cum noſtri expeditionem nondum dimiſiſſent, fama quædam metu auctore inter rebelles eſt ſuſcitata, Duces noſtros per eã occaſionẽ ducturos eſſe ad eos, iamq; & tormẽta & ſcalas, cęteraq; id generis ad oppugnationẽ parata. Pertinere ad vlciſcendã rebellionem eũ conatũ putabant. Quamobrẽ præfecturæ pene omnes illorum locorum clã miſerant ad Alexandrum, qui tum Piſaurum reuerſus erat, facti pœnitẽtiam nunciantes, culpamq; perfidiæ reiicientes in paucos, quos pręſente Roberto ac victore ſequi neceſſarium fuerat. Paratos nunc eſſe, ſi receptum ad veniam habeant, mox vt amouiſſent exercitum, præſidia cum oppidis dedere. Eam ille rem diluendi aliquo facto dedecoris cupidus (ſuam enim æſtimationem, non tantum alienam fortunam offenſam videbat) illico Antiſtiti indicat, credibilemque & factu facilem docet. Is Neapoleone & Venetorum legato præfectiſque in conſilium aduocatis indicium Alexandri proponit, primuſque omnium ſuo iudicio vrgendam occaſionem pronunciat. Quando Alexandrum ſubiectam rem oculis habentem ita ſuadere intelligat, & diſpartitis per longinquiora hoſtibus, nullius periculi opus, ſummi autem momenti eſſe appareat: in eandem ſententiam Neapoleo præfectiq; omnes concedunt. Venetus tantum mentis ſuæ Reip. conſcius, quanquam incepti vtilitatem cognoſceret, addubitare tamen primo ſe dixit: deinde cum rationibus premeretur, negauit ſine voluntate Senatus auſurum ſe eſſe aliquid, quod tam periculo quam ſpe plenum videret, in hanc contradictionem adductare Troylus ex præfectis eorum vnus de cõſilii ſententia Venetias ad explorandã optimatũ voluntatẽ ire eſt iuſſus: ab iis per eundẽ integra deliberatio ad legatũ reiicitur. Is tandẽ vel q̃ ita tunc iudicaret, vel q̃ in finẽ ꝓpoſitũ publicũ reſeruaret, Quæſtori cõſentit, omniũ decreto mittitur ad Alexãdrũ. Monetur vt ad certã diẽ præſtoletur exercitum, cõmeatus interim cæteraque ad

oppugnationem neceſſaria præparet appetente cõdicta die: cum iam ex Piceno magnus frumenti numerus eſſet conuectus, molita cibaria prompta haberentur, machinæ vero plures collatę eſſent vnum in locum: parem in exercitu diligentiam ad expedienda cætera Laurentius adhibuiſſet, iterum Legatus profectionem recuſat. In proximo eſſe Federicum dicit, cui facile ſit illico colligere copias, & vel ſe iterum profligare, vel obſeſſis viis reditum ad caſtra intercludere, loca ad quæ ducendum ſit, vacua pabulis, nunciari mentem nõ eam rebellibus eſſe, quam ad nos eludendos nunc præferant. Non adductum ſine cauſa ſe in ſummum periculum fortunas Reipublicæ ſuę. Porro autem præfectos eius minores quibus communicaſſet iam omnia, profectionem palam damnare velle: ſe eos adduci in conſilium, atq; audiri, quodq; maior conſulentium decreuiſſet numerus, pro deliberato id accipi. Quæſtor ſummo dolore hæc audiens, placabilitate tamen traducere illum in ſententiam laborabat, monſtrans nil horum timendum eſſe quod diceret: nec rurſum in tot hominum conſilium adducendum, quod & arcanum, & paucis notum eſſe expediret. profert litteras Alexandri: alias itemq; alias etiam illa hora acceptas, quibus certam deditionem confirmat, dierumq; ad ſummum octo futuram occupationem teſtatur. Perſeuerante Legato vt minores quiq; ordines audirentur, turbatior iam factus Antiſtes: Quid, inquit, ſic agimus, ô legate? An non præſtat palam id dicere? Veſtrum vos negotium agite, adiumento Eccleſiæ eſſe non voluimus. Exploratum habeo ſingulos ordinum tuorum à te ſeorſum inſtructos, quid conſilii proponere habeant. Non ſuam illi ſententiam: ſed tuam voluntatem aperient: atque vt ſcias nil horum ignorari à me, ex iis vnus indigne ferens mentiendi neceſſitatem à te ſibi impoſitam, artificium homo tuum mihi detexit. Sub hæc verba, cum ille vultu conſcientiam arguente taceret, admirarentur autem qui adetant, ad Neapoleonem conuerſus, Eundum tu, inquit, Neapoleo cenſes? cum eundum ille aſſereret: & tu ait Hercules idem ne ſentis? eo quoque affirmante. Eadem interrogatus Pinus tacere quàm non idem cum Legato dicere maluit, gratiam videlicet ſecutus, nõ conſcientiam. Dicere poſthæc iuſſus Troylus maioribus argumentis in Quæſtoris ſententiam ceſſit. Quorum orationem ille excipiens, & vobiſcum ego eundum pronuncio. Deumque & vos Duces conteſtor, præſtitiſſe me Romanæ Sedi quod debeo, immunemq; eſſe damni huius, quodcumq; differendo accipitur. Ita dimiſſum conſilium eſt. Legatus tertio ab his contentionibus die in Rauennatem Foroliuienſemq; ad hiberna reduxit exercitum, turmis tantum quinq; cum mille peditibus in caſtris reductis: ea caſtra Archangelo oppido pene coniuncta iis munitionibus erant iam conſtituta, vt tutiſſimũ commodiſſimumq; hibernorum opus præſtarent, Ariminumque à milliario pene quinto obſiderent. Duxerant in circuitu latam duodecim pedum foſſam depreſſam octo. Ad cuius labrum interius tantæ altitudinis aggerem vallumque adiecerant, vt longurio militari pertingi ad ſummum non poſſet. Frequentes etiam turres, & propugnacula totis munitionibus ſuperinduxerant. Quorum omnium materia fuit vimen recens ſtramenq; contritum: tigna quoque, ac viciſſim his aggeſtitium ſolum & feſtucatum, vt terra materiam contineret, materiam terra ab incendio tutaretur.

IACOBI VOLATERANI CARDINALIS PAPIENSIS COMMENTARIORVM LIBER SEXTVS.

De rebus Boemicis. — *Ioh. Viclef.* — *Iohannes Hus.* — *Theutones Praga discedunt.*

POST hæc ad continuandum de Georgio Boëmorum Rege iudicium cura intendi eſt cœpta: cuius initium vt graue propter regiũ nomen eſt habitum, ita exitum eius magnæ bellorum contentiones ſunt conſecutæ. A Viclephitanis autem hæreſibus tota cognoſcendi eſt ratio inſtituta, quibus ille immerſus eum monita Romani Patris ſpernebat: tum cõſenſoribus perfidiæ aderat: tum vero fidelium, qui in regno ſupererant, nunc hunc, nunc illum vi aut fraudibus opprimebat. Errorum initia ad tenendα planius reliqua ex commentariis nonnullorum, quæ in manus venere, ſunt repetenda. Qui in Conciliis, & apud Boëmos verſati magnam ipſi partem earum, quæ ſcripſerunt, videre Nobilis Boëmus ſtudiorum cauſa, vt fit, Exomiam Britannię ciuitatem profectus, cum noſcendi cura doctorum noſtratium multa in manus aſſumeret, etiam incidit in Ioannis Viclephi libros, quibus de vniuerſis titulus erat. eos more humani ingenii ad deteriora plerumque labentis cum illico adamaſſet, mox deſcriptos expletis ſtudiorum temporibus in Boëmiam intulit. Inter eos complura erãt volumina, quibus in ciuilem Eccleſiæ poſſeſſionem, atque adeo in totum hodierni ſacerdotii genus maligne diſſerebatur. Ipſe vero aſſidua lectione omnium plene inſtructus, ad quærendos diſciplinæ aſſertores cogitationem conuerterat. Regebant per id tempus ſtudiorum ſcholam in ciuitate Praga regni metropoli Theutonici nominis doctores, viri graues, & commendatione veritatis inſignes: hos non æquo animo ferebant Boëmi, dedecori aſcribentes apud externos homines domeſticum magiſterium eſſe. Itaque nobilis, quem dico, facultatem hanc ferendi mali primam nactus, communicare importata dogmata cœpit iis potiſſimum quos Theutonum odio teneri acrius cognoſcebat. Inter eos erat alter Ioannes ex luco Hus, vnde & Huſſitis nomen fuit, humili quidem loco, ſed non ſpiritu natus: qui dialecticis eximie inſtitutus, lingua etiam exercitata & celeri, cum peregrinas opiniones ad diſputandi iactantiam adamaret, facilę conſentaneæ ingenio vanitati adhæſit. Igitur quotidianis contentionibus vexare ab his libris magiſtros: ſperans acuminibus nouis dogmatis illos confuſos magiſterio ſponte ceſſuros. Sed ea res cum parum conatui reſpondiſſet (magna enim veritatis eſt vis) aliud oppugnationis genus eſt cogitatum. Regnum tenebat eo tempore Vincilaus, Caroli Cæſaris filius, publicorum omnium negligens, atque ita voluptatibus deditus, vt de paranda tantum menſa illi eſſent conſilia. Hunc adeuntes nouæ hæreſis aſſertores, dolere ſe aiunt adminiſtrationem ſcholæ Boëmicæ apud externos eſſe. Argumento eam rem fieri, vel non ſane ſentire Boëmos, vel regendi eſſe ignaros. Horum vtrumlibet ad ignominiam gentis ſuamque qui illis pręſit, haud dubie pertinere. Proinde æquum cenſere, vt ad exemplum ſcholæ Pariſiorum ipſi quoque regendi curam aſſumant. Ea res ab ignauo Rege facile impetrata principatum magiſterii Theutonibus abſtulit: quam illi iniuriam non ferentes profectionem inter ſeſe iureiurando confirmant, atque vno die duo milia ſui generis Praga abiere: quos & tria alia mox conſecuta apud Liziſcam Miſiæ Prouinciæ ciuitatem trium indę dierum itinere ſcholam nouam inſtituere. Ita Boëmis horum diſceſſu ſua libera manſit. Adminiſtrationem autem eius Ioannes Hus non difficile eſt aſſecutus: cuius ad doctrinæ opinionem vitę quoque continentioris accederet commendatio. Ædificauerat per id tempus Pragenſis homo prædiues Matthæo Matthiæque Apoſtolis non ignobilem ædem, cenſumque addiderat, ex quo duo eccleſiaſtici ordinis alerentur, qui quaque die verbũ

diuinum lingua Boëmica prædicarent. Horum alter cum electus Ioannes Hus eſſet, adienſque officium plenis ſubſelliis audiri ſe cerneret, & dictis fidem haberi, opportunitatem ratus ad ſpargendum in plebe virus, quo ante ſcholam infecerat, paulatim proferre ex Viclephitanis libris, quæ populariora viderentur dogmata, incepit, atque illa diſputationibus confirmare: nonnunquã inter concionandũ dictitans, contineri eis in libris omnium veritatẽ, & optare ſe poſtquã vita exceſſiſſet, eum in locũ migrare, ad quem Viclephi anima perueniſſet: quam & ſancte vixiſſe ſciret, & in cæleſtibus agere non dubitaret. Ducem hunc ac quaſi ſigniferum clerici ſtatim ſunt conſecuti: partim qui alieno ære grauati erant, partim quibus ab impuritate vitæ correptio eſſet timenda: putabant frequenti conſpiratione acceptæ in populo hæreſis diſcriminibus ſuis liberatum ſe iri. adiuncti iis non pauci erant doctrina clari, qui per nimium angebantur, dignitatem ſe non poſſe in Eccleſia aſſequi. Potiſſima autem ſacerdotiorum ad eos ſolos deferri, qui etſi nobilitate præirent, virtute tamen poſteriores longe viderentur. Oblatrare ergo ii omnes in ſacerdotale miniſteriũ orſi ſunt, corrupta omnia prædicantes, nec quicquam ad veri ſalutariſque inſtituti normã ſeruari. Plane vero ab Eccleſia ſe adiungentes Viclephitanę perfidię adhęſere: cuius, ſi quis eã noſſe cupit, hęc ferme vulgata ſunt capita. Romanum præſulem reliquis Epiſcopis parem eſſe: Sacerdotum nullum haberi in gradu diſcrimen: vitæ meritis, non dignitate, illos excellere. Animas cum è corporibus exceſſerint, aut in æternas pœnas incidere, aut ad perpetua gaudia euolare: purgatoriũ ignem nullibi inueniri: orare pro mortuis vanam rem eſſe, atque auaritiæ ſacerdotalis inuentum. Dei ſanctorumq; imagines vbiq; delendas: palmarum aquarumq; religionem ridendam: mendicantiũ ordines à Diabolo inuentos: Sacerdotes omnes pauperes eſſe debere, oblata tantum ſtipe contentos: liberam patere viam cuique ad verbi Dei prædicationẽ: peccata mortalis culpæ etiam vitandi maioris incommodi cauſa, ferenda non eſſe: eum qui illius reus ſit, nullam eccleſiaſticam ſæcularemve dignitatẽ licito poſſidere, parendumque illi nõ eſſe. Confirmationem quoq; & Vnctionẽ extremam inter Sacramenta non contineri: alternæ noſtrę confeſſionis fructũ nullum cenſendũ: ſufficere Deo tantũ quæ peccata ſint confiteri: Baptiſmũ ex fluuiali aqua ſumendũ: nulla ſacri olei cõfuſione ammixtum: cœmiteriorum inanẽ vſum eſſe & quæſtus cauſa repertũ: non referre quacunq; humo defuncta corpora condantur: templum Dei late patens ipſum mundum eſſe: coartare maieſtatem eius qui cœnobia, qui templa, & ſacella inſtituunt, tanquam in iis adſit propitior Deus. Veſtem ſacram & vaſa ſacrificii momenti nihil ad cultum afferre: quocunque in loco, quocunque in tempore Sacerdotes Dominicum corpus poſſe conficere, petentibuſque offerre: ad quam rem verba tantum ſacramenti ſufficiant: auxilia inſuper Sanctorum, cum adiuuare nos nequeant, inaniter implorari. Eorum celebritates, velut vanas occupationes, protinus abiiciendas: nullis diebus niſi tantum Dominicis ceſſandum ab opere: denique in canonicas ſeptennarum horarum laudes Sacerdotibus debitas, ſiue ex cantu, ſiue voce eduntur, inutile opus reddi: in ieiuniis quoque ab Eccleſia inſtitutis nihil meriti nobis repoſitum eſſe. Tempore naſcentis inſaniæ huius præerat Pragenſi Eccleſiæ Sbinco quidã, claris apud Boëmos parentibus ortus: ſed non minus religione quàm nobilitate inſignis. Is acceptis quæ fiebant occurrere ante cupiens, quam late incendium vagaretur, libros huiuſce doctrinę accurate cõquiſitos deferri ad ſe imperauit, quos in vnum collatos, adhibito prius doctorum conſilio, publice concremauit ſupra ducenta volumina ea fuere, pulcherrime exſcripta tegmentis ſericeis bulliſque aureis locupletiſſime adornata: adeo iam noui dogmatis amor preciumque increuerat. Ioanni autem concitatori peſtis prædicatione eſt interdictũ, minis adiectis, niſi à vulgandis erroribus poſt ille abſtineret (medicina ſane ad magnitudinem morbi lenior quàm oporteret) etenim Praga excedens ad natalem vicum Hus ſe illico contulit: vbi permittente Toparcha his erroribus iam cõtacto conuocare ad ſe multitudines cœpit, & vim præſidis lamentari, ex conſuetudineque ſua docere, multa in Romanum Pontificem, multa in reliquos eccleſiæ præſules maledicta coniiciens: quin vt popularium animos cõſentaneis diſputationibus arctius illigaret, aiebat, non alio iure deberi Sacerdotibus decimas quã eleemoſynas. Liberum cuiq; eſſe dare ea ſi velint ac retinere. Nondũ autem de ſacramento

Huſſi dogmata.

mento altaris error irrepſerat: ſed attulit nouam peſtem Petrus ab Draſenſi oppido Miſnæ, ex iis vnus, qui paulo ante cũ Theutonibus Praga exceſſerant. Is enim pro Vicléphitano inter ſuos cognitus, proindeque à ciuibus pulſus Pragam repetiit, commune ac tutum hæreticorum aſylum: mox etiam ad tollendam inopiam litterarium puerorum ludum inſtituit. Habebat eodẽ tempore prędicandi opus in æde Michaëlis Archangeli Iacobellus quidam, doctrina & religione inter fideles celebris, eoq; in opere aſſiduus: hunc aliquando Petrus ſolus adortus mirari ſe aiebat doctum & ſanctum virum, cui ſacri codices quotidie eſſent in manu, quique plebem inſtruendam cepiſſet, non aduertiſſe inueteratum in communicando errorem, quo tamdiu laboraſſet Eccleſia. In ea enim ſub panis tantum ſpecie miniſtrari populo ſacramentum: cum apud Ioannem Euangeliſtam myſteriorum Dei reuelatorem ſub vini quoque aſſumendum monſtretur, dicente illo, *Niſi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.* His atque aliis ſæpe peruaſus Iacobellus, perquiſitis Sanctorum codicibus, Dionyſii pręſertim ac Cypriani, cum laudatam apud eos communionem calicis inueniſſet, non modo ipſe monitori Petro aſſenſit, ſed vt idem ſentirent cæteri, publice ſuadebat. Quam ob cauſam ab rectoribus prohibitus eſt illic prædicare: ſed ille ad maiorem Eccleſiam conuolans, ibique peſtilentiæ liberam orationi cathedram nactus, populum monebat, ne deinceps communionẽ calicis, ſine qua ſalus eſſe non poſſet, negligerent, accipere illum, ipſi inducerent animum, & miniſtrari à Sacerdotibus poſtularent. Huic hęretici illico omnes aſſenſere, lætitia affecti, quod auctoritas tandem vna ſuorum dogmatum eſſet inuenta, & fundamentum Euangelicæ legis habens, & inſcitiam Romanæ Sedis conuincens. Hanc peſtem haud ſane læto animo intuebatur Rex: Verum familiari victus deſidia, qua æque omnia labebãtur, debacchari impune ſinebat hęreticos. Solius Sbiuconis erat omnis contentio, qui vbi nullũ in Vinciſlao præſidium ſenſit: ſe autem aduerſus tantũ impetum parem non vidit, ad Sigiſmundum Hungarorum Regem confugit, obſecrans vt negligentia fratris non ſineret in Boëmia labefactari orthodoxæ fidei ſacramenta: ſe quod in eam diem potuiſſet muneri credito impendiſſe: non eſſe iam anguſtæ poteſtatis tam corroborati mali cenſuram: maiori vindice ad reducendam ſanitatem opus videri: niſi ab eo ſubuentum ſit: Boëmicam eccleſiam haud dubie mox ruituram. Dat fidem Sigiſmundus venturum ſe breui ad fratrem, catholicamq; omnem rem in priſtina reducturũ. Verum dum aliis intentus curis diem ducit ex die, nec promiſſum implet, Sbinco interim tędio expectationis apud Poſouiũ Hungariæ ciuitatẽ vita eſt functus. Sigiſmundus in ſufficiendo Pręſule eadem qua in eundo negligentia fuit, Albicum quendam Boëmum præfici impetrauit medendi arte quam erat profeſſus ſibi acceptum. Is cum extremę auaritiæ eſſet, deque domeſticis tantum curam ſuſciperet, contemptui habitus augendæ potius quam tollendæ hæreſis materiã præbuit. Lacerabat ea tempeſtate Romanam Eccleſiam Ladiſlaus Neapolitanus Rex armiſque omnia peruadebat. aduerſus hunc velut exitialẽ ſummis rebus hoſtẽ Ioannes Pontifex vigeſimus ſecundus huius nominis publice bellum decreuit, vulgata etiam peccatorum remiſſione his, qui ad tutandum Eccleſiam arma ſumpſiſſent. Id decretũ ad omnes Eccleſias circummiſſum cũ in Pragenſi etiã ſolemni more recitaretur, tres ſordidę artis homines hæreſium ſectatores illo audito magnis vocibus illico acclamauerunt, Ioannem Papam haud dubie Antichriſtum eſſe, qui in Chriſtianos crucẽ decerneret. Hos Senatus, qui ex ſanis forte cõſtabat, rapi à concione in carcerẽ iuſſit, tanquã mox violatę Romanę maieſtatis ſupplicium luituros. Sed populus ſumptis armis haud dubie vim illaturus ſi non redderẽtur, compopulares ſuos repetebat. placatus tamen grauiorũ oratione, qui comprehẽſorum vitam in tuto eſſe aiebant, tumultu ſedato domum diſceſſit. De illis tunc clandeſtinum eſt ſumptum ſupplicium. Sed eorum ſanguis cum extra prætorium per ima clauſæ portæ deflueret, facto inde ſupplicii indicio, iterum magno impetu reuolat, & interemptorum corpora non ſine lamentationibus tollens tegumentis aureis inuoluta per omnes eccleſias ciuitatis circumtulit identidem clamans: *Iſti ſunt viri ſancti, qui pro teſtamento Dei ſua corpora tradiderunt.* denique etiam in ſacello quodam ad id opportuno velut martyrum reliquias aromatibus condidit. Dum hæc Pragæ aguntur, Concilium interim Eccleſię apud

De Sacramento Eucharistia. *Ioh. 6.*

Nn 2

Conſtantiam Germanię totis ex nationibus congregatur. In eo cum Boëmica res introducta eſſet, referreturq́;, quanto contagio vicinę gẽtes laboraturę mox viderẽtur, niſi interim ſanitatis aliqua ratio haberetur, cura ingenti Patrũ mentes affectę ſunt, agitantiũ inter ſe, quonam maxime modo tolli hæc malorum initia poſſent. Affuit his neceſſitatibus Sigiſmundus Imperator, ſuaſitque Ioannem & Hieronymum ad ſynodum euocandos: qui cum doctiſſimi Boëmorum omnium atque hęreſium principes haberentur: tum vero decepti populi Duces venerunt, vocati ambo, nec tam vt in noua doctrina, quid ſani eſſet inſaniue agnoſcerent, quàm vt ſua concilio oſtentarent. Auditi diu frequenti conſeſſu ſunt. Ioannes ætate ac nomine maior erat, doctrina & facundia Hieronymus ſuperabat. Poſthæc delegere ex quacunque natione diuinę legis interpretes, qui illos ad ſanitatem reducere conarentur. Ii cũ multis diſceptationibus plane iam docuiſſent, eorum dogmata ſanctis traditionibus non conſentire: caſtis quoque moribus etiam contrarias eſſe: tum vero per vinculum Chriſtianæ charitatis rogabant, ne ſupra Eccleſiam contenderent ſapere: peregrinas opiniones magni diſcriminis eſſe, in quibus tenebræ mentis obtentu lucis reconditæ tenerentur. præclara illis eſſe ad obſequium Dei ſumme opportuna ingenia: non ſinerent Viclephitanis ea erroribus obſcurari: corroboranda eccleſię inſtituta: non ſine fructu noua quærenda: gloriam diſciplinæ in docendis, non concitandis populis repoſitam videri: poſſe eos ſi velint & meritum conſequi, & ab Eccleſia digna tantarũ præmia virtutum accipere: ponerent modo, vt Chriſtianæ humilitatis eſt, inuentorum ſuperſtitionem, & ſanctę congregationis iudicio cuncta permitterent. Manſere in pertinacia ambo, victique rationibus vinci propoſito noluerunt. Reſponderunt, verę cultores ſe legis eſſe & diſcipulos Chriſti: Romanam Eccleſiam cæteraſque quę vbilibet per orbem eſſent à ſanctis Apoſtolorum inſtitutis præcipites abiiſſe: opes enim ac delicias conſectari: dominatumq́; in populis & primas ſedes depoſcere: alere etiam canes atq; equos: & ſacerdotii prouentum omnem Chriſti pauperibus debitũ per laſciuiam luxumque conſumere: aut igitur neſcire eos diuina mandata, qui hæc tueantur: aut ſcientes indigne contemnere. His atq; huiuſmodi cum proterue inſiſterent, Primores ſynodi, deſperata hominũ ſanitate, amputanda membra iudicauerũt, ne reliquum corporis contagione apprehenderet. Tulerunt frequenti concilio in contumaces ſententiam, concremandos igni eos eſſe, cum non modo non reciperẽt doctrinam Eccleſiæ: ſed damnarent etiam atque etiam contemnerent. De Ioanne prius ſumptum ſupplicium eſt, poſt de Hieronymo. Sed hic cum illuſtri admodum ingenio eſſet eloquentiaque ſupra Boëmicam conditionem prope mirabili, fecerat ſalutis ſuæ omnibus deſiderium, vt & temptari amplius diſputationibus animum eius, & ſuaſionibus induci ad vitam placeret. Diu ergo admonitus, diu rogatus cum ab omni noſtrorum pietate ſemper cõtumacia augeretur ſeptuageſimo inde die ſortem conſimilem ſubiit. non minor vtriq; in perferendo incendio quam intuendis erroribus pertinacia fuit tanquã ad epulas, ſic ad ſuppliciũ lętis animis perrexere: nullibi edita voce, quę aut dolorẽ, aut ſenſum mœſtitiæ indicaret. Ad palum deligati vbi materię circumpoſitæ immiſſus eſt ignis, canere hymnum cœpere tanta quidẽ contentione vocis ac firmitate, vt flãma & fragor incendii vix interceperit cineres exuſtorũ, ne ab diſcipulis in idolatriã legerentur, in vicinũ lacũ proiecti ſunt: qui tamen terrã omnẽ ſupplicii ſummatim corraſam veluti rem ſacram in Boëmiã pertulere, vbi ex illo tempore Ioannes & Hieronymus pro martyribus habiti ſunt & diuinis honoribus conſecrati. Poſt hoc iudicium maiorem in modum irritata hæreticorum rabies magnis calamitatibus regnum afflixit: templa celeberrima Catholicorum cœnobiaq; operis cum vetuſti tum admirandi, quibus nil eſſe locupletius poterat, direpta primo, poſt incenſa ac diruta ſunt. Ciuiles tumultus plurimi excitati, cędes innumerę nunc horum nunc illorum editę. Sigiſmundus etiam Vinciſlai defuncti frater atque hęres, adito regno, Hungaros Germanoſq; exercitus peſtis depellendæ cauſa ſępius conciuit, detrimẽtis innumeris ſemper reiectus eſt. Eadẽ cum legatus Martini quinti cruce indicta bis eſſet conatus, bis turpiter ceſſit. Ex Viclephitana etiam hæreſi aliæ, vt fit, mox ſunt deriuatæ, Taboritarum, Orphanorum, Adamitarum, Orebitarumq́;, quorũ non ſtultę modo, ſed pudendę etiam fuere inſaniæ. Sigiſmundus tandẽ anno duodecimo

Ioh. Huſſus & Hieronymus ad ſynodum euocantur.

Ioh. Huß martyrizatur.

Hieronymi Pragenſis eloquentia.

cimo

cimo poſt, cum procurante ſe congregata iã altera Synodus Baſileæ eſſet, quos armis haudquaquam poterat, conditionibus reducere Boëmorum animos ſtatuit. Erat iam iter ingreſſus ad poſtulandum Imperii coronam. Igitur primis Boëmorum benigne admodum ſcribit, rememorans natione Boemũ ſe eſſe, & nulli genti pluſquã ſuę affectum: cupere illam quàm ampliſſimam & honoratiſſimam dici: cuius etiã rei cauſa ad accipiendam coronam Romam nunc eat: vt videlicet Boëmus homo plenum perfectumque ornamentum imperii inſigne adiiciat: Baſileę iam opera ſua inchoatum Concilium ſcire: hortari eos, qui iamdudum audiri ſe de religione optaſſent, eo conuenire, vt cum matre ſua Romana eccleſia idem ſapiant, atq; intelligãt. Auditurã benigne ſynodum quęcunque afferre pro ſuis dogmatibus vellent. Id curarẽt modo, vt conſentaneis cederent, & rationi non pertinacibus aſſentirent. agi non de terrenis, ſed cæleſtibus rebus, in quibus & vincere, & vinci vtrobique victoria æſtimetur. Poſttemo etiã admonet, vt redeunti ſibi pacatum regnum cõſeruent: adiiciens, nõ putare ſe Boëmos eius imperium declinare, cuius auus, pater, & frater apud eos clementer regnauerint, quiq; non regnaturus alia lege ſit quàm & illi, & cæteri Chriſtiani reges ſint ſoliti. Eodem tempore Baſilienſis quoq; Synodus eoſdem hortata per litteras eſt, vt mitterent ad Concilium qui fidei ſuæ rationem afferrent, docerentq; aut diſcerent quid in commune eſſet tenendũ. Præſtare eos & conueniendi & diſſerendi liberam poteſtatẽ. Exceptæ à Boëmis haudquaquã conſentiẽtibus animis exhortationes hę ſunt. Orphani & Taboritę, quos diximus, eundũ negabant: Ioannis & Hieronymi proponebant exemplum, qui fide Sigiſmundi accepta & Conſtantiam profecti nihilominus ſupplicium pertuliſſent. non eſſe iterum animas ſuorum multitudini obiiciendas, qui poteſtate vincerent, non ratione. Si quid de ſe cuperent alii, in Boëmiam venirent, vbi tuti ab incommodo eſſent. Nobilitas contra eundum pronius aiebat, & nunc potiſſimum timendum negabat, cum ſynodus hanc fiduciam præſtet: Ioanni & Hieronymo nullam antea præſtitam, impulſore tantum Sigiſmundo illos profectos. Tolerandos vero haudquaquam videri, qui peregrinas de fide ſententias nouoſque religionum ritus adinueniſſent: iidem vero inuentorum ſuorum rationem Eccleſiæ catholicę probare vel non poſſent, vel nollent. Hęc ſentẽtia cum à Maynardo nobilitatis principe iuuaretur, qui excellere conſilio putabatur, tandem peruicit. Miſſi igitur magno apparatu oratores quatuor ſunt, hęreticorum omnium primi, qui Conſtantiam venientes & benigne accepti cum rogarentur, quæ nam eſſent, in quibus à Romana Eccleſia diſſentirent, capita errorum quatuor Regni nomine protulere, totidemque qui illa tutarentur, ex ſuorum numero delegere. Communicandũ videlicet neceſſario iis eſſe ſub panis & vini ſpecie, qui ſaluos fieri ſe cuperent. Itẽ lege diuina interdictum clericis omni ciuili dominio: prædicationẽ verbi Dei quibuſuis paſſim permiſſam. publica delicta maioris etiam vitandi peccati gratia toleranda non eſſe. Reliqua autem in quibus diſſentiebant (innumera autẽ erant) ſilentio prętereire: veriti (vt poſt eſt intellectum) ne in tanto conſenſu doctorum hominum probari non poſſent. Contra hos oppoſiti ex ſynodo doctores totidem ſunt ingenio ac virtute præclari: qui falſis argumentationibus reſponderent. Diſputatum eſt ſine intermiſſione quinquaginta diebus, multaque vtrinque adducta. Tandẽ cum victa Huſſitarũ præſidia malarum mentium more vinci nollet propoſitumq; teneret, temptari eſt viſum, num priuatis alloquiis traduci in veritatis ſemitã poſſent. Plærumq; enim quod diſputandi non finit ambitio, humanitate facilius impetratur. Adhibita igitur omnia ſunt lenitatis & benignitatis officia: ſanitatemq; infirmorum quibus potuit modis reducere charitas ſtuduit. Qua lenitate cum ſpes nonnulla boni præbita eſſet, maxime quòd vię quædam oſtendebantur, quibus in vnitatẽ rediri, ambulariq; cum conſenſu in domo Domini poſſet, miſſi ab Concilio in Boëmiam legati ſunt, cum magiſtratibus regni de his rebus acturi. Inter ipſa autem conuentorum tempora dum adhuc penderent omnia, Procopius Raſus ex iis vnus qui paulo ante legati ad Conciliũ venerant, perditæ audaciæ homo, victoriiſque nonnullis aduerſus Catholicos celebris, collecto hęreticorum exercitu Pilznam oppidum obſidere grauiter cœpit à ſolis fidelibus habitatũ. Cumq; operibus vndiq; circumuẽti eo anguſtiarũ adducti eſſent oppidani, vt cedendũ obſeſſoribus breui tempore viderentur, opẽ à ſynodo impẽdẽti

periculo poſtulauere. A Patribus vero etſi ærarium nullum eis eſſet, raptim tamen pecuniam in capita collatam ad Mainardum miſere, præcipuum & mittendæ prius legationis, & accipiendorum poſt conuentorum auctorem, qui iam ad id ipſum delectu militum habitu ducere in Procopium properabat. Ille autem apparatu hoc cognito præueniendũ ratus, quinque milibus paſſuum longe à Praga Mainardo occurrit. Erat eo loci perampla, atque vndique late patens planities. Obuiæ igitur munitiones primę curruũ, quibus Boëmico more contineri copię velut caſtrorum vallo cõſueuere, mutuis obprobriis ſe inuicem excepetunt. Statuerat autem Raſus, niſi occaſionem fors faceret, prælio non decertare. In animo erat Pragam recta petere, cuius partem potiſſimam, & ſenſuram ſecum, & aperituram venienti non dubitaret. Sed Mainardi equites munitiones illius prætervecti, dum apertam poſtremam munitionum partem reſpiciunt, inter ſe cohortati magno impetu intra peditatum irrumpunt ad cædemq; diſcurrunt. Hoſtes inopinato malo perculſi, quod intra currus obuerſatos ante eum diem equites non viderint, quid agant neſciunt: quod erat tum ad ſalutem reliquum diffuſis in omnẽ partem agminibus fugiũt: quos inſecuri nobiles apertis campis deprehendunt cęduntq;. Procopius vbi iam retineri ſuos nõ poſſe terroremque ſupra omnem exhortationem eſſe intellexit: in confertiſſimam Mainardi aciem cum delecta prætorianorum cohorte inuectus aliquandiu hoſtis impetum tenuit, multiſque interfectis propemodum reſtituerat prælium, niſi multitudine illuc confluente vndique circumuectus, non tam cedendo quam vincendo feſſus cũ ſuis occubuiſſet. Per hunc modum Taboritatum Orphanorumque ex plebe collecti exercitus inuicti ad illud tempus cum ſcelerato Duce deleti ſunt. Secundũ hanc victoriam Pragę Catholicorum res facta ſuperior eſt, & hęreticorũ audacia cecidit. Igitur legati poſt longas diſceptationes multo tandem labore Mainardo plurimum adiuuante peruicerunt, vt de tribus reliquis errorum capitibus Baſileæ propoſitis iudicio Synodi conſentirent. Sic tamen vt ad ſolamen pertinaciæ dicerent, etiã ſine hæreſis crimine poſſe illa probationibus ſuis defendi. De calice autem cum obſtinatis multorum animis, ne malorum fieret continuatio, hanc rationem concordiæ iniere, qua nihilominus inueterata perfidia tolli paulatim tempore videretur. Ea huiuſmodi erat. Boemis ac Morauis, qui eccleſiaſticam vnitatem pacemq; ſeruarent: cumq; Romana ſede cætera conuenirẽt, liciturum poſt illa ſub duplici ſpecie panis ac vini. His videlicet tantũ qui eum vſum haberent auctoritate ſanctę Synodi communicare. An vero ex præcepto Dei ſic fieri oporteret, diffiniturum inde Conciliũ, cõſtituturumq; æterna lege, quod ſaluti fideliũ neceſſariũ æſtimetur. Poſt quę decretũ ſi nihilominus deſideriu calicis tenebuntur Boëmi Morauique, cumq; per legatos petierint, permiſſuram vtique Synodum ſacerdotibus eorum vt de illo iis tantum miniſtrent, qui & per ætatem ſanitatemque animi idonei ſint, & ſponte, non coactione humiliati efflagitent. Lege adiuncta, vt inter miniſtrandum palam plebi annuncient: non ſub ſpecie panis carnem tantum, ſub vini ſanguinem ſolum: Sed ſub vtraque Chriſtum totum, & integrum contineri. Hanc reducendæ ſanitatis formam contienta illi poſtmodum vocauere, huiuſq; obtentum nominis, & tutati aliquando ſe ſunt & nos oppugnare temptarunt. In Concilio poſtmodũ ſententiis omnium pronunciatũ eſt, calicem, quantum ad laicos pertinet, ex præcepto Dei non eſſe: moremque ſub ſpecie tantum panis miniſtrandi populo, à ſanctis Patribus inſtitutum: & ſane inſtitutum videri, & ſeruandum ab omnibus fidelibus eſſe: nec licere cuiquam ſuo iudicio hunc declinare. Non petiere ex illo tempore calicem, Boëmis non indulſit Synodus vltro: à Romano etiam præſule tale quicquam nec poſtulatum eſt, nec comprobatum. Ipſi etiam qui ad omnem contentionem noſtram conuenta velut clypeum defenſionis obiiciunt, illa eadem contempſere verius quàm non ſeruauere. Etenim pueris paſſim & dementibus non de pane tantum, ſed de calice miniſtrarunt. Inuitos quoque & non poſtulantes ad calicem adegere. Sacramenta Eccleſiæ & ſepulchra publicos honores iis, qui illum vellent, per iniuriam adimentes: de myſterio etiam tam panis quam vini nil plebibus iuxta condictũ annunciauere. Poſtremo nec Romanæ Sedis inſtitutis, a qua longe errabant, in cæteris aſſenſere: quorum omnium ſi præſtita ab illis fuiſſet fides, vix nunc poſt annum quadrageſimum exorti mali oſtenderẽtur veſtigia.

ſtigia. Iis videlicet in renouata ætate defunctis, quibus tantummodo quod vſum iam haberent, calix eſſet indultus. Reuerſis poſt hæc cum corona Imperii Sigiſmundus, quod hoſtes ſui Orphani, & Taboritæ ceciderant in regnum receptus eſt. Quæque cum Synodo conuenta erant, benigne approbauit: totus vt videbatur ad reducendam ſtabiliendamque veram religionem animo ſpectans. Erat per id tēpus Hęreſiarcha gentis: qui & nunc ad peſtem populi viuit Ioannes quidam, cui ab natali Boemię oppido Rochezane cognomen eſt inditum, obſcuris parentibus in ſumma inopia natus, qui vbi adoleuit, ad ſtudia litterarum ſe conferens tantum ingenio & labore breui eſt aſſecutus, vt presbyterio aſſumpto magnis inde concionibus verbum Dei Pragenſibus prædicaret, & humilitatis ac continentiæ laudem popularem in populo aſſequeretur. Hic cum legatione Baſilienſi ex quatuor diſputatoribus vnus tuendam ſuſcepiſſet cōmunicandi calicis partem: nec dimoueri ſententia vllis probationibus fuerat paſſus, & hanc velut propriam æſtimationis ſuæ arcem perpetuo tuebatur. Conditionib. magnopere aduerſus, quæ paulo ante conſentiente regno fuerant approbatæ. Hunc igitur obtrectantem in dies Eccleſiæ, & pacatam iam plebem ad tumultum ſollicitantem, nō valens Sigiſmundus verborum promiſſorumve vlla benignitate auertere, perdere ſupplicio cogitauit. Sed ille mentis huius à quibuſdam admonitus, quibus contagii præteriti etiam erant veſtigia clandeſtina fuga ſalutem quæſiuit: non multo ille poſt moritur, relicto ſucceſſore Alberto Auſtrialium Duce, genero eius, notiſſimæ cum virtutis, tum religionis ac modeſtiæ Principe: qui regni parte maxima adita, Boemicam rem omnem non ſatis adhuc quieſcentem breui ad tranquillitatem perducturus videbatur, niſi immatura mors concepta conſilia interrupiſſet: natus illi eſt poſthumus Ladiſlaus, cui nimirum paterno atque auito iure regnum debitum erat, tutelam eius velut conſanguinitate proximus Fridericus Cæſar Imperator ſuſcepit: non tamen adminiſtrandum quicquam in Boemis putauit, tantum permiſit vt ex ſuorum numero præſidem illic deligerent: qua ex re factum eſt vt nunc Catholici, nunc hæretici ſummæ rerum præfuerint: aliquandiu etiam Mainardus, quem diximus, regni gubernacula rexerit: Ad Georgium Pogebratium tandem eſt ventum, qui Praga per inſidias occupata Maina:doque in carcere (vt perhibetur) enecato, adminiſtrationem primo, inde regnum per vim fallaciamque inuaſit. Primis huius temporibus, & reddita hæreticis ciuitas eſt, & Rochezana ab exilio reuocatus, magniſque apud eum in honoribus fuit: qui confeſtim tanto adiutore fretus Pragenſi Præſulatui ſeipſum præpoſuit, conſortibus ſuis ad arbitrium miniſtrans. His vel illis, prout erat libido, ſacerdotia dans, atque adimens. Infectos etiam venenis regendis curandiſq; plebibus apponebat: ſanos autem artibus opprimebat: nec erat apud eum antiquior cura, quàm vt defenſus error ciuitatem totā regnumque comprehenderet: quam ad rem prompta vbiq; aderant Georgii adiumenta, alterque alteri vicem præſtabat, vt hic videlicet quod dominatus, ille quod ſacerdotii eſſet, plene vbique in populis poſſiderent. Adulto interim Ladiſlao, quem Alberti Regis Poſthumum diximus, de coniuganda illi adoleſcente coniuge inter Primates qui ſecum erant, habebantur conſilia. Virgines cum offerrentur complures, tantumq; coniugium paſſim erat in voto: ſed nulla conſenſu omnium viſa dignior eſt, quàm Gallorum Regis filia Margarita, cuius ætas, forma, & indoles, gloria etiam primi inter Chriſtianos ſanguinis conuenire admodum pernimium videbantur. Igitur ad eam deſpondendam mittuntur legati primo: coniugioq; impetrato oritur de loco ad nuptias eligēdo inter eoſdē cōtentio. Hungari Budam ciuitatē, Auſtrales Viennā, Boemi Pragā tantæ celebritati præferendam dicebāt: nutante eam ob cauſam Rege, & in quam partem inclinaret perplexo Georgius ad Danubium, qua propinquior Viennæ eſt, ſubito adeſt manu octingentorum expeditorum equitum comitatus, nunciatq; Regi magnis de reb9 veniſſe, quas illi tantū notas eſſe expediat: monitus vt tranſmiſſo Danubio Viennam accederet, tutam ſibi eam ciuitatē ob publicas inimicitias eſſe negat: rogatus vt per nuncios quæ velit aperiat: nō alteri quàm Regi archana ſua reuelaturum reſpondet: adiicit operæprecium eſſe tranſire illum eo tempore ad ſe: re ad cōſilium dilata, permultis non probatur, tantum ſubditis permitti licentiæ, vt ſuum Principē ad ſe ire depoſcerent. Vileſcere eo modo regiā digni-

tatem,& illos fieri ſuperiores aiebant: Ladislaum Georgii mouebat auctoritas,putabatq; arduum aliquid,& nec differendum afferri. Itaq; quanquam indignitatem cognoſceret:tẽpotis tamen cauſa pręferẽdum vtile iudicauit. Inermis ad armatum profectus eſt: quem tria millia equitum ſtatim ſunt conſecuta: ciuium verius quàm militũ caſtris trans Danubium poſitis,medio inter vtrãq; ſpatio tẽtorium eſt collocatum, in quo ambo ad colloquiũ cõuenirent: conuentum eſt diebus continentibus quatuor. Prima conuentione ſalutatus publicè Rex eſt,dignuſq; illi habitus honos. Duabus ſequentibus ſinguli tantum à ſingulis adhibiti ſermonum teſtes: quarto die ingreſſi ambo ſine arbitris tabernaculum,diu ſoli ſunt collocuti: quæ inter eos ſecreto illo ſint agitata,in lucẽ tũc nõ prodiere. Verum poſt paulo ex iis quæ accidiſſe cognitum eſt,patuit ſatis de profectione Regis in Boemiam actum fuiſſe, nec ſatis Georgio aſſenſum. Etenim vt digreſſi à Danubio ſunt, non tegens ſuam indignationem Boemus,minitatus eſt multa, & in Morauiam irarum plenus iter conuertit. Ladislaus periculi rem eſſe videbat,impacatum illum dimitti,quod ſumma apud eum regni poteſtas eſſet:& inquietum animum noſceret. Itaq; primos ex aula qui hominem conſequantur,ire illico iubet atq; ad ſe reuocare,ſi poſſint. Si minus id valeant,facturum eſſe Regem,quæ ille poſtulaſſet permitterent. In itinere inuentus, cum ad reditum induci nullis ſuaſionibus poſſet,quod proximum fuit de tranſitu in regnum nuptiiſq; Pragæ celebrandis promiſſum accepit. Quibus in Boemia nunciatis, multorum animi ingenti lætitia affecti ſunt, quod & regnum ſuum Regem longo poſt tempore viderentur: nonnullis autem,qui interius hæc cogitabant, vocatio hæc erat ſuſpecta,vitæq; creduli iuuenis ab ambitioſo præſide metuebant: inter quos Ioannes Meneſteus ex ſanis nobilibus vnus: Ladislao etiam ſcripſit, ſi quidem illi duę ceruices eſſent, veniens ad Georgium,alteram Viennę relinqueret, quando de altera periclitandum ſuo iudicio æſtimaret. Hunc poſtea re intellecta Georgius per ſpeciem captandi cõſilii ad ſe euocatum capitali ſupplicio affecit. Nuptiarum igitur appetente tẽpore cõpoſitiſq; iam in Auſtria rebus,cuius curæ gratia diutius ibidẽ fuerat, magno apparatu in Boemiam profectus eſt. Ad cuius fines Pogiebratius cum omni nobilitate obuiam factus, Pragam illum perduxit. Intranti ciuitatem primus Rochezana cum ſacrilego ſacerdotum grege factus eſt obuiam, & compoſita oratione de aduentu in regnum eſt gratulatus. Quo loco prima religionis ſuæ adoleſcens rerum prębuit argumenta,qualiq; regnaturus eſſet animo indicauit. Vix enim illo dicente reſiſtendo loco identidemq; turbatis oculis pompam hæreticam ęgre intuens, nec niſi admonente ſæpius pręſide,adduci potuit vt gratias ageret. Hos inde pręteriens vbi ad collegia Catholicorum peruenit ferentium ſacra manibus, qui pro teſtamẽto Dei antea eiecti admiſſo Sigiſmundo nuper redierant: Agnoſco,inquit, hos Dei miniſtros,ſimulq; ab equo deſiliens,crucẽ,quę offerebatur, eſt oſculatus: cõſalutatiſq; omnibus lęto vultu gratias egit, pietatem ſane vi Rege inclito dignã,ſic in hęreticorũ mentibus,qui cõtemptum Rochezanam dolerent,acerbis odiis cõditam. Ad publica poſthæc conuerſus magnaq; animo agitans tres imprimis legationes decreuit regni initio neceſſarias: ad Caliſtum. III. Ro. Pontificem: quę de ſanando cõiungendoque Ro. Sedi Boemorũ regno rationẽ iniret. ad Federicũ Imperatorem, nutritorem ſuum,ob diſſidentes Hungaros de pace acturam. Tertiã ad Carolum quoq; Gallorũ Regem,quæ nuptiali pompa ſponſam deduceret. Porro autẽ comparandæ ingentis alicuius in Turcos expeditionis curam ſuſceperat,qua tandem pelli Europa inimica gens poſſet. His igitur conſtitutis,Romã iam ad fidẽ vniendam ibatur. De concordię formula propemodum cum Friderico conuenerat. Inſtruebantur etiam ingenti apparatu Regiæ nuptiæ,ad quas conuenturi vndiq; honoris gratia, & Reges & Principes erant: eiſq; perfectis de expeditione concepta acturi. Sed hos tantos cogitatus, atq; has magnarum rerum curas,quæ de Georgio & Rochezana iactata tunc opinionibus ſunt, interceperunt. Illi enim qui Ladislaum dilexerant, nunquam ſuſpectum etiã ob diuerſam religionẽ habebant, veriti ne in tanto Catholicorum concurſu ipſi inferiores opprimi facile poſſent,diſcrimen ſuũ ſcelere pręuenerunt, dato,quod Georgio in poteſtatẽ illũ habenti facile erat,occulto Regi veneno. Sederat pro tribunali Ladislaus ad exercendũ iudiciũ,quod de nobilitate inter Pogiebracium, & potentẽ

quendam

quendam Morauũ erat, cuius rei cauſa, & magnę inter vtrunq; fuerant contentiones, & alter alterum in duellum vocauerat. Illo die in facie adoleſcentis præter ſolitũ fuit triſtitia, totoq; cõſeſſu vel minimum exhilarari viſus nõ eſt: ſic vt pręſagium exitii alicuius multi cõtenderint. dimiſſo cõcilio cœnauit inter Proceres aulę ſermone nõ ad lætitiam epularũ: ſed quaſi ad grauitatẽ curiæ vſus. In cubiculum inde diſcedẽs, cum ad multam noctem vigilaſſet, ex ſolitis ante ſomnum ad Deum orationibus ſurgens tumultuari, & vehementer dolere ſtomachum dixit. Cui Boemus ex cubiculariis, qui cœnato illi dulciſſimas pro more obtulerat rapulas, *Decumbe*, inquit, *& dormi*. dolor omnis per ſomnum abibit. Acquieſcente Rege ac dormiente hora vix lapſa ſubito & anguſtia euigilans, iterum appellat cubicularium: creſcere anxietatem, intolerabilemq; iam eſſe conqueritur. Ille nihilominus ſomnum dicere præſentiſſimam medicinam eſſe, hortatiq; vt illum reſumat: ne vltra moleſtiæ cubiculariis eſſet plenus manſuetudine iuuenis vigilias ſuas gliſcentemq; in horas dolorem in diem vſque perduxit. Prima luce accerſiri medicos iubet, & tantis doloribus ſubueniri. Illi venenum ſubito agnoſcentes, quod extremis rebus poterat attulerunt. Georgius etiam aduocatus cubiculum dolenti aſſimilis intrans percontari ex Rege pergit, quid ita doleret, quidque illi tantæ peſtis huius occaſionem feciſſet. Tum bono animo hortari cum eſſe, & nil deſperare. omnia ad ſalutem quæ humanis opibus contrahi poſſent, illico affutura. Nil ad cętera reſpondens Ladislaus, tantum diſſimulato ſcelere pietati ſtudens, quãrum deberi à ſe ſuprema etiam hora putabat; *Tuam*, inquit, *in me fidem Georgi dudum agnoui: per te Boemiam ſum aſſecutus, beneficio tuo vſurum me diutius credidi. Sed Deo nunc aliter placet: moriendum mihi poſt paulo eſt: in tua manu futurum regnum non dubito. Duo à te moriens in ſolamen deficientis vitæ precor: alterum, vt iuſte præſideas, viduis pupilliſque aſsis, & tenues fortuna ne deſeras, alterum, vt qui me ſecuti ex Auſtria cæteriſque prouinciis ſunt, reditum ad ſuos ſine incommodo habeant. Hoc te Ladislaus ſupremum munus depoſcit: hoc ne abeunti neges per beneuolentiam in te ſuam teſtatur.* Præmaturas curas reſpondente Georgio illas eſſe, futurumque breui illum incolumem, & viuum præſtiturum quæ mortuo perſolui velit à ſe: rogante etiam vt deſineret animo agitare, ac loqui quæ aliis, non minus quàm ſibi triſtia eſſent, iterum Rex apprehenſa dextera eius: *Age*, inquit, *Pogiebrati, ſponde quod cupio, & morientem aſſenſu tuo ſolare. Si feceris quæ te ſum obteſtatus, Deum viuenti tibi adiutorem parabo, cum ita vixerim, vt ad gremium eius aſcenſum mihi futurum confidam.* Non potuit in ſceleris etiam conſcientia continere lachrymas Georgius, eidem protinus dedit quæcunque poſtulaſſet facturum. Ab his obteſtationibus diſcedente illo introducti ſtatim ſunt ſacerdotes, & ſacramenta futuri viatici perſoluta: ornatum omnem ſuum Ladislaus, qui plurimus erat Pragenſi legauit Eccleſiæ. Popoſcit etiam comam Germanico more ad humeros promiſſam, quæ miri decoris erat, ne quid vanum viuenti adhuc ſupereſſet, abſcindi. ad extremum vero deductus, vbi trahi ægram animam ſenſit, ſacrum cereum ac cenſum popoſcit, & manu prehendit, identidẽq; imaginẽ Chriſti crucifixi intuens orationem Dominicam inchoauit ac in finem perduxit. Pronunciatis vero vltimis verbis, quibus nos depoſcimus à malo liberari: ſine vllis anguſtiis illico exſpirauit. Veneno quæſitam hanc mortem medici Theutones, quibus præcipua ſemper fuerat Regis cura in Auſtria reuerſi non ſiluere, palam reſtatiſunt, vocatos ſe mane ad Regem, perſpicua ſtatim veneni argumenta vidiſſe: neq; id auſos cuiquã præterquã languenti illi aperire: ne videlicet apud alienos eorũ in ſe irã, ac vim prouocarent, quorum ſcelere machinatus eſſet interitus. Regi autẽ vt clam indicaſſent reſpondiſſe illum: Nõ ignorare ſe toxicum datum, & ſcire quãdo ac per quẽ datum: ſed virum imperaſſe ſilentium: ne ad ſuã illorũ quoq; mors adderetur. Senatus certe Viennenſis vbi iis auctorib. increbeſcere famam hanc nouit, timens Boemorum in ſe ferociam cõcitari, multa interminatus tacere medicos iuſſit. Georgius ea die, quæ mortem Ladislai & pompam funeris interceſſit, conuocatis in Curiã regni Proceribus præſidatũ ſuum interitu Regis haudquaquã finitum edixit: vſq; ad proximum Iunium ex diplomatibus habitis continuare præfatus eſt. Tenenti arma cum nemo aduerſatus eſſet, Pragenſes illico, quorum pars magna hæreſi confirmandæ ſtudebat, præſidatum hunc agnouere. Exin ad eligendum Regẽ dies eſt con-

ſtituta, atq; interim multa per Georgium, multa per cæteros, vt quiq; animo fortunã hanc ſibi cõceperat, variis ſtudiis procurata. Francorum Rex Carolus, ob recens filię coniugium, alteri ex filiis regnum id poſtulabat: Polonorum itidẽ Rex, qui ſororẽ defuncti duxiſſet vxorẽ, id ipſum deberi ſibi affirmabat. In eadẽ erat cauſa Saxonię Dux, qui alteram natu maiorẽ ante deſponderat. Fridericus quoq; Imperator ius appellãdi in Boemia Regis ſuum docebat: nec ſine ſpe querendiq; ſtudio erant Sigiſmundus Albertuſq; Auſtriæ Duces, ſcientes veteri fœdere, deficiente ſine prole Rege, deberi ſibi ſucceſſionem. Rochezana autẽ de ſumma rerum ſuarum in tanta mutatione agi exiſtimans, crebris concionibus contendebat, aut Regem ex ſua religione, quæ non falleret, dandum regno eſſe, aut ſi nemo tanto faſtigio dignus inueniretur, iudices annuos qui regerent ſtatuẽdos: quam ad rem & Hebraicos mores, & veteris exempla legis in medium plurima proferebat. Adueniente tandẽ cõdicta die, auditę primo in cõuentu procerum cõpetentium legationes ſunt: inde ſententiis tota res diſquiſita. Vbi aliquantulum moræ his, vel illis eſt interpoſitum, Georgianæ inde factiones in hunc euentũ antea cõparatæ, neceſſitatem publicam obtendentes, magno conſenſu Regẽ eum pronunciauere, virum quidem domi & militiæ iuxta clarum, cuiq; ad ſummas res ſumma eſſe opportunitas poſſet: ſi obſtinata perfidia paratuſq; ad fallendum animus præclara naturæ bona nõ obſcuraſſet. Hac electione protinus ad agẽdas Deo gratias in publicum egreſſus operum primordia à ſignificatione hæreſis inchoauit. Præterita enim cathedrali eccleſia, cui nimirum is honos erat habendus, ad ædẽ Mariæ Virginis ſuo Rochezanæ cõmiſſam ſolenni põpa ſe contulit, ibiq; ſalutationem publicã cõfluente populo excepit. Boemicorum Regum hic primus hæreticus fuit: cæteri ante eum vnionẽ catholicam ſeruauere. Etſi .n. Sigiſmundus & Vincislaus frater, Albertus gener in deprauata inciderint tempora: non tamen deprauari ſe erroribus permiſere, & calice perpetuo abſtinuerunt, & inania dogmata contempſere. Georgius ſolus ab noua illa impietate eleuatus diuina atq; humana ingentibus malis ſubuertit. Vulgatam iactura grauiore electionem Georgii multi Catholicorum aduerſis animis accepere, ii præſertim qui ſe nominis Germanici profitentur, Sleſia omnis prouincia, Luſatia ſuperior atq; inferior, cunctaq; pene Morauia. Videbantur enim ab infideli homine, nil ſanæ adminiſtrationis habituri, cuius in præſidatu geſta iuſto odio fuerant. Itaq; ad detrectanda eius imperia animos firmant ſuaque præmuniunt. Ille opinionem Huſitanæ hæreſis aduerſam ſibi cognoſcens, ad eam auertendam (vt eſt ingenioſus fallaciæ fabricator) duos fideles ab Hungaria Præſules euocat, qui ſibi coronam regni conſuetis cerimoniis tribuant. Ii vero cum veniſſent, nec niſi abiuratis erroribus promiſſa in poſterum fide coronationi vellent intendere, & hæreſim abiurauit, & profeſſurum ſe obedientiam Pontificibus Romanis, purgaturumq; ab concepta labe Boemiam, religioſiſſimo iureiurando chirographoque firmauit: clanculum tamen paucis adhibitis, hæc ſibi agenda putauit, ne videlicet infectas plebes quibus fidebat, noui operis indignatione auerteret. Coronationem autem ad fidelium oſtentationem per fideles (vt dictum eſt) Præſules publicè celebrauit. Quibus actis cum nec ſic credi commentis videret, Proceres Boemiæ, à quibus fuerat renunciatus, ſubornat, vt has prouincias ad parendum hortentur, doceãtque Regem ipſum, & fidelem eſſe, & in conſenſu Eccleſiæ Romanæ manſurum. His quoq; nõ ſuccedentibus, ad arma conuertitur, Iglauiam Morauiæ oppidum ad fines Boemię poſitum magnis operibus obſident, in deditionemq; accipit, Principes loci, quos ſibi aduerſos cognouerat, de medio tollit: nonnullos mulctat exilio. Idem de Bruna, & Morauiæ Metropoli Olomuca eſt, armato illi ſucceſſus adiuuante præſidenti quodam Porthaſio, qui Olomucenſi nuper præfectus Eccleſiæ, nondum adita poſſeſſione Georgium ſequebatur, honoribuſq; allectus paſſim populis prædicabat auctore ſe crederent Catholicum eſſe, nec ſine peccato detrectari poſſe eius Imperia. Interea vero cum ad Caliſtum .III. Ro. Pontificem probandæ mentis eliciendiq; reſpõſi cauſa plenas religionis dediſſet litteras, in quibus ſe filium Ro. Sedis docebat, & profeſſionem obedientiæ pollicebatur, & grãdia in Turcos moturum ſpondebat, ſi modo delatum ad ſe regnum pacaret ſenex artis illius ignarus, cui tunc de bello Turcorum ingens ſtudium eſſet, ampliſſimis verbis reſpondit mentem illius

probans,

probans, pro iis quæ offerret gratias agens. ad expedienda quoq; mox oblata integ: ũ quietumq; regnum eſſe illi deſiderans: Diploma autem vt de Regibus noſter mos eſt, à tergo erat aſſcriptum, *Georgio Bohemorum Regi, chariſſimo filio.* Compos in hunc modum doli Pogiebratius diplomata hæc, vt plumbo erant ſignata, quoquo verſus inſpicienda populis circummittit. Probati tandem poſſe docens Ro. Præſulis teſtimonio fidem eius ſanamq; de religione ſententiam: nec relinqui incredulis locum ſine poteruiæ crimine defugiendæ ditionis eius. Mirum dictu quãta hinc animorum ſit facta conuerſio. Illico Toparchæ omnes & vrbes & oppida poteſtati eius ſe permiſere, concurſumq; toto regno eſt ad cognoſcenda noua Imperia. Præſul quoque Vladiſlauenſis Iodecus, magnæ nobilitatis vir, qui ante ad miniſterium coronationis vocatus non niſi voluntate Pontificis iturum ſe dixerat, hac diplomatum fiducia acceſſit, & Regem pro more eſt veneratus. Germani etiam Principes exemplo eodem amicitiæ illius ſe certatim inſinuant: ineunt fœdera, nuptiiſq; confirmãt. Cum Cæſare demum, & Polonorum Rege, & Matthia Hungarorum regnum tum primum adepto data in vxorem filia ſocietas coitur: quibus ſupra votum fluentibus ignarus venturi dixiſſe in conuentu Procerum fertur: Ex tam multis tamq; proſperis rebus ſane quid primum eligam neſcio. Videns autem quantum Caliſti error attuliſſet conſiliis ſuis ſuffragii, quotidie magis capere illum artibus conabatur. Ad eam rem Roraum quendam pſeudoſacerdotem procurandis negotiis Romæ habebat. Ille impigrum miniſtrum ſe exhibens ſumma omnia de Georgio promittebat: nunc litteras, nunc ſe nuncios de hiſce rebus habere ſe mentiens, adeoq; fallaciis credulam circumuenerat mentem, vt etiam Rochezanam affirmationibus eius Caliſtus, petendæ veniæ cauſa cognoſcendiq; erroris breui affuturum Romæ putaret: quod cum Gabrieli Veronenſi ex Minorum ordine lætabundus iactaret, qui per eos dies ex Boemia venerat: Ille, vt erat prudentiſſimus, & vulnera paulo ante illata cognouerat, fallaciam tum Georgii, tum Rorai detexit, venturumq; nunquã Hæreſiarchã, ni vinctus traheretur, mõſtrauit: nunciauit quoq; quanto ad peſſundandam fidem fuiſſent Regi patrocinio diplomata, ad eius litteras reddita, cuius illico facti pœnitẽs ſenex, planeq; deceptum ſe noſcens, poſt paulo vitæ conceſſit. Ei autem eum ſucceſſiſſet in põtificatu Pius, veritus eam mutationẽ Pogiebratius, quod ab ſenſato Principe, qui multos annos & in obſequio Cæſaris, & in Boemis eſſet verſatus, teneri ingenium ſuum atq; artes cognouerat, quæ obtuliſſet Caliſto, ne præuenirentur conſilia maioribus nunciis Pio etiam offert interea ad præcidendas vexandi ſui occaſiones quàm maximis poteſt ſtudiis curat: ait auctoritate Cæſaris Regnum aditum confirmetur, imperatq; vt huius rei cauſa Brunam ille accedat: quorũ certior factus Pius magnis itinerib. ire ad Cæſarem Lucenſem Præſulem iubet, qui obteſtetur & moneat, nil ante Georgio tribui quã fidei catholicæ ſecum eſſet habita ratio. Serius paulo cum eſſet Brunam peruentum, cõceſſis iam omnibus, quod proximum fuit, agit cum Rege de perſoluendis quæ per litteras tam plene obtulerat. Confirmato iam regno pace vndiq; parta minus ſibi iam timens frigide reſpondet ad ſingula. Cum Turcis ait inimicitias non intercedere, cur in illos moueat arma. De pellendis quoque regno hæreticis ingratum videri ſibi iis fieri importunum, quorum ope regnum eſſet adeptus. Leuia æſtimari ea, in quibus dicerentur errare à cæteris, ea curaturum ſe tempore. Inde ad externa conuerſus contentiones aliorum ſuam quietem exiſtimans, Principes inter ſe omnes qui regnum circumſtant commiſit: ſic vt dimicationibus extremis res ſuas affligerent, nunc iis, nunc illis ad alenda mala plerumq; ſimul omnibus occulta ex Boemia miniſtrans auxilia: cuius rei cum aliquando ab iis accuſaretur, quibus cum ſibi vel fœdus erat vel neceſſitudo, liberos eſſe Boemos excuſabat, permittique lege regni, vt cum neceſſarii intus non eſſent, quærere impune poſſent foris ſtipendia. plerumq; etiam vel eum cõſumpti inuicem eſſent, vel ad alterutros inclinare victoriam noſcebat, pietatem ſimulans oratores mittebat de pace, cogebatq; vel inuitos latis à ſe conditionibus aſſentiri, metu illato adhæſurum ſe hoſti ni ita acciperent. Quibus operibus factum erat, vt pene iam Germanicæ res ad eius arbitrium regerentur, inq; illum omnes reſpicerent, nunc oppreſſorem, nunc fautorem eum experti, ſemper autem fallacem, atq; ad ſua commoda omnia pertrahentem: nec

minus etiam domi inquieta exercebatur iniquitas: arces & munita quæq; loca regni aſſimulatis neceſſitatibus paulatim fidelibus adimebat, tradebatque ea hæreticis: quos itidem alieniores ſibi ſenſerat, falſis excitatis criminationibus, aut pellebat Toparchiis, aut comprehenſos necabat. Id ſedulo moliens, vt nihil non ſuæ ſortis toto regno haberetur. Vna erat reliqua, caput prouinciæ Sleſiæ, Vratislauienſis ciuitas, peroſa Georgii ingenium, nec viuente Ladiſlao præſidatum, nec nunc mortuo regnum eius pati potuerant: male ſanam de fide mentem continuo verſa eius ſubigendæ reducendæq; magna erat illi cupido, quod incolumi tanta re facem propoſitam cognoſcebat: vnde in ſe aliquando concitari maiora incendia poſſent. potentiſſima erat ciuitas: eamq; propterea appetere armis haud ſane tutum rebus adhuc recentibus videbatur. Igitur ad Pium per procurandi ſpeciem Vallenſem Fantinum mittit, fidelem hominem & Romanæ Sedi amicum, qui nunciet, miſſurum ſe illico legationem ad profitendam de more obedientiam, doceatq; quanto impedimento Vratislauienſium ſit contumacia ad præſtanda in Turcos, quæ totiens Caliſto ſibiq; obtuliſſet. Horum enim impacatis animis impacata reddi ſibi reliqua, & ad externũ bellũ inualida omnia cum deceptus Fantinus aſſeuerantius affirmaſſet: Cæſar quoq; & Principes Germanorum nonnulli rogati Pogiebratii Pontifici teſtarentur: nil tamen ille ob reſponſa Lucenſi data credendum temere iudicans, Oratores duos ad Regem, & Vratislauienſes ire iubet, mandato iniuncto vt primum quo ille animo ſit, attente inſpiciant: tum niſi bene ſentire de fide non cognoſcant, facturumq; videant quę promiſiſſet, reducendę Vratislauiæ vllã operam nauent. Profecti ex Fantino illos, cum Boemus, qui iam quam ad rem irent præſenſerat, magnis honoribus accepiſſet, ac contra quam Lucenſi reſponderat de conuertendo ad ſanitatem regno indicẽdoq; bello Turcis magnifica omnia confirmaſſet, facta de ſe fide impetrat etiã vt Vratislauienſium reditum Romani Præſulis nomine operentur. Eius illi rei cauſa ad eos ſe cõtulere, ac multa conati, multa de fide Georgii fruſtra proteſtati eos opinione duriores ſenſerunt, quod artes eius propinquius ſe noſcere dicerent. Hanc tandem inire concordiæ rationem, vt in triennium etiam ſui eſſent arbitrii, poſt id in ius regium cederent, fidemque hominis quo tandem erumperet, medio interuallo experirentur: quibus per Georgium approbatis reuerſi illi ad Pium ingens ac pene creditum de illius mente teſtimonium attulerunt. Expectabantur in diem de obedientia, de religione, & Turcorum rebus dilati totiens ante illa Oratores. Sed longo etiam poſt tempore adhuc non comparentibus accuſabat Pius Fantinum, quod quotidie tantopere affirmata nullum adhuc veri veſtigium haberent. Ille vt procurantium mos eſt, Georgii moram excuſabat: afferens cauſas, quibus impedii um illum tardare arbitraretur. non ſecius autem quotidianis nunciis Regem ad ſeruandam promiſſorum fidem vrgebat, monſtrans nullum vltra excuſationibus locum eſſe, æſtimationemq; eius apud Sedem Ro. venire in dubium: aut mittendum illico Romam eſſe, aut plane negandum; ſuſpenſionibus iis nil Patribus & Pio videri moleſtius. His tandem adductus Pogiebratius Ioannem Rabeſteu ex nobilitate Boemica mittit, qui Senam ad Pium veniens, vbi tunc ex conuentu Mantuano ſubſtiterat, de profitenda tantum obedientia mandata pertulerat, atq; hanc non niſi ſecreto profiteri fuerat iuſſus: cuius rei illa adducebatur ratio, quod nondum plane poteſtatis ſuæ facti eſſent hæretici. expedire paululum adhuc vltra ſe communem oſtendi, donec omnium compos ſine regni diſcrimine vnire in vnam religionem vtrumq; populum poſſet. Artes Georgianas quanquam intelligeret Pius, audiendum tamen illum putauit. In ſenatum igitur introductus obedientiam pro ſe tantum & familia obtulit. Hanc quoq; ſic verbis ſenſuq; perplexam vt facile cerneretur, neceſſitatis, nõ voluntatis miſſionem illam fuiſſe. Reſponſum à Pio eſt, profeſſionem eam mancam videri ac nudam, & nec fidei obligatæ ſatisfactionem afferre: aperta & plena opus eſſe: vt connumerari ab Apoſtolica Sede inter Reges catholicos poſſit. Eam ſi non profiteatur, neceſſario iudicii rem futuram Redeunte in hunc modum Ioanne Fantino etiam liberius nunciante, qui ſermones de legatione tam leui eſſent: Pontifice identidem multa in dies comminante, alteram vertente pene anno decernit: publicam quidem ac numero ampliorem, nil tamen veneni minus habentem. Quatuor in ea

re lega-

re legati fuere: vnus tantum ex fidelium numero Procopius: ex inquinato Rege: tres reliqui, quos penes ſumma erat mandati: auditi publice in frequenti conuentu: primo orationis loco obedientiam obtulere verbis quidem cum non ſatis apertis, tum vero nimium lenibus. Inde de conuentis cum Synodo Baſilienſi magno affectu agere, poſtulantes vel confirmari illa, vel ſi non placeret, noua ſaltem concedi: qua in re communionem calicis tanto artificio extulere, vt cum eam ſalutarem Chriſtiano populo, & reuelatam diuinitus diceret: tum vero illationibus obliquis ad neceſſitatem ſalutis pertinere contenderent. Conſedimus nos ea die ad hos audiendos, fallacemq; orationem deprehendimus. Pius hæc poſtulata ad conſilium referens, de ſententia Senatus in publico quoque Boëmis reſpondit, ac reſponſi eius hæc fere fuit ſententia: Obedientiam recipere ſe, quanquam communem nimis ac diminutam credituram Apoſtolicam Sedem tum demum illos veram abſolutamque præſtare, cum pulſis erroribus, ad ouile Domini Rex Regnum reduceret: quod vt mature faciat per profeſſam ea hora obedientiam ſe arctius imperare. Calicem vero, quem tantopere commendaſſent, illis nec neceſſarium eſſe, nec ſane etiam vtilem: diffiniſſe Synodum Conſtantienſem, non licere ab inſtitutis Eccleſiæ, quæ ſpiritu Dei regeretur, abire. Inſtituiſſe autem, vt qui extra ſacerdotium eſſent, calice abſtinerent: quando & communicante turba, effuſionis vtrobique periculum eſt, & ad viaticum ægrorum ſacerdote longius eum ferente ſeruari difficile poteſt: tum autem ne indocta plebs, quæ ſenſibus ducitur, niſi ſub vtraque ſpecie non ſumi à ſe totum Chriſtum & integrum crederet. Conuentorum porro quæ memorarent, admodo nullam vim eſſe, nec licere illis quod crederent. Eorum omnem rationem bipartitam videri, permitti altera, vt qui vnionem Ro. Sedis ſeruarent, ritumq; in cæteris tenerent Eccleſiæ, ſumendi quoque calicis vſum haberent. altera vero permitti, vt ſi re inde ad Concilium delata illi nihilominus deſiderio calicis tenebuntur: eumque miſſis legatis petierint, indultum iri ſacerdotibus ſuis facultatem illius iis tantum miniſtrandi, quibus & per ætatem liceret, & ſponte ſua pie depoſcerent: lege perpetuo adiecta, vt præfari populis ante calicem debeant, non in pane carnem tantum, neque in vino ſanguinem tantum, ſed ſub ſingulis totum Chriſtum atque integrum contineri. Illos non ſeruaſſe conuenta Synodum, quæ obtuliſſet, non indulſiſſe: qui non ſeruarint: conuentorum nullum beneficium eſſe: quod poſt illa non indulſerit Synodus, conuenti nihil extare. non indulſiſſe autem, vel quod non petierint Boëmi: vel quod indigni ob neglectum habiti ſunt. Ita cauſam non ſupereſſe, cur aut nos ex conuentis appellent, aut Ro. Sedem iis moueri oporteat. Sed nec commodum Paſtori Eccleſiæ, nec illis videri expediens, noua nunc ratione id ipſum permitti: negaſſe hoc ſemper priores Pontifices, ab iis in tanta re diſſentire non ſane eſſet conſilii: laturas indigne exteras gentes: non his datam, prohibitam aliis participationem hanc calicis: nationes quietas operæ precium non eſſe nunc commouere: procliue quoque hoc ad errorem videri, quod ad neceſſitatem ſalutis pertinere eum ſi cōcedatur, rudis populus nimirum ſit crediturus, quā rem potiſſimum damnet Eccleſia. Porro autem diuidundorum animorum, & perpetuandi odii eam conceſſionem perpetuam cauſam afferre: eſſe in Boëmis partem adhuc ſanam nobis conformem, hanc in diſſimili ritu, idem nunquā ſenſuram: conflicturam armis & animis. Timendam proinde Domini vocem, deſolatum iri quodcumque in ſe diuiſum ſit regnum: æquius eſſe veteri ſententiæ nouam concedere, quàm veterem nouæ. Illam totius Eccleſiæ probatam conſenſu: hanc quorundam tantum Boëmorum ſuſceptam iudicio, reliquorum fidelium repudiatam decreto. Circumſtare inſuper regnum potentiſſimas plebes Theutones, Hungaros, Polonos, infeſtas itidem illas vſque futuras: ac mille licet proferantur Sedis decreta, putaturas verſari eos in errorem: ſicut & nunc quoque exiſtimant, nimiæ quoque arrogantiæ Bohemicam gentem damnaturas, quæ plus contenderet, plus ſibi depoſceret quàm Chriſtianorum reliqua multitudo. Iurgia, obtrectationes, & pugnas hinc prouenturas. Inconſultum videri intus atque extra perpetuos ſibi hoſtes concire, nominiſque hæretici ſubire infamiam. Expendiſſe diligenter hæc Ro. Pontificem: inutile quod ab illis poſcitur credere. neſcire quid petant: diſpenſatorem ſe myſteriorum Dei eſſe, ad Paſtoris opus pertinere gregem Dominicum paſcere, illumque in viam rectam

ſtatuere: nõ intelligere homines aliquando quę vera ſint bona: pœnituiſſe ſæpe mortales peracti voti, atq; impetrati. Quod oratores nunc petant, ad vitã æternã non pertinere: fumũ quẽdã atq; inanis gloriæ ventũ quæri: hortari proinde eos, cõtenti ſint ſub ſpecie tantũ panis corpus Domini ſanguinemq; aſſumere ad ſalutẽ id ipſum ſufficere, admonente Domino: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi: qui manducat hũc panẽ, viuet in æternũ. Diſcipuli Emaus euntes in fractione panis Dominũ agnouere. nollent pluris his eſſe: aut patres eorũ ſapientia anteire, qui ſub vna tantũ ſpecie ſacramento accepto in Chriſto mortui ſunt: ad notã illorum filiorũ eſſe viam contrariam. Adiungant ſe igitur nõ erranti Eccleſię, in vniendaq; religione vniant regnum potentiſſimũ olim poſt labefactatũ, rediturum mox in antiquas opes, & gloriã ſi doctoribus errorũ præteritis in viam redierint primã, matremq; audierint Romanã Eccleſiam. Magna concionis cõmendatione reſponſo dato, cum quid iterarent Boemi, nõ ſupereſſet: hoc tamẽ relaturos ſe omnia polliciti ſunt. Poſtularunt autẽ, quo maior fides perferẽdis ad Georgium mandatis eſſet, vt oratorẽ ex ſuis aliquem ire ſecum ad eadem confirmãda iuberet, Fantinumq; ei rei imprimis idoneum iudicauere. Datus illis Fantinus eſt: nec regia procuratio obſtitit: quippe quã menſes nõnullos ante perſpecta iam Regis mente vltro dimiſerat. Reuerſis inde in regnũ illico indictus Pragæ eſt ad eos audiendos ex Bohemia & Morauia frequens cõuentus, cui Rex, Regina & filii præſederunt. Auditi prima die legati cõtra expectationẽ noſtram cuncta fideliter retulere. altera introductus Fantinus præſenti animo mandata abſoluit. Imperauit Georgio vt calice abſtinerẽt, idẽq; à cęteris fieri cõtenderet. Rememorauit quoq; iureiurandũ ſolemne, quo inter ſacra coronationis, de iis cæteriſq; ad religionẽ pertinẽtibus ſe olim adegerat. præſtandã protinus tanti promiſſi fidem edixit, quã neceſſario Sedes Apoſtolica repetat. Eam ſi non pręſtiterit, timendũ videri ne periurii hæreſiſq; ſubeundũ ſit infame iudicium: cuius rei magno Regi ad tuendã æſtimationẽ curam non leuem eſſe oporteat His cognitis Georgius inarſit vehementius, ac ſuperãte iam metum perfidia, male aſſimulatã ante illa humilitatẽ abiecit. Palam in conuentu pronunciat, natum ſe atq; altum in panis ac calicis cõmunione: ſcire illã diuina lege mãdatã: nec velle aut poſſe tantũ præceptũ Dei relinquere. Ex conuentis eadẽ permitti, quę cõuenta nec abrogata hactenus ſint, nec adimi à Romano Pontifice poſſint: neq; enim ſupra Euangeliũ Concilii poteſtatẽ eius eſſe: meritos virtute ſua Boẽmos, vt ante alias gentes illa ipſa acciperent, quæ per inanes minas cũ ignominia dimittenda nõ ſint: neq; vero obſtare ſibi iuſiurandũ, ꝙ in coronatione ſuſceperit: iuraſſe ſe hæreſim regno depellere. hęreſim haud dubie reliquarũ nationum, nõ Boemicę eſſe: atq; ideo in eo maxime iuſiurandũ præſtare, quod inualeſcere externorũ inſtituta non ſineret. Talia multa cum clementer dixiſſet, concionẽ appellans, an ſibi tuenti cõuenta adiumento eſſe vellent, popoſcit. Ad quam vocem diuiſa ſubito multitudine, ſeorſumq; conſiliis habitis Huſſitæ primũ reſpunderunt: innumeras ſe agere gratias, quod eorũ religionẽ Rex eſſet profeſſus, ſecumq; vna ſentiret: ſanguinẽ propterea & fortunas ad conſeruanda ipſa conuenta libere offerre. Catholici autẽ nil ingenii cum conuentis eſſe dixerũt: vſos illis nunquã fuiſſe nec vſuros impoſterũ: velle ſe viam Patrũ tenere, inſtitutiſq; Pontificũ aſſentiri. Quod ad Regis autẽ, & regni pertineat rem, in officio ſe permanſuros, ac præſtaturos reliqua, quę fideles in Principẽ deceat. Horũ dicta ille excipiens, cũ ad dimouendos eos ſententia multa eſſet conatus, nihil autẽ proficeret, iram in Fantinũ conuertens, apprehenſo capulo pugionis quo erat accinctus: Et tu, inquit, à credita procuratione deſciſcens ex ſeruo dominũ te ſtatuiſti veniſtiq; ad denuncianda tuo Regi aliena imperia: manibus nimirũ meis admiſſi ſceleris pœnas expendes. Fantino reſpondente, fide procurationis pridẽ liberato legationẽ Pontificis licuiſſe ſuſcipere. profectũ eſſe oratorũ quos miſiſſet conſilio, qui ita à Pio ſuaſerint, nec dominatũ ſibi, ſed ſalutem regno nunc quęrere: Glorioſius autẽ nil poſſe ſorti ſuę contingere, quã in obſequio Romanę Sedis pro Chriſto occumbere, Regemq; interfectorẽ habere Vehementius his irritatus, haud quicquã illa hora à vi temperaſſet, ni proceres quidã impetum cohibẽtes indignã rem proclamaſſent abiecti hominis ſanguine cõmaculari Regias manus: quod vero ad leniendũ furorẽ proximum fuit, Sanctiſſimo Legationis iure violato rapi in carcerẽ iuſſus eſt: vbi menſes cõplures miſer-

rime

rime habitus ægre deprecantibus Germanię Principibus Cęſareq; imprimis annuēte ſemianimis extractus atq; abire permiſſus. Videns Pius vna improbitate & mandata ſua contempta, & iuſiurandū neglectum, & hæreſim publice declaratā: tyrannidem etiā in legatum ſuum exercitā, cunctandum in re manifeſta non ratus, de excidenda infructuoſa arbore cogitabat, neceſſariaq; ad iudiciū inſtruens. Senſit hunc animum Cæſar: ſenſere & Principes Germani nonnulli, in quos per ea tempora quædā extabant Georgii officia. Itaq; magnis deprecationibus ab eo cōtendunt, vt iudicio inſtituto paululū adhuc abſtineat. Daturos interim ſe operā ſpondēt, reducere illū priuatis ſtudiis in ſemitā rectam. Pius etſi intelligeret, laborē hunc inaniter ſumi, quod inſanabile ingeniū eſſet: ne tamē videretur ad perditionē quàm ad ſanationē inclinatior eſſe, Sediſq; opera impia dicerentur, tantis interceſſionibus condonandā dilationem conſtituit. Biennio in ea expectatione conſumpto, amicitias interim cōparauerat ſibi Georgius, fideleſq; Boemos afflixerat, regnumq; & factionē Huſſitanā firmauerat. In Pium apud Gallos turbulenta multa miſſis legatis quæſierat. nil minus autē quàm ſanis illorū ſuaſionibus crediderat: nunc ſcribens, nunc mittens, nunc offerens, perpetuo autem & ludens, & moras iudicio nectens. Vbi nil profici eſt intellectum, damna autem publica quotidie creſcere, aduocauit Conciliū Pius, atq; in ſolio reſidens longa oratione Huſſitanorū defleuit errores: aſtū inde Georgii, maleficia aſſidua, Catholicorum ærumnas, manifeſtū periurium relapſum in hæreſim interceſſores eluſos, patientiā ſuam magnis lamentationibus proferens, vindictæ nimium tardatæ adeſſe iā tempus oſtēdens, diem dicendæ ante ſe cauſæ centeſimū octuageſimumq; ab illo cōſtituit: nec multo poſt intra eundē terminum Anconæ deceſſit. In locū eius ſuffectus, vt dictū eſt, Paulus credere ab initio cœpit, non tam deſiderio calicis quàm Pii odio pertinacē manſiſſe Georgiū: eamq; mutato præſule mutatū facile iri. Benignius igitur de re ſua iā loquebatur, idq; aſſiduis captabat ſermonibus, vt placabilitatē ſuā ille intelligens, voluntate faceret, quod contentionibus facturus non credebatur. Ipſe etiā audito Pii obitu, & Pauli ſucceſſione, lætitia exultans, non obſcure aiebat, diuina vltione ſublatū de medio Bohemorū hoſtem, ſuffectumq; hominē Venetū, à quo ideo nihil timendū cenſeret, quod leuis ei nationis de anathematibus cura eſſe ſoleret. Interius tamen dubius animi cognita Cæſaris legatione, quam ad profitendā obedientiā Romam mittebat, cum illo agit, vt dilatio mittendæ ſuæ excuſetur. Etenim repulſam timere ſe, ob diem nuper iudicio dictam, nec putare dignitatis ſuæ eſſe eam ignominiā ſuſcipi. Si ſuſpendere vocationē velit Paulus, miſſurum ſe quoq; ad eum, & facturum quæ imperaſſet. Suſcepta re Cęſar ac mox impetrata quieturū inde videbatur iudicium, niſi peccato ad interitū trahente per noui ſceleris infamiā neceſſitatē prorſus vltionis inde attuliſſet. Erat inter proceres regni Hynco quidam non vltimi loci Toparcha, veri ſemper dogmatis aſſertor. Hunc eo tēpore Georgius, quod minus cæteris ſibi conſenſerat, per occaſionē criminum bello adortus, cæteris ademptis intra Zaraſten oppidū obſidebat, atq; haud procul à ſpe erat potiūdi loci & hominis. Hynco nullū in circumſtantibus præſidiū noſcens, quod omniū voluntates ille præuenerat, noctu per ſtationes elapſus Romā opis implorandæ cauſa nudus acceſſit. Ibi vbi Georgii operibus indicatis, reliquorumq; poſito ante oculos diſcrimine, quos neceſſariū eſſet mox eandē ſortem ſubire, facile impetrat, vt & in fidē ſuam Paulus illū accipiat, & ad Cæſarē ferendi auxilii gratia ſcribat, atq; anathema illos pronunciet, qui ab obſidione actutū non abeant. Intelligens ille vim Catholico illatam curę eſſe Apoſtolicæ Sedi, conuentu ſtatim Procerū indicto litteras omniū nomine, ſcitu autē paucorum, ſcribi ad Pontificē iubet, quibus obſidionis cauſam in crimina Hynconis referant, doceantq; Boemiā pati hominē inquietū non potuiſſe: non debere Romanā Sedem, cuius decreta grauiſſima ſoleant vnius falſis querelis in populū vniuerſum moueri. Rogare mature cuncta expendat, iuſtamq; vltionē damno Regni Regiſq; non turbet. mittat autē noſcendorū omniū gratia oratorē ad Cæſarē, apud quem etiam de reducēda Boēmia agi neceſſaria poſſint. ſperare inter ſe ſingula conuentura. Erant his litteris appenſa Catholicorū Procerū etiam ſigna, partim extorta metu, partim ita ſurrepta clam corruptis miniſtris, vt pleriq; poſtmodū iuramēto contēderint, litteras & ſigna ſe pariter ignoraſſe. fidē tamen haud dubie factutæ tunc videbātur, ni aliquurū

ſtatuere: nõ intelligere homines aliquando quę vera ſint bona: pœnituiſſe ſæpe mortales peracti voti, atq; impetrati. Quod oratores nunc petant, ad vitã æternã non pertinere: fumũ quẽdã atq; inanis gloriæ ventũ quæri: hortari proinde eos, cõtenti ſint ſub ſpecie tantũ panis corpus Domini ſanguinemq; aſſumere ad ſalutẽ id ipſum ſufficere, admonente Domino: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi: qui manducat hũc panẽ, viuet in æternũ. Diſcipuli Emaus euntes in fractione panis Dominũ agnouere. nollent pluris his eſſe: aut patres eorũ ſapientia anteire, qui ſub vna tantũ ſpecie ſacramento accepto in Chriſto mortui ſunt: ad notã illorum filiorũ eſſe viam contrariam. Adiungant ſe igitur nõ erranti Eccleſię, in vniendaq; religione vniant regnum potentiſſimũ olim poſt labefactatũ, rediturum mox in antiquas opes, & gloriã ſi doctoribus errorũ præteritis in viam redierint primã, matremq; audierint Romanã Eccleſiam. Magna concionis cõmendatione reſponſo dato, cum quid iterarent Boẽmi, nõupereſſet: hoc tamẽ relaturos ſe omnia polliciti ſunt. Poſtularunt autẽ, quo maior fides perferẽdis ad Georgium mandatis eſſet, vt oratorẽ ex ſuis aliquem ire ſecum ad eadem confirmãda iuberet, Fantinumq; ei rei imprimis idoneum iudicauere. Datus illis Fantinus eſt: nec regia procuratio obſtitit: quippe quã menſes nõnullos ante perſpecta iam Regis mente vltro dimiſerat. Reuerſis inde in regnũ illico indictus Pragæ eſt ad eos audiendos ex Bohemia & Morauia frequens cõuentus, cui Rex, Regina & filii præſederunt. Auditi prima die legati cõtra expectationẽ noſtram cuncta fideliter retulere. altera introductus Fantinus præſenti animo mandata abſoluit. Imperauit Georgio vt calice abſtinerẽt, idẽq; à cęteris fieri cõtenderet. Rememorauit quoq; iureiurandũ ſolemne, quo inter ſacra coronationis, de iis cæteriſq; ad religionẽ pertinẽtibus ſe olim adegerat. præſtandã protinus tanti promiſſi fidem edixit, quã neceſſario Sedes Apoſtolica repetat. Eam ſi non pręſtiterit, timendũ videri ne periurii hæreſiſq; ſubeundũ ſit infame iudicium: cuius rei magno Regi ad tuendã æſtimationẽ curam non leuem eſſe oporteat. His cognitis Georgius inarſit vehementius, ac ſuperãte iam metum perfidia, male aſſimulatã ante illa humilitatẽ abiecit. Palam in conuentu pronunciat, natum ſe atq; altum in panis ac calicis cõmunione: ſcire illã diuina lege mãdatã: nec velle aut poſſe tantũ præceptũ Dei relinquere. Ex conuentis eadẽ permitti, quę cõuenta nec abrogata hactenus ſint, nec adimi à Romano Pontifice poſſint: neq; enim ſupra Euangeliũ Concilii poteſtatẽ eius eſſe: meritos virtute ſua Boẽmos, vt ante alias gentes illa ipſa acciperent, quæ per inanes minas cũ ignominia dimittenda nõ ſint: neq; vero obſtare ſibi iuſiurandũ, q̃ in coronatione ſuſceperit: iuraſſe ſe hæreſim regno depellere. hęreſim haud dubie reliquarũ nationum, nõ Boemicę eſſe: atq; ideo in eo maxime iuſiurandũ præſtare, quod inualeſcere externorũ inſtituta non ſineret. Talia multa cum clementer dixiſſet, concionẽ appellans, an ſibi tuenti cõuenta adiumento eſſe vellent, popoſcit. Ad quam vocem diuiſa ſubito multitudine, ſeorſumq; conſiliis habitis Huſſitæ primũ reſponderunt: innumeras ſe agere gratias, quod eorũ religionẽ Rex eſſet profeſſus, ſecumq; vna ſentiret: ſanguinẽ propterea & fortunas ad conſeruanda ipſa conuenta libere offerre. Catholici autẽ nil ingenii cum conuentis eſſe dixerũt: vſos illis nunquã fuiſſe nec vſuros imposterũ: velle ſe viam Patrũ tenere, inſtitutiſq; Pontificũ aſſentiri. Quod ad Regis autẽ, & regni pertineat rem, in officio ſe permanſuros, ac præſtaturos reliqua, quę fideles in Principẽ deceat. Horũ dicta ille excipiens, cũ ad dimouendos eos ſententia multa eſſet conatus, nihil autẽ proficeret, iram in Fantinũ conuertens, apprehenſo capulo pugionis quo erat accinctus: Et tu, inquit, à credita procuratione deſciſcens ex ſeruo dominũ te ſtatuiſti veniſtiq; ad denuncianda tuo Regi aliena imperia: manibus nimirũ meis admiſſi ſceleris pœnas expendes. Fantino reſpondente, fide procurationis pridẽ liberato legationẽ Pontificis licuiſſe ſuſcipere. profectũ eſſe oratorũ quos miſiſſet conſilio, qui ita à Pio ſuaſerint, nec dominatũ ſibi, ſed ſalutem regno nunc quęrere: Glorioſius autẽ nil poſſe ſorti ſuę contingere, quã in obſequio Romanę Sedis pro Chriſto occumbere, Regemq; interfectorẽ habere. Vehementius his irritatus, haud quicquã illa hora à vi temperaſſet, ni proceres quidã impetum cohibẽtes indignã rem proclamaſſent abiecti hominis ſanguine cõmaculari Regias manus: quod vero ad leniendũ furorẽ proximum fuit, Sanctiſſimo Legationis iure violato rapi in carcerẽ iuſſus eſt: vbi menſes cõplures miſer-

rime

rime habitus ægre deprecantibus Germaniç PrincipibusCęſareq; imprimis annuẽte ſemianimis extractus atq; abire permiſſus. Videns Pius vna improbitate & mandata ſua contempta,& iuſiurandũ neglectum, & hæreſim publice declaratã: tyrannidem etiã in legatum ſuum exercitã, cunctandum in re manifeſta non ratus, de excidenda infructuoſa arbore cogitabat,neceſſariaq; ad iudiciũ inſtruens. Senſit hunc animum Cæſar:ſenſere & Principes Germani nonnulli, in quos per ea tempora quædã extabant Georgii officia. Itaq; magnis deprecationibus ab eo cõtendunt, vt iudicio inſtituto paululũ adhuc abſtineat. Daturos interim ſe operã ſpondẽt, reducere illũ priuatis ſtudiis in ſemitã rectam.Pius etſi intelligeret, laborẽ hunc inaniter ſumi, quod inſanabile ingeniũ eſſet:ne tamẽ videretur ad perditionẽ quàm ad ſanationẽ inclinatior eſſe,Sediſq; opera impia dicerentur, tantis interceſſionibus condonandã dilationem conſtituit.Biennio in ea expectatione conſumpto,amicitias interim cõparauerat ſibi Georgius,fideleſq; Boëmos afflixerat,regnumq; & factionẽ Huſſitanã firmauerat. In Pium apud Gallos turbulenta multa miſſis legatis quæſierat. nil minus autẽ quàm ſanis illorũ ſuaſionibus crediderat:nunc ſcribens,nunc mittens,nunc offerens, perpetuo autem & ludens,& moras iudicio nectens. Vbi nil profici eſt intellectum,damna autem publica quotidie creſcere,aduocauit Conciliũ Pius, atq; in ſolio reſidens longa oratione Huſſitanorũ defleuit errores:aſtũ inde Georgii,maleficia aſſidua, Catholicorum ærumnas,manifeſtũ periurium relapſum in hæreſim interceſſores eluſos,patientiã ſuam magnis lamentationibus proferens, vindictæ nimium tardatæ adeſſe iã tempus oſtẽdens,diem dicendæ ante ſe cauſæ centeſimũ octuageſimumq; ab illo cõſtituit:nec multo poſt intra eundẽ terminum Anconæ deceſſit. In locũ eius ſuffectus, vt dictũ eſt, Paulus credere ab initio cœpit, non tam deſiderio calicis quàm Pii odio pertinacẽ manſiſſe Georgiũ:eamq; mutato præſule mutatũ facile iri.Benignius igitur de re ſua iã loquebatur, idq; aſſiduis captabat ſermonibus, vt placabilitatẽ ſuã ille intelligens,voluntate faceret, quod contentionibus facturus non credebatur. Ipſe etiã audito Pii obitu,& Pauli ſucceſſione,lætitia exultans, non obſcure aiebat, diuina vltione ſublatũ de medio Bohemorũ hoſtem, ſuffectumq; hominẽ Venetũ,à quo ideo nihil timendũ cenſeret,quod leuis ei nationis de anathematibus cura eſſe ſoleret. Interius tamen dubius animi cognita Cæſaris legatione, quam ad profitendã obedientiã Romam mittebat,cum illo agit,vt dilatio mittendæ ſuæ excuſetur. Etenim repulſam timere ſe,ob diem nuper iudicio dictam,nec putare dignitatis ſuæ eſſe eam ignominiã ſuſcipi.Si ſuſpendere vocationẽ velit Paulus,miſſurum ſe quoq; ad eum, & facturum quæ imperaſſet.Suſcepta re Cęſar ac mox impetrata quieturũ inde videbatur iudicium, niſi peccato ad interitũ trahente per noui ſceleris infamiã neceſſitatẽ prorſus vltionis inde attuliſſet. Erat inter proceres regni Hynco quidam non vltimi loci Toparcha,veri ſemper dogmatis aſſertor.Hunc eo tẽpore Georgius,quod minus cæteris ſibi conſenſerat, per occaſionẽ criminum bello adortus, cæteris ademptis intra Zaraſten oppidũ obſidebat,atq; haud procul à ſpe erat potiũdi loci & hominis. Hynco nullũ in circumſtantibus præſidiũ noſcens, quod omniũ voluntates ille præuenerat, noctu per ſtationes elapſus Romã opis implorandæ cauſa nudus acceſſit. Ibi vbi Georgii operibus indicatis,reliquorumq; poſito ante oculos diſcrimine,quos neceſſariũ eſſet mox eandẽ ſortem ſubire,facile impetrat, vt & in fidẽ ſuam Paulus illũ accipiat,& ad Cæſarẽ ferendi auxilii gratia ſcribat,atq; anathema illos pronunciet,qui ab obſidione actutũ non abeant.Intelligens ille vim Catholico illatam curç eſſe Apoſtolicæ Sedi,conuentu ſtatim Procerũ indicto litteras omniũ nomine, ſcitu autẽ paucorum, ſcribi ad Pontificẽ iubet, quibus obſidionis cauſam in crimina Hynconis referant,doceantq; Boëmiã pati hominẽ inquietũ non potuiſſe:non debere Romanã Sedem, cuius decreta grauiſſima ſoleant vnius falſis querelis in populũ vniuerſum moueri. Rogare mature cuncta expendat, iuſtamq; vltionẽ damno Regni Regiſq; non turbet.mittat autẽ noſcendorũ omniũ gratia oratorẽ ad Cæſarẽ,apud quem etiam de reducẽda Boëmia agi neceſſaria poſſint.ſperare inter ſe ſingula conuentura. Erant his litteris appenſa Catholicorũ Procerũ etiam ſigna,partim extorta metu,partim ita ſurrepta clam corruptis miniſtris, vt pleriq; poſtmodũ iuramẽto contẽderint, litteras & ſigna ſe pariter ignoraſſe. fidẽ tamen haud dubie facturæ tunc videbãtur, ni aliquorũ

monitu fraudis ſuſpicio fuiſſet iniecta. Igitur Pontifex ad eas reſcribens, obſidionẽ vt dimittant monet. Hynconis vltionẽ vt iudicio quærant hortatur, offert quoq; cogniturũ ſe inter vtroſq;, & iuſta cõtendentibus decreturũ. Oratorem nihilominus ire ad Cæſarẽ iubet Laurentinum Epiſcopum: mandato impoſito, vt ne quid cum Georgio prius, aut ſuorũ aliquo tractet, quã & ſolutã obſidionẽ cognouerit, & arma depoſita. contempſit ille oratorẽ & monita: nec multo poſt Zaraſtenſes ad neceſſitatẽ extremã anni iam labore deducti pacti tantum animas oppidũ dedere. Quo exitu Romæ nunciato iubetur illico Lauentinus Theutonũ Principes ſigillatim adire, quæq; geſta in Boemia eſſent, lamentari. Georgii contumaciã menteinq; ad peſſundandã religionẽ ptoponere. non poſſe ſalua æſtimatione Ro. Pontificem in tanto fidelium diſcrimine otium agere. Statuiſſe inchoatũ à P o iudiciũ innouare: orare vnum queinq; eorũ vt impedimento iuſtæ cauſæ ne ſint, neue Chriſtianos ſe eſſe dediſcant. Vna omnium in reſpondendo fuit oratio: ſcire Præſulẽ quid ſui eſſet officii: facturos ſe quod Catholicos deceat. non poſſe autẽ, quoad Georgiũ Eccleſia hęreticũ iudicauerit, à fœderibus eius per fidem interpoſitã commerciiſq; diſcedere. Ad hanc Germanorũ mentẽ illico alia incitamenta iudicii eodẽ tempore acceſſere. nã & fideles Boemi proceres ad vnũ omnes veriti Hynconis exemplo ſuum exitium, videnteſq; quotidianis iniuriis labefactari regnũ, & dignitatẽ eius extingui, adulterinis etiã monetis quas compendii ſui cauſa clam cudi curabat, cõmerciorũ fidem confundi. Statuta inter ſe die conueniũt, ſummoq; cõſenſu ab illo deficiũt, defectionemq; ipſam, & alternũ ſubſidium magna cum fide, tum vero iuſiurandi, & imprecationum religione confirmant. Inde factum vulgantes clientelas amicoſq; omnes, & quos vndiq; poſſunt, in Georgium concitãt. nunciant imprimis Ro. Pontifici conuenta hæc ſua, orantq; vt intentatum toties iudicium tandẽ nunc cum vltores aſſint abſoluat: ſe ante omnia liberet iuramentis, quę neceſſarium fuerit regnanti illi pręſtare. Vratiſlauienſes quoq;, in quos paulo ante arma hæreticus mouerat, id ipſum ſummis obteſtationibus precabantur, inq; vna ea re ſuum præſidium collocabant, quod damnato Georgio adiutores non defuturos ſperabant. His Romã perlatis in Senatumq; introductis nemo non iudicauit ineundam tantã opportunitatẽ oblati præſidii. Itaq; Proceribus Regni Vratiſlauienſibus in eorũ ſententiã reſpondetur: & iudiciũ certum promittitur, iuramenta tolluntur quæcunq; cum Georgio interceſſiſſent. Animantur porro vtriq; & ad pręſtandã fidem, & perferendã hæretici vim. Dies etiã publico decreto dicitur, ad quã ille Romæ aſſit ad cauſam dicendã. Lauentino deniq; mandata noua mittuntur, fideles confirmet, auxilia pareat, in quemcunq; Georgius bellum mouerit anathematũ irroget pœnas. Crucem deniq;, qui ſummus in Chriſtianis motus eſt, ſi non proſint cætera, palã decernat. Ille autem ingruentia mala præcoſcens, ab arte illico præſidium petit ſociorũ Procerum, quos minus firmos putabat nunc ſuaſionibus, nunc muneribus, aliquando etiã minis hunc aut illum abducere conabatur: cumq; id parum ſuccederet Theutones Principes ex fœderibus inter ſe habitis in illos vocabat. multa Pontificem criminans, quod nimium hoſtibus credidiſſet, nimiumq; iniuſte decerneret, nec minus delectu militũ habito in Vratiſlauienſem agrum duci ſubito iubet: oppidumq; ſub ipſa ciuitate opportuno loco ſitũ inuadi: vnde fatigari quotidianis incõmodis poſſet. Sed cũ id quoq; primo impetu nõ ſucceſſiſſet, perlato ſtatim Vratiſlauiã nuncio, in concionẽ Lauentinus aſcendit, fortiq; oratione populum animans, ac victoriã ſpondens accenſis proiectiſq; ſolemni more cereis hoſtes anathema omnes pronunciat, & crucẽ proponit. Decem milia enim pugnatorum eum triduo illo ſignata à Sacerdotibus eſſent. Re ab Georgianis per exploratores cognita ſubito obſidionẽ relinquunt, vertũtur in fugã, nec ante conſiſtunt, quã ſeſe in tutum receperint. Irritũ inceptum hæreticus cernens, reuocat inde copias circummiſſiſq; nuntiis iniuſſu ſuo oppugnationẽ factã excuſat: mox tamen impotens quietis in alterum ex proceribus Henricum Plauenſem copias mouet, eumq; acerrime oppugnatũ omni Toparchia vno impetu exuit. Proceres alterum conuentũ ad prouidenda neceſſaria habent: ad eum cum nõ veniſſet Ioannes Roſca ex primis vnus, minores pleriq; metu à fœderibus abiere: quiq; etiã acceſſuri ad ea mox credebantur ſuſpenſis animis reſtitere. Obfirmarunt tamen ſe reliqui ad perſiſtendũ, documentiſq; maioribus cõuenta ſtabiliuerũt. Georgius interim de oc-

cupando

cupando Pylzinenſi oppido agitat: id Pragę propinquum, & Romanę Sedi ſemper fidele, multis in Huſſitas ſecundis factis nomen erat adeptus, lociq; opportunitate magna hæretico præbiturum negotia videbatur: itaq; proditione illud primum temptat opprimere: inde miſſo exercitu oppugnat. Sed magno ſuorum detrimento repulſus cum eſſet: incepto illico deſtitit. Pilzanenſibus autem iniurias has Romam queſtum mittentibus collaudatis, Pontifex quod magnifice pro Chriſto certaſſent pecuniam dedit vexillumq; addidit, quo vterentur in pugna, præteritę virtutis & futurę religionis inſignia habens. Egit quoq; per litteras, vt a proceribus in eorum fœdus reciperētur. Poſthæc tertio indicto Concilio eodem quoq; Ioanne non comparente, quod à periculis abeſſe decreuerat de cęterorū ſententia approbante Legato Pontificis identidemq; benedicente vir fortis Sdeneo Sterenbergenſis, Dux ad bellum eligitur, nec minus maturandæ in hæreticum ſententię cauſa, ad Pontificē iterum mittitur. Cæſar per id tempus ad Georgii gratiam, qui ea de re Legatos ad ſe miſerat, cum Pontifice agit, vt in tertium adhuc menſem ſententia differatur, ſpem ſanitatis oblatā oſtendens. Pontifex vana omnia reputans dilationibus non eſſe amplius locum reſpondet, ab omni humanitate Catholicorum auxiſſe illum dicit improbitatē, perdendum amodo eſſe, quod tam longo ſpacio ſanari haudquaquā potuerit. Hortatur etiā illum, Theutoneſq; alios ad tuenda Romanę Sedis decreta. Inter hęc iam appetebat dicta iudicio dies, inſtructaq; per delegatos Cardinales, ad ſententiā erant omnia: nec Georgius ad dicendā cauſam vſquam apparebat. Itaq; vocatis in Senatum Patribus, cōmentariiſq; actorum perlectis, dato etiam ad diſquitēdum ſpatio, tandem vna omnium oratione periurus, ſacrilegus, hęreticuſq; conſtante de iis criminibus non cognitione tantum, ſed fama cōuincitur. Vtq; auctoritas maior decernēdis eſſet, ex quaq; ratione omniq; Antiſtitum ordine, qui Romæ tunc erant, doctores diuinę legis & pontificię adeſſe in conſilium iubentur, qui rogati ſigillatim ſententiam in idem cum Patribus iudicium conuenere. Angebat vna modo Pontificem cura, & Patrum nonnullos, quod vltor tanti decreti certus non apparebat: fiebatq; propterea, vt quo magis appropinquaret exitus, difficultas hæc impenſius aſſurgeret. De Cæſare, quod ad omnia eſſet præpoſterus, nulla ſpes habebatur. Polonorum vtiq; Hungarorumq; Reges, quod domeſticis laborarent, minus eo tempore idonei videbantur. Procerum quoq; regni nō ſatis ad tantam contentionē robur exiſtimabatur. Longinquiores certum erat operoſam oppugnationem & diuturni temporis, non ſuſcepturos. Iacere autem ſententiā, illum regnare, verbis contendi à nobis, ab illo armis cum detrimēti, tum vero ludibrii rem iudicabant. Horum vero ita fluctuantes animos vnius Ioannis Cardinalis Portuenſis incitatio confirmauit, qui magni conſilii vir, hæreſumq; ſemper oppugnator acerrimus, vbi in re tam neceſſaria nō ſatis explicari ſententias vidit, Quid, inquit, metimur humanis iudiciis omnia? an non relinquenda magnis in rebus Deo ſunt aliqua? Si nō aderit Cæſar, non Polonus, nō Hungarus: ſpondeo, aderit de excelſo ſancto Deus, & caput impium cōteret, nos iuſta noſtri muneris impleamus, reliqua ille actutum perficiet. Ad quam vocem, quod magna hominis erat auctoritas, erectis omnium mentibus dies Natalis Chriſti ab illo quintus pronunciandæ damnationi edicitur. Quo die peracto ſacro ſolemni Pontifex in magna hominum frequentia marmoreum ſuggeſtum aſcendens, quod ante ſummum altare in Baſilica Petri ad dexteram eſt, ex diplomate ſententiam recitauit, regnoque male olim deterius inde parto Boëmum priuauit.

Pontificium diploma in Pogiebradium.

IACOBI VOLATERANI CARDINALIS PAPIENSIS COMMENTARIORVM LIBER SEPTIMVS.

INCVRRERE in eundem annum, quo pugnatum ad Ariminum eſt, pleraque diuerſis ex locis, quæ operæ precium ſit non præteriſſe. Ea ſi quis ad animum non ſatis magna exiſtimet, expendat idem noſtri ſæculi inopiam, pluſque a ſcribente non exigat, quàm minuta, ac prope conciſa imperia offerant. Punica bella, & Macedonica, & Aſiana, & ciuilia Romanorum cum admiratione leguntur, quod à ſummo Imperio, ſummiſque geſta ſunt Regibus. Eandem fortunam non habent præſentia. Inter hæc tamen primordia naſcentis Romæ haudquaquam faſtidio ſunt: tam illa quidem humilia, quam hæc magna, quæ dico. Præſtant parua ſuam quoque iucunditatem, ſi non tractentur inconditè. Noſtræ ætatis res geſtas, quantumuis tenues, vt grati eſt animi ab interitu vendicare, ita non ingrati eas cognoſcere. Ad documenta vitæ, ad exempla fortunæ, ad rationem omnem deliberandi afferre plurimum poſſunt. Id modo in noſtris his ſcriptis moleſtum legentibus ſit, quod ornatum orationis, vel nullum habent, vel tenuem, magiſque ad prodendam memoriam, quàm ad probandam eloquentiam ſunt comparata. Hunc tamen incultum vel vna poteſt hiſtoriæ veritas conſolari, cui per ſingula ita intendimus, vt nihil omnino aſſerendum duxerimus, quod non vel viderimus ipſi, vel ab ipſis prope auctoribus ad anxietatem ſumpſerimus. Id laborioſius hoc ipſum conati, quod teſtem veri præſentem memoriam veri ſumus. Porro autem quod ad nos attinet, ſic liberam omni affectu mentem nunquam attulimus ad ſcribendum: vt nullibi (quod conſcii ſimus) vel à libertate auerterit metus, vel ab officio abduxerit gratia. Turpem omnibus mendacem hiſtoriam, ſed Sacerdoti turpiſſimam iudicantes. Igitur cum Calendis Decembribus, qui fuit annus ſedenti is Pauli quintus, nunciatum eſſet Federicum Imperatorem eius nominis tertium in Italiam deſcendiſſe voti ſoluendi cauſa, quod ad ædem Apoſtolorum ex Germania vouerat: idque Venetorum litteris certiſſimum haberetur, conuerſus Pontifex ad eius ſuſcipiendi curam, vnum ex ſecretariorum ordine, quàm longiſſime ire obuiam iuſſit, negotio iniuncto, vt crebris nuntiis de ratione viæ, & cæteris, quæ cognouiſſet, ſine mora ſignificaret. Inde vocatis in conſilium Patribus, quatuor ex diuerſis nationibus Epiſcopos deſignauit, Iudiceſque Rotæ duos, & conſiſtoriales Aduocatos totidem, qui ſecretario ſuccedentes ſecunda ſalutationis officia exhiberent. Delegit quoque Cardinalem Hoſtienſem, ac ſancti Euſtachii, qui præſtarent tertia, non tamen vltra bidui viam progrederentur.

Federicus Imp. in Italiam.

Poſthæc de ingreſſu in Vrbem agi eſt cœptum. Cuius ſolennitas cum neque ex cerimonialibus libris, neque ex omni hiſtoria reperiri tunc poſſet (aliter enim cum coronam petit, aliter cum priuatæ rei cauſa venit, accipitur Cæſar) hæc deducendi ratio nouo exemplo eſt ſumpta. Ideo à me diligentius annotata, vt ſit poſteris in hunc caſum quod vel ſequi, vel adinuenire melius habeant. Cognita igitur via, quæ illi per Flaminiam erat, cum iam & Piſauri ſecretarius, & non longe a Spoleto Epiſcopi: Cardinales autem ſexto ab vrbe miliario obuiam illum habuiſſent, die ipſo aduentus quadruplex gratulatio à quatuor hominum generibus per interualla diei, & locorum eſt inſtituta. Primam ad mille paſſus trans pontem Miluium, ducente Procamerario præſtiterunt Præfectus vrbi, & conſeruatores Regionum capita, reliquique vrbani magiſtratus, in eam pompam compoſiti, quam ludis teſtatus circum-

cum-

cumferre ſunt ſoliti. Secundam ad ipſum pontem Præſul Vrbinas: quem ſequebantur Subdiaconi omnes, Iudices Rotę, Clerici Cameræ, Accoliti, Cubicularii, Secretarii, Aduocati, Diplomatum ſcriptores: item omnis ordinis curiæ noſtrę miniſtri. Tertiam vero ad medium fere ſpacium, quod eſt inter portam, & pontem Quæſtor ærarii. Hunc magno agmine comitabatur tota Pontificis familia, Toparchæ Romani, & Duces belli: & præeuntibus hoſtiariis, cuſtodibuſq; Pontificum, his virgas ſericeas, illis argenteas clauas manu gerentibus. Vltimam Cardinales ante portam exhibuerunt, ad eam viæ partem ordine collocati, quę venienti ſiniſterior eſſet. Hos cum primo acceſſu vidiſſet Cæſar, capillamento detracto ſingulos apprehenſa manu, & dato oſculo ſalutauit, gratiæ, & benignitatis documenta oſtendens. Ingreſſo vrbem præſto fuit vmbraculum aureum, quo ſolemnibus ſuis vti olim conſueuerat Pius. Atq; vna Romani ciues per vicos diſpoſiti, qui illud haſtilibus ſubſtinentes toto itinere per vices ſuccederent. Morantibus cerimoniis, ad tertiam iam horam proceſſerat nox. Itaque antecedente ſæcularium turba, quæ innumera erat, & ſequente Patrum collegio, atque omni Clero moueri cœpit hæc pompa, lucentibus vndique viis multitudine cereorum, qui certatim accenſi diei claritatem præſtabant. A porta ad ædem Marci Pontificis recta eſt itum. Inde ad dexteram flexum, & Pontificali via in theatrum Pompeii peruentum. Deniq; in Vaticanum ad Baſilicam Petri acceſſum. Quacunq; autem fuerat tranſeundum, imperatum erat ad decorem, & magnificentiam vias ornari. Idque ſummo ſtudio pro ædibus ſuis quiſque impleuerat. Pendentibus vtrinque verſicoloribus auleis: ſed nox ſuperueniens abſtulit cuncta. Dum enim metus eſt ne humore noctis (id quod in his ornatibus accidit) expoſita nitorem ſuum amitterent, derenſa iam erant omnia, & domi recondita: paucis exceptis locis, in quibus maior fuerat honorandi Cæſaris, quàm accipiendi incommodi cura. Ad ædem diui Lauretii in Damaſo pręſul Vrbinas cum omni comitatu, quem dixi, Quæſtor item cum palatinis Epiſcopis, & presbyteri Cardinales duo, ac Diaconi quatuor, ad Pontificem, ſicut inſtitutum erat, diuerſo itinere cōtenderunt, vt eſſent qui in Baſilicam deſcendenti aſſiſterent. Ad Baſilicam vero, quantum à primis gradibus ad ſummum altare pertinet, collegia religionum, ſacerdotiorumq; dextra, & lęua in veſte ſacra diſpoſita erant, hymnos tranſeunti Cæſari concinentia. Ad primos quoq; gradus Vicarius templi cum ſuo collegio in mitra, & ſacro pluuiali religioſe illum accepit, crucem quæ in manu erat, porrigens oſculandam. Natalis Domini nox illa erat, & hora iam quinta. Itaque Pontifex, qui expectare Cæſarem, atq; excipere ad portam argenteam in veſtibulo conſtituerat, indecorum iudicans id iam horæ eam rem fieri, in chorum aſcenderat, & ſacrum matutinum iuſſerat inchoari altiori ſolio reſidens. Ad eum igitur per media hæc collegia Imperator accedens, pedem, manum, & faciem deoſculatus eſt. Sed poſt pedis manuſq; oſculum alleuans eum altius Pontifex, & de Sede aſſurgens præcipuo affectu in vtrunq; latus illum complexus eſt, moxque in propinqua Sede collocans inter ſe, Patreſque ad dexteram media, ad complendum ſacrum ſuo ſe loco continuit. Eo abſoluto Diaconi Cardinales duo, quibus præceptum id erat, ad altare Cęſarem deduxerunt. Ad cuius ille aditum primum in genua procidens tam diu perſeuerauit orans, donec & votum abſolueret, & diuinæ preces ſuper eum a Pontifice mitterentur. Earum hæc fuit prima ſolemnitas. Cantauerunt alta voce duo ex choro: *Elegit eum Dominus, & excelſum fecit præ Regibus terræ.* Ab omni choro reſponſum eſt: *Glorificauit illum in conſpectu Regum, & non confundetur:* Inde aſſurgens Pontifex ex ritu ceremonialiū librorū peregit reliqua choro præfanti illi, in omnia reſpondente. Inde è ſolio deſcendens dextramq; Imperatoris apprehendens in Pontificiam illum, atq; inde in cubiculum, ad quietem perduxit. Cum vero nō putaret hoc primo ac pene tumultuario matutinæ laudis officio tantę nocti ſatisfactum eſſe, ſolennius aliud cenſuit iterandum, in quo & Cæſar, & Patres enſiſq; ſacratus pro more adeſſent. Itaq; ad horam duodecimam paulo quidem ante primum diluculum ſecundū indixit. In eo Cęſar vetuſto Sedis ritu enſe de manu eius, cum benedictione accepto, illoq; vt erat nudus armigero aſtanti tradito, camiſeum, ſtolamq; albam, & pluuiale miniſtrantibus Diaconibus Cardinalibus ſumpſit, iiſ-

demq; latus eius claudentibus Euangelium lectionis ſeptimæ non iniucunde cantauit, lectionem ipſam eorum alteri proſequendam relinquens. Admonuerat inter veſtiendum ceremoniarum magiſter, vt tranſuerſam ſtolam, & pluuiale ad ſiniſtram apertum acciperet. Sed ille me audiente qui proximus eram: Non faciam inquit: & vtrunque à collo ad pectus rectum induens conuerſuſque ad magiſtrum: *Sic*, inquit, *ſemper ſum ſolitus*. Suadente iterum illo, vt poſt Euangelium decantatum pro aliorum conſuetudine ad pedem Pontificis oſculandum aſcenderet: Germanico verbo, quod à circunſtantibus eſt intellectum: *& hoc* ait *etiam minime*: putans videlicet, vt creditum eſt, à vulgari aliorum obſequio maieſtatem Imperii, ea in re vendicandam. Mane vero ipſo Paſcali ſolemnibus miſſarum operatus eſt Pontifex. In quibus poſt communicationem ſuam, Euchariſtiæ partem in hoc ipſum ſeruatam Cæſari obtulit ſubnixo quidem in genua, & ſuum honorem ſacramento reddenti. Ab altari ſub vmbraculo digredientes, ad venerandum Domini Saluatoris Sudarium, quod imperatum erat proferri, profecti ſunt: inde pulpitum ſupra gradus Baſilicæ aſcenderunt, ex quo Pontifex ſolemni more benedicens plebi, quæ innumera ad viſendum conuenerat, ſummam peccatorum veniam tribuit. In ea denuncianda, quod ſemper latine & Italicè, per Diaconos Cardinales fieri eſt ſolitum, cum in extremis verbis admonerentur turbæ, vt acceptæ gratiæ memores pro Romana Eccleſia & Pontifice ſuo orarent, additum eſt: & pro Federico Imperatore noſtro, vt contra infideles gentemque hæreticam diuinum illi ſemper ſubſidium aſſit. Introitus ſui, & noctis dieique Natalis hæc fuit celebritas. Quarto poſt die in conſiſtorium veniens, quod dari ſibi ob publicam cauſam popoſcerat, cum & patres, & Germani proceres quidam, & Regis Hungarorum legati & Cypri, & Venetorum frequentes adeſſent, in hunc modum per interpretem Lauentinum Præſulem locutus eſt: Iter hoc meum, ſumme Pontifex, ad reddendum Deo votum, libentius tamen ad ſalutem communem ſuſceptum eſt. Noſti clades per hos annos à Turcis acceptas, & quæ nunc imminent vides. Egerunt Principes proximi quod potuerunt. Curas eorum, & vigilias nouimus: non tam quidem illas felices, quàm ſuo miniſterio dignas. Meis quoque conuentibus, quos de Germanis Principibus eius rei cauſa plurimos habui, ſucceſſus non fuit: Impedimentis aſſiduis vtrobique in caſſum iere conſilia. Veni propterea ad te vt quam ſalutis viam non cerno, ſi qua hic eſt, tuo indicio videam. Chriſtianorum ſummus es Pater. Primam hanc eſſe curam oportet, proximam meam. Conſule in medium, & quid agendum ſit, mōſtra. Ego quæ ſuaſeris, quæq; ad rem cenſueris opportuna accipiam libenſq; iuuabo. Ad hæc Pontifex nullo ante cum Patribus communicato conſilio (id certe quod probatum non eſt) longa oratione, quæ ante ſe Pontifices longiori quæ ipſe in eam diem egiſſet, ſigillatim recenſuit. Quod vero ad poſtulatum attinuit, neſcire ſe dixit, quid amodo conſuli poſſet: ita iam conſilium omne exhauſtum cognoſceret. Rogare autem illum viciſſim, vt ſi quid attuliſſet ipſe ex Germanis prior proponeret. Dicente Cæſare, veniſſe ſe, non dandi, ſed accipiendi conſilii cauſa. Pontifice eadem iterante, in proximam ille aulam deliberaturus ſeceſſit, atque ibi horam pene continuam fuit. Reuerſus cum proceribus, & legatis, qui ſecum in conſilium ierant, obtemperaſſe ſe ait, neque in tanta conſiliorum inopia melius inueniſſe, quàm vt Conſtantiæ, quæ Germaniæ ciuitas eſſet, Italiæ propinqua conuentus Principum indiceretur, ad quem & ambo accederent, & reliquos omni diligentia conuocarent. Venturum eo, quantum crederet, Hungarorum Regem Matthiam, id quod præſens legatus eius ſponderet.. Hunc vero laborem ideo neceſſarium duci, quod quæ commune opus requirant, hæc & communi conſilio adminiſtranda putentur. Non placuit Pontifici ſententia. Ab exemplo præteritorum conuentuum hunc quoque inutilem futurum contendit. Deliberaturum ſe nihilominus amplius dixit, atq; alio tempore reſponſurum. A meridie in noctem protracta iam conſultatio erat. Itaq; Concilium, & Cæſarem ſimul dimiſit. Dubitatum poſthæc à pleriſq; eſt, qui penſitare hæc diligentius ſolent, Cęſariſne, an Venetorum petendi conuentus conſilium fuerit. Etenim magno ſtudio à Venetis res agebatur perſtudioſis tunc rerum imperii. Qui fuiſſe Cæſaris arbitrabantur, cum niſi per legatos conuenerit nunquam

Cæſar

Cæſar quęſitam æſtimabant, non tam proficiendi ſpem, quam oſtentandæ religionis occaſionem. Vt ſi quando maioribus ingruentibus malis querelę populorum de Imperio & Pontificatu eſſent, culpam omnem deſertæ ſalutis reiicere in nos poſſet, amiſſamque vocante Mantuam Pio ſuam æſtimationem vocato nunc Conſtantiam Paulo redimeret. Qui vero inuentum hoc Venetis aſcribebant, procuratum per hanc ſpeciem priuatam eorum rem aiebant, non publicam: videlicet vt perlata ad Turcos tanti conuentus fama terrore illis iniecto, vel pacem in ſuas leges conficerent, vel ad innouanda fœdera Italorum Pontificem, quo abſente tutiora eſſent domi omnia, incitarent. Quæ quidem nec ipſi petere, propter elationem vellent, nec præterire propter neceſſitatem poſſent. Igitur proximo poſt conſiſtorio, vocatis iterum ad Concilium Patribus, cum de reſponſo ſententiæ dictæ eſſent, cenſuit Pontifex, quacunq; ratione conuentus is peteretur, nō videri è republica eſſe, quando & præſens temporum conditio non poſtularet, & præteritorum exempla documento certiſſimo eſſent. Placuit quoque ne veniente ſæpius in Senatum Cæſare (id quod ſine grandi expectatione eſſe non poterat) ſtudio rerum publicarum vincere nos videretur, quatuor ex Patribus ad eum in cubiculum mitti, qui decretum hoc nunciarent. Ii vero collocuti diutius, cum miſſum iam eſſet Concilium, ad Pontificem rediere, ſummam hanc referentes. Placere nihilominus Cæſari conuentum monſtratum, & Conſiſtorium iterum quæri, in quo de hiſce rebus agi amplius poſſet. Id vero cum triduo poſt permiſſum eſſet, conatus eſt populari magis oratione quàm graui argumenta noſtra diluere, quibus ratio habendi conuentus non fuerat approbata. Ad quæ omnia, etſi diceret Pontifex, ex Germanorum conſuetudine ab Germano homine ſecum non agi, quorum ea lex ſit, vt poſt decreta in conſiliis nil poſtulent vltra, eadem tamen ferme quæ nunciata per Cardinales erant, recenſuit argumentiſque inuicem collatis ſua propiora vero eſſe contendit. Orans identidem, vt quæ dicerentur, & fierent pia voluntate acciperet, quando nec tepiditas vlla, nec metus, ſed tota ipſorum ratio a iudicio ſuo cogeret nos diſſentire. Duo tamen communi animo ſunt conſtituta: alterum vt litteræ ad Principes vtriuſque nomine mitterentur, quibus illi ad Calendas Nouembris anni venientis legatos ſuos Romam mittere rogantur, de ratione tuendæ fidei cum Pontifice acturos. Alterum vt Venetis diutino Turcorum bello exhauſtis decimæ Clericorum, Hebręorum viceſimæ, & ſęcularium trigeſimæ in ditione ſua concederentur. Quales decreto Mantuani conuentus Pius olim Italis quibuſq; indixerat. Et hic quoq; poſtulatorum Cæſaris exitus fuit. Non multo poſt, cum totos ſeptemdecim dies Romę fuiſſet, in Germaniam reuerſus eſt. Multis eum interim Paulus magniſq; demeritus officiis eſt. Nunquam cum proceſſerunt paſſus eſt, niſi ex æquo eſſe: plerunq; autem dextera eius apprehenſa. Bis quoq; ad cubiculum ſuum deſcendit. Die quę Circumciſionem Domini Saluatoris præceſſit, peracto Laterani ſacro veſpertino, ad veneranda apoſtolorum Petri, & Pauli capita conſtituto ponte, per quem ex æquo iretur, intra ferreos cancellos perduxit, & poſtridie ad Vaticanum rediens albo equo falerato, & aurea veſte donauit: volens videlicet, vt cum antea atratus Cęſar ſemper fuiſſet, ſolẽni illa tranſmiſſione Imperatoris ornatu pcederet. Ad pontẽ porro Adriani eodem itinere cū Patrū collegio ſubſtitit, ſpectauitq; amplius horam cōtinuā Germanos innumeros, quos ille eo in loco equeſtri ordine vetuſto ritu donauit, gratias itidem ſpirituales, eaſq; gratuitas innumeras contulit. Victum ſibi, & comitatui, qui ſexcentorum amplius equitum fuit largiſſimum præbuit. Abeuntẽ deniq; diuerſis duum milium aureorum muneribus eſt proſecutus. Et præſules nonnullos ire ſecum ad vſque Ceſenam iuſſit, qui totis Eccleſię oppidis ad impenſam itineris & diuerſionum cōmoda neceſſaria imperarent. Quę omnia eo munificentius ſtudioſiuſq; collata ſunt, quod notiſſimum erat toto eius imperio propugnationem fuiſſe Romanorum Pontificum: & nec abiiſſe vnquam in impiorum conſilia: quibus tranſalpinæ nationes ſine cauſa ſæpe tumultuantur in nos.

Noua poſt hæc res nunciata ex Galliis eſt, tam illa quidem miranda omnibus, quam eo in Regno ante hunc diem inſolita. Ioannem Baluem Cardinalem Sanctæ Suſannæ, & Verdunenſem Epiſcopum comprehenſos a Rege Ludouico eſſe, &

in vincla coniectos. Facti autem cauſam vulgari violatam ab iis maieſtatem, & quietem Regni artibus impeditam. Quam rem ad noſcenda plenius omnia repetendam paulo altius duxi. Is Ioannes obſcuris parentibus ortus, cæterum ingenio clarus, cum à prima iuuentute Eccleſiam auſpicatus eſſet in contubernium Iuuenalis patriarchæ Antiocheni ſe dedit, qui tum Pictauenſi præerat Eccleſię. Apud eum aſtu obſequii (nam litteris minimum poterat) tantum gratiæ breui eſt conſecutus, vt partim pulſis, partim afflictis, qui longo ſeruitio primam fidem meruerant, ſolus iam in familia poſſet, & reliquorum fortunæ ex illo vno penderent. Eius quoque mox defuncti ad præſtandum teſtamentum relictus minus grate minuſque religioſe eam diſpenſationem adminiſtraſſe creditus eſt, ſi quidem multa ad iudicium immutauit, multa ad libidinem egit. Pleraque etiam Eccleſiis, pauperibuſque legata in ſe deriuauit. Inde ad nouum Epiſcopi Andegauenſis famulatum translatus parem tulit accepti miniſterii gratiam. Quo tempore orator ille à Rege Carolo ad Pium miſſus, hunc quotidie legationis cauſa mittebat ad me: qui tum mihi viſus is eſt, quem non eius actiones modo, ſed actionum quoque exitus declararunt. Altiora vero iam ſpectans protinus ab Andegauenſi ad Regem ipſum contendit cooptatus primo in collegium Quæſtorum ærarii: non ignaue rem omnem muneris eius exercuit. Inde offerente Carolo Melduno, qui acceptiſſimus Regi tunc erat, huncq; propter induſtriam diligebat ad ſecretariatum vocatus eſt. Quo in ordine haud diſſimilem ſui præbuit ſe: eo amplius excitandam vim omnem ingenii ducens, quo maiorem ſi adhæſiſſet mercedem operum cognoſcebat. Occupato igitur eadem facilitate obſeſſoque Regis animo pecunia illico ditatus eſt, ac ſacerdotiis, nec vt indubia fortuna ſe recognoſcens, quod in deſiderium veniebat, poſſidendum putabat. Nulla interim vel nobilitatis, vel meriti, vel amicitiæ veteris habita ratione. Ad Sedem Hebroicenſem, beneficio Regis aſſumptus, de Andegauenſi, quæ locupletior erat, cogitare iam cepit: poſt habens recentis nutritoris gratitudinem, paulo amplioris cenſus cupiditate, nec prius deſtitit, quàm incenſum criminationibus ſuis in illum Regis animum ad petendam priuationem induxit, priuatuſq; eſt. Cenſura illa digna quidem fuit, Andegauenſis vita: nulli rei minus quàm miniſterio præſulatus idonea: ſed non quæ à contubernali olim ſuo beneficiis affecto per auaritiam quęreretur. ad priuati igitur Sedē translatus, ne in ſuffragatorem quidem Meldunum inuētus eſt gratior. Hunc quoq; indignantem nimia iam fortuna illum deſipere: neq; id obſcure pręſeferentem aſtibus circumuenit, vaniſq; Regi iniectis terroribus, quibus mens eius plus iuſto erat obnoxia, comprehendi primum, inde ſupplicio plecti obtinuit. Sæpe etiam (quod ad nequitiæ cumulum accedebat) cum à Romano Pontifice grauius aliquid cenſuit poſtulandum, prouocauit in eum prius, ementitis calumniis Regem, ad nouandaſq; in libertatem noſtram res incitauit. Inde adiutorem ſe offerens in tollendi mali mercedem rem concupitam petebat: tanta diligentia cōſilium tegens, vt hunc ſolum pro noſtra dignitate ſtare ex Gallis omnibus crederemus. Vrgens itaq; in dies oblatam hanc creſcendi occaſionem Cardinalatum quoq; concepit, dignitatem in eccleſia maximam, vereq; tantum virtuti ad fidele miniſterium debitam. Egit cum eodem quem captiuum iam poſſidebat, vt totis eam conatibus flagitaret: cui aſſentiens ille tāto animo petitioni incubuit, vt poſt deprecationes innumeras, quibus nil eſſe feruidius poterat, etiam ſe ita hunc ſolum contendere affirmaret, vt nullum præterea petiturum conſideremus. Cuius rei magnæ ſponſionis chirographum vltro ad Pontificem miſit. Adiuuere ad ruinam ſuam hominem: quid enim aliud hæc attulit acceſſio, meritorum eius in nos credita magis quàm pręſtita fides. Item & præcidendarum petitionum fiducia, quibus à Ludouico quotidie ad miſeriam fatigabamur. Creatus eſt Cardinalis, & poſt Cardinalatum iis ſacerdotiis auctus, vt iam æquo animo præſcribete fortunæ ſuæ finem poſſet, ſi inquieta mens grandiora, quæ inueniri non poterant, quærere illum non coegiſſet. In faſtum poſt hæc intolerandum, cum dignitate euęctus eſt. Ea quidem rerum licentia, vt omnium iam accenderentur in eum odia, paſſimq; per Regnum indignatio libera cerneretur: dolentium obſcuri hominis fortunam prælatum tot illuſtribus eſſe, ac iam pro Rege imperare. Erat eodem tempore in armis adhuc Burgundiæ Dux, Philippi vt diximus,

diximus, filius, Carolo fauens, qui biennio ante à fratre Ludouico ſeceſſerat: & in eadem etiam tum contentione peritabat. Illum vehementer timebat Rex, quod & potentiſſimum nouerat, & ſe nuper cum eo congreſſum prælio periclitatum pene de fortunis Regni non ignorabat. Credebat hoc vno conciliato reliquam Galliam ad officium facile redituram. Adhibitus ergo ad pacificationem Cardinalis, vt omnium ſe auctorem volebat, ad Ducem ipſum contendit: Apud quem ſiue gratiam ſecutus, ſiue pecuniam pactus, id ante quod de x v. millibus acuri numum auctoribus non incertis vulgatum eſt, in eas ſe conditiones adduci eſt paſſus, quæ turpiſſimæ capto etiam Regi poterant iudicari. Nam præter iacturam multarum rerum, quæ grauiſſima erat, etiam quod extremis diſcriminibus ſolet contendi, iurata omnis ſubiectio remittebatur a Rege, auctoritatem tamen ſtatuendi non habens, ad illum reuerſus conuenta facile perſuaſit. Moxq; ſine vllo præſidio comitatum eum paucis in oppida Ducis perduxit fiducia maiore quàm animi ſanitate. Ibi & quæ condicta erant cum Cardinale, & nouam porro in miſeros Leodienſes conſpirationem eodem impulſore tranſegit. Vulgata res admirationem ingentem toti Galliæ prębuit, tantumq; ſermonis induxit, vt in eo ſuam ignominiam recognoſcẽs Ludouicus magnis edictis vetuerit, ne quis omnino de vllis pacis conditionibus vel requirere quicquã, vel loqui auderet, Duci & auctori Cardinali ex illo tempore infenſior. Hanc alienationem interiores quidam aulici ſentientes ſtimulis continuis accendebant. Partitiſque inter ſe horis nunc eius perfidiam, nunc corruptelas, nunc tacitum cum Duce conſenſum, ounc etiam damnoſi fœderis inuidiam querebantur. Quibus rebus breui eſt factum, vt remiſſa iam gratia, & vulgato Regis animo contemptus odio adderetur, paſſimque ille inceſſeretur conuitiis. Propter ingenium autem efficacis hominis ſecretorumque omnium conſcientiam ſeponere illum non audebat Ludouicus, voluntare magis quàm congreſſu reiiciẽs. Venerat per id tempus ad Regem Verdunenſem, quem dixi, pollicitationibus permultis allectus, quem cum fama eſſet conſiliis ſuis Carolum agi, ideo abducendum putauerat, quod non modo abfuturus incentor fraternæ diſſenſionis videretur: ſed maiorum etiam dignitatum ſpe cõciliaturus illum haud dubie crederetur. Verum longe aliter ceſſit res. Id enim ſæpius conaretur licet, obſiſtentibus tamen iis, qui apud Carolum manſerant, implere expectationem non potuit. Quam ob cauſam mox quoq;, vt Gallorum eſt mos, qui ex priuatis tantum commodis homines metiuntur, contemptui ipſe eſt cœptus. Hanc ſocietatem ad dolorem vlciſcendum peropportunam Cardinalis exiſtimans, ægram Epiſcopi mentem aggreditur, communemq; vtriuſq; fortunam liberius indignatur, quod nuper tanto in honore poſiti, poſtremi nunc omnium habeãtur, & ſine cauſa priſtinum locum amiſeriot: Regem cum ingrati animi eſſet, tum vero inconſtantis: quam certo experimẽto didicerit ſolo metu ac perturbatione rerum in beneuolentia contineri. Eſſe rationem ſi conferre operam velit, qua redire in primam gratiam poſſint, & Regni adminiſtrationem reſumere. Maleſano & contemptum de ſe Regis merenti cum facile nouam hanc ſpem ſuaſiſſet multis inuicem ſecreto agitatis hanc tandem partiuntur redimendę fortunæ diligentiam. Agebatur apud Britones tunc, quo ſalutis cauſa confugerat Carolus, eius cum fratre conciliatio. Quem ad locum Burgundi quoq; oratores ſtudio cognoſcendi conuenerant. Conditionum autem prima illa contendebatur à Rege, vt pro Campania prouincia, quam prioribus quibuſdam tractatibus fratri promiſerat, Aquitaniam, quæ maior eſſet ſuſtentandæ dignitatis cauſa, acciperet. Ad Carolum igitur mittit Epiſcopus ex fidelibus voum, qui illum clam audieos ante omnia ſilentii fidem iureiurando accipiat. Inde Aquitaniam diſſuadeat recipi, quam ſuarum omnium rerum interitum recognoſcat. Eſſe eam prouinciam circumuentam vndiq; latiſſimis dominatibus Regis, nec amicis aditum præbere ad ſuam defenſionem, nec ſibi ſiquid ingruat durius ad eos effugium. Nil magis autẽ optare Ludouicum aut quærere, quàm vt in diuerſiſſima Burguodiæ parte illum conſtituat, in poteſtatemq; cum libuerit habeat. Documentum eius rei ſi quærat, continentis Aquitaniæ regiones adiici cõditiooibus petat. Nil non conceſſurum Regem affirmat, vt & abſiſtat ille Campania, & quàm longiſſime ſe ab adiutoribus ſuis abiungat. Fallaciæ plenam pacificationem videri, quæ illi

occaſionem vltionis: ſibi vero metus continuos miſeramque cum diſcriminibus ſeruitutem adducat: exploratum habere acrius illum odio eſſe Regem, nec tam vnquã quàm poſtremis diebus hanc acerbitatem deprebenſam. Multa ſermonibus indicaſſe. Multa conſultationibus patefeciſſe. Nuperrime autem cum nunciata mors Germani fratris Hiſpanorum Regis, qui & ipſe magnis diſſenſionibus regnum miſcuerat, fidẽ interioris voti acceptã: Dixiſſe enim ingenti ſuſpirio: Hoc & mihi ad ſummam fèlicitatem ceterarum rerum videlicet deerat. Proinde etiam atq; etiam circumſpiciat, nec vllis conuentionibus fidat, niſi iis tantum, quæ rationes ſuas tutiſſimas præſtent. Si manere in diſſidio inchoato velit, fauturos haud dubie ſibi Principes pene omnis Regni, quibus cum Ludouico maiores quàm ante diſſenſionum ſtẽt cauſæ. Sin paciſci velit, ſuadere pro ſua in eum fide, vt promiſſam Campaniam repetat, cuius has opportunitates intelligat, vt propinqua Burgundiæ firmiſſimum propugnatorem in ſubſidio habeat, terroribuſq; & ſeruitute animum liberet. Facultatem quoque adeundi ſui & colloquendi & conſultandi Principibus præbeat. Quos non dubium videatur commerciis aſſiduis partim iungendo federibus, partim beneficiis demerendo, deniq; etiam ſuſpectos, eiectoſq; recipiendo breui omnes in ſua magis quàm Regis poteſtate futuros. Qua potiſſimum ratione, & tutum præſtare ſe poſſit, & illum vlciſci, & ſine Regis nomine iam inde Regni habenas apprehendere. Addit extremis mandatis, in duris illum rebus ſapientiæ & conſilii laudem tuliſſe: non conuenire cum ſtabiliendæ ſecundæ nunc ſint, periculorumq; legendi fructus, alio eum animo inueniri. Mandatorum Verdunenſis hæc fuit ſententia: Ac ne ſuſpicioni nuncius haberetur, qui vnus ex domeſticis eius notiſſimus erat, præmittit eum ad Regem, iubetq; requiri, nunquid ille in Britanniam velit: doceatq; ad diſſoluendam fideiuſſionem illuç proficiſci: cuius epiſcopus mercatoribus quibuſdam reus vel ſatisfacere ad diem cogitata, vel ſummo dedecore anathema proponi. Non multos poſt bos dies ſuum & ipſe artificium explicat Cardinalis. Eodem loci nuncios ad Burgundos oratores, quos diximus, inſtruit. Admonet quanto Ducis eorum incommodo Carolus Aquitania includatur: & ab veteri coniunctione longius abſtrahatur. Id enim tantum quæri à Rege, vt paulatim adductis amicis ſub tempus vltionis conceptæ infirmiorem illum inueniat. Andegauenſes nuper ſocios reconciliatos iam eſſe, pacificationem nunc Britonum ingenti diligentia quæri. Oratores eſſe deſignatos, qui cum Anglis, quorum Dux fidat præſidio, amicitiam pacemq; conſtituant. Debere illum conſilia hæc circumſpicere, & ante malis occurrere, quam ea præſentia occurrendi facultatem adimant. Vnicam prouidendi rationem ſuo iudicio eſſe, ſi Carolum in ſocietate contineat, cuius vel ſolo nomine quod Regni hæres habeatur, magnam Principum partem ſecum ſit retenturus. Id fieri non difficile poſſe, ſi recuſata Aquitania confinem ſibi Campaniam cedere illius dominatui faciat. Ad quam ſuadendam ſententiam vtile oſtendit nuptias, vt offerant filiæ quanta cum dote is velit. Et ad tranſitum ad Campaniam bonum animum præſtent. Nam ſiue mari vicino, ſiue mediterraneis locis proficiſci illuc malit, affutura illico firmiſſima ad iter pręſidia. His argumentis addit contumeliarum iniuriam. Regem quocunq; in loco, quocunque in conuentu bominum maledictis Ducem laceſſere. Eſſe illum ſine religione: inſania ſæpius agitari, & comitiali morbo paſſim apprehendi. Habere quoq; odio mulierum genus, ſoliq; libidini marium ita intẽdere, vt infamem ſe iam apud omnes effecerit. Huius ergo tam acerbi hoſtis & obſeruandos vndique, & interrumpendos conatus eſſe. Talia cum Carolo, & Burgundis oratoribus ab iis duobus eſſent propoſita: Quorum alter multum diligere, alter multum intelligere credebatur: neq; à vero errare iudicia crederentur, tractatibuſq; prope iam abſolutis, impedimenti plurimum attulere: ita vt in ſummam ſuſpicionem adduceretur Carolus, & regii oratores deſperatis pene rebus redire ad Regem ſtatuerent. Non contenti autem his primis diſcordiarum ſeminibus, trahente ad interitum peccato, opus nouum adiungunt: quo validius declinantem iam pacem præcipitari putarent. Scribit Cardinalis communi ex ſententia mandata ad Ducem prioribus non leuiora, atq; ea ita componit, vt ſingula, quæ pondus haberent, continerentur ænigmate: cumq; ſuorum neminem eſſe ſibi diceret, cuius vel probaret fidem, vel intelligentiam idoneam crederet, ao-

Digitized by Google

ret, accipit à Verdunenſi fidelẽ, eique mandata illa deſcribenda permittens, chirographum ſuum ne caſu agnoſceretur diſcerpſit: in ignemque coniecit: dedit tamen breuem ſine nomine in hæc verba epiſtolam. Vt ſcias quæ gerantur apud nos, quæq; ad rem tuam multum pertineant: mitto hunc, à quo præſentes reddentur. audi illum, & ſtatue, & nuntia. mea manu hæc ſcripſi. Non erat autem epiſtolæ aſcripta dies nec locus, in quo tradita eſſet. Scorſum autem nuntium ipſum (Simon erat ei nomẽ) edocet, Epiſcopi quæ obſeruari ambo neceſſarium arbitrentur. Fidimus, inquit, tibi, Simon, & æſtimationem noſtram diligentiæ tuę, vt vides, permittimus. Nullibi te meũ domeſticum detege. Id enim imprimis ambo contendimus. A Cardinale tantum eſſe te nuncium præſer. Cum ad Ducem veneris, matutinum tempus obſerua, quo ille ad diuina egreditur. Prætereunti offer epiſtolam. In ſecretum te adducet. Audi diligenter quæ dicet. Et menti manda. Et tam illa, quam quæ à nobis ſers hominum nulli cōmunica. Erit tibi laboris, ſi fidem attuleris, atque induſtriam, precium grande, quale pro iis conuenit, quorum cauſa te vnum ex multis delegimus. Porro autem mandata ſcripta iterare illum ſæpius legendo iubet, & ſe præſente interpretari ænigmata, vt nullibi requirente de iis Duce, vel erret vel titubet. Poſtquam ſatis admonitum ſatiſque inſtructum de omnibus videt, dimittit illum à ſe. Erat mandatorum ea fere ſententia, quæ imperata ad oratores antea fuerat. Tantum ſuſpiciones de Rege acrius augebantur. Cuius eſſe certum conſiliũ nunciabat, fraternis compoſitis mox in eum magno bello conuerti. Et conditionibus nuper permiſſa armis repetere. Eamque ob cauſam conari in dies quanto ſtudio poſſet, Britones ſibi adiungere, quos inclinare iam ad rem eius intelligat, & reducendo Carolo aſſentiri. Proinde ſi vna opera obuiatum his conatibus cupit, mature ad ſe tranſire Carolum niteretur. Quo in poteſtate habito magna pars regni ſecum eſſet ſenſura. Nam ne id fieri mox poſſit, claſſem ad obſidendum mare, terreſtres vero copias ad præcludenda itinera ſine intermiſſione parari. Cuius rei cauſa præfecti regii ad munera iniuncta diſſimulata cauſa profecti iam ſint. Indormiendum non eſſe: ſed dum ſinant tempora, contrahenda omnia ad obſiſtendum vtilia. Suadebat vero imprimis, vt ciuitatem Ambianenſium fineſque eius validis firmaret præſidiis: quando iis ex locis ſciret primum futurum incurſum. Simone nuncio agente iter accidit vel familiari equi vitio vel caſu inſolito id certe q; non ſine diuino numine Gallia omnis eueniſſe putauit. Nam cum ad vicum Claiam agri Dumenſis veniſſet: in medio loci eius conſiſtens equus progreſſum detrectare pertinacius cœpit: Calcaribuſque aſſiduis fatigaretur licet: pedem non promouebat. Deſiliit Simon, vt manu duceret quem impellere eques non poterat. Eadem ſic quoque inuenta eſt pertinacia. Sumpto fuſte, & in illum reſiliens vna contentione calcaribus verberibuſque connititur. Non modo non impellitur equus, ſed ad quamlibet vim binos ternoſue gradus reuertitur. Concurritur ex omni vico ad colluctationem hanc intuendam, clamoribus ſeſſor eluditur: forte ad proximam Cauponam milites duo regii paulo ante diuerterant, recreandi (vt fit) itineris cauſa. Hi tumultibus prouocati ad viſendum & ipſi ſpectaculum prodiere. Animaduertunt territum illum caſu (in religionem enim cuncta iam verterat) nō tam conanti quàm fugienti aſſimilem circumſtantium nullum inſpicere: ſed ſolam effugii viam oculis pallentibus proſpectare. Quod vero ex eorum numero eſſent, quibus ea pars finium cuſtodienda obuenerat, colligunt illico ab officio ſuſpicionem, comprehenſiſque habenis conſiſtere hominem iubent, & qui ſit, quoue iter habeat fari. Trepidus Simon miniſtrum ſe Cardinalis profitetur, & ad Ficicampi oppidum, vbi procurationem in cœnobio eius habeat proficiſci. Quærunt rurſum, vnde ſit illi origo: ex Pontizaro ait caſtello: cum tamen ex Crotulo prope Conſtantiam eſſet. Hæc vero cum trepidantius dicerentur ab eo, magis illi ſuſpicionem augentes, flagitari pergunt, quoſnam in ambobus his locis agnoſcat: quæ ipſis quærentibus erant admodum nota. Neminem cum pronunciare poſſet, detrahentes eum ab equo, Exploratores, inquiunt: ſimulque diſtrictis enſibus manifeſtare cogunt, quid, & in quo miſſus exploratum aduenerit. Ille iterato ſæpius iureiurando ad nil tale ſe veniſſe aiebat, & Cardinalis dumeſticum confirmabat. Tum ex iis alter diloricatis veſtibus pertentare vndique omnia cœpit, ſi quas forte Regis hoſtium litteras inueniret. Cumq; in intimũ thoracis lanei ſinum demiſiſſet

manum,conditam interius atq; aſſutam epiſtolam reperit,abſtraxitq; illico:inclamāti militi,quæ nam illa eſſet epiſtola tam eelata intime, totienſque à ſe obiurata veritus multitudinē eircumſtantium Simon in ſeeretum, ait, locum ducite me: pandā vobis quę porto.In eubieulum perductus, Obſecro etiam, ait, date mihi dextram ſalutis,& impunitatem à Rege promittite. Audietis epiſtolæ cauſam ſimul & viæ. Ea data, vt gentis eſt fides parum eſt in contubernio ſtabilis: Verdunenſis ſum,inquit,domeſticus: eæterum à Cardinale mittor ad Ducem. Epiſtolam ſua manu ſeriptam tenetis iam:quæ vero illius teſtimonio eram dicturus,mox quoque videbitis: ac ſimul diſſuta eonditiori altera ſinus parte mandata profert traditq; militibus.Lęti illi tanto oblato fortunę beneficio ſumma celeritate ad Regem eontendunt, noctuq; ingreſſi regiā nuntium & deprehenſas litteras offerunt. Is vero eum legiſſet omnia,& referentē illum audiſſet, obſtupefactus tam ingrata rerum imagine, ſimulque ſuum periculum metuens, eelatis indieibus mane diei ſequentis prætorianos ſuos diſponit, dato ſigno inſidiatores comptehendant. Ae mox Cardinalem, & Epiſcopum harum adhuc ignaros rerum voeat ad ſe,eiſque præſentibus:Hanc,inquit,refertis meis in vos meritis gratiam ? Nunc tandem intelligo,quibus in reducendo fratre hoſtibus oppugnabar. Intereepit Deus iniqua conſilia, En tuas litteras, Verdunenſis:En tuum domeſtieum, Cardinalis. En mandata in caput meum hoſtili perfidia fabrieata. Tacentibus illis ex conſcientia, auertit ſe ſtatim inflammatus, & eonuentum dimiſit. Prætoriani,vt erat præceptum, ambos circumſiſtunt,& ad duas vicinas arees captiuos perdueunt fidaque includunt euſtodia. Verdunenſi iniectæ eathenæ ſunt: Cardinali ptopter dignitatem carcer liberior datus. Hae vulgatá fama ingens tota Gallia gratulatio orta eſt lætantium ſuperbum regnatorem deiectum eſſe,& communium malorum ſublatum auctorem, ae iam tandem quietem à bellis finemq; diſeordiarum futurum. His actis habere de ambobus quæſtionem inſtituit. Rex veritus grauiora alia impendere, quę operæ precium eſſet quam primum agnoſci. Mittit ergo ex Senatu ſuo, qui de omnibus quanta poſſint diligentia quærant. Accedentibus ad carcerem illius ſine tormento Verdunenſi quæ vidiſſet ex ſcripto Rex, quęque à Simone nuncio aeeepiſſet confeſſus illico eſt. Adieeit quoque quæ ad auertendum ab Aquitania frattem ipſe,& Catdinalis apud Britones paulo ante egiſſent. Veniam tamen,quam non eſſet meritus, eiſdē deprecatotibus orat. impetrari Cardinalis quoq; eadem fuit eiuſdem facilitatis cōfeſſio. Rogatus interpretati mandatorũ ænigmata, conſentientem Simoni interpretationem expoſuit. Cauſam etiam poſtulatus machinatorum in Regem,dolorem reſpondit dignitatis apud eum amiſſæ, poteſtatiſq; appetitæ ſtudiũ, qua ſemper & regias diſſenſiones in regno nuttierit, & cum Romano Pontifiee ad procutanda priuata non multum eonueniri voluerit. Impenſius autem quæſiſſe ſe ait,vt Burgundotum Dux, cui iuraſſet fidem, & ſeereta omnia in eum diem indicaſſet,plurimum ex eonſenſu Principum poſſet,quo & in metu cōtineretur Rex, & ipſe illius ſuffragio moderator omniũ fieret. Protinus ea fuit in peccatis detegendis ſimplicitas,vt moriendum ſibi omnino putaret,& vera confeſſione inuenire Dei miſericotdiam crederet. Regi vt renunciatæ confeſſiones hæ ſunt, illico litterarum exempla mandatorumq;, & omnem habitam quęſtionē velocibus nuntiis mittit ad fratrē. Admonetq; iam tandem videat, quibus ſit conſultoribus antehac vſus, & quamnam ob cauſam in diſſidium fraternum Principes illum adduxerant. Voluiſſe eos non illum ex ſeſe, ſed ipſos ex amborum incommodis ereſcere. Pudendam videri rem tanti Regni heredem paſcendæ inferiotum ambitioni huc atque illuc ad libidinem agi. Ptoinde redeat aliquando ad fratrem, nec ſe chariorē externis, quam ſibi eſſe exiſtimet,quem non eoniugia,ſi fœdera,ſed idem ſanguis iidem parentes coneilient. Siue enim Campaniā velit,ſiue Aquitaniā eligat in ſua vtramq; poteſtate eſſe. Neq; vero id agi,vt parte vna accepta in reliquis dominatũ pręfiniat:ſed vt eertā aliquā ad ſubſtentandā dignitatem accipiēs omne mox regnũ ſe defuncto poſſideat. Aquitaniā quoq; non ideo à ſe oblatā addit:quod cireumuentũ eum quęrat teneri: ſed vt à malorũ abductũ conſiliis ſine ſuſpicione:quantũ velit amet vnamq; amborũ mentem in Regno eſſe oſtendat. Quæ autē a ſe velit,ſine conciliatore accipiat. Paratũ eſſe,ſi ita cupierit, atq; opportunũ duxerit, regnũ omne ſeeũ partiri: ptimamq; illi optionē permittere.

His

His actis veritus Rex ne magni ab Apoſtolica Sede, hęc exempli nouitas in te nondũ cognita putaretur: maioris autẽ fieret, ſi de his aut eorũ altero ſumptũ diceretur ſuppliciũ, pręueniendum putauit. Duos itaq; ex eodem Senatu iureconſultos viros inſignes delegit, quos Romã ad Pontificẽ non excuſandę modo captiuitatis, ſed petendi imprimis iudicii cauſa è veſtigio mitteret: interim omni ſupplicio abſtineret. Carolus vero, talibus à fratre Ludouico acceptis mandatis, perfidiã admiratus naturę etiã ſuaſione adiutus mentem ad concordiã flexit: ac ne in liberalitate offerenti ſe vltro Regi parum reſpondere appareret, Aquitaniæ, in quam ille inclinabat, acquieſcendum duxit. Supererat ergo vt quę agitata inter ſe oratorum opera fuerant, colloquio etiam prope firmarentur. Quam rem pertinere ad famã vere adiuncti fratris plurimum Rex iudicabat. Igitur Andegauiam, quæ ditionis Rhenati Regis erat, & propinquum habebat in Britannos tranſitum contulit ſe. Quem ad locum cum qui erant Carolo intimi accedere illum non ſinerent: quod regię adhuc voluntati diffiderent, excogitata eſt ratio, qua venire in congreſſum ſine periculo ambo poſſent. Flumen erat ad Britonum fines vadum ea in parte nullibi habens. Huius ripas collatis vndiq; lintribus inſtar pontis coniunxerunt contabulatis ſic deſuper omnibus: vt plana nauigiorũ concaua redderentur. Ad eius medium excitatus eſt ex aſſeribus paries, ad latus vtrumq; pontis ita pertingens, vt neutri tranſire in partem alteram poſſent. Sub eius faſtigio, quod ſtaturam hominis excedebat, relicta feneſtella erat: cancellis ex ligno non magnis ſic intermiſſis, vt contingi ex iis dexteræ poſſent, & mutuus pręberetur aſpectus. Die dicto ad tertium miliare ponti appropinquant. Quo in loco biduo ſtatuendis colloquii conditionibus ſumpto Principes interim regii ſanguinis, quos dedita opera ſecum adduxerat Rex miſſu eius ad Carolum tranſiens ſalutationis cauſa ac gratulationis, muneraque ex ſuo nomine ad illum tulerunt, aureum poculum, & magni precii armillas. Poſtridie ad pontem primus Rex venit: cuſtodibus corporis cætera pręter enſes inermibus: quibus etiam longius à ponte dimiſſis aſcenſum omnino prohibuit. Duodecim ex Senatu ſecum aſſumpſerat conſilio magis quàm annis idoneos, quibus comitatus ad parietem medium cum acceſſiſſet, ad eundem procedens Carolus polito genu adorauit fratrem: & mox iuſſus aſſurgere datam per cancellos manum lachrymantibus oculis eſt oſculatus. Quo in loco vim naturæ, quanta ſit licuit intueri. Iterum enim in genua procidens, errata in eum ſua cœpit deflere. Ea quoque ignoſci continentibus lachrymis precabatur: admiſſa vt excuſabat, non tam voluntate, quam iuuentutis errore, & conſultorum fallacia. Se ſi mereri veniam poſſet, & ad gratiam eius reditum inuenire futurum in regia poteſtate, & ab imperiis non abiturum, quorum ſupremo vitæ diſcrimine ſeruator cuperet inueniri. Hanc orationem pœnitẽtiæ plenam fletu etiã excipiens Rex: O frater, inquit, quanta peccauerũt, qui nos ante coniunctos tam miſere diſiunxerunt. Maiori impietatis genere ſæuire in te, & me non potuerunt. Exulis modo erraſti tu huc atque illuc ſeruorum tuorum ſeruus. Ego appetitus bello obſeſſus, atque oppugnatus horam anxietatis, & terroris vacuam non habui. Quos frui ſumma pace patris noſtri regno decuit, hos iam annos improborum affligit iniquitas. Quis me tibi, & te mihi amantior eſſe Carole poteſt? Inuenire ne quemquã eſt, qui fratrem eodem progreſſum vero vincat pietate, pluſq; illi optet ſalutis? Experti iam tandem quorſum tenderint artificia horum redeamus in coniunctionem fraternam, & parentibus ſepultis parentemus hodie complexibus noſtris. Veniam, quam deprecaris, dare iam dudum optaui, & nunc interprete Deo toto animo do. Eo vero minoris eſt apud me: quo tu minus erraſti tuo iudicio. Aliorum te credentem fefellere ingenia, ſicut & me non cogitantẽ circumuenere nonnunquam. Ne dubita, frater. Reditum expeditum habes ad fratrem: ſine liberis ego ſum. Quem præter te diligere plus poſſum, aut debeo? Tu mihi illorum pietate ſuccedis. Tuum eſt defuncto me regnum: & viuo erit, quam diu voles commune. Fruamur Dei munere, & vita, atq; hos diductores honoremus, non audiamus. Sani nil afferunt nobis. Luci eorum adiunctæ ſunt tenebræ. Quærunt ſua, non noſtra. Quodque in me nunc ſunt machinati, in te mox regno ſuccedentem machinari non deſinent. Demus exemplo noſtris poſteris documentum, quo amoris præſidio contemnere has inſidias poſſint. Hæc adhuc magna doloris ſignificatione

deflente Rege concitum animi retinere nõ valens Carolus, media interrupta oratione extendi ſubito tignum ab extremo pariete imperat, qua duę prominẽtes prorę extabant, & ad fratrem tranſiliens genibus ſe eius aduoluit, gemenſq; pietatis omne genus profundit. Hunc illico alleuatum Ludouicus non abſimili affectu complectitur. Oſculatur faciem ſinumq; aſtringit. Ploratus inde clamorq; ad tam pium expetitũq; ſpectaculũ ab omni multitudine oritur, partim quę ad præſidiũ, partim quæ ad viſendũ cõuenerat. Nec erat ex tanta turba quiſquã, qui non eodẽ exemplo mutuis inter ſe oſculis & cõplexibus lætaretur. Hora his in lachrymis lapſa: quòd primæ tenebræ intendere ceperant, conantẽ fratrẽ ad temptoria vſque comitari Regem non permiſit ille, ſed mox vt ponte exceſſit, remiſit ad ſuos, & rediri in ſequentem diem eodem loci hortatus eſt. Poſtridie conuenientibus ambobus prior Carolus trans pontem obuiam proceſſit Regi, & poſito genu pro conſuetudine eſt veneratus: qui illum arcte complexus perduxit in pontem. Ac ſemotis arbitris, longiore ducto colloquio, de Aquitania cæteriſque, quæ in diſſenſionem venerant, ſumma beneuolentia inter ſe conuenerunt, prouinciaque recepta Carolus Dux illius à Rege eſt appellatus, & læti ſurrexerunt ambo. Poſt eum diem relictis Britonibus, ad Ludouicum libero iam animo tranſiens tanta celebritate amoriſque indicio acceptus eſt, vt & feſti paſſim omnibus in locis agerentur dies: & quamdiu apud eum manſit, eadem vtrique menſa idemque cubiculum fuerit: nec minus huius, quã illius nutu omnia regerentur. Oratores interim Romam venientes biduum poſt ingreſſum morati, Senatum dari ſibi poſtulauerunt ad perficienda quæ attuliſſent mandata. Sed cum per valetudinem Pontificis minus id tunc licuiſſet, dies poſt paucos frequenti concilio introducti longiſſima oratione eadem ferme de Cardinalis epiſcopique criminibus ſunt lamentati, quæ commemorata à me ſuperius ſunt. Poſt quam orationem, cum addidiſſent, eorum Regem honore Romanæ Sedis reorum ſupplicio (id tamen quod Regni legibus poſſet) in hunc diem abſtinuiſſe: magno inde conatu poſtulauere, vt iudicium de iis noſtra delegatione haberetur in Regno. Vbi & probationum maior vis eſſet, & certior Regi fieret iuris dicundi fides. Nam ne Romam aut alio quopiam traduci poſſent, certiſſima obſtare pericula: quod ita Gallorum omnium animos inflammatos cognoſcerent, vt prohiberi nulla vi poſſent, quin membratim malorum auctores à ſe abeuntes diſcerperent. His peroratis cum a Pontifice paucis reſponſum eſſet, dolere eum permaxime regiis incommodis omnibus, ſed iis potiſſimum, quæ illorum prouenirent, quos ille tanti olim feciſſet, tantiſque honoribus, cum incogniti nobis eſſent, contendiſſet ornari. Adducturum ſe nihilominus in concilium poſtulata dixit, & de iis ſuo tempore decreturum. Habiti poſthæc Senatus nonnulli ſunt ea de re tantum, magniſque conſiliis negotium agitatum. Proponebantur vtrinque difficultates non mediocres, ita temporibus comparatæ, vt quamcunque verteremur in partem, contineri anguſtiis videremur. Legibus habendum Romæ erat iudicium, quod inter maiora imprimis hoc referretur. Libera inſuper ad iudicandum conſtituenda omnia, cui potiſſimum rei latores legum voluiſſent intendi. Non videbantur legi vlli poſſe ex Gallis epiſcopis iudices, quorum fides propter Regem non veniret in dubium. Non patroni etiam inueniri, qui aduerſus opes regias remque Regni publicam auſuri eſſent ingratam cauſam ſuſcipere. Periclitatum iri propterea in tanta iniquitate rerum miſerorum ſalutem, & nos dignitatem proiecturos ſacerdotii, calamitoſumque inducturos exemplum, quo mox cæteri Principes prælatis ad libidinem afflictis idem domi ſuæ flagitaturi eſſent iudicium. Agendum ante omnia eſſet, vt liberos illos dimittat Rex, quorum diuturna captiuitate fortuniſque direptis anathema ſit factus. Huic ſententiæ contraria perturbatæ Italiæ opponebatur conditio. Aduerſam eam pene cunctam Pontifici eſſe. Magnum Regem per ſummam obſeruationem legum irritari non oportere, qui hoſtibus noſtris conſentiens agitare Eccleſiam permagnis incommodis poſſit. Non ſemper ius ſumm tenendum. Remittendã aliquando temporum cauſa ſeueritatem. Quæri nunc de Cardinali iudicium, haud dubie ſuſpectum futurum, quicquid ſeruari ad normam noſtram duxerimus: tanquam communem ſpectauerimus dignitatem, non cautam. Et per has iudiciorum anguſtias eripere ſupplicio conſortem no-

ſtri loci

ſtri loci putarimus. Primum omnium iuſtitiam à Rege peti. In ea pręſtanda neminem diſſentire, iudices modo, & locum, & libertatem in diſceptationẽ adduci. Iudices legi externos poſſe, quibus non ſit metui Rex. Locum iudicandis reis inſtitui, vel Auinioni, quę ciuitas ad regnum extremum poſita Romanę ſit ditionis: vel ſi ita neceſſarium videatur, alio intra Regnũ loco, vbi dominatũ Sacerdotes obtineant. Defenſores vero reorũ cauſæ acciri poſſe, vel ex vicina Hiſpania, vel propinqua Germania, quorum nihil interſit patrociniis eorum Gallos offendi. Denique vna illa magnum in modum cogitatio permouebat, ne ſi vel paulo anguſtius ſatisfactum dolori ſuo Rex intelligeret morte occulta (id quod ex Gallia nunciabatur) religionem omnem iudicii præueniret, nobiſq; non à captiuitate tantum ignominia creſceret, quam turpe fuiſſet, nõ vindicaſſe: ſed à morte magis, cuius nõ fieri vltores turpiſſimum ad rem exemplumq; haberetur. Cedendum igitur furori huic primo animi ad acerbitatem offenſi. Idq; agendum vt viuant rei. Quibus incolumibus, & tempore & ratione, & gratia redimi ad æſtimationem noſtram illorumque ſalutem plurima poſſint, apud eos præſertim, quibus vt ſubita conſilia ſunt, ita diuerſi ſæpe, ac pene cõtrarii exitus inueniuntur. Alternantibus his in curis Patrum animis, tandẽ quod ad leuiora inclinare Pontifex videretur (id quod ab initio referens indicaſſet) fit decretũ conſilii: conſtituendos delectu noſtro iudices, qui in Galliã euntes ante omnia cõtendant à Rege, Auinionẽ permittat dicendę cauſæ ſedẽ inſtitui: qui locus & ad integritatẽ iudicii, & ad famã eius imprimis pertineat: quãdo damnatis reis lamẽtari nemo poſſit vi vlla, aut metu extortum iudiciũ. Id ſi minus impetrare valeant, quod proximũ eſt, ciuitates in Gallia tres proponãt ſummo Imperio epiſcopis ſubditas, quarũ delecta per illum vna ad eãdem iudicandi concedant, & in liberã prælati cuſtodiã permittantur. Fide primũ accepta acquieturũ eum iudicio, quamcunq; in partẽ acciderit. Miniſtros porro ad defenſionẽ, ſi nõ inueniãt in Regno idoneos, ex propinquis nationibus petãt, nec cuiuſquã rei inopia perire innocentiã ſinãt. Omnibus autẽ ad ſatisfactionẽ auditis, cõmentarios actorũ rite conficiãt, clauſoſq; & obſignatos Romã mittãt ad nos, aperiẽdos in Senatu, ac iudicandos. Ipſi interim in Gallia præſtolẽtur, eã tantũ laturi ſentẽtiã, quã pręſignatam acceperint. Poſthęc vt deliberationi huic noſtræ aſſentirent liberius oratores, ea ad diem celata deliguntur interim ex Patribus ſex, ad quos illi tanquam diſceptandæ rei cauſa accedentes, intellectis ex vi legum difficultatibus, quæ plurimę proferebantur, etiam interius noſcerent, quantum ſic quoque illorum gratiæ cederemus. Quæ omnia cum mox ex ſententia ſucceſſiſſent, delecti iudices ſunt, Alfonſus Ciuitenſis Eccleſiæ ab Hiſpania præſul, multos annos Romæ ad tribunalia noſtra patrocinandis cauſis verſatus. Item & ab iudicum Rotæ ordine Nicolaus Vbaldus, patria Peruſinus, manſueti animi vir, & cuius ſumma iuris ſcientia haberetur. His additi in miniſterium operis Paulus Tuſcanella, ad Sedis conſiſtorium aduocatus, & Ludouicus Ieminianenſis in procuratione cauſarum induſtrius. Denique vt nulli corruptelæ inſtruendis commentariis locus relinqueretur, etiam à noſtro delectu duo qui ſcriptum facerent dati. Omnibus autem adiunctus eſt auriga fidiſſimus Falco Romanus, ex Sinibalda familia, qui difficillimis duabus in Gallia legationibus functus vtramque ſumma virtute impleuerat, & mirificam apud Regem inierat gratiam, ea quidem ingenii dexteritate ad negotia obeunda, vt quos ſemel loquendo apprehenderet, amore etiam conciliaret, nec ante dimitteret quàm perſuaderet quæ cuperet. Hunc quòd & mores Gallorum noſſet, & linguam teneret, in ſummaque gentis eius beneuolentia eſſet, ſua facilitate putatum, & moderaturũ noſtris, cum poſceret opus, & leniturũ impetus Regis, ſiquando inclementius aliquid ex conſuetudine agitaret. Eodem tempore ad veteres calamitates, quas per hos annos à Turcis accepimus, noua quædam per Illyrium eſt populata incredulæ Italiæ propinquior cæteris. Adminiſtrabat prouinciam Boſoam, nuper fidei noſtræ regnum Azambeus quidam, Theuto natione, qui pridẽ vna cum patre abnegata fide Chriſti inſaniam Maumethiã ſuſceperat, licentioris vitæ, non ſanioris religionis occaſionem ſecutus. Vir quidem induſtrius, & noſtræ militiæ aſſuetus, cuius iam diſciplinam in nos exercebat. Hunc cupientem penetrare interius, & proximam Coruatiam populari Luprana flumen impediebat. Quod vno tantum in loco æſtate vadoſum Chriſtianorum præſidio tene-

batur. Fratres duo imprimis his Coruatenſiũ finibus tenebant imperium, Martinus & Stephanus. Lupranæ proxima parebat Martino: excipiebat inde Stephanum Toparchia: qui odiis inter ſe non mediocribus diſſidebant. Eius rei non inſcius Azembeus Martinum, cui & minor erat ætas, & cupiditas maior, adoritur. Pollicetur ſi tranſitum fluminis præbeat, vlturum ſe fratris diſſidentis iniurias, atque amplius quantum pecuniarum velit daturum. Ille vltionis libidine, & auaritia adductus pactis ſingulis argenti numis in ſingula equitum capita infideli exercitui ad lachrymabilem ſtragem ingreſſum aperuit. Tranſiere cum ſuo Duce, equitum milia viginti ad curſim expedita. Eius rei illata ſuſpicione Stephano (id quod ex frequenti commeatione potuerit colligi) fidelem quendam ex ſuis progredi viis notis ad Lupraciã iubet, & quid paretur ſilentio explorare. Prima nocte iter ille ingreſſus, cum ſub primam lucem vigilia fatigatus ſomnum cepiſſet, ac nihilominus equo procederet, in antecurſores hoſtiũ incidit. A quibus excitatus iuſſuſq; qui nam eſſet, aut quo tenderet, confiteri, errorem ſentiens, ſubitum ex neceſſitate conſilium ſumit. A Stephano, inquit, nuntius ſum. Ad ducem veſtrum adducite me. Habeo non ingrata ad eum mandata. Perductus confeſtim: Mittor, ait, ad te, Azembee. Obſecrat Stephanus, Toparchiæ inopi parci, qua iens, & rediens vti, ſi voles, amiciſſima potes: non tantum putat conuehi à te prædę ex his montanis ſaltibus poſſe, quantum munerum feres, ſi finibus ſine maleficio exceſſeris. Amicum tibi eum parare hoc beneficio præſtat, quàm detrimentis fruſtra affligere. Hoc cum nuntius ad effugiendas illorũ manus pręſenti animo de Stephano mentiretur, credita nihilominus ab Azambeo facile ſunt: ac ſiue munera attendens, ſiue impediri his in locis nolens, quo tamen impacata relinqui tutum non erat benigne appellato nuntio: Ex re, inquit, ſua Stephanus facit, qui precibus nobiſcum malit, quam armis cõtendere. Damus quod poſtulat. Pacato nulli ex ſuis nocebitur, eritq; ſine incõmodo iter noſtrum. Quibus dictis pictam ſagiptam tradens: Hanc, ait, manu elatam geſta, & oſtenta agmini. Pacatum inſigne erit, quod agnoſcent omnes & ſe continebunt. Quacunque ergo illam tulit nuntius inclinatis capitibus milites venerabantur, & via non excedebant. Ita exploratoris negligẽtia aſtu correcta ſaluti eo in tranſitu fuit. Ad vltimos Toparchię fines præſto fuerunt cum nũtio munera, vt Stephani nullo iuſſu promiſſa, ſic ſumma tunc volũtate oblata. Egreſſo dominatum hunc ab Azembeo rediere nuntii quidam, quos ille ad explorãda longe lateq; omnia a flumine Lupratia præmiſerat. Ii nuntiauerũt, ſine metu Coruatiam eſſe: & nullo alicubi tumultu eorum aduentum ſignificari. In vico autem celebri eius gentis perendino die anniuerſarias agi, ad quas ex oppidis omnifariã multitudo cum mercibus confluat. Poſſe ſi adhibeatur celeritas, in medio feruore conuẽtum prædamque integram opprimi. His nuntiis permotus Dux, ne tanta opportunitas cunctando mitteretur è manibus, cum diei veſper iam eſſet, curatis ad neceſſitatẽ corporibus, ſilentio procedere agmen iubet, & intra ordines contineri. Noctẽ eam, & diem ſequentẽ nullibi quiete data locis auiis iter cõtinuãt. Sub occaſum ſolis receſſu occulto ſubſtitit, curamq; iterum corporũ equorumq; indulſit. De tertia vigilia mouens primo diluculo ad ſiluas peruenit, quę à nundinarũ vico, nõ totis duobus paſſuũ milibus aberant, rariſq; pręterquam lignatoribus erant acceſſæ. Ratus Azembeus opportunam inſidiis denſitatẽ eſſe perductũ quam poteſt interius equitatum, ſine ſtrepitu collocat, & tranſigendę rei tempus expectat. Meridiem circiter qua hora feruebat conuentus, ſigno dato educit è ſiluis, ac tanta celeritate in vicum defertur, vt ante circumuenirentur omnia à Turcis, cedendiq; initium fieret quàm quid eſſet, aut à quibus vis afferretur, poſſet agnoſci. Erat paſſim cadentiũ gemitus, mulierumque ac puerorũ tendentiũ ad pietatẽ manus ingẽs ploratus. Paucis permittebatur captiuitas. Raris patebat fuga, itineribus vndiq; obſeſſis: ſanguine & cadaueribus omnia replebantur: ad veſperũ vſq; cum in ea crudeli arte ſæuitum eſſet, tandẽ nox diei & cædi attulit finem. Abductis in ſeruitutem, quos tenebrarum beneficium reliquos fecerat, octo milia Chriſtianorum hominum trucidata eo in loco paucis horis feruntur. Tria ad iugum miſerrimum rapta. Hoc confecto negotio videns Azembeus detectos iam conatus ſuos eſſe & celeritate anteuertenda, reliqua nocte vna tantũ reficiendo militi indulta, poſtridie albente die populabundus progreditur: confectiſq; paſſuũ milibus

bus octuaginta altera Medilingum peruenit, Federici Imperatoris non infrequens oppidum. Hoc in loco prioris diei fortunam paulo minus ſortit⁹ eſt. Erat is dies octauus anniuerſariæ celebritatis Dominici corporis, vt multis in locis: ſic & apud Medelingenſes admodum feſtus. proceſſerat extra portam populus omnis, & antecedebat clerus ſolemni more in veſte ſacra, reliquias ſanctorum atque ipſum corpus Domini gerens, deſtinata inſuper erant, ad proximam virginis ædem diuina miſſarum, quibus turba omnis ex conſuetudine interfutura conuenerat: Sed non paſſa eſt Saluatoris pietas fœdari ſanguine tantum myſterium, aut religionis opus detrimento eſſe ſuis fidelibus. Stephanus quem dixi, veritus eo Turcos iter facturos, non ſtatuens commodi ſui eſſe tam oportunum receptum in eorum poteſtatem venire, vnde inflammari proxima quæque quotidianis incurſibus poſſent, præmiſerat velocitate maxima nuncium mali. Qui accelerato diem noctemque itinere, tam opportuno tempore Medelingum acceſſit, vt eadem hora poſt illum auditum, & refugere in oppidum multitudo inciperet, & antecurſores Turci ex vicinis collibus apparerent. Reductis ad vnum omnibus clauſiſque illico portis muros aſcendunt, natura loci, non manu tantum munitos. Raris propter religionem diei in agris inuentis, protinus Medelingum ingenti conatu oppugnare contendunt. Sed reſiſtentibus magno animo oppidanis, cum ad decimam vſque horam vehementer eſſet certatum, tantus eorum numerus Deo vindice ſub mœnibus cecidit, vt poſtmodum ad arcendum fœtorem cauari frequentes puteos, atque eo congeri cadauera occiſorum neceſſarium fuerit. Azembeus ſpe opportuni loci deiectus Cereauiciam inde contendit, millibus paſſuum triginta diſtantem. Quo oppido leui pugna temptato, quod præmunitum inuenerat, ad Vianum Carphotium eodem curſu prouehitur. Id vero quia plano loco ſitum, loci natura multum non iuuabatur, acrius expugnari adortus eſt. Sed oppidanis egregie defendentibus, qui hunc caſum timentes omnia ad ſe tutandos ante contraxerant, pari detrimento repulſi ſunt. Ita millibus paſſuum centum ac ſexaginta progreſſi, cum non longe ab Italia diei iter abeſſent, nullo occupato loco ſigna verterunt. Quacunque reditus fuit, miſeranda illata calamitas eſt. Interfecta ſunt hominum millia duo de viginti: capta amplius xv. nullis pueris aut ſenibus parſum. Ædificia incenſa. Vaſtati agri. Pecus omne ferro abſumptum. Protinus, vt peruaſiſſe regionem non hoſtes, ſed furiæ viderentur. Lupratiam reuerſi auctam eam ex imbribus inuenerunt, ita vt vado tranſiri non poſſet. Nauigiorum autem in his locis copia non habebatur. Quam ob cauſam dies continuos octo ſedere ad eius ripam coacti ſunt. Id ſpatium ſi tantus terror Chriſtianorum animos non occupaſſet, occaſionem præſtare populis circumſtantibus poterat, non redimendæ tantum captiuæ multitudinis: ſed vindicandæ quoque crudelitatis exercitæ. Verum dum quiſq; ſua circumſpicit potius quam aliena vlciſcitur, decreſcentibus interim aquis in Boſnam ſe recepere: Martino & Stephano eodem qua cæteros tempeſtate in regreſſu afflictis. At Iulius ſequens lætiora nobis ex Græcia attulit. Præerat tunc maritimæ Venetorum claſſi Nicolaus Canalius ſenatorii apud eos ordinis, vir animi ingentis atque fiduciæ. Is Ægeum mare percurrens nunc litoribus Turcorum erat infeſtus, nunc noſtris ſubſidium afferebat. Prætervecto autẽ ſæpe Enum, naturamq; omnem loci permenſo, more humani ingenii vehemens cupido illius potiundi inceſſit. Id oppidũ in Thraciæ litorib. poſitum diuitiis, & barbarica virtute erat inſigne. Armabatq; amplius millia hominum duo, mœnibus quoq; contra gentis conſuetudinem circumcinctum, etiã arcis præſidio firmabatur. Quã in ſummo oppido extructã terneq ab imo circũmunitiones ambibãt. Ex eo loco Mahumet⁹ propter excellentẽ rei nauticę vſum, & virorũ induſtriam ſumere triremum p̃fectos ſolitus erat. Igitur Nicolaus, qui tunc forte dies complures in ſinu Melanico fuerat ad auertendã cõſilii ſuſpicionẽ claſſe ante Enum quiete præterlabens ita dirigi curſum iubet, vt Chalcidẽ Venetæ ditionis, quæ nunc Necropontus eſt, reducere copias videretur. Tũ noctu de quarta vigilia leuam tenens in altum quã poteſt longius à continenti prouehitur: Ne luce orta ex Atho promõtorio Ænenſibus vicino fumo, atq; ignibus conuerſum iter ſignificaretur. Ita diebus quinque circum-

ducendę ab hoſte claſſi: abſumptis Samotbraciam inſulam meridiano tempore acceſſit. Quo ex loco comparatis ad oppugnationem neceſſariis prima nocte ad Enum reduxit, fortunam diſcriminis temptaturus. Cum à quadrageſimo milliario in ancoris ſubſtitiſſet, vocatis ad ſe præfectis conſilium patefecit. Imperatiſque ſuis cuique operibus ſuis, ad famam præſtantis facti animos eorum accendit. Ex iis vero præcipuę virtutis præfectos tres cum ſingulis triremibus appropinquare oppido iubet. Et in eam partem littoris, quæ in Helleſpontum vergit, equites decem ante lucem exponere, qui inter Enum & mare ſilentio infodentes matutinos exploratores littorum interciperent. Se dicit claſſe reliqua ſubſidio affuturum. Hęc mandata cum pręfecti illi ſumma diligentia obſeruaſſent, orta luce in tres tantum incidere. Quorum oppreſſo vno duos reliquos, vt eſt gens ad fugam peragilis, tenere non potuerunt. Sed ii ad ſuos reuerſi non multum indicio profecere. Si quidem de triremibus tantum tribus, quas facile erat contemnere, non de tota claſſe nuncium pertulere. Nicolaus non multo poſt conſecutus, atque in celeritate omnia collocans, ex quaq; triremi, quarum numerus viginti trium fuit, triginta nauticos milites, cumque iis centum circiter equites ſub ductoribus ſuis in litus emittit, viginti reliquos eodem ordine inſtructos agere in nauibus iubet. Vt ſi quid ingruat durius, proſilire illico ad ſubſidium poſſit. Toracati omnes ad vnum erant pars manubaliſtis, & arcubus, ſclopulíſque inſtructa: Pars ex cetratis haſtatiſque conſtabat. Hoc ordine ad oppidum delati, continentia muris ædificia primo impetu capiunt, portaſque ad intercipiendum, ſi quod offerretur ſubſidium, vndique obſident. forte tum præfectus loci ex proximis rediens irrumpere cum paucis, qui ſecum erant equitibus, conabatur. Sed lancea traiectus equo delapſus eſt, reliqui metu territi auertuntur in fugam. Conſtiterant vero in muris oppidani, clauſis portis telorumque multitudine non ſinebant noſtros ſuccedere, nec minus a conditionibus ſe velle agere ſimulabant, vt extracto in iis tempore præſidium oræ maritimæ, quod in vico Scipſala collocatum non pluſquam horarum ſex itinere aberat, inopinantes opprimeret. Erat autem id præſidium mille circiter & ſexcentorum delectorum. Sed Thracum perfidiam intelligens Nicolaus conditionem proponit: aut portas aperiant ſtatim, qua in re ſalutem certiſſimam ſpondet, aut ad pugnam ſe parent. Ea voce conuitiis excepta, ſigno confeſtim à Duce dato magna alacritate ad murum concurritur. Sagittarii modico interuallo abſtantes continuatione miſſilium murorum propugnatores petebant, nec multum conſiſtendi aut ad tela ſaxaque voluenda, ſe detegendi poteſtatem præſtabant. Reliqui ſubeuntes partim ſuffodiendis muris ſcaliſque adponendis, partim proruendis portis inſtabant. Animis ſua ſponte ad peruincendum incenſis, vt conatui, quod vltimum poterat, addeteetur. pronunciari Nicolaus per præconem iubet prædam ſe oppidi vniuerſam militibus dare. Quod vbi eſt intellectum, eo ardoris impetus omnis creuit, vt vno tempore & à ſummo tranſcenderentur muri, & portis ruiniſque inferioribus aditus pateſieret. Occupato oppido reliquum de arce opus ſupererat. Cuius expugnatio nec horæ illic nec tantularum copiarum eſſe videbatur: propterea quòd & munitiſſima, vt ante dictum eſt, erat, & frequentes oppidani in eam refugerant. Fortunam tamen diei ſecutus quæ aſpirare tam proſpere apparebat, cohortato milites, vt reliquam hanc partem plenę gloriæ cōſequerentur: ad primas arcis munitiones, qua parte inferri præſidium poterat ducit. Pari felicitate his quoq; ſine mora occupatis ſecundas quoque ac tertias capiunt. Sub quibus præfectus etiam arcis femur ſcorpione ictus exanguis cecidit: ad munitiſſimum vero interiorem ambitum vt ventum eſt, in quo expugnādo longe plus diſcriminis cernebatur, negotium præfectis dat, vt pluribus in locis ſublato clamore impetum faciant. Ratus fortunam quoq; extremi aditus alicunde conātibus affuturam. Ei rei cum fumos denſiſſimos addidiſſent, reliquum negotii celeriter confecerunt. Pleriſq; enim qui intus erant, repentino incommodo ſuffocatis, reliqui animas tantum pacti arcem ſeq; ipſos illico tradidere. Tanta quidem incepti felicitate, vt ſolo trium horarum ſpatio, & ventum ad primos muros ſit, & occupato oppido arx longe illius regionis valida expugnata. Cecidere ex Enenſibus circiter trecenti. Capti ex omni ætate, & ſexu ad millia duo. Venetis autem vnius tantum remigis

migis obitu,& vulneratorum ſex damno ea victoria ſtetit. Præda omnis generis ampliſſima victoribus ceſſit. Ingens vis auri & argenti paſſim inuenta. Veſtis quoque luxu barbarico admodum precioſa,gemmarumque ſupra conditionem loci magnitudo,& numerus. Tum conditę pecuniæ tantum,vt magnę vrbi videri ſat poſſet. In his diripiendis,atq; ad naues conuehendis amplius quinq; horis eſt datum. Quo interim ſpatio ne ſubito incurſu aliquo milites in præda occupati opprimi poſſent, extremas oppidi vias tranſuerſis trabibus atq; omnis generis lignorum ſtrue inædificarunt foſſaſq; duxerunt. Omnibus iam exportatis cum nullo ſuo præſidio Nicolaus teneri locum aduerſus tãtam Barbarorum multitudinem mox affuturã cognoſceret: ædificia autem ad nouam inducendam coloniam nollet relinqui excindere funditus ſtatuit. Quare igitur plurib. ex locis igne ſuccendit oppidum, horiſq; tantum duabus propoſitum eſt aſſecutus. Quam ad rem Boreas adiumento vel maximo fuit, qui tum ſubito exortus, dilata in omnem partem flamma, breui cuncta aſſumpſit. Chriſtiana claſſis ex alto: Turci vero, qui iam magno numero aduenerant, ex continenti fœdum incendium ſpectauere. Ferunt id oppidum ab Æneа cœptum condi eſſe, quo tempore incenſa Troia in Thraciam nauigauit. Sed poſt ob Polydori compertum interitum digreſſo inde ab accolis expletum eſſe. Aenumq; à primi auctoris nomine appellatum. Adiuuere fortunam Ducis alioquin ſtrenui duæ res eodem tempore ad victoriam conciliatæ. Altera, q̃ pars vna cuſtodum arcis petendi ſtipendii cauſa Conſtantiuopolim ad Maumethum diſceſſerat: altera, quod delecti pene omnes, in quib. cõſilium ac vis oppidi fuit, ea æſtate adminiſtrandæ hoſtili claſſi fuerant euocati. Extremum anni huius non tam memorabile quicquam quàm flebile habuit. Ioannes Caruagial Cardinalis Sancti Angeli, de quo nonnullis in locis ſupra retulimus, peracto iã ſeptuageſimo vitæ anno menſe Decembri vita eſt functus, tanto bonorum omnium luctu, vt facile ſit iudicatum, quali inter homines gratia vixerit. Natus hic in Trugillo vlterioris Hiſpaniæ oppido, cuius Liuianæ hiſtoriæ meminerunt. parentum cura præceptoribus ad literas datus eſt. Poſt prima autem rudimenta, moxque poſt Iuris profeſſam ſcientiam, Romam veniens opinione præſtantis doctrinæ in collegium iudicum Rotæ eſt cooptatus. Poſt paulo iuredicundo prætor curię deſignatus. Quibus in muneribus integritatis etiam ſpecimen præbens, ad grauiora adhiberi eſt cœptus. Fluctuante tunc ſub Eugenio quarto Romana Eccleſia, ad Germanicas nationes, quæ intemperantia Conciliorum vehementius laborant, operoſas legationes ſæpius geſſit, ac magna eſt conſecutus. Quam ob cauſam ex prætura ad Cardinalatum abſens licet aſſumptus eſt. Poſt quem adeptum, non vt pleriſque accidit, otiandum ſibi domi putauit. Sedente Nicolao quinto ab eodem iterum miſſus conficit quæ ingruebant omnia. Quo tẽpore pace inter Hungaros Auſtraleſq; ſummo Chriſtianorum beneficio cõſtituta in Boemiam tranſit, augentẽ in dies perfidiam veterem. Is tranſitus non ſine miraculo fuit, poſterorum memoriæ commendando: Illic enim à Rochezana, de quo ante retulimus, hæreſiarcha gentis in publicam de fide diſputationem vocatus, ne diffidere in tanta expectatione Romano dogmati videretur, aſſenſit: cumq; ad diem dictam in magno Regni conuentu vterq; affuiſſet, prior Rochezana ab his verbis diſputationem orſus: Videlicet æterni patris verbum SS. Offundente ſtatim Deo malignæ menti tenebras, progredi vltra non valuit: ac ſtatim obticuit. Reſumente iterum ac tertio ex longis ſemper interuallis idem orationis initium iterum coactus eſt obmuteſcere. Cum vero ſtuperet iam confeſſus omnis, prouocatorq; ob confuſionem ægre conſiſteret, læto vultu Ioannes ſilentium eius excipiens, idemq; initium repetens, tanta memoria ſpirituque diſſerendo peregit reliqua, vt plurimi diuinum opus mirati poſito errore ad ſanitatem redierint, promiſſumq; diuini Saluatoris manifeſte enituerit, aientis fidelibus ſuis: Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarii veſtri. Hunc exitum diſputationis, & qui affuerunt narrauerunt ſæpe, & ipſe Ioannes verecunde admodum, nec tam ad ſuam quàm Dei gloriam nobis interrogantibus confirmabat. Porro autem à Caliſto III. ad Pannonas miſſus, ea operatus eſt ſexcẽnali labore, ac pertulit, quæ commẽtario primo ante retulimus. Opera legationum, quæ illi ab Eccleſia vigintiduo fuerunt, ſalutaria ſunt ſemper inuenta. Pontificum non

Mors Cardinalis Caruagial Hiſpani.

Vita eiuſdẽ & mores.

mandata tantum, ſed vota quoq; impleuit. Plurimas diuerſis in locis paces conſtituens, libertatem noſtri ordinis in eiſdem amiſſam reſtituit. Auctoritatem Romani legati & tenuit, & animo præſenti exercuit. Beneficio ingenti populis fuit. Cumq; diuerſas regiones obiiſſet, magna ſemper tractaſſet, ampliſſimeq; de omnibus meritus eſſet, præter gloriam caſti ſacerdotii in domum priuatam nil intulit, Boemum nomen iuxta verbum Scripturę diuitiis multis anteferens. Quamdiu vero apud Pontifices egit, idem qui foris eſſe non deſiit. Pependit à Ro. Eccleſia non Principum nutu. Quodq; admirabile legentibus videatur, toto eius Cardinalatu nulli vnquã non interfuit Senatui. Solemnibus ſacris nullis non affuit. Munera vero cuncta publicæ celebritatis ſic primus obiuit, vt nec valetudo vnquam, nec priuatæ occupationes eum abduxerint. Sententiæ eius plenæ religionis erant, ac maieſtatis. Prudenter videbat. Rem diſerte explicabat. Abundabat exemplis. Tum fucati nihil habebat oratio. Diuina quædam animi, & vultus modeſtia id aſſequebatur dicendo, quod & mirabamur omnes, & præter ipſum præſtare nemo ex omnibus poterat. Vt cum videlicet Pontificibus, aut collegarum cuiquam aduerſandum eſſet, id verborum, atq; agendi genus depromeret, quo non reuincere quicquam, ſed ſolum conſilium ſine contentione dicere videretur. Aſperum contentioſum ve, aut leue aut multum actioni nunquam admiſcuit. Mores eius ab omni ambitione longiſſime aberant. Habitabat ædibus modicis apud ſacellum Marcelli martyris: nulla auleorum aut veſtis ſtragulæ vanitate. Familiæ quoq; is erat cultus, atq; modeſtia, vt in ea ſancti ſenis diſciplina facile videretur. Amiciebatur cilicio eoq; occulto: orationi, ieiuniiſq; ſemper intentus. Prętereo ſubſidia inopibus præbita, ſanctarum ædium inſtaurationes, quæ nec raræ fuerunt nec modicę. Patrocinia labentibus tenuiorum cauſis fortiſſimè præſtita, quarum erat ſatelles aſſiduus. Complectar verbo vno. Vixit ſumma religionis, & præſtãtiæ gloria: imprimis Romanæ rei ingentibus bonis. Cumq; in iis ſedulo tanquam in publica cuſtodia vigilias ageret, hilaritatem tamen vitæ nunquam omiſit. Quæ tanta ac tam continua fuit, vt non minus oblectare pia feſtiuitate homines videretur, quàm adiuuare. Vere dignus Eccleſia & ſancto Dei famulatu: quem noſtra ætas priſcis illis naſcentis Eccleſiæ Patribus non iniuria æquet.

INCI.

INCIPIVNT EPISTOLÆ IACOBI PICOLOMINI CARDINALIS PAPIENSIS ELEGANTISSIMÆ, RERVMQVE reconditarum refertiſſimæ, necnon variis hiſtoriis vbertim ſcatentes.

IACOBVS TITVLI SANCTI CHRYSOGONI S.R.E. PRESBYteri, Cardinalis Papienſis ad ſe ipſum de Cardinalatu ſuo.

I.

AD Cardinalatum vocatus es, ô Papienſis, dignitatem in Eccleſia celebrem, ſi feratur vt debet. Circumſonant nunc auribus tuis gratulantium voces, curritur ad blandimenta fortunæ. Hi re magnum, illi fortunatum prædicant. ſunt qui repromittant maiora. Ineundæ gratiæ omnes: formandæ menti nemo inſeruit. Intenditur ſuis, non amici bonis. At tu inter hæc fortis, ſi maxime his frontem aperis, claude aures, & vultu excipe eorum dicta, non corde. Vana loquuntur vnuſquiſque ad proximum ſuum, & linguis doloſe agunt. Suntque molliti illorum ſermones ſuper oleum, & ipſi iacula. Redi ad teipſum ſemper, & audi ſpiritum rectum, qui innouari debet in viſceribus tuis. Non fallet ille te, ſed dabit præcepta ſalutis, quæ inſtitutam ad publica dignitatem in publicis continebit officiis. Ea vero huiuſmodi ſunt, vt ſuſcipias ante omnia timorem Domini, & illum omnibus diebus vitæ tuæ cuſtodias. Eſt enim initium ſapientiæ, eſt auriga fidus, qui excipiens cogitationes noſtras, & linguam, ad exitum ſalutis perducat. Loquitur Eccleſiaſtes: *Qui timent Dominum, præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas.* Sine illo nec ſalutare conſilium eſt, nec in aduerſis robur. Pondere timoris tanquam anchora ſiſtitur mens. Quin & lingua præſertim nil habet, ſi frena Domini non tenent, non incitant, non circumagunt, quocunque eſt opus. *Non vos eſtis qui loquimini*, inquit Saluator, *ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Hic vero Spiritus niſi cum timore in vobis non habitat. *Super quem requieſcam*, ait, *niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem verba mea?* Actionum vtique noſtrarum eadem ratio eſt. Inanes ſunt atque inutiles, cum dono hoc carent, velut arbos, cui ſucciſa eſt radix, ſic opus hominis, à quo illud abeſt, actutum areſcit. Ergo accedens ad nouam hanc Dei tui ſeruitutem, ſta iuxta verbum Scripturæ, timens & tremens. Et ad eum dic cum Propheta: *Confige timore tuo carnes meas, quia firmamentum es timentibus te: & oculi tui ſuper metuentes nomen tuum.* Hoc ſancto initiatus decreto, ſine gratia non eris in reliquis. Crede quoque hunc, in quem veniſti gradum, non tam honoris nomẽ habere quàm oneris, nec tam otii quàm negotii locum. Reprimet hæc cogitatio efferentem ſe animum, & leuiora faciet quęcunq; ſunt grauatura. Ad ſana etiam conſilia animum pręparabit. Si aliud eſſe Cardinalatum putas, erras vehementer. Quicquid hic eſt, labor eſt, & diſpenſatio Chriſti: non quies aut imperium. Auxiſti miniſterium Dei: augenda pariter humilitas eſt ac patientia. Sanctum miniſterium hoc à te exigit. Di-

cens Dominus, *Qui mihi miniſtrat, me ſequatur*, hoc videlicet dicit: Sicut humilior ego & patior, ſic tu humiliare, & patere. Collati honores ſi delectant, non contriſtent honorum opera. Nil magnum Cardinalatus ex ſe habet: occaſionem laudis affert, non laudem: tantuſq; ipſe eſt, quanta illius eſt virtus, qui eum ſuſtinet. Clarus, ſi tu dignus gloria: ſine honore, ſi vita eſt contemptibilis. *Non facit cathedra ſacerdotem*, inquit Chryſoſtomus, *ſed ſacerdos cathedram. non locus ſanctificat hominem, ſed homo locum.* Non omnis ſacerdos ſanctus, ſed omnis ſanctus ſacerdos. Qui bene ſederit ſuper cathedram, honorem accipit Cathedræ: qui vero male, iniuriam facit Cathedræ. Ideo malus ſacerdos ſacerdotio ſuo crimen acquirit, non dignitatem. Contende ergo quanta potes ſolertia, vt inanie non ſit quo nunc gloriaris, nec ſupercilii pabulum habeat, ſed recti officii. Pugna contra ſuperbiam, quia ex diabolo eſt, & audi gentilem hominem, à quo puer es inſtitutus: licet enim ſine Chriſto ſit, ſine ſenſu bono tamen nõ eſt. *Equidem*, inquit, *vt honore dignus eſſem primum laboraui ſemper. Secundo, vt æſtimarer. Tertium mihi fuit illud, quod pleriſque primum eſt, ipſe honos.* Recte vir ſapiens rerum nomina non antetulit rebus. Idem quoq; octingentos iam dicit ciues fuiſſe vſq; ad ſua tempora, qui aſſecuti Conſulatum Romæ eſſent, ſed eorum vix decimam partem repertam dignam gloria: nec hoc quidem iniuria. Attenditur enim quod extra arridet oculis. quod eſſe intra & primum pendi oportet, negligitur. Tu ergo tene ſemitam rectam, & honorum vocabula cum honoribus iunge, cogitans non quid, ſed à quo: non quantum, ſed cuius gratia es aſſecutus. Inſtrui per ſingula non eſt operoſum, modo præſtare te dignum Cardinalem velis. Qua id fiat ratione, habes in promptu. Velle eſt opus, aiebat Socrates. Quibus hominibus perſuaſum eſſet, vt nihil mallent ſe eſſe quàm bonos viros, iis reliquam facilem eſſe doctrinam. Pauca & prima de multis hæc ſunt, quę commemoro. Voluntas & ſtudium porriget reliqua. Sed addam aliud, in quo eniti toto ſtudio debes, vt quantum videlicet antecellis loco, tantum & meritis præſtes. Laudata poteſtate nihil vtilius, nihil quod infra poſitos ad reuerendum, parendum, & ad ſuſcipienda bonorum operum deſideria fortius animet. Diuinitatis, non humanitatis putant populi quod ſupra ſe vident, & magna admirantes ęquanimiter patiuntur duci quocunq; eſt opus. Ea res quantum publicis proſit, nemo ignorat. Exempla attendimus omnes magis quàm præcepta: nec eſt in quo peccent grauius mali Eccleſiæ Principes, quàm quod in imitationem ſui reliquos trahunt. Induendus ergo nouus eſt homo & noui ſenſus formandi, qui iuxta Platonem plus à cæteris hominibus differant quàm viri à pueris. quæ poterant priuato forſitan indulgeri, non indulgebuntur publicam perſonam tenenti. Cum dignitate creſcunt crimina. *In magna fortuna*, inquit Hiſtoricus, *minima licentia eſt*: neque ſtudere, neque odiſſe, ſed minime iraſci decet. quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio ſuperbia atque crudelitas appellatur. Relinquendæ ſunt tibi delectationes antiquę, omittendæ euagationes quotidianę. Raro niſi cum expedit, producenda in publicum hęc dignitas eſt. oblata enim frequenter vulgi oculis vilet. Secretum & raritas æſtimabiliorem illam reddit. Inſtituenda eſt vita ſeuerior, & vitæ adiungenda maior religio. quod in aliis eſt mediocre, id in te eſſe cumulatum oportet, continuum, & conſtans. Opus bonum proprium tuæ profeſſionis appareat. Os vero, quod Euangelio eſt cõſecratum, nil habeat turpe, aut vanum, aut multum. in eo perſonet ſemper verbum Dei: & ſicut turpe ſibi Iureconſulti putant ſine lege loqui: ita tu inconueniens verbum crede, quod caret Scriptura. Cantato cum propheta quotidie: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.* Nulla porro intemperati animi in te ſigna appareant, non libido, non luxus domeſticus, caſtigata ſint ad vnguem ſingula. Corporis tui is ſit cultus, is veſtitus familiæ, ea frugalitas menſę, illa mediocritas totius ornatus, vt qui hæc intueantur, ſacerdotio digna exiſtiment, & benedicant operib⁹ tuis. Multum hæc cura miniſterium noſtrum commendat. Nihil enim ad laudem vel ad detractionem tam obuium eſt, quam exterior ſpecies. In qua eo diligentius eſt vigilandum, quo difficilior eius eſt moderatio. *Magnum*, inquit Cicero, *eſt tueri perſonam Principis in Republica, quæ non animis ſolum, ſed etiam oculis debet ſeruire ciuium.* Innocentiæ quoque, & integritatis, & magnitudinis animi, & beneficentiæ ſtudium ſuſcipe. Actiones tuæ dignum in domo Dei famulatum oſtendant. Illa etiam diligentia non habeatur in

tur in vltimis, vt pateat omnibus domus tua, & faciles ſint acceſſus ad te. Audiendi non ſis impatiens, nec accelerata attentio. Benigna dentur reſponſa. Conſolationem capiant qui te adeunt. Nemo triſtis diſcedat. Opera vero non ſegnius impendenda quàm offerenda. *Tibi enim* (vt ſcriptum eſt) *derelictus eſt pauper, orphano & pupillo tu eris adiutor*. Labor nullus moleſtiam habeat. Eſſe te tunc Cardinalem puta, cum aut egentipium aliquid præſtas, aut publicum curas. Hæc ſi propter gloriā in gentilitate olim fiebant, quidni tu in Chriſtiana vita propter Deum id agas? Addi ad hæc præcepta poſſent plurima dignitati tuæ cognata, ſed ea per te noſces, ſi (vt dixi) adiungere honori onus etiam voles. Quæ dico, magis eo pertinent, vt ſanum aliquid inter multa noxia repat, quàm vt abſoluta vitæ forma tradatur. Vigila Papienſis, & eſto ſobrius, & non careant dies tui & noctes recordatione beneficii accepti. Anni prætereunt, & mors appropinquat. Pugna, vt hæc tanti oneris ſpecioſa ſarcina, ſicut corpus grauat, ita non opprimat animam. Dominus Deus ſit in corde tuo ſemper, & quando vicariatui ſuo membrum te addidit, etiam præſtet, vt cullaborare ad communem ſalutem vtiliter valeas.

LEODRISIO CRIBELLO MEDIOLANENSI.

II.

EPigramma tuum libens accepi & libens perlegi, gratias tibi plurimas agens, quod & antea epiſcopalem, nunc Cardinalarem dignitatē Muſis tuis proſequeris. Sunt hæc amantis animi ſigna, ſunt & congratulantis cordis indicia. Dilexi ſemper te merito, & diligam quamdiu in me ſenſus hominis erit. Epigramma vero ipſum omni ſuauitate eſt plenum. habet ſplendorem in verbis, vim in ſententiis. in ipſo vero orationis contextu eam facilitatem omnium rerum, vt ſæpe Pontifici dixerim, nullam elegiam temporis noſtri æque mihi placere ac tuam. Seruabo igitur hos nouiſſimos verſus, & cæteros, quos conquirere vndique potui in laudem ingenii tui, & in conciliatores perpetuos beneuolentiæ noſtrę. Lætaris, mi Leodriſi hoc meo Cardinalatus honore. Vera eſt lętitia tua, nec ſine cauſa ſuſcepta. tua eſt enim quęcunq; eſt mea acceſſio, nec minus amicis quàm mihi geretur hic pileus. vtinam ſic bene promerendi occaſiones ſe dent, vt ego illas ſemper auide arripiam. iam Muſę ipſæ hoc antea eſſent expertę, niſi quod capere eas decebat interuertiſſet Mars importunus. Erit aliquando dies cum quietos nos ſinet, & pro tuba fiſtulam licebit audire. Apologia tua, cuius ad nos partem miſiſti, monſtrata Pontifici eſt, & ab his qui viderunt laudata. Mihi certe ſatisfacit abunde. & tibi gratias ago, quod nō paſſus ſis de poſſeſſione tua Poëticā pelli. Reſpondetur prudenter, conuincuntur vere argumenta aduerſarii, & Muſarum veneranda proferuntur myſteria. Perge ſuffragio meo & ad calcem vſque perducito. Ex primis me futurum polliceor, qui codicem domi habere, & vſque velim perlegere. Præſul Anconitanus quantum intelligo, omnia comprobat. Id illi modo eſt durū, quod in dialogo introductus, homini amiciſſimo Coepiſcopo Veronenſi cogitur aſperius reſpondere: ſine cauſa certe hæc curans. Tua enim ſunt argumenta illa, non ſua: & commentitia hæc diſputatio offendere amicum non poteſt. Tu nihilominus rei cōmmuni intende, & beneficium præſta litteris noſtris, gratum viuentibus, vtile & iucundum his qui nobis ſuccedent. Saluere iubebis nomine meo Præſulem Mutinenſem, Angelum Acciaiolum, & Ciccum Simonetam bene de me ſemper promeritos. Vale.

ANTONIO MIGLORINO NOVEMVIRO Libertatis Florentinæ.

III.

MEo chirographo cum ſcribi ad te poſtules, cur tu quæſo alieno ad me ſcribis? Maiores non tibi ſunt occupationes quàm mihi. Mihi quoque non minor eſt ex manu tua iucunditas, quàm tibi ex mea. Inepte, inquies, ſcribo: ineptus & ego ex apto ſum factus. Olim literæ meæ compoſitione ſua ridebant. Nunc inquinauit eas curia hæc noſtra. Ingenio, quod deterius eſt, idem euenit quod manui. Cum ergo tuos apices nouero, meus tu viciſſim mereberis. Volo vt vtrique, vel admirandi ſit,

vel ridendi par ratio. Grata mihi fuit epiſtola tua, grata humanitas. Nec certe te alium cerno quàm omni tẽpore fueris. Fuiſti mihi ſemper amicus, & vſq; in præſentẽ amor continuat. Si quem vere puto gratulatum eſſe hoc noſtro honore, in primis, mi Antoni, te puto. Hoc ſi taceres, per me intelligerem: ſi negares, non crederem. Eum, qui te amat neceſſe eſt ames. Gratulanti amico tuis rebus ſecundis, opus habes gratulari tu ſuis. Cardinalaris hæc dignitas poſſeſſione mea dicetur, vſu vero tua, & eorum qui mihi ſunt beneuoli. Non extulit me ſpiritu vllo ſuperbiæ, non obliuioſum fecit, aut contemptorem amicitiæ veteris. Diuinæ pietati illam aſcribo, non mihi. Illi acceptum refero, quicquid in me contulit Apoſtolica ſedes. Memoria tenere te dicis dixiſſe me olim: ero plane Antonii. Vere recordaris, Antoni, neq; ego ita futurum eo inficias. Plane in quam ero Antonii, ſemperq; tuus eſſe & dici, contendã. Venturum inſuper te Romam adiungis. Si remorandi cauſa adueneris, gratus erit aduentus, & mora iucunda: ſi viſendi tantum Cardinalis tui gratia, ne quæſo in tam longo itinere tibi incommodes. Labori parce, & tempori. Familia tua pręſentem te quærit, & certe etiam patria. Poſſunt ſcripta noſtra idem præſtare quod corpora: non propter memoriam ſolum litterarum vſus eſt inuentus, ſed ne vltro citroque in omnem neceſſitatẽ ire & redire haberemus. Epiſtola tua mihi ſemper erit Antonius: mea velim tibi ſit Iacobus: non minus quàm dextrę coniunctionem. Hoc pacto ſatisfiet neceſſitudini noſtrę. Ex ſubſcriptione etiam tua nouemuirum libertatis te factum cognoui Hoc prius ex quoquam non intellexeram. Gratulor igitur tibi & ego viciſſim tuo ſucceſſu, fato neſcio quo accidiſſe aduertens, vt vno tempore tu patriæ tuę, ego ad Romanæ Eccleſiæ conſilium ſummum venerimus. Poſtulaſti pauculos verſus. ecce plures quam peteres: & quam ego darurum me ab initio crederem. Vale, & digniſſimis tuis collegis me commenda & offer.

ANTONIO MARIANI FLORENTINO.

IV.

QVæ de ſchola noſtra commemoras, & quæ de ambientium poſtulationibus mones, menti teneo. Vſque in præſentem nil eſt ſupplicatum. ne vero impetretur, cuſtodes appoſui. Curabo quantũ vigilare occupati oculi poſſunt, ne quid huic ſancto operi noſtro incõmodet. Tu pie agis, Antoni, non deſerens quod cœpiſti & cõtinuaſti cũ laude: nõ tã meo iudicio auditoria ad litteras, gymnaſia ad robur, quã ſcholę hæ iuuenum ad ſalutem animæ faciunt. Fauendum his cenſeo, & impedimenta tollenda, quibus confundi hęc pietas poſſit. Adero illi vſque ad vltimum vitę, nec acti tyrocinii immemor ero. Si quis mihi ad bene agendũ eſt ſpiritus. Si qua in domini mandatis voluntas, plane cõfiteor. Ducta eſt ex rudimentis illis, quę te tradẽte accepimus, Bene vale, & cura vt in his laboribus noſtris, tuis & cœtus tui orationibus ſubleuer.

NICOLAO CAPRANICO PRÆSVLI FIRMANO.

V.

SI me non putaſſes ſuperbum, remiſiſſem munus, quod per Petrum miſiſti. Quid enim in tanta coniunctione noſtra attinebat quærere noua tentamenta amicitiæ? Diligo tuam Paternitatem. nec vllis muneribus augeri poteſt mea dilectio. Abſtinebis poſthac à ruſticitate huiuſmodi. Nunc tibi gratias ago, & in teſtimonium tuæ liberalitatis appendi auleum in auditorio meo mandabo. Petrum audiui referentem quæ in mandatis dediſti. Referet & ipſe qua à me viciſſim accepit. Bono animo ſit dignatio tua. Communis tibi & mihi hic pileus erit.

ANGELO VITELLESIO, PRAESVLI CORNETANO.

VI.

ANte hunc diem non reſpondi litteris tuis, quas proxime accepi. Cupiebam ipſe reſponſionem tibi dictare, nec per occupationes licuit hucuſque id agere. Secretarii exprimere communia poſſunt, affectiones amicorum non poſſunt. Nactus ergo nunc hoc paululum otii ſatisfaciã paternitati tuę & mihi. Non dubito, Pater amãtiſſime, iucundam tibi fuiſſe hanc meã ad Cardinalatũ aſſumptionẽ. Poſtulat hoc amicitia no-

tia noſtra & cõtinuus amor, quo te & tuos multis iam annis ſum proſecutus. Poſtulãt ea quę in hac dignitate expectare à me potes. Animus meus tecum cõtinuo erit: opera etiã nõ deerit vbicunq; in tuis rebus neceſſaria fuerit. Habes in hoc collegio plures qui multũ te amant, & honoris tui ſunt ſtudioſi. In hoc numero licet me cõputes, nec perſuaderi tibi aliter ſinas. Vtinã tamẽ, qui te ita amãt, prudẽter amaſſent. Vtinã dum ſibi nimiũ ſapientes videntur, periculo tuo experimentũ non feciſſent ſapientiæ ſuæ. eſſes tu quidẽ vnus ex nobis, nec Pontifici noſtro impedita ratio ad te aſſumendũ fuiſſet. ſi ad hoc examen redeundũ fuerit aliquando, non ero ex his, qui imprudenter te ament. Si quęris à me, nunquid auxilio tibi hoc tẽpore fuerim, reſpondebo ingenue, primã me curam rei meæ habuiſſe: proximã tuæ. Ad vtrumq; vires vnius ſatis nõ erãt. Si aliter dicerẽ, ſcio, non crederes: neq; ego tibi mentirer. in amicitia expectandũ non eſt, vt alios magis quàm nos metipſos amemus. Admonui tamẽ quos putabã tibi fauturos: conſiliũ etiam dedi eorũ quę viderentur agenda. multa pręcauẽda monſtraui, quę non ſunt æſtimata. Aliter quã ſentirẽ loqui putabar. Vbi teeũ ſic agi aduerti, non valens meã illorumq; ſarcinã ferre, meæ perferendæ incubui. Fateor meritũ eſſe melius de virtutibus tuis. ſed quid agas, vbi Pontifex ab his derelinquitur, quos in tua & cæterorũ creatione primos adiutores ſtatuerat? Omnino ordinationẽ hanc nouã decreuerat facere. Actũ de æſtimatione ſua & Sedis putabat, ſi victus à collegio bis videretur: vincere ipſe volebat. Maluit ergo ad eos, qui ſine re victoriã certam ſpondebãt, voluntate ſua hærere, quã cum iis ſentire, qui cũ te velle deberent, nec te nec quempiam voluerũt. Sic acta res eſt. Dolorẽ tibi attuliſſe hanc tui pręter miſſionẽ non dubito. Carneus enim es, & ſenſum hominis habens. Verum cum ſapientiſſimus ſis, credo modũ te huic cogitationi iam ſtatuiſſe, & via ſua reputaſſe humana. ſunt vt tu melius noſti incerta, ſunt fallacia, ſunt plena miſeriis. Deſtituimur vnde ſpes erat, & erigimur vnde non putabamus, obſeſſi caligine, & tenebris ſæculi. Semper ancipites, ſemper anxii, non prius exagitari deſinimus, quàm vitæ finis adueniat. Te precor, digniſſime antiſtes, per amicitiam noſtram, vt in hac tua fortuna altum animum geras, nec à ſenſibus te deprimi ſinas. Nil accidit tibi, quod nõ multis antea & nunc quoq; acciderit. Cogita quot ſint olim viri præſtantes præteriti, quot nunc prætermiſſi. Apud multos expectatio fuit. res apud pauciſſimos. Non ſemper digni aſſumuntur. Locus eſt aliquando malis & indoctis atq; inutilibus. Raræ res publicæ ſunt & olim fuerunt, quæ ferre bonos ciues potuerint. Hinc eiecti, illic oppreſſi ſæpe fuere. Magna, mi Cornetane, ciuitas eſt, magna atq; excellens dignitas, poſſe & ciuitate & dignitate carere: nõ tamen propterea deponendã ſpem puto. Sentio quid loquatur Pontifex, quid adhuc pro te meditetur. ſi vitę aliquam acceſſionem dederit Deus: moleſtior ei fuit quam tibi omiſſio. Tractus eſt in aliam partem, non ceſſit. Crede mihi, facturus eſt quod nũc amici non permiſerunt. Tu interim à labore non ceſſa. ſerui Eccleſiæ. ſerui Principi tuo, & certe etiam honori. Intuentur nunc omnes, quid facturus iam ſis, quorſum tuæ curæ ſe dirigant. qui te amant, eadem de te optant quę ego. qui odio habent, immaturum & præceps aliquod conſilium attente expectant: quo te ipſum & ſpem tuam omnem in futurum confundas. In hac expectatione non dubito eliges quod animæ & famæ tuæ ſit ſalutare, & quod nos qui te amamus delectet. Scripſi hæc pauca, nouit Deus, corde fideli, credens, tibi non futura ingrata. Rogo omnia in bonam partem accipias, & charitati des veniam, ſi ſimplicitate ſua errauit. Me ſemper habebis: & in teſtimonium animi has litteras tibi ſeruato. Vale.

MARIANO SOZINO, SENENSI IVRECONSVLTO.

VII.

TVæ charitati gratias habeo, quod binis litteris de emenda villa me admones. Si Papienſi tuo non eſſes affectus, hanc certe curam non ſumeres. Cupis illi gratiã populi, cupis ornamentum dignitatis & vitæ ſolatium. Meminiſſe debeo & meminero humanitatis tuæ huiuſce. Cur autem hoc tempore non ſequar conſilium tuum? Scies cum ad vos venero. litteris nunc reddere rationem non poſſum. Ad Iunium proximum, ſi ita Pontifici noſtro placuerit, me expecta, & vale. Saluta meis verbis Bartholomæum Iureconſultum, filium tuum, ac totam familiam. Romæ.

HELIANO SPINVLÆ.

VIII.

GRatulatio tua, amantiſſime Heliane, iocunda mihi fuit atque accepta. Video enim te memoriam retinere antiquæ conſuetudinis noſtræ, & charitatem quoque non imminutam. Dignitas hæc in me collata beneficium Dei eſt, & amor Pontificis: non præmium meorum laborum, ſicut tu ſcribis. Cognoſco debitorem me diuinæ pietati, & æternas gratias illi habendas, quæ non quid ipſe dignus eſſem accipere, ſed quid ipſa impendere ſoleret, ſpectauit. Cardinalatus hic meus, ſicut tibi eſt carus, ſic volo omnibus in rebus ſit etiam commodus. Quando placere tibi & tuis in aliquo poteſt, ſcribe, & poſce. Quantum in me erit, tantum ſine exceptione Heliano meo præſtabitur. Ricam, quam obtulerunt Bartholomæus Framura & Obertus Penellus, grato animo accepi, & tibi gratias ago, lætatus munere & voluntate, qua illam miſiſti. Opere & textura egregia eſt. Egoque illam in memoriam tui ſolemnibus diebus ſemper geſtabo. Bene vale, & tuos omnes verbis meis ſaluta.

PROSPERO CAMVLIO.

IX.

TAcitus te ſæpe reprehendi, quod poſt tuum diſceſſum vſque in hunc diem ſilueris. Non poſtulat hoc amicitia noſtra: non etiam charitas, qua te cognitum ſum ſtatim complexus: Deleſſem penitus nomen tuum è rationario amicorum meorum, niſi poſt quartum menſem litteras à te accepiſſem. Scribis lætatum te eſſe nouo gradu, in quem bonitas Dei me ſtatuit: ſolida eſt & vera lætitia tua, mi Proſper. Creuit homo tibi amicus, tibi omnia tribuens: & qui de ſummis virtutibus tuis bene meritũ cupit. Volo hæc dignitas communis ſit tibi, & mihi: nec in ſe habeat aliquid, quod nõ tuum credere poſſis vt meum. Addis te multum mihi debere: mihi quod debeas exiguum eſt. Ponderibus nimium gratis beneficia expẽdis. Ego quod me oportebat feci. fuiſſem reprehendendus ſi ſecus feciſſem. Quando in noſtra caſtra totus migraueris, maiorem adhuc animum ſenties. Pontifex tibi afficitur. ego afficior. eadem erit omnium mens cum cognoſci incipies. Incipiendum eſt autem non ſero: ad multam enim ætatem iam perueniſti. & quamdiu nos, qui te amamus, ſimus victuri, certum non habes. Vrge hanc occaſionem rei bene gerendæ oblatam vno tempore, & ſimul experimento probatam. Felicitas non parua temporum eſt: principem regnare in eccleſia qui virtute ipſe excellens: virtutem in pretio habeat. Vale, & Illuſtriſſimo Duci noſtro cum tempus habes me commendato.

FRANCISCO BERTINO LVCEN.

X.

INtellexi quid ſagæ tibi prædixerint. quod etiam tuum ex hac mea & communis domini aſſumptione gaudium fuerit. lætor plurimum tua hac voluntate: quæ certe mihi nunquam dubia fuit. Diligis hominem, à quo ſumme diligeris, & ſucceſſu eius exultas, qui omnia tecum habeat communia. Propter occupationes breuibus agam, quicquid honoris, & commodi hic pileus habet, tuum putato. Paucis mihi eſt ſatis: cætera parta velim eſſe amicis, inter quos tua virtute in primis ru es. Patriam non eſt neceſſe mihi commẽdes. Natura & voluntas mea omnibus horis mihi illam commendant. Vtinam tanta poſſem illi præſtare, quanta deſiderium fert. Florentiſſima eſſet: nec vllius externę opis indiga. Pie tamen facis illius ſedulo reminiſcens. Vale, & Reuerendiſſimo domino meo Cardinali Rauennati me quantum potes commenda.

BORNIO BONONIENSI.

XI.

BReuibus litteris, quas ad me ſcribis, laudas ſapientiam Pontificis noſtri, quod me ad Cardinalatum extulerit. Amorem æquius erat laudari. cum enim nulla in me virtus ſit, nulla facultas, qua eſſe Eccleſiæ vtilis, & ferre tantam ſarcinam vtiliter poſſim, videri magis potuit ſui in me animi teſtimonium quoddam dediſſe, quàm illa

ſpectaſſe,

ſpectaſſe, quæ digna ſunt pileo. Ago tamen beneuolentiæ tuæ gratias, & tibi omnia ſpondeo quæcunque hæc in ſe dignitas habet. Affirmo etiam actiones meas eas futuras, vt voluntate & ſtudio proxime ad illos dicas accedere, qui bene operantur in vinea Domini. Vale.

GVLIELMO PERERIO.

XII.

Litteræ tuæ acceptę mihi fuerunt. Gratulatio quoque tua iucunda. lætaris dignitate amici te diligentis. lętaris eo honore: cuius in te pars non parua redundat. Mihi ſoli nolo hunc pileum geri. Geri volo eccleſiæ. geri Pontifici, & amicis egenis atque diuitibus. Amaſti tu me ſemper: amaui te ego viciſſim. Nulla vtilitas præbuit cauſam beneuolentiæ noſtræ. Fundamentum fuit virtutis opinio. Tu in me forſan aliquid inſpexiſti, quod placuit tibi. Ego in te multa agnoui: quæ dilectione cenſui digna. qui ſic amant continuo amant. Nec ſuperinduci vlla obliuio poteſt. Memini tui mi Guillelme: & quamdiu viuam meminero. ſpeciem exteriorem hic honor forte mutauit. ſtudium amicorum nec mutauit nec minuit. ſum idem erga illos qui hactenus fui. Eo fortaſſe in eis colendis incenſior: quo maior benemerendi ac ceſſit poteſtas. Accipio quę mihi tua humanitas offert: & tibi gratias ago. Laudo etiam quod litteris totum te dederis. Sic facito ſemper: & me amato. Conſolationi ac commodo, quantum in me erit, tibi omni tempore ero. Vale.

IOANNI CIRIGNANO.

XIII.

Binas tuas diuerſis diebus accepi, cum exemplis eorum, quę ſcripta nuper ex Gallia ſunt. Primis ſtatim reſcripſi. ſecundis reſpondeo nunc. Pontifex cuncta me recitante, audiuit. Si vera ſunt, quæ narrantur, eſt quod perturbationem pertineat: ſin iactantius dicuntur, vt hactenus dicta ſunt multa, habet, quod expectet, & ſperet. Noſti mores illius gentis, verba magnifica, ſpiritus ſupra vires. Potens illud regnū eſt intra terminos ſuos, extra idem non eſt. Pecunia carens ſola multitudine valet, quæ niſi forſitan nouas ſedes quærat, teneri ſine ſtipendio foris non poteſt. Si primi impetus tranſeant, in manibus tenetur victoria. Agit tibi gratias Pontifex, & te recognoſcit. Meaque etiam commendatione habet in ſuis. De abſente haberi ea ratio non poteſt, quæ de pręſente haberetur. Alias. Hæc nunc. Vale, & me ama.

ANTONIO ALLIO CANONICO FLORENTINO.

XIV.

IVcundæ gratulationes amicorum fuerunt. Iucundi adeuntium vultus. Accepta etiam munuſcula quædam in hac mea Cardinalatus dignitate oblata. Ex his omnibus nil officio tuo æſtimabilius fuit. Tu non ſolum lætari meo ſucceſſu per litteras voluiſti, ſed vt lætandum continuo eſſet, addidiſti ſalutaria quædam pręcepta, ad beneuiuendum, & tenendum cum dignitate hunc locum verè appoſita. Communia illa ſuperiora, & ſæpe ab his venientia, qui vel non amant, vel alterius proſperitate triſtantur. Tua hęc charitas rara eſt, & nil in ſe habet, quod non prodeſſe & dilectionis perhibere teſtimonium poſſit. Gratias tibi ago, mi Antoni, pluſque ſic gratulanti, ac muneranti debere cōfiteor, quàm cæteris vſum ſuum tenentibus. Seruabo hanc epiſtolā in pignus animi tui, & quotidianā magiſtram actionum mearū. Eſt digna, eſt vera, & à perfecto cordis theſauro procedit, complectens omnia, quę reddere Pręlatum vtilē in eccleſia poſſint. Non grauceris frequēter ſic agere, tuiſq; vocibus diſſipationes cordis mei, ad bonum colligere. Ex his non ſum, qui admoneri indigner. Iucunda eſt omnis correctio, veritatēq; aures meę ſemper accipiunt, audire auentes quę pręſtare meliorē me poſſint. Imperfectū enim meū agnoſco: & deeſſe multa mihi intelligo, q̄ ab amicis ſint medicanda. Quāto minoribus meritis in hanc dignitatē aſcendi, tanto me cōuenit ad virtutē laborioſius laborare, ne videar Deo & ſanctę Sedi ingratus. Vnam vero hāc conſolationē habeas, & me velim. Mihi nunquā deeſſe me patiar. Dirigentur omnes curę ad ſalutem Eccleſię. Bene agendi locus per negligentiam non o-

mittetur. Laboris, non otii gradum cœpiſſe me ſtatuam. quę ipſe non intellexero, ab aliis accipere nõ recuſabo. Satis erit in ſecundo genere laudatorum apud Heſiodum poni, & gratias hac ratione pro ſuis donis, & datis Altiſſimo reddere. Te vero amantiſſime Pater, tota ſemper mente complector, & in meis habebo. Quęcunq; noſtra dignitas poterit, tibi poterit, & his qui nos amant. Obliuioſum non me fecit amicitię veteris, non aſpernantẽ inferioris conditionis. Eadem in colendis amicis mihi mens eſt ad Cardinalatum aſſumpto, quę olim fuerat egenti ac pauperi. Vtinam ſic cotidiana conſuetudine frui neceſſitudinibus poſſem, vt ego illarum ſingulis diebus pene ſum memor. Habes optimum patrem & ſtudioſiſſimum tui Cardinalem ſancti Marci. Eo adiutore nihil eſt quod opera cuiuſquam indigeas. Si quando tamen parcere ſuis occupationibus voles, eſt tibi Papiẽſis ſtudio & fide paratus, cui imponere quiduis oneris poſſis. Propter familiare myſteriũ, quod Pontifici exhibet, facultatẽ aliquando habet implendi quę petunt amici. Quod nõ accipies, ſilentii tui erit, nõ amicitię noſtrę. Vale & ſaluta verbis meis Nicolaum Corbizũ, & Leonardũ Dathũ Canonicos tuos: cæteros etiam, quorum conſortio vſum me olim, & adiutum cognoſcis. Dictaui tibi hęc pauca paululum otii nactus, magis vt indicarem, quanti fecerim epiſtolam tuam, quam quod ſatisfactum præſenti officio velim. Iterum vale.

FRANCISCO PATRICIO, PRÆSVLI CAIETANO.

XV.

INſcribendis litteris tuis velim poſthac veterem & rectam conſuetudinem ſerues. Mihi ſalutem dicas, & vnum, non plures appelles. Si dignitate excello, etiam commodius inſeruiti illi per ingeniũ poteſt, quàm per monſtra verborum. hoc inter nos ſeruemus deinceps. Commendaui tibi Honofrium. neſcio quæ modo commemoras. mens fuit bonum commendare, non malum. ſi opinioni meæ contrarius eſt, velim & commendationem eſſe contrariam. Pluris eſt apud me honeſtas, pluris Eccleſia, pluris Pontifex, pluris etiam tu quàm omne Fulginium, & quicquid habet Italia. Vtere officio, & Iuſtitiam ſerua: id agens, vt agere negotium publicum videaris, non tuum. Meas omnes commendationes, quodcunque verborum genus habeant, ſic peto, ſemper interpreteris: Quantum per honeſtatem & bonum publicum liceat. De prætore Gualdi Paternitati tuæ gratias ago. Soluiſti pro me mercedem hoſpitii, quod ille in Picenum eunti, in itu & reditu gratiſſime præſtitit. Vale.

CHRISTOPHORO LANDINO.

XVI.

DIſtuli dies aliquot reſpondere litteris tuis non aliam ob cauſam, quàm vt tibi ipſe reſcriberem. Poſſunt qui nobis ab epiſtolis ſeruiunt, partem aliquam ſenſus noſtri indiciis ſuis exprimere. Ad illa vero arcana penetrare non poſſunt, quæ in intimo cordium ſunt, & tam eum delectant qui ſcribit, quam ad quem ſcribuntur. Nunc vero paululum hoc otii habens, morem geram & tibi, & mihi. Gratularis ob dignitatem Cardinalatus in me nuper collatam. Credo, Chriſtophore, tuam gratulationem ex animo eſſe, eum me ſemper dilexeris, & coniunctio ſtudiorum noſtrorum, abſentes, & ſilentes in charitate tenuerit. Ago tibi debitas gratias. Implenti munus amici, & oſtendenti memorem te beneuolentiæ noſtræ, & commendationum, quibus à me omnibus in locis es ſemper ornatus. Non paſſus es in tot gratulantium vocibus tuam requiri. Innouaſti per litteras fœdus coniunctionis antiquæ: quod etſi inoffenſum manebat, profuit tamen à ſenectute nimia vendicari. Seram autem gratulationẽ non fuit neceſſe tot verbis excuſares. Sera videri forſitã aliquibus potuit, mihi certe perquam tempeſtiua. ſi enim allata in primo illo ſalutantium concurſu fuiſſet, legi quiete nõ potuiſſet. erat neceſſariũ in cumulum cõmunium litterarum obliuioni mandari. Nunc lecta quiete eſt, & guſtata ſuauitas omnis orationis tuæ, atque affectus. Sic precor continuo facias, puteſque non ideo quia honore pares non ſumus, amore pares eſſe non poſſe. Poſſumus certe. Speciem exteriorem dignitas hæc mihi immutauit. Iudiciũ interius vt erat, dimiſit. Seruo amicitias veteres. Diligo qui me dilexerunt, & omnibus cũ poſſim, communẽ me præſto. Si frequenter non poſſum, eſt gradus non volun-

voluntatis. Dixi hæc pauca, vt ſcires operam tuam non fruſtra futuram. Laurentius Guidetus, quem in calce litterarum commendas, venit ad me. Benigne ſuſceptus eſt, libenter quoque auditus. Conſiderans vero ego eius ætatem, & litteras adhuc complemento egentes, conſului rediret ad vos, & quæ didicerat in otio confirmaret. Filio non aliud ſuaſiſſem, quàm ſibi. Accipit curia noſtra meliores, quàm faciat. Seruitur hic vel ambitioni, vel domino. Vtrobiq; tempus diei & noctium totum cõſumitur. Ad ſtudia ne momẽtum quidem relinquitur: quod partum affertur, id vero prodeſt. Retinetur ægre niſi bene ſit partum. Additamenta nulla ſunt expectanda. Ideo fit vt ingeniis nondum confirmatis calamitas nocentior afferri non poſſit. Sicut autẽ facturum te ſpondes, ita quæſo extremam manum inchoato operi appone, & iuuenẽ perfice, vt ſibi & mihi ſuo tempore vtile miniſterium habeat. Quod vero ad nos attinet, quando communis tibi eſt animus noſter, velim etiam Dignitatem communem exiſtimes. Partitio iniqua, vt reor, non erit, vt tua ſit vſu, mea poſſeſſione, qui in ea acquirenda tam diu raſtris grauiſſimis ſum operatus. Vale.

IOANNI CARD. ATREBATENSI.

XVII.

VEnit obuiam Dignationi tuæ is, cui tu iudicio meo ſupra cæteros homines poſt Pontificem debes. Eſt Ambroſius noſter, eſt præco laudum tuarum: tantum te amans, quantum amari humanis affectibus poteſt. Vidi eum ſtudentem operi tuo. Cum de re communi ageretur, nihil non timuit, nihil non ſperauit. Vno eodemque tempore ſudauit ſæpe, & alſit. Ambiuit, rogauit, ſupplicauit, fleuit vbertim, cum pronuntiatum te vidit. Per me, inquies, hæc cogitabam. cogitabas recte. patere tamen me, qui teſtis omnium fui, pietati ſuæ teſtimonium dare. Amplectere hominem, & in ſinu tuo conſerua. Qui ſic ament ſunt rari. Rariores qui ſic operentur. Non colit te nunc primum florentem ſecunda fortuna: omni tempore coluit, & adiutorem ſe præbuit quantis viribus potuit. De me ſileo: ſcripſi per Antonium quàm tuo ſucceſſu exultarim, quanti nũc eſſes in oculis noſtris, quid tibi gloriæ funus pragmaticale attuliſſet. non repeto illa. Eris cito nobiſcum, & de omnibus vberius coram. Iter accelera. Venis gratus, venis expectatus, & depoſte eccleſiæ triumphum reportans. Te amo, te veneror, & adiutorem paro in his, quorum imperfectum meum ad bene regendum hoc munus deſigitur. Breuitas papiri breuem me facit. Bene vale, Reuerendiſſime Pater & Domine.

LVDOVICO FRANCORVM REGI
pro Collegio.

XVIII.

SAnctiſſimus Dominus noſter ſolitus ſemper cum graue aliquid accidit, ex benignitate ſua id communicare Collegio, retulit his diebus, non ſine mœſtitia cordis, in certis litteris, quas Maieſtas veſtra ad eum ſcribebat, hoc inter cætera contineri, quod videlicet quidam ex Romana Curia redeuntes narraſſent veſtræ Serenitati, ſuam Beatitudinem accepto nuncio de ſublata pragmatica, ter aut quater dixiſſe, guerra, guerra vſq; ad capillos, quaſi per opportunitatem maiorum, pecuniarum facultas maior ad bellum eſſet futura. Doluimus & nos cum ſanctitate ſua, admiratiq; ſumus tantam in hominibus perfidiam inueniri, vt cum periculo Eccleſiæ mẽtiri in Deum, & Vicarium ſuum nulla ex cauſa præſumpſerint. Pie tamẽ fecit Serenitas veſtra, illa non credere, nec malignitati aures præſtare. Quęrunt illi per has fallacias inire gratiam veſtram, quærunt diſſidiũ inter ſociatas voluntates inducere. Deus peruerſitatem illorum vel ſanet, vel perdat. Sereniſſime Rex, teſtamur Deũ & cõſcientias noſtras, vera eſſe, quę Celſitud. veſtræ dicem⁹. Acceptis litteris ſublationis pragmaticę, illico in Cõſiſtorium nos cõuocauit. Legi eas per ſecretariũ fecit: lachrymantib⁹ oculis recẽſuit, quãtum eſſet Maieſtatis veſtræ beneficium in totam Eccleſiam, quanta pietas ſua, quãta religio, quanta bonitas mentis. laudando, & benedicendo ſatiari non poterat. Agebat frequenter gratias Deo. Agebat Celſitudini veſtræ, hoc crebro adiiciens, obligati nimium regi tam catholico ſumus. ornauit nos, ornauit tempora Pontificatus noſtri. Quod Eugenio, Nicolao, & Caliſto euenire non

potuit, hoc per hunc Regem nobis Deus conceſſit. Plena humilitatis & gratiarum fuit eius vox, atq; oratio. Rurſum aduenientibus veſtræ Maieſtatis oratoribus, cum in publico Conſiſtorio obedientiæ, & pragmaticę extinctio honorificentiſſimis verbis eſſet oblata, effudit eo in loco omnis gratitudinis ſuæ affectus. Nota eſt reſponſio beatitudinis ſuæ: auditæ laudes ab omnibus, quas in Maieſtatem veſtram, & Chriſtianiſſimam Francorum Domum congeſſit. Sequentibus diebus vſq; in hodiernum, per quemquam noſtrum nihil auditum eſt, quod non propenſiſſimum animum indicet. Experimur quotidie ingenium eius, & ſenſus. Bonus eſt, mitis eſt, & ſimplex, & verus. Verba illa ſua non ſunt: nec habent commune aliquid cum moribus ſuis. Similia ſunt potius ingenio & leuitati eius, qui ea finxit & retulit. Pro Deo bonitas veſtra tantam enormitatem non credat. Suauis eſt in ore ſuo commemoratio nominis veſtri, nec niſi cum ſummo honore de Rege Ludouico ſentit, & loquitur. Oramus & obſecramus Maieſtatem veſtram, vt aures delatoribus claudat, ſicut ſapientiſſime facit. Colat hunc Pontificem, à quo colitur, & amet eum, à quo paterne amatur. ſocietas hæc & coniunctio vtriq; erit petutilis. Nos dolentes diſſidium inter patrem & filium malignitate peruerſorum naſci, volenteſq; perhibere teſtimonium veritatis, ex debito noſtro vltro has literas ſcripſimus. Precantes, vt noſtro magis quàm leuium hominum teſtimonio credat, & bonitatem ſuam ſequatur, non appetitus malorum.

ANGELO CARDINALI REATINO.

XIX.

INtellexi ex litteris Amici noſtri, quas ſcripſit ex Vrbe, placuiſſe Altiſſimo vocare ad ſe Petrum Paulum, veſtræ dominationis nepotem: quod certe non ſolum eius cauſa, cui mali nil accidit, ſed patris Agapiti, & veſtræ dominationis plurimum doluit. Erat enim in eo præcipua indoles, qua expectare, & ſperare digna omnia poteramus, & patri etiam eius graue incommodum acceſſiſſe veriſimile eſt. Amabat eum in primis, & numeroſæ prolis quaſi alterum parentem ſtatuerat. Veſtraque dominatio dici poterat, Iuuenem hunc aluiſſe. Fuit Reate ſeceſſus cauſa. Romæ vero ita domi quotidie erat, vt in gremio veſtræ dominationis creuiſſe, & diſciplinam ſumpſiſſe videretur. Colebat illum charitas patrui, & in precio habebat. Nec potuit talis caſus ſine mœſticia mentis ſuæ accidere: quandoquidem ego, qui nulla cõſanguinitate illum contingo, ſed ſolis familiæ meritis amo, triſtor & doleo. Placeat Deo noſtro acceptum eum in requiem ſempiternam, vbi terrenis anxietatibus liber rogare pro nobis poſſit, qui peregrinationem agentes, ſecuturi mox ſumus. Non audeo tantum dominum conſolari litteris meis: neq;. n. fas eſt credere ſuperari virtutẽ eius à ſenſu. Fuit diu in ſeculo. Exercitatus eſt in fortunę aduerſis. Deum timere didicit, & nõ cõtraire decretis naturæ. Repetiit ſuperna diſpẽſatio, quod nobis illum diligentib. precarium dederat. Nouum in hoc adoleſcente exemplum non eſt: omnis ætatis & ſexus pueri, Iuuenes, & ſenes, ex hoc ergaſtulo euocantur. Maiorẽ certe quã nos gratiam à Domino conſecuti, qui in valle lachrymarum relinquimur. flemus aliquando eorum, qui nobis chari ſunt, exitum immaturum, ignari quid eis euenturũ fuiſſet in vita. Varius eſt & lubricus adoleſcentiæ curſus, malis infinitis obnoxius. Vidimus parentes quoſdam, quibus adoleſcentia filiorum riſus fuit & iocus, fleuiſſe amare ſucceſſus ætatis. Poſiti in tenebris quid lugeamus & rideamus neſcimus. Incerta ſunt hominum vota, atq; vt plurimum contraria rebus noſtris expetimus. Non ſpondebat Petri Pauli inſtitutio niſi vitam placentem, & dignam patruis duobus, quos Romanæ Eccleſiæ Cardinales inſpexerat; neq; ego aliter puto. Verum qui ſcimus an caligabant oculi noſtri, & ſecus erat caſurum ac videremus? Proptereaque Deus ipſe exitum futurum diſcernens, præripere hunc nobis dolorem voluerit. Caſus infiniti poterant impendere, propter quos mors ſua primo vitæ aditu fuiſſet optanda. Sequamur ergo omnibus in rebus Dominum Deum noſtrum, Ducem non fallentem: ſcientem indigentias noſtras, ſupra omnem affectum nos diligentem. Non dabitur hoc modo doloribus & erroribus noſtris locus, ſed Maieſtati ſuæ per cuncta placebimus. Cogitatio etiam mortis noſtræ, quæ futura poſt paulo eſt, leua-

eſt,leuatrix ſit alienę.Pauca hæc inter multas occupationes cenſui Dominationi veſtræ ſcribenda,non vt conſolationem ab homine imperito acciperet, ſed vt ſciret nihil ſibi in rebus ſuis perire,quod mihi non pereat. Conſolationemque, & triſtitiam omnem domeſticam communem eſſe ambobus. Veſtra dominatio bene gerendæ ſuæ legationi intendat,vt hactenus fecit.ſeruitori ſuo aliquando, cum ocium eſt, familiare aliquid ſcribat,Commendationes amicorum,&de publicis rebus epiſtolę: communem quandam conſuetudinem tenent. Amicitiæ fructum non habent.Pontifex lauationis cauſa Viterbii eſt.Curia pene tota cum eo.erimus hic integrum Iunium.Iulium & Auguſtum vagabimur.Septembri balnea repetemus.Deſinente Octobri reditus erit in vrbem. Valeat feliciter Reuerendiſſima Dominatio veſtra, cui me etiam atq; etiam commendo,& dedo.

ANTONIVS ALLIVS FLORENTINVS *Iac. Cardinali Papienſi.*

XX.

Diu, Reuerendiſſime Pater, reſponſum tuis litteris reddere diſtuli: non tamen aut deſidia,aut tuæ Dominationis obliuione id feciſſe me velim exiſtimes.Nam tuæ Dominationis ita in animo mihi imago impreſſa eſt, vt ſi optem, ſi ſumma ope moliar delere, non valeam. Tuis itaque occupationibus ſtudiiſque peperci, ne ſi ei crebrius litteras darem,T.P. faſtidio me fore contingeret. Nunc autem occaſio oblata mihi eſt ſcribendi, quam equidem vehementer amplector. Negotium etiam Nicolai Corbitii, de quo ipſe tuam dominationem certiorem feciſſe manifeſtum eſt,quoad poſſum & licet,ſemel, iterum,iterumque,ac millies (ita dici fas eſt) commendare eius amicitia adſtrictus , compellor. Mihi autem feciſſe te, Reuerendiſſime Domine,arbitrabor, quicquid tam bono viro , tantopere tibi dedito feceris. Tuarum,Reuerendiſſime Pater, litterarum, quæ pluribus ante menſibus mihi redditæ ſunt, grauitas atque dignitas ita me exterruerunt , vt reſpondere vix audeam. Illa tamen moderatio,qua lege te mea, quaque pluris ea facere quàm æquum fuerat dignatus es, iterum ad ſcribendum me non ſolum animauit,ſed impulit. Quæſo igitur, vt ea,quæ ſentio, ob quæ etiam vehementer gaudeo,eloqui me patiaris,nec iis quæ dicam , prout adulatoribus conſueuiſti, aures obſecro obſtruas.Tuas,Reuerendiſſime Pater, litteras non ego ſolum pluries ſumma cum voluptate perlegi,ſed amicorum tuorum nonnullis oſtendi, qui eas adeo omnes probarunt,vt ex mea,ſimulque eorum ſententia hæc rependere tibi ſtatuerim. Iis plane qualis,quantuſque ipſe ſis, manifeſte deprehenſum eſt. Magna ſiquidem animi tui moderatio,magna docilitas,magna optime te gerēdi auiditas inde cōſtitit, tua plane in eccleſiam charitas,tuum ſtudium,atq; affectus,eo præcipue innoteſcit: quod vel mea cum conſilia,tum exhortationem te &audire,&amplecti non pudeat. Ita vt Salomonis verba in intima cordis penetralia admiſiſſe recondidiſſeq; videaris: qui vel à Formicis interdum homines quid diſcere perhortatur: quo quidem pater, quàm auidius auditurus ſis ſapientes.Quod profecto ſi faciant Principes,rectè ſane ſe gerant vniuerſi.Nunquā à vero excidāt,nunquā à iudicio,ſentētiaq; labantur. Ibi ſalus dictum eſt,vbi multa conſilia,& audiens ſapiens ſapientior erit.Illius vero ſalus omnino deſperanda,qui aures amicorum conſiliis, monitiſq; obſtruxerit. Salomon licet ſapientia omnes præcelleret,conſultores habuit ſeniores. Alexander autem cognomine Seuerus,cum eſſet iuuenis,immo potius adoleſcens,ideo ſapientiſſime adminiſtrauit imperium,quia conſultores habuit complures, tum bonos , tum admodum ſolertes.Innumera extant exempla, quæ epiſtolæ modus non capit. Sed ad te vnum redeo.Magna,Reuerendiſſime Pater, epiſtola tua ſpe eos, qui eam legere, omnes erexit,animo agitantes,quàm gratis vel ea, quæ forſan minime à me eidem ſcribi decuerat,ipſe acceperis:quàm modeſte me ad ſcribendum horteris: quàm humilia de te ipſemet ſentias:quàm alacriter occaſione cōmoda te curaturum eſſe pollicearis:quàm bono etiā animo te laboreſq; tuos Deo, & diuino cultui,&des,&naueris,& dicaueris vniuerſos.quàm ingēti ſpiritu ad id quod tuo officio incūbit munus capeſſendum,te iam dudum accinxeris. Scio plane moderationē tuam, haud æquo

has de te laudes animo admiſſuram:ſed haudquaquam officio meo factum à me ſatis putarim, ſi prędicatione, præconiiſq; digniſſima ipſe intacta præteream. Vera enim virtus veteri prouerbio, laudata augeſcere conſueuit. Magnæ ſiquidem eſt indolis, ſi quando veris de ſe, vt fit, memoria audire contingat, non exúltare rumuſculis, ſed vel famam, vel laudes, licet æquo ampliores, vt virtute ſuperari, vi magna contendere. Videndum tamen tibi eſt, ne ſæcularium cura rerum animum ad maiora auguſtioraq; natum, vel cælo ipſo deiiciat. exigui enim ſpiritus eſt, à paruis magnotum aut deſperatione aut contemptu ſe rapi permittere. Pro ſuo enim vnicuiq; modo impendenda opera eſt. Hæc igitur animę, hæc mentis ius ſibi ingiter vindicent. Inde corporis, hinc animi, tum neceſſitatibus, tum commodis conſulendum, ac ita optimis maxima ſtudia ſimul ac tempota deſtinanda. Mortalium plane curis indulgendum, non ſeruiendum. Tam vilia enim ſunt, tam abiecta, tam exigua, vt non ſtudio digna ſint, ſed contemptu. Hæc omnia facilia tibi ſemper obuenient, ſi vt ſcribis tibi te deeſſe non patiaris. Sed quid ego inſcius equidem in hæc verba lapſus ſum? Statueram enim minime tecum his agere: quapropter ſermonem, licet truncum, parumq; abſolutum, in medio curſu abrumpo. Tu autẽ mihi parcas quæſo: quinetiam tuo more meã hanc improbitatem, meas ineptias æquo animo tolerato. Niculai vero noſtri cauſam, vt tuam ipſe facias iterum obſecro. Eſt.n. talis, prout vel ſupra locutus ſum. Fauore atq; ope bonorum dignus ſit omnium. Dominus ac Redemptor noſter tuam Dominationem ſemper, & vbiq; cuſtodiat. Datæ Florentiæ. Die XVII. Ianuarii M.CCCCLXII.

*FRANCISCVS PHILELPHVS IAC. CARDI-
nali Papienſi S.*

XXI.

ETſi putabam, Pater modeſtiſſime, iam tibi redditas eſſe meas litteras ab Othone Caretto præclaro Iureconſulto: ac item librum, quem patri humaniſſimo, Ioanni Atrebatenſi Cardinali ad tuam amplitudinem antea dederam: tamen non viſum eſt alienum ab officio meo, vt eadem de re iterum tecum agerem. Itaq; maiorem in modum te etiam atq; etiam rogo, tantoq; ſtudio abs te peto, vt vehementiore nihil omnino queam: ita negotium meum cures apud Sanctitatem Domini noſtri, vt omnia mihi læta beneficio tuo contigiſſe intelligam. Nunquam enim quod de me optime promerueris, apud animum meum intermorietur. Verum non celeritate minus, quam beniuolentia opus eſt id quod ex proximis litteris liquido cognoſti. Vale, Pater Reuerendiſſime, & me Sanctitati Domini noſtri & vnice me commenda, & deuotiſſime. Ex Mediolano X. Calendas Apriles M.CCCCLXII.

*FRANÇISCVS PHILELPHVS IAC. CAR-
dinali Papienſi S.*

XXII.

SI quod præſens forem coramque factutus. Si Romæ agerem hoc tempore, vt Amplitudinem tuam, Pater clementiſſime, obſeruantiæ meæ gratia, quotidie adirem, vt id in præſentiarum quodam modo literis faciam, me non modo hortatur officium, ſed rerum mearum impellit ratio. Noſti beneuolentiam. Noſti fidem erga te meam. Nec me latet me tibi eſſe chariſſimum. quibus autem in rebus tuo mihi ſtudio atq; diligentia opus ſit, binis tibi litteris antea declaraui. Itaq; eadem repetere fruſtra ſit. Tuæ humanitatis fuerit, ita rem meam curare apud ſummum Pontificem, vt intelligam, meas apud te litteras plurimum æque valuiſſe, atq; ipſe tu apud eius ſanctitatem omnia. quid enim ſcribam ad Lolium? cuius aures omnino videntur abſtruſæ. Itaq; operiat, ſi quid eis profuerint Viterbienſes balneæ, quo vel audiant melius, vel omnino de auditu deſperent. Vale, Pater Reuerendiſſime, & me vt Sanctitati Domini noſtri quàm deuotiſſime commendes te etiam atq; etiam rogo. Ex Mediolano XII. Calendas Maias M.CCCCLXII.

FRAN-

FRANCISCVS PHILELPHVS IAC. CARD. PAPIENSI S.

XXIII.

NEſcio vtrum noſtrum fore exiſtimem defatigatum citius, aut te, Pater humaniſſime, reſpondendo nihil, aut me quotidie abs te litteras exigendo, quibus fiam de voluntate ſummi Pontificis certior. Itaque tuæ benignitatis fuerit, vt me aliquando liberes ab hac ſollicitudine animi. quod vt facias, his precibus à te peto, quibus aliud quicquam maioribus petere haud poſſim. Scripſi etiam hac de re ad R. P. Cardinalem Nicenum, quem etiam rogaui, vt vna tecum munus hoc capeſſeret. Nolo tamen ob eam rem tibi minus onus exiſtimes oblatum: quinimo vt es manſueto animo, & magno, & liberali, curabis collegā & officii ſocium anteuertere, quo vel tua opera atq; diligentia res confecta iudicetur. Nam nec ipſe Beſſario, vt eſt modeſtia ſingulari, ſummaq; virtute, ægro animo fert ſtudium ac munificentiam in me tuā. Vale, Pater Reuerendiſſime, & me vt Sanctitati Domini noſtri commendes quàm deuotiſſimè te etiam atq; etiā rogo. Ex Mediolano XII. Calend. Maias M.CCCCLXIII.

FR. PHILELPHVS IAC. CARDInali Papienſi S.

XXIV.

DIligebam antea ſemper, atque obſeruabam nouum hunc Mediolanenſem Archiepiſcopum, & præcipuum mihi patrem in Chriſto Ieſu Stephanum Nardinum: idque ea potiſſimum ratione, quod & integerrimus mihi, & eruditiſſimus videretur. Nunc vero tanta ad priſtinam dilectionem acceſſio facta eſt, vt non modo mihi amandus ſit, ſed & colendus, & venerandus omnino. non ſecus enim de te loquitur apud omnes, Pater Reuerendiſſime, quam & ipſe mereris, & viri omnes boni ſapienteſq; decere arbitrantur. Prædicat ſane, re vno nihil naturam produxiſſe excultius, nihil elegantius, nihil omni parte perfectius. Qui dum eximias ac ſummas virtutes tuas dilatat oratione, tanto in te laudando vtitur animi ardore, vt reliqua fere omnia, & ſui ipſius, & Magiſtratus, aut negotia, aut commoda videatur oblitus. Quare cum tanta hunc in te obſeruantia incenſum animaduerterem, dignus eſt viſus, vt vnus & cogitatus meos omnes, & conſilia omnia tibi præſens coramq; referret. Quicquid igitur de me expoſuerit, meum eſt. Itaq; tuæ manſuetudinis munus fuerit, & quę meo nomine tibi expoſuerit, audire diligenter: & quod facto opus cenſueris, ita perbenigne prouidere, vt ſemper conſueſti. Scis.n. omnem ſpem meam in tua māſuetudine eſſe collocatam. Quæ ne me fallat, te, Pater ampliſſime, rogo etiam atq; etiam. Vale. Ex Mediolano quinto Idus Octobres. M CCCCLXIII. Neq; tamen omittas rogo, Pater clementiſſime, commendare me quam humillime Sanctitati Domini noſtri.

FRANCISCO PHILELPHO.

XXV.

FAteor me non reſpondiſſe ad litteras omnes, quas mihi miſiſti. neque enim id otii eſt mihi, quod tibi. Pridem tamen de conſolatione ad me miſſa, & de Sfortiados libris gratias egi, addens quæ ad petitionem tuam reſponderat Pontifex. Reſcripſi quoque ad mendas, quas deprehendi, & damnari in ſcriptis ſuæ Beatitudinis ammonebas. Epiſtolæ traditæ ſunt ſemper Othoni Oratori ad te tranſmittendæ. Si non ſunt redditæ, illorum eſt culpa, ad quorum manus venerunt, non mea. Ego viros doctos amo, ſcripta eorum lego, laudo, & profero. Si pares eſſent deſiderio vires, rectius illi iudicarent de mente. Dubitant fortaſſe, quia non poſſum: nec poteſt qui vellet. Iterum ergo habeto breuiter, quæ non accepiſti. Conſolatio tua elegantiſſima eſt, & digna ſcriptore, qui primas ſui temporis teneat. Omnia limata, omnia culta: nihil non ſuaue, & ad mouendas mentes non idoneum. Nam quod ad Sfortiadem attinet, vt breuibus agam, æquas dicta factis, & de rebus bellicis canis quodammodo bellicum. Pro ambobus ago tibi iterum gratias. Neutrum antea videram: & vidiſſe voluptati fuit, præcipue de mendis Pontificis. Grata ſuæ Beatitudini tua admonitio fuit. Fatetur ſe hominē eſſe, & in tot occupationibus inueniri

facile poſſe quod otioſi reprehendant, negat tamen ſuum eſſe carmen, quod me moras. Nego & ego, ad quem primę ſuæ editiones perueniunt. Credere debes, cum in familia eius ſint viri docti & poeticæ innutriti, cum quibus & ſolutam orationem & verſum communicat, fuiſſe illos viſuros in ſyllabis id, quod iſtic deprehenſum enarras. Certum tamen habet, monitore te, qui prudentiſſime vides, poſſe, ſi hîc eſſes, ſua ſcripta formari ſemper in melius. Egi de re tua, quod poſtulaſti: & vt vtilius agerem, litteras habitas recitaui ad verbum. Vna ſemper reſponſio fuit. Amo Philelphum, & ſumma omnia illi tribuo. Sed quid agam, vbi voluntati neceſſitas obſtat? quę nunc apud Ducem, eadem apud nos illi eſſet querela. Bellū gerit ille: belligeramus & nos. eget ille: egemus & nos. deeſt illi ad paſcendos doctos facultas: deeſt & nobis. Nulla in re deterior eſt conditio ſua quam noſtra. æquus ſit nobis Philelphus, & lætiora tempora expectans, tranſire hunc importunum imbrem permittat. Non ideo non bene facimus ſibi, quòd ſui ſimus immemores, ſed quòd vnde demus non eſt. Hoc tibi antea ſcripſi: hoc in præſentia repeto. Bellum, quod in Flaminia, quod in Marſis, quod in Campania, quod in portis prope vrbis eſt geſtum & geritur, officia vendidit, ſalaria reuocauit, ſuccum omnem noſtrum excuſſit, omnem deniq; liberalitatem de manu liberaliſſimi Patris extorſit. Ita vt non amici ſolum, ſed chariſſimi quoq; nepotes ſui debita ſubuentione fraudentur. Ingenia multa & clara opem Beatitudinis ſuæ expectantia præſentem neceſſitatem patienti animo ferunt. Idem tu facito, Philelphe. Neque enim in extremo actu vitæ, eo quod non abundes, deficito. Tranſitus, quem mihi, & Niceno denuncias, parum confirmatæ mentis eſt ſignum. Amare magis corpus videris quàm animum, & pluris pendere paucorum annorum diuitem vitam quàm ſempiternam miſeriam. Credo te nobiſcum familiariter agere, & magis hæc ſcribere, vt dolorem tuum, quam vt animum indices. Sed ſi tanta te peccati caligo opprimeret, vt facturus eſſes quæ dicis: Sacerdus hoc tibi propheto, Deo operante, non habebis quod ſperas. Animam tuam damnabis. In Creatorem inueneris ingratus, miſer viues, miſer morieris. In tanto ſcelere nulla erit voluptas. Anxietas perpetua cor tuum affliget, inſurget ſpiritus, qui ſurdo verbere vigilantem & dormientem animum ſedulo cædat. Nota ſempiterna inuretur generi & nomini tuo. quæ ſcripſiſti mendacia putabuntur, quando ſcriptorum & vitæ contraria ratio apparebit. Deniq; inuentiones omnes Poggii tui, quas diſertiſſime refutaſti, probabis, & euangelia facies. Neq; ille mendax atq; maledicus, ſed tu periurus, & peſtifer iudicio Chriſtianitatis putaberis. Me audi, Philelphe. Fraterne conſulo, viue fortis, viue patiens, & teipſum conſerua. Si viues inops, inops vixit & Chriſtus. Inopes vixere poetæ multi, hiſtorici multi, & Philoſophi multi: quorum, cum ethnici fuerint, turpe eſt te Chriſtianum diſſimilem in ferenda paupertate videri. Fugam ad infideles & Chriſti hoſtes, ad euerſores religionis, quam vſq; ad ſenium tenuiſti ſpe ditioris vitæ arripere, nihil aliud eſt, quam intemperatum animum & anguſtum cor declarare, ac poſt longam vitæ nauigationem, & tempeſtates perpeſſas, & declinatos ſcopulos, in portu, hoc eſt, in extremo ætatis curſu turpiſſimum naufragium facere.

EIDEM PHILELPHO.

XXVI.

LEctis litteris tuis, quas mihi nunc, & quas Ludouico Foſcarino antea ſcripſeras, non ſolum delectatus ſum ingenio tuo, quo quicquid vis ſcribendo aſſequeris: ſed conſolatus propoſito, quod a primo valde diuerſum agnoui. Neq; enim de Turcis ita ſentire videris, vt vlla te ad eos neceſſitas puſſit impellere, aut quicquam tibi velis cum illis commune. Gens ſpurca eſt, contempta, degener, Dæmonum ancilla: cum qua ſine ſcelere coniunctio eſſe non poteſt. Recte enim in eadem epiſtola ſcribis. Quis autem mentis compos, non emori malit, quàm iis parere, quibus turpiſſimum ſit dominari? Sic igitur facito. eſto noſter. Et inter homines viuendum tibi potius cum inopia ſtatue, quàm inter belluas cum diuitiis: ſi ibi eſſe diuitiæ poſſunt, vbi eſt animi anxietas continua. Non derelinquet te Deus: ſubueniet neceſſitatibus tuis, & expectatum fructum tolerantiæ dabit. Scriptum eſt enim *Patientia pauperum non peribit in finem.* Tu quoq; ex quo mutata ſunt tempora, & liberalitatibus noſtrorum

Principum

Principum iam deeſt facultas, de conſueto aliquid deme. Amputa quod ſuperfluum eſt. Domi te contine. Sumptibus parce. Si ſerui tres paſcebantur temporibus lętis, his triſtibus vnus paſcatur: non ex animo, ſed ex loculis vita ordinetur. Noſti vetus illud: *Magnum vectigal eſt parſimonia.* Vtinam non egerem & ego: ex manu pauperis Cardinalis non ſolum conſolationem ſcriptam, ſed numeratam quoque acciperes. Nunc autem ita fert præſens conditio, vt egeamus omnes. Grata aliquando ſuperueniet, quæ non ſperabitur hora. De epiſtola ad Ludouicum vel potius Venetos egregie ſentio. Elegantiſſima eſt, & quę fabricata in eadem officina appareat. Nactus oportunitatem recitabo illam Pontifici: vt videns conſentire te ſuo in Turcos ſtudio, interius ſibi commendet Philelphum. Tui ero memor, & nullam promerendi oportunitatẽ patiar per negligentiam abire. Dum hic finem vellem facere epiſtolæ: ecce tuę nouæ litterę ſuperueniunt ad me, & Pontificem. ſuæ reddentur Pontifici, & quod Syracuſii Syracuſam: & pro occupauero mihi vendico. Mandas reponi. Fiet actutum. Sic enim ſatius iudico, atque, vt verum fatear, legens: vtroque offendebar. Pungit autem me rurſus quòd non pœnituiſſe te primi propoſiti ex his vltimis video. Dicis enim te eſſe in metu, ne extrema neceſſitas vrgeat te ad locum Pontifici ingratum, id eſt, vt interpretor ego, ad Turcos. Vide ne fallaris, Philelphe: & de neceſſitate extrema iudices male. Mentiens nobis, Deo non mentieris, cordium inſpectori. Locum nunc apud hunc Principem tibi non video. Tempus præſtare hoc poterit. Si ibis, & ſenſum impulſorem (preta ratione ſequeris (patere hoc tibi dici ab amico) contemneris magis quàm extimaberis, & peribit apud Chriſtianos memoria tua cum ſonitu. Vale. pridie nonas Septembris. Tibure manu propria. MCCCCLXII.

FRANCISCVS PHILELPHVS IA. CARDINALI Papienſi.

XXVII.

POſteaquam pręſtanti Archiepiſcopo Mediolanenſi Stephano Nardino litteras ad te dederam, Pater clementiſſime, neq; tu mihi reſpondiſti quicquam, neque ego ad amplitudinem tuam alias dedi. Nunc iccirco inſtitui aliquid obſtrepere, ne me quaſi militem iam emeritum æſtimares propterea calamo indixiſſe ſilentium, quòd vererer propter ſenectutem ire euocatus in felicem ac fauſtam, & fortunatam iſtam Romanę Eccleſiæ expeditionem aduerſus Turcos: quaſi ipſe qui annum ætatis agam ſextum & ſexageſimum, ſim Neſtore ſenior, & non longe illo ſi minus conſilio, firma tamen valetudine & robore corporis, & ſenſibus integerrimis ad omnem actionem melior, & vtilior. Accedit ad rem, quòd nemo vir latinus & linguam, & mores, & locos Gręcię regionis me aut melius nouit, aut exquiſitius: quippe qui annos ſeptem apud Ioannem Paleologum Imperatorem, & ſapientem, & fortem, Conſtantinopoli egerim: & miſſus non ſolum orator ad Amoratum iſtius impii Machometi patrem: ſed ad Romanorum quoq; Imperatorem, & ad regem Sigiſmundum illum, non modo Græciam omnem ad Triballos vſque peragrarim: ſed mare Euxinum trireme ingreſſus, in Aſprocaſtri oram cum deſcendiſſem, vniuerſam campeſtrẽ illam, vaſtamq; Scythiæ latitudinem eques peruaſerim, viſiſque, & circumquaque cognitis, & Gothis, & Alanis, ac reliquis eius inferioris Scythiæ populis, poſt altiſſimos ſupra Bagnã oppidum, & inacceſſibiles montes maximo labore & extremo periculo ſuperatos, Biſtrizam applicuimus, vrbem pulchram & populoſam. ex altera montium parte ad radices, vnde poſtridie eius diei, quo eo perueneramus, ad veſperam cũ iter cœpiſſemus magnis, continuatiſque itineribus Budam tandem, regium Pannoniæ vlterioris emporium attigimus. Quo tempore Legatus Apoſtolicus, Cardinalis Placentinus Branda Caſtellio agebat in Pannonia ad concitandum exercitum in Boëmos. Vbi re, cuius gratia miſſus legatus veneram, ex ſententia confecta, apud Sigiſmundum Regem, Cum interea temporis Vladiſlaus Rex Poloniæ, quæ Sarmatia, cum eam duceret vxorem, ex qua is eſt Vladiſlaus natus, qui annis ſuperioribus, dum audaciæ mauult quàm prudentiæ habere rationem, apud Barnam à Turcis, iam plane fuſis ac victis, eſt obtruncatus. Is inquam Vladiſlaus rex admodũ ſenex me oratorem Imperatorium, per nuntium inuitat ad nuptias. Quare profectus Cracouiam, non modo eis

interfui nuptiis: ſed orationem, & huiuſmodi nuptialem in maxima Regum, Principumque, & variarum gentium multitudine. Nam & Imperator ipſe Sigiſmundus & Henericus Datiæ Rex, & Electores omnes Imperii, & innumerabiles fere alii Duces ac Principes, cum ex finitimis, tum ex longinquis etiam Regnis ad eas nuptias inuitati, honoris gratia conuenerant. Inde rurſus cum in Pannoniam reuertiſſem, non multo poſt tempore ſum à Ioanne ipſo Paleologo, qui ex Conſtantinopoli ſoluerat in Italiam, & ex Italia negotii ſui gratia, venerat ad Sigiſmundum in Pannoniam, iuſſus redire Conſtantinopolim, ad ſedandos domeſticos fluctus, ſi qui fortaſſis eo à patria abſente, inſurrexiſſent, ob fratrem ipſum Demetrium, qui nunc degit apud impium tyrannum Machometum, qui tunc etiam tentarat ad patrem huius Ammoratum transfugere. Quo ex re factum eſt, vt veluti reconciliatis animis inter fratres, & Demetrius perinde atque auxilium petiturus ad Sigiſmundum mitteretur, & ego clam, vt re omni expoſita Sigiſmundo id agerem, ne liceret Demetrio, ſi à ratione fortaſſis animum auertiſſet, ex Pannonia tranſire ad Turcos, quod eius facinoris, ſine magna illius Orientalis Imperii calamitate euenire non potuiſſet. Iuſſus igitur Conſtantinopolim confeſtim repetere, ob eam, quam dixi, cauſam, vbi Couinum venio, ad Danubium, è regione Spendorobori: Inde traiectutus in Triballos, per quos mihi expeditiſſimum iter futurum erat, ſum à Latinis quibuſdam gnariſq; mercatoribus factus certior, ſe audiſſe Hadrianopoli, quæ vrbs quondam condita ab Oreſte Agamemnonis filio, Oreſtaq; primum nominata: deinde Hadrianopolis ab Hadriano Cæſare, quod eam deletam inſtauraſſet Poſita eſt ad Ebrum in Thracia: me iã menſes compluſculos agere in Pannonia apud Sigiſmundũ Itaq; ne vllo pacto per agrũ Turcorum iter facerẽ, ſi mea mihi ſalus cara eſſet, & monere, & deterrere nõ deſinebant. Quas mihi adhortationes diligentius cogitanti, ſanius conſiliũ eſt viſum, vt eiuſmodi omiſſo itinere diuerterem ad partes Tranſſiluanas, quas vocãt, vt inde per Vallachos maturans ad Danubii hoſtium, cui hoc tempore Licoſtomum eſt nomẽ, nauim Genuenſem, quæ propediem eſſet nauigatura ad Galatam, inſcenderem: quo fruſtra, vbi contendiſſem: (nam ex eo loco nauis multo ante ſoluerat) coactus ſum, rurſus continuatis per Sythiam, longiſque itineribus Aſprocaſtrum repetere. Id enim oppidũ in Moldauia eſt poſitum ad Euxinum Nam eo ex Thracia, mercatoria nauigia frequentius applicant. Quare ſperabã breui me compotem voti factum, ea Conſtantinopoli confecturum quæ fidei, diligentiæque meę commiſſa fuerant. Sed mea me longe fefellit ſpes Nam neq; nauigium vllum Aſprocaſtri offendi, neq; ſi offendiſſem, conductũ fuerat. Imperatorię voluntati ea per me exponi eius parentibus, quę mihi exponenda mandauerat: adeo erant eorum mentes aduerſis de filio Demetrio rumoribus exaſperatæ in Ioannem. Quamobrem cum illic diutius expecto nauigiorum inopia, aduenit tandem Imperator ipſe ex Pannonia: ad quem accipiendũ cum trireme duę aduolaſſent ex Thracia, iis Cõſtantinopolim reuehimur ſextodecimo menſe, poſteaquam inde primum diſceſſum eſſet. Hæc autem eo pluribus expoſui, vt intelligeres & Turcorum, & Chriſtianorum quæq; oppida atq; loca Turcis finitima mihi eſſe notiſſima, nec ea minus quæq; iacent vltra Helleſpontum, Propontidaque, & Thraciæ Boſphorum: quamquam citra in Europa ſunt ſita. Sed de his prolixior eſſe nolo. Malo enim rerum quàm verborum me laudatũ iri. Itaque ſi qua in re me vſui eſſe poſſe aut conatibus, aut voluntati ſummi ſapientiſſimique Pontificis Pii ſecundi exiſtimabis, recipias velim eius ſanctitati de me omnia, quæ de animo alacri & ſtrenuo, & conſtãti debent eſſe certiſſima. Nunquam enim fallam, quamcunq; receperis de me fidem. Vale Pater & Domine mi colendiſſime, meque S.D.N. quàm deuotiſſime commenda. Ex Mediolano VII. Calendas Februarii. M.CCCCLXIIII.

PAPIENSIS PRO PIO II. PONTIFICE MAXIMO.

XXVIII.

INtelleximus relatione multorum qui ex Alamania veniunt, duplicem eſſe de nobis in natione querelam. Primam, quòd decimam Clero indiximus. Alteram, quod legatus noſter Cardinalis Nicenus literas reſeruationum paſſim concedat. De vtraq; multũ eſt quod miremur. In decima quidẽ, dolent antequã vulnus accipiãt. Impoſita

eſt,

eſt,ſed uon imperata. Nulli adhuc nuntii, nullæ litterę viſæ, quibus mandetur, cleros quicquam conferre. Non ſumus neſcii vię, quã teneri cum Germanis oporteat. Viximus in natione bonam partẽ ætatis, & callemus cleri & populi conditiones. Veniẽti ad legationem Niceno colligendæ decimę dedimus litteras: hoc tamen adiecimus, vt nummum ſine conſenſu nationis non peteret. Illa volente, faceret quod eſſet iniunctum. Mandata ſeruauit. De colligenda vero tractauit: non tamen ad executionem vllã proceſſit. Satis eſt nobis, implere quod eſt debiti noſtri. Si alii deſunt officio ſuo: Dei eſt illud iudicium. Imponendę quoque decimę, ſolius noſtri non fuit conſilium. Mantuanus conuentus hoc approbauit. Ibi pro conſeruatione fidelium, conſentiente tota congregatione, decimale ſubſidium laudatum eſt & receptum. Quod ergo tot Principum & Populorum, & tanti cœtus fuit conſenſus, vni nobis nõ eſt aſcribendũ. Si natio nolet, nihil exigetur. Nullis hic eſt opus querelis: ea inuita centuri quicquam non patiemur: quamquam ſi inſtitutionem noſtrã colligendæ decimæ diligenter inſpiciet, videbit nihil præter publicum bonũ eſſe quæſitũ. Quod colligendum in Germania erat, ſeruari in Germania, & à Germanis debebat. Nil inde fuerat exportandũ, niſi quod natio in publicã ſalutem vel ipſa conuerteret, vel vtiliter conuerti videret. Honorem Dei & redemptionem populi ſui ſemper ſpectauimus. Priuatam vtilitatem nullam ſumus ſecuti. Huius animi teſtem Deum & conſcientiam noſtram, atque adeo rem ipſam habemus. Si enim pecunia à nobis fuiſſet quæſita, à iactura noſtra non cœpiſſemus. In tenenda quippe dieta totum pene patrimonium Sedis exhauſimus. Iam vero de reſeruationibus datis, noſſe debet F. tua, nil alienũ fieri non modo à conſuetudine aliorum legatorum, ſed nec à Canonibus ſacris. Faciunt hoc alii, & ſemper fecerunt, nec niſi à Iure poteſtas illa conceditur. Nullas ſuperinde litteras Apoſtolicas habet Legatus. Detulit ſolum, quod ſibi ius tribuit. Id vero compactata nationis non tollere, perſpicuum eſt, quando iuri ſcripto eſt conſentaneũ. Credimus F. tuam ex illis non eſſe, qui talia doleant. Ponderas enim factum noſtrum, & rationem cognoſcis. Propter eos qui iniuſte queruntur, hęc ad te ſcribimus, vt ſi quando audire illos contigerit, habeas quid pro nobis reſpondeas. Hoc te vt facias hortamur, atq; requirimus. Detractionem Sedis pati non debes. Eſt officii tui illam defendere, à qua dignitatem habes & gradum. Tua quoq; F. bonum animum gerat: neq; in decimis nõ credat aliquid nos permiſſuros, quod ſine conſenſu patriæ ſit. Amamus Germanos, amamus Clerum, cum honore apud eos ſumus verſati, conſolari illos cupimus, non contriſtari. Quantum exhortationes noſtræ preceſque poterunt, tantum ab eis quæremus. At nihil præterquam iniuria Dei mouere nos poterit.

CAMPANVS CARDINALI PAPIENSI.

XXIX.

Niſi eum te eſſe cognoſcerem, qui accumulare tuis ſoleas, nõ imputare benefi[illegible] quo nihil eſt in illa tua ſumma atque immenſa liberalitate magnificentius, [illegible] in omni genere largitionis & beneficentię illuſtrius: equidem nequaquã auſus eſſem [illegible]itate quotidianis laceſſere poſtulationibus, & tanquã agmine negotiorũ meorũ oppugnare, cũ plura ſolus abs te impetrauerim, quã alii, vel multi petierunt. Sed cũ ea ſit diuini & præſtantiſſimi animi tui magnitudo, vt in tuis ornandis non defatigeris, & quos ſemel excitaueris, donec confirmes, nunquã conquieſcas, exiſtimaui nõ videri temerariũ, tam diu petere, quoad tua in me beneficia ita eluceant, vt neq; ego egere externa ope ad vitam ſuſtẽtandã, neq; tu ſollicitus eſſe de me poſſis. Bona ſuperioris Antiſtitis, quæ ſpectare ad me hereditario quodã & ſucceſſionis iure videbantur, intercepta ſunt, atque ab iis intercepta, qui nihil afferunt, niſi commentitia quædam & conficta ad me euertendũ. Aiunt neſcio quid fraudis cõmiſſum ab eo viro in decimarũ pecuniis exigendis: idq; per Caliſti tempora: eamq; ob rem ad Fiſcũ recidere oportere. Iam ſi ad hunc diem neglecta res eſt, mirum cur nunc tandẽ excitentur. niſi quia quem viuentem accuſare non erant auſi, mortuum tutiſſimum oppugnare arbitrantur: ſiue id eſſe in cauſa putent, quòd exiſtiment debili cum aduerſario rem fore. Neſciunt ſpes meas omnes in Papienſi, vno omnium qui viuant, collocatas eſſe & conſtitutas. Neſciunt fortunas ad hunc diem mihi defuiſſe: animũ nunquã defuiſſe. Cum

ſemper paratum te mihi intelligam deſenſorem. auverendũ cuiquam ſit,nc hoc mihi exiguum non præſtes?qui maxima atque ampliſſima pręſtitiſti.ne opem ei non feras, qui quantus eſt pependit, pendetq; ex te totus: totus in te vno mortaliũ conquieſcit. Qui etiam alienis,& incognitis opitularis, non me acerrime defendes in cauſa iuſtiſſima?qui etiam vbi nullum ius ſuberat,defendiſti. Proh Deum immortalem!quæ tibi parata arma video ad me defendendum, poteris inopiam afferre meam, poteris legitima actione decertare,& ſanctum & æquum videri bona demortui Antiſtitis ad ſuffectum deuolui oportere: non conuenire fieri mihi iniuriam hac vna in re, cui cætera vltra iuris metas permiſſa ope tua ſint. Etiam illud poteris afferre: non hic agi de re ampliſſima,exiguum eſſe quod petit, pauculum ſupellectilis,tritas iam &prope obſoletas veſtes, libellos, tapetes, atque aulea vetuſtate expilata, & neſcio quid argentuli, quæ vt exigua ſunt, ita mihi admodum neceſſaria videntur. Vltro mihi à Pio Maximo collata beneficia. Vltro me Epiſcopum declaraſtis,quibus per nouam dignitatem excideram,ea vltro reſtituiſtis, & confirmaſtis. Vltro gratis omnia tranſigi voluiſtis. In tanta igitur multitudine beneficiorum, in tantis ornamentis hanc mihi extremam fieri iniuriam patiemini? Adde hunc calculum ad cumulos altiſſimos beneficiorum in me tuorum, quæ quamquam eo magnitudinis euaſerunt vt excreſcere nullo modo poſſint:tamen hoc deſiderant reliquum, quo abſoluti atque exaggregati omni ex parte eſſe videantur. Veſti Campanum tuum,quem ſolus in hanc lucem dignitatis,in oculos hominum clariſſimorum, in ipſum denique vitæ ſplendorem eduxiſti. Nec ero verboſior in tua ope depoſcenda, cum eo ſis ingenio in conſeruandis tuis atque ornandis, vt admoneri cupias,rogari non feras.

CAMPANVS PAPIENSI CARDINALI.

XXX.

VT intelligeres quantum inter Pium Senenſem interſit & Nicophorum Irradiatorem Florentinũ, qui etiam ſanctas nobis extorquet. Scripſi ad te,id eſt,ad voraginem ingenii mei epiſtolam, vt eſt mea craſſities, pinguidulam: & eſt de Pii ſcriptis quid ſentiam. Dederat enim mihi Pius ſuperioribus diebus percurrendos commentarios rerum à ſe geſtarum,elegantiſſime,ac ſuper ingenia noſtri temporis ſcriptos: & percurri. dederat emendandos:nõ emendaui. Quis emendet quod tantũ abeſt vt fieri poſſit melius, vt eloquentiſſimum quemq; audacem prouocet ad imitandum: conſideratum deterreat. Leges epiſtolam, cum eris otioſus. Eſt longiuſcula digna ne ſit quæ edatur,ipſe iudicabis. Eam,ſi voles,poteris apud Sanctiſſimum D. N. tanquã recitare. Nullum enim adhuc iudicium commentariorũ à me factum audiuit. Si apud eum leges, componito vocem, interpellato, & ponderato. Addito veſtem orationi: nam quæ veſtis vocis tegmento nitidior? Nec id dico, vt ſperem Pium flexu vocis falli aut capi poſſe, ſed vt hac quoque ex parte voluptatem ei afferamus facturæ manuũ ſuarum. Nam vt te magnum,ita me ſupra mediocrem fecit: Idque in primis illi debetur à nobis, vt voluptati ei,& gloriæ ſimus. Vale. Si poſcis Epigrammata, vide quo me fata deduxerint:neque orator tibi,neque poëta ſatis ſum:niſi fortaſſe, quia vtrumque male præſto, iccirco poſcis vtrumque. Sed nunquam tam tu imperio mecum certabis,quam ego tecum obſequio. Nam qui imperat, ſemper ſibi plus nimio videtur imperare. contra, qui bene obſequitur, etiam in re bene geſta aliquid negligentiæ ſubueretur. Accipe igitur epigrammata. nam plura ſunt,non ad te ſingula:ſed tamen vniuerſa conſcripta ſunt iocoſa,& feſtiua. Licet hoc temporis Epiſcopis laſciuire: verſu præſertim nam vitæ periculum eſt. Rogatus ſum vt in quoſdam veteres, qui amore laborarunt,tetraſticha cõſcriberem. Erant ita inſculpta parietibus, vt Cupido alatus, & ſpecie triumphantis immineret:ipſi eutrum,tanquam captiui ſequerentur. Hi fuere Alexander,Pompeius,Perſeus, & Hercules. additus & Vulcanus iacens atque deſpectus:qui (vt videbis) intra tetraſticha non ſtetit.

Quem neque Perſarum gentes tenuere,nec Indi:
Nec vagus Oceanus, Caucaſiaque niues.
Solus amor de me victa Babylone triumphat,
Caſtraque captiua dat mea Berſabeæ.
Nil Aſiam & Memphim laudes,aut Pontica bella.

Cappa-

Cappadocas reges, Armenioſque Duces.
Nam procul à patria Pharijs ſum captus in vndis:
Iulia ſic flammis cæperat ante domi.
Deſine mirari verſas in ſaxa figuras,
Et meus in cælum quod penetrarit equus.
Plus Deus hic potuit: nigræ ſeruire puellæ
E ſummo natum me Ioue fecit amor.

HERCVLES AMANS.

Monſtra licet totiens terraque marique fugarim,
Senſerit & vires Styx truculenta meas.
Et tulerim cælum tergo. ſuperatus amore:
Inueni cælo quod grauius premeret.

VVLCANVS DESPECTVS.

Claudus eram Maia genitus, ſummoque Tonante,
Sed pepulit claro me mea forma polo.
Nam pater, vt prolem deformem, & inertia vidit
Membra, negat natum Iuppiter eſſe ſuum.
Indignus cælo, varieque nitentibus aſtris,
Hinc, ait, in ſaltus effuge Lemniacos.
Meque recuſantem patriis excedere tectis,
Præcipiti abreptum cogit abire manu.
Forma nimis precio eſt. vltro ſuffertur ad aſtra
Phryx puer: ergo Iouis filius eucior.

Quomodo inquis vniuerſa ad me, quem in ſingulis non nominaſti?

Accipe non caſtos veterum Papienſis amores:
Quos tuus Auguſto menſe poeta canit.
Forſitan hoc dices: non eſt ſine amore poeta.
Sæpe foris vates quod canit, intus habet.
Eſſe ita confiteor, nec me mea flamma reliquit:
Sed noua quæ culpa eſt, ſi vetus inſtat amor?

Vide quàm ſum factus per Auguſtum licentioſus & impudens: ſed res ita incidit, vt oporteret citra dignitatem laſciuire. Vale.

CAMPANVS SECVNDINO N. VENETO.

XXXI.

VAriç vndiq; multorũ ad me litterç deferuntur, partim eorũ qui acceſſioni dignitatis congratulãtur, partim qui dolent hominẽ paulo ante ſolutũ ac liberum, tãtis curis & tã grauiſſimis repẽte immerſum eſſe. Afferunt illi vitç ornamentũ, ſpes ampliſſimas, aditus ad gloriã & honorẽ patẽtiſſimos, honeſtamẽta quçdã & tanquã præmia virtutis. Ii ſalutis diſcrimẽ in mediũ adducunt, iacturã ingenii, abdicationẽ omnẽ voluptatũ, licentiã illam ſodalitiã ereptã, ſublatos congreſſus amicorũ & vrbiũ, nationumq; externarũ luſtrationes, iã nulla, niſi publica cauſa faciẽdas. Quibus omnibus, aut omnino abſtinendũ ſit homini religionẽ profitenti, aut certe modus quidã adhibẽdus ſeuerior, & caſtigatior. His ego magis aſſentior. Nã qui antea elatus animo haberi poterã, niſi comitatẽ illam retinuiſſem, vrbanũ & populatẽ nunc niſi penitus abiiciam: niſi colligã me me: & grauẽ ac reconditũ induã virum, effluens ſim, intemperãs iudicãdus. Ante hũc diem, noctu an interdiu, ſolus an comitatus, vrbe an agro ſpatiater, par exiſtimatio honoris erat. Idẽ viri graues, Idẽ amici ſentiebãt. & cohibere viuẽdi modũ poterã, & laxare, quorũ illud modeſtiç, hoc licẽtiç dabatur. Nunc vero tanq̃ in ſcena poſitũ omnes intuẽtur: vndiq; oculi intẽduntur: qui paratus, qui inceſſus ſit, quæ vitç acceſſiones, tanq̃ ad omniũ hominũ ſpectaculũ expoſiti eſſe videamur. Nec vagis modo deambulationibus interdictũ eſt, ſed abditũ, & ſecluſum. Horas ſingulas metiri oportet, nec ſolus incedere ſi velim licet, nec cœtus, ſi libeat, cogere fas eſt. Quã iucunda diuerſoria illa ad amicorũ domos: quã grata conuiuia, & ſuauis familiaritas eorũ quos ames, quos tibi iã ab ipſa prope infantia deuinxeris. Hçc vna hora deſtituẽda ſunt omnia: omnib. eſt bellũ indicendũ, quçrendæ familiaritates hominũ grauiſ-

ſimorum:quas vt repente quęrere periculoſum eſt,ita cõparare difficile. Cœnandum intra penetralia:vbi fores ſi patent,indecorũ cenſent. Si occludantur,ſuperbũ. Adhibendum ſilentiũ , pondus rebus omnibus adiiciendũ. obſeruandum eſt denq; quicquid antea contemnebã. Veſtes & reliqui ornatus ad impedimentũ vſq; & faſtidium comparandi Toga longa. nec ęſtatis quã hyemis expeditior , tum quod omniũ maximum eſt & difficillimum,quę ſtudia iam inde ab vnguiculis cõplexus ſum,in quibus alterã iam ætatis partem cõſumpſi,nec ſolum intermittere oportet, ſed penitus omittere neceſſe eſt,ne religionis inſtituta violentur. ſic ſenex futurus ſum antequã ſenex. Sed hęc dicet aliquis,incitamenta ſunt voluptatum,atq; idcirco abiicienda. viuere vt velis. verſari qui cum libitũ eſt. iactari ad libidinis impetũ. Quid quòd opes maximæ proponuntur? Fateor proponi maximas. Fateor etiã ſpem maiorem : nec egeſtatẽ vllo modo cadere in eũ,qui ſacris ſit initiatus,modo ad Pontificatũ acceſſerit: ſed hę opes, quę ſunt periculoſæ niſi cõferantur,porro cõferri niſi pie, ſancte, liberaliter,non poſſunt: quas ſi habeas,nõ potes ad præſidiũ tuorum adhibere. Non ad largitiones ſplendoremq; domeſticũ,& explendas voluptates,ſed ad eorum ſunt opem accõmodãdę, qui maxime egeant: vt difficile ſit tuorum odium non ſubire, niſi largiaris: aut ſummi Principis Dei offenſionẽ,niſi abſtineas largitione propinquorum. Si autem non habeas,& premaris inopia: miſerrimum eſt dignitatis maieſtatẽ tueri nõ poſſe , quando non eluceſcere in te religionis ſplẽdor,ſed ſordeſcere atq; obſcurari videatur. Ita homini in tanta dignitate cõſtituto,inopia dedecori eſt, copia periculo, vt qui plura habeat diſcrimini propior videatur, niſi recte vtatur. In maxima copia rerum atq; affluẽtia id vitæ genus eſt adhibendum, vt effuſiſſime viuamus egentibus, parciſſime nobis. Nec eſt opũ magnitudo, quas religio peperit, referenda ad oſtẽtationẽ & iactantiã, vt in cõmuni vita fieri ſolet, ſed ad liberalitatis modũ reuocanda eſt, quę ita ſit cũ pietate cõiuncta, vt exiſtimemus omnia ſanctiſſimæ caritatis ſtudio eſſe facienda. Taceo ludos, iocos, amores, aliaq; laxamẽta animi, quibus & difficile eſt abſtinere, quãdo in his ſis educatus: & niſi abſtineas, euertas funditus religionẽ, & maiorum pręcepta contemnas. Nec vlla eſt vita coinquinatior, q̃ religioſi hominis intemperanter libidinoſeq; viuentis. Accedit huic oneri ſarcina multo grauior. Nã ſi inter omnia vitę officia illud maximũ eſt, & difficillimũ, hominẽ ipſum ita ſibi viuere , atq; ita ſeſe exhibere , vt accuſari nequeat: quanto maius eſt & difficilius eorũ curam ſuſcipere, qui quales futuri ſint ignores : aut ſi ſcias , traducere ad honeſtatem & cõmunis vitæ inſtituta nequeas. Hoc ſi nõ cogitẽ, ſtultum & pernitioſum eſt. Si cogitẽ, quę vita nõ iucundior? Et tamẽ id itineris vbi cœptum ſit peragendum eſt, omni ſpe ſublata redeundi. Nec tamen ea de cauſa hæc colligo, vt acceptum beneficium velim extenuare. Equidem ſic cenſeo, nullum eſſe genus ingratorũ deteſtabilius, & magis alienum ab officio, quã obſcurare verbis alienã vitæ liberalitatẽ. Nã qui inficiantur, qui ſupprimũt, qui inferunt iniuriã ei à quo beneficiũ acceperunt, varia cauſa impelli poſſunt. qui autẽ magnitudini detrahunt rerum acceptarum , nil aliud iudicãtur efficere, quã velle vltro ingratos eſſe. Video me ex infimo loco ad faſtigiũ euectum ampliſſimę dignitatis, abiectũ ad hunc diem atq; incognitum, ita repente factum Pontificẽ intelligo : quod munus eo maius fuit æſtimandum, quoniam & competitores erant varii , qui nõ modo ſumma gratia, maxima auctoritate, excellenti ſingulariq; doctrina niterentur , ſed potentiſſimi Regis ac Principum multorum cõmendatione contenderent, & mihi vltro neq; petenti collatum eſt neq; cogitanti: vt ipſa aliorum contentio gloriã auxiſſe videatur. quoniã ſummi viri non admiſſi ad dignitatẽ, non tam reiecti à Pio quã à me ſuperati iudicantur. Acceſſit Pii ipſius Pontificis Maximi oratio, quæ ita meas eſt complexa laudes, vt media in concione ſe ipſum accuſaret, quoniã & ſero me ornaſſet , & minus nunc etiam cõtuliſſet, quam virtutis meæ ratio expoſceret. Ipſe de me retulit nouo more. Ipſe me repente & tanquã de improuiſo nominauit. Rogationem ipſe interpoſuit. Cui cũ gratias agerem Pontifici a in toga, vt fieri conſueuit, multaq; eius in me beneficia cõmemorarem: vt Peruſiæ legenti ſalarium priuato ære inſtituerit: vt Mantuã profecto, ſoli ex omni turba poetarum reſcripſerit : vt Senis te per me non rogatus , & nec ammonitus quidem ſubſignauerit : vt tandem Crotoniatibus præfecerit , decretumque inter-

interpoſuerit: vt quibus propter nouam dignitatem excideram, ea mihi integra eſſent, reſtituerenturq; omnia. Illa fuit prima vox humaniſſimi & liberaliſſimi Principis: beneficia, quę cõmemoraſſem, minora extitiſſe & virtute mea & deſiderio ſuo. Multa deinde de probitate, de ingenio, in medium attulit, multa pollicitus eſt: vt vel ex hoc diuinum & præſtantiſſimum ſummi Principis animum deprehendas. quoniã in illa immenſa beneficentia erga me non quid dediſſet, ſed quid daturus eſſet, cogitare videretur. Quo quid eſt in liberalitate magnificentius? qui ſplendor, quæ gloria in Principe illuſtrior? nec vlla in re viſus eſt occupatior, quàm in me amplificando, extenuando beneficio. Quam tu munificentiam, quam liberalitatẽ cum hac cenſeas conferendam? Tum ne quod largitionis deeſſet veſtigium, nihil precio, gratis omnia tranſigi iuſſa ſunt. Addita dono bona in demortui Antiſtitis ad Fiſcum manifeſto iure deuoluta. Hęc omnia ſi vnum in locum congerantur, qui cumulus erit beneficiorum? quæ ornamentorum exaggregatio? Tanti ne inquies Pontificatum iſtum tuum facis? tanquam non ſis in extremam Italiæ oram, tanquam relegatus? Quid. n. Calabris obſcurius? Quid abiectius ac remotius? aut quę gens? quæ natio incultior? rum qui fructus Dignitatis? qui cenſus rerum? Ego vero, vt taceam tot competitores, quorum gloria omnis in me translata eſt: quoniam ſunt cõtentione ſuperati vel à nõ repugnante, locum nullum exiſtimo in Italia nomine ac vetuſtate clariorem. Nec dubito diuinam Pii mentem hoc ipſum cogitaſſe: tanquã ad vetus gymnaſium philoſophorum mittẽdum ſtatuerit. nam quæ gens in eo vitę genere Crotoniatibus celebratior? vbi & plures philoſophi & meliores? nec video quam vrbem maiora illuſtrauerint monumenta vetuſtatis. Quod igitur Pythagoram virum tantum nõ puduit, id me homunculum pudebit? ſi ille Samo pulſus, Crotonem ſibi ex omni orbe terrarũ delegit philoſophandi locum, illo ego miſſus nõ exul, ſed ad imperium nõ ꝑficiſcar? non arripiam mihi hanc occaſionẽ? eum mihi locum non glorioſiſſimum putabo? Nam Almeon quidem & Philolaus, quanquã Pythagoram non æquarunt gloria: ambo tamẽ in ea vrbe nati multum ſplendoris attulerunt: quorum alter prim⁹ diſputaſſe de rerum natura fertur, retuliſſe alter omnia ad cæleſtem harmoniam, & neceſſitatẽ coactionemq; naturæ. Taceo Hippaſim Metapontinum, Tarentinum Architam, qui haud procul inde nati ad eum locum profecti ſunt, philoſophandi gratia. Sic Empedocles, ſic Epicharmus, aliiq; complures philoſophiam illo in ipſo loco didicerunt. nec minus horum ingenio claruit ea Vrbs, quàm aut Milonis lacertis, qui & ipſe Crotonias taurum toto geſtabat ſtadio, aut Zeuſis elegantia, qui præſtantiorem naturæ formam eo in loco inueniri poſſe exiſtimauit, dum Helenem pingeret, Crotoniatium virginum fretus exemplari. Vides quam mihi vrbem Pius commiſerit. vnde ſi vetuſtatem reuoluas, centum viginti millia hominum, qui arma ferre poſſent, proceſſiſſe in acie inuenies. Si ad noſtram referas ætatem, non eſt vrbs illa contemnenda neq; magnitudine, neque opibus, neque gloria inter finitimas, vt quæ & marinis comportationibus ſit expoſita, & ſoli felicitate excellat. Tum mare ſinuoſum primum, ac recuruum. Mox Ionium inter & Tirhenum latiſſime exit in pelagus vtraq; in partem nauigabile. Cõmeant tui Veneti orbe terrarum potentiſſimi. commeant qui infero mari commercantur: vnde & ingenia ſunt cultiora quàm Calabris, & vndique quæ ad vitę ſpectant vſum importantur. tum ſolum felix atq; amœnum, amplum etiam, nec vaſtis montibus aut ſtagnis impeditum, ſed liberum & patens, vt ſiue mari velis, ſiue terra, quàm latiſſime poſſis euagari oculis. Proſpectus tamen in pelagus latiores, qui in longiſſimum recedunt, & à lęua Tarentinos, à dextra Brutios, à fronte Siculos, Ambrachios, Chaonios attingunt. A tergo Salentinos, Meſappios, Appulos. Vide quę nomina, quæ loca, quæ ſpectaculorum luxuria excitatur animo. Cum hæc legis, quid mihi futurum cenſes, cum oculis luſtrabuntur, peragrabuntur pedibus, cum in littore paulo licentius laſciuiemus, remoti ab hoc faſtu & ſtrepitu, quo premimur & premimur. Vix extant priſca veterum Crotoniatum, & veſtigia fugientis iam longo interuallo vetuſtatis. Deſunt qui cingant vrbem viui & perſpicui fontes, & horti irrigui. ſed inſalubritas aeris, cælique clementia, iam inde ab vltima rerum producta in ætates, ſcriptorumque celebrata monumẽtis. Quippe proditum eſt, Crotoniatas nunquã neq; ſenſiſſe terrǽmo-

tus,neq; peſtilentia laboraſſe. Idemq; eueniſſe Locrenſibus finitimis credo eodem tractu maris ac terra:haud diuerſam fuiſſe vim ſyderum, ſtellarumq; deſpectum, ſolumq; ſuapte natura beatiſſimum infici nullo modo poſſe Cerealium vero inaudita feracitas,vt horreum inſulis,horreum continenti eſſe videatur. Accedunt arua,& loca herbida pabulis equorum accommodata. Nam equi quoq; illic eximiæ pernicitatis naſcuntur maiores noſtratibus. Hæc omnia & magna ſunt, & titulis maiorum illuſtrantur, vt non ſolum contemnendi non fuerint Crotoniatæ à viro Philoſophulo,ſed omni conatu expetendi. Quid de cenſu dicam? Neq; enim ſunt eiuſmodi dignitates cenſu metiendæ. par ſplendor eſt omnium,atq; gloria,par auctoritas. ſiquid interſit,id totum naſcitur à vita,qua qui excellat,is maior habēdus ſit: minor qui vincatur. Neq; enim Patauino,aut Veronenſi,aut ſi quē alium opes extollunt, inferiorē me cenſeo. modo ſanctitate vitæ,obſeruantia religionis,morum integritate, & officiis illis pontificiis non fuerim ſuperatus. Taceo tanti ordinis maieſtatem, ne epiſtolæ modum non teneam. Nunc ſententiam expecto tuam, quam ſiue tu ad hunc referas viuendi ſenſum opinionemq; communem,ſiue ad philoſophorum inſtituta reuoces,nō equidem laboro modo: quid tibi videatur afferas: nō quid mihi videri velis. Collige hinc otium,libertatē,ſodalitia,vagationes,congreſſus: aliaq; oblectamēta animi,inde res magnas,ſpes maiores,familiaritates prçſtantium virorum,opes,honorem,gloriam. complectere rurſus vtrinq; tanquā in trutina labores,pericula,contemptum. inopiā expende. ſimul hæc libra. ſimul mihi locum reperi, vnde agere gratias poſſim cum Pio ſecundo Pontifici maximo, cum etiam Papienſi meo: quorum alter ampliſſimis ac pluribus ornauit beneficiis, alter non ſolum vt ornarer effecit: ſed me primus mortalium in lucem,in dignitatem,in notitiā ſummorum Principum eduxit,atq; in omni fortuna acerrime conſtantiſſimeq; defendit. quid offeram? quid pollicear? num dedam me ipſum? exiguum eſt iis me dedere; qui niſi fuiſſent, ipſe non eſſem. Tum quid allaturus vtilitatis,cum ope mea non egeant: & ſi egerent, & vendicarent ipſi ſuo iure,& ego ſine ſumma perfidia deeſſe non poſſem. Concedam & permittam me propinquis? dedam? deuoueam? quàm nimium eſt hoc, quod eis neſcio an vnquam ſit profuturum: aut ſi ſit,non ad animum erga illos meum, ſed ad meritorum magnitudinem referri debet. Num monumenta poſteritatis, & hanc meam ingenii mediocritatem? quaſi ſim cum illis hac ipſa in re comparandus? Quis Pio & dicendi,& ſcribendi arte ſublimior, quis erectior, ornatior, breuior, in omni foro,in omni concione orbis terrarum,quis & ſæpius dixit,& diſertius? ita vt nullum omnino oratorem inuenias aut Poetam meliorem, & qui poſt hominum memoriam eloquentia & magnitudine animi maieſtatem tantæ Sedis ſolus impleſſe videatur. Tum Papienſe meo quis accuratior? & grauior vtroque in genere, & hoc ſoluto,& illo ſtrictiore. quis vtroq; ſcriptorum monumentis celebratior? aut quæ noſtri temporis ingenia in hoc non deſudauerunt? quibus ego neſcio an illa ſim ex parte comparandus. Proinde aliam mihi oſtendas viam neceſſe eſt. Nam hærere lateri, oſculari manus, lambere humi pedes, obuolui genibus, & circumgirare oculos totum eſt effeminati & blandientis. Nihil opus eſt vulgaribus. Aperi mihi locum aliquem ex illis intimis Græcorum penetralibus. Ego tantum id intelligo nullum officium eſſe tantum, nullos tam graues labores, nulla pericula tam dura & capitalia, quæ non ſint à me quotiens res exigeret, ſponte ſubeunda. Nam opes, & ſimilia tam polliceri exiguum eſt, quam non præſtare perfidum & ingratum. Leua quæſo me hac moleſtia. noſti Epidi illud apud Sophoclem: ἄνδρα δ᾽ ὠφελεῖν ἀφ᾽ ὧν ἔχοιτε καὶ δύναιτο κάλλιστος πόνος.

IACOBO VOLATERRANO SECRE-
tario noſtro.

XXXII.

MIrari audio te qui nuper in familiam noſtram veniſti, vnde ego in hanc dignitatem aſcenderim, nulla nobilitate doctrinæ, aut meritorum prærogatiua adiutus. Admirari deſine: breuis reſponſio eſt. Deus noſter hoc fecit, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra: Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem. Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui. Aliud ſi dicam,

dicam, mentitur iniquitas mihi, & credibile non erit in mentibus hominum. Deus, inquam, hoc fecit. Cuius iudicia abyſſus multa, & omne opus ad aliquid ordinatum. Competebant mecum partim, qui ſummo genere, & ſumma claritate maiorum præſtabant, partim quos Theologiæ & Pontificii iuris inſignis gloria commendabat, partim quorum plurimæ legationes laboreſq; pro Eccleſia paſſim numerabantur, partim, pro quibus Regum & Principum commendatio inſtabat. erant nonnulli, in quibus hæc omnia quadam felicitate in vnum conueniebant. Præteriti omnes: ego aſſumptus, cui nil horum poterat eſſe adiumento. Intuens perſæpe hanc meam fortunam, in cogitatione ipſe deficio, & oculos ad Cœlum tollens gratias ago Redemptori, qui ita vel permiſit, vel voluit. Precorq; toto deſiderio, vt hæc tanta dignitas nõ ſit mihi ad interitum animæ, nõ ſit Eccleſiæ ſuę ad damnum. Adiuuo meipſum ad virtutẽ, quantum ſe adiuuare humanitas poteſt, & animum firmo ad diligẽdam Sedẽ Apoſtolicam, ad diligendam ſalutem gregis Dominici, ad tuendam, quantum per exilem hunc ſpiritum licet, Romani Pontificis Maieſtatẽ. Totus hic hæreo. Totus hic ſum. Totum me locus hic habet. Patriam præter hanc vnam non nnui. Corporis hæc, & animæ eſt patria. Princeps mihi nullus eſt, præter Romanum Pontificem. à nullo honor exhibitus, à nullo vitæ commoda data, præterquam ab vno Romano Pontifice. Frater mihi ſolus erat, ex omni fratrum turba reliquus. Hic militiam Eccleſiæ ſequens, ſanguinem pugnando dedit Eccleſiæ. Ego in curiam veniens pauper & egens, renatus hic ſum, altus hic ſum, ditatus hic ſum, & poſitus cum Principibus Eccleſię ad conſilium vniuerſalis Eccleſiæ. Hic habitant oculi mei. Hic meæ curę incumbunt. Fortuna vexante eccleſiam, vexor & ego. Triſtante Eccleſia, triſtor & ego. Eadem ſecundis ſuis lætante, lætor & ego. Nullus illi affectus eſt, quem ego ſtatim non ſentiam. Si inutilis miniſter ſum, fidelis ſum tamen. Si deeſt doctrina, non deeſt voluntas. Si deeſt ingenium, deſiderium præſto eſt omnibus locis. Denique ſi cor hominis reſpicit Deus, & ex illo homines iudicat, iudicium certe ego cum miſericordia expecto, quia domus ſua mihi eſt cordi: quia toto ſinu eam complector, quia cum Propheta dies & noctes decanto: *Hæc requies mea in ſeculum ſeculi. hic habitabo, quoniam elegi eam.* Hæc fortaſſe intuens Deus, qui, vt dixi, cordibus paſcitur, ea præteriri eſt paſſus, quæ inflant: Illa aſſumi permiſit, quæ in beneplacito ſuo viuificant.

GENVENSIS PRO PONTIFICE PIO.

XXXIII.

ACcepimus litteras veſtras, & vidimus quæ dilecto filio Fabiano oratori noſtro publice reſpondiſtis. Laudamus deuotionem omnium veſtrum, qui verba ſalutis audire non neglexiſtis, & perſonam patris in perſonam nuncii honoraſtis. Feciſtis quod Catholicos decuit, & quod facturos vos ſemper credidimus. Litteræ ipſę bonam mentem veſtram declarant. Teſtimonium Fabiani exploratam ſpem præbet operis boni. Aliter de ea ciuitate credi non poteſt, quæ Dei eſt cultrix, & ad protectionem fidei oportunitatem præcipuam habet. Erunt hęc omnia ad gloriam veſtram, & ad animarum perpetuam ſalutem. Deo ſic placeat, cuius cauſa nunc agitur. Dicitis contentari vos, ſi hæc fœlix ſanctaq; cruciata effectualiter fiat: velle ex vobis armare octo vſq; in decem naues. Tempus hic nullum vel educendæ vel cõtinuandæ claſſis pręfigitis. De numero nauium & cõtinuatione audietis Oratorẽ noſtrũ. Habet à nobis quid vtile hac in re cenſeamus. Tempus vero educendæ claſſis ipſi dicemus. Intellexiſtis in litteris iſthic publicatis, ad Nonas Iunias Anconam nos profecturos, vt inde nauigemus in expeditionem hanc ſanctam. Hæc publica vox omnibus ſatis eſſe deberet, qui ad obſequium Domini deuotis animis tendunt. Sed ſi terminus hic certus alicui forſan non eſt, & cogitatis impedimento aliquo interim teneri nos poſſe, quo minus diem præſcriptam ſeruemus: Propterea q; conditionem hanc additis: Si hæc felix ſanctaq; Cruciata effectualiter fiat: ſignificamus ſufficere vobis, vt adueniente Duce Burgundiæ, qui ex Maſſilia per mare veſtrum Hoſtiam ibit, eodem tempore vos quoque ſoluatis, & claſſi ſuæ veſtram iungatis, ad nos inde poſtmodum ad condictum locum venturi.

Hoc pacto effectualiter fieri Cruciatam videbitis, & latere vos dies non poterit. Sic quæſumus, dilectiſſimi filii, agatis, & Deum adhibeatis in conſiliis veſtris, inſpectorem verum cordium hominum. In iiſdem litteris additis. Dicimus non indignum fore, vt quas conditiones Ciuitas hæc veſtra in huiuſmodi bello, ac victoria ſit habitura, non ignoret, tam pro iis locis noſtris, noſtrorumque, quæ à Turcis ſunt occupata, ſi recuperari ea continget, quàm iuribus aliis, quæ ad nos, & noſtros pertinere videntur. Ad q; gratiſſimũ eſſet nobis, lucidius reſponderi. Reſpondemus ad omnia vobis, vt Pater, & Pontifex, cui commiſſa eſt ſalus animarum veſtrarum. Primum cum Chriſtiani ſitis, & Deo omnia debeatis, Iniuriarumque ſuarum teſtes ſæpe fueritis, poſſet eſſe ſatis vobis propoſita ſpes vitæ æternę, & merces cæleſtis, vt immaculatum ſacrificium videremini Deo offerre: Hoc tamen eſſe veſtrum propoſitum credimus, & hac mente audiuiſſe vos monita noſtra confidimus: Verum ſi adhuc vltra requiritis, intendimus quæ à Turcis ſunt occupata, & veſtrorum fuerunt, aut veſtra, pro viribus niti, vt ad manus veſtras reveniant. Hoc honeſtum nobis videtur, & noſtris fauoribus dignum. Atque ita nos iuxta poſſibilitatem noſtram facturos recipimus. Iura quoque veſtra, & veſtrorum in omnibus commendata habebimus: Cooperantes enim nobiſcum pie, & fideliter expectare à nobis paternam retributionem debetis. Ii ſumus qui retribuere pro benefactis ſemper optamus. Præcipuum quoque in perficienda claſſe eſſe aſſeritis, vt quicquid virtute Bullarum noſtrarum per indulgentiam, aut aliter in Dominio Genuenſi colligi poterit, in apparatum huiuſmodi cedat. Compatimur anguſtiis veſtris, quibus per hos annos eſtis afflicti: Nec ſupra vires veſtras aliquid petimus. Adiuuare vos volumus in eo, quod poſſumus, vt in eo quod poteſtis adiuuemur à vobis. Habet in hac re mandata à nobis noſter orator. Ipſum audite. Recta via euntibus miniſtrabit, quod poterit, atque vt plurimum poſſit, nitetur aſſidue. Audiuiſſe vos credimus, quæ ex Peloponeſo his diebus ſunt nunciata: Et neſcimus an animis eſtis commoti. Non turbetur, filii, cor veſtrum. Nec propterea ſegnius ad oportuna incumbite. Vna calamitas deiicere mentes noſtras non debet. Non ita ſancta hæc cauſa, nec ita nomen Italum poſcit. malis cedendum non eſt: ſed duce ſigno viuificæ crucis audentius contra eundum. Miſericors Deus victoriæ viam aperiet. Pias defenſiones aliquando videtur deferre: non quia ſit verbi ſui oblitus. In quo nobis ſpem præbet, ſed vt temptet conſtantiam noſtram: & videant quàm ſtabilia ſunt fundamenta cogitationum noſtrarum. Perſeuerantibus præſto eſt miſericordia eius: Victurem faciens qui putabatur antea victus. In nobis ipſis experti aliquando hæc ſumus. Suſcepimus pro iuſtitia defenſionem regni Neapolitani. Bellum geſſimus cum Sigiſmundo Malateſta propter hæreſim, de qua erat damnatus. Depoſuimus archipræſulem Maguntinum Electorem Imperii propter rebellionem aduerſus hanc Sedem, atque alium eius loco præfecimus: Eæ omnes cauſę iuſtæ ſunt iudicatę. In earum tamen exordiis damna accepta ſunt manifeſta. Apud Sarnum fuſus eſt vnus exercitus. In Piceno alter deletus. In Germania ab his, qui partes noſtras tenebant, ingens iactura accepta. Non ſumus animo fracti. Ad eum oculos vertimus, qui in tribulatione ſperantes in ſe conſolatur. Duximus omnia in bonum perſeuerantes conſtanter. Non dati tandem ſumus in opprobrium hoſtibus. In regno cauſa Romanæ Sedis ſuperior eſt. Sigiſmundus quæ habebat amiſit, abiurauit publice hæreſim. & pro iniquitate veniam ſupplex popoſcit. Priuatus Maguntinus recognouit erratum, ceſſit Eccleſiæ, & cum gloria Sedis, Vero Archipræſuli manus ſubmiſit. Dona Dei hæc ſunt, & pię conſtantiæ præmium. Itidem in pręſenti bello nobis Chriſtianis eueniet: ſi nos non frangent initia, & ſi in Domino ſpem noſtram locabimus, cum Propheta dicentes: *Domine, factus es ſpes noſtra: turris fortitudinis à facie inimici.* Veniet, diſponente Altiſſimo Burgundiæ dux, & exemplum eius nobiles, & Barones multi ſequentur. Erit inuictus exercitus. Veneti in diem magis copias & claſſem inſtaurant: Hungariæ rex, Boſnæ regno recuperato, quod æſtate proxima interfecto rege erat amiſſum, potenter ſe parat ad reliqua. Et cum Venetis triennali fœdere contra Turcum eſt iunctus. Nos quoq; operamur ſine intermiſſione quod poſſumus. Con-

uocamus

uocamus in ſocietatem noſtram catholicos Principes. Ibimus ipſi, & ponemus animam pro grege cõmiſſo. Non apparent nunc forſan, quę videre multi deſiderant: ſed apparebunt, & maiora opinionibus Deus pſtabit. noſtrum eſt operari pro viribus. Illius incrementum dare operibus noſtris. Venite filii nobiſcum, nec propter Turci metum, aut diſſuaſiones abſcõdatis faciem veſtram à Chriſto: qui plagas intulit multas, maiores habet quas poſſit inferre. Attendite eunte Vicario ſuo, & portante crucem ſuper humerum eius, quid agant dominicę oues. Retribuet vnicuiq; ſecundum opera ſua, pœnam & prçmium gerens in manu. Nos deuotiones veſtras facturas ea cõfidimus, quæ catholicos decet, & quę ſoliti eſtis. Atq; ita per viſcera miſericordiæ Dei noſtri vos obteſtamur. Erit ex mandato noſtro vobiſcum noſter orator, coopetans vobiſcum dies, ac noctes. Curate, vt per eum continue conſolemur de actionibus veſtris. Ab eo quoq; in ſingulis mentem noſtram ſemper noſcetis.

PRO PIO II. HIERONYMO LANDO ARCHIEpiſcopo Cretenſi.

XXXIV.

Accepimus litteras tuas, & intelligimus, quæ de confluente multitudine ſcribis. Agimus Deo gratias, qui corda fidelium ad defenſionem fidei tangit. Retine qui tibi retinendi videtur, & conſolare eos quantum potes, & adiuua ad vitam in aliquo, vt non triſtentur neque deſperent. Præmittimus omni celeritate Venerabilem fratrem noſtrum Iohannem Cardinalem Sancti Angeli, qui eos ad locum oportunum confeſtim traiiciat. Tua F. vna cum priore Piſarum conducat iſtic ea nauigia, quæ neceſſaria noueris ad præſens opus paſſagii, & omnia quàm meliore conditione poteſt componat, & tranſigat. Nos hodie Deo Duce Vrbe diſceſſimus, & quàm celerius per valetudinem poterimus, Anconam petemus, executuri in aduentu noſtro quæ reliqua erunt. Tu diligens eſto, & patere, Deo ſeruiens, & nobis, & animæ tuæ.

BESSARIO CARDINALIS NICENVS Papienſi Salutem.

XXXV.

SI ob id duntaxat ſcribendi officio vteremur, quòd aliquod exinde cõmodum, aut emolumentum expectatemus, non ſine ratione fieret, vt ſublatis cauſis vtilitatis, & commodi conſuetudo etiam mutuo ſcribendi intermitteretur. Si vero nos hactenus ad ſcribendum, & amandum alter alterum, non ratio ſolum priuatorum negotiorum impulerit, ſed potius aliqua virt⁹, & vera, & ſolida amicitia, certe nihil eſt, quod nos à priſtina ſcribendi conſuetudine retrahere debeat. quod ſi me roget V.R.D. cur tu non ſcribis? Scripſiſſem, niſi V.R.D. mihi ne id agerem iuſſiſſet. Hãc habui cauſam, quæ me à ſcribendo deterruit, mandatum D.V.R. Vos vero quæ tandem cauſa à ſcribendo retardauit? Sed ſint vt libet quæ hactenus acta ſunt. Poſthac curãdum ne amicitiæ officium deſeratur. en ego (vt aiunt) glaciem frango R.D.V. ſequatur, & me aliquando ſolitis illis ſuauiſſimis litteris ſuis conſoletur. Commendo me D.V. Reuerendiſſime. Venetiis Die VII. Decembris M.CCCCLXIII.

PIVS II. PONT. MAX. IAC. Papienſi Epiſcopo.

XXXVI.

COnſolatus es nos litteris tuis. Nam qui nuper egeni omnium rerum ad colligendas diſſipatas copias noſtras vacuum pecunia miſimus in Picenum, diligẽtia tua ex prouincialibus ſtipendium adinuenimus. Plus profeciſti filius, quàm fieri poſſe putauimus, & plura es executus quàm tibi eſſent iniuncta. Commendamus fidem hanc tuam. Ideq; in primis vtile ducimus, quod in re neceſſaria ſumma celeritate es vſus: quo vno expectationi noſtræ, & deſiderio ſatisfeciſti abunde. Voluntate igitur tua ad nos redi. Redibis enim carus, atq; acceptus. Datæ.

PROTONOTARIO FLISCO PII NOMINE.

XXXVII.

INtelleximus oblationem,quam Deo feciſti de perſona tua,& triremi armata ſumptibus tuis pro ſancta expeditione in Turcum. Cognoſcimus Deum tecum eſſe, & inſpirare tibi,quæ ſunt ad ſalutem animæ tuæ. Acceptamus hanc tuam ſanctam oblationem, Zelumque tuum erga nos, & domum Domini,& ea quæ ſunt Ieſu Chriſti, Ac toto corde henedicimus tibi,& ſubſtantiæ tuæ. Verum quia tempus inſtat profectionis noſtræ, adueniente q; Duce Burgundiæ, claſſem aſcendemus: Hortamur deuotionem tuam,& requirimus,vt ſerues,quæ promiſiſti,pareſque te ipſum, & triremem armatam quanto maturius potes. Retribuet tibi Deus in hoc ſæculo,& in futuro,& nos erimus memores huius pii tui officii in augendis honoribus & vtilitatibus tuis Datæ.

BARTH. PLATINA IAC. CARDInali Papienſi S.

XXXVIII.

CVm in hanc curiam nuper veniſſem, Reuerendiſſime Pater, mecumq;, vt fit, diu ipſe cogitaſſem,quem mihi potiſſimum ex tot patribus Cardinalibus patronum, ac Mecenatem deligerem,tu vnus viſus es:quo cum mihi plurima conuenirent. Difficile namque eſt eius partes & cauſam tueri,cuius mores & inſtituta à vita, & conſuetudine noſtra abhorreant. Similia ſunt inter nos ſtudia, non diſpares omnino mores,ſimile fortaſſe ingenium. Diſpar autem dignitas, & auctoritas. quibus fit, vt neq; velim,neq; poſſim omnino conferri tecum. Verum mihi ſat erit,ſi hanc laudem induſtria ac labore meo fuero adeptus,vt tui dicar æmulus fuiſſe, atq; imitator: cui omnia illa inſunt,quæ in viro clariſſimo,ac prope diuino eſſe debent. Quid enim humanitatem ac manſuetudinem tuam,quid inauditam clementiam,quid modum in tanta poteſtate rerum,quid doctrinam,quid incredibilem ſapientiam tuam commemorem? quibus tibi apud omnes gentes,& nationes tantam gratiam,& auctoritatem comparaſti,vt neminem,quàm te malint videre: idque etiam à Deo tacite expoſcāt in tanto, tamq; excelſo dignitatis gradu apud S. Patrem & Pōtificem noſtrum Pium, cuius nutu ac diuina ſapientia,quæ ſunt in terris reguntur omnia. Huic tu aſſides, hunc imitaris. Huius ſanctiſſima imperia, atq; edicta, quo effici modo debeant, & poſſint,tu vnus nobis omnibus oſtendis. Nil agitur priuate, nil publice, cui tu merito quidem,pro tua dignitate,atque auctoritate,proque ſingulari doctrina & eruditione non interſis. Equidem ſic exiſtimo,ſentiant alii quid velint, nullum eſſe hominum genus,ſtudioſorum præſertim,cui tutius,atque liberius regnorum,& magiſtratuum adminiſtrationes committantnr,quàm his,qui ea doctrina ſunt imbuti, quam humanitatem appellamus. Non ſunt tamen reliquarum artium profeſſiones contemnendæ,cum hæ quoque aliqua ex parte ciuilem vitam adiuuent. Subministrat nobis Grammatica principia,& fundamenta ad eas artes, quas liberales appellamus. Affert dialectica veri a falſo diſcernendi rationem. Oſtendit Phyſice rerum naturalium cauſas. Arithmetica numeros in coniunctis,ſeparat ſq; rebus dignoſcendis maxime neceſſarios. Geometria menſuram orbis terræ, & climatum diuiſionem. Muſica ſonorum,& vocum concentum,atq; harmoniam Aſtrologia cœlorum, Planetarumque perpetuum motum,& ordinem. Harum autem doctrinarum imitatores, & ſtudioſi,adeo ſunt à rebus gerendis alieni, vt his in vita politica quemuis etiam noſtris litteris ciuiliq; diſciplina mediocriter imbutum ſine contentione prӕpoſuerim. Reformidat forum Grammaticus,puluere & ſtrepitu ſcholaſtico contentus. Gaudet gyris ſuis atque meandris dialecticus. Contemplatur Phyſicus res à materia minime ſeiunctas. Delectatur Mathematicus ſola contemplatione rerum à materia ſeparatarum,poſthabitis atque neglectis rebus his,quæ ad communem hominum vtilitatem non ab ie excogitatæ ſunt,atq; inuentæ. Contra vero ii qui ex palæſtra humanitatis bene docti atq; eruditi prodeunt,quiq; officii, & honeſti rationem optime norunt, non abhorrentes a communi vtilitate,& publica in medium prodeuntes, propoſita

bonorum

bonorum ac malorum ſerie, ab hac nos deterrent, ad illam complectendam ratione, & eloquentia adhortantur: iacerent in luctu certe ac tenebris prudentia, iuſtitia, fortitudo, ac modeſtia, quæ vno virtutis nomine complectuntur, niſi extitiſſent, qui eas doctrina, & ſcriptis illuſtraſſent, oſtendiſſentque ab his religionem, pietatem, gratiā, obſeruantiam, magnificentiam, fidentiam, perſeuerantiam, continentiam, clementiam, modeſtiam, tanquam ex vberrimis fontibus manare: quibus fit, vt ii qui bene ac beate viuere volunt, facilius in officio contineantur, cum intelligant, quid fugiendum, quidque expetendum ſit. Hac ſiquidem ratione motus Pius S. Ro. Pontifex te vnum prudenter certe, ex hac celeberrima curia delegit, quem pro tua ſingulari virtute, atque doctrina, proq; incredibili celeritate in rebus agendis non laborum modo, ſed etiam conſiliorum & ſecretorum comitem ſibi, ac ſocium aſciſceret: cuius opera, & virtute tantum, ac tam excelſum Pontificatus onus æquiore animo ferret. Ego itaque benigniſſima natura tua fretus, ſanctiſſimi Patris noſtri auctoritatem, & exemplum imitatus, cum ex hoc tanto, ac tam celeberrimo præſtantiſſimorum hominum conuentu neminem viderem, qui tecum vel magnitudine animi, vel dignitate, vel conſtantia, vel humanitate, etiam gratia poſſet conferri, ad te, quem apud Sanctitatem ſuam mihi in quauis cauſa delegi patronum, patrem, tutorem, Principem ac Dominum; ſupplex acceſſi, & rerum omnium inops, vt te adiuuāte, & hac, qua nunc premor inopia leuater, & fructum aliquem ſtudiorum meorum, nunc demum mihi capere liceret. Hoc ſi tua gratia impetrato, efficiam profecto ſcriptis meis, vt omnes intelligant, abs te vno habitam eſſe ratione doctorum ac bonorum hominum: Tuum igitur erit, Reuerendiſſime pater, me ita S.D.N. commendare, vt tua in omnes manſuetudo, & clementia, & mea in te fides, atque obſeruantia exigere videtur. Hoc ſi, vt ſpero, diligenter effeceris, neque me in eligendo patrono erraſſe, neque te à tua optima, atque ſanctiſſima conſuetudine diſceſſiſſe oſtendes. Vale.

B. CARDINALI NICENO.

XXXIX.

EST, vt ſcribit D.V.R. Non vtilitas, ſed alterius charitas, alterius vera deuotio fecit, vt antehac frequentius officio litterarum vſi abſentes ſimus. Abſit, vt quicquam ſordidum fuerit inter nos. Ego ante colere ingenium, litteras, & humanitatem veſtrā cepi, quàm vel eſſem in Curia, vel ex curia commodum quærerem. Ante diligere filium ſuum inſtituit V. D. quàm ſperanda ex me eſſet retributio vlla. Ego virtutem ſecutus ſum: veſtra benignitas opinionem futuræ forſan virtutis. Diſperdatur, vt ſtipula ante faciem venti, quicquid aliud, Nicenum mihi patrem, Papienſem illi filium fecit. Niſi euaſero malus, ex ſtabili fundamento creſcet vſq; in finem vitæ ſtructura noſtri amoris. Quia V. D. eadem futura eſt ſemper, quæ fuit, immutabile faciet, quod iudicio ſemel aſſumpſit. Erimus ſemper pater, & filius: ſeruus, & dominus, vera dilectione coniuncti. Conſuetudo, litteræ, ſancta ſocietas Collegii, glutino ſuo nos continebunt, nec ſinent diſiungi. Qui aliter quærent, ante à ſeipſis diſcedant, quàm noſtram diſceſſionem videant. Quod attinet ad remiſſionem litterarum: Amantiſſime pater, ſcripſi alias. Contuſa valetudo mea, & morbi inſurgentes fecerunt, vt neceſſario mihi conſulerem. Remiſi labores, Palatio ceſſi, & vitam liberiorem ſumpſi. Non laborū odio, ſed vt quod antehac feci, recreatus ex interuallo facere poſthac poſſim. Non erā ille, qui munere cōſueto ſatisfacere poſſem operoſæ legationi veſtræ. Atque ideo, vt non paterentur detrimentum reſpublicæ, ſuaſi, & precatus ſum, vt conuerterentur hæ curæ ad eos, qui diligentię meæ ſucceſſerant. Ideo etiam non ſcripſi, vt prouocatione mea non reuocarem mihi onera antiqua: Amaui tamen, veneratus ſum: Et nullo in loco defuit caro patri vox filii. Teſtis eſt Princeps: Conſiſtorium teſtis. Laudaui effuſa oratione, priuatim, & publice ſanctas veſtras Glorians in corde meo, quod veſtræ miſſionis fuiſſem ammonitor. Et ex ea non paruus partus eſſet in eccleſia fructus. Ita credat pietas veſtra, Reuerendiſſime Domine. Ita ſecum perpetuo: Indulgeatque fractæ valetudini, & vitæ electori: In qua perſeuero. Gladiator aliquando rude: Aliquando miles emeritis ſtipendiis in otium mittitur.

AD CARDINALES SEDE VACANTE, *poſt Pium.*

XL.

PRima pietatis noſtræ officia perſoluta iam ſunt Patri, & Principi, nuper defuncto, Humatum ſolemni more eſt corpus, & funere ampliſſimo honeſtata mors, & nouendialis ſacri religio, frequentia noſtri ordinis reddita. Proxima nunc eſſe videntur, vt eodem ſepulchro, quo illum condidimus, memoriam quoq; includi non patiamur. Mortuis eriam, non viuis tantum gratitndo noſtra debetur: Mortuo nõ minus quã viuo habendę ſunt gratiæ. Præclarę virtutis Antiſtes fuit. Enituit in eo ſumma religio, ſumma vitæ integritas, ſingulare ingenium. Doctrina ingens. Humanitas tanta, quantam nec experti antehac ſumus, & deſideraturi forſitan in poſterum erimus. Ad maiora nunc vocat nos Deus. Dandus eſt Plebi Catholicæ paſtor, inſtituendus in eccleſia Dux, qui regat populum ſuum, qui ſanet contrita: opus omnium maximum, omnium maxime debitum. quod in vtranq; partem vel vitam, vel interiium afferat. Abiiciendi affectus Tactiones, & (vt ita dicam) vltramontanitates: neq; Italus Tranſalpinum horreat, ſi bonus eſt, neque Italum Tranſalpinus indignetur. propter vtroſq; crucifixus eſt Dominus: ſuper vtruſque oriri facit ſolem, & lunam, & pluii. Er aliquãdo per Italum melius adminiſtratum, & per eundem magnæ calamitares illatæ. Non amicitiæ, non ſpes commodorum propriorum, non odia ſunt attendẽda. Omnia hęc Domino condonanda. Valetudo multum adiicit animo. Multũ infirmitas detrahit. quamquam vbi vigor naturalis eſt, non tam eſt attendenda. An neſcitis imperare caput, non pedes? Vidimus cæcos, claudos geſſiſſe magnas res, etiam vbi corpore eſt opus: multo magis vbi ſolo conſilio. Ætas ſenior, certior. in iuuenibus aliquando magna opera. Alex. Pompeius. Scipio Nicolaus IIII. Grandior tamen certior Dux.

FRANCISCO CARDINALI SENENSI.

XLI.

LIbenter, præſtantiſſime Pater, de Pio noſtro & cogito, & loquor, cum poſſum. Lenio ſemper hæc agens defuncti deſiderium, & me ipſum conſolor: Idem quoque euenire Dignationi tuæ exiſtimo: qui eum viuentem pie coluiſti, & mortuum grate es proſecutus. Totum itaq; id rempus, quod ab vltimo diſceſſu eius ab Vrbe vſque ad obitum fuit, hac epiſtola breuirer repetam: Credens quæ abſens videre non potuiſti, cognoſces, non inuitus ex me, qui interfui ſingulis, & vſq; ad ſupremum ſpiritum, ab ore ſuo pependi. Cupiens igitur Pius Sanctiſſimus profectionẽ ſuam in Turcos perficere, quæ fidelibus repromiſſa iam erat ad XIIII. Calendas Iulii in baſilicam Sanctorum Apoſtolorum mane deſcendir, ſicut ſuus erat mos ſemper, cum vrbem relinquebat. Atq; ibi veneratis aris, & ſucceſſu rerũ pie deprecato, Roma egreſſus eſt, Patribus & Prælatis lecticam eius ſequentibus. Ad Pontem Miluium dimiſit à ſe omnes, præter eos, qui ſecum erant ituri. Lembũ deinde ad leuandam fatigationem terreſtris itineris aſcendens: per aduerſum amnem ad Caſtellum Iubileũ peruenit decimo ab Vrbe miliario viã per Tyberim agentibus. Delegit ſibi huiuſce nauigationis comires Dominicum Torcellanæ, & Agapirum Camertinę, & Ioannem Triphernatis Eccleſiæ præſules: quorum Dominicus, & Agapirus, de ſupplicationibus referre ſoliti erãt: Ioannes ſacrarii Apoſtolici curam gerebat. Me quoq; & Andreã germanum tuum, & Gregoriũ Lollium adiungi his voluit. Pranſus eo die in Lembo Pius eſt, & cœnauit, & quieuit nocte illa. Poſtridie ante ortũ Solis ex eo loco ſoluentes Phianũ appulimus: primis iam intendentibus tenebris longam nauigationẽ emenſi ac plenam tædio milium paſſuum amplius XL. Cœnatum quoq; eſt a Pontifice & pernoctatũ in flumine: neq; enim ſine multa offenſione membrorum tractari, & circumferri à lecticariis poterat. Eodem die venit ad eum Nicolaus Sanctæ Cæcilię Cardinalis Thean. quẽ Pius adhuc Senæ agens ad Piſanũ portum legatũ præmiſerat, vt partẽ claſſis, quę ibi parata erat, & quæ ex Genua expectabatur, per Siciliæ fretum ad ſe Anconam perduceret. Is ergo ad oſtium Tyberis appellens, vbi abiiſſe iam Pium, ſed non longe abeſſe cognouit, celeriter in vrbem delatus, circiter meridiem nos eſt aſſecutus: Cupiebat enim de

lega-

legatione,& triremibus quę egerat antequam progrederetur reſtitre. Ad moleſtiam
incommodæ nauigationis,hæc quoq; Sancto ſeni eo die triſtitia acceſſit, quòd Iuue-
nis vix annos natus xx.ad Nauigii miniſteriũ conductus,dum per ripã fluminis paulo
incautius,ſubducendo lembo intẽdit,lapſus in eam partẽ, qua profundior aqua erat,
nautis tardè opem ferentibus,ante oculos noſtros ſubmerſus eſt. Hunc caſum grauí-
rer ingemuit Pontifex, tacituſque, & lachrimantibus oculis orationem ſæpe pro de-
functo ſoluit. Die ,quæ ſecuta eſt,iter nobis fuit non amplius xxv. milium paſſuum.
peruenimus autem ad Cœnobium Diui Benedicti,inclinato iam Sole,quod poſitum
eſt ad radices montis Soractis, qua in Orientem ſpectat. Ante meridiem Cardinalis
Theanenſis,quẽ dixi,renunciatis Pontifici,quę opus habebat,accepta benedictione,
ad claſſem reuerſus eſt. Vix Pio ad ripam appulſo præſto ei fuit Ioannes Caruagial,ge-
nere Hiſpanus, & Epiſcopus Portuenſis, Cardinalis Sancti Angeli vulgo dictus, qui
eodem die maturato itinere, ex Vrbe aduenerat. nam cum biduo ante Pontifex ab
Hieronymo Archipræſule Cretenſi litteras accepiſſet, in quibus ſignificabatur, ma-
gnam Cruce ſignatorum multitudinem quotidie Anconam confluere, & lamenta-
ri,quod Pontificem, qui eos traiiceret,non inueniſſent. Veritus ne(quod accidere in
talibus ſolet)turba diuerſarum nationum & linguarum, tumultum aliquẽ per otium
excitaret,aut in diuerſa dilaberetur, præmittere hunc intendebat, qui paratis confe-
ſtim nauigiis,in Peloponneſum eos traduceret. Homine autem opus æſtimabat,cu-
ius auctoritatem illi ſecuti,deſiderio non tenerentur ſecum, quem tardare oportebat
in claſſe eundi. Hac igitur de cauſa Cardinali ad ſe maturius euocato rationem voca-
tionis prima in collocutione proponit,& vt profectionem capiat impenſius precatur.
Verecunde admodum annoſo ſeni, & attrito iam pro Eccleſia onus tam grande im-
ponebat: ſed magnitudinem rei conſiderans, & imminentem neceſſitatẽ: ac cogno-
ſcens,quam pauci eſſent qui ſuſcepturi mandatum hoc viderentur, annis eius parcẽ-
dum non duxit. Affui ego ſolus ſermonibus his eum habebantur: vna ſemper atque
eadem conſtans Ioannis vox fuit,plena humilitatis & ſpiritus. Si is ſum, Beatiſſ. Pont.
quem tantis rebus idoneum iudices, ſequor ſine mora imperium tuum, & certe et-
iam exemplum,qui in fragili valetudine animam pro me ponis, & pro ceteris ouibus
tuis. Scriptum mihi eſt: *Veni: ecce aſſum.* Imperatur vt vadam: Iam iter ingredior.
Pars hæc vitæ vltima neganda Chriſto non eſt. Commouere hæc verba Pontificẽ; &
quanto magis robur animi in ſene agnouit, hoc ei dolentius eſt compaſſus. Amabat
vnice Pium noſtrum Ioannes,& ſuaſor continuus,ac confirmator fuerat ſancti huius
propoſiti: increpans eos continue,qui infirmioribus animis diſſuadere illi nauigatio-
nem hanc contendebant: id agens videlicet amabilis Deo ſenex, vt extremus vitæ a-
ctus,reliquis operibus non eſſet abſimilis. obierat autem ante Cardinalatum legatio-
nes complures,difficiles omnes,& plenas ſemper periculo. Cardinalis creatus,ſeden-
te Nicolao Quinto,in Germaniam rurſus eſt miſſus. Succedente deinde Caliſto, ſta-
tim ab initio Pontificatus in Pannoniam, atque in omnem oram Illirii ad bellum in
Turcos iuſſus eſt ire. Sexennalem ibi legationem inter aſperam gentem & cœlum in-
ſalubre geſſit. Verſatus ſæpe in caſtris eſt: ſæpe etiam nunciatis irruptionibus hoſtiũ,
in occurſum contendit cum militibus,qui crucem aſſumpſerant. Deſertus nonnun-
quam à ſuis,quos ex Hiſpania & Italia in domeſticum famulatũ ſecum adduxerat. Se
ipſum tamen nunquam deſeruit. Patienter pro Chriſto tulit omnia. Languit inter hos
labores annum fere continuum vſque ad deſperatam ſalutem. Propter vim etiam fri-
gorum, quibus infeſta regio illa eſt, ita dentes ei omnes emoti ſunt, vt quotidianis
pelliculis aduolutis, illos,ſicut videmus, ægre retineat. Innumeris porro difficultati-
bus vno aliquando tempore afflictus, nunquam tamen reditum eſt precatus. Expe-
ctauit ſemper quid Romana Sedes de ſe ſtatueret. Erat ergo patri ſexagenario in tot
anteactis ærumnis legitima excuſatio deprecandi prouinciam etiã iuuenibus opero-
ſam. Sed nihil tale in mentẽ venit,carnis contemptricẽ pro Deo, & pro Imperio Ro-
mani pontificis,quam patientiſſime ſubeunda omnia iudicauit. Rara hæc virtus eſt,
præſtantiſſime Pater. Rara in duris legationibus obedientia. Magni eſſe,& honorati
in populis volumus,ſed pro ſalute cõmuni incõmoda ferre non poſſumus: obtenden-
tes ſemper impedimenta varia negligentiæ noſtræ, & immemores tot anteactorum

AD CARDINALES SEDE VACANTE, poſt Pium.

XL.

PRima pietatis noſtræ officia perſoluta iam ſunt Patri, & Principi, nuper defuncto. Humatum ſolemni more eſt corpus, & funere ampliſſimo honeſtata mors, & nouendialis ſacri religio, frequentia noſtri ordinis reddita. Proxima nunc eſſe videntur, vt eodem ſepulchro, quo illum condidimus, memoriam quoq; includi non patiamur. Mortuis etiam, non viuis tantum gratitudo noſtra debetur: Mortuo nõ minus quã viuo habendę ſunt gratiæ. Præclarę virtutis Antiſtes fuit. Enituit in eo ſumma religio, ſumma vitæ integritas, ſingulare ingenium. Doctrina ingens. Humanitas tanta, quantam nec experti antehac ſumus, & deſideraturi forſitan in poſterum erimus. Ad maiora nunc vocat nos Deus. Dandus eſt Plebi Catholicæ paſtor, inſtituendus in eccleſia Dux, qui regat populum ſuum, qui ſanet contrita: opus omnium maximum, omnium maxime debitum. quod in vtranq; partem vel vitam, vel interitum afferat. Abiiciendi affectus Tactiones, & (vt ita dicam) vltramontanitates: neq; Italus Tranſalpinum horreat, ſi bonus eſt, neque Italum Tranſalpinus indignetur. propter vtroſq; crucifixus eſt Dominus: ſuper vtroſque oriri facir ſolem, & lunam, & pluit. Et aliquãdo per Italum melius adminiſtratum, & per eundem magnæ calamitates illatæ. Non amicitiæ, non ſpes commodorum propriorum, non odia ſunt attendẽda. Omnia hęc Domino condonanda. Valetudo multum adiicit animo. Multũ infirmitas detrahit. quamquam vbi vigor naturalis eſt, non tam eſt attendenda. An neſcitis imperare caput, non pedes? Vidimus cæcos, claudos geſſiſſe magnas res, etiam vbi corpore eſt opus: multo magis vbi ſolo conſilio. Ætas ſenior, certior. in iuuenibus aliquando magna opera. Alex. Pompeius. Scipio Nicolaus IIII. Grandior tamen certior Dux.

FRANCISCO CARDINALI SENENSI.

XLI.

LIbenter, præſtantiſſime Pater, de Pio noſtro & cogito, & loquor, cum poſſum. Lenio ſemper hæc agens defuncti deſiderium, & me ipſum conſolor: Idem quoque euenire Dignationi tuæ exiſtimo: qui eum viuentem pie coluiſti, & mortuum grate es proſecutus. Totum itaq; id tempus, quod ab vltimo diſceſſu eius ab Vrbe vſque ad obitum fuit, hac epiſtola breuiter repetam: Credens quæ abſens videre non potuiſti, cognoſces, non inuitus ex me, qui interfui ſingulis, & vſq; ad ſupremum ſpiritum, ab ore ſuo pependi. Cupiens igitur Pius Sanctiſſimus profectionẽ ſuam in Turcos perficere, quæ fidelibus repromiſſa iam erat ad XIIII. Calendas Iulii in baſilicam Sanctorum Apoſtolorum mane deſcendit, ſicut ſuus erat mos ſemper, cum vrbem relinquebat. Atq; ibi veneratis aris, & ſucceſſu rerũ pie deprecato, Roma egreſſus eſt, Patribus & Prælatis lecticam eius ſequentibus. Ad Pontem Miluium dimiſit à ſe omnes, præter eos, qui ſecum erant ituri. Lembũ deinde ad leuandam fatigationem terreſtris itineris aſcendens: per aduerſum amnem ad Caſtellum Iubileũ peruenit decimo ab Vrbe miliario viã per Tyberim agentibus. Delegit ſibi huiuſce nauigationis comites Dominicum Torcellanæ, & Agapitum Camertinę, & Ioannem Triphernatis Eccleſiæ præſules: quorum Dominicus, & Agapitus, de ſupplicationibus referre ſoliti erãt: Ioannes ſacrarii Apoſtolici curam gerebat. Me quoq; & Andreã germanum tuum, & Gregoriũ Lollium adiungi his voluit. Pranſus eo die in Lembo Pius eſt, & cœnauit, & quieuit nocte illa. Poſtridie ante ortũ Solis ex eo loco ſoluentes Phianũ appulimus: primis iam intendentibus tenebris longam nauigationẽ emenſi ac plenam tædio milium paſſuum amplius XL. Cœnatum quoq; eſt à Pontifice & pernoctatũ in flumine: neq; enim ſine multa offenſione membrorum tractari, & circumferri à lecticariis poterat. Eodem die venit ad eum Nicolaus Sanctæ Cæcilię Cardinalis Thean quẽ Pius adhuc Senæ agens ad Piſanũ portum legatũ præmiſerat, vt partẽ claſſis, quę ibi parata erat, & quæ ex Genua expectabatur, per Siciliæ fretum ad ſe Anconam perduceret. Is ergo ad oſtium Tyberis appellens, vbi abiiſſe iam Pium, ſed non longe abeſſe cognouit, celeriter in vrbem delatus, circiter meridiem nos eſt aſſecutus: Cupiebat enim de

lega-

legatione,& triremibus quę egerat antequam progrederetur referre. Ad moleſtiam incommodæ nauigationis,hæc quoq; Sancto ſeni eo die triſtitia acceſſit, quòd Iuuenis vix annos natus xx.ad Nauigii miniſteriũ conductus,dum per ripã fluminis paulo incautius,ſubducendo lembo intẽdit,lapſus in eam partẽ, qua profundior aqua erat, nautis tardè opem ferentibus,ante oculos noſtros ſubmerſus eſt. Hunc caſum grauiter ingemuit Pontifex, tacituſque, & lachrimantibus oculis orationem ſæpe pro defuncto ſoluit. Die ,quæ ſecuta eſt,iter nobis fuit non amplius xxv. milium paſſuum. peruenimus autem ad Cœnobium Diui Benedicti,inclinato iam Sole,quod poſitum eſt ad radices montis Soractis, qua in Orientem ſpectat. Ante meridiem Cardinalis Theanenſis,quẽ dixi,renunciatis Pontifici,quę opus habebat,accepta benedictione, ad claſſem reuerſus eſt. Vix Pio ad ripam appulſo præſto ei fuit Ioannes Caruagial,genere Hiſpanus, & Epiſcopus Portuenſis, Cardinalis Sancti Angeli vulgo dictus, qui eodem die maturato itinere, ex Vrbe aduenerat. nam cum biduo ante Pontifex ab Hieronymo Archipræſule Cretenſi litteras accepiſſet, in quibus ſignificabatur, magnam Cruce ſignatorum multitudinem quotidie Anconam confluere, & lamentari,quod Pontificem, qui eos traiiceret,non inueniſſent. Veritus ne(quod accidere in talibus ſolet)turba diuerſarum nationum & linguarum, tumultum aliquẽ per otium excitaret,aut in diuerſa dilaberetur, præmittere hunc intendebat, qui paratis confeſtim nauigiis,in Peloponneſum eos traduceret. Homine autem opus æſtimabat,cuius auctoritatem illi ſecuti,deſiderio non tenerentur ſecum, quem tardare oportebat in claſſe eundi. Hac igitur de cauſa Cardinali ad ſe maturius euocato rationem vocationis prima in collocutione proponit,& vt profectionem capiat impenſius precatur. Verecunde admodum annoſo ſeni, & attrito iam pro Eccleſia onus tam grande imponebat:ſed magnitudinem rei conſiderans, & imminentem neceſſitatẽ: ac cognoſcens,quam pauci eſſent qui ſuſcepturi mandatum hoc viderentur, annis eius parcẽdum non duxit. Affui ego ſolus ſermonibus his cum habebantur: vna ſemper atque eadem conſtans Ioannis vox fuit,plena humilitatis & ſpiritus. Si is ſum, Beatiſſ. Pont. quem tantis rebus idoneum iudices, ſequor ſine mora imperium tuum, & certe etiam exemplum,qui in fragili valetudine animam pro me ponis, & pro ceteris ouibus tuis. Scriptum mihi eſt: Veni:ecce aſſum. Imperatur vt vadam: Iam iter ingredior. Pars hæc vitæ vltima neganda Chriſto non eſt. Commouere hæc verba Pontificẽ; & quanto magis robur animi in ſene agnouit, hoc ei dolentius eſt compaſſus. Amabat vnice Pium noſtrum Ioannes,& ſuaſor continuus,ac confirmator fuerat ſancti huius propoſiti:increpans eos continue,qui infirmioribus animis diſſuadere illi nauigationem hanc contendebant:id agens videlicet amabilis Deo ſenex, vt extremus vitæ actus,reliquis operibus non eſſet abſimilis. obierat autem ante Cardinalatum legationes complures,difficiles omnes,& plenas ſemper periculo. Cardinalis creatus,ſedente Nicolao Quinto,in Germaniam rurſus eſt miſſus. Succedente deinde Caliſto, ſtatim ab initio Pontificatus in Pannoniam, atque in omnem oram Illirii ad bellum in Turcos iuſſus eſt ire. Sexennalem ibi legationem inter aſperam gentem & cœlum inſalubre geſſit. Verſatus ſæpe in caſtris eſt: ſæpe etiam nunciatis irruptionibus hoſtiũ, in occurſum contendit cum militibus,qui crucem aſſumpſerant. Deſertus nonnunquam a ſuis,quos ex Hiſpania & Italia in domeſticum famulatũ ſecum adduxerat. Se ipſum tamen nunquam deſeruit. Patienter pro Chriſto tulit omnia. Languit inter hos labores annum fere continuum vſque ad deſperatam ſalutem. Propter vim etiam frigorum, quibus infeſta regio illa eſt, ita dentes ei omnes emoti ſunt, vt quotidianis pelliculis aduolutis,illos,ſicut videmus, ægre retineat. Innumeris porro difficultatibus vno aliquando tempore afflictus, nunquam tamen reditum eſt precatus. Expectauit ſemper quid Romana Sedes de ſe ſtatueret. Erat ergo patri ſexagenario in tot anteactis ærumnis legitima excuſatio deprecandi prouinciam etiã iuuenibus operoſam. Sed nihil tale in mentẽ venit,carnis contemptricẽ pro Deo, & pro Imperio Romani pontificis,quam patientiſſime ſubeunda omnia iudicauit. Rara hæc virtus eſt, præſtantiſſime Pater. Rara in duris legationibus obedientia. Magni eſſe,& honorati in populis volumus,ſed pro ſalute cõmuni incõmoda ferre non poſſumus:obtendentes ſemper impedimenta varia negligentiæ noſtræ, & immemores tot anteactorum

martyrum Chriſti, qui ſuo ſanguine maieſtatẽ hanc, qua nũc gloriamur, nobis pepererunt. Dignatus eſt ea die Pius honore menſę ſuę illum & me: nihil inter epulas prę terquam deſiderium ſoluendę claſſis ſuſpirans. Ipſe poſtmodũ ex conſuetudine ſuperiorum dierum pernoctauit in lembo. Nos ad Cænobiũ diuertimus. Ea nocte miſſio legati ſignificata Anconam eſt nuntio veloci, ad animos illorum, qui conuenerãt retinendos. A cænobio ad portum Ocriculi quarta ſtatione peruentum eſt: aſcenſu nõ breuiore xx. milium paſſuum. Inter eundum tractatũ ſedulo eſt de ratione tota traducendorum Cruce ſignatorum, & de eroganda pecunia, & de litteris ad iniunctum opus ſcribendis. Mallianenſes quoq; (quod oppidum in Sabinis eſt) audientes aduentum Pii, ad ſubiectam ripam Tyberis, qua tranſeundum erat, populariter deſcenderant, abeuntem illum viſuri. Trahebatur lembus per ſiniſtrum amnis latus funibus ad malum ligatis, vt nauiculatorum noſtrorum eſt mos: ſed Pius conſpicata multitudine oppidanorum & apparatu epularum, quas ſublatis in altum lancibus, longo ordine oſtentabant: ne impenſæ factæ eos pœniteret, aut inconſolati dimitterentur, conuerti ſubito in dexteram partem nauigium iuſſit. Atque ibi aliquandiu viſendum ſe adorãdumq; præbuit. Grata Mallianenſibus ea humanitas fuit, euntemq; miſerati orauerũt reditum celerem, & felicem rerum ſucceſſum. Cardinalis mandatis iam omnibus à Pio acceptis, veſperi dimiſſus eſt cum benedictione & oſculo pacis. Altera die Ocriculum vltra progreſſi non ſumus, contenti ob prementem valetudinem eius duobus tantum milibus paſſuum. Hic de rebus nonnullis proſpere in Peloponneſo geſtis eſt nunciatum. Orator Venetorum, qui nos ſequebatur, litteras à Senatu ſuo habens, eũ ſucceſſum ordine indicauit. Gratias habuit Deo Pius pro his quæ audierat: & continuationem diuinæ opis eſt deprecatus. Ab Ocriculo ante lucem vitandi Solis cauſa mouentes Narniã æſtu nondum intendente peruenimus. Patriam natalem Berardi noſtri Cardinalis ſanctę Sabinæ, quem Pius propter excellentem virtutem quadriennio ante ab ordine Referendariorum ad Cardinalatum aſſumpſerat. Ibi totam diem quieuimus. Poſtridie Interamnam contendimus via breuiore & pridiana magis iucunda. Quippe per ſubiectam planiciem iter tenentes per agrorum culta, cum delectatione intuebamur caſtella plurima, quæ in vicinis collibus non longis inter ſe ſpatiis apparent. Paulo poſt ortum Solis Ciuitatẽ ingreſſi ſumus, & natalem Ioannis Baptiſtæ volente Pio ibi peregimus: ſtatuerat enim minutis itineribus periculum offendendę grauius valetudinis euitare. Adiuncti ea die comitatui noſtro ſunt Guillielmus Cardinalis Rothomagenſis & Berardus, quem dixi, & Rodericus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarius ex Vrbe nos aſſecuti. Hic ego totam eam diem operatus quædã ſcribẽdo, quæ iniuncta à Pontifice erant. Dum adhuc ſtudium in multã noctẽ produco, & propter æſtũ paulo negligentius tegor, ſubita vi frigoris ita obſeſſus ſum, vt quãuis ad laſſitudinẽ fotus, vix recaleſcere vltra mediã noctẽ poſſem. Mane diei ſequentis etſi motum hunc initium febris eſſe intelligebam: tamen diuelli à Pio non valens, quem & febrientem, & anxium doloribus ferri ad bellum pro nobis videbã, remanendũ non cenſui. Itaq; admixtus cæteris ſecutus ſum eũ vt potui. Iter ab Interamna Spoletũ, etſi non amplius milibus paſſuum xii. eſſet: tamen quia inter perpetuas & ſaxoſas valles operoſum nimiũ videbatur, partiendũ Pius putauit. Igitur ad tabernas tres Vallis ſtricturæ prope ſacellũm, quod eo in loco ſitum eſt reſtitit, viæ pene medio Cardinalibus præcedere Spoletum iuſſis, vt commodius ibi diuerterent. Me autem ſecum eſſe imperauit, neſcius quid prima nocte accidiſſet. Diem ibi reliquũ & noctem ſequentẽ ſub tentorio fuimus, non ſine multo incõmodo. Poſtera luce febre ſupra modum inualeſcente ægre Spoletum delatus ſum. vbi continuo magis adaucto languore dies xx. nõ ſine vitæ periculo iacui. Dolens eo caſu Pius, à quo ſupra merita diligebar, medicos propere ad me miſit, qui ad curandam cum ſtudio ægritudinem hortarentur, & vt bono eſſem animo, atq; inde ante reaſſumptam valetudinem non abirem imperarent. Ipſe continuato itinere ad medium fere Iulium non ſine labore Anconã peruenit. Quæ illi in reliquo viæ acciderint, quia non affui, referre non poſſum. Valetudini vero prope iam redditus, cum ſextũ iam diem febris me nõ attigiſſet, iter quanquã diſſuadentibus medicis, ingredior, Patris ſequens veſtigia. Via omnis benignitate Dei ſine incõmodo accidit. Nocte autẽ eius diei, quo propinquans Anconæ

conç Auximum veni, ecce pręſagium calamitoſum futuræ mortis accipio, vt non ad Patrem & ad profectionẽ in Turcos, ſed ad funus eius iturum me putem. Conſueuerã ſuperioribus diebus, ne membra languore attrita, æſtu amplius offenderentur, tantum itineris ante lucem conficere, vt Sole nondum caleſcente peruenirẽ quo diebus ſingulis intendebam. Igitur via Anconam vſq; VIII. tantum miliariũ reliqua erat: remittendum æquo animo cenſui de matutina ſolertia. Euigilans tamen qua hora ſolitus eram, & mox de induſtria conſopitus, regredi videor mihi ad vrbem, & Pontificis palatium intrare, vbi eſſe ſecum conſueueramus dies ac noctes, tum eius cubiculum petere. Patefacta hic inuenio omnia ſine cuſtodibus oſtia, & lectos ſine ſtratis, & parietes ſine vllis auleis. Nulli obuiam cubicularii erant, nulli condomeſtici. Admiratio & conturbatio cordis ſurgebat plurima: cubiculũ vero ipſum ingreſſus, vt viderẽ ſi ſaltem eſſet Pius, etiam nihil inuenio. Cerno pallia lectuli conuoluta in globum. Creſcit impenſius hoc ſpectaculo anxietas. recurro ſtatim in anteriores aulas, aliquẽ perquiſiturus, qui de Patre aliquid doceat. obuiam fit mihi & plurimum ſudans Gaſpar Picolomineus, ſororis Lollii noſtri filius. Gaſpar, inquã, quid ſibi hęc ſolitudo Palatii vult? aut quonam portatus eſt Pius noſter? Ille, vt viſum mihi tunc eſt, voce paululum commotiore: & digito ſacellum maius Palatii oſtendens, Huc, inquit, intra, & inſpice. Solitudinis cauſam, & vbi agat Pius intelliges. Deſines amodo loca hæc frequentare. Et ſimul his dictis à conſpectu ſe meo proripuit. In Sacellum vero aſcendens, video Cardinaliũ lectulos ex ordine diſpoſitos, & vela in circuitu obtenta, ſicut in electionibus Pontificum adornari locus eſt ſolitus. Agnoſco collegarum noſtrorum facies, & hunc modo, nunc illum intueor. Te vero & Spoletanum non videbar videre. Erat autem ita præ dolore guttur obſtrictum coniicienti ex iis quæ videbam obitum Pii, vt cupiens loqui os aperire non poſſem. vnus ex iis ad me veniens, & triſtitiam ridens, quam deprehendebat ex vultu: *Quid tu*, inquit, *mæſtus es & afflictus? An non vides morte Pii laqueũ contritum eſſe? & nos liberatos?* inter hęc flens & mœrens propter vim ſummã doloris euigilo, ſentiens totũ corpus ſudore, & lacrymis vultum cõſperſum. Ago gratias Deo, quòd hęc facta ad verum non ſunt, ſed per ſomniũ viſa. Fatigatus vero his imaginibus multũ, & recreari rurſum quęrens, ac ſomnũ quęrens capere, dormire incipio. Ecce idẽ locus, eadem facies retũ, oculis rurſum obiicitur. Iri in ſcrutinium video, & ſingula ad electionem parari, quę inter nos ſolita ſunt. Ego nec te videns alicubi, nec Spoletanum noſtrum. Tum autem neſciens an Pius eſſet defunctus, reſumpta iam propter indignationem voce clamo, iniquum facinus eſſe, alienumq; à Patrum decretis, incerta morte Pontificis de ſucceſſore tractatum haberi: aut ſi certa eſſet, abſentes Cardinales non expectari. Videbar hæc loquens contemni, & non attendi quod dicerem. Iterum hæc mentis anxietas me excitat conturbatum iam animo, & male de Pio ominantem, quod bis ex interuallo conſopitus, bis eundem viſum vidiſſem. Surgo mœſtus, ac triſtis, & parari omnia ad diſceſſum præcipio. Lux aperta iam erat. Iter vero ingreſſus reuoluere animo ſomniũ noctis incipio. Hinc me confirmabat vanitas ſomniorum, quibus ſapientes non habendam fidem affirmant. Hinc ſummus amor in Pium cor affligebat, cogebatq; gentilibus libris magis quã noſtris me aſſentiri. Recordabar Auguſti, qui nec ſuum, nec amici de ſe ſomnium vnquam neglexit. Repetebam hiſtorias, in quibus memineram, quæ viſa non falli dicuntur, & verſiculus ille Flacci etiam occurrebat: *Poſt mediam noctem viſus cum ſomnia vera.* Adiunxerat ſe mihi comitẽ, cum diſcederem Auximo, Angelus Sueſſanus pręſul iunctim mecum adequitans. Is loquebatur continue, & hiſtorias neſcio quas ſui præſidatus, quem paulo ante in Flaminia geſſerat, recitabat. Ego hac vna in cogitatione fixus, & ſilentium agens, nil optatius expectabam, quam domeſticum quempiam Pii procedere obuiam, ex quo ſciſcitari, & intelligere veram eius valetudinem poſſem. Coortus tunc erat imber vehemens, & ego alia porta quam credebatur Anconam intrabam. Igitur ſe nemo obuiam dedit, ſed mox deſcendenti ad ædes, quæ mihi paratæ ſub epiſcopio erant, præſto eſt Ambroſius Spanochia, Aulicus Pii, vnus omnium (vt ſcis) attentiſſimus ſemper ad odoranda quæ fiant; complexus eſt me, facie præter ſolitum triſti. Peto ab eo: *Ec quid de Pio noſtro Ambroſi?* Ille ſtatim: *Papienſis mi, ingrauatus quotidie magis languor eius eſt. Conſumitur paulatim, nec menſem in-*

ægrum ſuperfuturum nobis exiſtimo. Contemplaberis eum mox tu, & ita eſſe mecum pariter iudicabis. Mora non interpoſita, aſcendo ad Epiſcopium, inſpecturus oculo quod ille verbo affirmauerat. Intranti cubiculum ſubito iacentis ſenis concidiſſe facies tota eſt viſa. Dies iam triginta non videram: neſcio quo pacto ex interuallo eandem rem intuentes, rectius quod auctum, quod iniunctum, immutatumue ſit internoſcimus. Ne illum contriſtarem triſticia mea, ſubito ſerenam faciem induo, & ante lectulum oſculaturus manum procumbo. Signandis ſupplicationibus tunc operam dabat. Quieſcere Referendarios, & tollere de medio omnia imperat. Rorantibus pene oculis amplectitur me, atque oſculatur. Moxq; ſpiritum ſupra vires gerens ita de nauigatione ſua & ſpe rerum gerendarum ſermonem habet, vt ille, qui præ deſiderio ad horam diſceſſus ſe venturum non crederet. Diebus ſequentibus Ducem Venetorum expectans, quem dolebat Anconæ non reperiſſe, & iam poſt acceſſum ſuum ſupra vigeſimum diem tardare, comparari omnia ad nauigationem curabat, ſtudium in hoc vno præcipuum habens. Confluxerat eo loci turba multa ex variis gentibus, non ſatis conſiderate domo egreſſa: etenim cum, vt tu ſcis, eos ſolos euocaſſet Pius propoſita peccatorum remiſſione, qui vel annum integrum, vel ſolum ſemeſtre ſuo ſtipendio in exercitu agerent, atque ita decretum eius per orbem circummiſſum cõtineret: illi neſcio quo zelo inconſulto permoti: at credentes ſtipendium & victum miniſtrante Pontifice non defuturum, veniendum ſtatuerant. Non inuenientes autem quæ ſibi animis finxerant, (neque n. Pius alere tantum concurſum poterat) vẽditis armis regrediebantur in patriam, quorum nihilominus miſertus Pius, ne omnino fruſtra venisse ſe angerentur, decreti ſui participes eos fecit. Erant vero inter hos, qui conſideratius venientes attuliſſent ſecum, vnde ſemeſtre totũ in bello continuare poſſent: horum traducendorum cauſa naues Venetorum duas multis iam antea diebus in horas ſingulas expectabat. Sic enim facturos ſe illi receperant. ſed cum eæ diutius tardarent quam oporteret, Cruce ſignati qui ſuperfuerant, moræ impatiẽtes catervatim quotidie abibant. Ita ut non multo poſt appulſis nauibus miles iam non ſupereſſet, qui illis poſſet imponi. Ea res occaſionem quoque plurimam dedit accelerandæ mortis Dolente Pio, & ſupra modum contriſtante, quòd retineri in eam horam non potuiſſent. Interim vero nuntiis & litteris Raguſinorũ certior redditus eſt, Turcum cum omni exercitu non longius xxx. milibus paſſuum à Raguſia conſediſſe, & miſiſſe ad Magiſtratum legatos, qui dicerent niſi triremes duas inſtructas, quas ea ciuitas datura Pontifici erat, retinerent, & niſi imperatos obſides traderent, & tributũ in annos ſingulos penderent, ad eorum oppugnationẽ mox eſſe venturum. Nunciabatur quoq; quoſdam leuis armaturæ milites in agrum Raguſinũ prędandi cauſa iam excurriſſe. In ciuitate vero nõ ſatis frumenti ad perferendã obſidionem eſſe, & militibus eſſe opus, qui in defendẽdis mœnibus vſum haberẽt. Quibus permotus Pontifex ſagittarios pene omnes, quos ad cuſtodiam ſui corporis ante conſcripſerat, ſubito nauigare Raguſium iubet, & frumentum imponit, quod ad primam neceſſitatẽ ſatis eſſe iudicaretur. litteras quoq; addit, quibus illos conſolabatur, & ſpem ſubſequentis prę ſidii dabat. Ipſe accerſiri ad ſe ſtatim Cardinalem Sancti Angeli iubet, quem propoſiti ſui inter cęteros ſtudioſum habebat. Hunc, præſente me, conſulit, quid ſi obſideatur Raguſium, agendum exiſtimet. Ille, vt erat ſemper ad bonum opus paratus, nihil cunctans, *Ibo*, inquit, *ego actutum cum triremibus, quæ inſtructæ in portu ſunt, & vel obſidionem Deo adiuuante diſſoluã, vel territis oppidanis ſpem bonam, atque animum faciam. Et quid*, inquit Pontifex, *connauigare tecum, frater, me prohibet?* Conſiliũ certum eſt, ſi illuc Turcus aduenia, cũ iis, quas potero triremibus eodem ſine mora contendere. Ciuitas in littore maris eſt ſita, natura loci & manu multum munita. Eadem quoque portu abluitur. ad bene agendũ oportunitas erit. Inuehi in vrbem ſine periculo poſſumus. Sola præſentis Pontificis opinio Turcum, Deo ita volente, ab obſidione repellet. Alioquin in locis aſperis commeatuum inopia laborantem, ſi conſilium comprobauerit Deus, fama hæc in omnem partem vulgata Chriſtianorum corda ad nos ſequendos inducet: cõcipientes iam ex felici principio victoriæ reliquum. Hæc enim cũ probaſſet Ioannes, ego miſer, & carnem ſapiens magis quam ſpiritum, eorum propoſitũ ſummopere diſſuadebam: non quòd euentura non crederem quæ illi proponerẽt, ſed quia in fragili corpuſcu-

corpuſculo febte ac doloribus fatigato nauigationem illam finem vitæ futuiã verebar. Contendebam igitur argumentis multis: ſed euincere mentes non poteram, in Deum ſolum ſperantes. Igitur confirmata inter ſe profectione, imperat ill co Pius, magno ſtudio militem cogi ad triremes, & omnia neceſſaria imponi, vt ad primum obſidionis initium ſoluere è portu poſſet. Verum quartriduo poſt nunciato receſſu hoſtium diuina benignitate, parcendum conſilio fuit. Interea dum Venetorum Dux à Pontifice expectatur, languor perurgens vſque adeo inualuit, vt parum vitæ ſuperfuturum iam medici dicerent. Premebarur dies & noctes non doloribus modò, qui totum corpus apprehenderant: ſed duabus etiam febtibus, quarum altera concepta in venis ceſſabat nunquam: altera ex interuallis recurrens, magno ardore, velut flamma membra abſumebat. Hæc mala ingrauabant æſtus continui, qui Iulio & Auguſto adeo intenderant, vt ardere omnibus horis ciuitas videretur. Re igitur ad extremam prope deſperationem adducta, tandem Venetorum claſſis, quæ Ducem eorum vehebat, pridie Idus Auguſti velis procedens, duodecim numero triremes erant rebus omnibus ad bellum egregiè paratæ, appellit. Hoc cognito Pius ſubito ſuas & ipſe triremes, atq; omne nauigii genus, quod ad nauigandum idoneum eſſet, adornari magno ſtudio iubet, & obuiam Duci exire. Cardinalibus quinque Pontificali, quadriremi impoſitis, qui eum aduenientem exciperent. Proceſſum cum omni apparatu ac pompa eſt, tam à Patribus ac prælaris, qui ſecuti curiam erant, quam à Magiſtratibus & Ciuibus Anconitanis. Cum ad tertium fere milliarium claſſem Venetam in conſpectu haberemus, ſubito illi vela demittentes, quod eſſe ſignum nauigantium ſolet, cum reuereri digniorem claſſem volunt, remis cõſurgunt, ac, vt quàm bene inſtructas adducerent, nobis oſtentarent, iubent tanquam ſi inituri prælium eſſent, armatos à prora, & puppi, & lateribus collocari, omnifariamque tormenta contendi. Mox vero vt conuentum eſt, vt contingere ttiremes ſe mutuo poſſent, ſublato clamore, & armis ad ſpeciem pugnæ concuſſis, tormentiſque emiſſis, ſpectaculum iucundiſſimum prębuere. Pius ea die, quanquam ira affectus, vt diximus, cernere & ipſe hoc ſpectaculum cupiens, ad feneſtellam cubiculi, quæ in mare atque in portum deſpiciebat, non ſine labore deferri ſe imperauit, atque ibi aliquandiu obuias claſſes inſpexit. Afflictari rurſum incipiens, quod ea ſe non eſſe iam valetudine intelligeret, vt pro deſiderio connauigare illico poſſet, ſalutato Duce a quinque, quos diximus, Cardinalibus, diſceſſum vtrinque eſt. Neque enim propter peſtem, quæ ciuitatem ſupra modum premebat, aut deſcendere ipſe Dux ex quatriremi voluit, aut quenquam ex ſuis ventitare. Neceſſariis omnibus ante communiti, in portu ſe continebant, triremibus ad ancoram deligatis. Nocte, quæ ſecura eſt, attenuatus multum eſt ſpiritus Pii, & vox pene conſumpta. Proprerea Ducem ipſum, qui ad colloquium venturus erat, audire ea die non potuit: ſed diſtulit in ſequentem: expectans, num ſuſcitationem aliquam virium Deus concederet. Verum deterius in horas ſingulas ſibi eſt factum. Profeſtus dies ille erat ſanctæ aſſumptionis matris Domini in cælum: quo die conuenire in Eccleſia ad ſacrum veſpertinum Romanus Pontifex cum Partibus ſolet. Hoc cum impleri per illum non poſſet, per Patres eſt factum. Perfectis ſolemnibus, veniſſe iam horam ſuam Pius cognoſcens, qua reddendus Domino ſpiritus eſſet, Fratres omnes in cubiculum conuocari iubet: atque his ingreſſis, etſi ad loquendum iam erat inualidus, tamen morientibus, vt poterat, atque interruptis vocibus nos appellans: *Fratres*, inquit, *mei dilectiſſimi, videtis quo adductus ſum, hora mea iam venit, Deus hinc nos euocat. morimur in fide catholica in qua & viximus: nihil ſentientes à Romana Sede diuerſum. Egimus vſque in hanc diem quod potuimus pro ouibus creditis: non pepercimus laboribus vllis, aut periculis. Bis caput noſtrum obtulimus ad communem ſalutem. Perficere quod cœpimus poteſtas non eſt vltra. Reliqua veſtra ſunt. curate vos hoc opus Dei, & labi non ſinite per negligentiam fidei cauſam. Ad hoc enim vocati in Eccleſiam eſtis, vt illi ſuis temporibus opem feratis. Mementote officii veſtri, & Redemptoris noſtri, qui contemplator eſt omnium, & retribuit cuique ſecundum opera ſua. creuit ab initio, & progreſſa eſt dignitas veſtra fidei miniſterio. Per fidele miniſterium vtique eſt retinenda. Quarentes quæ veſtra ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, retinere illam diu nequaquam poteſtis. Habete quoque ex nunc temporalium*

Pii moribūdi oratio ad Cardinales.

curam,& videte,ne quid detrimenti patrimonium commune accipiat. Studium hoc omne eſſe veſtrum oportet. Dum licuit, noſtrum fuit. Præterea, Fratres, conuerſati vobiſcum ſumus,& ante in Cardinalatu, & poſt in Præſulatu, ad quem Nos elegiſtis. Conuerſatio noſtra ſine peccato eſſe non potuit. Ex carne enim ſumus, offenſus eſt à nobis Deus, offenſa charitas veſtra: pro his,quæ in Deum peccauimus, ipſe, qui omnipotens eſt, miſereatur noſtri. Pro his vero, quæ in vos, rogamus, dilectiſſimi, vt placatis mentibus veniam morienti tribuatis. Eos qui ex carne noſtra ſunt, & qui famulati ſunt nobis, ſi dignos ſe præſtiterint, commendatos habete. Valete, Fratres. Pax Dei, & cæleſtis gratia vobiſcum ſit. His ægre,& cum lachrymis enunciatis, tantus ſubito Patrum, qui lectulum circumſtabant, coortus eſt fletus, vt diu præ gemitu loqui verbum nemo poſſet, atque ora ſingulorum lacrymantia viderentur. Tandem Beſſarion Cardinalis Nicenus, primum in Collegio locum tenens, verba pro omnibus fecit. Indoluit caſum, in quem erat adductus, non ſui tantum cauſa, quem lachrymabile erat deficere, ſed magis Chriſtiani populi, qui tantum ſalutis auctorem amitteret. Laudauit Pontificem,& præclara eius in præſulatu opera, agens cum humilitate gratias, quòd etiam ſuprema hora monitis ſuis communem rem adiuuaret. Orare ſe Deum dixit, patrem miſericordiarum, vt ſalutem illi reſtitueret: ſed ſi migrandum propter peccata eſſet, habituros nos menti præceptiones Patris, & daturos operam pro viribus, vt nec publicæ Chriſtianorum, nec priuata res Romanæ Eccleſię, in perniciem irent. Veniam, quam popoſcerat, humilitatis aliquorum dixit eſſe. Benigne enim omnes ſemper habitos, atque indulgenter, nec querelam aduerſus eum extare. Poſtulare autem ſingulos, vt benedictionem ſuam,& pacem ſuper fratres relinqueret. Ad cõmendationem vero ſuorum etiam pie reſpondit, docens quàm carus eſſe omnibus deberet ſanguis eius, qui tantum de Chriſtianis, & de Romana Sede meritus eſſet. Poſt hoc reſponſum iterum ſurrexit fletus, & contriſtatio cordium multa. Pontifex manu è palliis paululum eleuata, oſculandam eam omnibus præbuit, flens ipſe,& flentes alios intuens. Nos manu apprehenſa & ante lectulum procumbentes, ſingulatim veniam precabamur erratorum noſtrorum,& oſculum ſupremũ Patris capiebamus. quibus ille: Ignoſcat vobis pius & miſericors Deus: ac ſimul benedicens fratribus, eos à ſe dimiſit. Biduo ante admonitus à Medicis, in omnem caſum vitæ, vel obitus habendam ſupremam rationem animæ eſſe, Dominicum ſacramentum, quod celebribus ſemper diebus valens ſumebat, etiam tunc magna mentis contritione accepit, tundens pectus ad ſingula,& flens,& peccatorem ſe confitens communicatione indignum tanti myſterii. Repetere illud mane ſequentis diei optabat, in ampliorem ſalutem,& in honorem intemeratæ Virginis, cuius Aſſumptionem ſciebat inſtare. Ab adoleſcentia etenim ſua in hanc, tanquam miſericordiſſimam matrem ſemper ſperauerat,& hanc vitæ ducem, actionumq; ſuarum habuerat. familiarius aliquando nobiſcum loquens, recenſenſq; anteactum vitæ curſum, diuerſoſq; Fortunæ euentus, credere dicebat, quia tantum huic glorioſæ Virgini ſe deuouiſſet, ab epidemia ſemel, à lethalibus languoribus ſæpe, nonnunquam ex manifeſtis vitæ periculis ereptum fuiſſe. Omnem deniq; ſucceſſum dignitatis & rerum ſuarum huc referebat. Propterea templum illud Pientinum mirifici operis, à fundamentis extructum, & ſuis manibus illi conſecratum fuiſſe. Conſolationem ergo hanc præcipuam expectabat, vt intra cubiculum ſuum, quando in Eccleſia non licebat, ſolemnia miſſarum cantari audiret,& tanquã ſupremum vale cum fratribus ageret. Optabat autẽ, ſicuti mos erat, per Cardinalem hoc fieri,& me vnum delegerat: qui ſacris huiuſmodi operatus, confectum Domini ſacramentum illi rurſum porrigerem. Inſtituerat etiam vt Patres adeſſent reliqui, ac cætera pro veteri inſtituto obſeruarentur. Comparatis igitur ad peragendum hanc diuinam rem omnibus, ecce inclinante iam Sole inclinare & ipſe admodum cœpit, ita vt non procul à morte videretur abeſſe. Itaq; confeſtim ſacramẽta reliqua perſoluuntur, quæ morientibus debita ſunt, ſenſu adhuc integriore, quàm lingua. Nox ad primam vſq; horam proceſſerat, & Cardinales, cæterique, qui eo conuenerant, domos quiq; ſuas diſceſſerant: Reſtiteram ego tantum, ex omni noſtro collegio, volens pietatem, quam Patri debebam, etiam ſuprema hora perſoluere. Mecum erant præſules tres ex Pontificis familia, & ex ſorore filius Andreas,

Beſſarion. Cardin. ad orationem Pii reſponſio.

Templum Pientinum S. Mariæ cõſecratum.

dreas, quem dixi, & frater conſobrinus Gregorius Lollius, cæterique, qui ad interius miniſterium cubiculi ſeruiebant. Circumſtabamus omnes deficientē ſenem lachrymantes & mœſti, famulabamurq; morienti in eo, quod vltimum poteramus. Intuens vero ille in me, oculo innuit vt accederem propius. Acceſſi ſtatim: Voce itaque iam conſumpta, quæ ab admotis auribus audiri vix poterat: *Ora*, inquit, *pro me fili: peccator etenim ſum*. Et ſimul ad crucem conuerſus, quæ collocata ante oculos erat, hoc non ſine ſuſpiriis frequentabat: *Miſerere mei Deus, miſerere mei, & tu Virgo miſericors, ſeruum deficientē ne deſere. Per miſericordiam filii tui ſuſcipe animam excedentem*. Paulula deinde interiecta mora, rurſus in me dirigens oculos, *Continuationem*, inquit, *ſanctæ expeditionis memora fratribus, & adiuua tu, quoad potes. Væ vobis, væ vobis, ſi opus Dei deſeritis.* Cū reſpōdere tentarem multa, & præ gemitu non poſſem, dexteram manum, quæ in cubitum eleuata erat, demittens ſupra collum: *Benefac*, inquit, *fili, & Deo orationē offer pro me*. Hoc illi vltimum verbum fuit. loqui vltra non valuit propter rheuma continuum, quo pectus iam & fauces erant completæ. Legebantur ſine intermiſſione orationes Eccleſię, quibus animæ decedentium cōmendari Deo cōſueuerunt. Ipſe ad audiendum attētiſſimus erat. Ecce horā circiter tertiā inter legendum tanta quiete ſpiritum Domino reddidit, vt conniuentē, nō morientē diceres emigrare, & ſine ſenſu mortis excedere. Hic, Reuerendiſſime Pater, Pio noſtro exitus fuit: hic labores omnes ſuos athleta fortis abſoluit. Incertum morte ne, an vita felicior? qui ad ſummum Pōtificatum virtute ſua perueniens, & religionis atq; ingenii æternam gloriā cōſecutus, mortem eam ſit nactus, qua, ſi ſæculū attendas, nulla ſublimior: ſi in Deum reſpicias, nulla amplioris meriti contingere poterat. Mortuus pro veritate eſt, & pro redemptione plebis captiuæ, offerens ſeipſum hoſtiam Deo, & relinquens exemplum Sacerdotibus, quales eſſe pro ſuis plebibus debeant. Martyrium autem pene quotidianum paſſus eſt à die, quo Philippus Burgundorum Dux miſſis oratoribus venturum ſe ad bellum & ſocium ſancti operis futurum promiſit. Subito in omnem partem curam impartiens fatigari amplius ſolito ac vehementius cœpit, non remittens ad cōtrahenda neceſſaria ne opus quidem nocturnum. Diuidebat per horas ſingulas cuiq; op[...] ſuum rerum prouidendarum perire huic cauſæ exiſtimans, quicquid momenti aliis eſſet impartitum. Cognoſcebat quoq; molem operoſam aggreſſum ſe eſſe, & ſub ea cadendum, niſi omnifariam ſtudio difficultates vndiq; ingruentes ſuperarentur. Hæc animi anxietas labefactauit ſupra modum ægram valetudinem ſenis, dum nec de alio cogitare, nec quietem capere, nec cibum ſine aſtante cura ſumere poſſet. Comparatis denique omnibus, vt poterat, iucunda ſpes aduenientis Ducis, quæ ſola ſpiritum eius ſuſtentabat, vbi in medio rerum curſu ſpiritus deficit, mirum dictu eſt, quantum non animo ſolum, ſed totis viribus conſternatus. Iudicabat, quod re vera ſapientes videbant, illo non veniente, maximam operis ſui partem corruere, & laborem omnem ſibi congeminare. Tum autem repromiſſos orbi fructus detrimentis maximis retardari. Acceſſerant præterea duæ dolorum faces, quæ animam incendebant. Properandum ſemper ad opus inceptum. Altera, quod ab eis lentè ac frigidè adminiſtrari omnia ſentiebat, qui vel pecuniam pendere, vel armatum militem mittere, vel triremes ad bellum inſtaurare impēſa ſua promiſerant. Altera quòd Anconā proficiſcens cateruas regredientium Cruce ſignatorum quotidie habebat obuias, inermes, ac vacuas pecunia, qui (vt antea dictum eſt) lege decreti ſui non obſeruata temere iter erant ingreſſi. Hi ad ſuos redeuntes culpaturi nimirum videbantur Pontificem, vt tegerent inconſulti motus ſui culpam. Tot ſingulis pene horis infligebantur cordi vulnera, quot cateruæ huiuſmodi occurrebant. Vidi ego aliquando eis trāſeuntibus, faciem mœſti ſenis ſic conturbatam, vt habendum in præcipuo negotio medicis dicerem, lecticæ vela demittere, vbi & conſpectæ à longe eſſent. Complectar vno verbo: Publicæ Chriſtianorum cauſæ vir ſanctus non defuit, ſperans in Domino, & ſupra vires animum geſſit. Defuerunt ei, qui deeſſe nullo modo debebant. Ipſe cum omni conſtantia ad mortē contendit, & patienter paſſus eſt pro Chriſto Deo ſuo. Nos ergo, Præſtātiſſime Pater, memoriam tantæ virtutis quam diu viuimus contineamus in animis noſtris, & grata recordatione Patris noſtri memores ſimus. Ipſe eſt qui genuit nos, & qui dilexit nos vſque in finem, ad Cardinalatum am-

bos aſſumens, & de ſtercore erigens pauperes, & ſedere faciens cum Principibus populi ſui. Componamus quoque mentes noſtras ad imitationem operum ſuorum, quæ huiuſmodi ſunt, vt ſiue publica ſpectemus, ſiue priuata, erudire nos in omnibus actionibus abunde poſſint. Coluit Deum, coluit iuſtitiam: animum gerẽs, vt inuictum contra malos, ſic miſericordem in humiles. Ea porro laude ingenii & bonarum artium floruit, vt admirationi omnibus eſſet, & eloquium eius ſuſtinere gentes, & regna ſępe non poſſent. Hos vero imperitos detractores ſuos, quib⁹ aliquando propter iuſtitiam moleſtus fuit, ita contemnamus, vt pertinere ad eum mendaces voces non arbitremur. Odium recens iudicare illos recte non ſinit. Succedentia ſæcula omni affectu libera, verius iſta expendent, & geſta eius celebrabit Eccleſia. Nos credamus illum, quia ſancte vixit, & in martyrio defunctus eſt, in ſinu Abrahæ eſſe, & cum beatis ſpiritibus gaudiis cœleſtibus perfrui. Vale.

DVCI VENETORVM PRO SACROSANCTO Senatu Cardinalium.

XLII.

SCribit ad nos Excellentia Veſtra, incolumem ſe reueniſſe Venetias. Hoc ſumme lætamur, illi proſpera omnia cupientes. Addit gratiſſima Senatui ſuo fuiſſe, quæ de noſtra in ſe charitate audierit, & propterea nobis ingentes gratias agi. Nos, ſereniſſime Princeps, ſatisfacere forſan potuimus gratis animis veſtris pro paruis magna habentibus, nobis ipſis non ſatisfecimus. Cognouimus maiora deberi Excellentiæ Veſtrę, quę vires noſtrę exiguæ prętare non valuerunt. voluntas non defuit: poteſtas nõ fuit. Quod de pecuniis miſſis ſignificat, placet ad loca tuta eſſe delatas. Vnde orator à nouo Pontifice noſtro mittẽdus, eas accipere, & iuxta cõdicta inter nos portare ad Sereniſſimum regem Vngariæ poſſit. Idq; vt ita fiat, ſicut Anconæ tunc, ita nunc Excellentiam Veſtram hortamur. Confidimus, Domino adiuuante, ſubuentiones, quę dari hinc poterunt, Chriſtianis non defuturas. Animi noſtri inclinatiſſimi ad omnia ſunt. Pontificem autem enim, Deo concedente, habemus, qui nos deſiderio vincat, & ſtudia noſtra ſanctis ſuis operibus ſuperet. Mox vt aſſumptus eſt, prouentum omnem Aluminis & quicquid inde percipi poteſt, Deo, & continuandę expeditioni quamdiu viuet, dicauit. Quod ideo veſtræ Excellentię ſignificandum putauimus, vt confortetur cor ſuum, & ab Eccleſia Romana expectet, quæ re & verbo impendi omni tempore poterunt. Cuſtodiat omnipotens Deus excellentiam veſtram ad ſalutem fidelis gregis ſui.

FRANCISCO DVCI MEDIOLANI nomine Collegii.

XLIII.

CVm diebus præteritis audiuiſſemus, Franciſcum Philelphum & filium eius Marium naturæ ſuæ obſecutos, verſus & ſolutam orationem ſcripſiſſe aduerſus ſanctæ memoriæ Dominum Pium Pontificem noſtrum nuper defunctum, admirati non mediocriter ſumus, dolentes tantam erroris mentem in litterato homine inueniri, vt immemor Chriſtianæ profeſſionis, in cœlum ponere os, mẽdacia fingere, ſanctum Domini lacerare, & conſilia Romanæ Sedis audeat condemnare, notiſſima quidem toti orbi, & ab eodem aliis in ſcriptis ſitis laudata. Rurſum cum intelleximus, hanc inſaniam Excellentiæ veſtræ pariter non placuiſſe, & doluiſſe admodum non præſtari à ſuis eam reuerentiam Romano Pontifici, quam ipſa deuote ſemper exhibuit, ac propterea ambos in carcerem ductos, officio veſtro multum ſumus lætati, videntes nõ ſolum maledicos illos pœnã ferre ſceleris ſui, ſed caram eſſe ſæculari poteſtati æſtimationẽ Vicarii Ieſu Chriſti. Agimus eidem Excellentiæ veſtræ debitas gratias. Factum ſuum laudamus, & dignum ducimus catholico Principe. Fecit quod ſapientiæ ſuæ cõſentaneum fuit, & quod facturam eam re audita credidimus. Sacrificium Deo obtulit carum, ac beneplacitum. Siquidem odibile ei eſt os prauum, & detrahentia labia deteſtatur. Ita hortamur Excellentiam veſtram ſedulo agat. Matrem Eccleſiam, & honorem primæ Sedis & colat, & à ſuis detractoribus tueatur. Nos qui

viuentis

viuentis Pii membra fuimus,& Pontificibus debemus quod ſumus, pro hac commendabili ſignificatione ſua debitores illi nos confitemur,Noſq; &noſtra omnia beneplacitis ſuis offerimus:quam Deus incolumem & florentem conſeruet.

PHILELPHO.

XLIV.

HOc Septembri binas tuas litteras habui diuerſis diebus. Cum primis etiam elegiam de re Ianuenſi, & laudationem habitam in funere Philippi Borromei. Ad elegiam & laudationem nil attinet dicere. Similia ſunt cæteris tuis, nec mea commendatione oſtendi poſſunt maiora quàm ſint.Sua luce oſtendunt ſe ipſa,& ſuo ſpiritu,quanta ſint ſatis declarant. Ego illa ſeruo & communico doctis,& laudare nō deſino.hoc eſt quod præſtari à me poſſit laboribus tuis.Cum nouo Pontifice egi pro tua vocatione.Multa obtuli, multa ad fidem obſequii, ad illuſtrationem nominis ſui. Vt verbo vno abſoluam,non impetraui multa:& ipſe excuſat, in quibus tu atque ego æqui eſſe ſuæ neceſſitati debemus.Si vbi es bene non es, melius eſſe alibi iudicio meo non potes. Luſtraui animo totam Italiam: vna vbilibet eſt rerum conditio.Vale.Romæ.

CAROLO SALANDO CREMONENSI.

XLV.

LItteræ tuæ multum me ſunt conſolatę.Cum video ex ſtomacho te recreatum, & ſplenis anguſtias cito abituras. Bene feciſti hoc nunciare. ſuſpenſionem animi ſuſtuliſti amico,qui ſatis propter priores litteras tuas tibi timebat. Sic facito quamdiu iacebis.Non probaui ab initio tuum diſceſſum,cum non ſatis eſſes confirmatus. Viterbienſis aer non multo melior cenſetur Romano. Ne tamen propter domeſticā curam viderer te retinere,abire permiſi. Agitatio & motus ſurgentibus ex languore multum officit.Si primo erratum eſt,non erretur ſecundo. Antequam venias,confirma te omni ex parte,idq; age,ne immatura redeundi voluntas valetudini noceat. Incolumi opera tua,non fracta indigeo,quamuis domeſtica patiantur. Satius habeo, patiantur illa,quàm tu.Inſtaurari res lapſę poſſunt, vita hominis non poteſt, vbi eſt perdita.Bernardus conualuit.Tonſor in vado ſalutis eſt.Volebant & hi exemplo tuo ſecedere.Diſſuaſi:& profuit.Non ſemper medici quæ ſalutaria ſunt vident.Plerunq; tædio medendi,magis vt laborem vitent,quam vt ſaluent,ad Balnea &per rura ægrotos relegant.eos intellige,quorum loculi inopes ſunt,vel iam euacuati. Audiuiſſe te credo, emptam à me domum,quam nuper inhabitauit Cardinalis ſanctæ Suſannæ. Laudatum eſt ab omnibus conſilium meum.Dicor nunc habitare vt Cardinalis,ante vt mus.Nondum tamen traducta illuc familia eſt.Reconcinnantur nonnulla male compoſita.Sed hoc quatriduo ſarcinulæ omnes noſtræ transferentur nobiſcum. Ædiculas noſtras vendidimus Antonio Foroliuienſi aureis quadringentis. Cella tua tibi ſeruatur.Cum veneris ſplendidiora paulo quàm antea, ſingula inuenies. Vale, Romæ.XVIII.Octobris MCCCCLXIV.

HELIANO SPINVLÆ IANVENSI
ex Luculo.

XLVI.

PLus quam certiſſimum habeo, Heliane chariſſime,doluiſſe te multum obitu ſanctiſſimi Patris noſtri Pii Pontificis,& nuncio,licet falſo, caſus noſtri, quo dicebamur eodem tempore vita ceſſiſſe. Dilexiſti enim ſemper vtrunque, alterius admirans gloriam,alterius memor amicitiæ.Gratias ago charitati tuæ, amborum nomine.De me fuit tantum dolendum,quantum priuata cōiunctio requirebat.Damni propterea nihil feciſſent publicæ res.Peccator enim ſum,& in domo patris miniſter inutilis.Illi debitus fuit lachrymarum fons,& omnis humanitatis dolor. Quid enim habuit Romana Sedes mater omnium,hoc Patre melius?quid Eccleſia dignius?quid Chriſtiana fides fortius? Viuo illo metuendum erat nihil: ſperandum autem quicquid præſtare poteſt Deus cauſam ſuam tractantibus. Peccata hominum eripue-

runt eum ſæculo, mortuuſque eſt ſuo, non noſtro tempore, animam veritati impendens, & malens ad interitum ire, quàm fidem plebi catholicæ datam non ſeruare. Facta ſua non neceſſe habes recenſeam. Patent illa in facie Eccleſiæ, & operum ſuorum fuiſti ſemper auditor auidus. Scis quid egerit ſtatim in Pontificem aſſumptus, quæ operatus ſit breui ſex annorum ſpatio, quam celebres actiones vitæ, quanta molitus ſit in gloriam ſummi Dei, & deniq; qualis ei mors obuenerit. Certe ſi religionem ſpectes, ſancta & ſalutaris, ſi æſtimationem hominum, glorioſiſſima omnium. Aſcenſurus claſſem, iturus cum Duce & Patribus Venetis in opus Altiſſimi, non minus grande quàm neceſſarium, opifici ſuo ſpiritum reddidit. Merito igitur hic immaturus exitus deflendus eſt nobis, tibique, ac cæteris memoria tantę virtutis colenda perpetuo, ac retinenda. Sæculum noſtrum, Heliane, ſi iudicare ad verum volumus, nullum maius ornamentum ſui temporis habuit. In omnem terram exiuit ſonus eius, & in fines orbis terræ verba eius. Sicut opinione obitus noſtri doluiſſe bonitatem tuam credimus, ita non dubitamus, certior de vita factus, recreatus es, ſicut ſcribis, ac conſolatus. Indicia hæc ſunt & argumenta non fallentia, paterni in me animi tui. Auſim hoc dicere: Iuſtus dolor tuus fuit, & iuſta lætitia. Si periſſem, periſſet tibi amicus, qualem in ſorte ſacerdotii non habes alium. Viuens, viuo tibi, & viuit dignitas cum ſua, quātulacunq; eſt, poteſtate. Teſtimonium, quod perhibes operibus Fabiani noſtri, mihi admodum placet. Lætor amicos meos laudari à viris laudatis. Si ſapienter, ſi cum diligentia, & cum ciuitatis gratia mandata Sedis impleuit, fecit rem conſentaneam cōſuetudini ſuæ. Hac ſpe miſſus ad vos eſt. Vidit prudentiſſimus Pontifex in re operoſa, & apud viros ſenſatos tali eſſe plurimum opus. Conditio temporum illi laboris fructum, ciuitati tuæ commendationem obedientiæ, & bonæ mentis ademit. Omnia ad nutum Dei noſtri ſunt referenda, qui ad ſalutem noſtram operatur quæcunque eueniunt. Ei non deerit patrocinium meum quamdiu viuam, quia & ipſe quamdiu viuet, ſibi non deerit. Commendatione tua amplectar hominem magis, faciamque vt intelligat, debitorem ſe eſſe beneuolentiæ tuę. In hoc reditu ſuo receptus à nouo Pontifice, & toto Senatu noſtro, cum laude, & gratia. Mercedem tempora præparabunt. Quando ex Papienſi tuo eſſe tibi gratum aliquid poteſt, ſcribe, & poſce. Idem erga te faciam ego. Vale. Roma. XIX. Octobris M.CCCCLXIIII.

GREG. LOLIVS CARDINALI Papienſi.

XLVII.

PRoximis diebus, cum ad te, vt ſæpe ſoleo, leuandæ animi moleſtiæ gratia, pro tua in me beneuolentia & humanitate, acceſſiſſem, multuſq; inter nos variis de rebus, vt fit, ſermo habitus eſſet, multaq; lectitando conuoluiſſemus, incidimus in epiſtolam Franciſci Philelphi, quam ad Paulum Pont. Max. ſcribit, dignam auctore ſuo, & ab eius conſuetudine minime aberrantem. Is in Pium Pont. inuectus, cum de Pauli Pontificatu gratuletur, eiuſq; laudes contra ſui naturam explicare conatus ſit, vix illas, quæ & præclarę, & innumerę ſunt, attigit. Neque enim quempiam laudare, Philelphi eſt officium. Quo enim pacto laudem proferre poteſt? qui virtutem, quam laus ſequitur, non nouit? In maledicendo ſe exerceat opus eſt, cui vitia ſemper familiariſſima ſunt. Facile lingua ſequitur mores dicentis. Facilis eſt inuectio domeſticorum ſemperq; ſe comitantium. nec latuit hoc Philelphum, qui grauiſſimos, ac clariſſimos quoſq; noſtræ ætatis viros, maledictis, ac ſpurciſſimis verbis ſemper eſt perſecutus, mores ſuos in aliorum perſona effingens. Quòd ſi quando, etſi raro aliquem laudauerit, licet verá ſit laus, tamen ſine ſpe quæſtus, ad quem ſolum anhelat, & niſi admixta cuiuſpiam boni viri detractione nunquam effecit: ſublata autem nummi ſpe, ad ſuam maledicendi conſuetudinem redeat oportet, à qua nec accepti beneficii ratio, nec ſui ipſius contradictionis pudor reuocat. Quotiens enim Pium ſummis extulit laudibus? nec ceſſauit ad vltimum vſq; vitæ illius ſpiritum. Tanta animi auiditate corripitur, vt non fidei, non iuſtitiæ, non amicitiæ, non exiſtimationis rationem vllam habeat. Omnia quæſtui expoſita ſunt. Taceo multa, quæ cum vera, tum etiam nota ſunt, & niſi impudicè referri non poſſent. Nec epiſtola illa quæſtu caret, quam ad Pau-

ad Paulum ſcribit. Ad nummos vertitur. Illos quærit, illuc redit, & conuoluitur. Id omnia verba ſonant: illuc omnis euadit oratio. Et quoniam de Pio, quem viuentem tantopere laudauerat, ſpes omnis per eius obitum cecidit, eum mortuum maledictis afficit, acceptorum beneficiorum immemor, & ſibi ipſi, ſuiſque dictis impudens aduerſarius, qui omnia Pii dicta, omnia facta & cogitata eius, ad cœlum extulit. Vnde hæc tanta & tam ſubita mutatio? Quid hæc hominis inconſtantia? Verba ſua eum condemnant. Ipſa eum refellunt, ſuis ſe armis transfigit. Non video quid peccauerit Pius mortuus, qui viuens tam maxime, tam frequenter à Philelpho laudaretur, niſi in hoc deliquit, quòd mortuus eſt. Certe nec in hoc culpandus. Nam mors omnibus communis, vel inuitis accidit. Fateor, cecidit cum eo & nummi ſpes. At non debebat Philelphus in Pium inuehi, ſed in mortem magis, quę Pium cum ſpe ademit. Sed non poteſt ille maleloquam naturam ſuam coërcere, præſertim vbi emolumenti ſpes non repugnat. Cum audax ille mentitor in illa epiſtola plura contra Pium commentus ſit, non puduit auarum dicere, & auri cumulatorem: & quo eloquentię, ac doctrinæ gloriam, quam in eo ſummam fuiſſe non inficiari poterat, ſibi petulanti quadā mentiendi licentia arroget, auditorem ſuum fuiſſe, à quo & rhetoricam artem, & poëticam Florentiæ didiciſſe, dum ibi Eugenius Pontifex eſſet, affirmare non erubeſcit, & pręceptori ſuo Philelpho minus quàm par erat, gratum extitiſſe. Pius cultor auri, cumulatorue fuerit, an beneficus, & meritis gratus, prætereo. Id enim cum omnibus, tum maxime tibi notum. Pecuniæ non paruam vim Philelpho male merito bis dediſſe memini, ſemel Romæ, cum primum Pontifex fuit. Iterum deinde Mantuæ. Fateor tamen, non fuiſſe vſum Pium liberalitate, quæ in viros probos ſponte exhibetur. Tūc enim non probo viro elargitus eſt, nec ſponte, ſed importuna illius inſolentia, multiſque verbis fere attritus. Tandem expugnatus, victuſque, qui nec Philelphi mores probabat, nec laudē ab eo quęrebat, a quo vituperari quàm laudari pręſtet. Quę enim ab ore impuriſſimo laus manare poteſt? Rectè diuinus ille Pont. Nicolaus Quintus, qui cum ei Philelphus libellum laudum ſuarum inepte, ſine vlla grauitate conſcriptarum offerret, magnanimus vir, & omni laude dignus, cum nec ſcribentem, nec ſcribendi modum probaret, libellum illo ſpectante igni combuſſit: & ne auarus putaretur, mercedem ei dedit, ac de rebus ſuis deinceps tacere iuſſit. Non ſunt Pii laudes, quæ Philelphi egeant patrocinio gestis, non pecunia comparatę: per ſe notę ſunt, ſuis perſiſtunt viribus. plurima eius monumenta, diuque permanebunt, multos habent præcones, vixque quicquam noſtræ ætatis laude dignum exprimi poteſt: in quo non partē ferat Pius. Erat in eo, vt ſcis, ſumma vis dicendi, qualē ætate noſtra, pace omniū dixerim, nemo attigit: nec puto quempiam vllo vnquam tempore extitiſſe, cuius eloquentia tam multis, ſe viuente, nō dicam hominibus, ſed nationibus, patuerit. Cicero eloquentiæ, & Latinæ linguę columē, nomen ſuum ad exteras gentes mortuus magis quàm viuus extendit: qui vel ad Senatum, vel ad Quirites, vel ad Iudices verba fecit. Nonnunquā, vt fertur, etiam in Gręcia orauit: priuatim ad amicos, maxime conciues ſcripſit. Scripta ſua fere omnia Romæ, vel ruri compoſuit. Idem & alii in ſua quiſque ciuitate, & apud ſuos effecerunt. Erat præterea tunc, licet latum, tamen recens adhuc populi Romani imperium, & Latina lingua nondum per alienas gentes diffuſa, vixque finitimis nota. Pium autem nulla Europæ natio frequenter concionantem non audiit. Romæ non ad Senatum, non ad Populum, nō ad Iudices: ſed ad vniuerſas nationes ſæpe orauit Idem Senis effecit, & Mantuæ, vbi totius Europæ frequens habebatur conuentus: ac iam Pontificatum adeptus, quo tempore clarus apud omnes, qui Chriſtum colunt euaſerat. Antea etiam Roma, Neapolis, Senæ, Mediolanum, Papia, & in Germania, Baſilea in generali Synodo, Vicina, Ratiſpona, Fancfordia, Praga, eum publice orantem viderunt. Epiſtolæ ſparſim ad cuiuſque nationis viros doctos ſcriptæ & viciſſim receptæ reperiuntur. Non comparo Pium Ciceroni. Id enim doctiſſimorum virorum ſit iudicium: ſed quod viuens clarus apud plures fuerit, non dubito. Hanc tantam, & tanti nominis claritatem cum obſcurare non poſſet audax ille mentitor, ſe tanti diſcipuli præceptorum falſo aſſerit, & Pium præceptori ſuo ingratum, quem Poëticam, & Rhetoricam Florentiæ, dum ibi eſſet Eugenius, docuit. Multos habet teſtes, & quidem præſtantes viros: nam & tempus celebre, & lo-

cum non obſcurum deſignat. Plurimi ſunt in Romana curia, qui cum Eugenio Florentiæ agebant. Multi ſunt Florentini clari viri, qui tum litteris operam dabant. O quam facile mendax capitur,& ſe ipſam tuetur veritas.Ego à teneriotibus, & iuuenilibus annis fortunam,mores,& ſtudia Pii,& vbi, & quāto tempore, & quando in Italia deguerit,oſtendam. Intelliges profectò tum nunquā Florentiæ vidiſſe Philelphū: nec Eugenium:quod nec Florentiā ipſam, niſi eum viator illam pertranſierit. Natus eſt Æneas,qui Pontifex factus,nuncuparus eſt Pius, VIII. Calendas Septembres, anno ſalutis ſexto ſupra quadringenteſimum,ac milleſimum,in oppido Corſiniano Senenſis agri, cui Pientiæ ab eo nomen eſt inditum, nobili ac potenti olim familia Picolominum. Sed cum diſſidentes Senenſium potentiores, & populum in diuerſa trahentes,mutuo ſe formidarent, & Reſpublica interitura videretur: tandē vt publicæ conſulerent vtilitati,& mutuo ſe metu exuerent,communi conſilio,ac ſponte ſeſe à ciuitatis regimine abdicarunt. Ita deinde illa cum aliis paſſim potentia & opibus diminuta eſt. Erat patri Siluio pro dignitate familiæ tenue patrimonium,quia poſthumus erat, & plurima tutorum incuria perierant. Vnde cum honeſtam in vrbe vitam trahere non poſſet, Corſiniam, vbi cum vxore & liberis fere omnia ruris munia obibat,ſe continebat. Prima litterarum elementa Æneas à Petro quodam Sacerdote didicit. Hunc tu ſenem podagroſum ad Pii Pont. pedes prouolutum paucos poſt dies quàm Pontificatum adierat,vidiſti. Didicit & nonnulla Grammaticæ initia a Siluio, qui eius rei non omnino erat expers. Tanta auiditate litterarum ſtudia, id natura cooperante,ſectabatur, vt quicquid temporis ſubtrahi poterat, litteris impenderet. Sed quid,ſine libris,ſine præceptore inter ruſticandum adipiſci poterat litteratum? Igitur octauum ac decimū ætatis ſuæ annum agens, Senas petiit, vbi à Nicolao Lollio optimæ indolis adoleſcens exceptus eſt. Erat enim Nicolao nupta Bartholomæa Æneæ amita,matre tantū cum Siluio communi. Nam pater ex Tholomeorū familia fuit. Ibi Æneas ſedulam litteris operam impendit.Primū habuit pręceptorē Antonium quendam Aretinum, à quo Grammaticæ artis præcepta accepit. Audiuit & Mathiam Lupium claudum. In cuius ſuram inuectus eſt Antonius Panormita:his verſibus.

Dic mihi,cur lupi longo veſtiris amictu?
An vitium ſuræ vis operire toga?

Et Ioannem quendam Spoletanū. Ab iis & Poëtas,& Oratores nonnullos audiuit, quia publica mercede conducti adoleſcentes docebant:ſed parum ab his hauſit, præter Grammaticā. Domi erat ſtudiū ſuum,vbi libris ab amicis ſibi commodatis die noctuq; vigilans vtebatur,tanta diligentia, vt vix ſomno & cibo indulgeret. Tribus hebdomadæ diebus nō cœnabat,& ſæpe ſtudiis vehementer intentus, ne interrumperetur,cibo abſtinuit. Erat enim ſui natura famis & vigiliarū tolerantiſſimus. Accedebat auiditas diſcendi, & inopia vrgebat, ne nimia incommoditate librorum dominos afficeret,diligentiam maiorem cumulans,ex libris plurima excerpſit. Mane multo ante lucem ſurgere conſueuit, & ne quid temporis ſtudio vacaret,cum cubitum iret, libros ad lectū deferebat, vt quod eſt inter vigiliam ſomnumq; lectitando contereret, quoad arctior ſomnus eum exciperet. Vidi cum in cubiculo ad lucernam legiſſet, & dormitanti linteum,quod capiti, vt moris eſt dormientium, conuolutum erat, ignis apprehendiſſet, illeq; incautus,& grauiore ſomno preſſus,& librū clauderet, & lumē extingueret,dormiens,nō ante excitatus eſt, quam ignis omnia paſſim abſumens, ad tempora vſque populabundus penetrauerit. Quare læſus experrectus,reique ignarus, cum omnia flamma & fumo repleta conſpiceret,terrefactus exclamauit. Plerique ex nobis,qui nondum dormitum ieramus,accurrimus, vidimuſq; omnia lumine fuluo inuolui,ac totis Vulcanum ſpargere tectis,vt Maro inquit. Riſimus re cognita. Hoc & ioci cauſa,& vt viri ſolertiam oſtendam,enarraſſe volui. qua vſus aſſidue breui doctiſſimus videbatur. Iam epiſtolas ſcribere, Poemata componere, hiſtorias texere incepit. Lingua etiam Etruſca Franciſcum Petrarcham æmulatus,plurimos verſus edidit. Extant apud me harum rerum monumenta pene innumerabilia. His in ſtudiis vſus eſt præceptoribus mortuis, magis quam viuis. Ciceronem, Maronem, Titum Liuium,& alios Latinæ linguæ principes,habuit præceptores. Erat enim Æneę ingenium ad omnes diſciplinas promptum,atque verſatile. Solertia,quantā natura capit humana,

humana, quam etiam ſenex, & ægrotus, ad extremum vſque vitæ ſpiritum te vidente, ſeruauit. Contulit ſe ad ius ciuile, cuius ſtudium tum maximè Senis florebat, in quo eum publice, & acerrime diſputantem vidi: cum tamen nunquam poëtas & oratores deſeruerit. ita quintum ac vigeſimum ætatis ſuæ annum exegit. Inter hæc graui inter Senenſes & Florentinos bello exotto, ſtudia litterarũ ceſſerunt armis, & Æneas præ inopia coactus eas deſerere videbatur. Forte aduenit Dominicus Capranicus, magni animi vir, Baſileam petens, vt in generali Synodo dignitatem Cardinalatus vendicaret. Hic aſſumptum ſibi Æneam ſecretarium ſecum duxit: & quoniam Florentia non patebat iter, Plumbinum ſe contulerunt: vnde ſoluentes Genuam, deinde Mediolanum, & Baſileam peruenerunt. Sed inops Dominicus inopem Æneam diu ſuſtinere non potuit. Plurimum Æneæ opera vſi ſunt Nicolaus ſanctæ Crucis, & Ioannes ſancti Petri ad vincula Cardinales. Circuit totam fere Germaniam, Galliam adiuit. Angliam & Scotiam adnauigauit. Philippo etiam Mediolanenſium Duci gratus fuit, & Præpoſituram ſancti Laurentii Mediolanenſis obtinens nonnunquam Mediolani & Papiæ verſatus eſt. multa & præclara in Baſilienſi concilio egit, quæ ne eius hiſtoriam nectere videar, omitto. Cum Amedei, qui Fœlix quintus à Baſilienſibus nuncupabatur, Secretarius eſſet, ad Federicum Cæſarem tranſiuit, concedente Amedeo, data per Æneam opera vt peteretur. Fuerat enim à Cæſare laurea coronâ donatus, apud quem plurimum res ſua creuit. Nam in Secretarium primo receptus, deinde in ſecretis conſiliis ad res arduas admiſſus eſt. vbi rebus Eugenii adeo fauit, vt ſua induſtria neutralitate Rhenenſium Germanorum ſublata, omnes Eugenio parerent: ad quem ter legatus Cæſaris miſſus vltimo loco nationis nomine obedientiam exhibuit. Ioannes Caruaial, Cardinalis Portuenſis, vir doctrina, & vitę ſanctimonia inſignis, hoc nouit. mitto etiam Æneæ verſus contra neutralitatem Rhenenſium editos. Tergeſtinam, ac deinde Senenſem Eccleſiam cõſecutus, & Princeps imperii factus, primus ſententiam dicere rogabatur. Imperatoris curiam non ante deſeruit, quam ad Cardinalatũ promotus fuit, quo tempore eius legatum apud Caliſtũ Pont. agebat. Quid Cardinalis, quidue Pontifex egerit, non minus tibi quã mihi notum eſt. quàm manifeſte ille mentitus ſit oſtendi, cum Pius, poſtquam primum patria propria egreſſus eſt, Florentiam niſi legatus Cæſaris Romam verſus miſſus nunquam viderit, & niſi multis poſt annis, quã Philelphus Florentia exul Senam venit, quæ nec diu mores illius tolerauit: adeo limaci & coclęę ſimilis omnia inquinat loca, quę adit. Hæc percurri, ne tanti diſcipuli gloriam Philelpho tribuendam falſo cenſeres, & ſimul, vt à reatu ingratitudinis Pium iuſtè defendam. Nam male merito homini & turpiter conſumpturo elargiri nõ decet. Bene meritos Pius & dignitate & opibus auxit: magis in dies aucturus, ſi vixiſſet. Probra, quæ ille in eum iaculatus eſt, diluere operæ precium eſſe non duxi, quòd eius per ſe luce clarent ſua. Vale.

APVD CARDINALES DIMISSO CONSISTORIO CONTRA Ioannem Cardinalem Atrebatenſem.

XLVIII.

QVid tu ignobilitatem alteri obiicis? qui ex genere nullam habes nobilitatem? Ortus es opido Luximio Biſuntinæ diœceſis, mercatore patre, & auo. Acceptus in obſequia Ducis nobilitatem mendicaſti tibi & patri, priuilegio illius. Ita ergo cum te nobilem iactas, nõ genus tuum laudas, ſed Principis gratiam. Quod ſi à ſacerdotibus hæc ſæcularia habenda in precio ſunt, potiora certe ſunt mihi, quàm tibi. Ego in libera ciuitate, tu in opidulo ſeruienti es natus. Tibi Burgundiæ Dux: mihi Pius Pont. nobilitatis initium dedit. Tu hactenus præter priuilegum habuiſti nihil. Ego inſignibus familiæ donatus, & iam in familiam ipſam Pontificis ſum adoptatus. Imputat Atrebatenſis imperitiam litterarum, & Grammaticum Papienſem appellat: quaſi ipſe columen, & vas ſit omnis doctrinæ. Fateor non eſſe mihi litteras, quæ tantæ Dignitati conueniant. Eas tamen non negabit, quin honorificæ quandoque fuerint Apoſtolicæ Sedi, & adminiſterium Eccleſię vtiles. Quas quanti exiſtimauerit Pius, veſtri oculi vident. Sed de ſuis quid dicemus? Concedamus illũ multa legiſſe, Codices multos tractaſſe. Mandaſſe memoriæ multa. Quid in tam rudi aceruo digeſtum? quid

ſapienter diſpenſatum vnquam vidiſtis? Non habet iudicium vllum. Accommodare quæ legit locis & temporibus neſcit. Atque vt nauis, quamuis bene inſtructa ad nullū eſt vſum, ſi gubernaculo careat: Ita quicquid in mente huius eſt, quamuis cumulatū fructum non fert, cum prudentiam moderatricem non habeat. Quotiens contrarios ſenſus auctoribus dedit? Quotiens eos intorſit? Quotiens falſas ſententias probatis aſſcripſit auctoribus: Vt in omni actione eſt mendax: ita in omni interpretatione malignus. Illud Iſaiæ non reputans: *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum. Qui facitis amarum dulce: & dulce amarum.* Neque ego in Sacerdote tam excellentem doctrinam deſidero, vt in illo eſſe omnia velim. Præfero vitam, modeſtiam, humanitatem, exemplum, religionem, & cætera, quæ profeſſionis noſtræ ſunt propria. Equidem ſi alterum ſit de duobus eligendum, malim in Cardinali prudentiam cum mediocritate doctrinæ, quàm cum ſumma doctrina, vanitatem atque perfidiam. Hæc profuit nunquam. obfuit aliquando. Illa ſemper & prodeſt, & Deo eſt atq; hominibus grata. Cum bene conſidero, non video quid vtilitatis, aut dignitatis afferat pręſentia huius. Cum enim ad bene conſulendum fuerit in Cardinalem aſſumptus, quærendum eſt, quale veri ſit, & quale huius Cardinalis conſilium. Nempe qui recte conſulere vult, induere ante omnia debet veram erga illum charitatem, cui accedit conſultor, vt quid deceat & expediat, ſine malignitate rimetur & doceat. Proxime huic liberā gerere & mentem & linguā. Vt nulli alieno affectui, nulli ſuæ cupiditati inſeruiens, ſimpliciter loquatur quod ſentit. Hæc vera eſt, ni fallor, recte conſulentium via: quā mox vt egredimur, non tam ad ſalutem quàm ad peſtem adiungimur. Hic vero, Reuerendiſſimi Patres, cum vos odio gratuito oderit, & ſtudiis ſit omnibus veſtris contrarius, nihil meditari & loqui poteſt, quod vobis futurum ſit vtile. Doloſæ omnes cogitationes cordis eius, doloſa conſilia, quibus etiam ſi recta eſſent, habere fidem non poſſumus. Creſcere non ſperat, niſi ex noſtris ruinis, & noſtram omnem gloriam ſuam ducit confuſionem. Minatus eſt multa frequenter Eccleſiæ Romanæ, multa nobis ni faciamus ea, quæ Regi ſuo poſſint placere. Mallet vt video, cum euerſione omniū noſtrum verus videri, quā cum ſalute mendax & falſus. Ad hoc eſt tantū intentus noctes & dies, & huc tendit omnis ratio & ſumma rerum ſuarū, vt ſtatus omnis orbis Chriſtiani ex vna Regis ſui voluntate dependeat. Bonum quippe nullum putat, niſi quod venit ab illo. Salutem nullam niſi quæ offertur ab illo. Cæteros Reges & Principes minimum æſtimat. Inania ducens quæ de potentatibus & rebus publicis referuntur. Adeoque in colendo hoc Deo ſuo eſt cæcus, vt nec videre oculis quippiā ſanum, nec mente poſſit diſcernere. Accedit quod mercenarius eſt, & lingua conducta ſibi, non Eccleſiæ loquitur. Audiſtis aliquando illum fatentem, duo milia aureorum annua pendi ſibi a Rege in mercedem ſui laboris. Audiſtis in hoc verbo ſe gloriantem, quod procurator ſit regius, quodque declaratum nobis per litteras ſibi vni de negotiis regiis præſtari fidem debere. Quomodo ergo qui procuratorem ſe confitetur, dignitate loci huius eſt dignus? quomodo ſalutariter poteſt conſulere? quomodo credi ſententiis eius alieno ſtipendio, non noſtro conductis? Si perſeuerandum eſt ei inter nos, aduocandi etiam ſunt cæteri, qui in curia noſtra procurant, & admiſcendi nobiſcum: non eſt irroganda hæc iniuria tot Regibus, Ducibus, & Rebus publicis, vt eorum procuratores ſegregentur à nobis. Sciant & illi ſecreta noſtra, vt hic ſcit. Reuelent ea ſuis, vt iſte reuelat. Iam nihil ſit quod his oſtiis teneatur concluſum. Inter cubiculum & forum nullum habeatur diſcrimen. Dicam tandem quod ſentio, Reuerendiſſimi Domini, ſine iracundia quidem, non tamen ſine dolore. Exeat conſilia noſtra, qui nobis infeſtus eſt: non participet nobiſcum, qui nihil vtile, nihil honeſtum afferre poteſt, vel ſuadere, & qui ſæcularibus ſeruit, & linguam pecunia vendit, & ſecretum non tenet, quique mendaciſſimus eſt: & in dicto fidem non habet. Profectus orator Apoſtolicæ Sedis ad Regem ſuum, reuerſus eſt hoſtis. Cauſæ, cui antea fauebat, nunc eſt omni contentione contrarius. Cum autem mutationis huius amice ammoneretur, ſolam ſui Principis mutationem excuſat. Cum, inquit, ſibi placebat, placebat & mihi. Nunc diſplicens, diſplicet mihi. Indigna vox Cardinali, vt ex perſonis, non ex honeſtate cauſæ Apoſtolicæ ponderentur. Cum reprehenditur Cardinalis Atrebatenſis quòd primo legationem pro Ludouico Rege Francorum ad Pontificem

tificem ſuſcepiſſet: deinde quod procurationem rerum ſuarũ in curia exerceret. Alterum exemplis, alterum ex iure eſt reprobatum. Guiellelmum Cardinalem Rothomagenſem, Hoſtienſem Epiſcopum, ex Gallis ad Caliſtum redeuntem, qui in Pontificem nuper erat electus, rogauit Carolus Rex, Ludouici pater, vt legatus vna cum cæteris, quos ad præſtandam obedientiam mittebat, ire non grauaretur, prudentiſſimus vir, cui notum erat officium ſuum, onus, quamquam à magno Rege impoſitum, recuſauit: malens dignitati propriæ, quàm alterius gratiæ inſeruire. Nouerat enim nec debere, nec ſolitum eſſe Cardinalem, niſi pro Romano Pontifice, legationẽ accipere. Et certe modeſtiſſimus Rex id indigne non tulit, ſed mittens alios, quos elegerat, oratores, inter cætera mandata quæ dedit, hoc eſſe voluit primum, vt quicquid acturi, quicquid dicturi eſſent, ad Cardinalem referrent, eiuſq; conſilio & ſuffragio in omnibus vterentur. Federicus quoq; Romanorũ Imperator, petens à Nicolao Cardinale Sancti Petri ad vincula, in Germania tunc agente, vt legatus ſuus conuentui Ratiſponenſi intereſſet, ob cauſam fidei indicto, exauditus non eſt. Reſpondit Cardinalis, id ſibi niſi concederet Pontifex, nullo modo licere. Neq; antea Imperatori aſſenſit, quàm ſcriptũ eſt Nicolao quinto, & conceſſio impetrata. De procuratione autem ita eſt dictum: Si Cardinali, ſi illuſtri & ſuperilluſtri ex iure eſt interdictum, vt non procuret negotiũ proprium, quanto magis cenſendum eſt interdictum eſſe alienũ? Nil vilius eſt procurationis officio, nihil contemptibilius, nihil etiam Cardinali indignius, qui ideo ad eam dignitatem aſſumitur, vt in Senatu Apoſtolico ſedens, non quid alii petant, quid ſupplicent, quid contendant, quid litigent, anxio labore procuret, ſed quid vniuerſali Eccleſiæ conueniens, atque vtile ſit, libere conſulat. Conſiſtorii enim locus conſilii eſt: non contentionis locus. Nam quod de venatione eſt dictũ, nõ nego poſſe Sacerdotes honeſtius rebus aliis intendere, & aliunde corporis exercitiũ quęrere. Verumtamẽ humanæ cogitationis eſt, facere inter ſacerdotes & ſacerdotes diſcrimen. *Venatio an Clericis permiſſa.* Parochiano regenti animas ſibi commiſſas, cum liceat horto vel agello colendo intendere, liberiuſque huc atque illuc, vel recreandi animi, vel tuendæ valetudinis cauſa deambulare, ſeuerius adimam venationem, ne qui admonendæ plebi eſt conſtitutus, reprehenſibilis ipſe in eius oculis videatur. Eadẽ eſt in ſua ciuitate de Epiſcopo ratio. Cardinalem autem cum dignitatis amplitudo domi contineat, cum verſare glebas & ſaxa illi non liceat, cum recluſus vel meditetur, vel legat: cum ſeipſum adeuntibus præbeat, cum otio ipſo valetudinem labefactet, cum denique in faciem populi nihil niſi ſerium & graue oſtendere debeat: quis non indulgeat in tanta ſeueritate vitæ aliquando, vt procul ab omni turba in nemoribus & ſiluis ſe cum domeſticis ſine iniuria cuiuſquam oblectet? & valetudini ſeruiens, ad opus officii ſui nouior & fortior redeat? Plebem Cardinalis non curat. Præcepta quotidiana Parochianis non dat. Ad nullum miniſterium ſacrorum ſe populo exhibet. Solo conſilio Apoſtolicæ Sedi adſcriptus, inſtar quoddam ſæcularis Principis habet. Sed videamus obſecro, ne dum Cardinales domi continere volumus, non ſolum corpori, ſed animę quoq; damnoſiſſimè conſulamus. Carnei ſunt Cardinales, vt cæteri homines, tentantur, vruntur, & animi perturbationibus ſeruiunt. Colloquia viſitantium non ſemper ſunt caſta, non charitatem & proximi dilectionem continent ſemper. Adulatur ille, murmurat alter. Eſt qui inter fratres odia ſeminet, & in hunc vel illum cor domini inflammet. Legi ſemper nõ poteſt, non ſemper diſputari, non ſemper cogitari de publicis rebus. Ad hæc illicita aliquando nos carnis infirmitas trahit. Ad alia quoque nonnunquam quæ otium conſecuntur, & me ſilente, per vos cognoſcuntur. Præterco ſomnos de die non ſalubres corpori, quos poſt prandia noſtra arcere non poſſumus. Hinc podagra, hinc lateris dolor, hinc calculus, & pręmaturum ſeniũ, ac mortes acerbæ adueniunt. quæ vt otio celeriter contrahuntur, ſic exercitio facile prohibentur. Nec ſine cauſa Principes ſæculares, quos magnitudo curarum grauat, hoc ſibi genus *Venatio Principibus levamen.* leuaminis elegerunt, vnde reſumere animũ, reſtaurare vires poſſint ad publica. Nunquam apud veteres eſt damnata venatio.

Romanis, inquit Horatius, *Hoc ſolemne viris opus: vtile famæ,*
Vitæque, & membris.

Illa eſt damnanda venatio: quæ totos dies conſumit in agris, quæ mentem auocat

à rebus gerendis. Si Cardinalis ſibi à Pontifice opus iniunctum, vt "enatum eſt, dimittit. Si in Conſiſtorium, in Eccleſiam ſtatutis diebus non venit: ſi cogitare de Sede Apoſtolica negligit: ſi egentium patrocinia deſerat: reprehenſibilem illi eſſe venationem contendam, & coërcendum eum putabo, vt ſe domi contineat. Idem vero ſi impletis, quæ quotidiani officii ſui ſunt, reliquum quod ſupereſt temporis, aliquando inter nemora & feras ad valetudinem conferre. Inter quas & ſancti Patres totam ſæpe vitam egerunt, non inuadam Catoniana increpatione, hanc eius retinendæ ſanitatis prudentiam. Sed profecto ita eſt: quicunque ex nobis ita ſeuere venantem Cardinalem coarguit, aut ſenex iam eſt, damnans quod neceſſitate omiſſum, obire amplius non poteſt: aut agreſtem animum gerit, nec quid habeat nobilitatis ven itio intelligit. Aut natura ſeuerus eſt valde. Ego quamdiu valetudo mea incolumis manſit, & iugum laboris potuit ferre, licet ab adoleſcentia venatio fuerit grata, ea tamen ſemper abſtinui. Huc vero vna cum Pontifice & nobis remittendi animi gratia commigrans, ſentienſque mille morbos vehementius ſolito inſurgere, non priuato inſtituto, ſed medicorum conſilio, non quærendę voluptatis cauſa, ſed redimendæ valetudinis, hunc exercendi corporis laborem accepi: in quo etiam ſi neceſſariam non haberem cauſam, aliorum me tamen Cardinalium poſſent tueri exempla, quorum cum virtus, & fides, & in publicis rebus diligentia probata ſit nobis: ab hoc tamen ſolatii & recreationis genere non abhorrent. Et quoniam qui ante me locutus eſt, ſectatorem me leporum & ferarum per irriſum dixit, irridens dicam & ego: ſatius eſſe leporem & feras ſine offenſione cuiuſquam ſectari, quàm cum perturbatione Eccleſiæ Apoſtolicam ſedem, & Ro. Pontificem confictis criminibus inſectari.

CARDINALIS PAPIENSIS FRANCISCO CARDINALI SENENSI.

XLIX.

AVdio eſſe nonnullos, qui ſtudio maledicendi Pio noſtro inanes quaſdam conquirentes calumnias, illud quoque apprehendant, quòd ab eo inter domeſticos aliquando per iocum in poëtas eſt dictum: ſcilicet

Diſcite pro numeris numeros ſperare poetæ.
Mutare eſt animus carmina, non emere.

Aiunt propterea contempſiſſe illum poëtas, laudationes eorum ingratè accepiſſe. Vnam modo auaritiã in cauſa mali fuiſſe. Diſticho autem ipſo nihil indoctius eſſe, & nihil ineptius. Calumniam hanc, qui rem vti geſta eſt, & liberalitatem glorioſi patris acceperit, in eius commendationem conuertet, putabitque nihil aptius pronuntiari potuiſſe, nec doctius. Interfui ego cum diſtichum protulit. Interfuere mecũ viri præſtantes, Agapitus Romanus, & Laurentius Rouorella: alter Anconitanæ, alter Ferrarienſi Eccleſiæ præſules. Identidem Gregorius Lollius, qui ab epiſtolis Pontifici ſeru ebat. Hinc vero verſiculorum origo occaſionem accepit. Languerat pene Pius Mantuæ ad interitum, vt noſti, cum ibi conuentum ageret Chriſtianorum: & recreatus iam aliquantulum, oblectamentumque aliquod quærens ad confirmandã fortius valetudinem, ſtatuerat ad ſacellum, quod dicitur Angelorum, ſecedere, tribus paſſuum milibus ab vrbe Mantua diſtans, atque ibi dies aliquot commorari. Vt autẽ iucundior hæc eſſet profectio, ſubduci per Mintiũ voluit, ad cuius ripam cęnobium illud poſitum eſſe cognouerat. In eodem lintre, quem ipſe aſcenderat, etiam nos omnes voluit: quippe quos adhibere ad ſolatia ſua ſemper ſolitus eſſet. Attulerat eo noſtrum quiſque diuerſa epigrammata Pio inſcripta, quæ à diuerſis accepta recitari ante eum diem propter valetudinem eius non potuere. Credebamus id tempus per quã idoneum ad recitandum eſſe, & gratam vacuo tunc ſeni eam voluptatem futuram. libenter enim cum vacabat à publicis, verſum, aliis legentibus audiebat. His itaque in medium productis cæpere inter legendum nonnulli noſtrum verſus ex tempore dicere: vbi quid iocoſum interponi poſſ t, vel obiici. Excitatus his noſtris ſalibus ad hilaritatem Pius: emittere & ipſe verſum cæpit: ad continuandam lætitiam. In medio epigrammate Campani poetę, cum lecti pauci verſiculi eſſent, In quibus, petentibus vatibus munera danda non eſſe, danda autem non petentibus affirmabat: & nihilominus

minus munera ipſe obliquis carminibus depoſcebat, en inquit reſponſum Campano munus poſcenti.

Munera Campane ſi non ſunt danda petenti,
Iure tuas ſurda currimus aure preces.

Rurſum quoq; omnib. recitatis, cum aduerteret ab eorum auctoribus plurima peti, & à nobis, à quibus erant producta carmina, importunius exigi: Dabo inquit actutũ quod referre ad vates veſtros poſſitis: ſimul arridens diſtichon protulit, quod in crimen iſti adducunt, non allatum domo, non antea meditatum, nec ad poetarum iniuriam dictum, ſed ſumptum ex tempore, atq; in lætitiam communem collatum. Quod ſi aliunde non intelligere detractores ii poſſunt, quod dicimus, altero ſaltem diſticho intelligant, quod ad declarandam veram animi ſententiam eadem hora ſubiecit. Nã cum ego iocos ſuos ſecutus, id diſtichum hoc diſticho excepiſſem:

Diſcite pro numeris numeros tractare poetæ:
Expectata dabit munera nulla Pius.

Ad numulariam videlicet poetas exhortans, quando in Pio ſpes accipiendi nõ eſſet, meum ipſe repente conuertens, Imo, inquit: *Diſcite pro numeris nummos ſperare poetæ: Expectata dabit munera magna Pius.* Atq; ilico quæcunq; petita verſibus erant, benigne conceſſit. Vulgati poſtmodum hi verſiculi ſunt, & apud multos habentur deſcripti: & tamen qui illi ſancto Patri inſultant, proferunt quod ignaros rei poteſt offendere: tacent quod verum eius iudicium continet. Nimirum peruerſæ mentis, & linguæ maledicę hoc proprium eſt. Veris deficientes criminibus, ad falſa confugiunt, quæque ſunt recta, maligno ſenſu deprauant. Proculdubio his verbis per Prophetam notati: *Linguis ſuis doloſe agebant: iudica illos Deus.* Sed ſi non eſſent hęc argumenta propenſi animi ſui erga bonarum artium ſtudia, quis nõ acquieſcẽdum putaret, audiens, quãta quotidie in doctos cõtulerit? Enumerare ſuperfluũ eſt quàm benemeritus in illa poteſtate ſit: nõ dicã de vno aut altero, ſed de omnib. æque, in quibus doctrinã cum integritate vitę cognouit. Viuunt paucis exceptis, pene omnes, quos vel tradita pecunia, vel collatis magiſtratib⁹, vel attributis honoribus, in maius adauxit. Perhibent hi locuples rei huius teſtimoniũ beatiſſimaq; eius Põtificis prędicãt tẽpora, chartiſq; ac libris cõteſtata tenẽt quotidianę ſuæ beneficẽtiæ officia. Ipſe ſummę virtutis ſummiq; ingenii Princeps, in quibus eadẽ argumenta laudum eſſe contẽplabatur, amore immenſo fouebat, admittebat, alloquebatur, laudabat, totumq; ſe illis inſinuans pro cõditione attollebat. Neminẽ vidi toto ſexennio, quo Eccleſiæ præfuit, virum paulo excellentiorem ſpem ſuã ſequentem, in quem beneficium collatum non poſſim referre. Occaſiones intermittebat nunquam horum promerendorum, cum ſe dabant. Cũ nõ aderant, pari pene cum illis deſiderio expectabat. quoſdam, quos viderat nunquã, abſentes atq; ignotos, ſola virtutis commendatione auditos, ad ſummas in Eccleſia dignitates prouexit. quoſdam etiam leues & querulos, humanitate incredibili perferens propter lucem ingenii, quam in talibus ſentiebat, expertes ſuæ benignitatis eſſe non voluit. Ab iis vero ſolis erat tota mente auerſus, atq; hos ſolos abominabatur, quos etſi ingenioſi doctique haberentur, conſtabat tamen turpem vitam, infamemque agere. Ingratam Deo beneficentiam aſſerens, quæ in tales eſſet collata. Legerat enim admonentem Scripturam: *Da bono: & ne recipias peccatorem. Benefac humili: & ne dederis impio.* Fuerunt qui ab initio ſui Pontificatus, cum nondum plene agniti eſſent, propter ſpeciem virtutis aliquam rem abeo & promiſſum acceperunt: ſed iidẽ poſtea acceptorum omnium profuſores maliq; inuenti, iuſta diſpenſatione deſierunt accipere quos ſi propterea dolor vllus nunc tãgit, vel antea tetigit, ipſi ſibi detrimento ſciant fuiſſe, non Pium. Manum eius, cum pro Deo operaretur in terris, æquũ nõ erat in danda liberalitate errare, mercedemq; bonis debitam cõuerti ad malos. Si quos ergo nunc vides, præſtantiſſime Pater, qui ingratum alienę virtuti illum exiſtiment, & maledictis inceſſant, ex ea cohorte ſcito eſſe, quibus ille normã honeſtatis tenẽs dandum nõ cenſuit: malens eorum calumnias, quàm iuſtũ Dei ſubire iudicium. Nõ obſtitit parcitas vlla, nõ animi anguſtia. Munificentiſſimus quippe in reliquos erat. Sola, quam dixi, ratio, dextram ne erraret retinuit. quantum ergo volunt ii homines, ſentiant de Patre noſtro, & innocentiam eius maledictis conuellãt.

Meo iudicio, nocere quicquam non poſſunt. Maior eſt lux gloriæ ſuæ, quam vt horum tenebris valeat obſcurari, & maior geſtarum rerum, vitæq; firmitas, quàm vt maligna imbecillitate poſſit moueri. Maledicta hæc recidunt in auctores, cupiditatemque propriam arguunt. nos cum improbi ſint, eorum detractionem, veram Pio aſcribamus laudem: & hoc habeamus certum documentum ſuæ improbitatis, quòd illi non placuerunt, qui ſemper recte expendebat, quid quemque conueniret accipere. Vale.

CARDINALIS PAPIENSIS FRANCISCO
Cardinali Senenſi.

L.

INcidi in quoſdam, Reuerendiſſime Pater, qui maligne Pium noſtrum laudantes, detractionem ſibi proponant, & verum aliquid dicant, vt fidem quærant mendacio. Erat, inquiunt, vir animi magni, ſapientis conſilii, admirabilis eloquii, ſiue quid ageret, ſiue quid ſcriberet. Dicere perfectum poſſemus, niſi quæ erãt in eo egregia, culpa vna turpaſſet. Vagabatur, aiunt, huc atque illuc præter dignitatem, quieſcere vno loco diu non poterat: tanquam Sedes ſua ſibi odio eſſet, ſic aberat ſemper. Similia his addunt quædam eo pertinentia, vt finem inchoatæ laudationis initium detractionis excipiat. Ad cætera principantium mala, quæ patiuntur, hoc quoque accedit, vt in obſcuro ſacta eorum non ſint, nec ſileatur de eis. Vituperentur autem frequẽrius, quàm commẽdentur. Si inueſtigare maledictionis huius cauſam velimus, quid inueniemus aliud quam rem priuatam cuiuſq; hoc operari? Non Galli, nõ Germani, non Hiſpani, non nationes externę, ſeceſſus hos damnauerunt: quippe egentibus Pontifice non defuere officia. Solertiſſimi ſenis & mens, & manus negotiabantur ſemper. Soli Romani ciues & qui Curiam noſtram ambitionis cauſa, quæſtusve ſequuntur, motibus iis ſunt contriſtati. Illi, quia ex his præſentem fructum ex interuallis aliquando amiſere. Ii, quia ſecuti Pontificem augere neceſſario impenſam coacti ſunt. Ceſſare rationem hanc faciamus: laudari iam videbimus, quod damnabatur, & placere quod diſplicebat. Nimium indulgens ſibi eſt noſtra infirmitas, nimiumque ſibi auſcultat. Ex vero & bono non penſitat. Principum geſta ex priuatis tantum rebus illa metitur. Feruntur in cœlum, ſi commodum habent. In profundum opprobrii caduni, ſi vel paululum afferant nocumenti. Ea ratio plerunque Principibus eſt, ſi non diligunt ſubditos, ſi durius exercent in eos imperia. Videntes ſuam ſalutem tantiſper eſſe illis caram, dum inde vtilitas prouenit. propter aliud, non propter ſe coli ſortunam ſuam intelligunt. Sed quid nos his popularibus de Pio triſtemur querelis, qui ſciamus populum Dei ex miſera ſeruitute abductum, paſtum manna in deſerto atque in delitiis habitum, os poſuiſſe in cœlum, & recalcitraſſe in Dominum liberatorem? Si murmurauit ille in Deum: quidni murmuret iſte in Vicarium eius? & ſi illius carpſit opera: quid ni actiones huius etiam laceret? Sed videamus, obſecro, quæ vagationes hæ fuerint, & quàm reprehenſibiles. Earum rememoratio indicium de calumniis faciet. In Pontificem aſſumptus Mantuam eſt profectus. quæ, oro, profectionis cauſa? Nempe opus Dei, & Chriſtianæ ſalutis officium. Suo ne etiam conſilio molitus eam eſt, an ad eius iudicium acceſſit Patrum auctoritas? Negare non poſſum ex illo fuiſſe principium: ſed idem affirmo cogitationem hanc vt patefacta Patribus eſt, iudicatam à Spiritu ſancto fuiſſe, & decreto ſuo probatam. Si qui poſtea mutandorum locorum incommodis mutarunt ſententiam: leuitatis eorum, non cauſæ habendum eſt crimen. Satis eſt probatam in conſilio ante fuiſſe. Meminerant ad incitanda Chriſtianorum corda in Turcos, nec literas Apoſtolicas, nec legatos in omnem partem totiens miſſos, ad eandem aliquid valuiſſe. Intelligebant quoq; Eccleſiæ opes tanto operi pares non eſſe. Oportere præſidia maiora conquiri: quodq; omnes contingeret, omnium agi oportere conſilio. Ad eam vero rem neceſſariam in primis eſſe Principum conuentum indici, & illic adeſſe Pontificem, ſine quo venturi illi non viderentur. Qui ergo hunc Mantuanum acceſſum non probant, grauiſſimum Senatus noſtri non probant iudicium: ignari rerum, & operatæ ſalutis ingrati. Detractionem ab euentu confirmant, atq; ideo propoſitum

poſitum damnant, quòd ſucceſſum non habuit. Iniuſta nimium, & indigna ſapientibus hæc æſtimatio. Rara eſſet adminiſtrandarum rerum laus, ſi exitum, non conſilia ſpectaremus, quibus menſi exitum ſimus. Quota enim quæque conſilia ſunt, quæ propoſitum teneant? ac non potius in medio curſu frangantur, & corruant? Tenebris circumſepti expedire aciem noſtram in finem non poſſumus, & iudicia Dei, quæ ſunt abyſſus multa, intercipiunt frequenter noſtros conatus. Ille laudandus eſt, & vidiſſe multum dicendus, qui ita ſe comparat, vt quantum contendere humana infirmitas poteſt, ad quæſitum finem omnia dirigit, laboremque adhibet. Sciebat deuotiſſimus Pontifex placere Deo liberatum iri creditum gregem. Sed an liberatum vellet, certus non erat. Impleuit ergo quod debuit. Idemque patienter tulit, quod ei eſt placitum. Hoc tamen boni aſſecuta eſt Sedes, vt cum anteà à ſęculi poteſtatibus fidelium calamitates, vni imputarentur Pontifici, nunc iiſdem merito imputentur: quotum & accuſata ſit contumacia, & falſus feruor detectus. Parauit quoque potens flagellum, quo eos oblatrantes cędere deinceps poſſimus. Rem ſane non minus neceſſariam, quam glorioſam Eccleſiæ. Etſi enim Pius æger & ſenex, durißimo anni tempore Mantuam ad præſtitutam diem veniſſet: non tamen Imperator, cuius in primis hoc erat. Non Gallorum Rex, qui ſe Chriſtianiſſimum nominat. Non Reges & Principes, quorum potentia Dei eſſe debet miniſtra, quanquam ſpopondiſſent, illuc conuenere. Acceſſit tantum Mediolanenſium Dux, & Brandeburgenſis Marchio, & Sigiſmundus ex Principibus Auſtriæ. priuatam tamen hic magis acturus cauſam, quam publicam. Reliqui continuere ſe domi. Quodq; dolentius eſt, habuere eorum legati mandata ad audienda tantum, & referenda quæ tractarentur. Nec tamen cum hęc ita ſe habeant, deſunt, qui putent, & palam ferant, videndæ patrię cauſa, recognoſcendarumq; neceſſitudinum, quæ illi cum Germanis erant, indictum eſſe conuentum, priuatoq; affectui publicum velamen obtentum. Quos iuſtū Dei iudiciū manet, & mentiri aperte perſpicuū eſt. Si enim ex epiſtolis orationibuſq; ſuis, quas edidit ſcriptas à prima vſque adoleſcentia, iudicia eius in cauſa hac repetantur, optaſſe illum ſemper videbimus conuocationem hanc fieri, nec aliter putaſſe, lapſis Chriſtianorum rebus conſuli poſſe. Mecum quoq;, & cum iis, quos diligebat in Cardinalatu agens eadem ſæpe diſſeruit. Moxq; ad Pontificatum aſſumptus, non ſignificationibus, quibus animi patere ſolet iudicium, ſed morte & innumeris ærumnis id declarauit. Merito itaq; indignatur Cicero, ac clamat, miſeros eſſe interdum Principes optime de Rep. meritos, quod in iis homines nō ſolum præclaras res obliuiſcantur, ſed nefarias etiam ſuſpicentur. Verum tranſeamus ad reliqua, atque iis inanem opinionem ſuam: Pio vero ſolidam gloriam relinquamus. Reuerſus eſt Senam deſinente iam Februario, laboribus Mantuanis pene conſumptus. Futurum breui finem vitæ medici affirmabant, ſi Petriolanis aquis non ſe recrearet. Contracta erant ex doloribus membra: neque in toto corpore ſanitas cernebatur. Reſtitit ergo ſalutis cauſa, vſque ad proximum Maium, quod eſt lauādi tempus idoneum, rotumq; eum mentem vitæ ſuæ induſſit. Qua in re facta eſt valetudinis tanta acceſſio, vt cum lectica pene exanimis delatus eſſet ad balnea, eques ſit in ciuitatem reuerſus. Perſpicue ergo patuit, quàm neceſſe fuerit ad expediendam valetudinem id tempus eo loci conſiſtere. Iterum quoq; allegantibus Medicis oportere eos qui lauant poſt receptas aquas à defatigatione itinerum aliquandiu abſtinere, præſertim ſi vel ſenes ſint, vel languidi. Non aduerſandum putauit. Aderat iam Iunius menſis, quo tempore, qui Romæ ſunt, propter grauitatem cœli quæritant ſibi externos ſeceſſus: non redituri ante Octobrem. Putauit ergo ſine reprehenſione remorari Senæ menſes hos poſſe, vbi & cutialibus rerum copia eſſet, & imbecillitati ſuæ quieſcēdo conſuleret. Nec tamē propter publica tenere propoſitum potuit. Nam cum defectiones ſeditioſorum quorundam, qui vrbem circumſtant, nuntiarentur, deq; Tyburtina coniuratione multa audirentur, quæ cōflata ex perdita iuuentute eo vſq; proceſſerat, vt occupatis oportunis Vrbis locis, Pontificē iam territarent, reuerſus ſtatim eſt Romam, priuatam neceſſitatem publicis bonis poſthabens. Factum vero eſt reditu ſuo, vt turbulenti homines correpti armis, ad ſanitatem redierint, & coniurati, via Tyburtina cōprehenſi, meritum ſupplicium luerint. Nullo ex loco vehementius ſibi

timuit Pius, quàm ex Tybure ciuitate. Ea aduerſariis propter factionem fauens, de iiſq; recipiendis quotidie cogitans, turbatura nimirum vrbem, & tractum omnem Romanum magnis detrimentis iudicabatur. Miſerat eo Pius præſidium peditum, quod illi non admiſerunt. Miſit & præſules duos diuerſis temporibus, qui præſentia ſua Tyburtinos in fide tenerent. Eos irreuerenter acceptos, armis quotidie territabant. Nouiſſime autem deſperata iam ciuitate, iuſſus eſt ire Proſper Cardinalis ex Columnenſi familia, ob factionem Gebellinam illis admodum carus. Is etſi hoſtium eſſet occultus amicus, dignitatis tamen ſuæ non ſtatuens ſe cuſtode ciuitatem deficere, ægre tumultuantes continuit. Senſit Pius, quanti momenti Tybur eſſet ad ſtatum Eccleſiæ, quantamque ad permiſcenda omnia opportunitatem haberet. In propinquo atque edito loco poſitum, impetus & receptus in omnem partem faciles habet. Pacatis itaq; in circuitu omnibus, committendum non duxit, vt in ſecundum veniret diſcrimen. Frenum cogitauit iniicere, quo tenerentur. De arce conſtituenda conſilium cœpit. Cuius exſtructionem, niſi ſe præſente, paſſuros Tyburtinos non iudicabat. Igitur proxima æſtate per ſpeciem ſeceſſus illuc proficiſcēs, & quaſi ad cuſtodiam corporis inducens præſidium, cogitatum impleuit. Arx hodie cuſtodibus Eccleſiæ regitur, & præcipuę eſt nobis ſaluti. Anno vero ſequenti requirente iterum valetudine, quam neceſſe erat in tot Apoſtolatus laboribus ſemper imminui, ad Viterbienſes aquas perrexit, eo conſilio, vt non progrederetur vlterius. Sed non permiſit neceſſitas. Peſtilentia ſubita vrbem & Viterbium occupans, adductura omnia in periculum videbatur, ſi non ſedem mutaret. Nouerat eſſe oppidum locuples ad fines agri Senenſis, circumuentum vndique ſiluis, & ad radices montis poſitum, qui dicitur Amiata. Cœnobium Saluatoris hoc vocant. ſeparatum à cōmerciis hominum. Eo loci affatim eſſe, vnde paſci Curia, & oblectari amœnis ſeceſſibus poſſet. Itaq; illuc ſe à Viterbio conferens, adeo & commodis, & voluptatibus adeuntes affecit, vt illi poſtmodum gratiæ ſint ab omnib. habitæ. Vrbe deinceps iam liberata, cum reditus ſui tempus appeteret, Pientiam prius viſendam duxit, patriam natalem, & milliario XVI. abinde diſtantem. Diuina res officii huius præbuit cauſam. Templum enim locuples, quod in honorem ſanctæ Matris exſtruxerat, conſecrare ſuis manibus cupiebat, ſedemq; Epiſcopalem, quam ante erexerat, clerumq; in ſimul legibus ſuis inſtruere, & dotem ſtatuere. Quibus intra dies paucos perfectis, Romam eſt ſtatim reuerſus. Iterum anno, qui ſecutus eſt, propter æſtus vrbanos, qui nimium creuerant, & propter reſurgentem peſtilentiam, quæ omnibus erat in metu, Tybur ſeceſſit, propinquitatem ſecutus, qua & Romæ eſſe, & in tuto agere eodem tempore videretur. Publicis reuocantibus rediit, ineunte Septembri. Venerant enim à Burgundorum Duce oratores, profectionem eius in Turcos ſpondentes, deſideratam diu à Pio, & ante eam diem non impetratam. Oportebat Senatum iis publicum dari, vt in magno conuentu audiri, atteſtatum toti orbi promiſſum eorum relinquerent. Sumpſit vero ex eo tempore grauiores ſolito curas Paſtor deuotus, ad cōdictam expeditionem feſtinans, ſeq; quotidie neceſſariis inſtruens. ſupra autem ætatem laborans imminuit ægram alioquin valetudinem ſuam. Pedum enim & totius corporis actes ſurrexerunt dolores, doloribuſq; adiuncta eſt febris. Itaq; magna inſtaurati one opus Medici contendebant, ad futuræ nauigationis laborem. Ea niſi eſſet ante reſumpta, citum præ nunciabant interitum. Experti vero necunde magis quàm ex Balneis illam reſumptam, conſuadere iterum Petriolanas aquas cœperunt: docentes ſine iis conatus ſuos inanes futuros. Auſcultauit conſiliis Pius, quanquam inuitus. Ac ne per hoc inceptum opus vel paululum tardaretur, anticipans tempus, extrema iam hyeme Senam, atq; in Petriolum profectus eſt. Moxq; expleta lauatione in vrbem reuerſus, Anconem ad claſſem contendit: paucis diebus Romæ ad componenda neceſſaria, datis. Hæ ſunt deploratæ totiens vagationes Pii, atque hi ſeceſſus, qui male hos habuerunt: vagatum vltra non dicent. Hactenus rel quit Vrbem, fatigauitque curiam. Nam ſi vno in loco conſiſtens, aereum potius quàm tenebroſum cubiculum adamauit, & ſignandis ſupplicationibus ſub vicina quercu quàm ſub tecto libentius operam dedit, non puto id eos reprehendere. Nam & raræ huiuſmodi recreationes erant, & neceſſariæ corpori iam affixo lecticæ, neminem præter paucos

exercebant.

exercebant.Peregrinationes vero ipſe,quas damnant, negotiis nunquam vacabant. Erat omnibus ad eum facilis acceſſus. Dextra & læua patebant ſemper adeuntibus aures.Nec fruſtra fuit vnquam in re honeſta alloquium. Miniſtris vero collaborantibus ſecum omnis hora erat ad referendum,& tranſigendum parata.Legationes audiebat vbiq;.Conſiſtoria vbiq; de rebus opportunis habebat. Nullum tẽpus ab officio illum abduxit.Dicant hi laudatores maligni,quid habent in his reprehenſibile? aut quo modo ſuas hęc laudes offuſcent?Quid hic non neceſſarium?quid hic nõ bonum publicum ſapiens?Si profectiones ob Reinp.ſuſceptas iſti non probant,imperiti rerum habendi ſunt.Sin ob curam neceſſariam vitæ, immiſericordes ac duri. Vtrumlibet illis non placeat,iudicandi illi peruerſi.Sed,vt dixi, in Romanis, & in his qui quæſtum agunt de nobis,fuit hæc querela,atq; eſt.Hi enim ſolis domorum mercedibus,lignationibus,& laniciis,& macellorum ſtudiis intendentes, doluerunt diſceſſu illius ea deficere.Illi ad motum Pontificis ſine impenſa ſe non mouentes, maledixerunt Pio ob leue incommodum.Corda eorum rimemur interius: aliud ſi eſt inuenire quàm dico,reum ſtatuo Pium impoſiti criminis.Requiſiui aliquando ego de his,quamnam cauſam habeant detractionis tam diræ? Cum vana quædam allegent, in quibus negotio nullo vincuntur,iracunde tandem fatentur quæ dico, atque addunt centum ille,ducentorum ille,& mille alter aureorum damno affectus his peregrinationibus eſt.Velut ergo iniuſtos æſtimatores hos iam dimittamus. Digni non ſunt,de quibus tam multa dicantur. Intenti vilibus generoſum nil ſapiunt: reſpicientes terram velut pecora ad paſtum proiecta. Habeamus nos gratias Sanctiſſimo Pio,quòd alta ſemper eſt meditatus,quòd vni ſemper Eccleſiæ ſtuduit, quòd deniq; gloria ſuorum operum illuſtrauit Apoſtolatus Romani miniſterium. Exempla eius, exempla virtutum omni tempore erunt. Gratiuſq; verſabuntur in ore ſuccedẽtium nobis,quàm noſtro.Perſeuerat enim in nobis adhuc,viuitq; tenor quidam inuidiæ, atq; odii,has calumnias operans.Sed paulatim extinguitur,paulatim veritas oppreſſa reſurgit.Audis quotidie magis ac magis Pium laudari, & apud multos etiam deſiderium eius eſſe.Studia quoq; ſua,quæ ignoratione boni ante nõ noſcebantur, nunc cum non habentur,plene cognoſci.Secundus annus a morte eius longe melior primo eſt factus.Celebrior adueniet tertius: Quartus illuſtrior. Sic porro quantum ad annos accedet,tantum ad eius gloriam adiungetur.Plenus religione,plenus veritate, & plenus clementia Pontificatus eius fuit.Ingenio quoq; & litteris, & rebus pro Eccleſia geſtis magnifice claruit,ſiue publica gerens,ſeu priuatis indulgens, nihil indignum maieſtate ſedis admiſit.Loquenti & tacenti, operanti ac quieſcenti, ſumma omni tempore dignitas & veneratio fuit.Vale.

SOZINO BENZIO SENENSI ME-dico Phyſico.

LI.

AMice feciſti ſatiſfacere deſiderio amici. Rogaui te in diſceſſu, mox vt in patriam eſſes reuerſus aliquid ſcriberes, & de tua valetudine nunciares, quæ eſſent ſecuta.Video nunc omnia bene ceſſiſſe,quod mihi maxime eſt gratum. Ais aerem Senenſem primas vires tibi reſtituiſſe: prædia vero tua, & venationes integras.Nihil alienum dicis ab opinione noſtra:ſciebam ſic tibi eſſe eueenturum. Sic antea in me ipſo eram expertus. Cœlo Senenſi nihil vel iucundius animo, vel lætius oculis,vel melius vitæ,aut membris. Fractus, & pene conſumptus laboribus Palatinis,illuc iens,mirifice ſemper ſum recreatus. Viſa eſt manus de cœlo apponi ſtomacho,quę perditam famem,ſitim,& ſomnum ſtatim inſtauraret. Si defuncto Pio noſtro,viuendum priuato mihi fuiſſet,ex omni natione & gente, illa mihi nunc eſſet ſedes vitæ. Cum Propheta dicerem: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi. Hic habitabo,quoniam elegi eam.* Nunc carcere dignitatis incluſus, ſpecioſo magis, quàm vtili, inter has nebulas craſſas cogor vitam conterere, annos mihi amputans multos. De prædiis autem & venationibus non eſt quod dicam vltra Diligentia tua & fratris nihil illis eſt cultius.Sic enim ex multis habeo exploratum. Ad valetudinem ſeruandam,vel inſtaurandam,nihil præſentius ruſticandi ſtudio. Tu, qui in teipſo hoc ex-

pertus es, memento id aliis non minus quam pharmaca, & dietas, & lectuaria ſuadere. Primus ortus noſter, Sozine cariſſime, ſub dio fuit. Ad libertatem contuendi cœli, & ad percurrendos agros natura nos genuit. Quæ illi conſentanea ſunt, conſentanea ſunt & nobis. Aduerſantia illi, aduerſantur & nobis. Ambitio concludens nos in fumoſis vrbibus, ante tempus nos perdit. Quod vero indulgere te venatui addis, hoc mihi admodum placet, non tua tantum, ſed mea etiam cauſa, qui hac delectatione captus, venatores eſſe omnes vellem. Mirum in modum labor hic ad pellendos morbos, animiq; omnes ſollicitudines confert. Mane exis ad colles, ad meridiem vſque totis ſenſibus agitationi ferarum intentus. Exerces interim corpus, & membra, huc curſitando atque illuc. Sub quercu deinde patula, vel in aprica valle, ſi hiberna ſint tempora, apud lucidos ſemper fontes prandiolum domo allatum diſponis. Conuenatores tui tecum conueniunt. Quãto bone Deus deſiderio cibus ſumitur: quàm bene omnia ſapiunt! Nil ſalſamentis, nil exquiſitis ſapotibus, nil vltro irritamento gulæ eſt opus. quod domi & in otio ſordet, manna & ſacharum ſapit in agro. Iterum reſumptis viribus reditur ad ſaltus, & in noctem vſque continuatur voluptas. Quid non delectationis habet collium varietatem inſpicere? venaticos canes intueri, leporem aut ceruum olfactu ſollicito indagare? latratus cupidos audire? cum feræ nondum viſæ propinquant. Tu interim canem leporarium retentans laqueo, anxia quadam voluptate, quicquid id eſt excitari expectas, vt ad primum exitum illum immittas. Iam vero cum fera apparuit, & ad curſum eſt ventum, incredibilis ſequitur mentis iucunditas. Lætæ acclamationes tolluntur vndiq; Ad exitus viarum conuolatur: quo illam venturam creditur. Quiſq; laudem ex cane, quem regit, deſiderat. Spectaculum omnium & gratiſſimum & iucundiſſimum eſt: capreolum inſpicere nunc hos nunc illos prætereuntem canes. Alios à fronte, alios à lateribus incurſantes, inſtantes alios à tergo. Illum perſæpe miſeris anguſtiis conſtrictum, ſaltu ex mediis morſibus ſe proripere, & vel ad vicinam paludem, vel ad propinquum nemus toto niſu contendere. Rurſum ab aliis, qui paludum & nemorum prima cuſtodiunt: retorqueri ad campos. Mille vias fugere, ac refugere: velites inſtare, iam iam tenere, & ante animo quàm dentibus prædam concipere. Si prehenditur, tanquam profligatis hoſtibus: ſic intercepta fera, victoria exultatur. Sin aliqua fortuna euadit, voluptati eſt in longis & laborioſis curſibus, prope vt caperetur fuiſſe. Inter hæc gaudia, qui locus eſſe curis malis poteſt? quæ mentem ſollicitudines occupare? Nulla eſt anxietatum memoria. In obliuione ſunt omnia. Huic vni ſtudio ita omnis incumbit ſpiritus, vt aliis ſe impertiri non poſſit. Redeuntem te noctu in vrbem eadem quoque in domum vſque aſſociat delectatio. Cœna tua colloquium, niſi de venatione non habet: gratis nonnunquam concertationibus plenum: cum vel errata diei in hunc aut illum reiiciuntur, vel quiſq; feræ captę vendicat laudem. Taceo ſomnos ſalubres, qui nocte illa ſecuntur. Quietiſſimus omnium eſt venatorum ſopor. Nihil eſt quod perturbationem animo affectis ſic corporibus afferat. Non ſunt circumuolutiones illæ per lectum, quæ inquietare otioſos perpetem noctem ſolent. Non cupiditates vllæ, negantes quietem oculis. Concludam vno verbo: Venatio moderata vitę noſtrę eſt ſalus. Perge itaque vt facis. Fruere communi patria: agellis quoq; quos habes pulcherrimos: & venatui intende. Sic agens, vltimum quod tibi annorum reſtat, iucunde, & abſque ſenectutis incommodis peragas. Beneuolentiæ in te meæ, & otii, quod nunc eſt ſignum, hæc tibi ſit epiſtola. Viuente Pio, non potuiſſes vel ſyllabam extorquere. Vale. Romæ. Calendis Nouembris M.CCCCLXIV.

ANDREAE DE SANCTA CRVCE ADuocato Conſiſtoriali.

LII.

ACcepi libellum tuum, quem de notis publica auctoritate approbatis, inſcribis. Illumque vno ſpiritu totum perlegi: delectatus non ſolum varietate rerum, quas collegiſti, ſed tua quoq; induſtria, quæ inter quotidianas occupationes afferre in cõmune hanc vtilitatem potuerit. Nec illud ingratum fuit, quòd hunc laborem meo nomini dicas. Habeo tibi, Andrea, meritas gratias, non vt amico ſolum, ſed vt adiutori

tori Latinæ litteraturæ. Quantum mea fert opinio, bene ſunt in eo omnia. Tenent ordinem ſuum explicatamque ſingulorum cognitionem: quæque diſperſa ante fructũ exiguum dabant, nunc in corpus vnum digeſta, eruditionem habent paratam. Commendandus es valde, & habendus in precio à nobis, præſertim, qui gubernaculo eccleſię aſſiſtimus. Semper enim cogitationes tuę, & curæ, Eccleſiæ ſalutares ſunt. Semper te ad iuuandos in eo quod potes Romanos Pontifices totum componis. Nihil priuata emolumenta, nihil rationes vllæ rerum tuarum ab hac cura te amouent. Teſtis ſum ego temporum Pii nuper defuncti: quę cum negotioſa & perturbata admodum fuerint, non accerſitus, non conſultus, non iuſſus, per te tamen quod adiumenti habuiſti, atque conſilii, vltro impendiſti ſemper. Profectiones nonnunquam ob hoc ipſum graues ſuſcipiens. Memoria tenes quotiens ad me veneris Præſuli tunc famulantem, quanta monſtraueris, iudicio tuo vtilia, quanta abſens accurate admodum ſcripſeris. Quę cum à me ſemper Pio recitarentur, fidem tuam ſemper, conſilia vero quàm ſæpiſſime commendauit. Hæc quoque fuit cauſa, vt cum te antea noſſem, inciperem etiam merito tuo diligere. Placent mihi ſupra modum, qui pro matre noſtra Eccleſia vel pugnant, vel vigilant. Nunc autem quod à publicis ſupereſt temporis, ad litteras conferens, nõ vis, quę de notis & numeris, quæ in epigrammatis & numiſmatis veterum, vel legebantur ſparſim ante, vel in ruinis diuerſorum locorum monſtrabantur, inutilia eſſe, aut tempore interire. Sepulcrorum titulos & arcuum, beneficio tuo, ita externus noſcet, vt Romanus. Continua igitur inchoatum opus, & quando neque perfectum, nec ad purum digeſtum ſcribis, comple & lima. Libellum ipſum remitto, rogans, vt cum manum extremam acceperit, ad quem miſſus eſt redeat, vt ſicut nomen noſtrum titulus libelli habet, ita libellum ipſum bibliotheca poſſideat. Vale.

CAROLO CREMONENSI.

LIII.

LÆtor in diem magis, te ex longa valetudine recreari. Id enim indicant binę litterę tuæ hoc triduo à me habitæ. Lætabor magis cum plene confirmatum accepero. Scribis ad finem Nouembris reditum tuum futurum. Hoc placet, & videre te admodum cupio. Conſule tamen prius non deſiderium, ſed vires: & ſi ſuaſerint vt venias, illis adiutricibus veni. Venies expectatus catuſq; mihi, & familię. Si minus: differ cum ſalute, quod maturare ſine periculo non potes. Tritum ſermone prouerbiũ eſt: ſenſim ambulando bene curritur. Tui ſum memor, & ero, tamque abſentis quam præſentis ratio habebitur. Quod à te iſtinc velim non habeo, pręter hoc vnum, vt leporarium velocem & celebratũ tecum ducas, ſi quem Viterbii vel Tuſcanellæ poteris ab amicis accipere. Stomachi tui & noſtri medicina erit venatio. Vale. Romæ XVIIII. Nouembris M.CCCC.LXIV.

LATINO CARDINALI VRSINO LEGATO in Picenis.

LIV.

AGo gratias tuę dignationi, quòd recordata commendationis noſtræ Guererium Fabrianenſem protexit, locumque illi dedit tuendæ ſine periculo innocentiæ. Fecit quod facturam eam putabam, & quod nobilitatis eſt proprium. Merito eam dilexi ſemper, & diligo. Memor eſt amantium ſe, nec patitur à caris ſuis in caſſum ſe deprecari. Nemo his noſtris temporibus, nos miſeras Pii reliquias præter te reſpexit. Solus memoriam tenuiſti ſanctiſſimi Patris, nolens ſimul cum corpore, deuotionem filii condi in ſepulchro. Erit à Deo merces copioſa bonitati tuæ. Noſque operam dabimus, vt ingrati non iudicemur. Iterum commendo Guererium, non quia opus exiſtimem, ſed quia illi fraterne afficior. Vis inimicorum non opprimat hominem, qui propter Sedem Romanam nunc hęc patitur. Si non ita acerbus eſſe in ſuſpectos Eccleſiæ voluiſſet, parum nobis, ſibi certe conſuluiſſet plurimum. Viuente Pio inchoata tantum erat adminiſtratorum ab eo cognitio, & reſtituta Fabrianenſibus æqualitas quędam. Vitæ nullum erat periculum, nec fortunarum. Mandauerat Pontifex

Marſicano Epiſcopo, curaret diligenter, vt Guererio non noceretur. Inter ſuos tantum, ſi non conſuetum, at debitum locum teneret. Id agens videlicet, vt fidelis ſubditus correctus non oppreſſus ſeruaretur Eccleſiæ. Nunc ab iis, ptopter eccleſiam eſt inſectatus, caput ſuum appetitur. Hoc vt perdi non pateretur, dignationem tuam ſum deprecatus. Ad reddendam rationem pecuniæ publicæ, non diſplicet illum compelli. Ipſe ſi bene diſpenſauit, vt dicit, idem nobiſcum debet optare. Verum quia, vt noſti, in miniſtris iudicii, vel ad condemnandũ, vel ad abſoluendum eſt multum, ſine quæſo hoc peti à me, vt his non committatur ſalus ſua, qui ad cupiditatem vindictæ, non ad diligentiam veri ſtudium ſuum ſunt conuerſuri. A maleuolis quæritur nodus in ſcirpo, & non inuentus, inuentus conuincitur. Non ignoras ei, qui inter ſuos primatum teneat, quanta ad conſeruandos ciues, & ſuam dignitatem expediant: quàm neceſſaria ſint, & quàm ſine periculo prætermitti non poſſunt. Nõ eadem mediocri licent, quæ magno. Indulgebitur illi plus, qui pro quiete & tutela plebis excubat dies noctеſque, quàm populari artificiolo intentus: & nil vlterius cogitans, alienis oculis vigilat. Nos vero mali æſtimatores rerum, inter hominem & hominem, peccatum & peccatum, diſcrimen non facimus: confundentes diſcretionis legem, & vno collirio in omni oculorum morbo vtentes. Si Guerrerius ſtudio ſeruandi Fabriani, & prohibendi à reditu eos, quorum præſentia ſuſpecta erat, ſtatum ſuum perſeueranter ſeruauit, atque aduerſariis aſper, & difficilis fuit, aliqua interdum curans, quæ non tã voluntas quàm neceſſitas & publica vtilitas voluit, non debet res ſua in eadem, qua plebeus, libra expendi. Nec peccatum quod ignauo capitale eſt, mortale quoque eſſe ſtrenuo duci. Verum ſtultus ego, qui Patri ſapientiſſimo hæc loquor, & ſalutem amici deprecor ab eo, qui iam optime meritus, gratiarum actione potius quàm noua intercesſione eſt proſequendus. Laudo quæ acta ſcribit bonitas tua, & quæ ante ſuum ex Fabriano diſceſſum facturam ſe ſpondet. Vnione ciuium nil ſalutarius, nec vlla ratione conſuli prouincialibus commodius poteſt: cũ præſertim malo nullo grauius laborẽt Eccleſiæ populi quàm inteſtinis diſcordiis. Ad hoc ergo ipſum ſtudiũ omne intende, & iſthic eſto, quod es apud nos. Legatio hæc duo præſtare poteſt, ſumme tibi optanda, commendationem bonitatis ac ſapientiæ, ſi bene geratur, & familiæ tuæ diuturnam clientelam prouinciæ. quæ etſi nõ affectentur, tamen bene agentem velut vmbra corpus ſequuntur. In rebus noſtris ſecuta hæc ſunt poſt tuum diſceſſum: Venere Oratores Veneti ad Pontificem apparatu inſigni. Ipſi præſtantes viri non ciuium, ſed Regum præ ſe legationem ferebant. Datum eſt illis conſiſtorium publicum, tanta frequentia hominum, vt maiorem eo in loco non viderim. Sequentibus diebus, cum Pontifice & tribus Patribus expeditioni præpoſitis, & cum oratoribus, qui hic ſunt, actum continuo eſt de ratione belli gerendi in Turcos. Exitus tractatorum hic fuit: vt Pontifex aureorum milia centum, quæ obtulit, in hunc annum pendat, diſpenſanda ſuo, & trium Patrum iudicio. Ferdinandus Rex octoginta, Veneti centum, Dux Mediolanenſium ſeptuaginta, Florentini quinquaginta, Dux Murinæ viginti, Marchio Mantuanus decem, Senenſes quindecim, Lucenſes octo, Marchio Montisferrati quinque. A nullis tamen ne à Venetis quidem recepta eſt diſtributio, facultatem publicam ſe non habere cauſantibus. omnes ſcripturos ſe ad ſuos, quæ conſultata eſſent dixerunt. Quæ autem futura ſit in his voluntas, Dignatio tua, quæ ſummam prudentiam habet, cogitare facile poteſt. Placeat Deo, cordium moderatori ad votum Præſulis horum mentes conuertere. Heſterno veſperi venit ad me Paduanus Epiſcopus, qui paulo ante cum Venetis Oratoribus fuerat. Referebat ex recentibus ad eos litteris nunciari, vno Soldani edicto, mercatores Venetos, qui vbique per Syriam erant, comprehenſos fuiſſe, & ad eum perductos in vinculis. Cauſam edicti fuiſſe aiebat, quod ſubditos ſuos reddi ſibi vellet: quos in neſcio quibus Venetorum triremibus data fide, acceptos, fratres Rhodienſes tanquam infideles: quos tranſuehi à Chriſtianis non liceret, in captiuitatem abduxerant. Eam rem magni eſſe nocumenti dicebat, non ſolum ad priuatas ciuium opes, ſed ad publicam belli, quod geritur, cauſam. Hinc quoque iacturam aliam referebat ſecutam. Obſidebat Sigiſmundus Malateſta ſupremo conatu arcem Miſiſtratæ vrbis, quæ quondã Deſpotorum regia fuit: & occupata iam ciuitate, eius potiundæ ſpem prope exploratam ha-

tam ha-

tam habebat. Adiuuabatur autē diligentia eius vicinitate Venetæ claſſis, quæ vt Rhodum ad repetendos Syrios perrexit: ſublata ſpe propinqui ſubſidii, & prementibus Turcis, occaſionem ſoluendæ obſidionis neceſſariam dedit, perdita grandi impenſa, quæ indiuturna oppugnatione erat abſumpta. Dolendum & hoc pariter eſt, rogandusque Deus, vt cauſam labentem miſericordi manu ſuſtentet. In publicis quid aliud nuntiem non habeo. Priuata ſunt vt antea erant. Pontifex valet. Nos valemus. Opto itidem, D. tuam valere: & omnia quàm ſecunda illi accidere. Romæ. Die x. Septembris. M.CCCCLXIV.

RICARDO CARDINALI CONSTANTIENSI, SEDIS Apoſtolicæ Legato.

LV.

SI filio incuſare patrem aliquando licet, Dominus, & pater meus Conſtantienſis filio Papienſi promiſſum non ſeruat. Promiſerat autem mox vt legationem adiſſet ſcribere aliquid, vt reſponſum acciperet. Non fecit. Queror, & patrem incuſo. Gratulationes publicæ populorum, honores impenſi, obuiationes prouincialium, excuſſerunt, vt video, memoriam pauperis ſerui: vel ita animum extulerunt, vt non dignetur illum litteris ſuis. quod non fecit Dominus, faciat ſeruus, & impleat quod non promiſit: quando qui promiſit non implet. Nil vero habens quod ſcribam, gratulor D. T. quod valeat, quod ad prouinciam creditam venerit, quod excepta lętis animis fuerit. Sic enim nuntiant qui iſtinc ad nos vel ſcribunt, vel veniunt. Cætera ſecundet Deus, detque bonitati & virtuti tuę fructum laborum ſuorum. Precor autem vt ſuę valetudini ſeruiat, ſalubrem locum ſibi, & familię eligat. Non plus oneris capiat, quam ferre humeri valeant. Caute cum prouincialibus agat. Gens acuta eſt, & ſolers: & ad odoranda bona & mala admodum ſagax. Bonitate, integritate, & iuſtitia vtens, frangere mala conſilia poterit. Scio D. T. quo eſt ingenio, breui cognituram eſſe naturam, moreſque omnium. His bene perſpectis, nihil eſt futurum, in quo decipi poſſit. Ad cætera autem experimenta virę, operumque tuorum gaudeo, Reuerendiſſime Pater, hoc quoque accedere, vt ſciens D. V. de Gallis periti ſſime loqui, de Italis etiam habeat, quod experta loquatur. Publica, & priuata eodem in ſtatu Romę ſunt, quo erant ante tuum diſceſſum. Pontifex valet: & nos valemus. Idē curet tua Dignatio: cui inſeruire ſemper deſidero. Romæ die XIII. Decembris. M.CCCCLXXXXI.

EIDEM CARDINALI.

LVI.

QVo tempore famulabar Cardinali Firmano, Petrus de Monte Falco à quo D. tua has accepit, diſpenſator domus ſuę erat. Conuiximus in eodem famulatu annos multos. Illius erga me, mea erga illum plurima fuerunt amicitiæ opera. Animorum coniunctio pręcipua ſemper. Mors illius integerrimi Patris ambos diſtraxit: non tamen diſſociauit corda. Amo illum, vt par eſt, & iuuo libenter, cum poſſum. Si Pius Pontifex tam cito ſubtractus mihi non eſſet, grate, vt reor, fuiſſem de eo meritus. Acceſſerat enim ad priſtinam beneuolentiam noſtram ſua fidelis ſedulitas, quam iacenti mihi nuper Spoleti ex febre, dies & noctes impendit. Leuia vina, quorū raritas multa eo in loco erat, pręcipuo ſtudio vndique conquirebat. Noctu etiam ſæpe veniebat à Monte Falco Spoletū, vinum in flaſculo deferens, ne per ęſtum langueſceret. Pruna quoque pręcoqua ad acuendum guſtum conceſſa à Medicis, ex longinquo parabat. Denique ita ſtudioſus ad meam ſalutem erat, vt infirmari ille videretur, non ego. Satisfacere diligentię ſuæ ex deſiderio huc vſque non valui, remagis quàm voluntate impeditus. D. T. R. poteſt debitum hoc pro me illi perſoluere, & ambos vna opera cōſolari. Sunt officia plura in legatione veſtra. Sunt & curæ diuerſę, quas diuerſis demādari oportet. Petrus hic, pro quo intercedo, induſtrius homo eſt & ſolers, fidem afferens, & diligentiam in negotiis imperatis. Deprecor D. Veſtram: pro mea in eam perpetua deuotione hunc hominē dignetur complecti, non tam veſte, quàm bona mente oroatum, & ita deſiderio ſuo pie conſulere, vt quam mercedem fidelis obſequii capere non potuit à me, à domino meo mea deprecatione accipiat. Hoc mihi gratiſſimū

erit,ad rationariumque aſſcribetur aliorum veſtrorum erga me meritorum. Opto D. T. bene valere, iocundam vitam agere,& omnia quàm ſecundiſſima illi euenire. Romæ. Die XVIIII. Decembris. M.CCCCLXIV.

FABIANO MONTEPLICIANENSI.

LVII.

SI nimius videor tibi in commendandis reliquiis Pii Pontificis: Id quæſo importunitati ne imputes. Ingratus eſſe non poſſum,nec ſcio. Noſti quàm debeam Senenſium nomini,& quanta eſſe mea debeat erga eos voluntas. Donarunt me ciuitate. In nobiliſſimam familiam allegerunt. Honore, & charitate ſupra merita ſunt proſecuti. Pius ad Pontificatum aſſumptus non poſtulantem, nec opinantem ad ſecretariatum vocauit. Præſulatui Papienſi pręfecit. Ad Cardinalatum aſſumpſit,conferens quod donare ſummum Pontificatus eius potuit. Habuit mihi rerum omnium verborumque fidem. Gratia autem valere tantum apud ſe voluit, quantum mei ordinis fratribus aliquando diſplicuit. Moriens Anconæ ſuprema hora ſpiritus ſui anxiis vocibus commendauit mihi nepotes,commendauit mihi familiam, & qui viuenti fuerant famulati. Aiens,cum me Cardinalem creauit,ſperaſſe his omnibus patrocinium meum non defuturum. Præſtare hoc,mi Fabiane,in pręſentiarum non valeo. Studiis meis tempora contraria ſunt. Viuo propterea in multa mentis triſtitia, & viuam,donec hic imber vexationis pertranſeat. Specie quadam boni, malum graue inductum eſt. Nomen quidem ſyndicatus eſt: res perſecutionis. Non damno Pontificē, qui & iuſtiſſimus eſt, & ſupra modum miſericors. Nonnullorum miniſtrorum tota eſt culpa,qui bonam mentem falſis opinionibus implent. Si de ſuo iudicio cogitarent, non tam de alieno eſſent ſolliciti. Principē pium impium faciunt, & perſecutorem dici,qui Pontificū reliquias miſericorditer ſemper protexit. Sed ô nos Fabiane diſcretionis ignaros, & Chriſtianę charitatis expertes, tanquā ſi iuſti eſſemus, & mundi à crimine: ita ſæuitiam exercemus in proximū, immemores quid in nos exerceri cōueniat, & obliti verbi Domini: *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in eam lapidem mittat.* Si de nobis haberentur hi Syndicatus,quàm veriora crimina,& maioribus digna pœnis reregerentur. Nugę apparerent,quæ tanquam capitalia nunc perquiruntur. Illud profecto eſt: nomen Pii exoſum eſt multis, quia & multos correxit, & multorū reſtitit ambitioni, & regere voluit ipſe non regi. Senenſes quoque, quia emolumenta multa complexi ſunt,quæ danda aliis alioquin erāt,multorum in ſe prouocarunt inuidiam. Quo fit vt ad ſaturanda odia hęc in diuerſis locis ſint conſtituta iudicia,& quæ antea curata non ſunt,nunc indagentur. quæ in aliis digna æſtimata ſunt venia, digna morte nunc habeantur. A Pontifice,vt dixi,nullo modo hæc ſunt. Illi omnis crudelitas diſplicet, & ſeuitatem mandanti perſæpe non obeditur. Miniſtrorum impietatem accuſo, quos ſuo tempore iuſtum Dei ſupplicium manet. Ad te,Fabiane,conuertor. Honoratus à Pio Pontifice es. Habita tibi fides in rebus magnis,& grauibus. Domeſtici ſui te dilexerunt:in eius quoq; famulatu vixiſti,quem ſcis ab illo factum eſſe Cardinalē. Tanti Patris memoria valere apud te debet. Eſt animi grati,non viuenti ſolum, ſed mortuo quoque gratias agere. Non dubito,quin his miſeris quantum tibi per honeſtatem liceat,faueas,& compatiaris,& non ſinas tradi in manus inimicorum ſuorum. Quia tamen ſalus eorum me cruciat,& in me vnum reſpiciunt, tanquam in eum, quem plus cæteris Pio debere agnoſcunt,cogor in iis, quæ benefacis te hortari. Hortor itaq; atq; oro,vt humanū calamitoſis te prębeas,benigne eos audias,iuſtificationes ſuas intelligas,non patiaris contumeliis accuſantium confundi. Delicta, ſi qua ſunt,non ad euangelii normam, ſed ad vitæ communis regulam æſtimes. Multa excuſat conſuetudo,quę damnare inconſueta ſeueritas poteſt. Quod toleratum eſt in prioribus adminiſtrationibus,cur in præſentibus non toleretur? & quod illi ſine reprehenſione egerunt,cur ſine culpa noſtri non egerint? ne ſit queſo pręſens examen antiquo ſeuerius, nec ſtatuamus legem,quam ſcimus ſeruatum non iri. Concludam paucis. Diſcretio, quam Ioannes Caſſianus matrem virtutum appellat, in his iudicandis tibi ante oculos ſit. Memento Pii,& noſtri,qui te vt germanum diligimus. Non vſque adeo fortunæ noſtrę afflictæ ſunt,vt non remunerari gratam voluntatem tuam aliquando poſſimus.

mus. Eſt Senenſis, eſt Theanenſis, eſt Papienſis. Sunt alii nonnulli ſanctæ Ro Eccleſię Cardinales, opera manuum Pii, qui quod boni egeris laudare, & menti mandare, & retribuere nunc, atque in poſterum velint, ac poſſint. Vale Romæ.

RICARDO CARDINALI CONSTANTIENſi Legato Apoſtolico.

LVIII.

HIc Ioannes Baptiſta, qui ad D. V. cum præſentibus veniet, amicus eſt mihi, & quod amicitiam auget, hoſpes quoque antiquus, quotiens Interamne iter egi, in itu, & reditu. me domi accepit, & laute ac liberaliter habuit. Domeſtica ſua omnia, æque, ac ſibi, patuerunt mihi & meis. Ipſe vir integer eſt, & prudens, & bene cordatus: apud ſuos vero æſtimationis non paruę. Opto D. Veſtram, ſi quando illuc ibit, ad eum diuertat. Inueniet non meo tantum patrocinio dignum eum eſſe, ſed ſua inſuper gratia. Præturam Triuienſem, quam gerit, à Pontifice impetraui, vt partem hoſpitii ſoluerem. Alteram, ſi pro me ſoluet D. Veſtra, plene ſatisfactum operi erit. Optat ad Fulginatem nunc eligi, quam ſine litteris veſtris ſe conſecuturum non ſperat. Non noſcens D. Veſtram, neq; aditum deprecandi habens, ad me confugit, vt oſtium veſtræ charitatis aperiam. Precor itaque D. Veſtram, Reuerendiſſime Pater, vt meo beneficio hunc hominem audiat, & ſi poteſt, concedat, quod petit. Singulis ſemeſtribus eligunt Fulginates homines externos tres ad præturam eorum, quos ad Pontificem mittunt, vt ex tribus probet quem malit, probatum admittunt. Si Ioannes Baptiſta vnus erit ex tribus: gratia Pontificis fortaſſe illi non deerit. electione tantum eſt opus, quam non dubito ſecuturam, ſi D. Veſtra ad Fulginates ſcribens hoc ſe cupere indicio litterarum oſtender. Bene valeat D. V. Reuerendiſſima, cui me deuote commendo. Romæ XXIII. Decembris M.CCCC.LXIV.

FRANCISCO PATRICIO EPISCOPO CAIETANO.

LIX.

COnſentanea honeſtati ſunt, quę ſcribis. Placent monſtrati iudices & locus vicinus. Non eripere eccleſiæ Caietanæ quæro, vt Cœnobio addatur. Abſtinere quemq; à non ſuis poſtulo. Tu me amas. Ego te. Faceſſat inter nos diſſenſio, quã tollat iudicium non hoc diuturnum, quod in mille annos producũt Cauſidici, ſed quod expetunt boni. Vnum curato, vt non ſuſpecti ſint iudices, neque indocti, veritati ſeruientes, non gratiæ. Scribo ſororibus, vt conditionẽ accipiant, & de iudicibus, & producendis iuribus videant. Tua interim dignatio ſicut ſpondet, eas non vexet. Scribe aliquando de rebus tuis, & vitæ tuę inſtitutione. Quid agas, quid ſcribas, quid otians moliaris. Ad reſpondendum vocabis Amicum: qui Pio ammiſſo in ſolis Pientinis ſe conſolatur. Gregorius noſter Senas ſe contulit ad viſendos ſuos & ſua. Bene Vale.

LATINO CARDINALI VRSINO.

LX.

BInis litteris D. T. intelligo liberatum eſſe Gueretium, & hoc amplius conciliatum eum aduerſariis ſuis. Debet æternum nomini veſtro. Debeo & ego, qui pro ſalute ſua interceſſi. Pro ambobus retribuat Dominus. A me D. veſtra ſemper coletur, & in honore præcipuo erit. Diligit enim diligentes ſe, & in promerendis amicis exceptionem non habet. Qui differunt verentur, penſiculate omnia volunt, conuenire mecum non poſſunt. Illi placent, qui, ſicut aiebat patruus veſter, pro amico, ſi neceſſe ſit, pugnis conſcientiam pulſant. Hic nec domeſticum nec externum eſt aliquid: quod ſcribi dignum ſit, præter obitum Cardinalis de Fuſo, qui certiſſime eſt nunciatus. Vereor ſatis ne amico noſtro decreta nuper legatio obſtante Rege adimatur. Semina quædam iam ſparſa intueor. Bene Vale.

HELIANVS SPINVLA.

LXI.

VEra ſunt omnia, Præſtantiſſime Pater, & domine mi colendiſſime, quæ de Pii quondam Pontificis Romani vita & exitu tuis litteris prædicas. Talis inter homines egit. Talis claſſem in Turcos molitus eſt. talis ſupremam vitę horam velut defeſſus in requiem ſuam iturus conditori ſuo dicauit. Sed ille iam laborum ſuorum mercede vberrima ſecurus fruitur: nobis nequaquam lugendus, ſed inuocandus potius, vt aſſiduus fidem Chriſtianam, pro qua ſpiritum reddidit, patronus adiuuet. Mihi vero, Pater humaniſſime adeo peropportuno tempore redditę ſunt litterę tuę, quibus me ad poſcendum inuitas, vt vix putem caſu factũ, quod eo temporis illas recepi. eſt enim mihi filius Dominicus, quintum & vigeſimum agens annum, quam ætatem creditur in aſſidua virginitate duxiſſe. Is quorundam fratrum prædicatorum blandimentis allectus, illi ſe dicauit ordini: ſiue ita ſtatuente Deo, ſiue, quod magis arbitror, inexpertus rerum, & ad promiſſa fratrum nimis credulus. Ego ſi ea erit voluntas Dei, nec velim, nec auſim obſiſtere. Sed quoniam huic filio meo inſunt præclaræ quædã virtutes, quæ ſi regulę prædicatorię is ſe addicat, ſegnes, & inutiles fiant. ſi vero in ſacerdotalem, aut monachalem vitam tranſeat, magnos poteſt fructus afferre in Eccleſiam Dei: Statui hanc curam in humeros dominationis tuę reiicere: orans quo maiore poſſum ſtudio, dignetur cum Pontifice Maximo ea de re ſermonem conferre & orare vt dignetur hunc filiũ meum ad ſe litteris euocare, & cum in Sanctitatis ſuæ conſpectu fuerit, de vita ſua id ſtatuere, quod Deo gratius, & Eccleſię vtilius putauerit. Huic patris afflicti ſollicitudini, vt ſuccurrat bonitas tua eo affectu precor, vt maiore pro ſalute ac vita nequeam: in cuius manu mea omnia poſita ſunt. Genua Die XXVI. Nouembris M.CCCCLXIV.

HELIANO SPINVLÆ.

LXII.

LEctis litteris tuis, particeps factus ſum triſtitiæ tuę, non tam propter filium, quàm propter te. Ille enim, ſi recto ſpiritu religionem eſt ingreſſus, gratiam à Domino conſecutus, melius habet quàm nos. Mortuus ſæculo, viuet in æterna ſęcula cum ſanctis & electis Dei. Tu vero ſolus relictus mœſtam ſenectutem nunc agis, nepotum & domeſticę conſolationis ſpe deſtitutus. Atque vnde cadentis ætatis ſuſtentaculum expectabas, onus doloris accipis. Dura profecto res. ſed quid agas, Heliane: vbi Deus pungere nos his aculeis vult, & tentare aduerſis patientiam noſtram, vt faciat cum tentatione prouentum. Nunquid repugnare illi nos poſſumus? aut afflictione cordis ſanare plagas eius? *Non eſt ſapientia*, inquit Salomon, *non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Accipere omnia ad ſalutem nos conuenit, & cum propheta cantare: *Pſalm. 23.* *Virga tua, Domine, & baculus tuus: ipſa me conſolata ſunt.* Futurorum ignari, neſcimus quid lætemur & quid doleamus. Triſtitia noſtra ſępe in gaudium: gaudium ſæpius in triſtitiam vertitur. Moderator ille omnium, & omnia intelligens, ſecundum cuiuſque indigentiam inferiora hæc operatur. Itaque ſi quieſcere animo & adiuuari a te vis, quemcunque exitum ſors filii eſt habitura, in melius puta. Ego vero, vt dolori tuo obſequerer, Pontificem adii. Rem totam ordine expoſui. Mollire conatus ſum, quantum in me fuit, cor patris animarum noſtrarum. Ipſe, vt natura miſericors eſt, compaſſus ętati tuę, & caſui, mandata dedit quæ volebamus, ad Priorem Cœnobii vnum: ad filium alterum: illis vteris ex arbitrio tuo. Cum vero huc venerit filius, erit cum Pontifice, & mecum. Tentabimus ambo ſenſus eius, & cordis ſecretum rimabimur. Si ex Deo erit hic motus, in contraria cogendus non erit, ne deterius nobis contingat, & ante tribunal ſummi Iudicis rei pro eo citemur. Sin leue conſilium fuerit, & iuuenile, vt dicis, & à falſis ſuaſionibus fratrum, ſpero ſtatuetur aliquid, quod in neceſſitate hac te cõſolari poſſit. Summa hęc eſt impetrationis noſtræ pro filio. Sed audi quę inter loquendum ſecuta ſunt. Laudare te Pontifex cœpit. Helianũ hunc, inquit, agnoſco. Vir eſt inſignis, & nobilis. Ducitur autẽ ea voluptate, qua nos, eruditos oculos habens ad cernenda, quę præclari ſunt operis. Multa conquiſiuit vndique ex

Grecia & Aſia,& aliis gentibus. Satiſfacere ſolus ſine ſuo damno nobis poſſet, ſi vellet:&in hoc vno rem omnium gratiſſimã facere. Donati nobis non petimus aliquid: neq; enim dona accipimus, niſi quæ eſum potumve habeant. Emere mos noſter eſt, & fuit ſemper, quæ nobis deſiderio ſunt, ac pro re placita liberaliter pendere. optamus, operante te, hanc voluptatem nobis animi præſtet, vt precium capiens det Ipſe quæ habet. Videns ego quanta charitate de filio tuo reſponderat, & quàm impenſe peteret hęc, curam impoſitam ſuſcepi, vt debui. Rogans vero, quæ, qualia ve eſſent, quæ eſſe apud te ſciret, & mitti ad ſe vellet, vnum aliquid non deſignauit. Generatim autem recenſuit hæc, Imagines Sanctorum operis antiqui ex Græcia allatas, quas illi Iconas vocant. Aulea item, texura, acuve picta, indidem aduecta. Si quid inſuper vetuſtæ picturæ, ſculpturęve apud te eſſet. Vaſcula quoque cuiuſque modi, cari lapidis. Inſignia porro, Toreumata, & numiſmata ex auro & argento, ac reliqua huiuſmodi, quæ vos vetuſtatis amatores melius inter vos eſſe in precio ſcitis. Non ignoro, Heliane cariſſime, amanti hæc durum eſſe hæc dare. Suſpicor quoque miraturum te eſſe hanc in tantis occupationibus Pontificis curam: ſed primum obſequia ea, vt ſcis, cara haberi ſolent, quę præſtantis habent in commodum. Cariora autem, quo maius. Deinde vt mirari deſinas, quicquid tale religioſa mens patris huius conquirere omni tempore valuit, totum ſemper ad diuinam rem contulit: Id videlicet ſtudens, vt quæ admiramur in prophanis quotidie, in ſacris quoque ſpectemus in honorem Dei, & Sanctorum eius. Collegit ab adoleſcentia ſua vſque in hanc diem multa. Parauit variis ex locis multa. Omnia vel ad ornamenta crucum, vel ad apparatum altarium, vel ad miniſterium rei diuinæ, vel ad puluinarium ſacrorum decus collocata intuemur. Ita vt ſtudium, quod in ſacerdote ab ignaris poſſet æſtimari inane, piis mentibus commendabile ſit, & acceptum. Dices fortaſſe mihi: Quid ſuades vt faciam? pretioſa habeo complura. Pontifici petenti ruboreſt vendere. Damnoſum donare. Cenſeo, Heliane, tibi & illi vna opera conſulas. Elige ex his quæ habes elegans aliquid, quod illi des dono. Neque enim aliter ſine ſuſpicione ruſticitatis potes. Reliqua ad commercatores tuos tibi fidos huc mitte. Omnia præſententur Pontifici, & qui offert addat: Hoc tibi Helianus Spinula dono dat. De reliquis permittit libere vt ſtatuas quod vis. Exploratum mihi eſt nihil illum dono acceptnrum. Precia cuiuſq; rei requiret, & ex his eligens quæ fuerint placita, pecuniam pendet, perinde gratias agens, ac ſi dono data eſſent omnia. Ab experimento ſunt quæ loquor, non a prudentia. Tu qui ſapientiſſimus es, de iis, quæ acturus ſis ſanius iudica. Ego tibi obſequium filii in deſideriis tuis ſemper præſtabo. Breuia, quę accipies cum præſentibus, gratis conceſſa ſunt nobis. Bene vale.

HELIANO SPINVLÆ.

LXIII.

Pontifex Paulus, à quo filium iam recepiſti, munere ad te mittit hunc agnum Dei circumcluſum auro & vnionibus tredecim. Sacratus eſt manibus ſuis, & ex illo numero ſumptus, ex quo munerati Reges eſt ſolitus. Donum precio non magnum, virtute & gratia maximum. Id agit videlicet ſancta eius Dignatio, vt memor ſis eius, vt pignus in ſacrario teneas ſui in te animi, & cuſtodem denique continuum habeas vitæ, & rerum tuarum. Accipiendus oſculo eſt. Cum deuotione ſeruandus. Virtuti eius credendum, & in comitatu habendus, ſi quando terra peregrinaris, vel mari. Linitus eſt ſacramentali liquore. Benedictus voce & manu Vicarii Ieſu Chriſti, myſterioq; magno verborum ſacer identidem factus. Si credes, in omnem caſum fidum præſidium tenes. Age Pontifici gratias pro reddito filio, & pro hoc dono. In vtroq; illi es debitor, quia in vtroq; te exiſtimauit. Non cuiuis ambo hæc obtigiſſent. Quid aliud ſcribam, non habeo. Gratulor tantum redditum tibi ſuſtentaculum ſenii. Veniet quamprimum filius, & tecum erit, coniugium repetens, quod tam dure ante dimiſerat. Multi operis fuit auerſio hæc, ſiue à natura, ſiue ab indignatione id fuerit. pertinacius multo in propoſito hæſit, quam cõuenit iuueni. Deus ex reditu ſuo conſoletur te & illum, & virginem ſponſam. Nõ reſcripſi ante ad

litteras vltimo habitas, quia exitum cauſæ inſpicere prius volebam. Vale, & me ama.

CAROLO SALANDO CREMONENSI.

LXIV.

CLauem accepi,& quæ ſcripſiſti omnia intellexi.Benefacta ſunt ſingula. In mittendis ſalmis,vide quid agas.Curato vt ſociate afferantur. Gens exigua & male animis pacata vias nunc implet,parata magis ad prædam quã pugnam.Curandum eſt,ne alieni mali pœnas pendamus.Vale& cura rem communem. Adi aliquando D. Stephanum noſtrum,& Protonotarium etiam Bononienſem.Vtriq; memorato rem Nicolai noſtri.Si qua in re fuerit adhibendus, accerſe eum quamprimum ex Luca, vbi eſt.De Feneſtella imple quæ imperaui,& litteras alligatas mitte,& redde.

G. LOLLIO.

LXV.

SI affui cauſæ tuæ apud Pontificem feci quod erat ſacerdotis officium. Non paſſus ſum iuſtum calumniis opprimi.Scriptum eſt enim: *Aperi os tuum cauſis filiorum, qui tranſeunt.* Rationem etiam habui meritorum,& patris,quæ in me & meos eiuſmodi ſunt,vt non facere,ſed referre gratiam ſit quod veſtro beneficio conor. Scripſi Lollio noſtro,non ſupereſſe Pontifici ſcrupulum ſuſpicionis. Idem ſcribo & tibi. Excuſſa ſunt omnia.Probata eſt fides. Iſq; apud eum iam es,qui antea. Non te angant plus iuſto hæc crimina.Communia omnibus ſunt. *Filii hominum:* inquit Propheta,*dentes eorum arma & ſagittæ: & lingua eorum gladius acutus.* Felices, qui euadere peſtem hanc potuerunt.A Saluatore in diem hunc vſque, declinatam à nullo, ne ſancto quidem inuenies Vt in mari naues à fluctibus: ſic in Rep. agitari boni ciues ab improbis ſolent.Quoſdam impellit cupiditas. Nõnullos inuidia, pene omnis ambitio.Noſtrum eſt ſemper ad caſus huiuſmodi culpa vacare &Domino fidere, qui protegit innocentem,& conſilia impiorum facit perire.Suadeo,&proChriſtiani hominis officio contendo à te vt nil cuiquam imputes,neminem notes: In hunc vel illum animo incẽdaris.Errare primum iudicio potes,inſontem pro ſonte cõdemnans. Tum noſti dictum nobis per Apoſtolum eſſe:*Supportantes inuicem, & donantes vobis ipſis: ſi quis aduerſus aliquem habet querelam.*Hoc ſi non ad animum faceret, ad rationem certe ciuilis vitæ in primis perutile eſt.Noſco facilitatem tuam,atq; modeſtiam. Puto non tam criminatoribus eris infeſtus, quàm Deo gratias ages, quod nocere non potuerunt.Ego te amo,& tuos omnes.Idem à vobis omnibus exigo.Vale.

ARCHIEPISCOPO COLOCENSI.

LXVI.

DIſtuli vſque in hanc diem reſpondere litteris tuis, Reuerendiſſime Pater, expectans exitum continuæ diligentiæ:quam in exequendis mandatis Regiis Præſul Tinnienſis adhibuit,vt ipſe,qui tuarum fuerat dator, mearum quoque eſſet redditor litterarum. Volebam vno tempore non ex epiſtola ſolum, ſed magis ex ſua narratione noſtrum erga te animum indicari. Temporum conditio tardiora omnia reddidit,fecitque vt nec tuo,nec noſtro deſiderio factum ſit ſatis. Aduentus Tinnienſis in Curiam incidit in extrema tempora Pii Pontificis, cuius poſt primam auditionem languor magis ac magis inualuit, & poſt paucos dies ſecuta eſt mors. Reuentum ſtatim ab Ancona eſt in vrbem à Collegio Patrum.Data ſequentibus diebus funeri opera.atque inde Antiſtitis noui electioni.Mos noſter hic eſt,quem communem vbiq; exiſtimo,vt nouus Apoſtolatus nouum ſemper negotium, & multorum menſium confuſionem apportet,vt raro dari opera,niſi neceſſariis poſſit. Succedit rudis rector experto,miniſtri ignari vſum tenentibus. In nouitate Principatus ſemper bono propoſito coniuncta timiditas eſt,dum error formidatur, & tutius recta mens iudicat differre,quàm agere quod ſatis non tenet. Quo factum eſt, vt tot menſes Orator Regis apud nos fuerit. Nullum tamen locum prætermiſit hortandi, rogandi,inſtandi,huc atq; illuc excurrendi, quo mandata eius impleret, atq; omnibus

bus faceret ſatis, qui negotium illi impoſuerant. Deniq; meo teſtimonio, qui ſpectator omnium fui, fidelis & prudentis oratoris munus abſoluit, ita vt à regia Maieſtate, & vobis, gratiæ debeantur ſuæ ſedulitati. Quod ad me attinet, habitis Regiis litteris, & tuis, & Varadienſis noſtri, ac Quinqueeccleſienſis, audito etiam ipſo Tinnienſi, operam ſine intermiſſione dedi ad complenda quæ petebantur, tantumque mea erga vos charitas valuit, vt duarum horarum collocutione, ſingula à Pio impetrauerim, quę vel ſcripta fuerant, vel tradita in mandatis. Res tua in primis, Reuerendiſſime Pater, grata vtriuſq; auditione tractata: Idq; propoſitum, vt exaudiretur Mathias Rex, & tu tuæ virtutis præmium ferres. Non videbatur tamen ſapientiſſimo Patri in limine aſcendendæ claſſis, & tanta Patrum diſſipatione, qui pauci apud eum erant, tempus ad eam rem idoneum eſſe. Nec rurſum in longa tempora differendum. Paulula mora te, meq; conſolatura certiſſime erat. Quinto ab hac communicatione die vrgente morbo à Domino vocatus eſt, meamq; omnem diligentiam breuis hora eripuit. Quod profecto ſupra modum indolui, non ſolum tua cauſa, cui ſanctiſſimus ille Pater perierat, ſed mea quoque, qui tanto præſidio importuno tempore deſtitutum me vidi. Si nec Regi, nec tibi, nec præſulibus, quos memoraui, complacitum eſt, Papienſi nil imputes. Diligentius eſſe ſtudium ſuum non potuit, voluntas etiam maior. Grauiter affecto Pontificis corpore, nec ad ſignandum manus, nec ad audiēdum aures, nec ad loquendum os, neq; ad cogitandum ſenſus, ſupremis illis diebus ſuffecit. Mutato quoq; Antiſtite, mutata eſt ſtatus mei conditio. Et quanquam Pauli pietas maior erga me eſſe non poſſit, quippe quem habuerit in omni vita obſequentem, & Pontificatus ſui ſtudioſum: tamen quædam mihi cum Pio communia erant, quæ eſſe cum nullo homine poſſunt. Voluntate igitur mea tua Dignatio contenta. quod nec hactenus factum eſt, nec nunc ex tuo deſiderio fit, tempori, non amico aſcribe. Bene tamen tuæ Dignationi de Paulo ſperandum puto. Mens ſua à deſiderio tuo non eſt aliena. Interceſſor tibi eſt magnus. Tu quoq; cum in Eccleſia & in regno tuo locum tenes, vt ſummus quiſq; honor tibi ſit debitus. Filium quoq; habes hunc Papienſem, qui, etſi momenti exigui ſit: tamen cum de re ipſa agetur, tantum fidei & charitatis ad te agendum afferet, vt in eo colendo non male poſitam fuiſſe operam iudices. Quod annuente Domino experimento maiore aliquando cognoſces. Pro munere tuo tibi gratias innumeras habeo. Pulcherrimum fuit, & locuples, & dignum, quod à tanto Patre filio mitteretur. Erit id poculum abaci noſtri ornamentum, menſæ voluptas, & pignus continuum tui in me animi. Diceturq; ſæpe, cum plenum mero attolletur, propheticum illud: *En calix meus inebrians, quàm præclarus eſt!* Cælationes, & inaurationes, & artificia huiuſmodi, eo æſtimatiora apud nos ſunt, quo & rariora. Cupio per Dignationem tuam Varadienſi & Quinqueeccleſienſi, quàm deditiſſimum me fieri, quorum conſolationi & commodis mens & lingua ſemper deſeruient. Vale. Romæ. die quinta Ianuarii. M CCCCLXV.

EPISCOPO QVINQVECCLESIENSI.
LXVII.

EO breuior tecum ero, doctiſſime Præſul, quo & Colocenſi noſtro pluribus ſcribo, & redeunte ad vos Antiſtite Tinnienſe intelligere ex eo poteris cuncta quæ voles. Mors Pii Pontificis occaſionem mihi maximam abſtulit declarandę meæ erga te voluntatis. Si vixiſſet, ſatisfactum eſſet me miniſtro multis deſideriis tuis, & nunc opera mitterentur, non verba. Ipſe Tinnienſis teſtis eſt diligentiæ meę, teſtis & animi quo ad cuncta fui. mutatis temporibus augentur multa, minuuntur multa. pater mihi erat Pius, & aſſumptum me de plebe curiæ ad ſummam in Eccleſia dignitatem vocauerat. Fecerat beneficentia hæc, & indulgentia, & pietas, vt ille me totum ſuum credens, totum quoque mihi ſe crederet, & quo plura contulerat, plura cuperet in diem conferre. Diligor nunc, & carus ſum præſenti Pontifici: commoditas tamen maior in promerendis amicis erat cum Pio. Seruiebam enim ſeni ſanctiſſimo, non vt Cardinalis tantum, ſed vt miniſter domeſticus, oſtendens ſpecie quidem dignitatem Cardinalatus, quotidiano autem famulatu officium filii. Paulatim tamen colligam me, idq; in diem agere ſatagam, vt ſi nō impetrare pro meis caris poſ-

ſim quę volo:impetrem tamen quod interceſſio Cardinalis accepti poſſit. Omni autem ſtudio charitatem tuam mihi ſeruabo,tuam etiam dignationem colam: etoque in te,qualem tua in me humanitas poſtulat. Munera tua iucunda mihi fuerunt, quippe quæ ad commercium non auaritiæ,ſed ad tui in me animi indicium ſint miſſa. Erunt mecum continue,oculiſq; obiecta:monumentum perenne dabunt mei Quinqueecclesienſis præſulis. Gratias tibi pro his habeo nunc. Referam certe cum potero. De re tua quid tentatum ſępius ſit,quid agi potuerit, Tinnienſis omnia referet. Crede,mi Pater,inuadi non potuiſſe magis à me in arcem diligentiæ, interceſſioniſque meæ. Dura res duros animos reperit. vtinam voluntati par eſſet poteſtas. Minus tibi rogandum inſtandumq; eſſet.commendo tibi ipſum Præſulem Tinnienſem. Egit quod potuit. Labori non pepercit. Duriſſimo tempore anni,& vrgente peſte, vitæ & valetudinis immemor,nullum vnquam implendę legationis tempus omiſit. Bene vale,Reuerendiſſime pater, & tuo Papienſi ſcribe aliquando. Romæ die quinta Ianuarii.M.CCCCLXV.

IOANNI EPISCOPO VARADIENSI.

LXVIII.

SErius ad te,Reuerendiſſime pater,meum refertur reſponſum,quia ſetius quoque is redit ad vos,à quo referri illud debebat. Si tempora paſſa illum eſſent prius redire,prius impleſſem quod debui. Manſit apud nos menſes complures non negligentia vlla ſua,ſed temporum culpa. Ipſe ſedulus ad mandata fuit,circuiuit, quæſiuit, pulſauit,expectauit,non pepercit ſibi,vt quam mature abſolueretur à Curia. Mors Pii Pontificis,aſſumptio Pauli,ingruens in nouitate Dominatus moles, tardiora omnia reddidit. Ipſo nunc redeunte,intelliget tua dignatio, quid Pio viuente, quid Paulo ſedente ſit actum. Quid quoq; ſim operatus,cum poſſe plus iudicabar. Reticebo hæc, vt parcam tibi ſimul & mihi. Perſtringam tantum quod tu in litteris tuis de neſcio qua interceſſiuncula noſtra,& tuis oblationibus agis: exiguum fuit quod nobis deprecantibus Pius conceſſit. Cum magnus ſis, magna te oportebat accipere. Quodcunque tamen fuit,animo beneuolentiſſimo factum eſt. Licet autem pro amico calamitoſo,& in patrocinium meum dedito, tu atq; ego aliquando ſenſiſſemus diuerſa:tamen tua ſumma nobilitas,ſumma virtus, ſumma in Eccleſia fides, præſtans animus,& ſapientiæ ac conſilii ſingularis opinio, in magno apud me precio erant. Audieram ſæpe Pium ipſum de te prædicantem, ſæpe etiam tuas ad eum litteras videram. Sæpius de iis,quę apud Cæſarem,& in regno ad conſtituendas pacis conditiones,pacemque inducendam fueras operatus. Narrabat quoq; nonnunquam Cardinalis noſter ſancti Angeli, quid fructus auctoritas integritaſq; tua ipſo legationem agente ad publicam Eccleſiæ & Fidei cauſam attuliſſet, quanta deberentur tibi à nobis,quam in præcipuo negotio eſſe Sedi Romanæ deberet, continua benignitate te obligare. Ex illo tempore,quem non vidi,cœpi diligere. Si proferre Domino placuiſſet vitam Pii in al quot annos,apud quem, (quod ſine arrogantia dictum ſit) in rebus honeſtis plurimum poteram, indicium frequens habuiſſes noſtræ de te voluntatis. Amo nunc quoq; vt antea tuam Paternitatem,& colo,vt antea. Non poſſum tamen,vt antea. Poſſum tamen quantum auctoritas Cardinalis apud Pontificem debet. Quæcunq; mihi conditio eſt,& quæcunq; eſt futura, tua eſt tota, atque erit. inſeruiet ſemper deſideriis tuis, & ſuo Varadienſi præſtabit omne veri filii officium. Atque ita precor bonitatem tuam perſuaſiſſimum habeat. Quæ vero mihi de te offers,grate accipio. Magna illa ſunt:quia tu magnus es,qui offers. Meis & amicorum temporibus opera tua ac rebus familiariſſime vtar, putans nil graue futurum tibi, quod pro Papienſi & pro ſuis ſis ſuſcepturus. Habeo dignationi tuæ innumeras gratias,ſtatuoq; mihi beneuolentiam tuam vitę & ſtatus noſtri ornamentum præcipuum. Faciat Dominus vt hęc naſcens inter nos coniunctio mutuis officiis & charitate continua in dies magis coaleſcat. Non grauet te,Pater Reuerendiſſime commendare me ſereniſſimo Regi,vero Chriſti pugili, & aliquando ad me aliquid ſcribere. Vale. Romæ die v. Ianuarii.M.CCCCLXV.

ALBE-

ALBERICO MALLETÆ, DVCALI ORATORI ad Regem Francorum.

LXIX.

NIſi diligentia tua mihi ſubueniat, vereor ne vexer, & tandem iniuſte patiar. Confugio propterea ad te, patrocinium petens in re amiciſſimi tui. Dilexit me ſemper bonitas tua. Dilexi & ego te, habuique in honore iam inde à legatione Neapolitana, quam in conficienda pace à Duce noſtro gerebas. Famulabar tunc Cardinali Firmano cauſam illic pacis pro Sede agenti. Eram vna tecum, frequens ſæpe ad te veniebam, collaborabamque tecum, quod inops induſtria poterat. Recenſeo hæc, non quia oblitum te credam temporis illins, ſed vt eius meminiſſe me videas, & animi mutui ſcias inter nos cauſas extare. iterum dico, niſi ſtudium tuum mihi ſubueniat, laborabo & patiar. Iterum precor, in neceſſitate amicum non deſeras: qui & menti charitatem tuam mandare & retribuere cum tempus erit, ſit cum fide paratus. Rem quæſo attende. Pius Pontiſex noſter Anconæ agens, multis ante obitum ſuum diebus commendauit mihi Cœnobium ſancti Andreæ, ordinis ſancti Benedicti, cuius vacationem Otho ex Carreto in Liguribus agens veloci ad me nuncio miſit. Poſitum id Monaſterium eſt ad radicem Pontis Auinionenſis in Regia ditione, quanquam bona pars fructuum in comitatu ſit Venuſino. Summa totius annui cenſus quadringentos apportat: Miſit ſtatim qui poſſeſſionem apprehenderet: ſed paucis obſtantibus prohibitus eſt procurator Cœnobium ingredi. In foribus apprehendit, vt potuit. Quidam enim ex monachis, non vocatis iis quos oportebat, ſolennitate conſueta non obſeruata, electionem paucorum prætendens, extra tempus legitimum factam, totam mihi hanc moleſtiam præſtat. Quatuor tantum, vt audio, homines elegerunt: ſeptem qui reſtant, mecum ſenſerunt, & ſentiunt, verumque commendatarium publico confeſſi ſunt documento. Hic noſter pſeudoelectus excurrit ſtatim ad regem, mentituſq; electionem Monachorum vnanimem, ad Pontificem Paulum, & me litteras impetrat. Quibus rogor, vt cedam electo. Rogatur Pontifex, vt electionem admittens, Cœnobio illum præficiat. Præſentatę illę nouiſſimæ ſunt. Hoc ipſo tempore nomine illorum ſeptem, quos memoraui: vnus in curiam venit, procurationem pleniſſimam habēs impugnandæ electionis huiuſce. audita re aduerſarius à præſentando ex more electionis decreto abſtinuit, veritus ne illo inſpecto vanitas tota pateret. Res mea in ſtatu hoc eſt. Cauſa iam cōmiſſa, & citato electo, ſollicitus de iure meo non ſum. Scio quid ille, quid nos habeamus armorum ad pugnam. Sola Regis voluntas me terret, omniſq; hic nodus eſt noſtræ moleſtiæ. Si nutu vno ſignificet improbari à ſe vexationem iniuſtam, ſilebunt illico aduerſarii mei. Quippe qui non tam cauſa, quàm Regio nomine niti ſe dicunt. Sin excluſionem meam habeat cordi, aſpera, & dura cuncta redduntur. Re ille, verbis ego fruſtra contendam. Vides iam, quam medicamento tuo ſit opus, & quàm tollere breui interceſſione contentionem hanc poſſis. Inopem Cardinalem me Pius reliquit, & quanquam ſumme diligeret, parum prouidit. Gratiſſimum mihi eſt Cœnobium hoc: ſi tenere illud permittor, partim quòd propinquum Italiæ eſt, & fere intra poſſeſſionem Eccleſiæ, partim quòd Romana curia caſu aliquo Auinionem trāſlata, receptaculum gratiſſimum & commodiſſimum dabit. Maxime vero, quod panem quotidianum quærenti, ſubuentionem oportunam poteſt præſtare. Cōtendo igitur a te, Alberice cariſſime, vt quo ingenio conficere maxima ſoles, hoc tenue opus mihi abſoluas: & concertatione me liberes. Rationem deprecandi non monſtro. Noſti Regios ſenſus: quotidianumq; experimentum erudire ſatis iam potuit. Ego tamen temporibus Pii ſæpe Regiis petitionibus faui. Multas ſuorum lapſas cauſas ſuſtinui. Cum ſummo eius honore in conſiliis noſtris ſum locutus, & ſcripſi. Teſtes locupletiſſimos habeo eos, qui Romæ ſua, & regni negotia curant. Nemo hoc diffitebitur. Vnus fortaſſe Atrebatenſis contra ſentiet: qui quia bonis omnibus, & fidelibus Regis, vt ſolus Regis eſſet, bellum indixit, neceſſe habuit mecum quoque in contentionem deſcendere. Non ingratum eſſe ſuæ celſitudini debet, Italum Cardinalem, ſi non opibus magnum, gratia tamē & ſtudio, & lingua aliquid apud Sedem

valentem, pauxillo pane Gallico paſci, & occaſionem de manu eius accipere latrandi pro eo validius iti omnibus, quæ tractantur apud nos. Opera ſæpe puſilli hominis, & vox, grande momentum præſtat in magnis. Principis ſapientis eſt, beneficiolo paruo fidelem ſibi animam emere, ac conſeruare. Quod ſi in cauſa regni Neapolitani, in qua, fateor, faui apoſtolicæ Sedi, ab aduerſariis criminarer: idem crimen (ſi crimen habendum eſt) commune fuit Duci noſtro, & mihi. Illius autem eo maius, quòd armis, non verbis pugnauit, & vt ego ita agerem, voluit. Conciliato iam Duce, illos conciliari nunc decet, qui ſecuti ſunt ſua conſilia, & in ſuis habentur. Sequor ego Principis noſtri affectus, & ad arbitrium ſuum me totum conformo. Habens Regia Serenitas Ducem, habet & me. Suum illum ſtatuens, debet me quoq; ſuum ſtatuere. Quod ſi ad impugnationem meam, illud quoq; adderetur, me regni naturalem non eſſe, nec diplomata naturalitatis tenere: proindeq; non potuiſſe in ditione Regis beneficium petere: primum neſcio, an Romanæ Eccleſiæ Cardinalem lex illa cõſtringat: deinde Atrebatenſis ipſius litteras teneo, ſuo chirographo ſcriptas, in quibus aperte affirmat, ſe & Secretario Regis precantibus, priuilegium naturalitatis ad ſummam duorum millium aureorum eſſe impetratum: meq; hortatur, vt hoc beneficio in Galliis ſuffragia quæram. Porro ſi cauſaret Rex, monaſterium eſſe grandis momẽti, & ad fines regni pro cuſtodia poſitum: habere item neſcio quo alio in loco arcem munitam: committendumq; propterea homini noto, & fido. Fidem meam probare illi tu potes, & de me omnia ſpondere, quæ voles. Timenda non eſt illi fides Cardinalis Romani, cuius perfidiam Romanus Pontifex, & Dux, poſſet vlciſci. Quod ſi hac via in re inſtari multum cognoſces, ſpondeas meo nomine velim, ſic enim præſtabo, arcis cuſtodiam me traditurum perpetuo, cui ipſe monſtrauerit. Monaſterium locaturum cui ei placuerit: hac ratione, ſi quid à me ſuſpicatur, quod æſtimare non poſſum, tolli totum facile poteſt. perſonas gratas monſtret. Implebo actutum, quæ offero. Deniq; ſi requireretur ante vt dimiſſo titulo penſione annua eſſem contentus, hoc nullo modo, Albrice, accipito. Penſionibus hodiernis nihil fallacius, nihil contentioſius, nihil quoque miſerius. Raro quod promiſſum eſt, penditur. Rariſſime autem in tempore penditur, vt præſtet nullam omnino, quàm talem penſionem accipere. Inſtante autem Rege vehementius, & nulla amplius nobis relicta ſpe, hoc rurſum meis verbis ſpondeto: paratum me eſſe Monaſterio cedere, quando ſuffragio Maieſtatis ſuæ tantundem alio in loco ditionis eius fuero ſine lite aſſecutus. Nulla in re mendacem te faciam. Verus inuenieris in omnibus. Summa tamen eſt deſiderii mei, vt omnia cures, omnia tentes, omnia moueas, quo Monaſterii dati poſſeſſor euadam, & poſſeſſionem continuem. Quia Pius id dedit, & quia propinquum Auinioni eſt, & quia prouentuum pars in Comitatu Eccleſiæ eſt, & quia loco afficior, retinere titulum ſummo deſiderio cupio. Reliquum nunc eſt, Albrice amantiſſime, vt cauſa iam explicata, & tota re cognita, communem rem omni diligentia cures: ſiquidem mea omnia tibi velim eſſe communia, atq; id agas, vt protectione tua moleſtia omnis, & contentio ceſſet. Ingenio & gratia tantum valuiſti apud ſapientiſſimum Regem, vt voluntatem eius, & Ducis, quæ diſſociatiſſimæ putabantur, conſociatiſſimas feceris, atque alter nunc alterius coniunctione in dies magis lætetur. Adhibe partem eius induſtriæ ad rem filii tui. Placa illi Regem, quem Duci placaſti, & auge ſuſtentationem vitæ ſuæ, ſicut auxiſti Dominium Duci. Poſtremo ita efficito, vt ſicut ille miniſterio tuo plurimum debet, ita & ego interceſſionis tuæ vinculo obliger tibi & tuis. Ingratus eſſe non conſueui. Veniet fortaſſe tempus, in quo paruo non æſtimabis Papienſi tuo hanc amoris ſignificationem dediſſe. Montes vt tritum ſermone prouerbium eſt, iiſdem in locis ſemper conſiſtunt, obuiant ſibi homines aliquando. Vale, & quid egeris quæſo reſcribe.

G. LOLLIO PICOLOMINEO.

LXX.

HVmanitatis tuæ erat, cum te nemo plus amet, mox vt in patriam reueniſſes, ſignificare mihi, quod iter tibi euenerat, quæ apud tuos, & meos reppereras, qui ſtatus eſſet ciuitatis, quæ ratio abrogatæ nuper legis pro nobilibus latæ, vt valetes, vt bono

bono animo eſſes, vt te ad reditum in curiam præparares. Horum nihil egiſti, ainnimicum peccans & in te ipſum. Vetus tuum retines, vt intelligo. Grauat te calamus: magiſque ad ſcribendum vocari vis, quam vocare. Pontifex de te bis iam requiſiuit. video plane tuam operam optat. Qui ſibi nunc ab officio ſeruit ſenex eſt, & valetudinarius, nequaquam tanto oneri par. Propterea abeunti tibi iniunxit, vt abſolutis domeſticis apud ſe eſſe malles, quàm alibi. Idem ſuadeo ego. Integritas tua notà experimēto hic eſt. Haberis in precio, diligeris, laudaris, & deſideraris à multis, de quibus es meritus bene. Omnia hæc ſatis ſuadent reditum. Sed habes quoque filios Pii amantes tui, quibus ſalus tua eſt chara. Habes & hunc Papienſem, cuius in te charitas, ſi abeſſent cætera, viuere te ſine eo nullo modo pati deberet. Quid ſcribam aliud non habeo, niſi vt tu ſcribas, & tibi fundamentum vitæ loces, vbi vitę honoratæ ſumpſiſti exordium. Addo cum ſummo cordis dolore, quod tibi quoque non doliturum mediocriter puto. Otho noſter Compater noſter, vir inſignis, vir bonus, auro inæſtimabilis, memoriæ Pii noſtri pius cultor, fatigatus longo morbo, tandem nocte præterita vocatus à Domino eſt. Certe cum gemitu totius curiæ. Fecere obitu ſuo res Ducis, & noſtrę grandem iacturam. Periit, qui nos amabat, & qui prudentia ſua diſiuncta coniungere, & coniuncta ſeruare optime omnium nouerat. Iuuemus eum orationibus noſtris. Neſcio quo fato accidit, vt hic annus vna cum Pio Pii caros abſtulerit. Precemur nobis ſalutem, qui reliqui ſumus, & ex illis fuimus. Bene Vale, & totam familiam cum commatre meis verbis ſaluta. Romæ die XII. Ianuarii M.CCCCLXV.

G. LOLLIO.

LXXI.

Litteræ meæ, quibus te negligentię arguebam, vix credo erant Viterbii, cum ternæ tuę vno tempore redditæ ſunt. Conſolatus es me, frater dilecte, qui tarditatem ſcribendi interpretari iam varie cæperam, timens tibi quod vera charitas timendum monſtrabat. Intelligo nunc niuium altitudine retentos Tabellarios, quas ſupra modū iſthic creuiſſe ſignificas. Sic vtique ſit ſemper: vt impedimenta eiuſmodi potius quàm grauiora nos litteris priuent. Vt vos continuationem, & altitudinem niuis maiorem Senæ non meminiſtis: ita & nos Romæ imbres diuturniores, & vehementiores temporibus hiſce non vidimus. Inſignis hic annus eſt, ſi vndique circumſpicimus, admirabili rerum multarum nouitate, quas prætereo, quę notæ ſunt tibi, vt mihi. Ais reuerſum te incolumē ad tuos eſſe: hoc plurimum lætor: cupiens ſemper proſpere euenire tibi cuncta, quę agis. Doles tripartitionem illam nobilium à te ſemper monſtratam non fuiſſe acceptam, quam ſtabilem tam ſępe aſſerebas. Idipſum doleo & ego, qui tui conſilii laudator, & conſuaſor fui apud Pontificem. Staret nunc eorum res, quæ lapſa eſt, ſi auditi eſſemus, laborq; ille annis pluribus miſere deſudatus breui hora non cecidiſſet. Sed dum vanum nomen attenditur, & exoſam nobilium tribum addere in ciuitate quidam nituntur, ne appellatio nobilitatis pereat, coactæ legi acquieuimus, vix (vt in prouerbio eſt) cærę hærenti. Illis veniam det Deus, qui vanitatis huius auctores fuerunt, quoniam pœnam iam irrogauit. Moleſta mihi admodum fuit legis huius abrogatio, non tam propter publicam ciuitatis vtilitatē, quàm propter Pontificis, & noſtrorum ciuium offenſam æſtimationem. Qui enim ad excipienda mala eius paulo propter odium attentiores ſunt, vel hoc in primis argumento ſe adiuuant: Patria, inquiunt ſua deſiderium illius deſideratum tot annos, & male tandem impletum pleno ſuffragio condemnauit, iudicium videlicet faciens quales eſſent Pii affectus. Similia his fuerant cætera eius deſideria. Sic Mantuę congregationis fructus nullus: ſic profectionis in Turcos inanis, & vacua ſpes. ſic denique inſtitutionis Abbreuiatorum exitus, quem intuemur. Senæ conſilium ciuitatis, Romæ Pontifex Paulus reſciderūt inconſulta eius decreta. Iidem quoque qui talibus mortuo inſultant, & qui nomen Senenſe odere, iidem crimen ad confuſionem ciuitatis adducunt. Videte, aiunt, gentis naturam, & mores. Prope iam expirauerant Senenſium res, cum Pius ad Pontificatum aſſumptus eſt: intus diſſenſio, foris metus & odium. Grandis porro inopia agrum & ciuitatem premebat. æſtimatio nulla erat. Damnabantur vndiq; inteſtinæ & calamitoſæ actiones eorum, cædes, & emiſſiones ciuium operantium. Spes non oſtende-

batur ſalutis, præter eam, quam miſſurus de cœlo eſſet Deus. Prima in Pontificatu Pii cura fuit, ab interitu patriam vendicare. Senam profectus eſt, famelicam longo ieiunio plebem adipe Apoſtolatus pauit, pecunia ciuitatem & agrum repleuit, concordia publicas res ſtabiliuit, metum internum ſuſtulit, atque externum. Accumulauit porro ſequentibus annis, quæ accumulare pietas Patris miſericordiſſimi potuit. Profectus Mantuam reuerſus eſt Senam, vbi menſes complures cum omni curia eſt commoratus: hoc ſcilicet curans, vt ſitientem agrum, & ſterilem vligine gregis ſui redderet pinguem. Porrexit eam acceſſionem priuatis rebus & publicis, vt vicini, qui ante miſerabantur, conuerterentur iam in inuidiam. Romam inde contendens, bis diuerſis temporibus reducente charitate, ad validius ſtabiliendam patriam rediit. Viæ, per quas iter agebat, indicio erant, quàm neceſſarius, quàm expetitus, quàm fructuoſus eſſet reditus eius. Plena erant compita, & vici pauperum turbis benedicentium Pio, & clamantium patrio rhythmo: *Viuat in æternum Pius, quem nobis miſit Deus.* Videbant adeſſe reparatorem libertatis, Inſtauratorem quietis, & Paſtorem denique plebis ieiunæ. Expectabant quoque omnis ars, omnis induſtria, omnis ætas, & ſexus lucellum facere, in alenda familia, experti nil eſſe in agris, in gregibus, in armentis, in genere vllo opificii vnde non erui, præſente Curia, pecunia poſſet. Totus Pontificatus eius, ſi licet dicere, nil habuit præter curam ſeruandæ & augendæ patrię. Commemorant præfectos artium, ciuitatum, & copiarum Eccleſiæ, quos omnes perhibent Senenſes fuiſſe. Enumerant Radicòphanum eis confirmatum, Fighinum, Gauoranum, & Caſtellionem Piſcariæ reſtitutum. Duo oppida in ciuitates cum Cathedralibus erecta. Diœceſes vicinis Eccleſiis ademptas, vt hæ formarentur: duas item plenarias indulgentias, quarũ ſingulę ſummis potentatibus vix conceduntur, intra vnius diei iter eis conceſſas. Senæ vnam, Pientiæ alteram. Addunt Romanã Curiam, quę vix Senenſem antea nouerat, prælatis, & officialibus plenam nunc eſſe. Cancellariam, Pœnitentiariam, Collegium Aduocatorum & Secretariorum, Cameram Apoſtolicam miniſtris Senenſibus non vacare. Inter VII. ex toto orbe Subdiaconos, Romani Pontificis duos Senenſes eſſe. Sex porro externis atque inſignibus Eccleſiis, quarum duę Archipræſulatum habent, conciues totidem in Paſtores datos Raguſinę, & Beneuentanæ, & Syracuſanæ, & Cornetanę, & Fulginati, ac Caietanæ. Demum, vt magni defenſores non deeſſent, tres quoque ex ciuibus ad Cardinalatum aſſumptos. Pro his omnibus diuinis muneribus beatiſſimum illum Patrem, vnum ſolum petiiſſe à ſuis, vnum requiſiuiſſe, nõ ſua, cuius iam nihil intererat, ſed illorum cauſa, quorum libertatem muniri nouis ciuibus neceſſariũ iudicabat, vt videlicet nobilitatem, quę ſponte ſua olim regimen pręſentibus Rectoribus ceſſerat, in ſocietatem regendi nunc aduocarent. Ægrè, & infinitis pene deprecationibus atq; diminute etiam hoc impetratum: ſed contumelias interim quàm plurimas, atq; eaſdẽ grauiſſimas irrogatas. Narrant fontem diſiectum, atq; confuſum, quem ad leuamẽ laborum in horto extrui fecerat. Turpiſſimam qunque excluſionẽ à muris, cum ille in ædem Diui Franciſci, tanquam in liberiorem locum ſecedens, & petens propter nocturnos caſus, atq; vt à curialibus poſſet, portæ eius cuſtodiã, exauditus non eſt, quanquam & ciuis cui credi oportebat, & Pontifex, quem reuereri fas erat, & meritus optime, in quem grati eſſe debebant, tanquã ſuſpectus, atq; odio habitus, ita ab ingreſſu & egreſſu prohibitus eſt. Memoria quoq; tenẽt calumnias, detractiones, & blaſphemias publicas, quas paſſim in eum, ac propter eum in Curiales coniiciebãt. Recenſent deniq; decreta illa ingrata, quæ eo Petrioli agente, & iterũ Senenſi agro à Viterbio propinquante in faciẽ ſuam contumelioſe ſunt facta; cumq; his nouas ſingulis ferme horis, & inanes vel confictas magis ſuſpiciones, quibus modo cum exulibus, modo cum rebellibus, modo cũ ægra parte ciuitatis ad cõmiſcenda omnia putabatur ſentire. Publica fuerunt hęc, & in admiratione habita, proptereaq; memorię cõmendata, & nũc qunq; memoriter narrantur, atq; ſcribuntur. Cũ vero ad poſtremũ hoc venitur, quod illo defuncto eſt factũ, hic hic & querelæ, & irriſionis, & confuſionis tragœdias excitant. Gratitudo, inquiunt, Senenſiũ quanta ſit, patet, quàm diuturna, apparet. Vna cũ Pio Pontifice ſepulta apud eos eſt benefactorũ memoria: Manſit illa quamdiu mãſit, qui benefacere potuit. Sublata accipiendi ſpe, non modo reiecerunt recordationem

omnem

omnem patris eorum; ſed reuocarũt quæ illi perpetuaturos ſe repromiſerant. Vna demum, n:i Gregori, eſt in ore omnium prophetę illa vox, tam eorum qui Pium odere, quàm qui Senenſes nunc odiunt, quàm qui fuerunt vtriſq; affecti, quàm qui etiã, ad quos nil de his pertinet, vna, inquam eſt vox: *Incraſſatus eſt dilectus meus, & recalcitrauit: Incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Dominum factorem ſuum, & receſſit à Domino ſalutari ſuo.* Pontifex quoq;, quod non ſine gemitu refero, auditis, quæ geſta erant, miratus, & ridens, atq; ad Cardinalem Senenſem conuerſus & me: Prænuntio, inquit, vobis euentura eſſe vtriq; veſtrum, quę eueniſſe nunc Pio videtis. Id videlicet ſignificãs, viuentibus ambobus Picolomineam familiam regimen retenturam, amiſſurã defunctis. Hęc & longe plura apud nos de Senenſibus referuntur: hęc etiam quoquouerſus per orbem ſcribuntur. Sunt enim ex omni natione, vt ſcis, qui colant curiam noſtrã, & quæ eueniant bona vel mala ſuis Principibus & potentatibus faciant nota. Hęc autem omnia ſeueri hi ſyndicatus à Paulo inſtituti magis etiã ingrauant. Angor animo mirum in modum hęc videns, & audiens. Vellem patriã, quam elegi ad morum perpetuum domicilium, vbiq; in precio eſſe, & apud omnes æſtimabilẽ iudicari. Si abrogatio hęc legis in aliquot adhuc annos eſſet dilata, poterat excuſationi eſſe aliquis locus. Criminantibus ſic poterat reſponderi: Reueriti nobiles viuentem Pontificem in officio ſe continuerunt, conuixerunt ciuibus ſuis tranquille: Bene ãgẽtes dileximus, cōplexiq; ſumus. Mox vero, vt vita eſt functus, quaſi magiſtro liberi, inſoleſcere cœperunt, ac ſuperbire. Monuimus eos, & proteruiam tulimus, emendationẽ ſperantes. Verum vbi iam creſcere in dies magis cœpit inſania, & publicę res perturbari: videntes bonum publicum quęſitũ à Pio parum ſuccedere, ſed ad perniciem potius tendere, fecimus tandem, quod illum maturius facturũ non dubitamus, ſi beneficio ſuo abuti nobiles ſenſiſſet. Expectatio hæc temporis etiam in mala cauſa longæ patientiæ, & inuoluntariæ reuocationis argumentũ dediſſet. Nunc vero vix Pio ſepulto anticipata res quid monſtrat aliud quàm quod dixi in ore omniũ eſſe apud nos? Reſpiciat Deus hanc ciuitatem. Sana illi ſemper conſilia tribuat, & ſuę miſericordiæ memor, in iudicium cũ ea non intret. Hactenus, mi Lolli, de publicis. Ad priuata quæ ſcribis, ſic breuiter habe. Non eſt neceſſe gratias mihi agas, ſi quid tua cauſa cum præceptore ſancti Spiritus egi, res fuit exigua, ac laboris breuis. In magnis tibi ſum debitor: ſiquidem tua opera magna omnia ſum conſecutus. In iis quę tento pro te, non facio gratiam, ſed refero. Cum eodẽ hoc venditionem quam petis omni diligentia quæram: facilem meo iudicio non vſquequaq; futuram. De re Albarenſi & cum Pontifice egi, cum Cardinalibus noſtris, & cũ Tiraſonenſi Præſule tui admodũ ſtudioſo, cui ſignatura tota eſt à Pontifice credita. Impetratum hucuſq; non video aliquid, ſed ne tentatum quidẽ, & ne impetretur (ſi in promiſſis fides eſt) ſatis prouidi. Theanenſis noſter ſcriptũ ſibi à te dixit eadem de re. Senenſis quoq; omnia repromittẽs addidit, quod me admodũ perturbauit, Lollium fratrẽ, pro quo hęc intercedis, quantum ſibi nuntiatum eſſet ex patria, deſperata valetudine agere in extremis. Id ſi ita ſit, certiorẽ me illico facies, vt ſuſpenſione hac liberer. Ex charitate tua ſunt, quæ de Chriſtophoro fratris filio admonens, grandiuſculum iam eſſe ſignificas, & in ea ætate non negligendum. Iudicio tuo tribui multum ſemper, & tribuo. Precor proinde reſcribas quid ad rectam eius inſtitutionem agendum putes. Num apud auiam erudiendũ, an apud me. Si videris extra muliebrem educationem poſſe illum agere, & cenſeas aduocandũ, conſilium ſequar: ſi minus etiam tenebo, quod dices. Quæ de filio tuo Pio ſtatueres, ſi eo in ſtatu eſſet: eadem de Pio cõſule, quem cęteris filiis tuis adiunxi. Si ciues tui cum beneuolentia, vt ſcribis, te acceperunt, laudanda eſt gratitudo eorum. Ea enim ſemper fuit tua in patriam, atq; in ipſos voluntas, vt non tam, quòd ita egerint, ſint commendandi, quam eſſent ſi egiſſent aliter condemnandi. Præſuli Syracuſano, quem mihi commendas, menſium ſex dilationem ad ſe conſecrandũ impetraui: nec certe impetrari mora longior potuit præſenti gratia ages: deſinente illa, nouam, ſi opus erit, accipiet. In re Ildebrandenſi Comitis, de qua inter ſcribendum quaternæ litteræ aduenerunt, cauſam ciuitatis pro viribus agam, & poſtulatis nõ deero. Sed indigna profecto res eſt, ac ſtomacho plena: Montanum latrunculum ſine virtute ac fide oppidulum poſſidentem in ſaxo veluti nidolum affixum, vectigalem ſibi Remp. facere, Pontificis Romani &

tot patrum altricem. Verum pugnat cum neceſſitate indignatio, & cum ratione neceſſitas. Obſequens itaque tempori conſiliū laudo, non tam propter illum, qui omni beneficio indignus eſt, quàm propter eum, qui hoc infame vectigal mediat. Communicaui cum Oratore, qui meeum hodie fuit, permulta, eumq; iis rationibus ad tractatum inſtruxi, quas charitas mihi monſtrauit. Cras quoque cum Theanenſi & Senenſi conueniam, & quid agendum ſit, inter nos ſtatuemus. Opera mea quantulacunque erit, glorioſæ Pii noſtri memoriæ, & ciuibus ſuis, & charis ſuis ſemper obſeruiet. De vicina domo, quam memoras, placet cum poſſeſſore aliquid agi: non meo tamen, ſed cuiuſuis alterius nomine. Noſtrorum enim mores iam tenes. Cardinalis in venditione appellatus pretium ſupra iuſti dimidium auget. Non dignitatis, ſed diuitiarum hoc iam nomen eſt factum. Monſtrata & alia mihi eſt ab Oratore domui ſuę propinqua Ioannis neſcio cuius Simonis ante ædem Diui Auguſtini. De ambabus videbis. Ambarum dices pretia, & conſules in vtram ſit inclinandum. Vale, ac ſicut cœpiſti frequenter ſcribe. Romæ die XVIII. Ianuarii M.CCCCLXV.

GENTILIBVS PICCOLOMINEIS.
LXXII.

SI quid viuente Pio egi, vel defuncto nunc ago, quod animis veſtris reſpondeat, ſint Deo gratię, qui ſenſum hunc gratitudinis dedit, & qui beneficii noluit eſſe immemorem. Scio quanta acceperim, & quanta in perpetuum debeam non iis modo, qui ex noſtra familia ſunt, ſed quibus patriæ Senenſis eſt nomen. Ab iis ſum totus, quod ſum, & ab iis eſſe in æternum non diffitebor. Senenſes cunctis ſuffragiis ciuitate me, & meos donarunt. Vos in gentem Picolomineam ſponte adoptaſtis, adoptionemque meam petiſtis à Pio, cum cæteri ſolo illius priuilegio eſſent contenti. Sua vero pietas, & clementia, breui tempore contulit, quod dare ſummum Apoſtolatus eius potuit. Suſcitauit de puluere egenum, & de ſtercore erexit pauperem, vt ſederet cum Principibus, & ſolium gloriæ teneret. In tam grandibus meritis, quod pro ſuis aliquādo tento & conor, ad retributionem gratię, non ad gratiam eſt deputandum. Proinde deſinite poſthac gratias agere operi manuum veſtrarum. onus tantum quod vultis congentili imponite. Omnia volet, & omnia feret, quia vobis omnibus omnia eſt facturus, vt veſtrum ſe probet. Præſulem Beneuentanum, quem commendatis, dilexi ſemper vt fratrem, adiuui vt intimum, & nullis ſuis temporibus vox mea defuit. Ea eſt ſua humanitas, ingenium, virtus, & litterę, vt etiam ſi familię & patriæ merita abſint, omni charitate ſit complectendus. Cōmendatiſſimus mihi antea erat, ſed veſtra nunc commendatione, ſi quid addi ad dilectionis cumulū poteſt, larga manu addetur. Vos vero Patres, Fratres, & filii ſeruate diligenter memoriam Pii. Pro illo orate. Illi benedicite, & dignos vos facite gloria ſua ingentibus meritis atque externis monumentis. Familiam noſtram immortalitati conſecrauit. exiuit in omnem terram ſonus eius, & in fines orbis terrę verba eius. Valete in Domino XIX. Ianuarii M.CCCC.LXV. Romæ.

G. LOLLIO.
LXXIII.

INtelliges ex litteris Oratoris, quid Theanenſis, Senenſis atque ego cum Pontifice Paulo egerimus de te Ildebrandini Petilianenſis. Summa hęc eſt: Inuaſimus in arcem cauſæ ciuitatis, quam inuadi maxime potuit. Facilem reddidimus beatitudinem ſuam, vt pro nobis futuram ſe dixerit. Oblatio Oratoris, & noſtra non exceſſit ſexcentos, quales Senenſis vſus habet. miſſura nūc eſt ad illum hominē certum, qui nomine ſuo caput aſperum dolet, & acquieſcere faciat ſummæ oblata. Si petis acquieturus ne ſit, quod dicam non habeo. meo iudicio ſi octingentos offerimus, acquieturum puto. modo is inſanus non ſit, malitiq; vt vicinis incommodet ſe iterum in diſcrimen adducere. Si cōueniri modo aliquo poterit, in hoc perſeuerate, vt manu Pontificis res trāſigatur. Addo hoc, quia intelligo deſiderari à nonnullis vt apud vos fiat. Leue conſilium eſſet, atque omni ex parte inutile. Indignaretur Pontifex, qui opera huiuſmodi haud laudi ſibi ducit. Non haberet firmitatem conuentio. Non eſſet prętextus honorificus ad excuſandum tributum. Nō ſignificatio aliqua charitatis inter patrem & filium, quę Pontifice decernente multa oſtenderetur. Cum fide ſcribo, atque idem quod ſcribo,

ſcribo, Theanenſis & Senenſis putant tenendum. Erunt cum his litteræ ad matrem. Quæſo eas tu reddas, & conſoleris illam præſentia tua. Tu Vale, mi Frater.

DONATO ACCIAIOLO.

LXXIV.

PONtificatus Pii noſtri anxium me ſemper occupatumque habuit: nec fuit non ſolum ad litteras, ſed ne ad curandam valetudinem otium. Illo defuncto vita liberior eſt, & iam cum veteribus amicis, id eſt, cum libris redire in gratiam cœptum. Lego quotidie, & euoluo multa. Sola eccleſiaſtica ideo placent, quòd ætas iam refrigeſcens Oratorum & Poëtarum flammis nō capitur. In primis autem quod ſacra ſacerdoti magis conueniunt, tenendaque illi doctrina ea eſt, quæ non fallat, & ſecurum reddat lectorem. *Eloquia Domini*, inquit Propheta, *eloquia caſta, argentum igne examinatum: probatum terræ, purgatum ſeptuplum.* Quid, inquies, ſibi vult ſermo hic nouus, mi Donate? Verbum Dei, & ſcientiam eius, non vt ſciat tantum, quæ diligentia ſine fructu eſt, non vt ſciatur ipſe, in quo vanitas eſt multa, nō vt vendicet ſcientiam, in quo quæſtus turpiſſimus, ſed vt ædificet ad vitam. Legenſque diuina, errata ſua agnoſcat, & corrigat. In primiſque obtemperet Prophetę dicenti: *Recedant vetera de ore veſtro, quia Deus ſcientiarum Dominus eſt, & ipſi præparantur cogitationes.* In præcipuo mihi ergo deſiderio eſt addere bibliothecę meæ commentarios Thomę Aquinatis, hos videlicet quos ſumma appellant: non quæſitos commodo, ſed emptos precio, atque illorum doctrina formari quotidie in melius. Eſt enim lectio tota frugifera, tota proficiens, & quę ſcripturarum pelagus diuerſum, atque immenſum, in vnum colligat corpus. Precor te igitur maiorem in modum, vt officinas librariorum omnes, conuentus omnes, arculas Monachorum, & fratrum cum diligentia ſcrutans, hoc meum deſiderium impleas. Si inueniri tota ſumma non poterit, inueniatur pars vna, & altera, nec antea finis quam commentarii omnes reperti ſint, & coëmpti. Hac in re duorum tantum te admonitum velim. Primum vt emendati ſint codices, & ſcriptura non barbara. Deinde vt inopi Cardinali quantum poteris parcas. Simul autem vt eos inueneris, volumina, & precium dicito. Præſentem pecuniam à menſariis, quos ſcripſero, capies. Præceptum hoc Magiſtri, & petitionem amici Cardinalis non negliges. Vale Romæ Die XXVIII. Ianuarii M.CCCCLXV.

GVILLELMO AVGVSTINENSIVM GENERALI.

LXXV.

IN nullo erraſti: & in nullo petenda eſt venia. Si Placido Fratri tuo gradum negaſti, negaſti homini non ſatis tunc docto, duritaſque illa ex conſcientia, non ex intercedentis odio fuit. Quòd vero ego ita exiſtimē, hoc vel inprimis argumēto ſit tibi, quòd cum tu illi tuo chirographo permiſſionem dediſſes magiſterii ſumendi cum mihi placeret, placere prius non potuit quam melius eſſet inſtructus, & doctrinę ſuæ à doctis teſtimonium aciperem. Nolui malo exemplo religionē tuam offendere, & pro amico animam ponere: de quo benemereri in aliis poteram. Siquid mihi olim diſplicuit cum negaſti, non recuſatio, quæ ab honeſto erat, ſed duritas recuſationis non placuit. Tua illa acrimonia, qua refellere diſputantes ſoles, etiam tecum amici petitionem damnaſti. Moleſtum fuit, fateor, quod moleſtum eſſe non debuit, ſed mollis, & carneus: repetens animo quanta tēporibus Pii, cui famulabar, pro religione tua egiſſem, quantumque electioni tuę ad generalatum tunc ſtuduiſſem: vultum & vocem negantis magis attendi, quam animum. Virtuti tamen tuæ tribui multum. In honore te habui, & amaui vt patrem, obſeruauique vt magiſtrum, quamobrem bono animo eſto. Antiqua charitas immutata non eſt, ſed eadem perſeuerat. Sacerdos ſum, & figuram Apoſtoli in Eccleſia teneo, cui ſcio per Saluatorem dictum: *Mandatum do vobis, vt diligatis inuicē, ſicut dilexi vos. In hoc cognoſcent omnes, quia mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis inuicem.* Tu quoq; pater in memoria habe Scripturam alio loco dicentem: *Si amicus aperuerit os triſte tecum in loquendo, non timeas. Eſt enim recordatio amicitiæ priſtinæ.* Cum itaque tibi, cum tuo ordini, cum tuis fratribus vſui eſſe poſſum, paratū ſine exceptione me habes. Scribis quod ſenex, & inualidus, & morbis oppreſſus peregrinaris in terra

aliena Miſereor corporis, ſed animę gratulor, quæ errans pro grege credito vbertim habet vnde in infirmitate poſſit perficere virtutem. Tribulationem ſequitur conſolatio. *Tranſiuimus*, inquit Propheta, *per ignem & aquam: & induxiſti nos in refrigerium.* Si minus in hoc ſæculo, at in altero hoc ipſum expecta. Vale. Romę Die XXVIII. Ianuarii M.CCCCLXV.

ANTONIO PETRVCIO REGIO SECRETARIO.

LXXVI.

MVlta mecum de te ſępe locutus eſt Franciſcus Lucenſis, multa teſtatus de integritate, & litteris, & in amicos tuos officio. Sed neq; errauit iudicio, vt putas: laudauit, quæ laudari quotidie audio. vidit quod omnes videmus. Locus quē apud Regem ſapientiſſimum tenes, ſatis tuam induſtriam probat. *Principibus* (inquit Flaccus) *placuiſſe viris non vltima laus eſt.* Parari hi gradus ſine virtute nō ſolent, nec diu retineri poſſunt ſine virtute. Ideo apud iſtum Principem gratia vales, quod intelligis, & ſcis, & te illi vtilem præſtas. Caderet omnis acceptio, ſi iſta abeſſent. Salomon miniſtros bonos & malos expertus, ita pronunciat: *Acceptus eſt regi miniſter intelligens. Iracundiā eius inutilis ſuſtinet.* Ego iam dudum hæc audiens amare te cœpi, & videre optaui, eamque occaſionem dari, qua interius noſcere alter alterum poſſet. Tu eam nunc occaſionē porrigis primus. Impetras Oliueroto amiciſſimo meo conſulatum Anconitanum, diplomata honorifica conficis, mercede non habita ea huc mittis. Magnum hoc duco, non tam rem pendens, quàm animum. Gratias diligentię, & charitati tuę innumeras habeo. Obnoxium me tibi confiteor, teque amici, & fratris loco apud me ſtatuo. Licet autem nomen Regium auctoritatem paginę dederit, nec ſine illo quicquam confici potuerit, tibi tamen vni munus acceptum refero. Seruiui à ſecretis Pio Pontifici. Teneo probe quanta hoc miniſterium poſſit, & quanta ſit in vtranq; partem ad dandum atque adimendum facultas. Sit muneris Dei, vt remetiri tibi hanc gratiam poſſim. Bene Vale. Romę XXVIII. Ianuarii M.CCCCLXV.

G. LOLLIO.

LXXVII.

COnſueuiſti me aliquando reprehendere, cum iis faui apud Pium, quos ideo fauore omni deſtitui oportere dicebas, ne amplius patriæ poſſent obeſſe, & boni non indignarentur, videntes eſſe gratiam malis. Valuit apud me ſemper fraterna tua admonitio, non ab odio cuiuſquam, ſed à patriæ charitate proueniens. Negaui igitur patrocinium multis, quos tales eſſe cognoui, & ſolis bonis ſum me impartitus. Tuam exhortationem, & amorem ciuitatis, & Prophetę increpationem attendens: *Videbas furem, & currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Sed venit Romam proximis diebus Petrus Ioannes Lucius, Fräciſci filius, aditum ſibi ad Pontificē quęrens, & ad me attulit litteras à Guidantonio congentili meo, quibus in iis, quæ vſui futura eſſent ſibi, tanquā affinis commēdabatur. Petii ab eo humaniter, quid Romę haberet negotii, & qua in re operam meam ſibi optaret: Viſum ſe, inquit, veniſſe Paulū Pontificem, hoſpitem veterem, & baptiſmi parentem. Pro opera vero gratias agens, non multum ſe illa vſurum oſtendit. Dimiſi itaque ſic hominem, ſed quindecim abinde dies reuerſus ad me: Ad Pontificem, inquit, admitti non poſſum. Iubeor quotidie ad quartam & quintam noctis horam ſedere ad fores, & tandē inauditus remittor. Quæſo vt inductione tua audiar aliquādo, & quotidiana hac miſeria liberer. Annum alioquin integrum futurum hic me agnoſco, quando ad meos redire inauditus non ſtatuo. Interceſſionem benigne pollicitus, & ad curiam equitans, ſine mora ad pedes Pontificis illum induxi. Interpreſq; fui omnium, quę dicta ſunt, & reſponſa. Petiit vnā modo gratiam precibus multis, cuius ægre quartam partem, etiam me annitente obtinuit, euectionem liberam neſcio cuius portionis frumenti. Poſtmodum dies adhuc multos antequam diplomata acciperet, Romæ conſumpſit, & tandem iis habitis, cum per ſe anniteretur vt rurſum Pontificem adiens, miſſionē cum benedictione acciperet, nec parare per ſe aditū poſſet, venit ad me ſecundo rogans pro noſtra affinitate vt alterum acceſſum ſibi impetrarem, quo aliquando abſolui his tædiis poſſet. Annui, & factum ſic eſt. Auditus eſt & dimiſſus, & ad vos reuerſus, vt credo nil aliud ſibi, nil

patri

patri etiam impetrans. Vereor nunc ne illo iſthic per gloriam referente, vt ſunt vana aliquando noſtrorum capita, quid me intercedente acceperit, tu factum hoc meum, contra tuum conſilium, & contra communem vtilitatem exiſtimes, quod pro illo fuerim interceſſor, quem afflictis temporibus abiiſſe in cõſilia impiorum recorder. Sed attende, quæ me ratio ad hanc humanitatem adduxerit. Poterat Petrus Ioannes in iis peragendis, dies adhuc aliquot amplius expectare: poterat in prima petitione repulſam ferre. Sed tandem, mi Lolli, (crede mihi) auditus ſine me, atque exauditus fuiſſet: & vtrunque acceptioni patris, & ſuæ arrogaſſet, qua ratione rei, quam cauemus, ſine dubio grauius nocebatur. Nunc vero, cum mihi acceptum referat quod habuit, & minus ipſe Pauli nomine inſoleſcet, & minus iudicabunt conciues tui de Pontificis erga illum æſtimatione, qui per ſe ſine adiutore non potuit, & de poteſtate mea melius ſentient. Si (inquient) hic, qui ſemper cum Lollio pro bonis ſtetit, pro alienis hoc egit, quid faciet pro nobis, quos dilexit: in ſuoſq; habuit? Erro fortaſſe, ſed meo iudicio, imminuta eſt hominis cõditio: interceſſione hac multum, & noſtra adaucta, qui dicimur fratres, & ſumus. Vnica via declinare illi hunc ſcopulum poſſent, ſi interceſſore tacito, ſeipſos operatores gratiæ mentirentur. Sed rem tu iam noſcis ad reuincendum mendacium. In otio, quo nunc abundo, ſcribens, ad te libenter cogitationum mearum, & dictorum, & factorum reddo rationem. Quæ ſi tibi probantur, conſiliis gaudeo. Si minus tu, qui ſemper monitor, & monſtrator meus fuiſti, in melius verte vt hactenus: ita & nunc te ſequar magiſtrum, & Ducem. Matrem tibi commendo. Tuos meis verbis ſaluta, & tu vale mi Lolli, & quod dies iam multos non facis, reſcribe. Romæ.

G. LOLLIO.
LXXVIII.

AD litteras, quæ tibi à matre ſunt redditæ, prudenter reſpondiſti, mi Lolli. omnibus in rebus videntiſſimus ſemper à me habitus es. Hoc vnico ſuſpirio SS. Vtinam non tam nota eſſent, quam vera SS. Quid dictu breuius, ſenſu longius, dolore ſignificantius, ac tanto ænigmate excogitari obſcurius poterat? Ero imitator prudentię tuæ. Idemq; repetam ego ſenſu paulum diuerſo SS. Vtinam non tam vera eſſent, quam nota SS. vt ſaltem ſine re eſſet noſtra infamia. Sapienter quoq; & paternè de Chriſtophoro conſulis. Temporis, & pædagogi ratio tenebitur, quam monſtras. Ad mores, & litteraturam erunt diſciplinæ ſuę initia. Stultitiaq; illa, quam Scriptura alligatam in corde pueri dicit, his rudimentis iam diſcuti incipiet. Erraui in nominanda tibi dòmo, quæ ante ædem eſt Auguſtini. Non Ioannis Simonis, ſed Ioannis Francii eſt. de qua etiam tu, atque ego collocuti aliquando antea ſumus. Area placet: ſed non placet à fundamentis exſtructio. Conſulenda eſt in huiuſmodi non voluntas, ſed arca. Vtilius millia illa quinque quę dicis, aliis in rebus poſſunt locari. Magnificæ ędes fundum non parant, nec habent quod edas. Fundi vero & quod edas habent, & vnde illæ fiant quotannis aliquid tribuunt. Proinde areas miſſas nunc faciamus. Ad duo, quæ requiſierã, miror nil mihi à te eſſe reſponſum: ad domum vicinam, cuius precium & ſciri & ſcribi optabam, & ad valetudinem fratris, quam audiſſe me ſcripſeram in diſcrimine eſſe. Diligentius poſthac lege litteras, & ſigillatim reſponde. Non ob id modo, quod tu otio abundas, ſed quod ego vehemens in deſideriis ſum. Ad vtrunq; ergo quàm primum reſponde. De re Petilianenſi ſecuta ſunt, quæ per Oratorem nunciata iſthic iam eſſe exiſtimo: ſatis contendimus Theanenſis & ego, vt is qui mittitur non mitteretur ad Comitem, aut ſi illuc ire iuberetur, non progrederetur ad vos. Affinis Ildebrandini, & ciuitati veſtræ multis ex cauſis ſuſpectus miniſter, bonus iudicio noſtro non erat. Sed ſuaſio ſua vicit noſtra conſilia. vtinam non ad commiſcenda, ſed ad concilianda quæ opus ſunt venerit. Tu, vt per eum ammonui, vel propter Pontificem illi faue: vel, ſi rem non probas, aut abito rus, aut valetudinem ſimula. Non expedit tibi quantum intelligo, vt rediens ille, qui te non amat, impugnaſſe conditiones, aut frigide adiuuiſſe Pontifici referat. Romæ Septimo Februarii M.CCCCLXV.

ANTONIO NOZETANO PONTIficis Aulico.

LXXIX.

ANtoni mi, in bonam quæſo partem accipias, quę ad te ſcribo. Communis famulatus, quem Pio præſtitimus, & noſtra mutua charitas, vt ita agam me admonent. Scis quem locum apud Patrem illum, quamdiu vixit, tenueris. Quantum ille te honorarit, quantamq; habuerit fidem dictorum omnium, & factorum ſuorum: Pater à quo genitus es, non ſe tibi communiorem feciſſet, nec plus indulſiſſet, quàm indulſit ille, cum quo vinculum carnis nullum habebas. Scripta ſua, & interiores cogitationes, quas nobis celabat, tibi propter dilectionem credebat. Menſa ſenis, & cubiculum, & omnis conuerſatio patebat, vt caris nepotibus. Profectiones honoratiſſimas dedit. Ad ea tractanda induſtriam tuam elegit, quæ conuenire poterant ætati dignitatiq; maiori. Putauit pius pater hunc, in quem ita benignus fuiſſet, memorem futurum humanitatis acceptæ, & relaturum ſuis gratiam, quam referre ſibi non poterat. Hac ſpe perſeuerauit in finem, & hac ſpe Domino ſpiritum reddidit. Æquum eſt, ſi non erro, horum te memorem eſſe, & hæc recolentem dici velle filium benedictionis paternæ. Pręſtare hæc potes vel ea inprimis ratione, ſi ſuos quos habuit caros, & tuo ac noſtro patrocinio tuendos reliquit, tuearis & protegas. Vnum hoc exigit pater noſter defunctus, & vultu illo, quo ſuam in nos ſpirabat pietatem, an ita agamus nunc contemplabitur. Si non facimus, angitur: ſi facimus, benedicit nobis & laboribus, quos tulit pro nobis. Debemus quem viuentem amauimus, non odiſſe nunc mortuum, & cum quibus in ſecunda fortuna viximus, hos in afflicta non conculcare. Quid, inquies, tibi vis Cardinalis? num non ago, quæ monſtras agenda? In quo beneficii dicor ingratus? aut quod factum meum accuſas? Equidem, Antoni, factum tuum nullum accuſo. Tu ipſe quid agas, ſcis optime omnium. Sed quid velim, & in te requitam attende. Guidonem Caroli Picolomineum noſti. Non te eſt clam, primarium illum eſſe in familia ſua, & gentilem Pii fuiſſe, & ab illo vere dilectum. Meus quoque, vt amplius ſcias, non gentilis tantum, ſed affinis eſt, ex neptis noſtræ coniugio. Diligendus à te proculdubio venit, non ſolum propter genus, cui debemus, ſed magis propter communem patrem, ex cuius reliquiis manſit. Nonnihil quoque propter Papienſem tuum, à quo tibi charitatem, & laudem tributam ſemper es memor. Debes mihi amorem, quia te amaui vt fratrem, & operam debes, quia nunquam opera mea, & vox tuis temporibus defuit. Iterum quid tibi vis, inquies? Accipe iterum planius quod quæro ex te. Precor per ſancta genitoris uoſtri oſſa, & per dulce contubernium noſtrum, vt hunc virum, qui certe eſt bonus, & qui fuit ex noſtris, in patrocinium tuum ſuſcipias, ac lacerari indigne non patiaris: Quod genus hoc mali eſt? nolle negotiũ ſibi cum camera apoſtolica eſſe? Iter amputandum inueniendæ à Pontifice gratiæ, ac propterea quia conſulere ſibi vtilius quærit, ſubiicere voci præconis prædioſum, quod Tuſcanellæ habet, & pecus comparatum induſtria. Ne quæſo, Antoni, ſæuiri ſic velis in tuos, neve toleres impietatem hanc exerceri in ſanguinem patris ſepulti. Memores ſimus humanitatis acceptæ, & recordemur præteritę vitæ. Idq; agamus, vt grati iudicemur ab omnibus, quoniam etſi ingratitudo eſt aliquando vtilis, ſemper tamen eſt contemptibilis, & ſemper interno condemnatur iudicio. Via facilis eſt ad ſuam ſalutem, ſi ita tu velis. Modo velis, poſſe te nouimus. Gratificaberis non modo tibi, cui laus erit in Pientinos fuiſſe benignum, ſed patribus noſtris tui amantibus, Rauennati, Theanenſi, & Senenſi, quibus res hæc non parum eſt cordi. Si me etiam aliquid æſtimas, & ſi me amas, vt credo, libera quoque propter me his moleſtiis gentilem meum, atque affinem, & Pii tui domeſticum. tui inquam, quia & tu ex Pio eſſe negare non potes. Scio multa reſcribes, & quo ingenio, atq; eloquentia es, tueberis quæ in hanc diem ſunt facta. Seruitium Pauli obiicies: Mandata dura allegabis. Guidonis incredulitatem damnabis. Sanctus tu eris, vt vno verbo complectar, & dæmonum princeps ille. Tranſiuimus per iſta, Antoni cariſſime, quadrantem à lupinis & à canctis lunam diſcernimus. Difficile eſt homini excocto verbis ſuadere, quod ita eſſe non ſciat. Puta-

to Apo-

to Apologeticum tuum pondus apud me non habiturum. Ego opera expecto, non verba. Papienſi tuo da opera bona, non verba. Pro illis gratias agam, & ſempiterne debebo. In iis deluſum me dicam. Nullum in Guidonem beneficium tuum, nullum eſſe incommodum detrimentumq; poteſt, quod ſit à meo diſiunctum. Facito precor vt ſicut pro Dominico Montuiio gratias tibi egi ampliſſimis verbis: ita pro Guidone pluſquam ampliſſimis agam. Res hæc toto à me deſiderio petitur. Vale. Romæ Die x. Februarii. M.CCCCLXV.

DONATO ACCIAIOLO.

LXXX.

Diligentia, quam adhibuiſti, & adhibes in parandis commentariis beati Thomæ Aquinatis, grata eſt mihi multum. Facis quod & communibus ſtudiis, & charitati noſtræ eſt conſentaneum. Adiuuas deſiderium ſalutare, & mercedem tibi comparas à Deo, cui beneplacitum eſt quicquid ad virtutem adiumenti impenditur. Gratias habeo tibi, & peto vt in perquirendi diligentia perſeueres. Inuenias volumina omnia, & non iam ad vnius ſcripturæ attendas codices, quàm ad emendationem ſcripturæ, & ad explicatam ſcripturam. Si ſecundam ſecundæ ad me miſeris, vt ſcribis, cupide illam inſpiciam, & placitam retinebo, ac tibi pecuniam iſtic reponam, quam precio dixeris. Bene vale, & tu quoq; poſt ſtudia ſęculi, ad ſtudium Domini te conuerte: Amodo tempus eſt, vt deſinas iuuenilibus litteris immorari. *Melius eſt*, inquit Auguſtinus, *ſcire infirmitatem noſtram, quàm naturas rerum.* Romæ Die xxi. Februarii. MCCCCLXV.

PETRO ET DONATO ACCIAIOLIS.

LXXXI.

Accepi annuum beneuolentiæ veſtræ tributum. Mala ex Geminianenſi odore, & ſpecie præcipua, qualia perpetuus Phæacum autumnus habebat, & credere quæ poſſis ſurrepta ſororibus Afris. Charitati veſtræ habeo gratias, fratres dilecti. Memores eſtis amici antiqui & fidelis conſortis ſtudiorum veſtrorum, à quo ſi moleſtum non eſt audire, fundamenta veſtra iacta olim ab adoleſcentia ſunt, & operis pars vtilior eleuata. Sic facite ſemper. Amate eum, qui poſtquam vos amandos ſuſcepit, amorem nunquam depoſuit. Conſolatores vos eritis annorum meorum. Malis vero ipſis, quibus vt noſtis, auide fruor, noſtra ſeptuageſimalis menſa ornabitur & membra humectabuntur propter maciem, & coleram ſuccoſis ſemper obnoxia. Bene valete. Romæ. Die xxi. Februarii. MCCCCLXV.

G. LOLLIO.

LXXXII.

Prudenter, & ex vſu tuo, ac Reip. tuæ feciſti, ita demereri Gentilem, vt rediens ad Pontificem tuam in ſe, tuum in petitionem ſuam referre officium habeat. Tempora ita nunc volunt. Temporibus parere ſemper ſapientis eſt habitum. Non celabitur hæc tua humanitas. Diſcet à me cum modeſtia Pontifex, quantum iudicio ſuo tribuas. Idem, mi Lolli, precor eſto in reliquis, atque eundem te præbe inter tuos. In Senenſi, non in Platonis Rep. viuis. De moribus communibus commiſcenda ſunt multa. Pręterita anxium me habent de futuris pro te. Dabis veniam, ſi vitæ expers ciuilis, homini ciuiliſſimo moderationem hanc memoro. Fidei cõſilium eſt, non ſapientiæ. Ais auctoritatem meam magnam eſſe apud vos. Vtinam, ſi qua eſt, parta eſſet meritis noſtris. Sine virtute ſum, & ſine prudentia. Nec tantum mihi deberi cognoſcò. Quæcunq; eſt tamen, ſi dignitatis, quam teneo, & charitatis, qua nomen Senenſe cordi intimo ſedet, & ſit amoris erga me veſtri, quem re antequam verbo pręſenſi, & teſtimonii quoq; tui, quod de me iſthic quotidie perhibes. Ego vero tanta pietate ciuitatem Senenſem, & Senenſes omnes cõplector, quanta maxima vlla patria, vel naturæ, vel legis coli vnquam potuerit. Dicam, quod pauci, præter te, credent, ſi in huius conſeruationem dandus eſſet ſanguis de venis omnibus, vli non parcerem. Obitu Pii noſtri, quod à nullo antea putabatur, auctus in immen-

ſum eſt omnis affectus. Viuente illo non deerant (vt noſti) qui male de ſenſibus meis metentes, dicerent paſſim, ſtatim, vt ille clauſiſſet oculos, conculcata eius memoria, conceſſurum me cum meis ad Florentinos conuicinos, cum quibus antea vixeram, & ciuilitatem male diſſimulatam ituram in nihilum. Gratiæ Deo, quod obſtructum eſt os loquentium iniqua, & quod nõ fuit in ore eorum veritas, & quod cor eorum vanum eſt, & ſepulcrum patẽs eſt guttur eorum, & quod linguis ſuis doloſe agebant. Ego Senẽſior magis nunc ſum, quam antea, & gratior multo quàm antea, & multo amãtior quàm antea. Quę hic egi, & ago pro noſtris in dies, & dolores, quos pro eis ſuſcipio, gratitudinẽ altis hærentem radicibus indicant. Nõ parco labori, non precibus, non libertati dicendi, quæ ſentio. Supplicem quoq; pro iis quotidie ante indigniſſimorum me pedes abiicio. Ea die finis ſit vitæ, qua & memoriæ Pii noſtri, & Senenſium omnium. Bene vale. Romę die XXII. Februarii. M.CCCCLXXX.

G. LOLLIO.

LXXXIII.

MVltas à te habeo quotidie litteras, quas ſemper cum iucunditate animi lego, & lætor continue officii tui, ſed fraterne quæſo hoc audi, in quo tibi aliquando ſuccenſeo, doctus es admodum, Lolli, & ſcribendo plurimum vales, vbi intendere ingenium ſatagis. Laudauit aliquando Pius noſter eloquentiam tuam, ipſe ſui temporis in eloquentia princeps: Et vidi ego ſæpe epiſtolas apoſtolicas, quas pro eo dictabas, ita diſertas, & graues, vt nil fieri melius poſſit. Nunc vero ad me ſcribens, neſcio quomodo ſemper te negligis, & tanquam laudem inertiæ quęras, diſſimilem tui te facis. An ideo hoc pateris, quia dictandi labor te grauat? Certe oratio tua ſine labore ad numerum cadit, cum vis. An quia ego barbaras aures habeo, non ſentientes quid aptum ſit, & quid ineptum Si maxime ego obtuſus, non propterea tu eſſe inconcinnus ex induſtria debes. Si vero tempori parcis, vt colendo agro plus impertiri te poſſis, ſatius multo eſt ingenium, quàm agrum, & orationem quàm vinetum excolere. Sin hæc contemnis tanquam inania, contemnenda non ſunt, Lolli, ornamenta hæc litterarum, quibus Principi placens in excelſum es eleuatus. Quare ſi me amas, & conſolationem perfectam porrigere amico ex litteris tuis cupis, redi poſthac ad te ipſum, & ornatui pro conſuetudine ſerui. Quæ alioquin ſimplex voluptas erit in legendis negligentibus litteris tuis, congeminata ſemper in accuratis adueniet. Peto autem à te, vt quando in vltima epiſtola dicis SS. ne ſi aut Cardinalis, aut ego redemptores propalemur, precium augeatur, SS. reſcribas mihi, & textum ſubiicias, qua ſignificatione leges tuæ redemptotem accipiant. Vale Romę XXII. Februarii M.CCCCLXV.

ANTONIO PETRVCIO REGIS FERdinandi Secretario.

LXXXIV.

LItteræ tuæ teſtimonium mihi prębent, non ſolum quo ingenio ſis, & quibus litteris, ſed quantum iam amare me cœperis. Scribis ornate. Sapienter loqueris, tuaque oratio eruditam inſtitutionem omni ex parte oſtendit. De me non eſt neceſſe vt dicam. Tribuiſte totum mihi, vt video, & ad veram amicitiam laxas habenas omnis bonæ voluntatis tuæ. offers quæ habes omnia, nil ſeruans tibi, aut excipiens. Gauiſus ſum iis litteris plurimum, & gratias ago, quòd in tantis occupationibus tuis ad conſolationem amici ſubduxiſti particulam temporis. quæſo ſic agas in poſterum, cum potes. Legentur litterę tuæ ſemper cum voluptate plurima, & meas quoq; accipies, ſi non eundem ornatum, eandem tamen charitatem & fidem habẽtes. Retulit mihi quædam vir ſuauiſſimus Franciſcus noſter, quę apud Regem pro me es operatus. Retribuat tibi Deus, Antoni, & creſcete te faciat in bonis ſuis. ego illum complexus animo ſemper ſum, & voce mea, cum armis non poſſem, adiuui ſemper fortunas eius. Idem nunc eſt animus, poteſtas minor. In hac tamẽ mediocritate quicquid mihi eſt induſtriæ, & virium, ad glotiam maieſtatis ſuę confertur quotidie.

Patrem

Patrem Alfonſum colui. filium Ferdinandum non amare non poſſum. Vale III. Martii M.CCCCLXV.

LXXXV.

VT ex conſuetudine noſtra intelligas quæ nuper euenere digna epiſtola, calamum ſumens dictaui hæc tibi, neſcius an ita plene, vt volo, complexura ſint quod fieri inſpexi, ſed quantum potero enitar. Datum eſt ad XV. Februarii frequens conſiſtorium oratoribus Ferdinandi Regis Siciliæ, aſſerentibus mandata ſe habere ab illo, quę audiri à Pontifice, & à Patribus in ſimul conueniret. Itaque in conſeſſum noſtrum venientes, & præfati longa oratione coniugium, quod octauo ante anno inter Alfonſum primogenitum regium, & Ipolitam natam Franciſci Sfortiæ Mediolanenſium Ducis, amodo inſtare tempus dixerunt traducendæ Sponſę ad virum, & propterea Federicum ſecundo genitum, paucos poſt dies iturum Mediolanum cum procerum turba ad traductionis pompam. Orare itaque Regem Pontificem Paulum, & Sanctum collegium, vt intereſſe ſolemni nuptiarum ſacramento per legatum vellent: idque matrimonium auctoritate Sedis Romanæ ornare. Hęc prima eorum fuit expoſitio. Recitarunt deinde litteras ad ſe recenter miſſas à Ferdinando, & accurate admodum ſcriptas, quarum ea erat ſententia. Ad nonam menſis, quem dixi, oratorem magni Turci Neapolim perueniſſe, comitatu tantum equorum XII, auditum illum fuiſſe à ſe ſtatim: ſuam legationem tria tantum capita continere. Gratulari in primis Regi, quod ſumma fœlicitate victoriam de hoſte conſecutus eſſet. deinde admonere, vt cum Deus tanta fuerit in eum largitate, credat ad maiora reſeruatum illum eſſe. Hortari propterea, vt non negligat ſe, ſed ad fortia eleuet animum. optare Turcum dominatum eius omnem augeri, quandoquidem Germani loco illum poſthac ſit habiturus. Ideoque octingenta aureorum millia offerre in annos ſingulos, ſi in Italia mouere bellum alicui velit. Inſuper deſiderium ſibi eſſe affinitate aliqua Ferdinandum ſibi impenſius deuincire per connubia filiorum & filiarum, quæ vtrique eſſent complures. Aut ſi fieri hoc non poſſet, propter diuerſam religionem, matrimonia ſaltem nobilis Chriſtianæ primi Subaſſidis ſui filiæ, quę ab imperatoribus Græcis originem duceret. Dotem eius eſſe millium ducentorum aut amplius, quot vellet Ferdinandus. In hoc vero occupatum præcipue fuiſſe oratorem, vt indicaret bonum Turci animum erga eum, & ſuaderet bellum, & de illius auxiliis ſumma omnia repromitteret. Ad hæc autem, præter communia, quæ haberi in talibus ſolent, paucis reſpōdiſſe Regem: Velle ſe in tot ac tantis oblationibus ſuis altius cogitare, & cum primum ſtatuerit quid agendum, miſſurum oratorem ſuum ad Turcum, qui verbo reſpondeat ad ſingula. Addebatur in litteris, non ideo miſſionem hanc eſſe intruductam, quo ita intenderet exequi ſi non placeret Pontifici: ſed vt haberet interim ſpatium conſulendi, & non amplius biduo, oratorem illum apud ſe retineret. Igitur à Paulo petere, quid cenſeat agendum: mittendum ne, an non mittendum. Rurſum, ſi mittendum, quid dicendum ad poſtulata: In nullo exceſſurum ſe ſuum decretum. Miſſionem autem non ideo adducere in cōſultationem, quo de promiſſis huiuſmodi intelligere quicquā velit, aut accipere: quippe quæ ſciat ſatisfieri maligno animo, & Principe Chriſtiano eſſe indigna: ſed quia operæprecium putet nō ſolum Velonā & loca vicina regno, quæ ab illo tenentur, diligētius explorari, ſi quando inferendum à ſe bellum eſſet Turco: ſed mores omnes eius, & vires, & conſilia, & bellandi modum agnoſci. Non ingratum quoq; futurum ſibi, ſi mittendum cenſeatur, quenq; potentatum Italiæ mittere vnum cum ſuo, qui vtilius inquirant, quæ opus ſunt. Etenim plus videre multos quàm vnum. Omnino autem referre omnia hæc ad Pauli, ad Venetorum, ad Ducis Mediolani & Florentinorum iudicium, à quibus diſſenſurus non eſſet. Recitatis litteris, iuſſi ſunt Oratores extra Conſiſtorium paululum expectare, donec cum Patribus de reſponſo conſuleretur. Pontifice ergo ſententias requirente, Beſſarion Cardinalis Nicenus ita conſuluit: Pontifex Beatiſſime, quantum ad nuptias attinet, laudandam cenſeo imprimis à te eſſe deuotionem Regis erga hanc Sedem, qui ad domeſticam lætitiam adhibere nomen noſtrum

deſideret: dandam deinde operam, vt ſecundo genitus, quem venturum huc & rediturum cum ſponſa dixete, honorem pro dignitate accipiat. An vero ad celebrandas nuptias datuius legatum tuum ſis, non habeo nunc certum conſilium: ſed ſatis illud certum eſt, tractandum eſſe Regem atque identidem Ducem cum humanitate, & gratia. In huiuſmodi rebus attendenda ſunt valde exempla. Non memini ante hunc diem Romanum Pontificem inuitatum eſſe ad nuptias. Non legi etiam Cardinalem legatum ad tale opus miſſum. Periculoſum eſt conſuetudinem nouam inducere, & id agere, vt in poſterum requirantur pro debitis. Mittendum nihilominus conſulo: ſed, vt dixi, Cardinalem, an Prælatum cenſeam mittendum, in pręſentiarum non dico. Miſſio non inſtat nunc. Duos amplius menſes ad deliberandum habemus. Cogitare interim maturius poſſumus, & videre quid decernendum. Hoc medium ſpatium miniſtrare nobis forſitan poterit in vtranque partem certum conſilium, quod præſens tempus non habet. Contenti eſſe nunc poſſumus laudare Regem: habere gratias officio ſuo, & offerre illi præſentiam alicuius ad nuptias honorandas. Ponderis longe plus habent, quæ de oratore ad Turcum mittendo expoſita ſunt. Hic quoq; commendandam dico ſapientiam eius, & probandam religionem, quod rem tractans Chriſtianis periculoſam, nil voluerit tentare ſine tuo decreto: & ad Sedis iudicium retulerit omnia. Sed mihi hoc loco percurrenti cogitatione multa, nil ſane occurrit, propter quod probem Oratorum horum vltro citroq; commercia. Primum enim niſi excordes ſimus, eſſe hoc nobis exploratum debet, quærere has miſſiones Turcum, non ad noſtram, quos odit, & cupit perdere, ſed ad ſuam duntaxat vtilitatem. Odio eſſe ſentit ſe vicinis Principibus ſuæ legis, propter iniurias irrogatas, & formidoloſam potentiam: ſuus quoque, quibus imperitat, non ignorat parum pacatos ſibi eſſe. Contineri hos, ne tumultuent, vel ea imprimis ratione credit, ſi oſtētet cum Chriſtianis, à quibus illi aliquando expectant auxilium, fœdus ſibi, & amicitiam eſſe, atq; hanc ſpem amputatam. Nouit præterea Turcorum nomen vbiq; apud nos nefandum haberi, proptereaq; in bellis validius reſiſti ſibi.

SINE FINE EST.

G. LOLLIO.

LXXXVI.

NOtæ tuæ ænigmatum ad me peruenere clauſę, & ſaluæ. Vtiles eas putaui ad multa, in quibus ſignificandis plus periculi eſt aliquando, quàm fructus. Omnibus in rebus prudens es, atq; oculatus. Seruabo eas diligenter, & in neceſſariis adhibebo: ſed quid tibi venit in mentem homo ſenſate? veriturum me poſthac ad te litteras dare, propterea quod magiſtratui eas oſtenderis, in quibus de tributo Petilianenſi agebam. An non credis intellectum à me factum hoc tuum? An non putatum ad conciliandam mihi gratiam ciuitatis, & ad publicam vtilitâtem illas propoſiias? Non ſum adeo hebes, vt non intelligam hæc. Si patrem mihi occideres, quid æſtimare aliud poſſem, niſi cum ratione & charitate id fieri? Scis quantum tribui ſemper conſiliis tuis. Caueto deinceps ſuſpicari talia de germaniſſimo tuo. Quæcunq; ages in meis rebus, vt diſpliceant aliis, mihi nunquam poterunt non ſummè placere. Quæ de Lollio fratre dolenter communicas, non minus olim præuiſa à me ſunt, quàm in præſentiarum diſpliceant. Videbam Pio viuente, quod frenum aliquod erat illum vix quieturum, defuncto autem relaxaturum habenas omnes ſtultitiæ. Ingratus eſt nimium, & inſcius ſui. Quæcunq; accepit, data ſunt meritis tuis, non eius ignauiæ. Imbecillitatis eius hoc tibi ſit ſignum, quod non intelligit hæc, & ſe totum ignorat. Neſcio quid tibi amplius dicam. Memor es, quanta præſens egerim ſecum, quanta ſæpe contenderim. Nec monitioni, nec minis, nec reprehenſionibus vllis peperci. Inſanabile ingenium eſt proteruum, & immemor, non ſolum verborum, ſed etiam rerum. Rogandus eſt Deus, vt ſanet hanc eius valetudinem mentis. Ego ſi medicinam iis malis cognoſcerem, vltro eam offerrem. Sed conſumptis dudum remediis, iam inops ſum artis. Si vides tu curationem mihi reliquam eſſe, eam pete, & dabitur. Cogita ſi vtile iudicas reddi ei has litteras, quarum ad te mitto exemplum. Fingo me intellexiſſe antiquam eius ſtultitiam. Moneo vt deſinat. Fratrem non vexet. Solum

me reli-

me reſ.ctum illi adiutorem, quem ſit perditurus,ſi vltra inſaniat. Nec enim tuam vllam iniuriam ſeiunctam eſſe à mea. Nec dolere tibi aliquid poſſe, quod me quoque non v rat.Sin fruſtra hoc putas,conuince iudicio duritiem hominis. Via,quam ſcribis eſt ſapientis.Sinendus ille apertius furere,vt neceſſitate tua intellecta,ſine admiratione contendas:Scio opus non eſſe te conſolari,callum enim obduxiſſe iam debes. Vetus tormentũ hoc eſt,& quotidiana infirmitas. Tibi gratias ago,quod expertẽ me eſſe non vis eorũ,quę in rebus tuis ſecunda,vel aduerſa cõtingunt.Bene in hoc agis, collector enim tecum ſemper,atque contriſtor. Vale Romæ die VIII. Martii M.CCCCLXV.

EPISCOPO CAIETANO.

LXXXVII.

TOta contentione acta res tua eſt, non defuere tibi facturæ manuum Pii. Certatim eſt pugnatum ab omnibus.Breuiter habe. Tempora tibi non fauent. Ad cætera mala domeſtica tua hoc tibi addendum,vt in iudicium venias vocatus ab his,qui vocati à fiſco propter te ſunt,& necdum iudicati.Confide frater. Grauiora aliquando es paſſus. adiuuit in illis Deus. In his quoque non deſeret. Tu locum iudicii times propter inſidias:ego magis Iudicem in partes aduerſariorum iam tractum. Ita de te quotidie loquutur, vt condemnaſſe iam videatur. Dicuntur iſta clam,ſed fidem non habent.Dici in publicum nequeunt,propter Collegii noſtri conſortium.Tu quoque meas has litteras contine,vt quod loquor Epiſcopo,laici neſciant.Bene Vale.Romæ.

G. LOLLIO.

LXXXVIII.

EX quo litteras tuas & Thomaſii noſtri accepi, non deſino contendere, vt fidem publicam ſuo aduentui impetrem. Impetrare hucuſq; non valeo,ita grauate illam Pontifex dare eſt ſolitus.Iuſſus ſum porrigere ſcriptam ſupplicationem. Hanc curaui fieri, & porrexi. Expecto vt ſignet. quod erit, ſcies quàm primum. O pias manus Pii noſtri, quàm liberales erant, quàm gratę, quàm promptæ:& ô nos illo Principe felices,quorum erat tantum labor petere, & ſcribere,& ad eum portare. Nam in ſignandis facilitas erat,vt benigna ſemper, ita ſemper iuſta. Thomaſio omnia debeo. Ipſo magiſtratum regente donatus ſum ciuitate, vt noſti. Non ceſſabo, quoadusque fiat quod vult. Ad eum no n ſcribo. Hæ litteræ ſint ambobus communes. Bene Vale. Romæ Die XIII. Martii M.CCCCLXV.

SIGISMVNDVS COMITIVS FVLGINAS
Cardinali Papienſi.

LXXXIX.

QVod me Regem his Saturnalibus eſſe oportuit,enitor omni ſtudio,& diligentia, vt perſonam mihi à ſorte impoſitam non inconcinne videar ſuſtinere.Comparo itaque me ad regnum, acturus de ſumma rerum craſtino veſpere. Et quoniam nihil Maſſano,Maſſanique ſectatoribus ſiue ſerio,ſiue ioco,ſine Papienſibus poteſt eſſe iocundum,Sigiſmundus,qui & Rex eſt,& ex Maſſanis pręcipuus tui numinis cultor,te orat Papienſis, vt duos ex tuis ad ſe venire ſinas. Delegi Iacobum Volaterranum,& Forteguerram,homines ſcitos,& ad tuendum regnum noſtrum aptiſſimos.Bene Vale. In Palatio noſtro, ante coronationem.

PETRO IOANNI LVTIO.

XC.

EGi ſæpe cum Pontifice de notula, quam præſente me illi obtuliſti. Benigne ſemper reſpondit: ſemper ſpem gratiæ dedit. Vltima commemoratione mea hoc dixit, in quo bonæ mentis indicium cœpi. Cum non expectabis,memores nos ſenties Compatris noſtri.Egi gratias,& vt ita memor eſſet,ſum deprecatus.Quod incolumitate mea lætatus ſis, quam ex litteris ad patrem nouiſti, id & gratum eſt, & tacente te ita eſſe non dubitabam. Dilectus à me, neceſſe habes me quoque diligere, & bonis meis lætari. Parenti tuo, & tibi, & omnibus tuis gratias ago, pro veſtris in matrem meam officiis.Scripſit mihi quãta ſit omnium in eam humanitas.Ego certe eius cauſa magni hęc æſtimo. Annoſa eſt, procul à filio, à patria, & cognatis omnibus.In ſolitudine ſua nil ſibi optatius charitate adeuntium.Itaque quod illi fit,mihi fit,qui nullum habeo naturę,aut voluntatis carius pignus. Bene Vale.

Digitized by Google

IOANNI FRANCISCO SPINVLÆ.

XCI.

VEl hoc vno maxime agnoſco te mihi affectum, quod ea tribuis virtutibus meis, quæ ego eſſe vellem, & ſentio longe abeſſe. Amicorum eſt hoc commune, vt perſæpe fallantur iudiciis, praua recta iudicent, & in laudando teſtimonium ſuæ charitatis dent, magis quam veritatis. Dicis aſſumptionem meam ad Cardinalatum propter merita factam eſſe, & in hoc Pium commendas. Frater, crede mihi, ex Deo ſolo eſt, quod cernis in me. Ipſe fecit me, non meritum aliquod: ipſe Pio eum ſpiritum dedit. Cõfitenda eſt veritas. Nobilitas vlla ſuffragata non eſt, non magnorũ interceſſio, aut preces, non literatura illuſtris, nõ labores pro Eccleſia paſſi. Sola miſericordia ſua eleuauit iacentẽ: quam ob cauſam ignoro. Vtinam ad ſalutem animę meæ, & ad ſalutem ſuę ſanctæ Eccleſię. Tibi gratias ago, quod gradũ hunc mihi optaſti, & quod Pio defuncto, ob hoc ipſum gratias agis. Sine ſumma beneuolentia ſentiri hęc, & ſcribi nõ poſſunt. Tua eſt dignitas quæcumq; eſt, atque vtinam ſeruire tuis commodis valeat. Bonuicino tuo, quem mihi commendas, non patiar deeſſe operam meam, cum peret. Vltro etiam occurram beneficiis, cum per me ipſum aliquid eo dignum agnouero. Qui ſeruiunt Præſuli Adiacenſi, ſeruiunt mihi. Hunc patrem, vt virum optimum, atque induſtrium ſumma pietate complexus ſum ſemper. Bene Vale. Romæ.

XCII.

HOc initio Pontificatus Pauli ſecundi, vt ſcias quę hic decernuntur, habitum eſt conſiſtorium de concedendis, vel nnn cõcedendis gratiis, quas curia noſtra expectatiuas appellat. Erant ex patribus nonnulli qui eas dicerent non concedendas, tanquã præſulibus eccleſiarũ multum exoſas. Rurſum ſi concedendæ, quando concedendi initium eſſe oporteret. Varię ſententię inter nos ſunt: ſed in iudiciũ Portuenſis conſenſit Pontifex, & Patrũ pars maior. Is enim diu laboraſſe dixit Sedem Romanam, ante quam poſſet aſſequi vt paterentur Ordinarii gratias in ſuis diœceſibus dari, & negligendã ideo prærogatiuã non eſſe tam multis acquiſitam moleſtiis. Vbi enim per vnum tantum Pontificẽ deſitę eſſent dari, futurũ vt dari amplius non poſſent ſine ſcandalo. Differendum tamen dixit menſes aliquot, donec noui Pontificatus nuntii ad nationes, & Principes perueniſſent. quę enim indignitas, inquit, eſt, & rerum confuſio, ante ex gratiis expectantium in populis nuntiari de nouo Pontifice, quàm ex ipſius Pontificis litteris? Pauci temporis expectatio non obeſt nobis, & hoc incõmodum tollit. Dixit Cardinalis Aquilegienſis, Eugeniũ quartum diſtuliſſe aliquamdiu antequã daret. Dixit Spoletanus, Nicolaũ, qui ſucceſſit Eugenio totos decem & octo menſes ab iis abſtinuiſſe. Dixerunt nonnulli, Caliſtum, qui Nicolao, & Pium, qui Caliſto ſucceſſit, ab initio Pontificatuũ ſtatim dediſſe. Auditis ſententiis, narrauit Paulus cauſam differendi Nicolao fuiſſe, quia diuiſa eſſet Eccleſia ob Amedeum Sabaudienſem pſeudopontificem habentem aſſertores obedientię ſuæ. Gratias autem & dilationem probari ſibi, ſed non admodum longam. Eam videlicet, quę per Cardinalem Portuenſem eſſet monſtrata, & quia prętogatiuæ conſequi gratias ſolent, de iis ſeruata in aliud tempus, & ad pauciora iudicia diſcuſſio eſt: quippe quarum intelligentia apud eos ſit ſolos, qui vſum Cancellariæ habent. Vale.

XCIII.

NVntiaui nudius tertius quæ de gratiis expectatiuis decreta in Conſiſtorio erant: nuntio nunc in tuum documẽtum, & meum, auream ſententiam dictam à Cardinali Portuenſi dic, quæ ſecuta eſt coronationem Pauli, cum conſiſtorium haberetur Laterani. Referebat Guillelmus Cardinalis Hoſtienſis ex conſuetudine noſtra de Cænobio Gallicano, inſigni opibus, & religione. Relationis ſumma erat: Abbatem grandæuum & effetum viribus adminiſtrationi cedere propter conſcientiam, eo quod inutilis iam eſſet: Epiſcopum porro neſcio quem, cuius Eccleſia longe ab illo eſſet, petere, vt commendaretur ſibi. Cœnobium, vt dixi, inſigne erat, & multi in Gallia nominis, nil habens mali, propter quod commendari haberetur opus. Apparebat, non propter deſiderium boni operis, ſed propter auaritiam peti. In dicenda ergo ſententia Portuẽſis, qui proximus ab Hoſtienſi erat, Vereor, inquit, Beatiſſime Pontifex, ne propediem audiamus omnia Galliarum Cœnobia commendata eſſe, & nullum

reliquum

reliquum quod Abbatem ſuum habeat: Ita quicquid ibi à nobis decernitur, commẽdatio eſt. Surget nobis non expectantibus aliquando regnum illud in nos, ferre vltra non valens iuuare miniſterium noſtrum, & grande aliquod negotium Sedi tuę exhibebit. Turbulenta natio eſt, libenter tumultuans, vbi aliquam ſit nacta occaſionem. Approbauit iudiciũ Pontifex, & adiecit, credere ſe à Pontificatu Caliſti in eam diem amplius quam quingenta monaſteria eſſe iam commendata, atque ideo in metu ſibi eſſe, ne corruptela hęc maturius opinione in ſcandalum graue erumperet. Digna fuit ſententia, Pater & Domine, non ſolum viro Deum timente, & ambulante in ſemitis eius, ſed ſummæ ſapientię Cardinali, attendente quid miniſterium deceat Sedis eius: vnde in omnem partem perfectum opus debet manare. Commendãdorum ab initio cœnobiorum non ea fuit ratio Patribus noſtris, vt ſagini Eccleſiaſticorum illa darentur, ſed vt fide & ſtudio maioris alicuius ea quæ occupata a ſęcularibus eſſent, redimerentur, & neglectus diuinus cultus in priſtinum reuocaretur. Deflexit rès, & in abuſum hunc venit odibilem Deo, & ſorti noſtræ infamem. Adiuuemus igitur nos, quantum poſſumus, ſententiam ſancti Senis, & pro nullis commẽdationes petamus, niſi eum neceſſariæ videbuntur, atque eas, quę ambitioſe petentur, ſententiis noſtris condemnemus intrepide. Vale.

XCIV.

LIbenter communico tecum quæ ad noſtram doctrinam vbique vel dici, vel agi intelligo. Quod ſubiiciam ex illis eſt. Conſedebat hodie mecum dimiſſo iam Cõſiſtorio Cardinalis Portuenſis, quem ſæpe commemoro, & de ciuitate Auinionenſi inuicem loquebamur. Ductus hinc ſermo erat, quod à nonnullis ad componendas contentiones de Regno Sicilię, quæ inter Aragonenſes & Andegauenſes antea fuerant, & nunc ſunt, & futuræ in perpetuũ iudicantur. hęc media pacis dicebantur proponi, vt videlicet Andegauenſes cedentes regno, Auinionem acciperent. Aragonenſes beneficium pacis conſequuti, Aquilam Marſorum ciuitatem redderent Eccleſiæ. Non putabat ſapientiſſimus pater, vtilem eſſe permutationem. Damnabat eam, vt detrimentoſam, & turpem, & ad me conuerſus, ô Papienſis, inquit, curandũ omni ope eſt, ne Romana Sedes id patrimonium trans Alpes perdat. Eſt refugium pulſis Pontificibus, eſt & durum Italis frenum, ne ad vexandam Eccleſiã licenter currant. Vbi hic quieti eſſe non ſinimur, comminantes ad eam noſtram ciuitatem commigrationem ſalutem nobis operamur. Metuẽtes enim ne tantum ornamentũ amittat Italia, perdi Dominatum noſtrum, & nos non patiuntur. Conſideraui ſuſpirium Senis, quod non aduerteram ante: & gratias egi, quod digne pro Eccleſia cogitaret. Erunt fortaſſe, qui ſententiam hanc eius non probent, & illecebrã illam dicant extare tranſalpinis Pontificibus, eo fine cauſa curiam traducendi. Ego vero & iudicium probo, & refugium illud in neceſſitate maximi æſtimo. Vix vllos trãſalpinos Pontifices erit reperire, quos tantum cælum Gallicanum capiat, vt velint Principatum temporalem Sedis Romanæ, atq; ipſam Sedem diripiendam prædonibus relinquere. Æſtimatio maior Romæ eſt, libertas maior, poteſtas operandi, vt volunt, maior. Pontifex Auinioni concluſus non minus alienę, quàm ſuæ eſt ditionis. Cum hic eſt, orbi imperitat. Hoc imperiti cognoſcunt, quanto magis agnoſcet Pontifex, vel Italus, vel tranſalpinus ſit, cum & à ſeipſo, & à confeſſoribus ſuis, graue eſt ſemper, & ſanum conſilium. Vale.

XCV.

NOn ignoras, Paulum Pontificem, mox, vt aſſumptus eſt, animum intendiſſe ad publicam Fidei Catholicæ cauſam, & delegiſſe tres primos ex Patribus, quorum hæc cura eſſet continua. Meditarentur, conferrent conſilia, diſceptarent inuicem, quæque inter ſe vtilia iudicarent, digeſta ad eum afferrent, decreto ſuo poſtmodum confirmanda. Scis quoq;, accerſitos huc eſſe ex tota Italia Oratores, vt quiſq; ad opus Dei pro viribus ſuſfragium ferret. Venerunt ergo hi expectati: licet nonnulli ſerius quã oporteret. Sex totis menſibus agitata cum eis tota res eſt. Volebat Pontifex quemque ex potentatibus certum ſubſidium annis ſingulis pendere, quamdiu bellum Turco apertũ fieret. & quia nulla vtilior ratio bene gerendæ rei oſtendebatur, quã adiuuare

pecuñia Vngarorum regem ſolum ad conterendos hoſtes idoneum, & iam malorum aſſiduitate exhauſtum, ſummam diffinitam petebat à quoque. Ipſe vt exemplo aliis eſſet centena milia aureorum annua reptomittens, & plus ſibi quàm aliis imponens. Agebatur res quotidianis exhortationibus, & precibus, & mandatis, nulliq; artificio inducendarum voluntatum parcebatur: quiſque tamen impoſitam ſummam maiorem viribus allegabat, atque in hac vna diſceptatione totus erat tractatus. Tandem cum ad Dominos ſuos ſæpius ſcripſiſſent Oratores, ac reſcripſiſſent, poſtulata Pauli proponentes, & reſponſum poſtremũ petentes, ea deliberatio miſſa à ſingulis eſt, quæ parum animis ſatisfecit. Non cõmunicauerat ante hunc diem Paulus fratribus ſuis, quę cum Oratoribus eſſent tractata, expectans quotidie exitum rei felicem, vt cum grata auditione palam faceret, quid operata eſſet diligentia ſua. Igitur videns nil amplius, quàm quod erat oblatũ ex Italia expectandum, & iuſtificare ſe volens, ſi maiora non apparerent, Conſiſtorium coëgit, & Oratores adeſſe voluit, vt conſedentes nobiſcum, quiſq; pro ſuis oblationem publicam facerent. Præfatus itaq; paucis labores in tractatibus habitos, & fidele ſtudium in molliendis animis paterne adhibitum, iuſſit oblationem ſoli ſibi antea factam, coram Patribus fieri. Erant à Ferdinando Sicilię Rege Oratores, Protonotarius Rocha, & Antonius Carapha, equeſtris ordinis. A Venetis Triadanus Griptus, & Hieronymus Barbaricus. A Duce Mediolanenſiũ Auguſtinus Parmenſis iuris interpres: A Florentinis Antonius Rodulphus, & à Senenſibus Bartholomęus Benaſſaus, ipſe quoq; equeſtris ordinis, ac iureconſultus. Regii obtulerunt ſexaginta aureorum milia, mittenda ad Vngaros, & amplius quingentos equites, totidemque pedites, qui per Epirum irent in bellũ. Veneti etſi dicerent, ſe ſolos cũ Vngaris aduerſum Turcos implicitos, & in annos ſingulos ſeptingẽta milia in claſſe, & exercitibus pendere. Vt tamẽ Pontifici auſcultarent, miſſuros quoq; ſe ad Vngaros annua quinquaginta milia promiſere. Mediolanẽſis egregia ſponſione equitum duo milia, & pedites mille obtulit, ituros per Epirum cum Regiis copiis. Florentinus optionem dedit Pontifici, vtrum mallet equites mille, cum peditibus quingentis, qui adiungerentur Ducalibus, an annua XXIV. milia, quorum duo tantum in menſes ſingulos ſoluerentur. Senenſis eſſe in itinere dixit nouum Oratorem, qui ad hæc mandata haberet, ſibi nullam de his curam à ſua Republica datam. Veneti, Mediolanenſes, & Florentini, hac conditione promiſſum fecerunt, ſi decimales eccleſiarum, vigeſimales Iudæorũ, Trigeſimales ciuium indulgerentur contributiones: Regii ſi cenſus in eam diem Romanę Eccleſiæ debiti, ſibi condonarentur. Nam alias contributiones propter exinanitũ bello regnum Regem non petere. Omnes tamen ſponſiones ſuas, tandiu continuaturas dixerunt quamdiu ſancta hęc expeditio teneretur. His auditis iuſſit Pontifex Oratores extra conſiſtorium eſſe, donec acceptanda, an recuſanda oblata eſſent, cum Cardinalibus ageret. Egreſſis incepit ſuſpirans: Videtis, fratres, quo reciderunt deſideria noſtra & ſex menſium conatus. Pecuniam popoſcimus, copiæ offeruntur. non reſpondent hæc noſtrę expectationi, nec gerendis rebus conueniũt. Stipendium, quod duobus milibus equitum, & mille peditibus erogat Dux, quinque in Vngaria conduceret milia aſſueta pugnis Turcorum, & valentiora noſtris illis in locis. Idem dico de Rege. Florentini qui alioquin in mittendis mille equitibus, & quingentis peditibus, annua quinquaginta milia erogare haberent: ſi pecuniam loco militum pendant, dimidio minus pendere volunt. Vnde iſta conſilia? Cato, non ſpiritus rectus hęc monſtrat. Vt non adiuuent vtiliter Venetos, congeminare ſua onera volunt. Vtinam in deſerendis Venetis non deſererent fideles omnes, & ſe ipſos. Senenſes diu admoniti, & rogati adhuc nihil reſpondent. De Duce Mutinæ, Marchione Mantuano, & Lucenſibus quid dicam ignoro. Scriptum omnibus eſt, & à nullo reſcriptum. Silentia eorum recuſationes ſunt manifeſtę. Aliud interpretari non poſſumus. Hi vero, quos modo audiſtis, non de ſuo, ſed de noſtro promittunt: quaſi, vt eſt in prouerbio, manicis noſtris naſa noſtra abſtergant. Petierunt enim decimas XX. XXX. & cenſus quoque Eccleſiæ. Anceps animi ſum, quid cenſeam agendum. ſi hæc oblata accipimus, Vngari carituros ſe videntes pecunia, quam in dies expectant, paciſcentur cum Turco. Tolerare enim vltra non valent. Horum exemplum neceſſario ſequentur Veneti, quos quotidie inuitat Turcus: & iam capita conuentionum

num

num miſit ad eos,quę vidimus nos,& honorifica admodū ſunt. His duobus quaſi propugnatoribus cedentibus de medio, nunquid non hoſti iter liberum terra,mariq; ad Italiam patet? Porro ſi hanc terrā ingreditur, nonne videmus quàm facilè in poteſtatem omnia redigat?Non tam arma ſua illi viam aperient,quàm diſſenſiones inteſtinę Italiæ, & ſubditi, odio habentes dominos ſuos. Ille vt vicinus hoſtis deleatur, externum domi accipiet. Hic vt tyrannum oppreſſorem fugiat, ad infidelem confugiet. Magna indignationum, & inimicitiarum eſt vis,vt nec religionem nec communem interitum iratus animus videat. Rurſum ſi promiſſa hæc non acceptamus, & maiora, ac vtiliora expetimus,& maiora, & vtiliora non præſteut: quodcunque ſuccedet mali,recuſationis noſtræ crimen dicetur. Subuenire, inquient, pro viribus volebamus, & ſumus repulſi. Quod ſi maximè addituri ad hæc aliquid ſunt,antequam petitiones noſtræ perferantur ad eos,antequam deliberationes nouæ ineantur,& referantur reſponſa, menſes amplius ſex elabentur, nec ſcimus an tandem ita addent, vt non dici poſſit fruſtra tempus inſumptum. Præcipuum autem Chriſtianorum ſubſidium eſt, & ante alia procurandum celeritas. Si enim antequam ex hibernis moueat Turcus, quem exploratum eſt ingentes copias terra mariq; contrahere, parati Veneti, & Vngari, & nos quoque non erimus. Quod nunc minoribus viribus bene geri eſt ſpes, maioribus poſt hæc poſſe geri,non eſt expectandum. Dies,vt magnas ſæpe vtilitates, ſi diligentia aſſit:ſic ingentes quoque clades,ſi abſit,ſecum apportat. Quare, Venerabiles fratres, vos & oratores miſſos nunc facio. Grandis hæc res eſt,& momenti permagni.Conſultatione longa eſt opus. Ad multum diei proceſſimus,& feſſi omnes ſumus. Cum reuocauero, vos venite ad conſilium. Interim quiſque curam ſuam huius rei accipiat,meditetur,& verſet in omnem partem,quid nobis agendum. Vt in cæteris, ita in hac re ſequemur conſilia veſtra. Hic finis fuit hodierni Conſiſtorii. Scies quid in proximo fiet. Nunc Vale.

G. LOLLIO.

XCVI.

DE emunda domo expectabo quod egeris, & cauſas dilationum ex litteris tuis intelligo. Feſtinatione hic nulla eſt opus. Habent mei, vbi in paucitate familiæ, ſi non ſplendide,at commode habitent. Nouam tamen domū comparari protinus volo,vt quandoquidē in ſublime me eleuaſti, etiā qui ex me erunt, habitare dicantur vt Cardinalis reliquię.Itaq; hoc tu vel ocyus,vel ſerius parabis,cum voles. De tuis,quos Romę habes,non eſt quod tam deſperanter loquaris. nam & duo milia nō erunt fruſtra inſumpta, & Præceptor ſancti Spiritus mollietur paulatim. Cenſeo,mi Cōpater, in biennium ſtabula illa ſua conducas.ne conditionem formides,ſine qua recuſat locare. Primum,cum erunt conducta, adimet ea nemo à te,quæ nunc quæruntur quotidie.Deinde homini ſeni,& fracto biennii tēpus longum eſt. Multa interim poſſunt contingere. Dies concinnator eorum eſt ſæpe,quæ componere non poteſt induſtria. Interea otioſius,& ſine periculo agere de emundis poterimus. Vbi non ſuccedat venditio,ſuccedet ſemper conductio. Nos viuemus,ſi Deo ita placebit. Interceſſio noſtra nullo tempore deerit. Quiſquis erit præceptor,non vſq; adeo vel æſtimabit has caſulas,vel Cardinalem deſpiciet, vt nouam locationem non libenter concedat precibus noſtris.Vitam mihi precare,mi compater. Papienſi viuo,timendum eſt nihil. Speranda omnia, quæ vera charitas, & tua in me merita poſtulant. Non turberis in his quæ ſubiiciam. Heri Pontifex,quęſo,inquir,te Cardinalis,vt quando Gregorius tuus redire non vult, preceris eum per litteras,vt vendat mihi ædes ſuas, vel locet. Extinctis cęteris,quę vbique in ditione Eccleſiæ ſunt:vnam modo monetariam officinā inſtituere Romæ propoſitum eſt. Hic locus adiunctus continuis ædibus, vbi nunc cuditur, præſtaret oportunitatem, quam quærimus. Reſpondi ſtatim. Redire nunc parat in curiam,& traducit vxorem,& viuere ſub te reliquum vitæ proponit. Non poſſet ſine ignominia alienam domum conducere,ſua locata. Acquieuit, & non moleſte viſus eſt ferre. Cenſeo itaque huc ſtatim recurras,ſi potes,& præſentia tua probes,quod dixi. Interim nouis ædibus ad monetam inuentis,redire Senam peractis Paſcalibus poteris,quamquam ſi me audies Lolli,tranſmigrationē facies Babylonis, & patriæ obli-

tus, conuerteris totus ad nos. Non bene iſthic meo iudicio es. Suaſi antea vt redires ad tuos: ſuadeo nunc mutato conſilio eos dimittas, & nobiſcum amodo viuas. Imbres illi importuni, qui nos terruerunt, iam abiere. Redit paulatim læta ſerenitas. De Pio noſtro remiſſior ſermo. De nobis mitior mens. Ardor etiam ille Syndicatuũ ſatis refrixit. omnia in dies meliora. Vale, & ſi venturus es, de itinere cogita. Romę die XIV. Martii M.CCCCLXV.

RIC. CARDINALI CONSTANTIEN. LEGATO.

XCVII.

ABſit à me vt de fide, & iuſtitia tua aliquid dubitem. Scio te, Reuerendiſſime Pater, conſentire nomini tuo, & in fide eſſe conſtantem. hoc experti Francorum Reges antea ſunt: hoc nos quotidianis documentis agnouimus. Noſco præterea eſſe te iuſti & æqui amatorem: nil gratię indulgentem, aut corruptelę. Conſiſtoria noſtra, & demandata tibi iudicia teſtimoniũ perhibent. Quis meo Conſtantienſi in dicenda ſententia iuſtior? quis in interpretationibus iurium verior? quis denique in ſuo cuique reddendo minus perſonarum acceptor? Memor es quam crebro Pius laudauit conſilia tua, quàm libenter iudicandas cauſas tibi credebat. Mihi ſæpe hoc dixit. Vtinam Conſtantienſes haberemus plures. Bene conſultum eſſet Eccleſię. Vir grauis eſt, vir bonus, vir mitis, vir doctus, ſemper in ſuis ſententiis liber. Quomodo ergo in tanto experimento, & tam graui teſtimonio Romani Pontificis, addo in tanta coniunctione beneuolentię noſtræ, dubitare ſine perfidia poſſem de tua fide, atque iuſtitia? An non ſcio amaſſe te Pium in vita? & gratam tibi nunc ſcio memoriam eius? ac propter eum tuam bonitatem ſuis fuiſſe affectam? Repete memoria, quotiens vacante Sede, & ſedente etiam Paulo, ſententiam dixeris pro iis afflictis reliquis ſuis. Quotiens verbo tuo eas protexeris, & quotiens propterea tibi gratias egerim. Ne quæſo nunc putes alia mente me eſſe, aut de tuis actionibus aliud æſtimare. Es ille pater in Pium, qui ſemper fuiſti, es ille in ſuos, quem te hactenus ſine metu oſtendiſti. Quid ergo dices: Aduocari in vrbem Epiſcopi Caietani cauſam contendis? Dicam optime pater, & precor vt benigne intelligas, & omnia in partẽ pietatis accipias. Pluribus annis præſidatũ Fulginii tenuit ille, volente ita Pio. Neceſſe habuit in diuturna adminiſtratione, propter iuſtitiam multos offendere: libenter enim homines domui alienæ illam vident, non ſuæ. Interuenere prętereа in ea ciuitate nonnulla, quæ temporibus dubiis ſuſpicioſa Pontifici multum fuerunt. Mandauit de illis cognoſci, & Epiſcopi miniſterium ad pænam delegit. Paruit Principi, detexit quæ erant occulta, & functus eſt regentis officio. Ad iniuriam omnia, non ad iuſtitiam ſunt deputata. Pio ergo defuncto tumultus graues in eum ſunt excitati. Sæuitum eſt in Palatium Præſidis. Compilata omnia, tam ſua, quàm familiæ ſuę. Miniſtri interfecti, plerique vulnerati. Ipſe Epiſcopus ſolo æſtatis beneficio mortem euaſit. Nuceriam enim vitandi æſtus cauſa ſeceſſerat. Si fuiſſet Fulginii primum caput eius fuiſſet petitum. Compertum illi eſt nunc ſanguinem quoque abſentis quotidie quęri, & precium propoſitum eſſe interfectoribus ſuis. Videns itaque ſine periculo vitæ in prouincia verſari non poſſe, confugit ad Paulum, precans vt Romæ de ſe haberetur iudicium. Non declinare ſe iudicem dicens, quem integerrimum ſciret, ſed locum plenum diſcrimine. Interceſſi his de cauſis pro miſero, & nec diſplicituram credidi manſuetudini tuę interceſſionem hanc piam, debitam mihi, magis quam aliis: quia pluris quam cęteri ſum debitor Pio. Reſpondebit mihi tua Dignatio: Me præſente nil erat timendum Epiſcopo. Præſtabat ſecuritatem legatio. Non auderent Fulginates me iudicante tale quicquam præſumere. Pater reuerendiſſime, Italus ſum, & verſatus annis quatuordecim inter Eccleſię ſubditos. Crede mihi, non eadem eſt noſtris, quę Tranſalpinis tuis in præſides ſuos reuerentia. Quod alias ante aliorum legatorum oculos memini factum, fieri poſſe ante tuos exiſtimo. Præterita de futuris nos admonent. Vides acerbum illorum in Epiſcopum odium, ſanguine, & mortibus iam declaratum. Credere debes fragilem eſſe in tanta exacerbatione animorum ſpem ſecuritatis, quam offers. Ita & ſpiritus excæcant ſæpiſſime homines, & ad nefaria cogunt, vt nec reuereantur, nec timeant, & dummodo cernant vindictã, exitus rerum non cogitent. Si reſpondendũ

ante

ante te erit Epiſcopo, ſi reddenda ratio actionum ſuarum, ſi diluenda obiecta, & punitionum cauſæ exponendæ, neceſſario agenda iſta erunt vehemẽter: notandæ perſonæ, aperienda delicta, & adducenda omnia in medium, per quę probetur innocentia ſua. Inflammabuntur nimirum commemoratione hac corda per ſe ſatis accenſa, & ſine diſcrimine erit loquendi libertas. Verbum modo vnum paulo contentioſius dictum, impetum præſtare poteſt ad apertum furorem. Sed ſi maxime aperta vis ceſſet, quis cauebit, dolo non oppreſſum iri Epiſcopum? Artes nocendi quàm variæ ſint, tua ſapientia nouit. Ab inſidiis cauere vix poſſumus. De vita hic agitur, non de fortunis, & de vitanda morte, non de declinanda ſententia. Vbi ſiniſtri aliquid eueniſſet Epiſcopo, plecti quidem Fulginates poſſent pro ſcelere: ſuſcitari ille non poſſet à mortuis. Hac de cauſa, amantiſſime pater, cum haberi ſyndicatus de multis Senenſibus Paulus voluerit, in quos populorum erat conſimilis ardor, vix vrbem tutam exiſtimans, Molem Adriani elegit, in qua rei reſpondere fidenter accuſantibus poſſent. atq; ita in ea libertate loci multorum eſt probata integritas, quæ alioquin in metu fuiſſet oppreſſa. Addes fortaſſe: Si Epiſcopus venire non vult, agat procurator nomine ſuo: nõ idem quod Epiſcopo, Procuratori erit timendum. Pater mi, & Domine, nõ eſt neceſſe vt tibi declarem quàm dura ſit conditio hęc. In omnibus enim exercitatiſſimus es, & ſine monſtratione mea per te omnia intelligis. Sed quid miſerius? addo & periculoſius? quàm per procuratorem rationem reddere præſidatus, & vitæ? Si corruptela obiicitur, quid aget procurator, neſcius vitæ Epiſcopi? ſi contumelioſum damnoſumq; exilium, quid dicet ille ignarus ſecretorum? & ſtatus Eccleſiæ? Nulli procuranti in ſimilibus eſſe ſatis ad defendendum notitiæ poteſt: Reo præſente eſt opus, vt multis veſtigiis ad veritatis caput Iudex perueniat. Si mitto quempiam ad tuendam poſſeſſionem prædii mei, ſcio quibus ille ad cauſam ſit inſtruendus. Iura omnia colligo, diſpono, & do. Aduocatum quoq;, ſi non ſim Iureconſultus, adhibeo. Quicquid in vna illa re dici, afferriq; poteſt, procurator ad iudicium portat. Sed ad criminum defenſionem portare quid poteſt, qui nec accuſatores ſciat: nec criminum genera accipere poſſit à reo, quàm ille pariter ſecum ignoret. Dicere hic fortaſſe poteris. Si Fulginum tutum ſibi non putat, tuta erunt alia legationis loca complura. At Epiſcopus qui Caietæ, atq; adeo in laribus Eccleſiæ ſuæ ſentit ſibi inſidias ſtrui: nullum poteſt legationis tuæ locum probare, cum & vicina illa Fulginio ſint, & ſtudioſos Fulginatum habeant multos. Vbiq; ad peſtem opportunitatem plurimam videt. Precor itaq; manſuetudinẽ tuam, præſtantiſſime pater, vt patrocinium, quod illi impendi, non reputes tibi ad iniuriam, nec credas de integritate Conſtantienſis mei aliquid à me dubitatum. Hæ ſolæ rationes in perſpicuo vitæ diſcrimine, me impulerunt declinare videlicet non iudicium, nec Iudicem, ſed occaſionem mortis perſpicuæ. Vtinam tu ſolus ab initio iudex datus eſſes tuto in loco omnibus, qui ex Pio manſerunt, & qui vbiq; ſunt iudicati, conſolatus eſſet ſpiritus meus: & illi miſeri tantam duritatem paſſi non eſſent. Scio enim quòd perſonarum acceptator non es, & quòd in veritate iudicium facis, conſideraſque quid Pontificum reliquiis diſcretionis debeatur, atque pietatis. Verum quando diligentia mea ſubuenire Caietano non potuit, & in prouincia eſt iudicandus, tuam benignitatem per Redemptorem noſtrum precor, & oro, vt hunc, qui tibi coepiſcopus eſt, & ex noſtra ſorte eſt, pia conſideratione reſpicias, cogites, quid iniuriarum, & calamitatis ſit paſſus, in quanta orbitate, defuncto Pio, verſetur, & quantum ſit populis indulgendum in Præſides. Nouo exemplo traditur is iudicandus. Ante hunc diem nulli vnquam habiti ſyndicatus de Gubernatoribus ſunt: neq; enim expedit regimini noſtro metu ſyndicatuum illos tepide agere. Multa ſtatuum fert ſæpe conditio, quæ re ipſa ſunt iuſta, ac neceſſaria, ſpecie autem aliter ab imperitis putantur. Diſcretio verius, & melius iudicat illa, quam libri. Hanc diſcretionem ſoli nouerunt, qui præſidatus aliquando geſſere. Vbi vero Gubernatores reddendam ſibi rationem eſſe de ſingulis ſentient, & reſpondendum ante iudicẽ ſingulorum querelis videbunt, manum in operando dexteram perdent, ac ſatis habentes placuiſſe populis creditis, de ſtatu noſtro parum erunt ſolliciti. Ita per leuem ſpeciem boni, fundamentum corruet bene regendi. Tibi ſanctiſſimus pater Pius pileum dignitatis

in Galliam miſit,te ad Curiam venientem honorifice accepit, præſentem in precio habuit,oppreſſum falſis calumniis manu patris leuauit, nec ruere paſſus eſt tuam iuſtitiam.Loquebatur mecum frequenter de confratribus noſtris.De te ſemper & bene ſenſit,& locutus eſt cum honore:compatiens per ſingula vexationibus, quas patiebaris in Galliis.Vno verbo complectar: Virtutem tuam amabat, talemque te iudicabat,quales eſſe reliquos collegas tuos optabat. Pium eſt meminiſſe horum afflictis temporibus,ac propter eius memoriam,eos protegere, qui ei olim cari fuerunt. Mortuus nunc,& tamen ſenſum de viuentibus habens, pietatem hanc à Conſtantienſi ſuo deſiderat.Itaq; illam Pater impende mortuo quam viuenti impendere propter ſummam eius poteſtatem non potuiſti.Grati animi eſt,non viuētium modò,ſed defunctorum quoq; qui bene meriti ſunt,ſeruire iudiciis. Hæc à te Pio noſtro debentur.Sed & Papienſi filio nunquid non debetur benignitas aliqua? Dilexi quoque ego te, & adiuui, & colui, ac prædicaui, nec vllum in te deuotionis officium quantum potui,paſſus ſum præterire. Hic quoque nomen meum valere aliquid debet.Ad me itaque in iudicando Epiſcopo paululum reſpice,ac propter me in eum benignum animum indue. Reſpice & ad reliquos, quos Pius creauit, & qui tecum ſedent ad conſilium vniuerſalis Eccleſiæ. His non minus quàm mihi cara erit omnis tua in Caietanum humanitas. Te illi mecum pariter rogant. Noſtrum tamen nemo impunitatem expoſcit,nemo omiſſionem iudicii petit. Hoc tantum contendimus omnes,vt non credas falſis criminibus. Teſtes qui ſint diligenter attendas,& conſcientias illorum nō meliores ad teſtimonium credas, quam paulo ante ad cædem,rapinamq; fuerint.Tum conſideres quanta propter ſtatum Eccleſiæ rectoribus liceant,& quanta illis ſint indulgenda, quos & imperium Principis, & ipſa neceſſitas compellit ſæpe ad multa,à quibus abhorret voluntas. Fac vt habituri tibi omnes gratias ſimus,& memorem te noſcamus Pii noſtri,& noſtrum. Nobiſcum es victurus,concedente Domino,reliquum vitæ. Ita ſufficiemus nos referre gratiam tibi,vt Fulginates,quos aliquando es dimiſſurus.Principia præſidatuum iucunda eſſe prouincialibus ſolent,omnibus arrident omnia. Anno vertente non ſolum ſatietatē accipiunt,ſed in beneficiis quoq; faſtidiunt. Odiſſe incipiunt, ac beneficiorum immemores,maledictis aperte exagitant.Sapiētiſſimus Pater Cardinalis Firmanus, qui VII.legationibus naturas hominum erat expertus,dicere ſolebat amicis, cum prorogationem officii in annum venientem petebant: Hactenus aſſecuti commendationem,& gratiam,quæritis nunc confuſionem, & odium. In longa adminiſtratione rarus apud hos eſt exitus bonus. Si Epiſcopus Caietanus præſidatum vnius anni tantum geſſiſſet (vt aliquando conſului) erat in cælo. Quia perſeuerauit triennium, ſortitus eſt fortunam,quam vides.Cicero quoque vir ciuilis,& ſapiens, in oratione pro L.Flacco ſortem totam regendi ſic exclamando pronunciat. *O miſeras conditiones adminiſtrandarum prouinciarum,& ciuitatum,in quibus diligentia plena ſimultatum eſt: negligentia vituperationum. Vbi ſeueritas periculoſa eſt,liberalitas ingrata. Sermo inſidioſus, aſſentatio pernitioſa. Frons omnium familiaris. Multorum animus iratus: iracundiæ tacitæ, blanditiæ apertæ. Venientes præſides expectant: deſerunt abeuntes.* Ad nos vero, Reuerēdiſſime pater,ſemper gratus redibis,ſemper manens, in honore habeberis. Eundemq; vltimis annis animum noſtrum inuenies,quem primis ſenſiſti. Bonitati, integritati, & clementiæ tuæ præſulem Caietanum rurſum commendo.Eſt vir humanus & doctus,& qui à te amari ſit dignus.Quod autem tua Dignatio eorum quos commendaui habituram ſe dicat in tempore rationem, gratias ago, & vt ita habeat menti plurimum deprecor.Pro nullo interceſſi,cum quo nō ſit mihi meritorum arcta cōiunctio. Abſtinebo ab eorum commendationibus ſemper,quos vel non ſatis agnoſcam, vel parum probauero.Nicolaum tuum,qui mihi admodum placuit, interrogaui de te diligenter.Omnia retulit,quæ audire de legatione optabā.Gratulor tibi,quod homo externus,mores noſtros nō vſquaquaq; expertus,ita grate in prouincia regas. Bona mēs, & docile ingenium omnib. ſe cum laude accōmodat. Placeat Deo,vt hęc vſq; in finē, tuo iudicio,& amicorum reſpondeant,ſicut certe confido. Dixit ſe ad Pontificem miſſum:& ſi audiri ſine difficultate non poſſet,venturum ad me,vt interceſſione mea audiretur.Obtuli omnibus horis,etiam noctu,cum ſibi placeret,iturum me ad Pontificem,

tificem,& procuraturum nõ intromiſſionem ſolum,ſed cuncta quę grata tibi agnoſcerem. Non rediit vltra,nec eum amplius vidi. Itaq; ſi nihil egi pro te,hanc ſcito cauſam fuiſſe,quod neſciui in quo eſſet præſtandum obſequium. Tu Reuerẽdiſſime Pater tuam valetudinem cum diligentia cura. Cum prouincialibus cautiſſime ambula, & Papienſ. filium ama,vt ſoles. Romæ die xv. Martii. M.CCCCLXV.

G. LOLLIO.

XCVIII.

CRedo ſic eſſe,vt dicis, Penellam Ildebrandini vna opera conſobrinam & pellicem, operatam veneno interitum Ludouici, qui vt ægerrime inceſtum patris ferebat,ſic minus illum tacebat. Hoc iudicatum eſt Romæ, hoc gentiles ſui Vrſini, cum ad verum loquuntur,hoc nõ diffitentur. Ex iis vnus ingenue addidit, ammonitum dudum Ildebrandinum periculi huius fuiſſe. Gentiles quoq;, & affinis idem putat,& prædicat. Vetus hæc induſtria eſt ad tollenda impedimenta ſceleſti concubitus. Sic iniurias ſuas libido muliebris vlciſcitur. Legiſti hiſtorias. Ex antiquitate talia multa potes repetere,& ex noſtratibus audiſti complura. Scitum eſt illud ſatyricum: *Nemo magis gaudet vindicta,quam femina.* Tempore ſcelus impium detegetur. In Euangelio Dominus: *Nihil occultum,quod non reueletur.* Serui vt taceant, iumenta loquentur,& canis,& poſtes,& marmora. Interim nec omiſſum quicquam eſt ad purgandum obiectum Senenſibus crimen,nec omittetur. Dixi de hac re multa multis in locis,nec deſinam dicere,quàm diu opus cognouero. Orator, qui ad excuſandum venit,nondum Pontificem adiit,nec me quoq;. In cauſa fuit Federici Aragonenſis aduentus,cuius honoribus ſunt dati ii dies. Perſoluentur omnia veritati,& patriæ. Scripſi vltimis litteris propter domum tuam,quæ petita à Pontifice fuerat, huc ſtatim redires. Refrixit cupiditas,& quantum video de alia cogitatur. Ideo ſi venire eſt graue, paſchalia cum vxore,& liberis æquo animo agito. Vigilabo,vt debeo, pro tuis omnibus rebus. Vale. Romæ. die XXVII. Martii. M.CCCCLXV.

ARCHIEPISCOPO SYPONTINO.

XCIX.

EXcuſationem taciturnitatis tuæ in eam partem accipio,quam ſcribis, & vis. Neque enim aliter opinari de eo poſſum, cui idem ſit pater, qui mihi, & fraternæ charitatis multa in me extent merita. Pro Vaſſanenſibus tuæ Dignationi habeo gratias. In clientelam ſe meam dederunt,acceptam iam dudum à Pio,cum in Cardinalatu ageret. Patrono vti ſe aiunt ſolitos,qui ædes,quas teneo inhabitet. Propterea impenſius eos tibi cõmendaui,& gratiſſima eſt tua in eos humanitas. Oro quantum per honorẽ præſidatus licebit, eos tuearis,& in eis demerẽdis ad me, nõ ad illos reſpicias. Quæ Niceno de litteris dixi,teſtor beneuolentiã noſtram,ſine ſtomacho,atq; vlla offenſione animi dixi,magis te pungere ad meum deſiderium quęrens,quàm accuſare. Nec Vaſſanenſes queſti mecum ſunt quicquã: neſcio quis hic Romæ curans eorum negotia,id retulit,& mentitus eſt,vt video. Deus linguã illam maledicã ſanet, vel perdat. Non expoſtulaſſem quicquam de te,vbi noceri tibi putaſſem. Cum communi patre,& magiſtro dici omnia ſine periculo poſſe credidi. De me anxius quæſo ne ſis. Amo te,cariſſime Præſul. Tribuo ingenio,& litteris tuis ſumma omnia. Memor quoque ſum operum tuorum,& ſuffragii tui ad Cardinalatum meum etiam ex Germania vſq;. Nam quod de domeſtico illo meo innuis: & rogas, vt non permittam tuam ab eo innocentiam lacerari,iterum teſtor Sypontine, hac lege ab initio domi à me acceptum,vt nil de te,nil de patre noſtro ſiniſtrum loqueretur. Edixi aperte doliturum id mihi intime,nec placituram ſuam communicationem,vbi non coleret,reuereretur q;,quos ego obſeruarem. Vſq; in pręſentem nil audio illum obloquutum. Tua Dignatio,ſi quid diuerſum accepit,ſignificet mihi. Oſtendam non placere detractorem domeſticum. Vt ſcias amplius, nolui prius illum admittere, quàm aſſentiretur pater,& cum grauari ab initio videretur, bono animo dixi eſſet, quia vagans tunc huc atq; illuc,& fortaſſe lamentans, vbi mecum eſſet, lamẽtari deſineret. In hoc verbo acquieuit. Si credis me pluris illũ quàm Nicenum,& quàm te ęſtimare,erras vehe-

menter. Meo Niceno, meo Sypontino, nil mihi carius, atq; æſtimabilius. Noſtri quoque de te iudicii iudicia quædam ſedente Pio potuiſti intelligere. Omnia non potui vt volui. Quod potui, certe volui. Bene vale. Romæ.

FRANCISCVS CASTILIONVS SACERDOS FLORENtinus Cardinali Papienſi.

C.

PRotulit, vt noſti, Reuerendiſſime Pater, diuerſis ætatibus egregios Hiſpania viros, quorum alii ſtudiis literarum, multaq; facundia, alii vehementi in noſtra religione ſpiritu, ſingularique pietate claruerunt. Quid habet Ecclesia melius, quam Laurentii martyrium? Edidit ipſa quoque felici fecunda partu his nouiſſimis temporibus magnum ſane virum Vincentium. Cuius cum nuper egregia facta nullo digeſta ordine perlegiſſem. Vt enim diuerſi ab Eccleſia vocati ex Hiſpania teſtes aduenerunt: ſic ſparſim diſpoſita in proceſſibus curię reperi. Decreui illa, quod te dudum à me in re ſimili fieri poſtulaſti, vt ſuum narrationis ordinem ſortiantur, quàm breuiſſima licebit oratione perſtringere. Cumq; nil habeat præclarius hiſtoria, quàm veritatem rei geſtæ, quę vis eius, & quædam velut anima dici poteſt: exiſtimaui hãc breuem de hoc viro enarrationem tum ex rerum geſtarum magnitudine, tum vel ex ipſa certiſſima veritatis aſſertione, lectori, ſi ſe ipſum quicquid poſſit fides noſtra metiri voluerit, fore non ingratã. Quid enim certius habere poſſumus, quàm quod apud Eccleſiam Ro. quod apud Summum Pont. Calliſtum Tertium, noſtris, vt plane noſti, temporibus multorum grauiſſimorum virorum teſtimonio eſt approbatum? Nõnihil etiam me mouit ea pietatis ratio, quam illi religionis ordini debeo, qui magnorũ virorum propagatione admodum clarus effectus, in Sanctiſſimo nuper Archiepiſcopo noſtro Antonio illuſtris apparuit. Nomina autẽ locorum ac prouinciarum, vt vulgo noſtris temporibus appellãtur, ſicut plurimum poſui, quo facile lectori inoffenſo pede percurrendæ narrationis facultas præbeatur. Lege igitur hęc noſtra, quæ haud nimium accurate. Sed quæ nobis ludimus commentaria: & quid de illis ſentias, reſcribe, vt intelligamus, quod in poſterum nobis hoc ſcribendi genus proſequendum cenſeas. Vale.

B. CARDINALI NICENO.

C I.

ABiiſti pater incompellato filio. Voluiſſem tecum loqui ante diſceſſum: offerre quæ poteram, hortari ad curam lauandi. Perſoluere deniq; quod Domino debet ſeruus. Hæc ſi momenti tibi ſint parui, mihi tamen erant cõſolationi non paruæ. quod nõ potui præſens, ago abſens. Nicene pater fortunet tibi Deus lauationẽ tuam, concedat vt ad nos redeas valens: vt calculus, quo male torqueris in puluerem eat. ſic deniq; reſurgas, vt optat Papienſis tuus. Porro hic ſum. Si quid ex me eſſe tibi gratum poteſt, tuum eſt totũ. Laborare nõ deſinã pro mandatis patris. Manda, & impone quod vis. Nil graue erit onus à te cupienti. Ridebis hominem nihil potentẽ, offerre, tanquã ſi poſſet Rideo & ego, quod offero. Sed tamẽ ſi impetrando nõ poſſum, commemorãdo tuis interceſſoribus, præſertim Abbati: aliquid potero. quod certe ne negligas. Scis enim quanta eſſe ſoleat de abſentibus obliuio. Pro mortuis apud nos ſunt. Bene vale, & cum potes manus tua me conſoletur. Sypontino noſtro, quem de Vaſanenſibus pupugiſti, quæſo has, quæ cum tuis erunt, iubeas reddi. Romæ.

DONATO ACCIAIOLO.

C I I.

LIcet Falco noſter reuerſus nondum ad nos ſit, tamen habens oportunitatẽ Chryſi ad vos redeuntis, reſpondendum duxi litteris tuis, in quibus plus operæ adhiberi aliquando vellem à te, ne bene ſciens ſcribere, & negligentius ſcribens, operã tu perdas, & ego minus quàm vellem, lætarer. Si imperioſe loquor, ex veteri magiſterio hoc imperium eſt. Pro cõmentariis beati Thomæ egi tibi nuper gratias per litteras à ſecretario ſcriptas. Ago tibi nunc per præſentes dictatas à me, vt magis intelligas quã fuerit is labor acceptus. Pecuniam curaui per Menſarios ſolui, & ſolutam tibi iam arbitror.

bitror. De reliquis eius libris non eſt quod amplius quæras, præter ſpem meam omnes hic ſunt inuenti. De tractatibus Senecæ, non dedi mandata circumſcripta, quæ retulit Falco. Si enim vnum omnium volumen haberi non poterat, non propterea diuerſa volumina non quæri volebam. Verum quia vnum tantum videram aliquando, ammonui vnum quæreretur, ſi eſſet alicubi: ſed hoc non multum attendo. Ex vno enim an ex pluribus voluminibus eiuſdẽ ſcriptoris pateтur doctrina, nihil refert intendenti doctrinæ, non pompæ. Cõmoditas tamen in vno volumine maior, non ad diſcendum, ſed ad tractandum. Quomodocunq; ergo eſt illa inuenire, dummodo emendati codices ſint, & ſcripturæ apertæ, vide vt habeam. Precium pro vitis Plutarchi, quanquam grande eſt, inopem Cardinalem non terret. Terrent magis traductiones ipſę, ne barbarę ſint, & confuſæ. Eiuſdem vitæ diuerſos aliquando vidi traductores, alium alio vel minus malum, vel meliorem. Antonius Tudertinus, quem noſti, ita inepte plures traduxit, vt nullas legere præſtet quam illas. Similes huic nominare alios poſſum. Ex bonis Græcis (vt eſt apud Comicum) fecerunt Latinas nõ bonas. Leonardi Aretini placent. Franciſci Barbari etiam placent. Tuæ licet duæ, ſumme probantur à me. Itaq; voluminibus accitis, in quibus παράλληλα viginti quatuor contineri ſignificas, inſpice titulos ſingularum, & traductores ſimul cum precio certo mitte ad me, vt ſciam quid inde agendum. De viris illuſtribus nullum à me Falco mandatum accepit. Maioribus mandatis intentus, non bene affixit cordi minora amici. Dixi de remediis vtriuſq; fortunæ Franciſci Petrarchæ: non de viris illuſtribus. Opus meo iudicio plenum ingenii, & frugis etiam bonæ. De hoc quoq; curam aſſume, & vale. Nõ eſt neceſſe teſtimonium facias diligentiæ illius in curanda re, pro qua miſſus eſt ad vos. Expertus hominem annis prope xv. ſum. Nihil eo ſolertius, nihil dextrius, nihil ad omnia etiam difficilia ingenioſius. Lingua quantum valeat, iſthic potuiſtis ſentire. Animo quidem meo nihil habet Curia noſtra, cum vndiq; circumſpicio, illo iuuene lætius. Pontifex quoq; vim eius intelligens, delegit induſtriam ſuam ad opus cordi intimo hærens. quod tamen operoſum valde à ſe æſtimatum, vos modeſtia veſtra, vt filii lucis, non tenebrarum, leue feciſtis. Retineto tibi beneuolentiam eius, ipſumq; aſſiduo cole. Ex iis eſt quem vaticinio meo in magnum virum euaſurum prænunciem. Bene vale. Romæ IV. Maii. MCCCCLXV.

CARDINALI NICENO.

CIII.

Abbatem dicebant Cardinalem S. Angeli per iocum: vt etiam Ianni Cardinalem Rothomagenſ.

EST, Reuerendiſſime pater, quod non tantum debeam dolere tacito tuo diſceſſu: credebam me ex omnibus tuis neglectum eſſe. Ecce pater Abbas inprimis neglectus eſt, quem negligi non oportebat. Quod ergo in tanto patre eſt prætermiſſum, inopi filio moleſtum eſſe non debet, in ſe prætermiſſum videri. Vt enim amborum eſt longe diſpar conditio: ita quã minimam eſſe triſtitiã meam cõuenit. Excuſaui tuum, quoad potui, ſine benedictione diſceſſum, ac quantum doleres adiunxi. Admonui quoq; myſterium notaret verbi huius ſcilicet: doleo vere SS. quando ego illud interpretari non poſſem. Nihil deniq; prætermiſi eorum, quę imperaſti. Elicere reſpõſum vllum non potui: ore tantum compreſſo, & vultu eleuato, vt ſolet, præclara quædam videbatur concipere, quæ ad te eſſet ſcripturus. Pridie tamen eius diei, cum miſiſſem ad eum litteras tuas, codicillos miſit ad me, quorum tuæ Dignationi mitto exemplũ, plus illis, quàm verbo de vtroq; noſtrum locutus. Videbis extare Socratem temporis noſtri ridentem ſtudia hominum, & exagitãtem, quæ ipſe non probet. Credo literas eius accipies, codicillis non multum abſimiles. Diuerſo ſenſu, Reuerendiſſime Pater, verba mea es interpretatus, atq; ego ſcripſerim illa. Cum dixi, optaſſe me ante diſceſſum viſere tuam Dignationem, & hortari ad curam lauandi, non hæc ſenſi, voluiſſe me modum lauandi tibi præſcribere, cuius ſum penitus neſcius, ſed ea tantum referre, quæ charitas noſtra, & collegii ſocietas habet communia. Videlicet, Nicene pater, vtere ſapientia tua, Medicos audi, animum gere vacuum curis, vrbana negotia obliuioni da penitus. Illa te ante tempus non reuocent. Poſt lauationem quieſce Viterbii, aut vbi eſſe iucundius potes, & ſimilia iis: quæ etſi notiora eſſent tibi, quàm mihi: rememorare tamen in deſiderio erat. Itaq; cohortẽ Medicorum, ad quorum

me commentarios mittis,conuerte ad Valerium noſtrum.Mecum eſſe non poſſunt, non ſolum propter ingenii inopiam:ſed quia tu ante lauandi finem feciſſes, quam ego præcepta colligendi,quæ imperas.Opinio refectionis crebræ ex Cornelio ſumpta,mihi tecum pariter placet,non eam ob cauſam modo, ne ex longo interuallo langueſcat ſtomachus,ſed magis,vt frequenter refecti,frequenter hilares ſimus. Gallia tota probat hoc,item & Germania tota, in qua diu verſatus celebrari ſine libris ſententiam hanc cognouiſti.Ideo autem breues, & macilenti, & ſemper triſtes ſumus,quia tot horas in die ieiuni locum interim continuis curis damus. Illi vero & grandes & pleni,& bonis omnibus læti,quia de ſola Celſi ſententia ſolliciti ſunt. Ludens prætèrea,vt ſoles,multum me poſſe hic ſcribis,& te nihil.Id ego, Nicene pater, quantum hic poſſum,vt ſileam cætera,Chryſogonianæ ædes ſint tibi indicio. In his inſtaurandis Pii mei,& tuum beneficium conſeruare non potui. Incalui (vt vidiſti) ſudaui,& nihil prętermiſi.Omnia vero mouens, vix tollere dimidium expectati eualui.Eſt Domine mi,quod antea ſcripſi, admonendo Abbati ſufficio, ad cætera ſum miniſter inutilis.Vos magni viri & celſi,qui præſidetis collegio,& primi ſententiam dicitis,gratiam omnem tuliſtis,quę alioquin impetienda erat nobis plebeis, & vltimis.Sypontinus præſul abunde filio ſatisfecit.Plus pene clientulis meis Vaſſanenſibus præſtitit,quam ego expeterem.Egi ſibi nomine meo gratias,ac beneuolentiæ ſuę debitorem me ſtatui.Charitatem antiquam,& memoriam noſtræ coniunctionis retinere illum intelligo.Faxit omnipotens Deus, vt remetiri ſibi beneficium poſſim.

Detallenus. Ceſenas hic fuit:non Volaterranus.

Riſi inſcriptionem litterarum meatum,à te,& Sypontino admonitus. Tuæ illi, illius tibi,erant à tergo inſcriptæ.Errore ſecretarii factum id eſt, nō vlla induſtria. Euenit aliquando vt epiſtolis obſignatis,per incuriam eo modo erremus. Nihil tamen vel tuæ,vel illius continebant,quod non cupiam ab vtroque inſpectum. Res noſtræ vrbanę eo in ſtatu ſunt,quo eas abiens dimiſiſti. Duo tantummodo, atq; ea exigua, cauſam loquendi Curiæ ocioſę his diebus dederunt: Fuga Fratrum Scaramporum, qui retracti ex itinere ſunt,& Iacobi Ptolomei infœlix conatus, qui & ipſe omnibus ad fugam comparatis,indicio Ianitoris detectus eſt, parum animi ad exequendum conductum habentis.Molem Adriani eripere cuſtodi non voluit, vt vulgatum eſt à nonnullis.Solam libertatem ſuam in opinione diuturni carceris ſtuduit operari. In hos nihil adhuc decretum eſt durius. Tantummodo arctius aſſeruari ſunt iuſſi. Pontifex valet.Fratres tui etiam valent. Cardinalis Sanctæ Priſcę ad titulum ſancti Laurentii in Damaſo eſt translatus. Æger & vix animam trahens, duos potentes, & gratioſos in petitione hac vicit. Auditi nudius tertius ſunt Oratores Hiſpani: obedientiam pro more obtulerunt. Ea nullas conditiones,petitioneſve habuit. Hortati tantum Pontificem ſunt,ad continuandam fidei cauſam.Præſul Legionenſis, quē noſti,verba fecit. Bene vale digniſſime Pater, & de ſucceſſu valetudinis tuæ dignare aliquid filio ſcribere. Romæ VIII. Maii M.CCCCLXV.

Legionenſis, qui poſtea fuit Concenſis,& Cardinalis.

ARCHIEPISCOPO SYPONTINO.

CIV.

Nonus erat in familia Papienſi Detallenus Ceſenas poſt paulo obiit.

NEgligentia ſecretarii,& nouitas officii huius errorem fecerunt, quem in inſcriptionibus litterarum fuiſſe ſignificas.Nihil affectatum hic eſt, nihil de induſtria certatum.Fortuita omnis ea transpoſitio fuit.Increpui illum vehementer, & inſcitiæ ſuę epiſtolam tuam teſtem oſtendi.Erit poſthac accuratior, neque antequam inſcribat,ſignabit.quę ego ad te ſcripſi,omnia vero animo ſcripta eſſe exiſtima. Os meum cum mente concordat. Amemus nos inter nos,vt antea egimus,nec diligendi,& promerendi oportunitatem vllam prætermittamus. Futurum ſpero, Deo ita volente, vt mutua noſtra officia ambos pariter conſolentur. Vaſſanenſes meos tuę Dignationi amplius non commendo,quia omni benignitate eos proſequeris.Tuis faues,cum meis faues.nullos etenim meos volo,qui pariter tui non ſint. Detractorem domeſticum,quem apertius indicaſti,ita corripui,vt mecum ſe nō futurum intelligeret,ſi vel quid minimum fuerit poſthac oblocutus. De quibus ego ſentio bene, & honorifice prædico,male ſentiri à meis,& dici pati non poſſum. Bono animo ſis, amantiſſime frater. Nihil hinc tibi poſthac eſt ſuſpicandum. Bene vale, & communi Patri noſtro Niceno me commenda Ro. Die VIII. Maii. M.CCCCLXV.

G. LOL-

G. LOLLIO.

CV.

ACuleo verborum tuorum excitaſti hominem dormientem, & immemorē quoque charitatis acceptę, memorem feciſti libertate epiſtolę. Frigebat antea totus, & tardabat, & curam nullam videbatur deſiderii communis ſuſcipere. Ad primam lectionem incaluit, multa facturum ſe repromittens. Iuſſit chirographum locationis ad ſe ſtatim afferri, deleturus inde, quę tibi non placent. Ad me quoque epiſtolam inſpiciendam tranſmiſit. Coram poſtmodum multa excuſauit. Pręceptorem ſancti Spiritus ſuę nimium ſententię eſſe, parum ſibi, quanquam amico, hac in re credere. Scire Deum nihil à ſe prætermiſſum, in quo facere ſatis poſſet, & quędam huiuſmodi, quæ ego ad ſtimulos geminandos, reſpondi parum credi. Pollicitus eſt tandem facturum quę voles, & mollíturum omni arte duritiem recuſantis. Iudicio meo ita locutus eſt, vt facile credam fructum, qui mitibus non fuit, durioribus litteris tuis futurum. Excuſaui poſt hac recuſationem, quam facis petitionis ſuę implendæ, docens quo in loco tuę res ſint, & quanta induſtria tibi inter tuos viuendum. Longior de iis ſermo fuit: Ille tamen exitus: agnoſci à ſe tuam neceſſitatem, & tibi ignoſcere, ſi vt Romæ ſolebas, Scnę quoque mandatum eius non imples. In hoc itaque quieto animo ſis, quoniam deſiderio tuo abunde eſt ſatisfactum. Quæ pręd icari iſthic à noſtro Thomaſio de me memoras, maius habent teſtimonium ſui in me animi, quàm mei in eum beneficii. Retributionem gratię, gratiam putat. Satisfacere illi forſitan potui, mihi vero ſentientionus beneficiorum Pii, & Senenſium, non ſatisfeci. Deo tamen teſte, conor in talibus ſemper quę poſſum, & cum non poſſum, quantum ſat eſt, mirifice triſtor. Gratias tamen Deo agens, quod ſi poteſtate gratiæ me priuat, gratificandi mente non priuat. Rationem vitę, quam cœpiſſe te ſcribis, laudo vehementer. quamdiu eam tenebis, ſine mœrore viues, & anxietate. Implicari negotiis, & ſtudio plebeiæ laudis, nunc clypeo, nunc gladio armatum ſtare in acie, peſſundant corpus, & animam. Vita noſtra, mi Lolli, vapori conſimilis eſt, deſitura cito. Sapientis eſt cū patriæ impenderis, quod debes, reliquum tibi ſeruare. Vide tamen ne vt incautis nautis accidere ſolet, æſtus aliquis te non ſentientem ex portu in altum arripiat. Nauigandum enim tunc eſſet inuito. Pro tuis in matrem, & Chriſtophorum officiis gratias habeo. Illa te alterum filium: Ille alterum patruum habet. Ambos fidei tuę commendo. Franciſcæ coniugi ſalutem meo nomine dices. Deus ei pręſentem lauationem, & liberos omnes, & totam domum vna tecum fortunet. Pium quoque filium ex me oſculo, ſi potes, excipito. Bene Vale. Romę Die VIII. Maij M.CCCCLXV.

DONATVS ACCIAIOLVS CARDINALI Papienſi.

CVI.

MIrari non debet Reuerendiſſima Dominatio Tua, ſi epiſtolę, quas à me nuper accepit, minus tibi ornatæ, minuſque elegantes videntur, quam aliis temporibus videri ſolitæ ſint aliæ ſcriptiones meæ. Ego enim cum ex tuis litteris percepiſſem, te ad ſacrarum litterarum ſtudia toto animo eſſe conuerſum, iamque commentariis Beati Thomæ aſſiduam operam dare, facile mihi perſuaſi Dominationē tuam, poſthabita verborum copia, elegantiaque neglecta, rerum ſolum rationem habere, earū cognitionem expetere, maiora intueri, minora negligere. Hac igitur opinione imbutus, negligentius familiariuſque fortaſſe, quam decuit, anteactis diebus meas litteras ſcripſi. Scio tamen me non omnino mei, nec eius facultatis eſſe oblitum, quæ me iam inde à pueritia ſub egregia doctrina tua, ingeniumque meum, quodcunque ſit, vehementer exercuit. Scio enim ſummi Philoſophi ſententia, non virum fortem ſtatim eſſe dicendum, qui aliquod ediderit fortitudinis opus, ſed eum, qui magno vſu multo tempore ſit habitum conſecutus, itaque affectus, vt obiecta ſibi materie, facile poſſit, cum velit, fortis viri munus officiumque præſtare. Eadem ratione eum ſtatuo eſſe dicertum, non qui eleganter aliquando ſcribit, aut dicit, ſed qui poteſt, cum velit, ſatis

Zz

acute, atque dilucide, ex communi quadam opinione hominum dicere. quod ſi interdum à ſua dignitate, elegantiaque diſceſſerit, ignoſcendum errori eſſe videtur, nō culpę: quia quandoque bonus dormitat Homerus. & noluit hodie agere Roſcius, aut crudior fuit. Illud autem fatendum eſt quod negari non poteſt, peruerſe ſcribere homines, peruerſe ſcribendo facillime conſequi. Quare hoc me admoneri, non ſolum æquo animo patior, ſed etiam lętor, tibique monenti ingentes gratias ago. De tribus voluminibus Plutarchi, in quibus [illegible] viginti quatuor continentur, titulos ſumpſi, vt mones, & traductores ſingularum notulamq; confeci, quam his litteris incluſam ad te mitto. Precium minus LXXX. aureis eſſe non poteſt. Iamq; horum librorum Dominus animo conſtituiſſe videtur, vt vel tria volumina ſimul emantur, vel nullū. Ex tractatibus Senecę iam epiſtolas inuenimus, pro quibus XVI. aut ſaltem XV. petuntur aurei. Has diligentius me videre oportet. Alios item, ſi fieri poteſt, reperire tractatus, quærereque pręterea de remediis vtriuſque fortunę egregium Petrarchæ opus, tibique, vt video, vehementer acceptum. Vale. Ego me tuæ Reuerendiſſime D. etiam atque etiam commendo. Florentiæ XI. Maij M.CCCCLXV.

DONATO ACCIAIOLO.

CVII.

REuerſus ad te, vnde per negligentiam ante diſceſſeras, epiſtolam tandem miſiſti, dignam ingenio tuo, & prioribus ſcriptis, & continuo ſtudio, quo ſcribendi laudem es conſectatus. Sciebam eſſe tibi lautam hanc ſupellectilem, & mirabar non adhiberi, & celari cum damno, quod proferri cum fructu facile poterat. Semitam hanc orationis tene continuo, vt recta incedens maturius quo tendis peruenias, neq; illud attendas, quod ego litteris ſacris intentus, minus iam ornamenta verborum ſequitā. Nam & ab adoleſcentia Latine imbutus, barbare audire non poſſum: at tu, ſi barbarus ego eſſem, erroris noſtri imitator eſſe non debes. Ad doctorum ſemper, non ad vulgi iudicium componi nos conuenit. Si commentarios beati Thomę parum diſertos exiſtimas, erras vehementer. Facundi in eo genere ſunt, & aperti, atque in minutis diſputationibus ſuum ſplendorem habentes. Inter eccleſiaſticos noſtri temporis ſcriptores, multū hic ſe a ſordibus vendicat. Bonos imitatur, & à probatis nunquā diſcedit. Non ſunt illi flammę orationis, quæ Ciceroni. Sed nec Ariſtoteli vis quoq; eſt ea, quam in Demoſthene legimus. Quiſq; tamen in ſuo inſtituto probandus. Ideo vero minor in his copia, quod a ſtrepitu forenſi alieni, erudire ſcholam, non calefacere cōtentionem contendunt. Itaque ſi Aquinati meo operam do, non propterea eloquentes dimitto. Referuntur hic multa ex Hieronymo, & Auguſtino, ex Nazanzeno, & Chryſoſtomo, & ex cæteris, quos probauit antiquitas, vt nunquam à diſertis, & grauibus ſententiis lectio ceſſet. Intelligo quid in Plutarchi voluminibus egeris. Grata eſt plurimum tua omnis in his diligentia. Legi nomina ſingulorū, qui vitas ab illo editas traduxerunt. Præter eum, quem ſcripſi, commēdo cęteros. Noſter tamen Guarinus, & qui prior laborem hunc nouit, Iacobus Angeli in ſuis traductionibus duri, ac, ſi homini indocto ferre iudicium licet, etiam parum limati. Vide adhuc quæſo, an abeſſe aliquid de precio poſſit, & an codices ſint emendati: & quę ſit, ac quantum continuata ſcriptura. Idem fieri de cæteris volo, quos poſtulaui. Dabis amico veniam, ſi in his emendis eſt anxius, ac nimium, quod placeat, quærit. Tormentum eſt in libros incidere, qui vel corrupti ſint, vel barbare ſcripti. *Nullos* (inquit Seneca) *habere codices præſtat quàm inemendatos.* De omnibus ad me rurſum reſcribito, & te labor non grauet. Vale. Die XXV. Maij M.CCCCLXV.

Commentarii B. Thomæ commendantur.

LAVRENTIO DE GVIDETIS.

CVIII.

EX literis tuis auſcultare te video monitis noſtris: ſtudium etenim cōtinuum probant, & aſſiduam exercitationem ingenii. Grauiter ſcribis, & bonorum verborū habes delectum. Si perſeueraueris, vt puto & conſulo, adiumēta erunt tibi, vnde ſemper domi, & foris aſcendere ad honores poſſis, & ad commoda vitæ. Dignitas patriæ & ſplendor familiæ adiuuant multū. Magis doctrina, & virtus, quas ideo in adoleſcētia cole, vt fructum feras vir, & ſenex. Bene operanti manu noſtra non deerit. Vale. Romæ die XXV. Maij M.CCCCLXV.

ARCHIE-

ARCHIEPISCOPO SYPONTINO.

CIX.

QVæſo te per amicitiam noſtram Sypontine, vt ea voluptas, quæ ceſſanti à publicis, & à libris mihi eſt ſumma, opera tua huc redeat. Conficienda de improuiſo eſt res. Si enim gregarius ille quæri canem præſenſerit, vel abdet alicubi, vel alio ablegabit. Adhibenda etiam vis eſt, ſi abiuraret hoc furtum, quod hic certis eſt teſtibus comprobatum. Ex caris obſequiis hoc eſt quod impendere Sypontinus Antiſtes ſuo Papienſi poteſt. Bene Vale.

LATINO CADINALI VRSINO.

CX.

SImon, & Bartholomæus, qui viuente Pio mecum fuerunt, nunc defuncto, ad Dominationem Veſtram ſunt reuerſi, non reueniſſent ſine litteris meis, & ſine honore, ſi in diſceſſu mecum eſſent locuti. Tuliſſent quoque indicia mei in ſe animi. Inopinatus eorum abitus occaſionem abſtulit mihi declarandæ gratitudinis Veſtrę Reuerendiſſimæ D. à qua illos acceperam. Aſſerentes quindecim adhuc dies Romę futuros, poſtridie abierunt. Non dimiſi ego eos: Ipſi vltro miſſionem à me petierunt, quam conceſſi, quia ad domum veterem, & ad Dominum meum redibant. Si quærit dignatio tua, quale eorum ſeruitium fuerit, fidele certe, & diligens, & plenũ charitate. ſi poſtulat quo animo in eos ſim, perfecto Reuerendiſſime pater. Dilexi enim eos vt fratres, & habui domi in honore pręcipuo. Simoni cum voluit, adminiſtrationem domeſticã credidi: Bartholomæo vero me ipſum. Patuerunt illi vt mihi intima mea. Nihil poſſedi, quod non melius noſſet ipſe quam ego. cuſtos omnium fuit. Cubiculũ, & arcanum ſolus ex domeſticis omnibus, me volente, poſſedit. Remunerari eos pro meritis ſæpiſſime volui. Raro fuit facultas. Pecuniam multam dare nõ potui. Egeo enim ipſe plurimum. ſed ſi qui ex familia liberalitatẽ pauperis Cardinalis ſenſerunt, ipſi certe [illegible]imis experti ſunt. Partitus ſum libenter inopiam meam neceſſitati amborum, & nudos agere illos paſſus non ſum. Si plus habuiſſem, plus impendiſſem: ſed experta aliquando Dignatio tua neceſſitatem domeſticam, ſcit quam male reſpondere deſideriis noſtrorum poſſimus. Commendo dignationi tuæ vtrunque, non vt famulos, ſed vt fratres benigne illos accipiat, & quod ipſe non potui, pro me vtrique retribuat. Meretur eorum virtus, atque induſtria pietatem, & gratiam. Ego quod omni tempore potero, illorum fidei non grauabor perſoluere. Commendo me Reuerendiſſimæ D. Tuæ. Romæ Die xxv. Maij M.CCCC.LXV.

CARDINALI CONSTANTIENSI.

CXI.

NEmo tuam Dignationem vincere beneficentia poteſt. Quanto & doctior, & quanto in omni genere virtutis præſtantior, tanto es humanior. videri vis & benignior. Intelligo ex litteris, quas ex itinere ad me ſcribis, quam ſæpe domum ſerui acceſſeris, vt illum viſeres ante diſceſſum, & quam contriſtatus ſis, quod eum videre non potuiſti. Benignitatis tuæ officia hæc ſunt. Niſi ingenio liberali eſſes, & bene inſtituto, prodire ex te ea pietas non poſſet. Bonus homo (inquit Saluator) ex bono theſauro cordis profert ea quæ bona ſunt. Habeo manſuetudini tuæ gratias multas. Debitorem me tibi confiteor, & Deum precor vt non ſolum retribuat ipſe pro me, ſed te mihi patrem conſeruet. Si viſere me non potuiſti, tota hæc eſt culpa negligentiæ meæ. Debebam ipſe prior, quod tu ſępe tentaſti, & domum tuam venire, non meę te expectare. Non feci, & peccaui, & veniam precor errato. Ante tu Cardinalis, quam ego in ſacris, & ante magnus, ac celebris, quàm ego inciperem. Maiorem omnino reuereri fas erat. ſed ſequentibus officiis reſarcire præteritam negligentiam ſatagam. Petis, vt benedicam tibi abſenti, quando præſenti nõ potui. Benedicere filius patri nõ debet. Peruerſio eſſet ordinis, atque obſeruantiæ, ætatis, & ſapientiæ: & meritorũ eſt benedicendi religio, quibus tu omnibus longe es ſuperior. Sed precor benedicat tibi

de cœlo Deus, & creſcere te faciat in omni opere bono, & confirmet cõſilium tuum, detque vt ſecunda æſtimatione omnium, bene geſta legatione ad nos redeas. Flagitas quoque vt conſulam, quid tibi inter prouinciales tuos putem tenendum. Vereor ne ſimplicitatem ſuperioris epiſtolæ ridens, ſubdideris per iocum particulam hanc, quaſi ignarus, parti expertiſſimo, viuendi præcepta porrexerim. Fateor, nimium audax fui. Sed quid agas, vbi charitas imperioſa hoc voluit? Suggerere tanto viro quid agat, & ad prudentiam illum inſtruere, nil eſt aliud, quam adiuuare facibus Solem, & ligna prouerbio veteri, portare in ſiluam. Recognoſco ineptias meas, & culpę indulgentiam peto. Fides errauit: non arrogantia. Quia pater de me benemeritus, in ignotam prouinciam ibat, & quia legationem nouam ſuſceperat, & mores noſtrorum non ita, vt ſuorum callebat, & euenire illi ad deſiderium omnia cupiebam, prǽſumpſi oſtendere quid cauendum à noſtratibus eſſet, non ſapientiam vllam: ſed pluſculum neſcio quid experimenti ſecutus. Verum Dignationi tuæ, quæ etiam in ignotiſſimis docile ingenium habet, deliramentis huiuſmodi opus non erat. Ideo ſi in hoc petitionem tuam non impleo, ſcito me non imperium fugere, ſed occaſionem de me vltra ridendi. Habes tu multa, quibus ſine vllo adiumento ſuperare detractiones prouincialium poſſi. Et illud imprimis, quod iuſte viuis, & munde. ſic autem viuens, cõtemnere audenter linguam maledicentem potes: & cum Propheta concinere: *Inſurgentibus in me malignantibus audiet auris mea. Iuſtus vt palma florebit, & ſicut Cedrus Libani multiplicabitur.* Ego à te peto, Reuerendiſſime Pater, vt me ames, in tuiſque habeas: quia à me toto ſpiritu meo amaris. Nullæ ſordes, nulla inquinamenta auaritiæ coniunxerunt me tibi. Sola virtus tuum me fecit. Es doctus, es integer, & humanus, & qui digne ſedeas ad conſilium Romanæ Eccleſiæ. His radicibus hæret noſtra in te charitas, quibus manentibus, diligere nullo tempore deſinam. Commendo D. Tuę Petrum Falconenſem, & Ioannem Baptiſtam Interamnenſem, quos ab initio profectionis tuæ, in prouinciam, impenſe commendaui per litteras. Teſtatus vtrique ſum me tibi cariſſimum eſſe. Mentitum me dicent, niſi humanitas tua aliquo beneficio hoc præſtet. Cognoſce eos quęſo, & pro Papienſi tuo vtrique benignum te præbe. Vale. Romæ.

CARDINALI VRSINO.

CXII.

Rediit in præſentiarum ad eccleſiam ſuam reuerendus pater Præſul Auximatum, curator familiæ meæ. Reditus ſui cauſa ſunt neceſſitates quędam domeſticę & peſtis, vrbem perurgens. Habet in ciuitate nonnullos eius commodis parum amicos. Contra hos precor ſuffragium Dignationis tuæ ſubueniat: ſicut in hanc diem ſubuenit. Mihi enim præſtabit, quod illi impendet. Contingere quoque alia in prouincia poſſent, in quibus Legati auctoritas eſſet petenda. Commendo eum quoque in hoc. Vir enim bonus eſt, & ingenium habet, & in multis vtiliter mihi eſt obſecutus. Opera quoque mea temporibus Pii Auximatem eccleſiam, competentibus multis, obtinuit. Diligo eum propter antiquam eius in me charitatem: ſed propter nonnulla in ſe dilectionis officia, quibus coniuncti adinuicem ſumus. Bonitas tua, quæ reliquias Pii noſtri protexit, & me ſemper eſt conſolata, ita dignabitur accipere hominem, vt ex hoc quoque amplius ſe debitorem mihi intelligat. Ego vero quod alias teſtatus ſum, ero ſemper cultor verus, ac prædicator nominis tui. Cui me & meos omnes commendo. Romæ Die XII. Iunii M.CCCCLXV.

G. LOLLIO.

CXIII.

Litteras Auinionenſis noſtri ad te mitto. Addidi & meas, ad Generalem tantum: ne iſthuc ſcribens in ſuſpicionem venirem propter me, non propter te ſcribi. libens ſua Dignatio eas conceſſit. Addidit ridens: Non tua, ſed compatris cauſa, ei inſeruio. Gratias agito ſibi, eiuſque amorem tibi conſerua. hominis eſt, non fortunæ ami-

nę amicus. Ex omnibus mei ordinis fratribus,quibus obſecutus ſum temporibus lætis,gratum in aduerſis hunc repperi. Natura eſt bonus. Benefaciendi conſuetudo naturę beneficium auxit. Peſtis hic quotidie nimium ſæuit. Iam totam ciuitatem apprehendit,nulli ætati, ac ſexui parcens. Parateram mihi Tyburtinum ſeceſſum: ſed hunc quoque locum infecit,propter vicinum commercium. Non habens, quo me cum familia vertam, Pientiam peto. Cum me illic eſſe intelliges,quæſo affines meos, atque amicos admoneas, ne ante xx. diem viſum me veniant. Tu quoque id ſerua. Nollem, ſi quid infecti mecum apporto,in caros meos id deriuari. Purgatis corporibus ad vos proficiſcar, reliquumque æſtatis agam vobiſcum. Curato ne quis ædes Diui Martini mihi præripiat, & tu ſpatia fontium, quos intra vrbem vineamque habes,purgari iam facito. Cœnare his in locis nos crebro oportet. Bene Vale, & matri aduentum meum communica. Romæ Die xviii. Iunij M.CCCCLXV.

CARDINALI CONSTANTIEN.

CXIV.

PRoſecutus ſum ſingulari beneuolentia Cardinalem ſanctę Suſannæ, quamdiu vixit. Eadem illo defuncto, in ſuos eſt deriuata. Amo familiam illam ex animo. Sunt fratres germani tres, nepotes complures. Omnes teſtimonii boni,& inter oppidanos ſuos non vltimi. Maior natu Thomas equeſtris ordinis,impetratione mea arcis Tyburtinę eſt cuſtos, & in illa ciuitate ſumme diligitur. Saxoferratum nunc prouinciæ tuę eſt factum. Poteſt multa auctoritas tua ad illorum æſtimationem,vel augendam, vel conſeruandam. Commendo eos bonitati,& clementię tuæ. Cum benefacies illis, benefacies generi Eccleſiæ dedito. His enim fautoribus deiecta ex illo loco tyrannis, & reſtitutus verus dominatus Romano Præſuli eſt. Adhęc reliquiæ ſunt confratris olim noſtri, atque collegæ, quo magis ſubleuandos, & protegendos exiſtimo. Habent nonnullos inter oppida nos ſuos, parum eis beneuolos, quos magis torquet inuidia, quam vlla iniuria. Contra hos precor ope præſidatus tui dignitatem ſuam retineant. Papienſi tuo indulgebis, quidquid eorum cauſa efficies. Vt vero magis commendationem meam ſciat tua Dignatio prouenire ab animo, hanc epiſtolam patri meo,& domino dictaui, ac ſcripſi. Cui me,& illos rurſum deuote commendo. Romę Die xix. Iunij M.CCCCLXXX.

L. CARDINALI VRSINO.

CXV.

IN dies magis peſtilentia Romę augetur. Mora hic tuta non eſt. Abierunt multi. Abire & ego inſtitui. Peto Pientiam, atque ibi ero vſque ad exactum Septembrem. Hęc ſcribo, vt ſciat tua Dignatio vbi futurus ſum: & imperare, ſiquid velit, pro arbitrio poſſit. Ego enim ſum atq; ero ſemper dediciſſimus tuę Dignationi. Cui me commendo. Romę die xix. Iunij M.CCCCLXV.

CARDINALI CONSTANTIEN.

CXVI.

VOlo quamdiu viuam conſcius ſis omnium, quæ ago & tempto, nec ignores vbi agat filius tuus. Peſtis valida totam vrbem inuaſit. Quotidie cateruatim Curiales miſeri moriuntur. Non parcitur vlli generi hominum. Quidam ex collegio noſtro iam abierunt, domeſtica calamitate expulſi. Conſilium non eſt tentare fortunam, nec cum morbo inſuperabili decertare. Vincit,non vincitur. Eo Pientiam,vbi, vt noſti, ædificata eſt mihi domus,& vbi cælum ſalubre patet. Illic ſolutis aliis curis,legam, ſcribam, & contemplabor veſtigia Pii noſtri, in quibus poſtremum inſtitit. Menſe Septembri reuertar ad vrbem. Si quid tua Dignatio interim ſuo Papienſi imperat, Pientię erit. Bene Vale,& me commendatum habe. Romę Die xix. Iunij MCCCCLXV.

CAROLO CREMONENSI.

CXVII.

POſt diſceſſum tuum ab vrbe, nullas à te litteras habui, non ex ciuitate Senenſi: vnde vel de matre ſaltem certior fieri debebam. Ego hic manens tui memoriam habui. Deceſſit ex peſte Ioannes Cremenſis, qui paucis diebus ante ad nos erat reuerſus. Præpoſituram eius tibi impetraui, nec ſine labore, cum Aulicus quidam Pontificis, cuius deprecatione illum in famulatum acceperam, eam competeret. Signata eſt ſupplicatio: ſed neſcio quam vtiliter. Ignorabantur hic tituli beneficiorum, quę habes. Item annuus Præpoſituræ cenſus, & an diſpenſatione vlla egeres, ſine quibus non recte impetrari cognoſcis. Æſtimata ea eſt aureorum centum ſingulis annis. vide de omnibus: & alicui da Romę negotium, à quo cætera conficiantur. Scis quam ſim ego ineptus ad talia. Iudicaui rem non futuram tibi ingratam: quia in diœceſi tua eſt, & honorem dignitas habet. ſit illi, & tibi collatio ſalutaris. Puto cum has acceperis, te iam futurũ Papiæ. Negotia iniuncta cura ea fide, ac diligẽtia, qua eſſe me vides in tuis. Intellexiſti quod velim, & quod natura mea, conſuetudoque fert. Ex his te ipſum tege, atque inſtitue. Idque imprimis annitere, ne vituperetur miniſterium noſtrum, & ne cui offenſio cum iniuria detur. Credo etiam Albricum Malletam Mediolanum iam petuen ſſe, & attuliſſe Regias litteras, quibus ineunda poſſeſſio ſit Auinionenſis Cœnobii. Si tibi eas voluerit tradere, ſatisfacito imprimis pro omnibus quę in Cancellaria Regia expendit: tum adde liberalitatem, quę ſtudio pręſtito, & dignitati ſuæ conuenire videbitur. Diligentia eius rem multi laboris explicatam, pacatamque tradidit nobis: Illique permultum debemus. Pecuniam ſumes à Terracinenſi Epiſcopo, cui in fidem illius exoluendę has litteras monſtra, chirographum meum habentes in calce. Vale, & te nobis conſerua. Romæ die XXVIIII. Iunij M.CCCCLXV.

BAVERIO PHYSICO.

CXVIII.

SI tibi acceptum eſt filium Ludouicum in domeſticum famulatum meum aſcitum, acceptum mihi eſt hoc quoque illum voluiſſe. Eſt ea modeſtia, & bonitate adoleſcens, vt contingere hoc merito debeat. Paucis diebus diſciplinam domus, & inſtitutionem meam inſpiciens, ita dexter eſt factus ad omnia, vt reliquum vitæ nil egiſſe aliud videatur. Litteras porro habet non contemnendas, & percunctationibus aliquando à me laceſſitus, ita ſenſate ſemper, ac ſcienter reſpondit, vt oſtendat paternis documentis dediſſe ſe operam bonis. Diligo eum propterea eatumque inter cæteros habeo. Accedit antiqua familiaritas noſtra, tuaque in me nonnulla patris officia, quibus deuinctus, eum qui ex te eſt, cogor complecti. Gratulor tibi pro filio tali, huncque annorum tuorum leuamen, & cadentis ſenectutis ſubſtentaculum depuro. Placeat Deo, qui illum conceſſit, concedere etiam, vt vſque ad ſupremum ſpiritum eo frui poſſis. Quod ad me attinet, quamdiu erit in familia noſtra, cultu filii habebitur. Non deerit illi diligentia ad valetudinẽ conſeruandam, nec ſtudiũ ad augendã vitę integritatẽ, quæ tamen in eo nunc præcipua eſt. Vices (vt vno verbo abſoluam) tuas ſubibo, quemadmodum poſcis. Idq; agam pro viribus, vt traditum, & dedicatum noſtro obſequio, te non pœniteat. Bene Vale. Romæ Die XXVIIII. Iunij M.CCCC.LXV.

BAVERIO PHYSICO BONONIEN.

CXIX.

FIlium Ludouicum remitto tibi, vt petis. Eius repetendi cauſa neceſſaria eſt. Peſtis vrbem tenet. Menſes periculoſi adueniunt Iulius, Auguſtus, & September alibi graues, Romæ exitioſi. Materna pietas non poteſt quieſcere, filio in diſcriminibus poſito. Tu quoque etſi vir es, Patrem tamen te negare non potes. Vtrique eſt conſulendum. Etſi ergo Ludouicus erat mihi acceptus, ſuumque obſequium diligentius eſſe non poterat: tamen ſalus eius, & parentum charitas, præferri debet. Diligam illum non minus abſentem, quam præſentem, curaboque inter meos ſemper aſcribi.

Gratias ambobus pro contubernio paucorum menſium ago. Si non reportat Ludouicus diuitias, quæ mihi non ſunt, animum tamen noſtrum habet, refertque ſecum. Deus te illi, atq; illum tibi (vt optatis) conſeruet. Bene vale. Romę. Die xv. Iulii. MCCCCLXV.

EPISCOPO AQVILANO MARCHIÆ *Theſaurario.*

CXX.

Dilexi omni tempore Paternitatem veſtram propter virtutem ſuam: Temporibus quoque neceſſariis iuui, vt potui. Per me non defuit aliquando, quin ad ſummos honores aſcenderet. Conditio temporum, & cauſæ bellorum contrariæ, ademerunt mihi occaſionem multam declarandi animi mei, & impedimento etiam Dignationi veſtræ fuerunt, quo minus vti ſuo iudicio poſſet. Ego mihi perſuaſi ſemper, & perſuadebo quàm diu viuemus, à Paternitate veſtra me diligi, quia illam obſeruo, & gratia voluntatis ſic officium exigit. Venit in præſentiarum in prouinciam Iacobus frater conſobrinus meus, à quo reddentur hæ litterę, ex omni carne mea mihi acceptus, ac carior omnibus, quę viuens poſſideo. Domeſtico, ac longo experimento ſenſus eius omnes tractaui. Eſt à natura ipſa, & voluntate integerrimus. Mores faciles habet, & cum bonitate certat induſtria. Rexit totam domum meam aliquando atq; in eo officio ita ſe mecum, & cum omni familia geſſit, vt vtrique acceptiſſimum eſſet miniſterium ſuum. Ratiocinator inter cætera bonus eſt, & ſenſatus, tam in ſua re, quam aliena. Non dubito officium Reſingnę, quod illi à Pontifice impetraui, cum commendatione exercebit, quia adiumenta ex ſe habet præcipua: vnde id agat, & à me quoq; admonitus omnium eſt, quibus eſſe vtilis fiſco poteſt. Precor Paternitatem veſtram pro noſtra amicitia, & pro omni retributione antiquæ beneuolentiæ meę, illum paterne accipiat, & dictum officium prębeat, dirigatq; in omni ſemita bona, & veniſſe ad ſe putet, non Iacobum conſobrinum meum, ſed nepotem ſuum Amicum. Gratius accipere quicquam à Paternitate veſtra non poſſum. Ego illi imperaui vt à ſuo præſcripto nunquam diſcedat: ſed Paternitatem veſtram, tanquam alterum me, omnibus in rebus obſeruet. Volui etiam eum ab officio paruo incipere, vt in hoc probatus, maiora deinceps accipiat. Ego & ipſe veſtri ſumus, nec contemnat Dignatio veſtra noſtros affectus, quam bene valere ſemper deſidero. Romæ Die xxv. iulii. M.CCCCLXV.

G. LOLLIO PICOLOMINEO.

CXXI.

Congratulatus Pontifici ſum de profligatis fratribus Anguillariis, & apertò ad vrbem itinere: adieci quoque, quæ de Cacho, & Hercule appoſite referebas. Grata fuit gratulatio tua, occaſionemque multam præbuit de vtilitate confecti negotii multa dicendi. Erat præſens Triuiſinus præſul. Audiuntur cum voluptate, quæ referuntur de rebus huiuſmodi. Et certe diligentię Pauli aſcribendus eſt omnis ſucceſſus: ita enim omnia inſtituit, ita per alterius rei ſpeciem diſperſas copias ſtatim contraxit, vt ante illatum, & confectum bellum audiretur, quàm ſuſpicari poſſet quid eſſet. Eugenius, Nicolaus, Caliſtus, Pius etiã noſter totis ſuis Pontificatib. hoc optauerũt: hoc iſte intra duodecimum diem primo anno Pręſulatus abſoluit. Sublata eſt indigniſſima indignitas Romanorum Pontificũ, & abominatio Sedis, & querela totius orbis. Tu quoq; nonnihil es aſſecutus, qui ad eorum euerſionem dudum intendens odium tyrannorum non mediocre contraxeras. Ire deinceps, ac redire, & commorari Romæ ſine metu, ac periculo poteris. Itaq; vt tu Pontifici, ita tibi ego congratulor. Si tempora indulgebunt, voluntatem plurimam video liberandi hunc tractum Romanum metu latronum, & decutiendi iugum ſeruitutis antiquæ, quod annuat diuina benignitas. Sed hæc ſoli, & in aurem. quod ad meas omnes reſcripſiſſe litteras te dicas, permirum mihi videtur. Ampliuſquam triginta diebus nullas accepi, præter has tantum, quibus in pręſentiarum reſpondeo. Aut non ſcribis, aut negligenter litteras credis. Viatores, quibus illas crediſſe affirmas, plerunq; nec noſcuntur,

nec noſcunt, atq; ita intermoriuntur officia. Scribe ergo & notis, ac fidelibus committe epiſtolas. In emundis ædibus, neceſſarium mihi eſt ſuperſederi in aliquot menſes, ſaltem vſque in Nouembrem. Itaq; videto, ſi abſq; poſſeſſoris iactura, ſtare hæc dilatio poteſt. Nec vendi interim opto, nec illum omittere occaſionem rei ſuæ, ſi ſe alicunde offerret. Moderare toti rei, vt honeſtati conueniens iudicas. Percupio autem, vt ſicut animis, ita & ædibus nos, & poſteri noſtri ſimus ſemper coniuncti. Bene vale, & de rebus veſtris aliquando aliquid indica. Romæ die XXVIII. Iulii. M.CCCCLXV.

CARDINALI SENENSI.

CXXII.

HAbeo gratias D. Tuæ pro binis litteris, quas ad me ſcripſit. Alteris hortatur, vt veniam ad vos, & particeps fiam voluptatum, quibus fruimini: alteris commendat Clerum Senenſem, ac Pientinum. Veniſſem iamdudum, vt ante diſceſſum tuum eram pollicitus, niſi cauſæ quędam neceſſariæ Pontifici notæ me tenuiſſent. His nunc abſolutis, perendie Campagnanum ſecedam, atque ibi Septembrem totum morabor, indulgens oblectationibus, quas loci conditio dabit. Si deerunt cætera, aucupia certe, & venationes non deerunt, in quibus ſum totus. Homini ruſticanti nihil ad valetudinem melius. Delitias Senenſes relinquo tibi hoc anno, & iis, qui ſponſam Mediolanenſem aſſociant, ſed ſequenti non negligam. In re Cleri Senenſis, ac Pientini, teſte Deo, nihil omiſi, quod ad adimplenda mandata D. tuæ pertinere potuerit. Interpoſui nomen tuum, gratiam meam, ſolum natale Pii Pontificis. Duriora, quam credidi repperi omnia. Vnum hoc verbum habuit Paulus ſemper in ore: Præferenda priuatis ſunt publica. Quod hi cleri poſtulant ſibi concedi, hoc requirunt aliæ eccleſię, in quibus Quæſtores Apoſtolici exigunt. Aut omnibus eſt dãda remiſſio, aut nulli. Cum contra multa contenderem, hic fuit exitus contentionum noſtrarũ, vt dixerit Paulus, velle ſe intelligere quam ſummam perficiat hoc reliquum decimæ, quod mandatum eſt exigi, & a quo clericorum genere ſit exigendum, vt iis intellectis ſtatuere certius poſſit: quatenus exaudienda ſit poſtulatio noſtra. Si ſumma multa non erit, vt dixi, & debitores mendici, quorum nullus ſit ſuccus, gratiam fortaſſe inueniemus in oculis ſuis. Si minus, bibendus omnino erit hic calix. Itaq; in hoc vno curam adhibeat Dignatio tua, vt documentis publicis conteſtata hæc mittantur ad Paulum, quæ quanto tenuiora oſtendentur, tanto illum ad gratiã facient liberaliorem. Rem Pientinam ideo impetrare non potui, quod teſtimonium ſcriptum proferre non valui voluntatis patris noſtri defuncti. Aſſertioni tuæ, & meę credendum non putat, quod ſuſpectos nos dicat. Neq; adduci poteſt, vt exiſtimet pluris eſſe apud nos conſcientias noſtras, quàm rem clericorum paucorum. Allegaui nouitatem eccleſiæ, atq; eius inopiam. Item taxam donatam primo Epiſcopo, non à ſua Beatitudine tantum, ſed à toto quoq; collegio: veriſimile docens, eum qui Sedem illam erexerat, qui dotauerat, qui taxam noluerat, qui extremam paupertatem clericorum agnouerat, parſum voluiſſe decimæ primę. Pariter vt teſtimonio noſtro, his argumentis putauit credendum. Ego vt vtrobiq; aliqua interim reſpiratio eſſet, & nouis precibus locus, & colligi quoq; omnia poſſint, quibus Pii conceſſionem probare poſſimus, breue impetraui. Quo quæſtori ipſi mandatur, vt menſem integrum exactione abſtineat. Id cum præſentibus mitto, & ſimul eius exemplum. Si quo ſcripto Pius remiſſionem ſuam conceſſit, hoc mittat Dignatio tua. Sine difficultate accipiemus, quod volumus. Si minus id ſit, colligat quam plures poterit teſtes, & pariter mittat. Etſi enim in eandem ſuſpicionem venire omnes dicẽtur, nihilominus boni aliquid meo iudicio parient. Tua quoq; Dignatio non grauetur Pontifici ſcribere, & idipſum teſtari, ac petere. Litteratum hic noſter cupidus eſt, & amat rogari, & petenti quàm intercedenti, mauult cõcedere. Suadeo quoq; pro meo in Paternitatem tuam officio, vt etiam ſine cauſa literas ei det aliquando, & de ſe ſignificet aliquid: & de his rebus, quas placituras ſuis ſenſibus putet. Officia hæc debita à nobis Pontificibus ſunt, & gratiſſima imprimis ſunt Paulo, & perſolui quotidie à reliquis video, qui vel longe abſunt, vel prope. Id autem eo diligentius

eſt à Dominatione tua agendum, quod ſilentium eius propter multa, quæ accidere, non negligentiæ, ſed voluntati parum pacatæ, poſſet aſcribi. Suſpicionum hæc tempora pleniſſima ſunt, quibus ſerenitate frontis, & animi, obuiam ire, ſemper ſapientis eſt habitum. Si peccatum meum hic eſt, fidei ſolitæ ſit, non arrogantiæ. Multum etenim diligo. Romæ nihil eſt noui, quod magnopere ſcribi expediat. Præſul Mediolanenſis, in quem cumulata erant Vicecamerariatus, & theſaureratus officia, iacet ex febre tertiana. eſt duplex: vexatura corpus, non adductura in periculum aliquod. Peſtis vrbem non deſerit, nec remittere aliquid videtur de ſolito. Acciti ad craſtinum Conſiſtorium ſunt Cardinales, qui erant in proximo, Sancti Xyſti de Lebreto Vicecancellarius, ac Mantuanus. Vocationis cauſa eſt nouus hic Hiſpaniæ motus. Deſtituerunt Regem Henricum. Fratrem eius Alphonſum poſuerunt in ſolio. Scripſit hic nouus Rex Pontifici litteras. Narrat Regni calamitates, quas ſub illo eſt paſſum. Diuturnam patientiam omnium procerum ac Prælatorum ſurrexiſſe: illos tandem iuſtis iniuriis motos, ac Henricum adhibitis Regni cerimoniis, vno conſenſu priuaſſe, ſe elegiſſe. Maiorem porro Hiſpaniæ partem obedientiæ ſuę adiunctam. Sperare intra dies non multos cuncta ditionis ſuæ futura. Proinde orare Pontificem, vt auctoritate quoque Sedis Romanæ fortuna hæc ſua addiuuetur, nec audiatur is, qui Regno, & religioni Chriſtianæ peſtifer omnium pene iudiciis ſit condemnatus. Memorat vnum in litteris, quod moleſte me habet: & nulli communicari peto, præterquam Lollio noſtro. Omnia hæc videlicet iud cata iamdudum Pio eſſe ventura, & ſuo nunc conſilio facta. Præbet hæc res inter noſtros occaſionem multam de eo loquendi. Plures conſuluiſſe ipſum exiſtimant, aientes ad ſeditionem ſemper, & ad bella, & ad nouandas res animum eius ſpectaſſe. Pauci aliter credunt. Ego fortuna miſer, animo felix, intrepide me pro patre ſæpe obieci. Contendi falſiſſima eſſe quæ hi criminantur, illius conſilia ſemper amica pacis fuiſſe, pacem vbicunq; potuit inter Chriſtianos magnis ſuis incommodis per Legatos curaſſe: Bellum nullum ſuſcepiſſe niſi coactum, niſi prouocatum ſæpius, niſi pro iuſtitia, niſi pro dignitate Sedis Romanæ. Atque hoc argumento ea me confirmare adiunxi, quod Deus, qui iuſtas cauſas non deſerit, victoriam ſemper de iniqua gerentibus tribuit, & ſenem offenſum non paſſus eſt deſeri. Quod vero hic nouus Rex ex ſuo conſilio factum affirmet, id ad tegendam turpitudinem cauſæ adduci, vt quod ex propoſito laudare non poſſunt, ex iudicio Sedis extollant: Facile cuiuſuis eſſe, & tutum loqui de mortuo, qui reſpondere non poſſit, & mendacium iniquum conuincere. Eo quoq; me ardor defenſionis aliquando prouexit, vt dicerem nationem mendaciſſimam eſſe, ſemper armatam ad falſas calumnias, ſemper ſic ab omnibus habitam. Nec eſſe illi, etiam interpoſita religione iuramenti, credendum: poſſe me autem proferre indicia multa amoris Pii erga Henricum, quibus conſtet, nil tale in eum conſultum: Honores impenſos frequenter Apoſtolicę Sedi in publicis eius cauſis: Grandia pecuniaria ſubſidia ex illo regno permiſſa: Conſtantiam animi in non audiendis turbulentis conſiliis Ludouici Regis Gallorum, in quibus admiſcere illum contra Pium tentauit: equeſtrem dignitatem, & diplomata honorifica ab Hiſpania vſque tranſmiſſa duobus ſororis filiis, & complura huiuſmodi, quæ ad mentem venerunt, & ſecundo fauore audita ſunt ab iis, qui Pii memoriam colunt. Procuratores Henrici, quibus Cardinalis ſancti Angeli enixiſſime fauet, ſibi non deſunt. Oſtendunt ſceleratam illorum rebellionem, Fidem apertiſſime violatam. Precantur non dari quicquam Alfonſo contra dominum ſuum, quem tot annos Romana Sedes honorauit vt regem, & dignitatis ſuæ habuit aſſertorē. Declarari quoq; per litteras petunt, nec conſuluiſſe Romanum Pontificem, nec conſenſiſſe, vt talia fierent, religioni, & iuſtitiæ omni ex parte contraria. Ad hæc ergo diſceptanda conuenturi cras in conſiſtorium ſumus, & ad ſtatuēdum quid his, atq; illis concedi conueniat. Dimiſſis Patribus eodem veſtigio ſecedam quo dixi. Hæc paulo latius ſignificanda putaui, quod & magni momenti ſunt, & Patrem noſtrum Pium contingunt. Longitudini literarum det veniam D. Tua: Cui me, matremq; meam, & fratris filios, deuote commendo. Romæ.

G. CARDINALI ROTHOMAGENSI.

CXXIII.

NEſcio vt valeat Romæ D. Tua poſt meum diſceſſum: ego Campagnani valeo bene. Habito commode. Fruor voluptatibus, quas loci conditio dat. Aer purgatiſſimus eſt, gelidæ aquæ: Panis non malus. Vina mellunibus congrua. Mellones autem omnium optimi, ex vno aceruo emi clauſis oculis poſſunt. In nullo eſt falli. Hæc Domina loci humanitate aſſidua vtens, nulla re egere me patitur. Dedit imperium oppidi, & ex pręſcripto meo agi vult omnia. Non admittitur, non eiicitur, niſi quem vult Papienſis. Exeo mane ad colles vicinos. Comitatur ſemper aura ſuauis. Inuenio creberrimos fontes, loca ramis ac fruteris opaca. Nihil non lætum, non ridens eſt obuium oculis. Conſiſto aliquando, & voco Dominationem tuam abſentem, non inuidens ædibus tuis, quarum pulchritudinem hæc agri pulchritudo longe exuperat. Colite nunc vrbem, vt vultis, & contemplamini nebulas matutinas, & odorate fimum ad flumen incenſum, & ite ad Pontificem, & haurite puluerem à præcedenti comitatu excitatum, & expectate horas continuas antequam audiamini, & redite domum ad horam noctis ſecundam, & audite dies totos moleſtas adeuntium vos petitiones, & contriſtamini corde, cum non impetratis quod vultis, & vrimini animo, cum ex conſiliis veſtris non ſe Pontifex regit, & perferte anxietates innumeras, quas vrbana cura apportat. Ego his omnibus vacuus, mihi ipſi cum lætitia viuo, ſpatians, legens, ſcribens, viciſſimq; curans mentem & corpus. Rumor hic eſt, D. Tuam ituram Formellum: ante non credam, quàm videro. Operis non exigui eſt extrudere vrbe meum Rothomagenſem. Hamis duobus ſcinderis in diuerſa. Natura tua agrum, & libertatem cæli deſiderat: Inſtitutio Apoſtolicam Sedem. Vult, & non vult animus anceps: at tandem in eam partem inclinat, quam pœnitet poſtmodum eſſe ſuſceptam: ita fit aliquando vt maior nobiſcum, quam cum aliis pugna oriatur. Veni Formellum, expedi te curialibus curis; ac præcide funem cogitationum magis quam ſolue. Vicinitas amborum noſtros hos ſeceſſus faciet gratiores. Aut hic erit D. tua: aut illic ego, venationis & aucupii voluptates iungemus. Vterque ager omnifariam feris ac vulatilibus plenus eſt. Nihil deerit, quod conſolari nos poſſit. neque ad extremum æſtatis tempus D. tua reſpiciat, & ſerum putet eſſe ſeceſſum. quod bene fit, & ad ſalutem, nunquam eſt ſerum. Auguſto & Septembri ager eſt neceſſarius. Magis ad recreandam valetudinem pertinent menſes ii, quàm Iunius, & Iulius. Illi ſine fructu, æſtus habent continuos: Ii ſine æſtibus, quidquid terra gratiſſimum dat, Perdices, Ficedulas, Poma diuerſa, & vuas, ac regaliſſimas ficus omnium fructuum. Iterum inuito. Veni & abrumpe curas inanes, quæ quantæ ſint morte noſtra docentur. Dies quiſq; præteriens perit valetudini tuæ: quæ eo magis oblectamentis omnibus eſt ſubleuanda, quo grauius ad ſenectutis ruit incommoda. Teſtor ſanctum conſortium noſtrum, inſtituiſſe me ab initio decem tantum lineas ad D. tuam perſcribere: ſed produxit me amur ad folii tergum. Commendari precor ſummo Pontifici noſtro, & à Dignatione tua amari. Campagnani die x. Auguſti. MCCCCLXV.

THEODORO EPISCOPO TERVISINO.

CXXIV.

PRo exemplis litterarum ad me miſſis, quæ dictatæ ſunt Pontificis nomine, charitati tuæ gratias ago. Impleuiſti promiſſum, & addidiſti voluptatem amico ruſticanti. Sancta ſunt quæ ſcribuntur, digna Eccleſia & paſtore, qui præſidet. ſic verſandæ mentes exercentium falcem in meſſe aliena. Ignitum eloquium eſt, quale conuenit frigentibus cordibus. Intrepide ſuſcipit cauſam libertatis communis. Fluit, vt ros, & quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina: quia nomen Domini inuocat. Verum eſt illud, quod repromittitur nobis. Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa. Verbo tuo, mi Teruiſine, nil potentius, nihil inſtructius, nihil in veritate fundatius. Nihil ratione, Auctoritate an exemplo efficacius pugnat. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Aſſequeris ſcribendo,

vt increpationes tuæ, mellitę preces appareant. Preces autem ipſæ, grauitate non careant. Sapientiam nimirum meditatur os iuſti, & loquitur lingua eius iudicium. Ego his lectis, primo gratulatus ſum ingenio tuo, & tacitus dixi: *Beatus homo: quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Quia docebit iniquos vias tuas: & impii ad te conuertentur: & de teſtimonis tuis loquetur in conſpectu Regum: & non confundetur*: deinde menti bonæ, ad bonum opus ſemper ſpectanti. Niſi enim integerrimus eſſes, & niſi matrem Eccleſiam coleres, ex te hæc non haberemus. Scriptum eſt enim: *Vir inſipiens non cognoſcet: & ſtultus non intelliget hæc.* Nunc autem quia officii tui es memor, & intus te colis, non extra facis quod vero præſule eſt dignum: de bono theſauro cordis, quæ bona ſunt, proferens. Gratulor quoque Pontifici noſtro, in quem Deus hunc ſpiritum ſuſcitat, vt velit Eccleſiam, & miniſtros eius dignitatem ſuam tenere, & deiici iugum ſeruituris, iam antiquæ. Opus nullum perfectius, nullum Deo acceptius, nullum ſuo miniſterio dignius. Deſiderium ſanctum fecundet ille cuius cauſam nunc agit. Reſtit. ta eccleſia in libertatem officii ſui, benedicetur amplius in Sacetdotibus. Perſeuetet, vt cœpit, atque hoc pietatis opus in finem deſudet. Parata illi merces eſt copioſa, & Pontificatui ſuo commendatio æterna. Vultus potentum non timeat. Viriliter agat, & confortetur cor eius, quia faciet in Deo virtutem, & ipſe tribulantes ſe reducet ad nihilum. Cauſa optima eſt. Defenſio iuſta, ſalutaris cura, non ei tantum, qui præcipit: ſed eis quoque quibus pręcipitur. In tot prætogatiuis operis boni ſperandus eſt fructus cogitationis ſuſceptæ. Te precor, vt cum ſimile aliquid editur, expertem me eius eſſe non ſinas. Si quis eſt enim qui laudet, qui ſcribat, qui conſoletur, qui denique ſuum in te animum propterea augeat: tuus eſt Papienſis, cuius (quod dictum ſine arrogantia ſit) eſt in huiuſmodi iudicium aliquod. Quę de reditu Lucę, & legatione Burgundica, & profligatis hoſtibus Ludouici Regi commemoras, grata fuerunt. Victoria hæc, ſi non fallor, præbitura videtur cauſam motus maioris. Ante conflictum integris adhuc rebus, pacificationis eſſe ſpes aliqua poterat. Fractis nunc, quiſq; ad maiora ſe inſtruet. Stant belli cauſæ: nouus cruor imbuit arma. Si aduerſantes ſucceſſu hoc territi, manus ſubmittent, & illis oppreſſis Rex victor euadet, formidoloſa erit multis potentia eius: nobis autem non tuta. Vale amantiſſime Pater, & tibi his menſibus cum diligentia caue.

THEODORVS EPISCOPVS TARVISINVS CARdinali Papienſi.

CXXV.

Litteras Reuerendiſſimę Dominationis Veſtræ proximè mihi redditas mira voluptate perlegi, quoniam non ſolum Latinam puritatem, facilitatemq; ſermonis, ſed etiam copiam ſcripturarum, & diuinorum myſteriorum eruditionem pręferebãt. Ita enim accommodantur diuinæ ſententię, ſic auctoritates ex pſalmis inuicem nectuntur, vt non ex diuerſis excerptæ, ſed inuicem cohęrentes, atq; continuæ videantur. Talis debet eſſe ſermo presbyteri, ſcripturarum lectione conditus, qualem in Coloſſenſibus requirebat Apoſtolus, inquiens: *Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus.* Talem rurſus In ordinatione Epiſcopi requirebat. *Obtine*, ait, *eum qui ſecundum doctrinã fidelem ſermonem, vt poſſit exhortari in doctrina ſana, & contradicentes reuincere*: de quo & in epiſtola dicebat Clauiger Regni cœleſtis: *paratus ſemper ad ſatiſfactionem omni poſcenti te rationem, de ea quæ in te eſt ſpes.* Vno igitur eodemque tempore Reuerendiſſima P. Veſtra ſtudio presbyterum, doctrina Epiſcopum, exhortatione doctorem, atque paſtorem ſe exhibet animarum, quia non declamatorem eſſe, vel garrulum: ſed myſteriorum peritum, & ſacramentorum Dei eruditiſſimum ſe oſtendit, & probat. Hoc eſt ipſum genus eloquii preſſum, & nitidum, quod apud ſacros interpretes cõmendatur, non ſolum latina puritate relucens, ſed diuina quoq; redolens ſacramenta, crebrum ſacris teſtimoniis, atq; ſententiis. Iacet enim vt ait ille, oratio, in qua tantum verba laudantur. quo fit vt comparatione veſtri ſermonis meam ineptiam recognoſcens, laudari amplius pertimeſcã. Quid enim in me aut quantulũ eſt, vt eruditiſſimę vocis præconium merear. Metiris, inquit ille, nos virtutibus tuis, & paruos

magnus extollis. Sed ego id nec agnoſco nec poſtulo. Scio me inter clamoſa fori iurgia verſatum, & inter ſcabros cauſarum codices velut quadam fabrili officina nutritum, illius obduxiſſe rubiginem, & propterea horridum, & ſcatens eſſe omne quod loquor. Verum ipſa commendatio erit vt quædam forma doctrinæ, vt pro loquentis perſona talis dicendi ordo moderatioq; ſeruetur, vt ſit in dicendo amor, ſed non emolliens, ſit rigor, ſed non exaſperans: ſit zelus, ſed non immoderate ſæuiens: ſit pictas, ſed non plus quam expediat parcens. De epiſtolis Pontificis, de quibus Dominatio Veſtra Reuerendiſſima ſcribit, eius ſtudio, & zelo congaudeo, & quoniam cupit alia quæ eduntur in dies ſibi tranſmitti, Apologiam ad primores cuiuſdam populi, qui cenſoria quadam maieſtate ſeueritatem Pontificis arguebant, nuper ſcriptam, nondum tamen palam editam, ſuppreſſo nomine ciuitatis emitto legendam, & inter domeſticos parietes ſecretius obſeruandam. Alia poſt hæc miſſurus, quæ cauſam fidei & religionis contingunt, ſi Reuerendiſſimam D. V. nugarum noſtrarum lectione delectari cognouero. Det autem veniam tarditati reſponſi, quoniam exemplandi libelli gratia dilatum eſt. Romæ in Palatio Apoſtolico die XXI. Auguſti. M.CCCCLXV.

CARDINALIS PAPIENSIS AD EPISTOlam quæ ſequitur.

CXXVI.

EPiſtola, quæ ſequeris, ito ad patrem meum Nicenum, rogato vt te totam legat, lectam non laceret. ſi erubuerit laudari ſe videns, contende laudem veri eſſe, nõ falſi. Si doluerit parcius dici, quàm merita poſtulent, infirmitatis meæ hoc eſſe accuſa, neq; enim par materiæ eſſe ingenium. ſi adulatorem me arguet, pugna audacitet iudicii hæc eſſe, non falſę gratiæ. Si cauſam laudationis requiret, hanc memorabis: Admiratum me quodam in Conſiſtorio vim eius, & ſuauitatem dicendi, ſtudium quoq; boni, & ſententiam liberam mox vt ſum domum reuerſus, dictaſſe te ſtatim, & inſcripſiſſe ad Cardinalem amicum, qui mecum pariter admiratur illum, & laudat. Si rogabit miſſa ne ſis, negabis miſſam te eſſe. Si quamobrem quæret, quia eo inconſulto tutum non duxi. Si deniq; poſcet, cur te ante non miſi, & à Campagnano potius, quàm ab vrbe redderis ei: dicito, quia ſi Romæ tradita eſſes, timui, ne in conſpectum eius mox veniens erubeſcerem nimis, & vocem Patris non poſſem perferre: Campagnani nil tale euenturum: quieturum potius motum omnem animi, donec reuertor. Reſponde cito qui te exceperint caſus, quæ frons, qui oculi, qui ſenſus legentis. Te etiam lecta qui habitus oris: eiusne qui ſuccenſeat, an qui contemnat, an qui gratiam habeat. Suſpenſo animo ſum, donec hæc noſco. Memento quoq; pictati ſuæ me commendare, & rogare, vt commendet Pontifici. Vale epiſtola. A Nicenis digitis te Deus conſeruet. Ii quam potenter conſcerpere inepta ſolent. Campagnani die XX. Auguſti. MCCCCLXV.

CARDINALI SENENSI.

CXXVII.

NVnquam hunc collegam noſtrum intueor, vt ſuſpirans non precer Deum, quàm diutiſſime annos eius proferat. Nicenum dico Cardinalem Tuſculanum communem tibi ac mihi patrem. Orationis meæ cauſa eſt, non tam amor, quo eum proſequor, quàm publica vtilitas, ad quam video illum ſemper intentum. Collegii quoque noſtri dignitas, cuius æſtimatio ſtat huius præſentia. Miſera erit dies illa & lachrymabilis multum, quæ nobis illum eripiet. Iacturam grandiorem facere ſors noſtra non poterit. Perdemus firmum præſidium, & lumen pene omne: quo aliquid nunc forſan lucemus. Quid eo excellentius? quid ad omnes caſus ſtabilius? Quantum ingenio valet, quotidie contemplaris. Non videtur, quod videt ipſe: nec ſentitur bene, quod eius non probat iudicium. Propoſitis in medium rebus, de quibus eſt habendum conſilium: primus in ordine ſententiam dicit: ſpatium tantiſper ad cogitandum habens, dum de us refertur, & tam ſubito ita exprimit quicquid in cauſa optimum eſt, vt nihil ſequentibus ad dicendum relinquant. Vt plurimum iri vides in eius ſententiam:

tentiam: probari, quod probat, & damnari, quod damnat. Audis quoque qua facundia conceptus explicet ſuos. Non ſubſiſtit alicubi, non hæſitat, non obliuiſcitur. Continuatio orationis eadem eſt, vſque in finem aperta ſemper, & facilis, & delectans. Nullæ inſunt implicationes rerum, neque obſcuritates, quas ſentimus aliquando in pleriſque. Melius ego ex ipſo conſulente, quod eſt propoſitum capio, quam ceperim ex eo, qui ante propoſuit. Audirem diem totam ſine faſtidio hunc in conſiſtorio loquentem: ita ſemper habet, & ſemper texit quod animum iuuet. Taceo verborum ornatum, vimque, quam dictioni adiicit. Bonis imbuto, nil niſi lectum, & ſignificans, & proprium ad linguam ſuccurrit. Si ex propoſito eſſe malus veller, neſcio an id poſſet: tanta eſt iam exercitatione loquendi confirmata facultas. Præclara hęc ſunt, & inter noſtros rara. Sed illud quantum eſt, quod ſemper meditatur aliquid, & proponit Pontifici quod ad communem rem, vel Chriſtianorum, vel Eccleſię faciat. Nullis capitur aliis ſtudiis. Non vagatur, non ociatur, nec abire tempus per inertiam ſinit. Salutaria ſunt omni tempore, quæ operatur. Vides de noſtris eſſe qui frequenter in agris ſint, conſectentur crebro prata, & fontes, & indulgeant venatui, & cum domi ſunt, conuiuiis, & confabulationibus dies ducant inutiles. Huic patri nihil eſt horum: ſed ſi quid publicum aliquando accidit fideli alicuius curandum diligentia, adhibetur hic ſemper ad prouidendum primus. Quanto ſtudio id peragat, teſtes nos ſumus, & teſtis frequens talium demandatio. Niſi enim iniuncta perficeret, non tam crebro iniungeret Pontifex. Neque enim negligenti opus vnum, libenter demandamus ſecundũ. Acre iudicium eius, & mens prompta, & voluntas ad bonum feſtinans, abſoluit mature quæque difficilia: Adde merita in Eccleſiam ſua, diuerſis temporibus, & locis præſtita. Diſſentiente olim de Spiritu ſancto orientali Eccleſia, cum occidentali, & Imperatore Conſtantinopolitano cum doctiſſimis ſuæ ditionis huc aduocato, vt diſputatione mutua ſtatueretur quid eſſet tenendum: hic, vt ingenio ſuperabat cæteros, ita voluntate ad vnionem totus ſpectabat: ſalutem animæ, non ſęculi gloriam quærens. Submittebat ergo ex libris, quibus fidebant Græci, argumenta ad noſtros, & admonebat quibus viis deberet inſiſti, vt ad caput quæſiti fructus poſſet veniri. Nec intermittebat interim dum conſilia inter ſe haberentur, arguere ſuos, errorem oſtendere, & ad meliora Imperatorem hortari. Factum eſt autem huius diligentia, vt diſputatio, quæ iam conuerſa in pertinaciam erat, abſolueretur cito, ac Gręca fides vniretur Latinę. quas ob res gratus Eugenio, & ſpem præbens perſeuerantiæ, Cardinalatu dignus eſt habitus, nec ad nos concedens ex Græcia, quicquam ſtudii ad virtutem, & ad publica intermiſit. Edidicit primum ſummo deſiderio litteras noſtras, tantamque in his breui tempore loquendi, & ſcribendi aſſecutus eſt facultatem, vt inter doctiſſimos haberetur Latini nominis. Quin & locutionem popularem alieniorem Græco diligenter apprehendit, ne adeuntium officia, per linguę inopiam tardarentur. Miſſus deinde Bononiam legatus, difficilem Præſidatum ſecunda fama adminiſtrauit. Nullę in eo ſordes, nullæ rapinę, nullæ cogitationes priuatæ rei, magis quàm publicę, inuentæ ſunt. Ciuitas ad tumultum prona eſt (vt noſti) paſſa ante eius acceſſum crebras cum emiſſiones, tum etiam cędes ciuium. Hoc regente nil tale auditum. Continuit in officio omnes, indulgens cuique quod indulgendum per honeſtatem fuit. Prenſatio perſonarum, atque horum cura, illorum neglectus, quæ induxerunt olim in multas ciuitates noſtræ ditionis ſeditiones graues, atq; odia, procul ab eo fuerunt. Vna in omnes æquitate occaſionem mali huius ſuſtulit. Magno, vt paruo, patere ad ſe aditum voluit, & quemque, qui vellet lamentari, per ſe & petere, & priuatam rem agere. In benefactis intrepidum ſemper ſe pręſtitit. Xantho Bentiuolo potentia factionis ſuæ, quę vna Bononiæ poterat, aliquando inſoleſcenti, ſic reſtitit in oculis populi, vt & cæteris exemplo eſſet, & noſcerent alii, non deeſſe animum Præſidi ad tuendam dignitatem officii. His artibus ciuitatem annos complures incolumem ſeruauit, & decedens legatione, deſideria prouincialium, gratiamque ſecum retulit. Profectus inde ad Cæſarem in Germaniam Fidei cauſa, quanquam ęger & grauis annis: ſumma tamen diligentia publicum opus impleuit, obiens omnia legationis munera; & plurima vtilia diuerſis in locis conſtituens. Illud quoque præter opinionem omnium, neceſſario tempore eſt aſſecutus, vt bellum, quod inter ipſum Cæſarem, fratremque Si-

giſmundum magno vtriuſque damno gerebatur, interuentu tolleret ſuo, & poſitis armis, alterum alteri conciliaret. Qua ex re perpetuam Cæſaris vendicans charitatem, Filium, qui ei ſub idem tẽpus eſt natus, eo deprecante ſacro initiauit Baptiſmate. Statuente deinde annis ſequẽtibus Pio ſecundo ad bellũ in Turcos ire, neceſſariũ pluribus de cauſis putauit legatum ad Venetos mittere, qui hos quoq; belli ſocios faceret. Parauerant illi validam claſſem, Præfectumq; delegerant (vexillo attributo) quod in grauibus reipublicę caſibus ſolet produci. Ad hęc omnis generis machinas, & fabros, & calcem, & ligna contulerant in naues. Putabatur ad inuadendum Peloponeſſum, atque obſtruendum muro celebre illud examilon omnia pertinere. Nihil tamen explorati eſſe cuiquã poterat. Igitur ad exquirendam eorum mentem, incitandoſq; ad indictionem belli animos, Nicenum delegit, legatumq; illuc rutſum deſignauit. Accedebat quod cum Sigiſmundum & Dominicũ Malateſtas, prælio ſuperatos acrius oppugnaret, deiectiſq; dominatu ambobus, aucturus rem Eccleſię videretur, cõpertum habebat eam acceſſionem ſuſpicioſam Venetis eſſe, nec eos paſſuros æquo animo Ariminum & Ceſenam ad ditionem noſtram venire. Confidebat ergo ſapientis legati opera, hanc quoque difficultatem cito ſublatum iri. Itaque profectus ad eos, omnia virtute ſua breui confecit, nec omiſit quicquam, quod vſui videretur. Indictum eſt aperte bellũ, decretis ad templa ſupplicationibus, & cauſę Apoſtolicæ Sedis multę apud eos defenſæ. Imprimiſq; id prouiſum, ne iuſtam de Malateſtis vltionem impediendam ſibi cenſerent. Triremem quoque priuata impenſa ſua in eorum portu inſtruxit, quam in ſubſidium ſanctę expeditionis Anconam ad Pium perduxit. Dies me deficeret, ſi percurrere ſingula eius beneſacta vellem, quę ad virum excellentem pertinent, & prætermiſſa à me ſentis, conuenire in hunc puta. Precemur Deum valetudinem bonam illi tribuat, dies producat, & cum ad ſe vocat, alterum nobis relinquat Nicenum. Bene Vale. Ex Campagnano.

CARDINALI SENENSI.

CXXVIII.

REſcripſi ex vrbe D. Tuæ ad rem Cleti Senenſis & Pientini: nuntiaui quoque, quæ apud Sedem tunc agerentur. Nunc Campagnani accepi litteras tuas, ex quibus agnoui, quæ iſthic ſuſpicionem futuri motus inijciant & quid de me noſtri Senenſes expectant, quid ſibi indicari deſiderent. Fides, quam haberi mihi Dignatio tua commemorat, profecto eſt vera. Non falluntur iudicio de me noſtri conciues. Amo enim hanc ciuitatem, quantum amari à me maxime poteſt, nec ſecus ſua ſalus mihi eſt curæ, quam mea. Creui enim beneficio huius, atque huius charitate omnia ſumma in ſorte noſtra ſum aſſecutus. Luca ortu tantum mihi eſt patria. Sena pietate & meritis. Illa dedit vt eſſem, hæc vt bene, & honorifice eſſem. In hanc quoque quia propenſior eſt mea voluntas, meorum omnium domiciliũ tranſtuli, quod illi æternum habebũt, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Ad ſuſpicionem conceptã, breue eſt quod D. tuæ reſpondeam. Doleo tantam fortunæ commutationẽ, tam ſubito factam, vt ex ſumma quiete, in inquietudinem ſummam ventum ſit, & vbi antea nihil erat verendum, nunc timenda ſint multa, & qui prius ſub vigilia oculorum alterius otioſi dormiebamus: nunc noſtris, & alienis excubare cogamur. Sine detrimento ciuitatis hoc eſſe non poteſt. Animorum enim ſuſpenſio a publicis commodis, & priuatis plerunq; nos auocat. Ego de his apparatibus aliquid etiam ſenſi: ſed quorſum tendant, explorare non potui. Nouit D. tua Pontificem noſtrum recti admodum, & taciti conſilii eſſe. Opera eius ante videntur, quàm audiantur. Nec ante rationem ſuorum motuũ aperit, quam illi ſint inchoati. Sic bello in fratres de Anguillaria ad auertendam ſuſpicionem, aſſimilati ſunt metus à Rege, & cum omnium oculi ad Campaniæ extrema eſſent intenti, ſubito coacti ſunt ad Vetrallam, & Roncilionem reſpicere. Si in Senenſes aliquid parat, & quemquam celatum eſſe vult cogitationum ſuarum, celatum imprimis me vult, quem aliquando nimis in Senenſes affectus damnauit. Vno verbo abſoluam, ignarus huius rei ſum penitus, nec vnde aliquid ſciam, ſatis intelligo. Menſibus tamen præteritis, cum vulgo ferretur repetiturum eum eſſe oppida quædam, ditionis olim eccleſiæ, & bellum illaturum ni redderentur, interrogatus amœnum hoc ſibi

ſibi animi eſſet: prorſus negauit,& benigne admodum addidit: Ego Senenſes plurimum diligo,ſalnos cupio,& non modo non laceſſam bello,ſed ab impugnationibus alienis ſum paratus tutari. Si animo nunc aliud verſat, intelligat ille,qui eſt ſcrutator cordium,& renum Deus. Difficile tamen adducor,vt credam, B. ſuam tale quicquã in eos auſuram. Argumenta huius rei colligo multa. Pacata Italia tota eſt. Nouarum turbationum non eſſet ſuę dignitatis materiam dare. Noſcit Senenſium res, non vſque adeo inopes, vt Anguillariam fortunam poſſit in eis ſperare. Scit illos conuenire in commune fœdus Italiæ, amicos habere, qui rem ſuam non ſint deſerturi: non expedire Eccleſię vicinitatem hanc ſibi eſſe infeſtam, & cum periculo amittere, quod maiores ſui Romani præſules conati ſunt inpenſa opera retinere. Veneti ſunt bello graui implicati. Ferdinandus Rex non oppugnaret eos,à quibus defenſus eſt ipſe, & retentus in regno. Dux Mediolani,vel quieſceret,vel offerret ſe medium paci. Illud certe,Senenſibus non eſſet infeſtus.Cum Florentinis paratum eſt ſemper fœdus priuatum,cum volunt.Quod illi eo inirent libentius,quo & cauſam conſimilem ſibi eſſe cum Eccleſia vident. Solum Pontificem bellum cum Senenſibus gerere, durum eſt admodum. Præſertim cum & longi temporis futurum appareat,& magni impendii, & cauſa Fidei Catholicæ, vt nuntiis certis affertur, adducta ſit in diſcrimen perſpectum, defenſionem vero eius de manu ſua omnes requirant. Sunt & alia, quę [illegible] quam abſenti mallem referre, Cauſam Sancti Anaſtaſii non ſatis habere [illegible] tantam turbationem exiſtimo. Iudicium pendet. In neutram adhuc pro[illegible]m eſt partem. Vtrinque conueniri antea poterat,& poteſt. nunc quoque [illegible] minoribus damnis, quam belli. Spoletanum noſtrum quanquam immemor aliquando ſit Pii, & ſui,ſuarumque rerum nimium amans: tamen non vſq; adeo præcipitem puto, vt velit propter ſe vnum duorum potentatuum arma concurrere, & monſtrari digito,& dici hic eſt, qui Cœnobium à Pio accipiens,& ad Cardinalatum ante aſſumptus,hæc vtraque in peſtem,& perniciem patrię ſuę ingratę conuertit. Has rationes amor fortaſſe in communem patriam, mihi demonſtrat. Re autem vera eſt aliud: ſed ego ita exiſtimo. Et quoniam quid agendum ſit conſulor, dicam ſacerdos, quid Eccleſiæ,& Senenſibus vna opera iudicem profuturum. Præſenti anno bellum non timeo.libero vos omnes hoc metu. Si quid intemptandum erit, incunte vere eſt expectandum. Sed interim ſuadeo diligentius exploretur, num hic apparatus commeatuum fiat, vt dicitur, num ita grandis, vt exercitui alendo ſit ſatis, à quo genere hominum fiat,& quo imperante. Exquiratur etiam,quo itinere traducenda ſit Neapolim ſponſa Ipolita. Num ventura Aquampendentem. Si tranſitura eſt inde, auſim affirmare propter eam tantum apparari hæc omnia. Eius honorandę incredibile eſt Pontifici ſtudium. Statuit quamdiu erit in ditione Eccleſię, Comitatum hunc omnẽ ſumma honorificentia proſequi, ſumptum ipſe facere, non pati obolum à quoquam expendi. Contendet ſuperare affluentia rerum cæteros,apud quos eſt honorata. Ad quam rem neceſſaria omnino eſt anno hoc ſterili ratio prœuidendæ antea copię. Mitti vtile puto ſenſatum aliquem hominem, veſtigatum hæc omnia, qui per alterius rei cauſam diebus ibi aliquot ſit,& cuncta, quæ fiant, prudenter odoret. Huius renunciatione,vel quieſcendum erit inani reperta ſuſpicione, vel ſumendum nouum conſilium. Interim ego quoque huic rei ero intentior, & ad communem vtilitatẽ pro viribus agam. quod in præſentiarum monſtrem non habeo aliud. Audio, D. tuam parentaſſe Pio noſtro, in eccleſia ſancti Franciſci apparatu inſigni. Id ſum tua cauſa maxime gratulatus. Pietas ea benemerentiſſimo Patri debita erat,& debebitur, quamdiu viuemus. Fortuna accidit, vt ego quoque hic Campagnani eodem die,& in eccleſia eiuſdem ſancti, idem ſacrum perſoluerim, aſtante mecum diuinis Neapoleone Vrſino,à quo non ignoras fuiſſe illum Pontificem ſumme dilectum. Celebritas fuit, non ex meritis patris ſanctiſſimi,ſed ex loci conditione. A ſumma tamen,& grata voluntate fuit,quod fuit. Hoc agamus ſemper, mi Pater,vt colamus patrem, & dominum noſtrum: ac ſi quid operibus noſtris viuenti minus perſoluimus,orationibus reſarciamus defuncto. Commendo me D. Veſtræ Reuerendiſſimæ,& ſimul ſeruos tuos, matrem, ac defuncti fratris filios. Campagnani.

FALCONI SINIBALDO.

CXXIX.

NVnquam poſſum eſſe tam triſtis, vt cum lego litteras tuas, non cadat illico omnis ſupercilii nubes. Nuncias, iocaris, amas, ſeruis affectui, delitiis verborum, te mihi ante oculos ſtatuis. Non requiro, dum ſic tecum ſum: Maieſtatem collegii, Fratrum colloquia, & quicquid pulchri vrbs habet, vel curia. Tu mihi ſolus inſtar es omnium. Si ergo continuari hanc lętitiam amico tuo vis, litteras tu quoq; continua. De Tyraſonenſi noſtro, quod ſcribis, ante acceperam: ſua cauſa ſum ſumme lætatus. Nihil eſt, quod grauitati & litteris, & ſanctis moribus eius non debeatur. Per epiſtolam quoq; gratulatus ſum ſecum. De Gallis noſtris eadem mihi eſt, quæ tibi ſuſpenſio animi. Quot inde veniunt, tot audiuntur contraria. In nuncianda re geſta, ſeruitur affectui. Quiſque quod vellet, aſſeueranter affirmat. Caupones Bachani, quibus negotium datum eſt, vt à Gallis viatoribus de omnibus quærant, nocte quaque diuerſa ex diuerſis auctoribus referunt. Quod geritur ante oſtia noſtra ſcire vix poſſumus, & ex transalpinis regionibus hoc expectamus? Etiam cum venerit Claudus ille, quem memoras, claudam rem geſtam narrabit. A rege alter, à Burgundis alter adueniet, & quiſque opus Principis ſui extollet. Diiudicata iam belli fortuna, poterimus ſine mēdacio dicere: hic vicit, vel ille. Quicquid tamen iſthuc animis ſuſpectis perſcribitur, da operam mi Falco vt ſciam. Riſum non tenui, cum legi, quæ de neſcio qua mea ad Teruiſinum epiſtola memoras. Quid tu laudas? quodcumque laudatur, verius irridetur, quam commēdetur. Inter has oblectationes mei ſeceſſus, quibus effuſo ſtudio fruor, quid poteſt commendabile fieri? Non facile eſt, & corpori, & menti ſimul ſeruire, & vna opera leporem ſectari, & ſtilum, agros percurrere, & codices. Quicquid tibi, atq; amicis nūc ſcribitur, tumultuarium, incogitatū, inelaboratum. Ante perfectum, quam inchoatum. Quale & illud ad Teruiſinum antea fuit, & nunc hoc ad te eſt. Teſtimonia veſtra, mi Ruſe, multæ charitatis ſunt, ſed non ſani iudicii. Deſinite poſthac fratrem veſtrum ridere, qui ad ſcribendas litteras, fidem tantum, & officium affert. Doctrinam, & ſapientiam vobis relinquit. Petrus Melinus, ad quem tuas litteras habui, quatriduo iam tecum eſt Romæ, & hoc tu omnium videntiſſime neſcis. Abrupit neſcio quo pacto vincula amici, & tanquam ſi Hannibal eſſet ad portas, ita repēte ad tutanda domeſtica ante lucem auſugit. Simulauit ingenioſus homo dyſenteriam, repetens crebro ſine neceſſitate ad velandam inurbanitatē, locum naturę. Scribit ad me in extrema epiſtola: Vale. plura nō poſſum. Sedes me vocat. Hui tam repentina neceſſitas? Et quomodo vocat te ſedes, qui totos duos dies ante, cōſpectus ſis longam viam equitare per vrbem? Siccine agunt quos iteratæ ſedes litteras amicorum cogunt abrumpere? Caſtiga hominem verbis, mendacem primo, Violatorem inde officii. Et doce quid contubernalem deceat Cardinalis ſanctæ Ro. Eccleſiæ. Verum credis, mi Falco, tuas quas dico ad eum litteras potuiſſe pati clauſas apud me eſſe? Ad continuandam lætitiam, lectis meis, illas ſtatim aperui: & totas percurri. O quæ in eis ſcribuntur

Partem aliquam Diuûm venti referatis ad aures.

Ad Fellinum, Mellinum volui dicere, nihil omnino. Nec illas, nec meas ad pęnam peccati habebit. Expiari tantum crimen vllis ſacrificiis nequit. In canaſciones, ſtruffulos, & ſcianbellas, & fiſcellam ficorum, eat oportet. Vix quoq; his oblationibus me ſacerdote, impetrare veniam poterit. Sed nimis multa de nugis. Innuis neſcio quid de tuo, & Theſaurarii aduentu. Strenuus valde es verbis, minans præclara, nil denique agens. Rem, non verba vellem videre. Sed tu centum cathenis cameræ Pontificiæ aſtrictus, mouere quoque te ipſum, nec potes, nec vis. Ille magiſtri virgam formidās, pedem non audet circumſcripto præſidatu efferre. Ad Calendas Græcas ambos expecto. Sed ſi tantum vtrique animi eſſet ad frangenda capiſtra, & huc veniendum, conſolatione omnium maxima afficeretis amicum, qui non minus ipſe vtrunq;, quā alter veſtrum alterum amet. Obitu Andreæ Comitis ſummam triſtitiam animo cepi. Vir erat placidi ingenii, & mitis, & ſummum inter ſuos modeſtiæ exemplar. Colebat imprimis me multum, a quo etiam charitatis indicia, ſedente Pio, nonnulla acceperat.

rat. Neſcio quo pacto hoc fiat, vt quę pura apud nos ſunt, euolent, nobis relictis: nos autem intra feces tantum linquamur. Miſericordiam faciat Deus cum ſeruo ſuo, illumq; in ſinu Abrahæ collocet. Vide quã te amem, mi Falco. Cũ breuis eſſe ab initio vellem, continere calamũ nullibi potui. hic tantum in extrema pagina intelligo, quãtum proceſſerim. Laſſis digitis impulſum dedit amor, vſq; ad tertię initium. Sed iam vale, & tantundem reſcribe, & litteras, quę cum tuis erunt, redde tu ipſe: tu inquã ipſe, in manus eius, ad quem inſcribuntur, & patri noſtro communi commenda me intime. Et tu iterum, atq; iterum Vale. Campagnani die xxv. Auguſti M. CCCCLXV.

THEODORO TERVISINO EPISCOPO.

CXXX.

ABſit, Teruiſine mi, vt tibi ſuccenſeam propter amici preces non exauditas. Charitas noſtra à quæſtu non eſt, nec penſatur temporibus commodis. In Deo ſuum glutinum habet, & altius habet radices, quàm vt his auris poſſit conuelli. Amaui non carnem tuam, nec tuas pro me apud Pontificem operas. Ingenium, litteræ, mens, lingua, innocens vita deuinxerunt me tibi. Quibus manẽtibus, manere dilectionem eſt neceſſarium. Si aliquando inter amicos erratur, & erratorum expoſtulatio eſt, fragilitatis noſtræ, & charitatis ſimul ſunt opera. Loquitur ſcriptura, *Corripe amicum tuum.* Sæpe enim fit commiſſio: querelę tamen huiuſmodi, ad iniuriam habendę non ſunt: beneuolum quippe animum, & liberum indicant, cupientem amicitiam non frangi, ſed corrigi. *Amicum*, inquit Seneca, *non amo, niſi offendero.* Quod à te nuper eſt factum, à ſtudio boni operis fuit. Iniquitas nihil eſt operata. Voluntas tantum ad obſequium cupida officium eſt prętergreſſa. Imputo tibi nihil. Tu quoq; mihi ne imputes, ſi paulo commotius ſcripſi. dolor fuit in cauſa. Sum memor charitatis acceptę. Amicos ſtudeo retinere, & æſtimationem fidei (ſi qua eſt) non poſſum proiicere, quorum omniũ factam iacturam videbam indicio tuo. Sed ex quo detectus ego non ſum, tantum forſan deſignatus, abeat hoc in vitę noſtræ cõmunia mala. Fecit nos Deus ad ſe, & quieti eſſe non poſſumus. Dolere, & lætari, & ſperare, & timere per vices ſemper habemus, donec reuertamur ad eum. Tu poſthac, amantiſſime præſul, legem mecum hanc ſerua, quam tecum ego cuſtodiam, vt in petendõ officio, cum ſecretum tibi committo, officium quam ſecretum potius deſeras. Si dixi in Pontificem te nimis officioſum fuiſſe, & parum in me, exceſſum, defectumque dixi. Inter quę ſi accuratius paulo intendiſſes, medium erat in quo ſine periculo patri, & filio ſeruiri vna opera poterat. Si non ſum nominatus, nominari vtique Neapoleoni non volo. Deſignari, & circumſcribi, minus hoc precor te cures, & preceris Pontificem, habeat menti. In tot indicibus, quos recenſes litteris tuis, ſileri facilè poſſum. Si maligno animo de metu illo tibi ſcripſiſſem, digna dicerem pati perfidia mea: ſed cum optimo, amiciſſimo, & puriſſimo nunciarim, non poſſem non impatienter ferre, retributionem malam bonę menti retribui. Vale, mi optime Pater, & ſicut toto corde te amo: ita cor tuum mihi communica. Campagnani die XXVI. Auguſti MCCCCLXV.

CARDINALI SENENSI.

CXXXI.

CVm Dignatio tua olim laudaſſet mihi Nicenum pluribus verbis, reuerſus domum dictaui tibi epiſtolam, & collegi, quæ in eius commendationem ſine aſſentatione, & mendacio dici poſſe ſum arbitratus. Non miſi eam, nolens illum offendere, ſi non probaſſet, quæ à me dicebantur. Oportune accidit poſtquam ſum Campagnani, vt in manus eius epiſtola venerit. Reſponder multa ad eam. Docet non deſignari ſe à me, qualis ſit, ſed qualis debeat eſſe. Officio amici gratias agit. Priuata adiecit nonnulla. In calce litterarum chirographo ſuo hæc addit, quæ ego ioci cauſa, ad D. Tuam nunc mitto. De Marzapanibus tota eſt quæſtio. Ad me introducta eſt lis. Iudicandum inter vtrumque in reditu erit. Quæſo (ſi fieri poteſt) auditione huius controuerſiæ liberer. Inter duos benemerentiſſimos Patres contentio eſt, in alterutrum ſine offenſionis periculo, pronuntiare nõ poſſum. Hoc Marzapanium paucorũ miſſio tollere nullo negotio poteſt. Boni iudicis eſt, ante conflictum cauſæ tempta-

re concordiam. Epiſtolam reſeruo D. Tuę, cum Romam redierit. Æquum eſt legi ab eo, cui eſt ab auctore ſuo inſcripta. Vale. Campagnani die XXVII. Auguſti M.CCCC.LXV.

CARDINALI NICENO.

CXXXII.

QVam vera ſint, quæ ad Cardinalem Senenſem ſunt à me ſcripta, probat epiſtola tua, quam nuper accepi. Plena ingenii eſt, plena virtutis, plena doctrinę, & quod mihi eſt omni theſauro maius, plena ſummæ in me charitatis. Ad reſpondendum laudatiunculę noſtræ, ad conuincendum ſine acerbitate amicum, & ad declarandā humilitatem in conſcientia benefactorum, nullum argumentum ſumi conuenientius poterat, nec ex vllo initio aptius, quod reſcribendum erat procedere. Delectatus ſum multum, & in dies delector illius lectione, admirans ingenioſum inuentū: & gaudens mihi, quod ſcopulum, quem formidabam, ſine vlla offenſione ſum prętervectus. Timui enim nonnihil, ne Baſiliana tua illa ſeueritate, qua frangere aliquādo noſtras ineptias ſoles, hoc quoq; filioli officiū aſperius increpates. Sed vicit te bonitas, & lucubratiunculam bonæ mentis benigne accipiendam duxiſti. Gratias tuæ manſuetudini ago, tantumque amoris ad amorem priſtinum addo, quantum rei cumulatę addi iam poteſt. Vultus tuus habitaculum erit oculorum meorum. Te colam, te obſeruabo, nec plus mihi, quam tibi erit in me ipſum imperii. Extrema epiſtola tua, Reuerendiſſime pater, præceptum habet paterni tui in me animi, quod ego manibus obuiis libenter excepi, & in imis ſenſibus condidi. Hortaris ad ſtudium ſapientiæ, aſſerens orationis pondus inde eſſe quærendum. Rectum eſt verbum tuum, mi Domine, & opera tua in fide. Dico cum Scriptura: *Quàm ſpecioſa veteranis ſapientia, & glorioſus intellectus, & conſilium eſt!* Aliter agendum non eſt ab iis, qui laudem facundiæ quærunt. Oneranda eſt mens, & complendum pectus cognitione rerum bonarum, ex quibus redundet oratio. Scribendi recte, inquit Flaccus, ſapere eſt principiū, & fons. Qui ſine doctrina ſtrepitui tantum verborum, & numeroſę intendunt orationi, loquaces habendi ſunt, non facundi. Dictio eorum in labiis oritur, non ducitur ex pectore, ſicut de Vlyſſe tradit Homerus. Amplectar conſilium: ac quanquā ab obitu Pii intermiſſa olim ſtudia, ſumma voluntate reſumpſerim: nihilominus lucerna erit pedibus meis verbum tuū, & lumen ſemitis meis. Puto autem de ſacris litteris te intelligere. Sic enim & vocationi, & ætati iam conuenit. Si eſt ita, ſcito, mi pater, in hac ſemita me pleno gradu incedere, legere quotidie Eccleſię codices, adiumentis doctorum reconditos ſenſus elicere, & nihil dimittere, quod ad colendum animum ſpectet. *In Deo igitur laudabo deinceps verbum, & in Domino laudabo ſermonem: quia declaratio ſermonum ſuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* Terruit me olim coaceruantem mihi, ſecundū Apoſtolum, magiſtros prurientes auribus meis, & ad aniles fabulas conuerſum id quod in prouerbiis legitur, & à Chriſtiano negligendum non eſt. Si quis erit cōſummatus inter filios hominum, & ab illo fugerit ſapientia tua, Domine, in nihilum computabitur. Habes itaque in filio, quod vis. Ipſe quoq; ſtimulo præcepti tui incitatus ad ſanam doctrinam cōtendet, & memor erit verbi paterni. Intellexi, quę mecum de Cardinali noſtro Senenſi chirographo tuo expoſtulas: querela, & iudicio digna ſunt omnia. Iudicabo recte inter vtrumq;, cum ille in vrbem redierit. Verum antea boni iudicis impleui officium. Scripſi ad eum: dixi de negligentia in patrem, eſſe apud me ipſum poſtulatum. Concordiam ſuaſi, antequam patris & filii cauſa confligat. Addidi item ſibi eſſe cum duro aduerſario, qui cauſis repulſis, ſuis aduocatis patrocinari ſit ſolitus, & cuius oratio quocunque incumbit, frangat, & diſſipet. Credo: quia amator eſt pacis, & auditor fidelis conſilii, neglecto patri faciet ſatis, & plenitudine operis, tarditatē ſuam pēſabit. Ego me pietati tuę cōmendo. Commendari etiā peto Pontifici, & integerrimo Patri, Cardinali ſancti Angeli. In quo tanta filiorum ſuorum eſt cura, vt ſancta eorum deſideria peponibus, & ficis poſthabenda exiſtimet. Mille exorationibus, mille artibus, mille argumentis, ab eo impetrare nō valui Apologiam Sedis, cuius initium eſt: *Scrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.* & alteram: *Eiice ancillā, & filium eius. Non enim erit hæres filius ancillæ, cum filio liberæ.* Si impetrare hoc tua charitas poſſet, dicerē noſtris tem-

ſtris tem-

ſtris temporibus reſtituta miracula. Iterum vale in Domino, Pater omni veneratione, & cultu digniſſime. Campagnani. xxvii. Auguſti. M.CCCCLXV.

GREGORIVS LOLLIVS CARDINALI Papienſi.

CXXXIII.

REnouauit conceptum antea animo dolorem, exemplum litterarum tuarum miſſum nuper mihi à Reuerendiſſimo Patre Cardinale Senenſe. eum enim primum de morte Ludouici Reuerendiſſimi Cardinalis de Lebretto allatum fuerat, non aliter mente tota contriſtatus fui, quàm ſi longa, atque aſſidua conſuetudine ſibi deuinctus fuiſſem. Memineram eorum, quæ ſcribis, Reuerendiſſime Pater, illum eſſe opus Pii noſtri, noſtri amantiſſimum, virum ſincerum, nulla aſperſum macula, in quo par mentis, & ſanguinis certabat nobilitas, & eius morte diminuram Collegii veſtri dignitatem quæ per Pium noſtrum aucta fuerat, intuebar. Accedebat & vinculum, quo ſibi eram coniunctus, qui Compater meus Ippolitam filiolam meam, ſacro è fonte leuauerat, ſed non minus quàm oculis vertebatur ſingularis amor, & coniunctio, quæ tuæ Reuerendiſſimæ Paternitati ſecum erat, & interitu talis amici, iucunda conſuetudine, & multorum communione officiorum te priuatum dolebam. Verum inſpectis literis tuę Reuerendiſſimę Pater. excitatus eſt dolor, qui plurium dierum lapſu pene cõſederat. Viſus eſt mihi tum primum, Ludouicus extingui, & ego in cubiculo deficientis inter lamẽta, & lachrymas verſari videbar. Auxit maxime moleſtiam fractio animi tui, Reuerendiſſime Pater, & prope deſperata ipſa literarum verba, quæ huiuſmodi ſunt: Videor mihi nunc mancus, relictus, & imperfectus, & cum cõmunicationis noſtræ venit in mentem, oon ceſſo à lachrymis. Ego nihil imperfecti video, aut manci. Meminit D. tua quandoq; opibus, & potentia ſe multo inferiorem fuiſſe, quas ſola virtus maxime auxit, virtus eadem, & potentia longe maior adeſt. lachrymæ noſtræ nec ſibi, nec nobis proſunt. Humanum eſt condolere amici caſum, ſapiẽtis forti etiam animo ferre quodcunq; acerbitatis aduenerit. Verum primi illi motus tanto impetu ſpiritus, ac ſenſus omnes noſtros perturbant, vt in eo ipſo calore nemo vnquam temperare potuerit. Reddidit ille ſpiritum Deo ſumma, vt inquit Reuerendiſſima D. tua, deuotione, ſortitus vitam, quæ omni caret moleſtia. Hoc ſatis nos cõſolari debet. Perſoluamus ſibi debita pietatis officia, & Gregorianas (vt ais) miſſas: & alia pia ſuffragia inſtituamus. Ita enim & tenemur, & ſibi & nobis prodeſſe poterimus. Sitq; nobis hic exitus ſuus monitio quædam peregrinationis noſtræ quam ita dirigamus, vt perfecto itinere, ad ſalutis portum peruenire poſſimus. Bonam valetudinẽ tuam, Reuerendiſſime Pater diligenter cura, quam Deus longo tempore eum felicitate conſeruet. Senis die xxx. Septembris.

G. LOLLIO.

CXXXIV.

QVid mirum, ſi interitu alterius partis animi mei, altera ſum conſternatus, conſolationem non capiens in luctu recenti? Scribitur in Eccleſiaſtico: *Beatus homo qui inuenit amicum verum.* Si beatus homo qui inuenit: nunquid non miſer homo, qui perdit? Si miſer qui perdit, nunquid non miſeria ſua illi eſt flenda? Si miſerum me noſcens fleui, nunquid hæ lacrymę non ſunt mihi ignoſcendæ à te potiſſimum? qui noſti quid perdidi. Erat charitas noſtra, mi Lolli, amicitia, nõ queſtus. Reſpiciebat nos, non ea, quæ ex nobis. Habebam, qui mori poſſet pro me, qui meum ſequeretur exilium, qui in ſe exciperet omnem acerbitatem fortunæ. Ito nunc tu, & alterum quære, aut monſtra, qui hæc impendat amico. In Pontificatu Pii inchoatus amor noſter, tantum illo defuncto excreuerat, vt magnitudini ſuæ iam addi nil poſſet. Semina tunc iacta coaluerant, noſtra cultura. Communia inter nos erant omnia, nihil partitum. Vt animi, ſic fortunæ ſpes, expectationes, & omnes res in vnum venerant glutinum. Coniunctius excogitari nil poterat. Vna morte diſſoluta ſunt omnia, extincta, & nunquam reditura in idem, & miraris ſi dixi mancum me, & imperfectum relictum, & negas mancum relictũ me eſſe atq; imperfectũ. O Lolli Lolli, faciem coniunctionis noſtræ inſpexiſti aliquando, interiora nunquã es contẽplatus,

ſi vidiſſes quod latebat, & quod ſpirabant ſeoſus noſtri, mirareris magis, quòd in hanc diem ſum reſeruatus. Ignoſce quod ſcripſi. Minus fuit eo, quod mœror ſuaſit. Crede, non mentior. Cohibui ſupra vires erumpentes dolorum fluctus, ſed retinere ſæpe non potui. Nunc quoq; retinere vix poſſum. Patuerunt, & patent publicis io locis, & priuatis. Die funeris ſui ſacris ad altare operaturus, tanta vi lachrymarum ſum expugnatus, vt & circumſtantes ad fletum compulerim, & ego vix abſoluere illa potuerim. Siue infirmitatis meæ hoc ſit, ſiue magnitudinis damni, ſic eſt factum, & fit. Nec patris, nec fratris, nec quod ſine grandi ſcelere non eſt, Pii noſtri funus tantum me torſit, quantum vnicum Ludouici mei deſiderium. Loquens quoque hæc tecum, non teneo lachrymas, & mihimetipſi ſum grauis. Quanto minus ſpei eſt reperire quod perdidi, tanto remetior dolentis iacturam, quam feci. Conſoletur me Deus, & rationis porrigat, non temporis medicinam. Tu quoq; ſicut cœpiſti, mederi ne ceſſa. Vale. Romæ.

N. SYPONTINO ARCHIEPISCOPO.

CXXXV.

SI videre, & alloqui me non potuiſti ante diſceſſum, non minus mihi, quàm tuæ Paternitati eſt graue. Viciſſim & ego videre te cupiebam, complecti, & communicare, quod amori noſtro eſt conſentaneum. Vtrique abſtulit caſus, quod cupiebat. Caſus ergò ſit culpa, non noſtra. Quæ de epiſtola neſcio qua mea commemoras, dilectionis tuæ ſuot teſtimooia. Laudas, quod amas, & quod amas ſeuere non diſcutis. Illa nil habet laudis in ſe, præter hoc vnum, quod Niceni noſtri continet laudes. In cæteris digna eſt vico vendente thus, & odorem, & piper, & quicquid chartis amicitur ineptis. Volui iodicare iudicium de illo meum, magis quàm de ſcriptis commendationem perquirere. Scio quàm rudis ſim, & quàm ignarus, & quàm ſine ornatu. Olim forte placere de me aliquid potuit, cum nondum feces hæ curiæ inquinauerant ſtilum: ſed factus in diem deterior ſum, quærens panem, abieci limam, & me io turbam coniiciens, quod non didiceram ſumpſi, & quod didiceram ſum coactus deponere. Secretariatus Caliſti & Pii, quibus, vt plurimum bene vti non licuit, totum me immutarunt. Conor inſtitutionem antiquam reſumere, ſed curſum confectum iterare iam piget. Conor, & cum ornatis redire in gratiã, ſed ii me in tenebras exteriores eiiciunt, quod veſtem nuptialem non habeo. Tibi igitur, Sypontine, lautã hanc ſupellectilem linquo, & totam adiudico. Venere ad manus meas tua nonnulla, in quibus neſcio, quid prius admirer, ornatum orationis, an copiam rerum? An vero etiam ſententiarum pondus & lucem. Illud certe, & doctiſſimum, & diſertiſſimum, te eſſe iudicaui. Exerce igitur, atq; auge quod habes, cudens aliquando nobis, quod officina tua eſt ſolita. In Prætura Viterbienſi agam quod rogas, atq; ea porta, ad petitionem ingrediar, quam tu mihi demonſtras. Quod erit intelliges. A me certè nil prętermittetur officii. Beoe vale. Romæ.

CARDINALI SENENSI.

CXXXVI.

AMor, & delitiæ Collegii noſtri, Ludouicus Cardinalis ſancti Petri, & Marcellini, opus Pii noſtri ſanctiſſimi, & frater noſter, qui diligebat nos vnice, nocte proxima, inter ſextam, & ſeptiomam horam, ſpiritum Domino dedit: Quanta deuotione, non dico. Admirabilis fuit hic tranſitus eius. Moriturum ſe noſcens, cogitare, & loqui, & audire alia de re, præter quam de ſalute animæ non paſtus eſt. Fuerunt ſibi lachrymæ ſuæ panes, dum recogitauit annos præteritos. Cubiculum eius aſſiduis queſtibus, & compunctionibus cordis repletum eſt. Sacramentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumpturus, è lecto in terram ſe iuſſit deponi, nec aliter Deo ſuo communicandum putauit. Horas Caoonicas non ante dimiſit, quam à voce eſt ipſe dimiſſus. Inter orandum ſi quando labente iam memoria alicuius verbi eſt facta omiſſio, totiens iterauit, donec quod exciderat eſt aſſecutus. Cum ab iis vacabat, paſſio Saluatoris noſtri legebatur aſſiduo. Inter audiendum non ceſſabat ſuſpirium, & fletus. Vnum modo locutus eſt, quod ſapere humanitatem eſt viſum, & tamen fragilitati no-

tati noſtræ ſit concedendum. Audiens deſperatam à medicis ſuam ſalutem, & cogitandum ſibi de tranſitu, aliquandiu tacens, mox conuerſus ad ſuos: *Non dolet*, inquit, *mors mihi propter me, obeunda enim eſt ſemel. Dolet propter patris & matris ſenium, qui biennio ante, amiſſo apud Parchinonem filio vno altero anno præſenti, nunc de me audientes, me ſtatim propter dolorem ſequentur*, & addidit: *Illis, & mihi ſit Deus præſidio.* Tota Curia contriſtata eſt obitu eius. Pontifex vbertim fleuit, cum Epiſcopo Hoſtienſi, & mecum, quos ille ad implenda legata elegit. Ego, Reuerendiſſime Pater, conſolari vix poſſum. Amiſi dimidium animæ, & mentis meæ. Scit Dignatio tua, quanta inter nos erat coniunctio, quanta rerum omnium communicatio. leuator ille erat ægritudinum mearum, ego viciſſim ſuarum. Fideles manſimus in dilectione. Nullæ querelæ, nullę expoſtulationes auditæ inter nos vnquam. Studia mea erant ex ſuis, ſua ex meis. Gratia, honore, & obſequiis inuicem præueniebamus. Mores eius cuiuſmodi eſſent, Dignationem Tuam non latet. Reſpondebat vita nobilitati. Sanguis erat regius, vt ſcis, ſuperans ſine controuerſia genus omne aliud Gallicanum. A parentibus religioſis educatus, nihil niſi religioſum ſapere poterat. Verbum impudicum, inſolens, & aſperum, nunquam eſt ex ore eius auditum. Conuerſatio erat grata, cõſuetudo ad omnia facilis, ſenſus pleni miſericordia, ſemper ad rectum intenti, odientes malum, & adhęrentes bono. Introſpexi præ cæteris hominem totum, & ſcrutatus ſum renes eius, ac cor. Nihil vnquam malignum in cogitatione Patris huius inueni. Videor mihi nunc mancus, relictus, & imperfectus, & cum cõmunicationis noſtræ venit in mentem, nõ ceſſo à lachrymis. Illi in morte nil contigit mali. Deceſſit enim tẽpore ſuo, nõ noſtro: ſortitus vitam, quæ indeficiens eſt, atq; omni caret moleſtia. Nos ad continuationem miſeriarum ſumus relicti, Reuerendiſſime Pater. Erat hic ex filiis Pii noſtri, vt dixi, eadem voce aſſumptus, qua nos, atq; eadem manu benedictus, qua nos. Dilexit Dignationem tuam, & familiam noſtram, & omnes qui ex famulatu illo ſancto fuerũt. Debemus viciſſim illum diligere. Dilectio autem noſtra, ſi fructuoſam eſſe optamus, in orationibus ſit, & piis ſuffragiis. Hæc ego & præſtiti, & præſto quãtum poſſum. Idẽ quæſo faciat bonitas tua. Commendatur permultum hæc pietas, dicente Scriptura: *Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* Tricenas miſſas Gregorianas animæ fratris, & collegæ inſtitui. Si totidem inſtitueris tu, rem meo iudicio piam, & ſalutarem inſtitues. Menſura illa metietur nobis, quam nos aliis menſi fuerimus, vt habeamus qui noſtri ſint memores cum moriemur, mortuorum nos habeamus memoriam. Si placet communica hæc cum Lollio noſtro, qui illi compater fuit, & ad eadem tuo, & meo nomine hortare. Ego contra voluntatem meam reuocatus in vrbem ſum, & hic cogor eſſe, donec de cauſa quadam in Conſiſtorio referam. Ago totis affectib. pietati tuæ innumeras gratias, quòd filium fratris ad ſe aduocauit, quòd complexa eſt, quodq; allocuta. Magis autẽ quòd humilem materculã ſerui ſui domi viſere temptauit. Hoc ego miratus ſum, & anxie tuli. Poſtulo, & deprecor, vt nõ fiat hoc amplius. Ancilla ad dominum, non Dominus ad ancillam debet accedere. Confuſio eſt, & perturbatio officii, quando aliter agitur. Satis illi ſit, quòd habeat exploratum benignitatem tuam ſibi, Chriſtophoro, & mihi in omnem caſum eſſe firmum præſidium. Conſeruet Deus D. Tuam ex deſiderio meo. Romæ.

G. LOLLIO.

CXXXVII.

MErito laudas Leonardum noſtrum Beneuolentem: eſt enim meo iudicio valdè laudandus. Amat Remp. ſuam, atq; in ea iuuanda adhibet ſtudium, quod in ſe eſt. Accedit ingenium, animus bonus, indefeſſa induſtria, quibus nulla in re publicis deeſt. Nam de integritate teſtimonium perhibes tu, qui illum annos iam multos adminiſtrationibus ciuitatis cognoſcis. Locutus eſt mecum priuſquam adiret Pontificem, & de mandatis ſingulis contulit. Non inutilis ea communicatio fuit. operatus eſt bonum opus in omnibus: Impleuitq; illud Scripturæ: Legatus fidelis ſanitas ciuitatis. Placauit Pontificem, propitiumque reddidit rebus Senenſium, de quibus, quia ad Magiſtratum literas dedit, non eſt quòd à me id officii quæras. Ego illi legi particulam literarum, in qua de eo honorifice loqueris, id quærens videlicet, vt ſi amor eſt inter vos, his etiam ſignificationibus creſcat, ſi

non eſt oriatur. Viſus eſt perquam grate eã rem accepiſſe. Tibi certe gratias egit. Suadeo hominem tibi retineas, quem ego ſemper plurimi feci, & cuius coniunctionem vtilem eſſe ad multa exiſtimo. Demeritus illum propterea ſum multis humanitatis officiis, & demerebor in dies. Gratulor coniugem Franciſcam eſſe in vado ſalutis, atque in diem melius recreari. obnoxia nimium eſt crebris languoribus, & duriter nimium languet. vnde ſit neſcio: ſed tu eam quantum potes conſerua. Perpaucarum mulierum eſt mentis bonæ, & ſanę, & caſtæ, & amantis virum, ac filios. Cui contingunt hæc, contingit ſumma à Deo felicitas. Dicitur in Prouerbiis: *Domus & diuitiæ dantur à patribus: à Domino autem vxor bona & prudens.* Pro iis vero quæ ſignificas mihi & offers de fratris filiis, tibi gratias ago. Amas amicum, nec potes amorem ſemel ſuſceptum deponere. Ea iam eſt multiplicatio tuorum in me meritorum, vt non ſciam vnde tibi poſſim rependere. Retribuet ille cui abunde eſt ad ſatisfactionem operis boni. Bene vale. Romæ die III. Octobris. M.CCCCLXV.

BANDINO SENENSI BARTHDI
Phyſici filio.

CXXXVIII.

[illegible]tarunt me litteræ tuæ, Bandine cariſſime: ſunt enim plenę amoris, ple[illegible] ingenii, & liberalis inſtitutionis etiam indices. Bene inuentis, bene or[illegible] tui gra[illegible]itas deeſt. Hortor ſic ſedulo facias, exerceas ſtudium, & à lectio[illegible], quamuis tu patri tuo vnicus filius & in te omnis domus inclinata re[illegible]. Erunt tamen particulæ temporis, quas impendere inchoatis ſtudiis poſſis. I[illegible]ntus tibi non obſit, non etiam vxor. vtrique ſic te impertire vt totum te illa non habeant. Non poſſidearis: ſed poſſide. Pater relinquere tibi patrimonium, poteſt, & Reipu. munera: virtutem non poteſt. Hanc tu pares neceſſarium eſt. Itaq; labora, & vigila, & ingenium cole. Bonis litteris nihil vtilius, ſiue ad otium, ſiue ad negotium illas adhibeas. Petrum Ioannem, & Blaſium humane accepi. Iocundus fuit vtriuſque aduentus. Quamdiu hic erunt, patris, non domini charitatem agnoſcent. Blaſius domi meæ eſt a meq; indulgenter habetur. Curabo ita negocietur vt tamen non proiiciat ſtudia. Matrem, & fratris filios, de quibus ſignificas, lætor bene valere. eos tibi commendo. Tui enim ſunt, & tuo creſcent ſuffragio. Viro optimo, & doctiſſimo, patri tuo, dicito meis verbis ſalutem. offerto quod poſſum, & Guidantonium noſtrum familiamq; omnem ſuam, & meam commenda. ſubſtentator opus eſt ſit omnium noſtrum. Bene vale. Romæ. XI. Martii. M.CCCCLXV.

IO. ANT. AQVILANO SCRIBAE
Ducali Mediolan.

CXXXIX.

AQuilane cariſſime, bono animo eſto. Nec ego vnquam ſuſpicatus aliquid de tuis operibus ſum: nec Carolus noſter operatus quicquam ad nos diducendos. Ambo ſenſimus amica omnia, & ſentimus de te. Fides tua non defuit temporibus noſtris. Idq; totiens experti iam ſumus, quotiens poſtulauit neceſſitas. vterq; te amat. vterque te habet in ſuis. Ego in primis debere tibi confiteor. Abiice quæſo ſuſpicionẽ inanẽ, & plus mihi in hoc crede, quàm tibi. Proficiſcar ad vos venturo Maio, Aquilanum meum complectar, & ſi quid amari nunc habet, vno colloquio totum abſtergam. Eſto interim, quod fuiſti ſemper. Carolo ſcribo te vtatur, vt debet, vt poteſt, & vt curatores rerum mearum antehac ſoliti ſunt. Bene vale. Romæ die XII. Martii. M.CCCCLXV.

CARDINALIS PAPIENSIS IACOB. VOLAterrano.

CXL.

REſcribe has, Iacobe, & fragmenta hæc ne pereant, collige. Litteras ad Ladiſlaum Regem Hungariæ pro Ampliſſimo Patre Cardinale Firmano eo tempore ſcripſimus, quo illi, vt nunc tu nobis, ab epiſtolis ſeruiebamus. Non erit tibi inutilis

paruus hic labor, nec nobis ingratus. Forte etiam, ſi ita viſum nobis erit, referri poterunt in librum ineptiarum noſtrarum, cum Romæ erimus. Commentationes item nonnullas, quas hodie inter ſcripta noſtra reperimus, etiam leges, & ſi videtur reſcribe. Emendaturi hæc ſumus, & pleraq; alia, quæ nobis exciderunt quodammodo inuitis. Rememora nobis hæc Romæ vbi eiuſmodi multa in arculis noſtris reperientur. Vale. Exquire de Spanochiis ſi quid habent nouarum rerum ab Vrbe, & illico ſcribe. Marianum Fabrum lignarium, & pictorem ad opus perficiendũ accelera. Lente vterq; nimium præ deſiderio noſtro. Froſinum ab iniunctis operibus nemo dimoueat. Pientiæ.

EXEMPLVM DICTARVM LITERARVM CARDINALIS Firmani ad Vladiſlaum Regem Hungariæ.

CXLI.

ETſi non dubitemus ea, quæ ad optimi Regis officium pertinent, partim à M. V. per ſe intelligi, partim etiam per Sapientiſſimos viros conſultores ſuos ſibi oſtendi, vt nulla in re per imprudentiam poſſit errari: nos tamen, qui clariſſimæ memoriæ genitori veſtro Sereniſſimo Romanorum Regi, plurimum affecti fuimus, & propter ſuam in nos beneuolentiam, eum in omni vita coluimus, cupientes filium eius tam Regni, quam paternæ virtutis heredem videri, non alienum putauimus ea quæ honori, & laudi ſuæ conducere arbitraremur, breui epiſtola complecti. Non quo intelligamus quicquam à Celſitudine veſtra committi, quod aut noſtra, aut cuiuſquam admonitione indigeat, ſed vt extet ſignum aliquod noſtræ in eam charitatis, quod futuræ etiam voluntati teſtimonium præbeat. Et enim ſi antea S. V. plurimum afficiebamur: tamen ex quo tẽpore M. V. hic Romæ vna cum Sereniſſimo Romanorũ Imperatore fuit, nos eius ingeniũ, humanitatẽ, modeſtiamq; intuentes, multo eandem magis & vero corde diligere cœpimus. Hoc autẽ ſcribendi onus eo libentius ſuſcepimus, quod eiuſmodi noſtra iam ętas eſt, vt ex iis, quæ vidimus, legimus, expertiq; ſumus, poſſimus ſemitã quodãmodo minus fallentẽ iter nunc primum ingreſſis oſtendere. Eſt igitur, iudicio noſtro, illud primo curandũ à Celſ. V. vt exiſtimet curã & grauitatẽ virilem ante annos ſibi ſumendã, nec cõmittendum, vt quicquam puerile dictũ, aut factum eius putetur. non. n. eadem eſt cõditio priuati hominis, & Regis. Ille ſiquidem quicquid per ętatem delinquit, quia ad paucorum exẽplum laborat, excuſationem habet ætatis: hic quia omnium exemplar conſtitutum eſſe debet, reprehenſione non caret, eoq; magis quod à tenera iam ætate ſigna futuræ adminiſtrationis petuntur, in quibus ita elaborandum eſt, vt cum præſentia laudentur, de futuris quoq; bona ſpes habeatur. Proxima huic commendatio eſt, vt M. V. in ſuis agendis conſultores adhibeat, & ſana ſemper conſilia quærat. *Ibi* enim ait Salomon, *ſalus populi eſt, vbi multa conſilia, & qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit.* Cum autem omnis ætas alterius conſilio indigeat, tum vero imprimis adoleſcentia, quæ quia per ſe minus agnoſcit, danda eſt opera, vt quod ab annis haberi non poteſt, habeatur ſeniorum conſilio. Decet enim Principem eſſe omnibus patrem, Reip. amatorem: à quo nihil immaturum, nihil perperam, nihil aſperum formidandum ſit. Ingens namque gloria Principis eſt, Remp. magis amare, quam filios. Verum in iis eligendis magna eſt cura habenda, ne forte eiuſmodi ſint, vt omnia magis ad ſuum, quam Regni commodum referant. ſapiens enim dictum eſt Seueri Alexandri Romanorum Imperatoris: Minus infelix id regnum, ac prope tutius eſſe, in quo Rex ipſe malus eſt, quam id in quo Regii conſultores mali. Malum enim vnum à bonis pluribus corrigi poſſe: plures autem malos ab vno, quamuis bono, non poſſe. Sed hoc timendum à M. V. non credimus, cui paterni ſeruitores viri prudentiſſimi ſunt, de quibus ſperandum eſt, eoſdem futuros in filium, qui olim fuerunt in patrem. Et præcipua quadam Hungariæ Prælati, Proceres, atque Barones gloria, & laude digni ſunt, & plurimum commendandi, qui tot annos in tanta rerum & temporum tempeſtate, Regnum illud M. V. incolume ſeruauerunt. Studia quoq; bonarum artium à Serenitate V. amplectenda putamus, quæ certe Reges, & Principes maxime ornant, & à claris viris ſemper ſunt culta. Vnde Demetrius Phale-

reus admonebat Ptolomeum Regem Ægypti, vt è Regno libros compararet, atque legeret: nam quæ admonere Reges amici non audent, hęc in libris ſcripta ſunt. omitto enim Latine loqui, & reſpondere, quæ ſunt neceſſaria. Magnæ profecto vtilitatis putandum eſt, intelligere ex libris diuina præcepta, quibus regna conſiſtunt, officia Regum, veteres hiſtorias, vitas clarorum hominum, per quas mentes noſtræ ad bene, & fortiter agendum mouentur. Certe aiebat Plato: Tum denique beatas res publicas fore, cum aut docti, & ſapientes homines eas regerent, aut ii qui regerent, omne ſuum ſtudium in doctrina, & ſapientia collocaſſent. Hanc videlicet coniunctionem poteſtatis & ſapientiæ ſaluti cenſebat ciuitatibus eſſe poſſe. Et pſalmiſta nos admonens: *Reges*, inquit, *intelligite, & erudimini, qui iudicatis terram*. Et poſt paulo: *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & ne pereatis de via iuſta*. In eo autem eſt omnis veſtra cura, ſtudiumque ponendum, vt toto Maieſtatis Veſtræ Regno ſtudium Iuſtitiæ ſit, quæ certe ſumma eſt virtus, & ſine qua nec Imperia, nec ſocietates hominum poſſunt conſtare. Hanc profecto ſi M. V. vt credimus, ſeruauerit & cæteros ſeruare compulerit, nullum maius firmamentum ſuæ Dignitatis poterit comparare. Hæc enim charitatem populorum ſibi conciliat, hæc diſcordias contentioneſq; tollit, hæc otii eſt, & pacis alumna. Ab hac omnia prouehuntur in melius, dicente Propheta: *Iuſtus vt palma florebit: & ſicut cedrus Libani multiplicabitur*. Hanc poſtremo tanti Ariſtoteles facit, vt dicere non dubitet heſpero & lucifero eſſe mirabiliorem. Quæ cum ita ſint, colat ante omnia M. V. hoc tam egregium Regni decus, & in id tota mente incumbat, quod vnum ad ſummam laudem pene plus poteſt, quàm cæteræ virtutes. Sed neque munificentia & liberalitas, quæ propria Regum opera videntur, ſunt prætermittenda. Præcipue autem vitanda eſt omnis ſuſpicio tenacitatis atque auaritiæ, qua nihil eſt homini ad perpetuitatem Regni, magis contrarium. Eſt enim malorum omnium radix, inimica pietati, Deo & hominibus infeſta: vnde neceſſe eſt bella, direptiones, cædes, fraudeſque oriantur, odiaq; noſtrorum in nos grauiſſima concitentur: cuius naturæ nos admonens Saluſtius: *Auaritia*, inquit, *pecuniæ ſtudium habet, quam nemo vnquam ſapiens concupiuit. Ea quaſi venenis malis imbuta, corpus animumq; virilem effeminat, ſemper infinita, ſemper inſatiabilis eſt, neque copia, neque inopia minuitur*. De quo quidem vitio plura nobis dicenda exiſtimaremus, niſi M. V. ab eo longe abeſſe putaremus. Illud vero eſt ei diligenter curandum (quod etiam ad commendationem optimi Principis plurimum valet) vt in dictis factiſque exemplum continentiæ ſe aliis prębeat. Hoc enim cum ad laudem ſuam maxime pertinet, tum cæteros ad imitationem inuitat. Sequuntur enim populi ſtudia Rectorum, & tales, vt ait Plato, neceſſe eſt reliquos ciues in Rep. eſſe, quales ipſi ſint Principes. Omnis autem in S. V. temperantia & moderatio eo mirabilior fiet, quod in iſta ætate minus reprehendi cupiditates ſolent. Sint quoque ad eam faciles aditus, allocutiones benignę, reſponſa plena manſuetudinis, & gratiæ, quibus populi mirum in modum capiuntur. Nullum verbum inſolens audiatur: non aſperum, non contumelioſum, non mẽdax: ſed quicquid ex ore M. V procedit, ex quodam ſacratio veritatis prodire appareat. In puniendis quoque delictis moderationem ſummam adhibeat, omnem iracundiam pellens, quæ eſt inimica conſilio. Ac ſi in alterutram eſt partem peccandum, ſeueritati ſemper miſericordia præferatur. Sic enim præceptum nobis à Domino eſt, vt miſericordes ſimus: neve eam legem in alios feramus, quam ab eo in nos ferri nollemus. Habeat inſuper, quod rerum omnium eſt fundamentum, & ſine quo reliqua ſtare nõ poſſunt, M. V. verum Dei timorem. Initium ſapientiæ & in omni actione ſua eum ſibi ante oculos proponat. Ipſe eſt enim qui regna dat, & aufert, & à quo eſt omnis poteſtas: & qui dixit: *Per me Reges regnant & Principes imperant*. Quod ſi M. V. quãtum in ſe eſt, legem & præcepta ſua ſeruauerit, omnia proſpera ſibi euenient. Si terrenis obſeſſa, Creatoris obliuiſcetur, non mirum ſi ipſa quoque aliquando obliuioni mandabitur. Et quia ea nos comitari per omnem vitam ſolent, quorum habitus ab ineunte ætate contracti ſunt, ideo aſſueſcat à paruo Serenitas V. deuotionibus mentem intendere, & aliqua orationum præcipua officia ſibi deligere, in quibus animum recordatione Dei continuo alat. Quæ ſi, vt nunc facere credimus, poſthac quoque effecerit, non dubie ſub protectione Dei cæli perpetuo commorabitur. Hęc pauca de multis

de multis ſcribenda inpræſentiarum putauimus, non ignorantes innumera eſſe alia, quæ præcipi de hoc genere poſſunt: ſed nos quibus non præcipere, ſed animum noſtrum oſtendere propoſitum fuit, ſcienter ea omiſimus: non dubii Maieſtatem V. illa ipſa quotidie à Seruitoribus ſuis, & grauius, & vberius audire. Omnia vero, quæ à nobis dicta ſunt, quemadmodum animo amiciſſimo, & recto officio ſunt dicta: ita Maieſtatem V. magnopere precamur, vt in bonam partem accipiat, & gratæ voluntati noſtræ mutuam beneuolentiā reddat. Parat ſemper ad omnia obſequia præfatę Celſitudinis Veſtræ: cui Dominus omnia ad ſalutem fortunet. Romæ x. Octobris M.CCCCLIII.

COMMENTATIONES: DE QVIBVS IN EPISTOLA ad Ia. Volaterranum ſupradictum.

CXLII.

HOdie hora xx. domo exeuntes viſitauimus Cardinalem Nicenum: quem febre ſatis affectum vidimus, ita vt languorem ſuum, vel diuturnum putemus futurū, vel certe mortalem, cum horum alterum ſoleant vt plurimum caſus autumnales parere. Febris enim quæ prius erat tertiana, ſubito in Flegmaticam eſt verſa. Deus ſit ei adiutor. Inde ante ædes Cardinalis ſancti Marci ſub Capitolio, perque Auentinum tranſeuntes, aſcendimus ad Monaſterium ſancti Sabę, cuius celebritas eſt hodie, veneratiſque ibidem aris, ac reliquiis ſuperimpoſitis, domum rediuimus. Fuit noſter reditus per extremum Auentinum ſub cliuo Scauri, ſub arcu Conſtantini, & per exquilias, & Thermas Diocletiani, quo in reditu ad ædem Beatæ maioris deuotionis cauſa deſcendimus. Collocuti ſumus inter vias Antonius Foroliuienſis & ego, nulli rei aſſcribentes valetudinem Niceni, & domeſticorum eius, qui languent vel mortui ſunt niſi voluptatibus nimiis, quibus receſſu Eugubino hac æſtate indulſerunt. Ex illa enim ſumma laxitate viuendi redeuntes in hanc fatigationem Curiæ, & aerem inſalubrem, facile in morbum inciderunt. Quo loco recordati, quanta auiditate receſſum illum Cardinalis cupierat, diximus nil vnquam magnopere optandum eſſe, aut timendum, cum nos ipſi futurorum incerti neſciamus quid nociturum ſit nobis aut profuturum.

VIdetis ne obſecro, vt præter ætatem hic noſter documenta dat ſenſati viri, cognoſcentis quid ſecum ferat operis hæc dignitas Cardinalatus, ad quam aſſumptus eſt. Nullum in eo verbum, nullum hucuſque factum reprehenſibile animaduerſum eſt, quod ad noſtras aures peruenerit. Cumque difficile ſit in tanta licentia non oſtendere motus aliquos animi, ſi non efferentis ſe, at ſaltem ſentientis, quem locum aſcenderit: hic tamen veluti ſi deſcendiſſet, ita humilem ſe & manſuetum omnibus præſtat, quemque reuerens, quemque accipiens, & alloquens benigne. Eſt in oculo grauitas plena gratiæ, in inceſſu ſimplicitas ſine pompa: ſermo vero, cum nihil habeat ſupra communem vſum loquendi, ita eſt tamen accuratus, vt cum manſuetudine dignitatem retineat. Iactantia omnis procul abeſt, & dicacitas, quæ illi ætati eſt ſatis affinis. Nemo adhuc verbum ex eo audiuit, quod leuis animi indicium daret. Nemo factum cognouit, quod a curioſis oculis poſſet in ſe, vel ſuos notari. Omnia prudenter, mature, & humane ſic egit, vt ſenſus in eo ſeniles, gratia autem data diuinitus æſtimetur. Taceo continentiam corporis, cuius nunquam eſt audita macula: & deuotionē, quæ eſt in eo miranda. Iam qualis illud conſilii fuit, poſt diuulgationem nouæ dignitatis, non mutaſſe in familia quicquam, nec in ſe ipſo, nō addidiſſe aliquid, quod ampliatum ſtatum ſignificaret: voluiſſe denique ſe vltimum eſſe, qui in vrbem remearet, ad capienda Cardinalatus inſignia. Nouerat cordatiſſimus Iuuenis, ſe creatum Cardinalem vna cum Iuuenibus duobus, altero paris, altero inferioris ætatis: communē autem eſſe querelam omnium indigne ferentium, pueros rerum imperitos, cupiditate honoris, aſcitos eſſe in Collegium Patrum, cui, ſua temeritate, dehoneſtationi crederent futuros. Voluit igitur dignitatis non appetitæ documentum dare, cum longo interuallo poſt in vrbem reuerſus eſt: Religionis autem, cum ſtatim accepto nuntio, miſſos fecit Canes, Falcones, Aucupes, Venatores, & reliqua huiuſmodi, quibus aliquando, vt Regiæ ſtirpis Iuuenis, eſt delectatus, magis etiam propter ſuos quā propter

ſe. Indigna hęc putans illius gradu, qui ſeſſurus eſſet ad gubernacula Eccleſię, vna cum reliquis Patribus. Nam ne vanitatis, vel nimiam præberet ſpeciem, in eodem cultu domeſtico, quo prius cœperat, perſeuerauit. Non auxit Familiam, non veſtem nouam pro more, dedit, non niſi mediocri apparatu exornari domum permiſit: cum tamen vnde hæc magnifice fierent, abunde haberet. In ſe ipſo vero quis ad priorem veſtitum additum quicquam vidit, præter pileum datum à Pontifice? Eadem veſtis eſt Cardinali nigra, & trita, & vix ad talos pertingens. Eadem etiam capa, quæ ante Epiſcopo fuerat. Vehitur mula fuſca: nullis inſignioribus faleris, vt cæteri adornata. Omnia frugalitatis, & modeſtiæ ſunt plena: Specimenque præbet conſiderari catholici viri. Iam vero, cum it ad Palatium, & inde redit, eis ſe Cardinalibus ſemper ſociat, quorum conuerſatione laudari poſſit. Non eligit Iuuenes, & indeuotos: ſed Senes, & vitæ talis, vt eorum auctoritate creſcat auctoritas ſua. Seditioſos enim & turbulentos, vt rem naturę ſuæ, & dignitati contrariam, omni arte declinat. Dictorum autem eius multa iam cum laude ſunt diuulgata, manifeſtamque præbent ſpeciem, qualis in eccleſia Dei ſit futurus. Hortante quodam, vt in ruinis Thermarum Alexandri, quæ adiunctæ ſunt titulo ſuo ſancti Euſtachii, palatium ædificaret, vt cuius impenſa propter parietes & teſtudines adhuc ſtantes, vix x mil. aureorum eſſet futura. Hanc, inquit, ſummam apud me nemo videbit vnquam. Notans profecto non debere Sacerdotes Dei theſaurizare in terra: ſed pecunias prouenientes ſubducta neceſſitate vitæ, in pios vſus conuertere. Altero etiam per laudem referente: Cardinalem neſcio quem, continua impenſa, & magna, comparare neſcio quid, quod ad vanitatem videretur potius quam neceſſitatem: ſuſpirans inquit: Et certe bona illa ſunt pauperum: vt videlicet narratorem ipſum vanę laudis datæ argueret, & Cardinalem impenſæ damnabilis. Plura huiuſmodi poſſem referre, quæ, breuitati conſulens nunc prætermitto. Summam hanc faciens verborum meorum, vt quanquam incertum, & fallax ſæpe iter iuuenum ſit: futuræ tamen Illuſtris vitæ ſigna hæc credam: ſiquidem à natura primo bonus eſt factus, & deinde à diſciplina ſedulo adiutus, vt raro animus his ſubleuatoribus nitens, non facile perueniat, quo ſe ab initio intendit.

Reuerendiſſimo domino meo, d. Cardinali Papienſi.

Quod te ſæpe furens exercet Scorpio, laudo,
Hæc ſtudium duri tempora Martis amant.
Ipſe quoque interdum, quem tu tam diligis, arcum
Pro cithara ſacra tendit Apollo manu.
Hoc queror & damno, nobis tua tela quod obſint:
Qui facis vt ſitiam nuper & eſuriam.
Nam dum tu retines Vrſinum, dum moror ipſe:
Nulla mihi cœna eſt, ſportula nulla data.
Hunc tu vel nobis totiens abducere noli:
Me quoque vel iubeas in tua caſtra ſequi.
Quid facies, dices, infirmus, inutilis? ictus
Deſcribam certos quos Papienſis agis.

Seruitor C. Quarqualius.

CAMPANVS PAPIENSI S.

CXLIII.

VT par pari referam, Papienſis ſalue. *In campum expedienda acies: accingimur enſe.* Septi armis: galea obrecti. Papienſis ad arma prouocat: venere feciales: indictum bellum eſt. Papienſis haſtam coniecit in agrum. Animal eſt nullum tam inualidum, quod irritatum, non excandeſcat: Nec quiſquam feritur audacius, quam qui non refert. Alcionem me voces, littoribus, dumetiſque canentem. Nunquam mihi ſpinæ placuerunt. nauigaui nunquā, niſi quia procellas fugo, affero ſerenitatem quocumq; proficiſcor. Homo tempeſtatis plenus, nō ſinis me quietum eſſe, in vltimas terras fugientem inſectaris, inſectiſque maledictis. Non diſcedis ab ingenio, qui cum mari careas, accolis Tiberim, vt eſſe poſſis in fluctibus. Addis ciſta cubiculari dignam

Philo-

Philomelam. Non ſum quem cauea delectet. libertate gaudeo, nemini ſeruire poſſum, niſi tunicato. Pileatos contemno magnifice: te imprimis. Nimis me grauat imperium tuum. ioci tui venenum ſunt. Inuoluis me argutiis, & ita laudas, vt pungas. Ita pungis, vt laudare videaris. Si auibus fueram comparandus, cur non potius appellaſti meleagridem? Nam vt illam fraternus interitus, ita me barduli torticilium interpellauit. Diomedidem dixiſſes verius, quæ amicos etiam immutata non deſerit. Nam ego quoque te, non iam Campanus, ſed cinis oblecto. Quippe inter aquas arſimus, qui Romæ frigebamus. Memnonidem vero, aut ardeam, ſi dixiſſes, nihil ad rem aptius. Vtraque enim fauillis ortæ, eodem quo ego flagrarunt incendio. Mirum eſt exuere veſtem in balneis, retinere grauitatem, & adiicere pondus, cum abiiciatur, vbi qui ſapit, deſipit, & qui pudens videri ſtudeat, fiatque impudentiſſimus. Iocus in licentia eſt. Nihil fieri citra dignitatem poteſt, quod fiat in balneis. Vt corporis neruos, ita frontis rugas aquæ illæ dilaxant.

Illic cinerem totum vinionidet vndæ:
In cinerem totum Tuſca puella dedit.
Heu Glicere, Glicere: nunc, cum te nomino, ſurgunt
Viſcera, conuellis viſcera nunc Glicere.
Da Glicere, da oculos, da formoſiſſima rerum:
Qui me diſcruciant. da Glicere da oculos.
Et dedit, & fuimus noctu ſimul: hei mihi qualem
Noctem habui: qualem, cum memini, emorior.

In barbam tuam, & hortuli tui penduli (ſicci) glareoſi. Cenſebas mitram, & rlehã, & deliramenta illa, quæ memoras, eripere potuiſſe me mihi. His fatis editus ſum in lucem, vt amem, vt ſine amore eſſe non poſſim.

Quam ſine Sole dies, vndarum aſpergine pontus
Eſſe tuus quem ſcis, tam ſine amore poteſt.

Tu vero, qui me appellas miſeriolum:

Quid Roma? Tibrim ne cies? cum tranſit, & vndas?
Quid Roma? te Sena vocat: quam Bardulon odit,
Tam te Sena colit: propera magnetis ad vrbem:
Vt ferrum correptus: vbi vna eſt littera, qua te
Impedit, M. ſi adimas, magnetica vincula ſolues.

Dulcis commemoratio, quę veterem ſuffrictet cicatricem, plagam non exulceret. Magnetica dixi. Canus amator etiam, cum hæc loquor titillaris. Veterem, & iam effetum agrum commemoraui: Tenerior ſeges noſtra eſt, qui pinguiuſculi ſumus, & ætate integri. Tu accepta rude, è ſupremis gradibus theatri me deſpicies in circo, atque arena dimicantem: ſpectatore te, rete iacietur. I nunc, excita ſcrabiones: quaſi poſticam illi tuam non ingrediantur, cum

medio nat flumine lembus,
Inuectatque grauis prædam, nocturnaque furta.

Enſe feris, qui laceſſis Campanum. Vno conuitiolo prandia, & cœnæ, & oculi illi exciderunt. Auo fidenti paupertate nihil tutius. Tu vero ſi quod procul ſis, offendi te non putes poſſe, longe falleris: vt Neſſum Hercules, ita Papienſem Campanus, vel ſagittis aſſequetur: ſagittis inquam, & vt magis timeas, veneno illitis. Impie, qui matrem ad te ſuſpirantem non conſolaris, & deſertam eſſe pateris: nam eſt deſerta, quæ filii conſpectu non recreatur. Ingrate qui Senam, vbi ad altiſſima euectus es, deſpicis, & illius talibus, tantiſque deliciis, Tiberinas nebulas, Romanaſque mammas anteponis. Transfuga, qui à Campani ſocietate, ad Barduli bellum tranſiuiſti. Quid non addam etiam nebulonem, qui vel vna ęſtate carere non potes iure iſto braſſicario adepato. Cur non etiam parricidam, & ſicarium, qui lingua tanquam gladio homines tui ordinis, imprimis Bardulum iugulaſti. Quid obiiciam, non ignoras, cum te recitantem audiret, ſtatim eſt mortuus. guttur illi medium exſecuiſti: nec refert quid ei acciderit, qui mori voluit, cum te audiret: puto quoniam teſtes afferebas. Me, qui teſtibus non contendi, haud magnopere extimuit: obdormiuit actionem meam totam. Pa-

pienſem etiam extra forum recitantem perferre nō potuit. Sed hęc rerum ſunt crimina,& dantur fortunę nonnunquā. Pleraq; facimus inuiti, quę diſplicent,& vellemus infecta. Ipſe ſe impreſſit in gladium, nec vllum eſt vulnus ignominioſius, quam inuidię. Feriente nemine ipſa ſe vulnerat. Quid tacebo ego cętera? non faciam. Tu vero tā patienter audi tua crimina, quā petulanter confinxiſti aliena. An negabis te ſuperbū, & inflatum eſſe? qui Campanum virum talem, tantum hominem, tam familiari fronte, ac tam amicis oculis appellare audes amicum miſeriolum. Proh Deum! Ego miſeriolus? qui nec vnum ſeruare poſſum quadrantem in crumena, qui tam ſum liberalis vt nihil mihi ſit reliquum, quod poſſim largiri: ſed animum fortaſſe exprobras, non fortunas. Non eſt miſeria miſerum eſſe, ſed putare: nec inopia carere opibus, ſed expetere. qua in re longe me vincit Papienſis meus: Cui etiam Auguſtæ Calendæ non ſatis ſunt ad aucupandum, vt non laborare ſolum ea cupiditate, ſed exudare videris. Retia tua tunc tenduntur maxime, cum ceſſant aliena. In otio collegarum negotiaris. Illorum te excitant ſomni: atque illud præcipue mirum eſt, quod etiam vigilias illorum anteuertis Solem proſpicis ante quam oriatur, & aliurum aurora tibi meridies eſt. Noctibus totis cum vtaris, diei nullam horam non occupas. Vigilans dormis: modo dormiens vigilas potius. Verum eſt, quod de Argo loquuntur poëtæ, deſino iam fabulam putare. Credo te auem eſſe Iunoniam, ac caudam habere oculatam, & illa vigilare cum capite dormias. Quid igitur mirari oportuit, ſi te omnia poſſe cum velles: ſi facere, atque inficere ſcribebam. Fraudaui ego te quinque, vt ais, verbis. Tu tibi vnum, idq; maximum ac præcipuum ſuppreſſiſti. Nam cum ego conficit, inficit, officit, efficit dixiſſem, & tu perficit, teficit, ſufficit, deficit, afficit addidiſſes; proficit tamen non adieciſti omine (vt auguror) ſiniſtro: cum neque ſcribenti mihi, neque tibi reſcribenti verbum illud occurrerit, vt plane verear, neque te mecum, neque me tecum profecturos eſſe quicquam. Nugas appellas negotia mea. Fabellas, ſeria vocas. Bene hercle res habet. Acrem patronum nacti ſumus. In portu nauigant commercia noſtra. Nugæ ſumus apud Papienſem. Cum poſtulamus operam, mel, & voluptas, & recreatio ſpiritus: cum canimus in ciſtella, ſcilicet delicatę tibi ſunt aures: concentus noſter illas emulcet. Poſtulatio peruellit, augetque faſtidia, ſtomachum, & bilem tunc maxime concitamus, cum puſcimus. Cæteris in rebus caſia & cinamum ſumus. Sed exciderunt memoria quę petebantur. Vrſinum ſomnias: hic Campanum non intelligis. Refricanda memoria eſt, repetenda poſtulatio. Volebam vt te cum illo vna è ſuperiore hortuli tui limite in medium Tiberim, atque illic ambo: quod taceo id ſi præſtiteris, functus eris officio. Satisfeceris nobis abunde, & amiculo tuo inconſtanti morem ita geſſeris, vt nihil illi efficere poſſis optatius. Inconſtantem me vocat Papienſis: Papienſis me vocat inconſtantem: magnifice dictum: eia lupa quid ceſſas quin me proſtibulam? qui cum initio litterarum me & philomelam cubicularem, voluptatem, & mel, & ſtultitiam tuam appellaueris, in calce vt te quietum ſinam, nec pergam moleſtus eſſe monuiſti. Media epiſtola interpoſuiſti nomen tuū, mox deleſti: raſura te prodidit. In exitu non appoſuiſti. Si oblitus es, vecordia fuit: ſi nolens, inflata elatio. Vtrum fuerit, incidiſti rete. egiſti quod non oportuit: quod oportuit non egiſti. Tota epiſtola concentus meos ita contemnis, vt petas: ita laudas, vt accuſes. deniq; ita mordes, vt blandiri videare. Pes tibi in lubrico eſt, lingua gladium pręfert. Audes me dicere non eundem eſſe ſemper. Fateor non eundem eſſe qui fuerim. Vera loqueris, nihil mentitus citra morem agis. E mancipe factus ſum hoſtis, è Campano iaculator. Caue tu Romæ, caueant Senæ, quę feneſtras occupant perſonatæ, ceruſſatæ, vermiculatę. quæ vultus proferunt ſandaracatos, & ita ſplendent ad Solem, vt ſtellæ videantur. Auis ſum diurna, radios facile perfero. Arcus mihi oculi ſunt, vt corda, tremuli. Sagittę nutus, depereant neceſſe eſt, quæcumque feriantur, niſi ad me tanquam ad Achillem Thelephus. In te non iiſdem vtémur iaculis, vibranda oratio eſt: intendendæ minę, quacumque nudus inueniere, ferieris. Nunc rorarii militis loco dimicaui: mox ſenties cataſracta um, ſi repugnaueris.

Arma huc ô Muſæ, arma huc ô Heliconides arma
Inſerite, ac læua clypeum, & dextræ indite ſtrictum
Enſem, atque arripite hunc medium: depellite caſtris

Viribus

Viribus egregium, fateor, ſed fraude timendum.

Dic culpam, & labrum feri, quod irritaueris. armat iniuria etiam ignauos, quid me oportuit cordatiſſimum? Ais, tantiſper tibi memoriam mei eſſe, dum videas in oculis, aut legas ſcripta. Credo equidem, & ex me ipſo facio coniecturam, qui tum demum tui memini, eum egeo, cum ſpero aliquid, hic mihi tu ſæpiſſime occurris. Cæteris in rebus India mihi es, aut illa inacceſſa Mauritania, quam nemo vidit, aut nouit, audierunt pauci. Iam vides, quem tu hoſtem comparaueris, dum miſeriam exprobras. Si redire vis in gratiam, conditiones accipiendæ ſunt, quas victor proponat: primum, vt me beatiſſimum voces, qui minus appetam, quam pileati. Deinde vt quantum calamo offendiſti abſentem, tantum præſentem armes, contra Bardulum tueare: poſtremo, vt qui ſcribendi genus immutaſſes, mecum concœnandi non immutes. Sint iidem oculi qui fuerant: ſupercilium in prandia non veniat. Hæc ſi non præſtiteris, inſtaura bellum. Vale. Senæ.

PAVLO SECVNDO, PONTIFICI Maximo.

CXLIV.

ANconitani conſueuerant ſuperioribus annis, prohibente nemine, nauigare per omnem oram Illyrii. Veneti hoc poſtmodum vetuerunt: Ideo ciuitas illa paulatim ad ſummam inopiam deducta eſt. Si non reſtituitur libertas priſtina, operante B.V. vereor, ne ipſi compulſi neceſſitate, hanc quærant à Venetis, & habeant. Vellem gratiam huiuſmodi recognoſcerent a Sede veſtra, & eam omni ex parte reſpicerent, nec obligationem à quoquam pręterquam à Beatiſſimo Pontifice Paulo acciperent. Summa petitionis Anconitanorum eſt, vt ſicut antea, ita nunc nauigare in Illyrium poſſint. Commendo me humiliter pedibus S. Veſtræ.

IO. CARVAGIAL CARDINALI SANCTI Angeli.

CXLV.

VEni Campagnanum, Reuerendiſſime Pater, & abunde omnia reperi, quæ facere poſſunt gratum ſeceſſum. Deambulo, lego, ſcribo, libero animum curis, quarum aliquę vſque in hunc locum comitatæ me ſunt. Si D. Tua hic eſſet, dicerem abſolutam lætitiam, haberem cum quo libere loqui de ſeriis, iocoſiſque poſſem. Contenderem etiam repeti aliquando legationes tuas Germanicas, defenſiones quotidianas Apoſtolicę Sedis, & animi conſtantiam, qua repreſſa ſunt ſæpe, & contuſa Baſilienſis ſynagogæ conſilia. Cogerem ad ſcribendum in otio, quod in negotio impetrare non valui. His nunc omnibus priuor, nec patrem habeo, nec patris etiam ſcripta, in quibus illum poſſim inſpicere. Rogaui ſępe, vt memoriã tantarum rerum perire non ſineres, creſcenteſque nos erudires tuis exemplis. Beneficium Domini nondum meritus eſt ſeruus accipere. Excuſaſti quędam, quæ humilitatem tuam magis arguunt quam veritatem. Ea omnia nemo explicare verius poteſt, quam D. Tua, quæ omnibus præfuit. nemo facilius ſcribere, quã is, qui geſſit, & valet eloquio. Videmus quotidianas epiſtolas tuas, & ſcripta prò Apoſtolica ſede, quibus nec fieri aliquid gratius poteſt, nec eccleſia dignius. Cum cogito Chriſtianæ charitatis officia, & pręceptum Domini, argumentum non video, quo declinare petitionem meam hanc poſſis. Scriptum eſt in epiſtola Petri: *Parati ſemper eſtote ad ſatisfactionem omni poſcenti vos. Et ſeniores qui in vobis ſunt, obſecro conſenior: Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei: prouidentes non coacte, ſed ſpontanee*: pabulum videlicet monſtrans quo alii ad opera bona animus poſſit. Identidem & Apoſtolus admonet: *Te ipſum præbe exemplum bonorum operum in doctrina.* Legitur quoque in Prouerbiis: *Noli ſubtrahere à puero diſciplinam.* Nos autem conſimiles pueris ſumus, qui ad Cardinalatum ſine experimento aſſumpti, creſcere in bonum exemplis ſeniorum debemus. Præcipit quoque Dominus in Euangelio: *non eſſe abſcondendum talentum, proferendum ad lucrum, vt mereamur audire, Intra in gaudium Domini tui.* Quæſo igitur deſiderium meum in longum ne ducas, & ne amico dicas: Vade, & reuertere, & cras dabo tibi, cum dare illico poſſis. Ad pompam, &

Digitized by Google

inanem ſcientiam geſta illa non cupio. Nouit Deus, quod ad honorem miniſterii noſtri, & ad gloriam Sedis, cuius nomine illa ſunt geſta. Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo Domine, & vocem filii rogantis audi, & ſapientiam meditetur os tuum. Si quod anni tempus remiſſionem à negotiis habet, hoc habet imprimis, quod domi propter æſtum nos continet. Sume chartam, & calamum, & operentur digiti tui iuſtitiam. Careremus & nos magnis adiumentis ad vitam, ſi ſancti ſcriptores eadem tepidirate rogantium preces tardaſſent, qua meas tu differs. Beneficio affecti à patribus noſtris, ingrati ne ſimus in filios. Caritatem colamus, & vocem Scripturæ audiamus: *Gratis accepiſtis, gratis date.* Vale.

CAROLO SALANDO.

CXLVI.

DOleo multum iis, quę commiſſa, & neglecta eſſe dicis per miniſtros, quibus in Eccleſia Papienſi vſi ſumus. Bonos viros eos putabam, induſtrios, ſoleries, & vtilitatis noſtræ imprimis amantes. Aliter inuenti ſunt, quam crederetur. Verumque illud eſt, quod à ſapientibus dicitur: *ſolis experimentis homines noſci*: & quod in Euangelio legitur: *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Facie, & verbo perſępe decipimur: & quē vultus indicat bonum, opera aliquando malum conuincunt. Præfecto illo ſtratellæ nil eſſe humilius, & nil fidelius ſemper putaui. Ecce quomodo rapinę eius nunc parent. Gratiæ Deo de omnibus, qui detrimentis priuatis, erudit nos ad curam rerum noſtrarum. Si ſurripuit quę eccleſiæ ſunt, & negligenter adminiſtrauit, parei negligentię volo: ſed furtis nec poſſum, nec debeo. Pone ſecum rationem, & ad ea reddenda compelle. Videque imprimis, ne latitando manus tuas euadat. Iulianus multa ad me ſcribit, multa excuſat, haberique de ſe iudicium petit, ſi in vllo errauit. Cauſam inquiſitionis ſuę ad litem beneficii refert. Teſtes contra ſe, eos tantum quæſitos affirmat, quod inimici facti ſunt ſibi, propter Eccleſiam, & quos ipſe aliquando punierit. Illorum dicta monſtrata per te ei adiungit, & poſtulatum exemplum, & vſque in eam diem non impetratum. Ita demum totis litteris ſuis loquitur, vt innocentiæ videatur plurimum fidere. Pone quoque cum hoc rationem, atque ea dexteritate cuncta exequere, vt ſi infidelis non fuit, coactio tua famam eius non lædat. Si ipſe quoque ſurripuit, non tamen propter vtilitatem tumultuetur noſtra Diœceſis. Armati ſunt laici ſemper ad calumnias noſtras, & in exactionibus etiam iuſtis auaros nos prædicant, impios, immiſericordes, & theſaurizandi nimium cupidos. Volo tamen, quæ abſtulit, reddat, ſed ita, vt quæ domeſtica ſunt, non fiant vulgaria, & noſtra inter nos mala tantum ſciantur. Ammonitum te hac in re vnius velim: Seruiuit annos multos Iulianus eccleſię Papienſi: ſalarium illi nullum (vt credo) eſt conſtitutum: & tamen pro iis, quę vtiliter geſſit, deſtitui mercede ſua non debet. Subducta igitur ratione eius, quod per hoſce annos eſt meritus, & eius quod mihi interuertit, ſi æqua eſt compenſatio, aut ſaltem non iniqua, ea omnia, benedicente te, habeat, & ammonitionem Domini audiat: *Vade, & noli amplius peccare.* Cum Epiſcopo Terracinenſi aliter agi conuenit. Reuocari illum à me certa cauſa non expedit. Sinendus eſt iudicio vti atque hic honor ei habendus, vt miſſionem petat ipſe: non à nobis accipiat. Videns eſſe iſthic qui cum poteſtate pro me operetur, & à me de omnibus litteras habeat: ſibi autem in nullo negotium dari: nimirum, ſi honoris ſui eſt amans, reditum flagitabit primus, atque accipiet. Interim tu illum honora. In adminiſtrandis omnibus conſule, & de me, ſicut facis, omnia quam beneuola repromitte. Redeuntem in curiam, vtilius eſt amicum, quam inimicum redire. Operā tuam, quam offers in reſtituendis rebus lapſis Eccleſiæ, libenter accipio. Placet, vt quæ infirmata ſunt, ſanes: quæ abierunt per deuia, in viam reducas, & miniſterium noſtrum in oculis plebis credite, commendabile facias. Nolo tamen Epiſcopo præſente iſthic, ſpirituale quicquā attingas, & hanc illi curam præripias. Extruſio hęc manifeſta nimiū eſſet. Temporalibus interim tantum intende, & compone domeſtica, quæ, vt audio, legem hucuſq; non habuerunt. Vide inter cætera, vt opida nobis ſub cēta agant quietem, & non operentur tumultum, ac cædes. Multa huiuſmodi, quæ acciderunt annis præteritis, criminandi cauſam multis dederunt. Hac vna re vt les perſæpe iuriſdictiones, & locorum dominia perdunt

perdunt Eccleſię,cum earum Præpoſiti ignari bene regendi dicantur. Ioannem Florentinum,atq; Alphonſum,ſine meo magno detrimento non poſſum mittere ad te. Alter diſpenſator eſt domus,& obſequium præſtat fidele,ac neceſſarium. Alter etiam in complurimis vtilis,non libenter propter præſentium pręrogatiuas extra curiam eſſet. Sed tu tibi inueni duos,quos ad curanda ea adhibeas, quæ in literis memoras. Fideles autem eligito,& notos,& honoris tui,magis quàm rei ſuæ amantes. Poteſtatem in hoc tibi liberam do:& me hac in parte fidei tuæ permitto. Literę de ſyndicandis oppidorum præfectis,cum præſentibus erunt. Vtilis eſt cogitatio hæc, & neceſſaria ad eos continendos in officio ſuo. Da operam vt ita protinus fiat, & recti ſint iudices,qui ad hæc deligentur. Et quoniam doles Epiſcopum per ſubſtitutos omnia exequi: Ipſum autem nullo ſuo munere fungi:placet, vt quàm modeſtius poteris, illum officii ſui admoneas,& æſtimationis meæ doceas eſſe, prodire in publicum cum quid ſolenne tractatur. Ad hoc enim miſſum eſſe illuc,& mercedem accipere, vt exhibens ſe,cum opus eſt,populo,deſiderium tollat præſentię meæ. Reſpōdi huc uſq; literis tuis,quantum putaui expediens. Nunc conuertor ad te, & loquor tecum, Carole,quod mea charitas flagitat. Attende diligenter,quæ dico, & imis ea ſenſibus manda. Lex erit qua tibi viuendum ſit mecum,& continuandus amor, qui inter nos dudum eſt initus. Releges quaque hebdomada ſemel hanc partem poſtremam epiſtolæ,vt viam ſæpe monſtratam retinere rectius poſſis. Curauit primus eccleſiam Papienſem pro me Ioannes Baliotus,quem noſti. Ambitio ſua, & ſuperbia, & manuum ſordes, celari diu non potuerunt. Quotidianis nuntiis ad me ferebantur. Satius ducens meæ conſcientiæ,quàm amicitiæ ſuę conſulere, amoui eum officio, & commercium ſecum habendum deinceps non duxi. Contraxit ipſe notam nomini ſuo,& quod maioris fuit iacturę,amicum etiam perdidit. Succeſſit Andreas Collina, homo ventoſus, & leuis,& proditor ſecretorum meorum, & iuſtitiam vendēs pecunia. hic quoq; ſortem conſimilem tulit. Cōmendatus mihi teſtimonio amici defuncti,cuius omnia commiſeram fidei,inuentus eſt reprobus,diffidensq; cōſcientię nunquā in cōſpectum meum venire eſt auſus. Præſentium miniſtrorum, qui aliquandiu boni habiti ſunt,vides diligētia tua fraudē detectā. Nihil occultū eſt, quod nō reueletur. Deo volēte hunc exitum facinora habent. Celari ad diē poſſunt, nunquam vero tegi perpetuo. Ea vero tanto offenſorum animos grauius lędunt, quanto qui cōmittunt cōiunctiores ſunt inuicē. Hoc vero mali hi omnes ſunt aſſecuti, vt nūquā à me amplius administrationib. vllis habendi ſint digni, & repugnante cōſcientia vtilis nō ſim illis futurus. Quid ergo de me,inquies,opinatis eadem,atq; expectas? Minime. Si enim ita putarem,non crederem tibi miniſterium meum, cuius ego redditurus ſum rationē. Sed natura noſtra,mi Carole,eſt fragilis,ad peccatum procliuis, & licentia ipſa deteriorē ſe reddit. Admonitione eget cōtinua qua quaſi ſuſtentaculo quodam in errores non cadat. Niſi Eccleſia quotidianis prędicationibus noſtræ ſalutis nos admoneret,& inueheretur in vitia, religionis & animæ eſſet cura rariſſima. quamdiu mihi es famulatus,& præſens tuum ſeruitium fuit,diligentiā pręſtitiſti,& fidē. Satisfeciſti deſideriis omnibus,nec habui quod tibi imputarē. Eadē officia in abſente requiro,& nolo quę ſub oculis meis bona fuere,fiant procul ab oculis mala. Ea eſt cauſa cōmemorationis huius,quā facio. Eris Papiæ ſolus poteſtatē omniū habēs. Inter tuos indigenas eſſe te noſces. Scies tibi vni dignitatis noſtræ honorem pręſtari. Cardinalem noctu non habebis, qui te vocato exigat rationem diei,& extra pręſcriptum declinare non ſinat. Fies totus arbitrii tui,& tua voluntate te reges. Difficile eſt in tanta libertate ſe cōtinere. Præceptorum meminiſſe etiam, quæ porrigit abſens. Propterea te rogo, vt in omnibus actionibus præſentem tibi cogitatione me ſtatuas,& ad iudicium meum labores. Quæcunq; operaberis amicum & Dominum intuens,& illi placere annitens,proculdubio recte operaberis. Recordatio diſciplinæ noſtræ domeſticæ,cōſilium miniſtrabit in omnibus. ſicut nauem intermiſſo vero nihilominus tenere curſum videmus. Infinitum eſſet recenſere ſingula,quæ tuū Vicariatum reddere commendabilem poſſunt. Regulas tu Iuris Pontificii tenens, ea me longe melius noſti. Sed quædam quæ prima ſunt officii noſtri,& in cura à me habentur præcipua, non prætermittam, cupiens tota diligentia, & fide illis

ſemper intendi. Volo imprimis omni ſolertia frequentari diuina, & in Eccleſia ſuis horis perſolui Deo quod debet. Multum nos hæc cura commendat, & opus noſtrum honorabile facit. Si deſunt cætera, hoc ſolo non ferimur ſolum, ſed habemur quoque in precio. Hortandi ſunt, & monendi, & ſi res poſcat, cogendi, qui Eccleſiæ ſeruiunt, vt bene, & ſine intermiſſione miniſterium impleant, vtq; & modeſtiam chorus, & ſuum ordinem teneat. Componi enim conuenit Sacerdotes ad laicorum, non iudicia tantum, ſed etiam oculos, ne quid ſit quod eos offendat. Ad rem hanc multum faciet præſentia tua. Videbis enim cuncta, quæ fient. Tardis & negligentibus exemplo eris, vt mature conueniant. Infelix hac in re annis præteritis admodum fui. Admonui litteris continuis Vicarios meos, vt frequentes in eccleſia eſſent, & hunc honorem Deo haberent, ac mihi. Impetrare nunquam vllis obteſtationibus valui. Tanquam ſi opprobrii, & confuſionis locus is eſſet, ita domum Dei ſemper vitarunt. Curabis, vt feſtis paſchalibus aſſit Epiſcopus aliquis, qui ſedem meam tenens, doceat cathedralem illam eccleſiam eſſe. operam etiam dabis, vt temporibus debitis, quadrageſimalibus maxime, prædicatores non deſint, viri excellentes, teſtimonii boni, & ante tempus quæſiti, quorum virtute frequentata eccleſia non det honorem ſuum conuentibus Fratrum. Multum hæc diligentia opus noſtrum commendat. Indignum eſt autem, quę primæ in Ciuitate ſedis ſunt propria, transferri ad Monachos: illos frequētari, & in precio eſſe, nos vero negligi. Proximum huic tibi ſtudiū ſit, clericorū mores corrigere, obire Diœceſim ſæpe, videre ne aliquid Parochiis deſit: Cœnobia virginū à corruptelis ſeruare. Habes ex libris tuis abunde, vnde hæc officia colligas. Doceri te ſingulatim, non expedit. Caput rei tantum oſtendo: Charitas reliqua exequatur. In emendando cauendum eſt, ne maior ſit pœna peccato, ne admiſceatur conuitium, ne ea ſit vultus, & verborum aſperitas, vt maleuolentiæ, non officii ſtudium videatur. Compatiens facies correptionem omnem tolerabiliorem patientibus reddit. Te autem ipſum contine imprimis. Malus eſt aliorum magiſter, qui emendare ſe ipſum non poteſt, & male creditur eorum præceptis, quorum cernitur vita contraria. In bona conſcientia, fiducia eſt ad corrigenda delicta, in mala metus continuus. *Cum imperio docetur*, inquit Gregorius, *quod prius docetur, quàm dicitur*. Te ipſum quoque ne communices multis, & ne appetas clericorum, & laicorum prandia, ac cœnas. Conuerſatio nimia, contemptus, & maliloquii eſt mater. Tu potius ad menſam tuam illos voca, quàm ab illis patiatis vocari. Seruanda eſt Vicarii auctoritas, & ius poteſtatis tenendum. Grauitas autem ipſa ſic moderanda, vt ne in arrogantiam cadat. In temporalibus curandis non eſt quòd te aliud moneam, niſi vt fidem ſerues. Difficile eſt tractantem aliena innocentes manus ſeruare. qui antehac adhibiti ad opus hoc ſunt, abierunt per deuia. Loculis, non conſcientiæ, voluerunt conſultum. tu diligens es, prudenter intelligis, & vſum habes in adminiſtrationibus rerum. Adhibita fide, nil te Carole perfectius erit, nil ſalutarius Papienſi eccleſiæ. Hoc quæſo cogitationi tuæ occurrat ſemper, ſiue magna tractas, ſiue parua. Perdens me, perdes quod tibi multa pecunia eſſe charius debet. nil eſt, quod tua cauſa acturus non ſim: ſi inchoatus inter nos amor permaneat, & de integritate tua bene opiner. Vide inter cætera quòd præceptorum meorum eſſe vltimum volo, ne gratiæ potētium nimium ſtudeas, ac dum per eorum ſuffragia ambis maiora, iuriſdictionem tuam proiicias, fauori ſeruiens, non veritati. Succeſſum non habebit cogitatiu hæc, ſpem tuam infringet Deus. Beatus quoq; Sirus qui patrocinatur Eccleſiæ, non patietur rem ſuam diſperdi. Bonis operibus quærendus eſt honor, non malis. Scripſi multa, quę tu in bonam partem ab amico accipies. officii mei & beneuolentiæ noſtræ ſunt omnia. Mandato ea memoriæ, & repete crebro, & cum diligentia ſerua. Mercedem Deo volente laborum, & fidei viuens accipies. Certiorem me reddes, num redditæ ſint proximæ litteræ, quas etiam dictaui pluribus verbis, & manu mea ſunt ſcriptæ. nuntiabam nonnulla, quæ volebam perfici à te. Timeo quia non reſpondes, ne perditæ ſint. Quidam Melchior Xiſtus ſcribit ad me, quæ ex litteris ſuis agnoſces. Querelam intellige, & audi pauperum voces. Obteſtor te per omnipotentem Deum vt non vincaris affectibus, opereris æquanimiter omnia, & offenſionem des nemini. Induens vero meam perſonam, quam

quam iſthic gerere ex officio habes,exuas tuam,atque ad ſolam Cardinalis dignitatem te fingas.Neſcio quid in re ſit.Si bene eſt quod feciſti, valeat. ſi minus, conuerte in melius.Emendare quam continuare præſtat errorem. In exigendis quę ſurrepta per Iulianum ſunt & Dominicum,virum te præbe neminem timens. Non tam vtilitatem hic quęro,quàm aliorum exemplum,vt diſcant cæteri qui futuri ad hoc miniſterium ſunt.Bene vale.Campagnani die XVIII.Auguſti.M.CCCCLXV.

THEODORO EPISCOPO TERVISINO.

CXLVII.

Fio ex vrbe à multis certior,Pontificem illaturum arma Vrſinis. Hic quoque trepidari non mediocriter video, & ſigna oſtendi animi, non multum fidentis. quid lateat neſcio. Vtraque motum portendunt.Ego hic ſum: qua ſuſpenſione, tu ipſe conſidera.ſi quid apertius fieret,parata mihi confuſio,& damnum. Tuæ caritati ſupra cæteros fido,& te vnum in his tenebris conſulo.Admone quid agat Papienſis tuus,& quid ſibi expediat.nec patere illum errare. Si admonere aperte non potes, innue verbis tectis.ſi nec hoc tutum exiſtimas,ſigno aliquo conſule.Ingenioſus tu ad comminiſcendum,ad intelligendum ego non hebes.Si deſint cætera,monſtro quod dici,& ſcribi ſine periculo poſſit.Referenda eſt mihi Scotorum cauſa ſancti Andreæ. Vrgent illi vt redeam.Hortare tu quoq; propter illos,vt redeam.Satis hoc documenti ad conſilium erit.Per Deum te quæſo vt in vtranq; partem his me ſuſpicionibus liberes.Soli tibi ſcribo,& ſolum te conſulo,quia te ſolum ex palatinis omnibus maxime amo.Defoſſum puta,quod dixeris,& nunquam in lucem venturum. Ita tibi per Redemptorem noſtrum,& ſancta eius Euangelia iuro.Expecto literas tuas, vel mandatum,quod Chriſtophoro fideli meo dederis ad me perferendum.Cela metum hūc meum,& literas,daq; in primis operam ne Pontifex ſciat,aut quiſquam ex fratribus. Irriſorum plena ſunt omnia. Vale mi optatiſſime præſul.Campagnani die XXI.Auguſti.M.CCCCLXV.

CARDINALI SENENSI.

CXLVIII.

NOn imprudenter egit hodie Pontifex Paulus. Rem aliquando non æſtimatam ſine animaduerſione prætereundam non duxit.Præficiendus erat Conuerſanæ Eccleſiæ nouus præſul.Nomen illi erat Turcus ex Turculorum familia. Cum cætera probarentur in eo,nomen ſolum probatum non eſt. Dixit Pontifex conuenire in nomine Epiſcopi nihil,quod fideles aures offendat.Monachi eos qui à ſæculo fugiunt,vt renaſci Deo appareant,nomen vetus etiam acceptum ex ſanctis cogunt deponere:nos ad epiſcopatum vocato nomen hoſtile non commutabimus? Igitur patrum comprobatione pro Turco Paulum ex ſuo nomine ſanxit vocari. Atq; ita in noua appellatione enunciatus epiſcopus eſt. Romæ.

EPISCOPO AQVILANO MARCHIÆ Theſaurario.

CXLIX.

INtelligo ex litteris Iacobi conſobrini mei, ipſum à Paternitate tua humane acceptum eſſe, & in omnibus quæ ad adminiſtrationem officii pertinent, benigne adiutum. Hoc mihi,etſi antea exploratum erat ita futurum, tamen audiuiſſe eſt gratum. Ago Dignationi tuæ debitas gratias,atq; illi in ſuis, & ſuorum rebus debitorem me fateor.De munere tuo ſecunda hic apud omnes eſt fama. Idem audio à prouincialibus,qui iſthinc veniunt.Nimirum actionibus præteritis, præſentes reſpondent, & qui iuuenis integre vixit,ſuam commendationem adauget. Iacobum ipſum iterū enixe commendo. Iuuenis eſt,egens ſenioris conſilio.Non patiatur Dignatio tua illum errare. Admoneat,emendet,ſeuere caſtiget,cum opus eſſe intelligit. Ego illum trado tibi,tanquam vnum ex tuis.Romæ.

CAMPANO.

CL.

AGere tu gratias Deo debes, Campane, quòd tantum ingenii ab eo acceperis. Ego tibi, quòd videam ſanctiſſimum Patrem Pium funebri oratione die anniuerſariæ parentationis tam digne laudatum, nulla pars vitæ eius, nulla laboris contemptio, nullus fortunæ ſucceſſus, nullum monumentum ingenii, nullæ denique priuatæ res, & nullæ publicæ ſunt, quas tu non plene collegeris: dubium, maiori ne luce verborum, an pondere ſententiarum, an vero etiam gratæ mentis officio. Ago igitur tibi, quas poſſum gratias, & omni tempore agam. Agere & mecum debebunt nō ii ſolum quos ille dilexit viuens, & quibus benefecit, & quos natura ſibi adiunxit, ſed nomine vno omnes, quibus virtutis eſt ſtudium. Viſus ſum iterum ea legens intueri Pium noſtrum, iterum extremam eius horam his vlnis excipere, exultare iterū gloria dictorum, & factorum ſuorum, atq; iterum in lachrymas ire, quas non modò tunc fudi plurimas, ſed nunc quoq; per dies ſingulos tenere vix poſſum. Viuentis, & mortui innouatus eſt in me ſenſus omnis. Ille certe factum hoc tuum de cælo videns, non tam lætatur quòd Campanum ſuum demeritus ſit, cui ſe totum aliquando credidit, quam quòd amplioribus meritis illum proſecutus non eſt. ſummam factorum & ſcriptorum eius ita deducis, ita in intima penetras laudum ſuarum, vt non minus adamaſſe vehementer, quàm diligenter legiſſe illa appareas. Nihil omittis, dicis omnia: ſic conſulis veritati, vt non pereat quicquam, ſic aggeras geſta, vt nimium dici nil poſſit. Funus deniq; ipſum tota oratione ita pertractas, vt luctuoſa lætis, læta luctuoſis non vacent, atq; omnibus auditis neſcias lætandum ne ſit magis, an lachrymandum, glorioſior ne ducenda vita, an mors, illa ne plus fructus, an hæc damni attulerit. Iterum tibi gratias ago, iterum in æternum debebo. Qui legere, & intelligere gloriam ſepulti Patris ex libris eius non poterit, hanc laudationem legens, ſatis illam agnoſcet. Senæ habita in omnem terram exibit, ad Senenſes perorata, ad nationes, & populos perueniet. Quid alii iudicaturi ſint, neſcio. Cogentur credo laudare, quod vi ſua ſe laudat. Ego certe hoc anno cum noſtratia clariſſimorum virorum multa perlegerim, iucundius quicquam, limatius quicquam, copioſius quicquam, melius quicquam, vt verbo abſoluam vno, perfectius quicquam non legi. Perſeuera, mi Campane, vt facis. Dilige patrem, à quo es dilectus. memoriam rene eius, qui tui eſt nunquam oblitus. Auge deniq; Maieſtatem Pontificis, qui te abſentem, ad ſe vocatum, habitum inter ſuos, dignitate, & commodis auxit. quæſtus eſt, non charitas, coluiſſe tantum viuentes. Pietas vera terminum non habet amandi, abeuntibus aſſociat ſe, & ad mortuos quoq; pertranſit. Serui ſepulto Pio tuo, vt ſeruiebas viuenti. Putato illum ex beatis ſedibus, vbi nunc regnat, te & cæteros contemplari, à quibus gratitudo illi eſt debita. Certo quoq; iudicio nunc internoſcere, in quem bene, & in quem male benefacta ſua ſunt collocata. Statim vt orationem tuam abſolui, nullo interm ſſo ſpatio à lectione ad ſcriptionem conuerſus, hanc tibi dictaui, indicem meæ in te gratitudinis. Quoad vſq; maius aliud potero, ea eſto contentus. Ad referenda, quæ tibi debentur, ampliori occaſione eſt opus: Illam nunquam ſinam negligenter abire. Bene vale. Romæ.

HIERONYMO RANVTIO BONONIENSI.

CLI.

Ste. Nardinus hic eſt, qui & Cardinalis Mediolanenſis.

QVanquam mihi neceſſarius ſis, in ſalute tamen Archipræſulis mei ceſſat omnis neceſſitas. Eſto ſecum, & quocunq; ierit, ſequere veſtigia eius. Mutationem cœli collaturam illi mirifice puto. Contulit & mihi, & contuliſſe ægrotis ſemper audiui. Quod ſupereſt mali, extrudito vi, ſi arte non potes. Vtinam mecum hic eſſet pauculis horis. Reſtituerem eum in priſtina. Animi morbus, morbus eſt corporis. Pellere hunc primo oportet. Non illi ſit cura Palatii, non Pontificis Pauli, non magiſtratuum, qui regendi ſunt crediti. Seponat hæc omnia ad tempus, & cum vrbe excedit, appendat ad portas. Validus rediens, ea reſumat. Valendum inquam eſt animo, vt valeat corpore. Famulatus ego quoq; Pontifici ſum: ſcio mentis anguſtias, in quibus

Palatini verſantur, Zelotypias, & metus inanes. ab experimento hæc loquor. Forti animo ſuperanda ſunt omnia. Propter vitam appetendi honores. Propter hos per dẽda illa non eſt. Si non offenſura hęc eum exiſtimas, lege ſibi Palatinam hanc regulam. Bene vale. Campagnani. XIII. Auguſti. M.CCCCLXV.

HIERONYMO RANVTIO.

CLII.

LÆtatus ſum in his, quæ ſcripta ſunt mihi per te de Archipræſule Mediolanenſi. Dolebam caſu aduerſo eius: non aliter, quam ſi ſalus germani fratris eſſet in diſcrimen adducta. Benedictus Deus in operibus ſuis, qui noluit vtilem prælatum Eccleſiæ, præripi nobis morte immatura. Miniſterio tuo ſalutem ei reſtituit, teque vſus eſt ad morbum vincendum. Perge vt cœpiſti, & contrahe quicquid ſiue animis, ſiue arte vales, ad eum nobis reddendum. Caue à ſponda lecti nunquam diſcedas, ſemper ei aſſideas. Semper digiti tui venam pertentent, & ex illa parentur, quæ ſunt neceſſaria. Demum ſic agito, vt à diligentia tua redeunti mihi gratias habeat, ſicut & Reatino noſtro habui ego. De Domino Chriſtophoro meo his ſecundis litteris nil mihi ſignificas. Agis negligenter, & Papienſi tuo non ſatisfacis. Scis quam ſim illi affectus. Opus pene eſt manuum mearum, à meque olim inſigne equeſtris dignitatis accepit. Adhibe & ad curationem eius quicquid ſtudii, atque operæ potes. Idque contende dies, ac noctes, vt de patruo, & fratris filio nuncies ſemper ſecunda. Si quid noui emergit, non te calamus grauet. Meo Teruiſino fraternam meo nomine impertire ſalutem. Ad valetudinem tuendam, & ad me amandum illum hortare. Domeſtico exemplo ſatis monetur. ſic Pontifici, ſic officio ſuo inſeruiat, vt vitæ ſemper prima ei ſit ratio. Propter vitam omnia hæc quærimus. Proiicienda propter hæc vita non eſt. Petrum noſtrum bene valentem cito remitte, & tu reſtituto Mediolanenſe, & Chriſtophoro, ſtatim huc aduola. quanquã ſero, particeps tamen quoquo modo eris voluptatum noſtrarum. Quæ de ceraſis admones, veriſſima ſunt. Mirum in modum faciunt ad ſanitatem mentis, & corporis. Ea ſi obtuliſſet medicus, quem noſti ab initio, nunquam ventum in diſcrimen hoc eſſet, ſed nunquam ad bonos mores ſera eſt via. Tu vale, & valere me ſcias. Campagnani. die XIV. Auguſti.

VIANISIO ALBERGATO PROCAMERARIO Pontificio.

CLIII.

EPiſtola tua cum Falcone noſtro coniuncta, voluptatem mirificam attulit. Fuiſſet adiunctus cumulus, ſi tua quoq; Dignatio per occupationem officii venire huc potuiſſet. Vbi eſt Vianiſius meus, ibi eſſe non poteſt triſtitia. Neceſſe eſt ſingula rideant, exulat cura, & angor, & quicquid male habet hominum animos. Plus tamen reliquiſſes hic gaudii, quam retuliſſes tecum in vrbem. Nondum enim ſolatia noſtra aduenerunt. Arent omnia. Pumiceum factum eſt cœlum, & guttam modo vnam non poteſt exprimere. & canes, & retia, & quæ ad ruſticationem ſunt præparata, operari bene non poſſunt. ſi qua facultas eſſet, quam non video, effugiendi huc poſt poſticum, malles fortaſſe hic eſſe, quam iſthic, pręſertim ſi poſt imbres hoc fieret. Quæſo itaq; tuam paternitatem, vt ſi ſaluis rebus exiri carcer hic tuus honoratus aliquo ingenio poteſt, ad tuum amiciſſimum aduoles, & guſtum capias Campagnatici cœli, & agri. Iucundã hãc vtriq; diuerſionẽ confido futurã. Falco noſter hic fuit, magis me vſus, quam Campagnano. Contulimus multa, corriſimus multa. Plena conſolatione fuit eius præſentia. Egi ſibi gratias pro officio ſuo. Si mihi non ſatisfeci, precor Dignationem tuam, vt ob hoc ipſum, nomine meo cumulatius agat. eſt dulcedo & ſuauitas, & alacritas mea, abſterſor omnium moleſtiarum quæ aliquando me angunt. Amemus eum, quamdiu viuimus, amantes eum, nos ipſos amabimus. Pro iis, quæ dignatus es Pipernatibus ſcribere, habeo innumeras gratias. Fecit humanitas tua rem gratam, quam etiam profuturam exiſtimem, ſi noua vel monitione, vel conceptione ſit opus, rogo, manus tua ne deſit. Commendo item,

quod commendaui iam ſæpius,& commendare vſq; in finem non deſinam,cauſam Naſtocii noſtri,vel magis tuam,& omnium,qui ſedetis ad miniſteriumCameræ.Neque hoc ago quòd promiſſis tuis diffidam,quibus quiefactus dormiui hucuſque, & dormio in vtrunq; oculum,& in vtranq; aurem ſecurus, ſed quòd ex deſiderio cordis lingua cogitur exerceri.In manu tua,& Falconis noſtri eſt omnis expectatio noſtra.Vos officiis veſtris vrbanis conſolabimini ſcio ruſticantem amicum. Bene vale, & me toto animo tuum eſſe ſcito.Campagnani die xxı.Auguſti.

VIANISIVS CARDINALI PAPIENS.

CLIV.

PEdem oſtio extuleram,iturus ad pientiſſimum Patrem,& dominum meum Auinionenſem,vt cum eo veſcerer ſue tenello, qui plus lactis habet, quàm ſanguinis. tunc mihi literę Reuerendiſſimæ D.V.redduntur,gratiſſimæ illę quidem. Innotuit mihi Bandiniana querimonia.Reſpondendi cupido pedem referre ſuadebat: gula econtra,& potentiſſimi patris imperium, à quo quoniam non licet tam ſubito poſt cibum ſumptum diſcedere,& nuncius feſtinat,quæ pro me,quæ aduerſus Melchiorem,& elegantes iſtos triumuiros dicenda erant,D.V.obmittam.Accingo me ad bellum.Dii boni quas ſtrages dabo?non diſcedit Melchior à ſua conſuetudine. Lacerat famam meam vbi poteſt,inuidioſis verbis aduerſus potentiam vtitur. At vt ſciat D. V.quàm ego iuſte egerim,quàm iniuria ipſe queratur, cum reuerterer à Camera Apoſtolica faſtiditus,& expuere animo illam miſeriam cum homine lepidiſſimo, & amiciſſimo cuperem,diuerti ad Melchiorem. Falco noſter, curarum omnium abſterſor apud D. Veſtram erat.Cum domum eius venio,inuenio ianuas patentes: cuſtos nullus,ſeruus nullus,incuſtodita omnia.quæ vbi vidi,feci meis poteſtatem ditipiendi.& quid?nonne quod cenſorium vicecameralis poteſtas habet? Volui edocere hominem,vt cautior eſſet,ſed ego quãtas pænas pro benefacto dedi miſer? Cœnitauit apud me homo voraciſſimus poſtea.Hoc ſuaue eſt, hoc ſubacetabulum, illud melius pitiſſans ait. Vellem dolia omnia,non licet meis eſſe otioſos,dum is cœnat Satrapes,ſi fiat eius conuiuator,ſufferre ſumptus nequeat.Sed ego, vt dixi, accingo me ad pugnam.Retundam Bandinum. Repugnabo triumuiris inimiciſſimis. ô quam ſubdoli,quàm fallaces,quam imperioſi ſunt, & hos D. Veſtra triumuiratus nominis dignos iudicat. Commendo me D. Veſtræ humiliter. Romæ vltima Auguſti.

VIENESIO ALBERGATO PROCAMERARIO.

CLV.

QVid tibi ego dicam, Vicecamerarie mi? Credebam Campagnani tantum eſſe, quod me oblectaret.Ecce quotidie noua oblectamenta ex vrbe Lelius, Falco, Melchior,Melinus,Tuq; imprimis nouis me oblectamentis obruitis. Neſcio vnde plus voluptatis à vobis,an ab hoc loco adueniat. Illa continua, hæc intermiſſa. hinc corpus,inde animus paſcitur.Deo gratias,qui tantum mellis in noſtra aluearia congerit.Congerat illud perpetuo:Et ignauum fucos pecus à præſepibus arceat.Bandini negligentiam noſco:Digna ea animaduerſione cenſoria fuit:Et in hoc ſentio tecum. Centum ærei vectes,æternaq; ferri robora.Claudetur poſthac ianua eius:Nec cuſtos abſiſtet limine Ianus.Illa enim bene hæret menti cautio,quæ damnis noſtris paratur. miſereor tamen eius, neq; in finem ſit vltio tua. Falconiam vocationem totam cognoui.Riſus ſine modo,& omnium iocunditatum ſunt effuſæ habenæ. Illi codicello cedat Rienzo gallina,& quicquid affectata germanitas pulchri apportat. Hoc anno nil me ita inuaſit,cachinno non ſum minus concuſſus:quam el Pienzichoſio. legi ad menſam meis conuiuis.Externis nihil ſuauius.Romanis nil ingratius. Si fuiſſet hic Falco,ſecundum ſubiſſet diſcrimen,Mantuano,non minus. Riſit eorum nemo. Dixit vnus ex illis abducto ſupercilio:*Maldecta lanema di patreſo. Deleia li Romani, locaceremo di Roma.Se non ſara ſauto.Puoa che a vita cum queſſi Fracino ſi piſcia ſangui.hao renegato la patria.Vadeſſeno ne lhora maldecta,che non ce poza mai retornare.* Bene vale, & verbi tui ſis memor,in quo mihi ſpem dediſti.Campagnani die 11.Septembris.

G. RO-

G. ROTHOMAGENSI ET A. AVINIONENSI Cardinalibus.

CLVI.

SEcutus conſilia veſtra redii in vrbem. Ecce ſum inter vos. Quid oro, hic ago? vel magis quid omnes hic agimus? Admittimur raro, admiſſi dicimus pauca, audimus multa. Longo ſermone nihil abſoluitur. Vidiſtis ne anniuerſariæ coronationis ſuæ die, quanta locutus eſt indigna Sede, nihil vtilia: Peſſimi autem exempli ſemina? De repromiſſa per Planetarium, neſcio quem, vita, & prænunciato iam diu Cardinalatu, & Pontificatu tota fuit oratio. De obitu quoq; Cardinalis Aquileienſis, quem ſuum inimiciſſimum dixit. Quis hęc patienter ferat? aut cui non moueatur mens? Præſtat abeſſe, quam talia audire: Nec ſatis eſt audiſſe ſemel, crebris commemorationibus eadem ſæpe inculcat. Si non audimus ferr moleſte. Ad audiendum vocat ad ſe, Me, & Cardinalem ſanctæ Sabinę, agentes de rebus noſtris extra coronam, in qua loquebatur, non eſt paſſus vaniloquii ſui eſſe expertes. Iuſſit accedere, atque intelligere. Videre erat ora grauiorum ex patribus torqueri miſeria, & angi tanta iactura temporis. Tanquam gloria Pontificatus ſui his creſceret magis: ita erat totus in illis, ſtudiumq; omne huc vertebatur. Ne autem crederemus, dediſſe illum talibus operam, dicebat non eſſe his fidem præſtandam, & tamen admiratione digna aiebat. In vtranque partem ſic loquens, vt plus veneni daret, quam tolleret. Obtuli, inquit, Planetario illi horam natalem. Hebræus erat, ſenex, caperatis ſuperciliis, tetro aſpectu. Nulli obtulerã ante, nec ſum poſthac oblaturus. Aliquando ex Aſtrologia volebat eſſe eius reſponſa, aliquando ex Dæmonibus aſſerebat. Quæ autem prędicta memorabat, in ſcriniis inquit meis ſunt: inueniri nunc inter multa, eſſet difficile. Diligentius tamen quærens illa inuenirem. O miſerum illum, & nos. Quid his deliramentis damnoſius? & maieſtate tanta indignius? An non ſatis erat in Cardinalatu tuliſſe hanc notam? Etiam miniſterium Pontificale pergit ridiculũ facere. omitto quod de omni verbo otioſo reddenda eſt ratio, & nugę ſacerdotũ blaſphemiæ ſunt, & os Pontificis conſecratum euangelio, vaniloquiis aperiri non debet. Nonne intelligit miſer, quam mali exempli hoc ſit? & quam diſpliceat Deo? Quæſo vbi erit auditum: Vicarium Chriſti, & caput Eccleſiæ indagationibus futurorum intendere: quis ad eas non vertat mentem? quis non ſecum ibit in præceps? quis denique non totus ex cœli neceſſitate magis pendebit, quam Dei noſtri miſeratione? Aiebat Plato: Quales in rep. eſſent Principes, tales reliquos ſolere eſſe ciues. Ad imitationem videlicet paſtoris oues ſe fingent, nec attẽdent quid ille mali agat, ſed omnino quid agat. ſumentes, non examen boni, vel mali, ſed tantum fragilitatis exemplum. Vitia illa, inquit Satyrus, maxime adhærent, quæ ſubeunt animum magnis auctoribus. Homo gentilis Horatius, ſapiens tamen, quæſitorem futurorum reprehendens:

> *Tu*, ait, *ne quæſieris quem mihi, quem tibi*
> *Finem dii dederint Leucothoe:*
> *Nec Babylonios temptaris numeros.*

Et Dominus in Leuitico: *Non declinetis*, inquit, *ad Magos: nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos. Ego Deus veſter.* Auguſtinus quoque, præcipuum lumen Eccleſię, eum, qui hæc obſeruat, qui attendit, qui credit, qui in domum recipit, qui interrogat, Chriſtianam fidem, & baptiſmũ præuaricaſſe affirmat. Vana enim ſunt omnia, & dolis inextricabilibus animas capiunt, inducuntq; eas in miſerrima mala. Vt ergo a ſummo ſacerdote audirem has nenias, ſeceſſu meo me reuocaſtis? cogentes quem ſacra lectio totum habebat, totum nunc his nugis obtundi. At dicet aliquis veſtrum: Ignoſcendum fuit ætati. Iuuenis erat cum iſta curauit: cõfirmatus iam, ea contempſit. qui (malum) contempſit? quem vidimus toto Cardinalatu ſuo pependiſſe ex illis, atque ex illis ſpes omnes ſuas ſemper formaſſe. Quis Planetarius, aut quis diuinus fuit ſeculo noſtro, præſens, abſenſue, quem iſte tequiſitum, non ſibi familiariſſimum fecerit? Quod de futuris editum iudicium, quod non ſtatim ſit aucupatus? An non meminiſtis, cum haberetur in Vaticano conclaui Caliſti tertii, excidiſſe huic inter cubicula veſtra ſortes complures, in quibus prænunciata de ſe notabantur? eum vero anxium obiiſſe diu omnia, tacitum quæſiſſe, & cum non

inueniret, poſtulaſſe tandem à veſtris miniſtris, num ſcripta quædam ab eorum quoquam eſſent inuenta. Non dicebat, num ſortes eſſent inuentę. Pudebat enim facti, ſed num ſcripta eſſent inuenta. Eram ego tunc intus, miniſtrans Cardinali Firmano, & fœditatem hanc vidi. Caſu autem in eas inciderat Paulus Ananienſis, Proſpero Colunnenſi tunc famulans, qui videns quæritantis anguſtias, ad eum accedens: *En*, inquit, *quod quæris*. & ſomnia illa ſua, tot horis ſuſpirata porrexit. Dediſſes ei milia centum, non acceptaſſet gratius, quàm tunc accepit repertas ſpes ſuas. Nuper vero ad Pontificatum aſſumptus, indumenta, vt video, non animum mutans, Piſis vſque accerſiuit ad ſe Antonium Planetarium, cui cognomen eſt Camera, olim mihi propter ſuas ſtultitias notum. Ad quam rem quæſo aliam, quam ad antiquum errorem? Pecunia illi pontificio nomine à Medicis menſariis ad iter eſt perſoluta. Quod ego non antea credidi, quam Romę eum aſpexi, & ſum alloquutus, & de vocatione, & pecunia eodem confitente, accepi. Quid quòd nuper, timens credo, quæ de obitu ſuo hoc Septembri nunciabantur, accerſito, nomen nunc ignoro, qui eſt in familia Vianeſii Bononienſis procametariatum regentis, horam natalem inſpiciendam porrexit, admonens, vt de diuturnitate vitæ, quę noſſet referret. Abiit ille, & reuerſus, ac foro vtens, longæuitatem promiſit: quam etiam ob cauſam ſacerdotia nonnulla eſt conſecutus. Hora vero ipſa natalis, non vſque adeo valuit tegi, vt nō fraude miniſtri ſubrepta, & vulgata pluribus fuerit. Teſtes rei huius habeo locupletes, quos vna mecum tanti erroris pudet, ac piget. Quomodo ergo excuſationem habet ętatis, qui iam Pontifex factus, eodem reuoluitur? nec à veteri abſiſtit contagio? Facit quinquagenarius, quod puero cogitare eſt reprehenſibile. At dicit aliquando credenda ea non eſſe: at ſemper addit ſtupenda eſſe, & admirabilia eſſe. Atque ipſe ſic admiratur, vt plane oſtendat velle illa protinus credi. Etenim ſi credenda non putat, velut dictat ſæpe, ex dæmonibus eſſe contendit. Cur diuinis, & planetariis tradit horam natalem? cur ſine cauſa eos fatigat? cur etiam reſponſa accepta, non ſtatim conſcerpit? cur in ſcriniis Pontificalibus adhuc eſt illa inuenire? hæccine quęſo ſigna ſunt animi ſentiētis quod loquitur: ac non potius probantis quod damnat? Nemo bonæ mentis ſe, ac proximū malis illaqueat. Nemo quod nociturum credit, exquirit. Conſulere diuinos, & conſulta inſpicere, admirari, atque ſeruare, quid aliud eſt, quam inquinare ſeipſum, & alteri peccandi occaſionem proponere? Dolori maximo iſta ſunt mihi, & tolli errorem tam noxium cupio: ſed vetuſtas morbi, & imperantis poteſtas abſterret. Vos patres, qui anteitis ætate, qui præſtatis ſapientia, & primi eſſe debetis ad monſtranda quę obſunt, mementote officii veſtri. Accedite ad Patrem, quod ſentitis loquimini, non increpantes iuxta Apoſtolum, ſed obſecrantes. obſecrate autem, vt ſanctum de ſe præſtet exemplum, non offendat Eccleſiam, miſſos faciat diuinos, & planetarios ſuos: putans nil niſi fallax, malignumque in eorum eſſe reſponſis: illud Domini Saluatoris attendat: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate*: meminerit quoque ſe eſſe caput Eccleſiæ, ſpeculatorem gregis Dominici: nulli minus conuenire quam ſibi, mortiferæ rei intendere: fidem Petri ſimul cum Sede poſſideat: illamque vnam, & veram Aſtrologiam, certamq; diuinationem exiſtimet. Vehemens, & grauis ſit obſecratio veſtra, non trepidet cor veſtrum, nec verba inter labia & dentes dimidiata reſiſtant. Spiritum libertatis, & ſacerdotii zelum aſſumite. Sic adimplebitis bonorum Cardinalium munus, & operabimini in eccleſia ſancta ſalutem. Ab illo autem, ſi ſapiet, benedictio erit, & gratiarum actio. Scriptum eſt enim *Argue ſapientem, & diliget te: & vir prudens non murmurabit correptus.* Id vero vnum inculcate auribus eius, & crebro repetite: quod etiamſi non ſit religio, auocare animum ab hac infami miſeria debeat. Si prædicuntur ſecunda in ipſa expectatione, conſumptio eſt ſpiritus: ſin portenduntur aduerſa, hora nulla metu eſt vacua. Semper anxietas, & inquietudo vtrobique eſt multa: qua vt ſe liberet Paulus, ille vobis concedat, qui dixit: *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarii veſtri.* Valete.

IO. ARCIMBOLDO PROTONOTARIO Apoſtolico.

CLVII.

CAlamitatem tuam, mi Arcimbolde, conſoletur amici calamitas. Si te Auguſtinus Parenenſis Ruſſę familię inſitus, atque apud nos Ducis noſtri orator, oculis pariter, ac mente ad bona opera cæcus oppugnat apud Pontificem, me quoq; eadem iniquitate oppugnare non deſinit. Maledictione os plenum eſt, & ſub lingua eius labor, & dolor. Sedet in inſidiis, vt interficiat innocentē. Omitto quę ante hanc diem, alienandi à me Ducis, & Pontificis deſiderio fecit, quæ ipſa & multa ſunt, & grauia. Nuperrime, vt improbitati cumulū faceret, affirmauit Pontifici, & hūc aulicum, qui tuo beneficio venit, meis ſuaſionibus miſſum, & quod perſeuerantius de Nouarienſi eccleſia, contra Pontificis ſtudia flagitatur à Duce, meis vtique conſiliis flagitari. Hoc v delicet expectato, vt per diuturnam contentionem cedentibus nobis, tu Nouarienſis euadas, & Galeazii pugna præualeat conatibus Pauli. Ignoſcat homini Deus, & prauum cor ſanet. Mentitus eſt omnia, & de malo theſauro cordis protulit mala. Tu ipſe vel omnium teſtis optimus es, nil tale vnquam à me nuntiis vllis, aut litteris, nutu etiam aliquo ſignificatum iſthic. Non ſum adeo vocationis meæ ignarus, vt non ſciam, quid conueniat mihi, & quid artes eiuſmodi noceant animæ. Sum peccator maximus, idque non inficias eo. Sed inter mala multa id boni præſtitit Deus vt coluerim ſemper Apoſtolicam Sedem, & quaſi ſatelles fuerim Ro. Eccleſiæ: vſque adeo ſummo Pontifici ſeruiens, vt nulla vnquam ſecularium Principum patrocinia, propoſitis etiam non contemnendis præmiis ſim paſſus ſuſcipere. Ei addixi voluntatem omnem, qui me totum beneficentia ſua formauit. Sed verum profecto illud eſt, quod tritiſſimo vulgi verbo habetur: *Eum qui iuſto ſupplicio nocentem eripit, à nocente ipſo ſupplicium ferre.* Si opera mea ſeruatus dudum viuente Franciſco Duce Auguſtinus non eſſet, his nunc ab eo non laborarem moleſtiis. Impenſa pietas homini vix tunc uoto impendenti negotium facit. Putans ego bonum virum illum eſſe, & ex meo animo metiens ſuum, quibus potui honoribus eum ſum proſecutus, gratiæ ingrati quæ potui dans: Sed qualis euaſerit ex his plane intelliges. Ideo vero tibi infeſtus eſt, & innumeris de te criminibus occupauit, quod timeat maxime, ne tu Epiſcopus factus inſtitutione Ducis, hanc ei adimas curialem legationem, ſibi quæſtuariam magis, quàm ſito Principi vtilem. Hoc palam præ ſe tulit ſemper, & cum de te ſermo eſt, diſſimulare non poteſt Mihi vero, quam ob cauſam indixerit bellum, etiam operæ pretium eſt intelligere. Quam commemorationem eo libentius inſcriptam mitto, quod volo, ſi quando admiratentur aliqui, hunc mihi inimicum factum, habeas vnde inimicitiarum initia poſſis monſtrare. Anno proximo, cum Apoſtolica Sedes adminiſtrationi meæ commendaſſet cœnobium Papienſe, quod in cælo aureo nuncupatur, inſigne quidem, ac locuples, & propter difficilem temporalium curam potentis alicuius miniſterio egens, orta apud Ducem tradendæ poſſeſſionis difficultate, cepit hic miſer inſinuare ſe mibi, & ſtudia ſua ad rem meam cupide polliceri. Spetans vt poſtea patuit, omnibus adimpletis mercedem operis ſe accepturum. Accepi ego ſumma benignitate, quæ obtulit, & bonæ voluntati gratias egi. Interim audiente Ferdinando Rege, impedimenta cænobii conſequendi, quæ exhibebantur quotidie: Admirantéque hanc gratiam meritis amici Cardinalis referri, oratori cuidam ſuo, quem ad Ducem aliis de rebus mittebat, mandata ad illum pro me deprecandum beneuolentiſſima dedit. Ea cum illum Romam veniens, mihi primum, inde Auguſtino libere, vt in talibus aſſolet, communicaſſet, offenſus animo mirum in modum eſt Auguſtinus: Putans, & mendicatam à me Regiam interceſſionem eſſe, & ipſi præreptam occaſionem aſſequendi, quod erat propoſitum. Tacens hanc eius indignationem, conuerſa voluntate, cœpit in contrarium niti, quotidianis litteris Ducem hortari, vt in neganda poſſeſſione ſpe bona ſiſteret. Pontificem in diem magis flecti, nec moleſte iam ferre beneficium hoc ſuum tardari: dixiſſe vero aliquando futurum facile, vt perſeuerante illo, me autem his dilationibus fatigato, ceſſurus tandem moleſtiis cum cœno-

bio ipſo eſſem. Qua improbitate eſt factum, vt ille in ſpem deſiderii veniens, duriorem ſe quam ante prębuerit. Ignorabantur hęc à Pontifice, ignorabantur à Rege, & me. Mirabamurque omnes, quæ ratio pertinaciæ obſiſtendi illum teneret. In hac ſuſpenſione rerum ex Ducali aula certiſſimis litteris renunciatur mihi, venena impuri hominis augendo morbo cauſam dediſſe: Idque ex litteris ſuis, quę inſpectę eſſent, certiſſimum affirmari. Eo ad Pontificem ſtatim, & quę miſſa erant oſtendo. ſcribitur ad Ducem epiſtola. In cuius calce hoc erat, ſi aliter quam poſtulatum erat, de voluntate ſua accepiſſet à quoquam, id malignum eſſe & mendax. Nec quod factum de Cœnobio fuerat, poſſe vllis rationibus reuocari. Inter hæc cum dies plures non veniſſet ad me Auguſtinus (veniebat enim antea ſæpe) tandem priuata neſcio quæ officia curaturus acceſſit. Accipio hominē qua hilaritate ſum cæteros ſolitus. At hic vultu indignanti, & præter ſolitum nubilo, referebat quę erant dicenda. fine facto: *Ecquid*, inquam, *Auguſtine, ſibi hac vult oculorum & vultus triſtitia? Num domi ſalua ſunt omnia? per hos etiam dies nulla tui facta eſt copia.* Tum ille cupiditate ſimul, atque ira accendente, conceptam amaritudinem profert. *Voluiſti*, inquit, *alieno magis, quàm meo adiumēto Cœnobium aſſequi. Regem interceſſorem, & oratorem eius paraſti tibi. Niſi me operante, nullis vnquam interceſſoribus id aſſequeris.* Conſolari intellecta re, ægram animā volui, & ſpontaneam Ferdinandi operam, non procuratam oſtendere. Dixi multa in eam ſententiam. Sed quid agas, vbi ex ſe ipſo peruerſus, alium putat. Nec perſuadere fallaci animo verum potui, nec ab impugnationibus ſtudia eius abducere. Abiit incenſior, nequiorque quam venit. Dies nonnullos poſt, nunciata Ducis conuerſione, & Cœnobio tradito, videns hic noſter, contra eius ingenia, ſola impetratione Regis omnia me conſecutum, nec fruſtratum ſe modo præmiis concupitis, ſed teſtimonio quoque litterarum Pontificis mendacem apud ſuos ſe comprobatum, nec minus Romæ, quam Mediolani confuſum, implacabiles inimicitias corde magis, quam voce mihi indixit, quærens illo ex tempore ad me oppugnandum aditus omnes, & nouis quotidie hic, atque illic criminibus notans. Alienorum hominum Duci fidem probans, meam condemnans. Itaque vnde poſtrema hæc eius malignitas originem ducat, plane iam noſtis. quæ autem in te operatur, nec minora his ſunt, nec honeſtius initium habent. Vtrobique labefactæ animæ manifeſtę ſunt ſordes. Sed quid nos his ab eo triſtemur incommodis? Aut quid agant mendaciſſimæ voces ſuę vitę, quàm noſtrę veriores teſtes? Multa ſunt, quæ hortari nos ad horum patientiam debent, & quotidianam mœſtitiam alleuare. Sed noſtra primum, Arcimbolde, conſcientia. Scimus enim vera non eſſe, quæ Auguſtinus mentitur de nobis: diuerſa ab huius criminibus inueniri opera noſtra: Fidem vel beneficiis, vel religione ſuſceptam inuiolatam manſiſſe: nec conſcientię noſtræ occurrere aliquid, in quo vel Pontificis, vel Ducis offenſionem inſpiciat. Ea igitur ſola ſi nos non accuſat, quid accuſationem eius cum triſtitia ſuſcipiamus: Quem non dubium eſt morbo animi, non iudicio accuſare. Sed neq; in hominem vlla, (quod ſciam) eſt noſtra iniuria. Cōmemorare merita in eum noſtra poſſumus multa. Proſecuti illum honoribus ſumus. Benigne ſemper excepimus. Idque duntaxat in eo demerendo obmiſimus, quod illi acceptum eſſe, notum non fuit. Atq; hæc omnia non tam officio legationis, quam perſonæ impendimus. Quę quia ſtudio ſeculi conferebātur in eum, cuius vitam non probamus, iuſto Dei iudicio accipimus retributionem erroris. Illa vero imprimis noſtra eſt conſolatio, & dolentis animi medicina, quod Sacerdotes ſumus, & quod noſtri officii non conuenit nos eſſe immemores. Etenim ſi hæc malorum nos turbat iniquitas, quid infirmiores agent? ad quorum præſidemus exempla? nonne & in noſmet ipſos, & in proximos noſtros peccamus? Mali nil habent peccatores. Calumniæ nullo animas detrimento afficiunt, niſi cum feruntur moleſte. Exercitia quędam humilitatis miniſtrant, ſi accipiantur, vt cōuenit. Inſoleſcimus aliquando & nos, & ſupra merita noſtra erigimur, exceſſus electionis nō ſentientes. Lingua ergo maledici, ac detractoris, quaſi acutis aculeis ſepultos excitans ſenſus, in cognitionem, emendationemque errorum conuertit. Ideoque per Saluatorem noſtrum eſt dictum: *Beati eritis, cum maledixerint vobis homines, & perſecuti fuerint vos, & dixerint omne malum aduerſum vos.*

F. CAR-

F. CARDINALI SENEN.

CLVIII.

Contendiſti à me ſępius, vt breui epiſtola rationes eas colligerem, quibus diſſuaſi olim,te audientē,bellum quod inferre optabat Pius Euerſo Anguillarię Comiti, male per ea tempora de Eccleſia merito. Voluntati itaque tuæ,quantum potero faciā ſatis,& quanquam dictorum meorum non ſatis inſtructa recordatio ſit, enitar tamen quamplurimum potero,in mentem redire. Die,quę diſſuaſionē præceſſit, vocauerat, vt noſti,ad ſe ſanctiſſimus ille pater Nicolaum Cardinalem Theanenſem, Neapolionem Vrſinum, & Laurentium Ferrarienſem præſulem, qui ea æſtate exercitibus ſuis diuerſis in locis præfuerant: Tuam quoq; dignationem,& Gregoriū Lollium,ac me, licet vmbratilem,adhibere in conſilium voluit,ſcire noſtris iudiciis cupiēs,num hieme illa,quæ iam appetebat,vel tolli de medio Euerſus poſſet,vel ita in arctum reſtringi,vt ſe in bellum contra Turcos eunte,nil nouæ turbationis ab eo eſſet timendum. Angebant enim mentem cordati ſenis,non ſolum contumeliæ, in dies pene ſingulos Romanę Sedi illatę,dum modo iter,quod à Viterbio in vrbem eſt,aſſiduis latrociniis complet,modo in ſubditos Eccleſię crudelitatem exercet,modo fodinis aluminis arma,& diſturbationem intentat,modo aperte cum hoſtibus ſentit, modo etiam veneno vitam ſuam, ſubmiſſis artificibus,petit. Sed metus ille imprimis premebat,ne per abſentiam ſuam, ſicut paucis ante annis euenerat, motum grauiorē alicubi ſuſcitans, omnia bello inuolueret,& ſanctæ expeditionis opus turbaret. Re igitur his conſultoribus communicata petit(vt dixi)num ante nauigationem,quę venturo Iunio erat futura,confici negotium poſſet. In ſententiam imus. Theanenſis,& Neapoleo dutum admodum laborem hunc eſſe dixerunt,aſperitatem ineuntis hiemis,& locorū Euerſi difficultatem monſtrantes,quę natura ſupra opinionem munita,etiam ille ex conſcientia vltionē expectans,proximis annis ſine intermiſſione,commeatu, armis, & propugnaculis ad reſiſtendum inſtruxerat, ſuadebant differendum bellum ad Veris initium,atque eo tempore tota poteſtate hominem inuadendum. Futurum enim vt milite in hibernis refecto,& pabulo iam vireſcēte, validius, & ſine interruptione omnia fierent, pluſque ſucceſſus habitura eſſet dies tunc vna, quàm nunc decem hiemales. Ventum eſt ad me, & iubeor iudicium dicere. Excuſo aliena eſſe hæc à ſtudiis meis, nullam vnquam me partem militaris diſciplinæ attigiſſe, inter atramenta, & calamos verſatum non plus de rebus bellicis poſſe diſſerere,quam olim diſſeruiſſet ineptus ille Phormio apud ſummum Imperatorem Hannibalem: credendum in his eſſe Neapoleoni,& Theanenſi,laudatiſſimis ducibus, quorū virtus proximis victoriis eſſet probata. Verum militia omiſſa, vnum me cernere,in decernendo bello,quod putem grādis eſſe momenti. Indicta eſt in quā profectio tua, Pater ſancte,in Turcos, & commotæ ſunt nationes fere omnes ad iter, creditumq; vbiq; rem agi ad verum,cum tamen non deſint,qui aliter opinentur. Burgundiæ Dux,vt audiſti, ad nauigationem ſe præparat,ſperans Beatitudinem tuam impedimentis omnibus liberam, vacaturam tantū Fidei cauſæ. Annūciatores præclari huius operis quoquouerſus ſunt miſſi,& concionantur quotidie in populis,atq; in hoc vno totam eſſe mentē tuam vociferantur. Fideles vero ipſi iam perſuaſi, ſtudioſe in armando milite pecuniā pendunt. Mox itaq;, vt inchoatum bellum in Eccleſiæ viſceribus, & pene in portis vrbis audierint, dubitantes, ne hac retentus neceſſitate, non excedas Italia, tepidius agent,quæ nunc ſpe tranſitus cum ſtudio apparant. Nec tamen deerunt,qui deſiſtant omnino. Maligni,& pſeudochriſtiani, expeditionem hanc odientes, adiuuabunt ſuſpicionē conceptam. Et diabolus ante omnia, tanquā Leo rugiens, & circumiens, ſemper profectioni ſanctæ infeſtus, mille artibus inſinuabit ſe mentibus hominum, eaſque à nobis auertet. Tempus ad diem nauigationis eſt breue, vt vix magno ſtudio parati eſſe ad præſtitutum terminum poſſint, nedum in hac ſuſpenſione animorum inſtructum quicquam futurū ſperemus. vbi vero ierimus,& ii nos non ſequantur, intelligis quid mali ſequatur. Propoſitus,repromiſſuſque deficit fructus,& ignominia ſempiterna Romanę Sedi paratur. Hæc tu animo voluēs,ſapientiſſime Pōtifex,cogitatione tua expende, vtrū magis ſit attendendū,incertumne ab Euerſo periculum,quod tamen non niſi tem tē-

poralem attingit, certa iactura publicę cauſæ complectens religionē noſtram, & nos, & vniuerſalem Eccleſiam. His dictis Dignatio tua, quę in dicenda ſententia proxima erat, conſideranda multum hęc ipſa affirmauit, & fidem fecere Ferrarienſis præſul, & qui argumentis pluribus iudicium approbauit Lollius noſter. Motus ad hæc Pontifex, vt vidiſti, & ad ſe reuerſus: *Conſideraui*, inquit, *hæc omnia, & hanc vnam difficultatem præcipue attendo. Theanenſis, & Neapoleo etiam multi facienda dixere.* Ille tamen tollere è medio peſtem hanc cupiens, & publicis nihilominus rebus proſpicere, paululum vltra excogitans, *Quid*, inquit, *ſi rationem hanc ineamus, vt inſtructa omnia relinquamus ad bellum, & tamen non antea patiamur indici, quàm claſſem ſoluerimus: num via hæc hominum opinionibus, ne nos retractum exiſtiment, & futuris motibus ne ab Euerſo eueniant, ſatis proſpicitur?* Cum reſponſum eſſet a primis duobus, quos dixi, ſatis ſine dubio proſpici, atque hanc vnam viam patere ad perdendum ſine ſcandalo hominem, non rogatis vltra ſententiis, ſed ſufficere horum auctoritate exiſtimans, in hoc conſilio conſtitit. Nox multa iam erat, & Pius defeſſus. Diſcedimus omnes, cum facultas dicendi nulla nobis data tunc eſſet. Cogitans vero ego poſtmodum intra me, & continuo magis attendens damnoſum conſilium, ponenſque ante oculos imaginem malorum, quæ ſecutura hinc præuidebam, conſtitui quam bene merenti patri pietatem debebam, hanc intrepide ſoluere. Itaque poſtridie ſumpta opportunitate, ad eum veniens, & venia impetrata dicendi quæ intelligerem ſalutaria, diſſuaſionem in hunc modum ſum orſus: *Heſterna tua deliberatio, Sanctiſſime Præſul, eatenus mihi placet, vt eam Euerſus intelligens, in augenda defenſione ſe interim maceret, & pecuniam minuat, & ſuis ſubditis in diem grauior fiat. Si vltra progreditur, detrimentoſa multum eſt meo iudicio, & placere non poteſt. Per exterminationem huius duo quæruntur à te, quies Eccleſiæ, & ſecuritas fodiendi aluminis. Vereor ne, ſi bellum incipimus, neutrum aſſequamur, & incidamus in turbationem omnium rerum. Si præſens futurus hic eſſes, nil deſperandum putarem. Sedes tua pro magno nobis eſſet exercitu. Bello proximo hoc ſumus experti, cum Vrbem pene amiſſam reſtituit reditus tuus. Verum cum aberis in longinquis agens ſenties vulgatum eſſe verum prouerbium, eum qui procul ab oculis ſit, procul quoque eſſe à corde. Multiſque, quos metus nunc tenet præſentiæ tuæ, animum eſſe audies ad conturbanda omnia, quaſi ſuo poſſeſſore iam vacua. Hoc itaque incommodum primo loco pone. Difficultatem deinde hanc adde, contemnenda non eſſe caſtella, & arces Euerſi, ſicut heri audiſti, natura, & ſtudio multum munita, & operoſam valde expugnationem illorum futuram. Si ergo, vt tibi ſtatutum eſt, ſtatim poſt nauigationem tuam inferenda ſunt arma, conſidera quid reliquum ſit æſtatis, ad conficienda quæ poſtulas. Eris Anchonæ ad Iunii extremum, niſi in celerando labefactare magis valetudinem velis. Ibi antequam triremem inſcendas, Iulium, credo, totum conſumes, dum claſſis remige & pugnatoribus erit complenda, & Venetorum Dux expectandus, & alii præſtolandi, qui inſtructas triremes ad te ſunt conducturi. Menſes, vt vides, ad ſummum quinque ad belli gerandum ſupererunt. Vltra miles noſter contineri in caſtris non poteſt. In hyberna ſi non ducatur, ipſe ſuo imperio ducitur. Non ſatis intelligere poſſum, niſi Deus miraculum faciat, quo pacto tot caſtella, & arces, & oppida impigerrimi hoſtis, ac tantis munita præſidiis, tam breui ſpatio in poteſtatem poſſis redigere. Conſurgit hic mihi dubitatio multa, multuſque metus. ſi enim vna expeditione Euerſus non perditur, res noſtra in diem deterior, ſua per hoc melior redditur. In dilatione ille ſalutem poſitam cernens id extreme conabitur, vt in hiemem bellum trahatur, cuius beneficio colligendi ſui ſit copia, & parandi adiutores in annum venturum. Audi patienter quid vltra conſiderem. Quicunque ex cruce ſignatis venturi ſunt tecum, & nondum venerint cum nauigabis, audientes bellum in locis Eccleſiæ geri, & exercitum tuum aduerſus Chriſtianos pugnare, cogitabunt quod heri dicebamus eſſe cauendum. Tutum ſibi iter ad veniendum non credent, nec putabunt totis viribus tuis in Chriſti cauſam deſcendi, cum paucis comitatus, alios domi ad digladiandum relinquas. Non omnes neceſſitatem hanc tuam intelligent, nec belli cauſam attendent. Publicam enim opinionem ſequuntur populi, & ex illa motus animorum vt plurimum capiunt. Leue erit, quod mentes ad bene operandum non ſatis firmatas poſſit auertere. Audiemus hos non venire, quos acceperamus venturos: illos ex via redire, qui iam erant iter ingreſſi, vbique vero ſuſpenſionem plurimam eſſe. Grande hoc malum erit, ſanctiſſime præſul, grandis calamitas, noſtra occaſione tantum præſidii amitti. Ad aliud tranſi, & intra te cogita, vnde parare abſenti tibi ſubuentionem, & ſtipendium poſſis. Gallia adiumenti nihil porriget. Vtraque Hiſpania nihil, Britannia nihil, Germania, & tranſalpinæ nationes,*

prater

præter militem, qui crucē aſſumet, etiã nihil. Italiæ quanta habẽda ſit ſpes, tu ipſe ſatis cognoſcis. Mediolanenſis Dux ex ſuffragiis, quæ per miniſtros tuos ad cauſam hanc colliguntur, armat ipſe quot eſt miſſurus cum filio. Idem Florentini, Dux Mutinæ, Senenſes, Lucenſes, Bononienſes, & Mantuanus Marchio agit: quisque vel triremes inſtructas, vel armatum militem mittit. Ianuenſis Ciuitas alienæ ditionis iam facta, pendere quicquam non poteſt. Regnum Ferdinandi bello ſexennali afflictum terræmotibus inauditis, peſteque & fame prope exanime, non habet quod tribuat. Veneti cauſam ſuam agentes, aliorum implorant ſubſidia. Solum patrimonium Sedis tuæ hucuſque te aluit, & impenſam tulit quæ in conſtruenda claſſe eſt facta. Expertus quotidie es, quàm grauate ad primam contributionem acceſſerit, quanta coertione fuerit opus, vt quod propter Deum non facit, pro͂ter temporalem pœnam impleret. Pr ſente Beatitudine tua, patre & domino in oculis ſic eſt reluctatum. Quid credis egreſſo Italiam eſſe facturum? Si qua in hoc ſpei eſſe poterat reliqua, tota erat in quiete rerum, ac pace. Neſcio enim quo pacto bellum nobis gerentibus ſuperbiunt ſubditi noſtri, & ad præſulum mandata obdureſcunt. Hoc proculdubio eueniet magis, audito motu in Euerſum. Si indicetur ſecunda exactio, importabile onus clamabunt: ſi ſeuerius à quæſtoribus noſtris agetur, miram vbique contumaciam audiet. Non proderunt ſpirituales pœnæ, ac temporales. Vis ſola, quæ poſſet pertinaces inducere, adhiberi non poterit, copiis noſtris bello implicatis. Atque ita, ſi recte attendimus, ſubuentio omnis tibi, ac nobis eripitur. Sed vide quantum vbiq; incendium ex hac vnius loci flamma exurgat. Ad præteritam afflictionem, non ad præſentem opinionem reſpicio. Bello in hiemem producto, continuari in æſtatem ſequentem erit neceſſe. Conabitur interim hoſtis (vt eſt ſemper ad perniciem ſolers) pluribus in locis nouos metus inducere, vt ad plura diſtracti, minus efficaces ad ſuam oppugnationem reddamur. Habet, (vt noſti) inter Eccleſiæ viſcera multos ſceleris ſui affines, pro malis & ipſi pœnam timentes, cum quibus occultis fœderibus eſt ſociatus. Ii ſatis noſcentes ſublato Euerſo, mox ad ſe calamitatem venturam, quacunq; illi poterunt ratione ſubuenient. Ad hæc Vrbem Romam in factiones diuiſam relinquimus, & infeſtam nobis propter diſceſſum. Multorum animi, qui Dominatum in locis proximis tenent, ſunt ſatis offenſi. Populorum quoq; fere omnium mentes, vel nobis, vel conuicinis ſunt parum pacatæ. Vbiq; vlciſcendæ iniuriæ voluntas accenſa, ad quam retegendam illa vel maxima opportunitas aderit, ſi exercitum Eccleſia vno in loco videant occupatum, ne ad coercendos motus ſe poſſit impertiri. Videbis Gentilem Salenſem actum à te in exilium, ſine mora huc reuolare, & cum cõſpiratoribus, quos iã ſumus experti, in repetẽdis quæ amiſit turbas nobis excire. Sabellos & Columnẽſes moliri multa intelliges, vt recuperẽt caſtella, quæ ademiſti. Idẽ de nobilibus audies Arcis canalis, non erit commune, non oppidum de confinibus diſſidens, quod per opportunitatem abſentis Principis, & occupati exercitus in contentionem non veniat. Cernimus præſentes quid agant Nurſini, Caſiani, Spoletani, Aſſiſini, Anchonitani, Exini, & plures huiuſmodi. Audiemus nimirum abſentes congeminari eorum proteruiam. Iam vero de Malateſtis nil di͂o Erramus vehementer, ſi in tanta opportunitate eos credimus dormituros quod po͂erunt, temptabunt ipſi per ſe, quod non poterunt molientur per alios. In oculis noſtris cum contumelia noſtra adiuti ſunt hactenus, procul ab o͂ulis etiam adiuuabuntur cum damno. Periculum eſt ne non modo tam grande dominium, quod eſt recuperatum Eccleſia, ſed quod datum erit nepoti Antonio, vna rebellione ad vomitum redeat affectu ſubditorum qui eſſe ad Dominos veteres, vt plurimum ſolet. imprimis hoc operante. Addo quod propter æſtimationem noſtram vulgari non vellem, & tibi dico, vt Chriſti Vicario. Reductæ ſunt nuper ad gremium tuum ciuitates nonnullæ, & oppida, quæ ad fines Campaniæ ſunt. Cum his quoque Terracina vrbi è manibus Ferdinandi ante erepta. Si non putamus hanc nouam poſſeſſionem noſtram Regi dolere, & illum de recuperatione iam cogitare, rudes admodum ſumus. diſſimulat nunc indignationem ſuam, egens opis Eccleſiæ, ſed portui iam ex tempeſtate appropinquat, ac hoſte Gallo pene excluſo, ditatur atque augetur. Non ſcio quantum de gratitudine cogitet. Magis benigni homines in metu ſunt, quàm in victoria grati. Intuens ille te longe abeſſe, exercitum tuum in euertendo Euerſo ſatagere, forſitan pudore victo, vel rem tranſiget ipſe, vel tranſactores rei occulte parabit. Miniſtri ſunt ei multi, quales agnoſcis Cum illi poſtmodum ſuccenſebis, & factum expoſces, aut reditum ad ſe voluntarium illorum populorum cauſabit, aut imminentem ad Gallos defectionem, niſi præueniſſet ipſe monſtrabit. Atq; ita ſummo dedecori noſtro, ſumma quoq; accedet iactura. Ad ſedanda hæc mala ſi totis copiis erit eundum, neceſſario relinquendus Euerſus, ſin partitis, differenda in longius debellatio eius. ſin vero vt debelletur, ſinendi illi inter ſe concertare. omnia iã incendiis, & latrociniis videbis cõpleri. Ex

tota Italia partim ob ſpem prædæ, partim ad merendum ſtipendium, perditi homines in patrimonium noſtrum conuenient. Ita redditus Fiſci tui, qui diſceſſu ipſo labefactantur permultum, his conflictationibus ad nihilum venient, & alumen inuentum confici deſinet. Grandis iactura hæc, Pater Sanctiſſime. Sed grandior meo iudicio, quæ ex his ſequitur. Damnabitur vbique Eccleſiæ Romanæ conſilium, quo in tantam diſſipationem ſit ventum. Ridebimur vt pueri, qui non ſatis habẽtes procul à domo, contra Turcum bellari ſupra modũ potentem, vno etiam tempore nouos hoſtes quæſierimus domi, quibus ingratus eſt hic tuus diſceſſus, grata erit turbatio hæc, atq; vt te in Italiam reuocent, maioris incendii miniſtrabunt materiam. Dolebunt vehementer his motibus Veneti: quibus pax noſtra, & poteſtas omnis noſtra eſt ſæpe promiſſa. Burgundiæ Dux omnia querelis implebit, aſſerens ſe ab Eccleſia non tantum iuuari, quantum eſt creditum, & tuas epiſtolas proſeret, in quibus magnorum auxiliorum illi ſpem præbes. Tum magis hoc fiet, ſi propter turbationem huiuſmodi præcludetur commeatuum via, quorum procuratio etiam pacatis rebus eſt multum difficilis. Nec dubium quin horum copia vel inopia ſuſcepti ſtet, cadatq; omnis conditio. Raro enim quia non ſint arma, diſcedit miles à bello. Comparari illa vbiq; facile poſſunt. Semper fames vel diſſoluit exercitus, vel armat in Duces. Nec tu mihi ad ſolitum argumentum refugias. Sufficit exemplum meum, & profectione mea ad expeditionem hanc alios trahi. Tibi .n. probari forſitan hæc ratio poteſt, ſed aliis non itẽ probatur. Primũ enim non hoc tantũ eſt repromiſſum, maiora multo Burgundiæ Duci, & Venetis pollicitus es. Deinde Dux ipſe cũ vouit ſe in Turcos iturũ, ſi magnus aliquis Princeps comitẽ ſe ſibi adiungeret, nõ hoc cauit, vt comitatu illo honorata eſſet tua profectio. Satis enim honoratum eſt quicquid tale pro Chriſto ſuſcipitur: ſed id voluit vir præclarus, & in magnis verſatus, vt quando vires hoſtium ſummæ haberentur, & ſolis ſuis debellari eas diffideret, præſertim tã longe à patria, ſuffragiũ potentiæ non dignitatis ornamentum ſibi aſciret. Hoc expectat Princeps ille à te, hoc deeſſe cũ ſentiet fruſtratum ſe opinione clamabit. Magnum eſt nomen Eccleſiæ: diuitiarum opinio multa. Qui vidit Apoſtolicã Sedem bellũ vno tẽpore in Regno, in Latio, in Vmbria, in Flaminia potenter geſſiſſe, & vbiq; aluiſſe exercitus, maiora his nunc pro Fide expectat. Quæ cũ non apparebunt, vel auaritiæ, vel negligentiæ, vel inconſiderationi noſtræ aſcribet. Quòd ſi ſtatũ Eccleſiæ in pace relinquimus, incommodorum, quæ dixi, magna pars tollitur, nec ita frequẽs erit locus querelis. Quòd ſi etiã per occaſionẽ abſentiæ tuæ exoriretur turbatio aliqua, quã Deus prohibeat, excuſata eſſet omnibus tua neceſſitas, ſi nõ quantũ exigitur, operareris pro Chriſto. Verum ſi culpa noſtra in hæc mala veniſſe putabimur, quid nos à maledictionibus proteget? Acrius in nos, quàm in Turcos odium accendetur. Mens nõ improuida cogitare omnia hæc, & timere facile poteſt. Sed mihi dicet forſan tua Dignatio: Incertum eſt Papienſis, an iſta ſint euentura, quæ dicis. Nimiũ credis iudicio tuo. *Fateor incerta eſſe quæ dico, ſed incertũ quoq; eſt tibi, nõ futurũ quod dico. Ex præteritis ſapiens eſſe ſolet iudiciũ. Tum in dubiis tutiorẽ partẽ amplecti ſemper prudentis eſt habitũ. Memoria repete bellum, quod proxime eſt geſtũ. Eius remetire initia, & progreſſum attẽde. Intelliges vno ex igne, quod ante dicebã, multa incendia grauiter excitata non ſolum in diuerſis tui patrimonii locis, ſed in medio quoq; Vrbis Romanæ, atq; adeo ante fores palatii tui, cum nec dies, nec noctes præſidia publica, & tecta noſtra ab iniuria nos tutarentur. Non debemus, Beatiſſime Pontifex, his ſanctis temporibus occaſionem ſcandali dare. Contra infideles euntes, parcere Chriſtianis nos conuenit. Ad id meo iudicio omnis tua cura eſt intendenda, vt nobis extra bellantibus domi ſit quies, ne ſub vnum tempus diuerſis laboremus in locis, & tollere leuius malum quærentes, incidamus in grauius. Grandia pro Chriſto ſuſcipis ſine dubio incommoda. Is ipſe ſenex, & æger, trahis tecum ſanctum fratrum tuorum collegium. Minuis in immenſum redditus tuos. Spiritualem, & temporalem poteſtatem Eccleſiæ mille periculis ſubiicis. Omnia perfers, vt placeas Creatori. Admiſceatur hoc vnum incommodum cæteris. Alioquin ſi non admiſcetur, maiorum incommodorum materia, vt ſinamus hunc imperitum hominem impune abire, & reſeruari in aliud tempus iuſtam de eo vltionem, Deus, qui intelligit omiſſam propter ſe occaſionem præſentis vindictæ, nouam poſthac occaſionem præſtabit, non minorem præſente. Interim paretur fortis exercitus, cuius metu contineatur audacia, quiq; ad opprimendum ſtatim eat quicquid ſiniſtri alicubi oritur. Seruentur, quæ parta ſunt hactenus magnis laboribus. Pacatus nedum turbatis rebus, ad ſeruandum perdura. Contineatur hæc noſtra tranquillitas, vt ſicut euntes rem omnem, Sedis pacatam relinquimus, ſic redeuntes inueniamus pacatam, & poſt labores quietem, non bellum agamus.* Hæc ſunt, mi domine, quæ patri noſtro me dixiſſe tunc memini. Vberior diſſuaſio fuit, ſed omnium, vt dixi, recordatio non eſt explicata, magis vt ſatisfacerem tibi, quam vt futurum quod velles conſiderem, hæc repetii & ſcripſi. Veniã

dabis

dabis memoriæ,quę,vt cætera,ipſo tempore carpitur. Tantum autem, ſicut tunc cognouiſti,tribuit Deus conſilio ſerui fidelis,vt feruor ille Pontificis, qui tantopere in Euerſum videbatur accenſus,his dictis conſederit,&ad te meq; conuerſus,ſic quoq; & cogitaſſe,& futurum eſſe ſe dixerit. Ridenſq; addiderat, *Gratias Euerſus habeat Turco. Beneficio illius impunitatem fert ſcelerum, & ab exitio quod impendebat eripitur.* Vale.

N. ELECTO MVTINENSI.

CLIX.

NVllo loco defui rebus Paternitatis tuæ. Caluerunt iam aures Pontificis, vocibus pro te meis. Indignitatem rei oſtendi.æſtimationis ſuę eum admonui. Incendi animum ad non ferendam contumeliam Sedi illatã.Sed nec ille meis exhortationib. ceſſit in immenſum ſtomachatus. perplura, quàm ego in eã ſententiam ſępe locutus eſt.Priuſq; ceſſurum ſe oſtẽdit miniſterio ſuo,quã propoſito ſemel ſuſcepto. Scripſit frequenter Duci non leuibus verbis,vt tua Paternitas putar,ſed grauibus,rogans,admonens,increpans,&libertate plurima minans. Cum nõ profuerint hæc,interdicere omnino vult Mutinæ ciuitati,atq; in eum ſeuere agere,qui lenitatẽ ſuam contempſit. Agi iam putat nõ de rebus tuis,ſed de ſuis. Vincere in bona cauſa ſubditum quærit,nõ vinci. Atq; hoc vno exemplo,reliquos Vicarios Eccleſiæ officii admonere. nec eſt,vt timeas Sedis iam datæ mutationem,etiam ſi omnes vno tempore nunciarentur vacare,quæ in ditione ſunt Ducis,flecti nullis precibus poſſet, vt factum mutaret. Si in verbis eſt fides,ita exploratum habe,mi Mutinẽſis. Imaginem quandam rei meæ, intueri in tua nunc videor. Menſibus ſex continuis pugnans Pius pro Papienſi Eccleſia contra Ducem Mediolani,cedere illum tandem coegit in ſententiam ſuam. Magis de Mutinenſi idem credendum,qui & potẽtia,& æſtimatione eſt illo inferior. Bono animo eſto. Tranſibit cito hic nimbus. Si tu interim pateris,patere ſapienter. Paſſi & alii grauius aliquando ſunt,& tandem conſolati à Domino. Cogitanda hæc tibi antea erant,firmanduſq; animus ad contentionem hanc expectandam, quod ſi feciſti,mirum quod ſic lamentetis. ſi non feciſti,ſecuritatis nimię es inculpandus. ſi nec à priſtinis ſacerdotiis tuis,quæ collata iam aliis ſunt,nec ab eccleſia quam nõ poſſides, fructus vlli adueniunt,res incommoda eſt,ſed cochleam imitare, quæ vbi ros nõ cadit,ſuo ſibi ſucco viuit. Partis quæ reliqua ſunt,te ad diem ſuſtenta. In hac tamen neceſſitate ſi ex inopia mea præſtari ſubuentio poteſt,amicus amicum, & Epiſcopus Epiſcopum meum non deſeram. Bene vale. Romæ.

CARDINALI RAVENNATI.

CLX.

BOnitate Pontificis noſtri,& diligentia huius ſeruuli tui, factum eſt, vt contra omnium ſtudia ſeruatus ſit honor tuus,& beneſactum Franciſco. Hodie ſecundis Patrum ſententiis,præſectus Andrienſi Eccleſiæ eſt. Ex conſuetudine virtus ſua laudata. lætor illius cauſa,ſed non minus tua, Reuerendiſſime Pater. Contra binas literas,etiam eas,quæ proprio erant ſcriptæ chirographo, binæ Regiæ,& binæ Ducis opponebantur,in quibus Dignatio tua aperte arguebatur mendacii, & quod hæ teſtabantur,illæ negabant. Riſus erat in nonnullis multus, & ſubſannatio aperta. Qui minus ad Regem inclinant, mirari ſe aiebant Dominationem tuam tam de eo benemeritam,legationem gerentem, domum ſuam honoris ſui cauſa profectam, domi ſuæ ab eo confundi. Qui vero Duci fauebant, arguebant contraria: teſtimonium aientes affectus proprii,tuas literas eſſe,non veritatis. Nemo tamen bonorum, & grauium,nec Pontifex quoque putabat Dominationem tuam mẽtitam. Deo gratias. Literæ Ducis ad me omnia diluerunt,& adſtipulatæ ſunt ſcriptis prioribus. Hac ex re gratitudinis,& bonæ mentis æſtimationẽ auxit Dignatio tua. Dilationes, intermiſſioneſq; conſiſtoriorũ impetratæ aliquando,aliquando extortæ,rem peruexerunt in portum. Agendæ nunc ſunt gratiæ non vulgares Pontifici,qui ſumma ſemper dexteritate,cum alios nõ videretur reiicere, ad nos vultum ſuæ charitatis conuertit, & ad comparanda arma ſedulo ſpatium præbuit. Item & Rothomagenſi noſtro, & ſan-

cti Angeli noſtro,& Auinionenſi noſtro,& Spoletano noſtro,& Viceca̅cellario quoque nuſtro,cui eo habendæ impenſius ſunt, ne ab eo accepiſſe videamur iniuriam. Condoluit mecum frigide apud Regem actam eſſe cauſam ſuam, pro qua Dignationem tuam ſumme rogauit, viſuſq; eſt oſtendere duriorem propterea ſe in Franciſcum fuiſſe. Si reuiſura eſt Regem Dominatio tua, petitioni ſuę non deſit, ſi poteſt. ſi minus, etiam excuſet, quod impetrari non valuit, & probet illi diligentiam ſuam: Non tamen de querela mecum habita dicat. Tantum ſignificet commendatam à me per litteras cauſam ſibi impoſitam. Pater & Domine mi Reuerendiſſime, tua in me,& meos non obſcura merita, ita tibi animum deuinxerunt, vt omni ex parte ſim tuus, omnia cupiam, omnia velim Dominationi tuæ Reuerendiſſimę, honores quoq; tuos, meos exiſtimem; tuaſq; offenſiones faciam meas. Non grauetur amare, vt hactenus fecit, deditiſſimam mentem. Cum non potero cupiam, cum potero præſtabo dignationi tuæ ſemper veri filii officium. Eadem bene in Domino valeat. Romæ. die VII. Octobris. M.CCCCLXV.

FRANCISCO ELECTO ANDRIEN.

CLXI.

FRanciſce mi, age gratias Deo. Non eo tantum, quod Eccleſiam Andrienſem es aſſecutus, quàm quod tanto Pontificis, & communis Domini beneficio accepiſti. Ad ſatisfactionem te compara. Ea eſt, vt Deum timeas, vt merita augeas, vt dignus fias credito miniſterio. Memineris ſarcinam tibi impoſitam, in qua non tua tantum ſed animæ omnium illigentur, quarum factus es paſtor. Non tam honoris, quam oneris præſulatus eſt nomen: opus bonum, ſi regatur, vt conuenit. Es doctus, & ingenioſus, habeſq; experimentum rerum multarum. Vales etiam corpore. Peccare neceſſitate non potes, aut inſcitia. Ex te erit quicquid in partem vtranq; boni erit, vel mali. Multa de te ſunt prædicata à beneuolis tuis. Ea tu niſi operibus comprobes, noces tibi, & illos iniuria afficis. Pauca hæc à fideli animo accipe. Scribe Pontifici, gratias illi agens, & offer miniſterium commendabile ad regimen eccleſiæ creditæ, & fidem perpetuam pro Beatitudine ſua. Nihil eſt quod iam benefactores noſtros ad benefaciendum inuitet, quàm benefactorum gratitudo, & confeſſio. Age & gratias priuatis litteris, Cardinali Rothomagenſi, & ſancti Angeli, & Auinionenſi, & Spoletano, qui propter Rauennatem noſtrum, & me, & propter virtutes tuas, in petitione tibi fauerunt. Idem facito Vicecancellario, qui precibus meis in te mitior fuit. Omnibus ſcribens, ex meo teſtimonio oſtende te ſcribere. Præſentes literas, quæ ad Ducem ſcribuntur, reddi diligenter curabis. In his gratias ago pro ſuis ad me. Dico impletum eſſe, quod petiit. Laudo factum, & te tanquam amicum, & conciuem, ſecundum carnem noſtrum illi commendo. Franciſce mi, hæc tua præfectio ſalutaris ſit animæ, & corpori. Sit patriæ tuæ, generi tuo, & ama̅tibus tui honeſtamentum perenne. Ego certe tantum lætor, tantumque hoc tuo honore congratulor, quantum pro germaniſſimo meo lætandum, & gratulandum mihi fuiſſet. Vale, & commenda me communi Domino, & Regi, & Antonello quoq; noſtro. Romæ die VII. Octobris. M.CCCCLXV.

G. LOLLIO PICOLOMINEO.

CLXII.

SCribis ferri non poſſe à te offendi gloriam patris noſtri Pii, vel ſcripto, vel dicto. Recte hoc ſcribis Lolli. Rectius hoc ſentis, rectiſſime operam das, vt commutentur maledicta in melius. Quis non moueatur, videns pulcherrimam Apellis faciem inquinari cœno, aut Mineruam illam Phidiæ diſcuti ſaxis? Merita eius Pontificis talia in te, & me fuerunt, vt ſine reprehenſione non poſſimus tacere. Feci quod monſtraſti. Celaui te indicem. Laudarionem Campani popoſci. Acceptam percurri vno ſpiritu, ac rurſus relegi. Sublata inueni nonnulla, quæ die illius recitatæ, tibi non placuerunt. Multa etiam addita in ſententiam tuam. Quæ vero de ſcriptis amatoriis tam male acceperas, manſerant, vt audieras. Verbum immutatum non erat. Erant & grauiora quædam, de quibus non ſcribis, quæ vel tunc non pronunciauerat

uerat ille,vel tu in decurſum orationis minus ſenſiſti. Vrgentia vehementius gloriam geſtarum,quàm quæ annotaſti in epiſtola.Ex his duo hæc noſce,laudato cõuentu Mantuano,& iis quæ in Turcos dicit ſtatuta, addebat Pontificem deliberabundum,vtramq; proſequeretur cauſam:Inchoatam ne Mantuæ pro Fide, an quam ſuſcepturus erat pro Ferdinando contra Andegauenſes:inclinaſſe tandem in Regiam, quo pax domi eſſet,ne videlicet quietem externis quærens agitati interim domeſtica ſineret.dictum meo iudicio imprudens,& diuerſum longe à ſanctis eius conſiliis. confirmat,quod aliquando Pio datum eſt vitio,& quod ſancta eius dignatio verbo,& ſcripto ſemper negauit.Non tardarunt indictum bellum res Gallicanæ, vt ſcis, quas reuerſus Senam pene omiſit.non etiam priuata quies, quam pro publica paratus erat proiicere.Totiens enim cogitauit regni cauſam relinquere, quotiens ſpes proſequendi conſilii fuit. Maiora impedimenta in cauſa fuerunt, tibi eo tempore nota.Illa ergo & verior ratio,& laus conſtantior,quod tranſalpinę nationes parum reſponderunt deſiderio ſuo,& Itali potentatus, vel declinauerunt difficile opus, vel à promiſſo abierunt. Si audita vox eius fuiſſet,prætuliſſet Chriſtianorum offenſionem,vt Chriſti vlciſceretur iniurias. Oppreſſus Oriens pluris apud eum fuiſſet, quam vexata Italię portio.Deſertus ab omnibus,cum publicæ rei prodeſſe non poſſet,conuerſus eſt ad priuatam,quam ab externis vacans, non putauit negligendam. Iterum percurſis omnibus,quæ intra Eccleſiæ dominatum geſta ſunt, tranſire ſe ad externa dicebat,& Britannica calamitas primum tenebat locum. Aiebat Pontificis opera,Henricum regno eiectum,conſtitutum Edoardum. Atq; ita hæc narrabat, vt potiſſimum eſſe in hoc laudem ſuam putaret.Si hoſtis Pio fuiſſet Campanus, voluiſſetq; in detractionem conſentire Philelpho, quid potuiſſet maledicens grauius obiicere,quam quod laudans falſo commemorat?Ignoui amanti homini, & bono, ſed minus gnaro rerum geſtarum. Noſti quanto dolori ea turbatio fuerit Pio,quàm ſit contriſtatus,quàm deteſtatus temeritatem Præſulis Interannenſis, quem ad conſtituendam pacem,non ad concitanda arma legauerat. Poteſtatem dederat ad ſalutem,& ille ad peſtem conuertit,erigens vexillum Eccleſiæ, & ſtans armatus contra Henricum:ac vt furor omni ex parte impleretur,conficta ferens diplomata,pendentia ab haſta, & per interpretes vulgans anathema ex illis eſſe omnes, qui contra Edoardum pugnarent. Ingemuit (vt noſti) eo facto tota Gallia, affinitate contingens Henricum. Armata quoq; ſunt regna,opus luctuoſum, & triſte. nec tacuit tantam iniuriam Carolus Francorum Rex,grauiſſimis literis conqueſtus Pontifici eſt, expoſtulans factum legati ſui. ſcis quanta cura Pius illi ſe excuſauerit, quot argumentis contenderit,inſcio ſe,& inuito,& dolente,ſine litteris,ſine auctoritate ſua per Interannenſem geſta omnia. Omnem certe doloris ſignificationem tunc dedit, ac non multo poſt,Interannenſi ad ſe reuocato, iudicium pro tanto ſcelere aduerſus eum conſtituit,ſecundiſq; Patrum ſententiis damnatum,ſede, & dignitate priuauit. Ecce quam errabat Campanus à veritate,& quam peccabat in Pium, quod ſummæ erat impietatis.Si imperatum ab illo eſſet,ſummæ imputabat gloriæ.Quod vix de infideli credi deberet, contendebat à ſummo Chriſtianorum ſacerdote factum eſſe. Quod deniq; literis negat Pius, hoc oratione tota ille affirmabat. Vocaui eum ad me ſtatim,locos qui reprehenſibiles eſſent,& à te monſtrati,& à me inuenti,ſingillatim oſtendi.Rogaui,vt quem laudatiſſimum cupiebat,veris ornaret laudibus,mutaret,quæ bene non eſſent,Britannicum factum pateretur ſileri, cauſam tardati belli verius explicaret,nec ab amico correptionem hãc grauate acciperet.vt enim doctrina eſſem ei inferior, experimenti tamen plus in hoc aliquid ex tractatione rerum haberem.Patienter audiuit omnia,emendationemq; arbitrio meo permittens,ſuſtulit,mutauit,& addidit,quæ tuo iam,& meo iudicio faciant ſatis. Gratias tibi ago, Lolli,quod cogites de Pio noſtro,quod mihi vni credas tua conſilia,& quod non taceas Papienſi quod tibi eſt vel triſte,vel dulce.Multis aliquãdo in rebus peccant viri docti,ſed in hac frequẽtius,quod ſibi fidentes non cõmunicant ſcripta ſua, antequã edant, quos neceſſe eſt poſtmodũ pœnitere quamplurimum.Ego tamẽ reſcripſi Cãpano epiſtolam,laudans pluribus verbis officia ſua in Pium, & ipſam quoque orationem,quæ emẽdatis iam erroribus,digna eſt laude. Hoc ideo egi, ne pœniteret

eum operæ poſitę,& vt teſtimonium ſcriptum haberet noſtræ in ſe voluntatis. Hactenus de Campano. De Gaſpare noſtro factum eſt, quod ſuades. A curia ſe abſoluet quamprimum,& apud te erit. Ego quoq; poſt obitum Pii ſic ſatius duxi. Ferebant tempora illa nonnullos eius mores, quos non patientur præſentia. Meo animo eum qui negociaturus Romæ ſit, alia mente oportet eſſe, quàm Gaſparem videam. Acrior eſt,& aſperior,& ſui iuris retinentior, quàm conueniat iuueni. Niſi patrocinium Cardinalis tui his proximis diebus ei ſubueniſſet, implicatus duris moleſtiis laboraſſet fama & re. Expoſtulas iiſdem in literis negligentiam meam in epiſtolis dandis, nuntiandiſq; ſucceſſibus rerum, quos habeo: quereris quoq; ante ab alienis, quàm à me illos audiri. Quid tibi dicam, Lolli? Iure ab amico amicus,& à fratre hoc frater expoſtulas. Non nego peccatum, ſed tarditatis meæ cauſam intellige. quæ ſunt mihi triſtitiæ, non induco in proſperis, nec amicis libenter communico. Quid enim ſine cauſa illos contriſtem? Tu monaſteria duo, quæ à Pontifice his temporibus habui, ſucceſſum putas. Si benignam in me Pauli mentem attendis, bene de ſucceſſibus iudicas. Multa etenim eſt. Verum, ſi ad cœnobia reſpicis, quid iis infelicius? Florentinum poſſideo iam: Verum ita cenſu inops, & adminiſtratione locuples, vt oneri ſit, non leuamini. Papienſe vero conſuetis me implicat difficultatibus. Poſſeſſionem Dux aperte negat, iratuſq; propterea Pontifici eſt, nec mihi placatior. Pontifex ius ſuum: Ille propoſitum proiecturus non videtur. Damno meo, vtrinq; obſiſtitur. Vereor quoq; ne cætera, quæ poſſideo, propter hoc non poſſeſſum, mox patiantur. Mores Principantium tenes,& animi impotentiam, vbi quid pertinacius volunt. Monaſterium prouentus egregii eſt: paris pene cum Papienſi eccleſia. commodum ſane optabile, ſi coniungere vtranq; felici exitu poſſem. Inde autem oritur difficultas omnis, vnde ortam in Papienſ. es memor. Si itaq; de his non ſcripſi tibi, parcere amico volui, putans ſatius eſſe dolere vnum, quàm duos. Nunc quoq; non ſcriberem hæc, niſi literæ tuę me prouocaſſent. Si nuncii mei, qui vltro, citroq; commeant, ad te non diuerterunt, frangunt imperia. Semper impono eis te viſant nomine meo, te ſalutēt, referantq; omnia, quæ habent de rebus meis, & me. Aut peſtis, aut negligentia illos ab officio abducit. Acriori poſthàc opus erit imperio. Nemo ſine mandatis, & ſine literis ad te meis iter Sena habebit. Fer præterita patienter, & mihi ignoſce. Futura officioſiora erunt, vt ſpero. Valę.

DVCI PRO PONTIFICE PAVLO.

CLXIII.

NOn ſunt noua, chariſſime fili, quæ nunciamus: nouis lachrymis ſunt proſequenda. Similia his annis pene ſingulis audiuimus,& fleuimus. Raro à doloribus ceſſarunt corda fidelium. Hæc tamen præſentia mala eo anxius ſunt audienda, quo iam ad viſcera Chriſtianorum propinquant. Non tacuerunt ea iam dudum Romani Pōtifices. Gregi Dominico prænunciauerunt venientem procellam. Clamauerunt,& quaſi tuba exaltauerunt vocem ſuam. Nos quoq; ab aſſumptione noſtra vſq; in hunc diem, ſine intermiſſione clamauimus. Nulli Regum, nulli Principum, nulli potentatuum ad nos venerunt oratores, quibus venturas calamitates non monſtrauerimus, & quos ad ſubueniendum non ſimus hortati, quaſi plane diuinaremus quod factum eſt, ſic ſubſecutam cladem ediximus. Audiuit omnis populus Paſtoris vocem: ſed nō exaudiuit. Ecce nunc, fili chariſſime, Schandarbeus fortis Chriſti athleta, qui magnæ parti Albaniæ imperitans, annos ſupra xx. pro fide noſtra pugnauit, magnis Turcorum oppreſſus copiis ſuperatus eſt prælio, Dominatu omni exutus,& ad litora noſtra inermis, nuduſq; eſt impulſus. Albanenſes vero ipſi, quos ille in prælio commilitones habere ſolitus eſt, partim cęſi gladio ſunt, partim in miſeram ſeruitutem abducti. Oppida, quæ antehac pro nobis Turcorum ſuſtinuerunt impetus, in ditionem eorum venerunt. Vicinæ gentes, quæ Adriaticum mare attingunt, propinquo metu exterritæ tremuunt. Vbiq; pauor, vbiq; luctus, vbique mors,& captiuitas ante oculos ſunt. Audire miſerum eſt, quanta omnium rerum ſit conturbatio, lachrymabile inſpicere nauigia fugientium, ad Italos portus appelli familias quoq; egentes,& nudas, pulſas ſedibus ſuis, paſſim ſedere per littora, manibuſq; in cælum tendentes, lamenta-

tionibus cuncta implere. Circundant eos mala, quorum non eſt numerus. Ipſe vero Turcorum Dux victor, ſuperbus, immanis, maioribus, quam antea munitus copiis, ad vendicanda proxima quęque pręcipitat. His ſi potiatur, non ſolum ademiſſe ſe Italis omnem pene patandarum claſſium facultatem intelligit, ſed quod dolentius eſt, paraſſe ſibi maris imperium. Si (quod Deo non placeat) funeſtum hoc propoſitum teneat, quis non intelligit ad peruagandas terras, & maria, & ad commiſcenda omnia cædibus atque incendiis, ſummam illi poteſtatem futuram? Experimentis publicis, & ſignificationibus priuatis compertum habemus, illum eſſe natura immanem, immiſericordem, ſanguinarium, auidum ſuperquam dici poſſit, nō ſolum propagandi Imperii, ſed delendæ paſſim ex tetra religionis Chriſtianę. Hæc naturæ mala ętas adhuc recens inflammat. Eſt illi pro otio defatigatio, & pro quiete animi aliena calamitas. Hoc vero amplius habendus in metu eſt, quam maiores ſui, quod illi victis aliquando, & ſeſe dedentibus, non quidem religionis, ſed naturæ vinculo pepercerunt. Hic omni barbatie ſæuior, nulli omnino, etiam fide pacta ignoſcit. Sic Imperator Grecorum, ſic Raſciani Principes, ſic Rex Boſnæ cum patruo ſuo ſub eius gladio miſere ceciderunt. Chriſtianorum negligentia poteſtatem ei, & ſpiritum auxit. Fecerunt antehac ſancti Paſtores, qui nos præceſſerunt, quod eorum tulit facultas: ſed ſoli ad tantā rem non ſuffecerunt, ſperantes exemplū ſuum cæteros ſecuturos. impenderunt Deo, quod habuerunt. Nos quoque ad Pontificatum hunc noſtrum, quem non vltra quā XXII. menſem tenemus, egeni omnium venientes, quod vndique potuimus contrahere, ad hoc ipſum larga manu contulimus. Aureorū milia centum anno proximo ad Hungaros miſimus: pręſenti quoq; multis milibus eos adiuuimus. Huic ipſi Sçandarbeo, quem dicimus, non defuerunt continuo ſuffragia noſtrā. Ab aliis quoque, qui eguerunt, non eſt Pauli manus ſubtracta. Sed quid ſola hęc Sedes? aut quid nos in hac nouitate præſulatus, tot in locis contra potentiſſimum hoſtem potuimus, aut poſſumus? Maioribus præſidiis ad eum cohibendum eſt opus. Veneti biennium continuū aduerſus eum bellantes, exhauſti iam ſunt, & aliena expectant auxilia. Hungarorum non eſt conditio melior, quos & arma aſſidue, & noui quotidie metus concutiunt. Non deficiemus nos animo, quamdiu viuere patietur Deus. Per ſingulos dies impendemus, quod noſtrarum virium erit, & noſtri officii ſedulo erimus memores. Sed ſi maior vis ingruat, & ſi hoſtilis furor fidele ſtudium noſtrum euincat, quæ inde ſuccedent iudicabit Deus, cui debeant imputari. Nos interim, ſicut hactenus fecit Eccleſia, exaltabimus in fortitudine vocem noſtram. Euangelizabimus verbum ſalutis principibus, & populo Dei. Exaltabimus vocem, & non timebimus. Et nunc in tam lachrymabili rerum ſtatu conuertimur ad te amabilis Deo Princeps, & tecum non noſtra, ſed Chriſti voce alloquimur. Chriſtianus es, & Chriſtiana imbutus religione. Hanc tenuiſti à paruo, & hanc natu grandis nunc tenes. Moriendumq; in ea tibi non dubitas. Vide quęſumus, quæ ſunt Principis Chriſtiani vera officia in hoc caſu, aut quid à te nunc omnipotens Deus pro fidelibus ſuis requirat. Non auribus corporis, ſed intra ſecretum conſcientiæ tuę, nos audi. Dedit tibi Principatum, & Principis nomen. Adiecit potentiam, & quę circa te vides. Scimus quod aliunde credis illa nō eſſe. Omnis enim poteſtas à Domino Deo. Iccirco autem hęc tibi ſunt attributa, vt ſi quando impugnaretur fides ſua, & ſi quando periclitaretur populus eius, pugnares pro eo, nec ſineres labefactari opus miſericordiæ ſuę. Sumetes autem arma, & ſcutum, & in occurſum contenderes, atque hoc fideli miniſterio pro donis ſuis ac datis gratias ageres. Cum vero, fili chariſſime, non fiunt hæc, & debitum noſtrum illi non ſoluimus, quid diuinam eius ſententiam de noſtris operibus ſentire putamus? Ingratos proculdubio iudicat nos, & nec immemores ſolum beneficiorum eius, ſed indignos quoque, qui teneamus, quæ dedit. Innumeræ aliquando nos circundant anguſtiæ, & malis multis affligimur. Patimur quę nollemus, & admiramur, vnde illa aduениant. Adueniunt fili, quod offendimus Deum, quod terrenis immerſi, oculos non eleuamus ad cælū, nec benedicimus nomini ſuo ſancto, nec ad miſeros Chriſtianos, qui tutelæ noſtræ crediti ſunt, nos ipſos conuertimus. Vt ergo bene ſit nobis, & proſperentur in ſalutari ſuo dies noſtri, excitemus mentes à ſomno, in quo diu ſepulti, oues fideles dilacerādas lupis dimiſimus. Iam tandem reddamus Domino ſacrificiū,

omnium ſalutate, omniumque neceſſatium: debitum autem tibi, qui ad cuſtodiam in alto es poſitus. Ad hoc vero ſi minus noſtrum officium, & Chriſtiana nos charitas cogit, cogant ſaltẽ pericula noſtra, & cura eorum, quæ in hoc ſæculo ſunt nobis chariſſima. Flamma hęc niſi ocyus reſtinguatur, comprehenſura eſt latius quam opinemur. Nemo ſibi ſecuritatem promittat. Nemo interualla locorum, alpes, & maria defenſioni ſuæ proponat. Quondam hi reges, & populi, qui oppreſſi iam ſunt, hæc ſibi proponentes comprehenſi ſunt in conſiliis, quibus cogitauerunt. Cum dixerunt iuxta verbum Apoſtoli: *Pax, & ſecuritas*: tunc repentinus ſuperuenit interitus: ſicut dolor in vtero habentis. *Beatus homo*, inquit Scriptura, *qui ſemper eſt pauidus: qui vero mentis eſt duræ, corruet in malum.* Mater autem negligentiæ ſecuritas eſt. Nemo regno ſuo, & viribus ſuis confidat. Non cogitet aduerſus ſolos Turcos, quę imbellis gens dicitur, pugnam ſibi futuram. olim, priuſquam tranſirent in Gręciam, cum ſolis Aſianis erat certamen. Europæ nunc magna parte ſubacta, cum Aſianis, & Europeis ad littora vſque ſunt progreſſi Italiæ: & ereptis Chriſtianis, his pugnantibus Chriſtianos nos vrgent. Bellandum nunc Italis eſt, non tam cum Turcis, quam cum noſtris militibus, quos Turcus aſſiduis victoriis ſuos iam fecit, nec iam barbaris armis, ſed noſtris, tormenta quidem bellica maiora illi ſunt, & ſæuiora quam nobis. Armaturam noſtram fabricant iam vbique, & induunt. Veſte non illa longa, & impedita, qua conſueuerunt, in prælium prodeunt. Equis quoque, quo ſint agiliores in pugna, Italica iam frena accommodant. Noſtra pene omnis militatis diſciplína contra Chriſtum nunc militat. & cui dubium eſt, ſi (quod auertat omnipotens Deus) partem aliquam Italiæ occupent, quin ea parte adiuti, & fortiores facti, comprehendant mox aliam, rurſuſque aliam, donec tota iugum eorum accipiat? Porro autem Italię facti domini, quis neget, non cum Aſianis imbellibus, ſed cum ea natione rem ſibi futuram, quam cæterę olim ſunt nationes expertę? Non ſunt ſomnia hæc, nec meticuloſi paſtoris phantaſmata. Vera dici à nobis putamus. Præterita de futuris ſunt argumento, exempli quotidiani, non opinionis tota hęc eſt ſupputatio. Terret nos callida hoſtis ſolertia, terrent opes immenſę, terret vna eius voluntas, momento ſe, quocunq; eſt opus conuertens. Terret quoque deſidia noſtra, cor frigens ad opera Dei, & Chriſtianorum tot pene inter ſe diſſenſiones, quot populi, & principes ſunt. Quod vero his omnibus tremendum eſt magis, terret etiam Deus ipſe. ipſe inquam Deus, ne malis noſtris iratus, & cor Chriſtianorum impœnitens noſcens, auertat ab eis oculos ſuos, & agitari his calamitoſis flagellis permittat. Proinde, Fili chariſſime, vocante te Vicario Dei, excita potẽtiam tuam, & veni. Accurre auxiliis ad extinguendum commune incendium, & ad conſeruandas animas quę renatæ in Chriſto ſunt, & propter quas deſcendens ille de excelſo ſancto ſuo, incarnatus eſt, paſſus, & mortuus. Ad parandam denique ſecuritatem tibi & tuis, ſi gloriam ſæculi quęris, nullibi eſſe maior poteſt. ſi meritum clari facinoris, nullibi Deo acceptius. Si redemptionem etiam pro peccatis, præſentiorem aliunde non eſt comparare. Legem non imponimus tibi, non militem certum, non diffinitam pecuniam. Ad præſcriptum conſcientię tuæ iſta requirimus. Sapiens es, & Chriſtianus, & quid hæc poſtulet neceſſitas, prudenter intelligis. Non conſultores ſæculi, ſed Deum, & conſcientiam adhibe in conſilium tuum. His ſuaſoribus, nihil quod inutile ſit, nihil quod non conueniat dignitati, efficies. Si miſſurus es copias, tutis itineribus ad locum belli peruenient, & cum honore inter noſtros pugnabunt. Sin ſtipendium collaturus, nec nos, nec quiſquam alius à te illud requiret. Miniſtri tui ex iudicio tuo, ſicut neceſſarium viderint, illud impendent, dummodo pateat ſalus, per quem paretur cura non eſt. Inclina fili autem tuam in vocem patris, & verba eius exaudi. Puta, quę locutus eſt, dicta tibi à Deo eſſe, quando hæc fieri per te vult Deus. Quod negabis Vicario Chriſti, negabitur Chriſto, & quod illi ad opem fidelium uffers, offeretur & Chriſto. Subita ſint, atque in tempore auxilia tua. Dilationibus noſtris creſcit continuo hoſtis, & nos minuimur. Morientium gemitus, & eiectorum lachrymæ, & diſperſorum contritio, & ſanguis, qui effunditur, & Dominus Deus tuus, tibi ante oculos ſit.

A. CAR-

A. CARDINALI SANCTÆ CRVCIS.

CLXIV.

Hieronymus tuus, vel dicam verius noſter, hodie publice diſputauit. Honorauerunt eum Cardinales ſeptem, prælati quam plures. Turba doctorum hominum multa. Præbuit omnibus naturæ, atque inſtitutionis ſpecimen ſingulare. Nihil eorũ, quæ contradicta ſunt, inſolutum relinquens. Memoria ſtabili aliena argumenta reſumpſit, ſua innumeris probationibus confirmauit, nullibi hæſitans, nullibi vel verbi, vel rei cauſa indigens admoneri. Omnia vero ſingulari modeſtia, quæ commendare illam ætatem ſolet, ita condiuit, vt pudor non ſit viſus doctrinę cedere. Singulorum autem, qui aderant, laudatus eſt vocibus, dignuſque habitus, qui ſanguine, & famulatu tibi ſit coniunctus. Benedicendus ergo Dominus, qui tribuit illi intellectum, vt diſceret iuſtificationes ſuas. Commendanda diligentia tua, quæ talentum ei à Domino creditum, voluit ad lucrum conferri. Ipſi quoque ſua laus eſt tribuenda, quod non defuit ſibi, & quod monitis tuis auſcultans, fructum fecit patre, & magiſtro dignum. Ambobus, atque adeo toti familiæ tuę congratulor, eoque impenſius gratulor, quod vix ablactatum illum agnoui, & in vlnis aliquando geſtaui: & indolem futuræ virtutis iam inde proſpiciens. Det ergo Dominus iuxta verbum ſcripturę, capiti ſuo argumenta gratiarum: & corona inclyta protegat eum. A iuuentute etenim excepit doctrinam, vt vſque ad canos ſapientiam inueniret. Domum à diſputatione reuerſus, putaui his litteris perhibendum Hieronymo teſtimonium, quod tuum quoque ſpiritum conſoletur, & benedici faciat quicquid operę, & laboris in eo erudiendo eſt ſumptum. Vale.

N. ARCHIEPISCOPO SYPONTINO.

CLXV.

Si tuis in me meritis addere cumulum vis, omnium & gratiſſimum & acceptiſſimũ, & intimo cordi mandandum, protege Vaſſanenſes meos ab iniuriis Ortanorum, & quidem protectione, quæ ex officio ſit. Eo adducta res eſt, vt in vtramque partem quod illis fit, mihi fiat. Libera, te quæſo, hac moleſtia Papienſem tuum. Vale. Romæ v. Decembris MCCCCLXV.

ANTONIO TRIDENTO SECRETARIO VICEcancellarii.

CLXVI.

Ad cæteras voluptates huius mei ſeceſſus acceſſit iucunditas litterarum tuarum. legi eas libenter. In epigrammate ad me pridem miſſo mutaui quod mones. Nõ aduerteram prius. Vt tu condens, ita legens ego, mendam non ſenſeram. Maculæ huiuſmodi non ſunt doctis inſolitæ. Eæ præſertim, quas incuria fudit, aut humana parum cauit natura. In altera laudatione beatę Virginis, quam miſiſti cum litteris, delectatus ſum plurimum. Iuuit non ſolum auctor, ſed res. Nihil vel ſcribi crebrius, vel audiri libentius debet.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitilenem:
Aut Epheſum, bimariſve Corinthi
Moenia, vel Baccho Thebas, & Apolline Delphos
Inſignes, aut Theſſala Tempe.

Chriſtiano homini hæc meditatio eſt propria, ſacerdotibus neceſſaria. Ad Coloſſenſes ſcribẽs Apoſtolus: *Sermo*, inquit, *veſter in gratia ſit conditus.* Aniles fabulę, & poëtarum commenta, quæ ad eruditionem tolerantur in pueris, in confirmata ætate, ſacriſque addicta, reprehenſibilia ſunt. Itaque facito diu, quod facere incepiſti, & ad Deum conuerſus, dic cum Propheta: *Dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.* Eadem virgo, cuius laudibus inſeruis, ſit tibi cuſtos, adiutrixque in omnibus operibus tuis. Commenda me Reuerendiſſimo Domino noſtro communi, & roga, vt abſentis ſit memor. Bene Vale.

DO. BRIXIENSI EPISCOPO.

CLXVII.

ACcepi Apologeticum tuum Eccleſiaſtici ſtatus, & quod prius non acceperim, cauſam agnoui. Voluiſti inſeruitum eſſe iudicio, magis quam tempori, hoc eſt, attendi potius emendationem, quam promiſſum. Id ego quoq; libentius habui. Præſtat, inquit Seneca, nullos codices quam inemendatos habere. Legam librũ non correpturus, vt petis, ſed laudaturus vigilias tuas. Sunt enim perquam neceſſariç, & ad calumnias noſtras, quam bene appoſitç. Tranſierunt iam quidem in affectũ cordis. Cogitauerunt, & locuti ſunt nequitiam. Iniquitatem in excelſo loquuti ſunt. Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra. quos tu doctiſſime potenter refellis. Ita moderas tamẽ tuæ defenſioni, vt criminantes conuincas, peccatis nihilominus Sacerdotum, ſi qua ſunt, nõ blandiaris. Recte igitur conuenit in te illud Propheticum: *Os iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.* Habeo tuæ Dignationi gratias innumeras. Te amo ex corde, tuis commodis cupio inſeruire, quandoquidem tu publicis ſeruis. Hæc lectio cumulus erit ruſticationum mearum. Viciſſim erit, vbi mentem corpuſque recreem. Ante creditum meum librarium qui exſcribat parare non potero. Facilius hic eſt ligonem reperire, quàm calamum. Sed Romæ diligenter, & cito tranſigentur omnia. Bene Vale, veneratione, & cultu digniſſime præſul. Campagnani x. Auguſti M.CCCCLXVI.

IA. CARDINALI PAPIENS. DO. EPISCOpus Brixienſ.

CLXVIII.

QVid me doctorem, & magiſtrum vocas? qui ſupremum magiſtrum, & cardines mundi doces? Quid digniſſimas cogitationes tuas ſomnia appellas, quæ ſomnolentos excitare poſſunt, etiam ſi in Sardis dormirent iuxta Ariſtotelis hiſtoriam? Quid pudet afferre quod tibi honorificum, & glorioſum eſt? Pudeat illos, quibus hæc ſcripta tua ruborem iniicient. Exegi certe non vt præceptor, ſed vt deuotiſſimus ſeruitor, auidus lectionis tuorum operum. Fit enim neſcio cur, vt libentius legamus eorum ſcripta, quos diligimus, aut forte quia vnumquenq; delectat opus proprium, & amicorum opera quaſi noſtra legimus, quanquam etſi mihi hoſtis eſſes acerrimus, non poſſum non probare quæ tua ſunt, ſicut quondam inſignis Orator contumelioſus in æmulum ſuum, quem beſtiam appellauit, non laudare, & admirari non potuit orationem eius. Vidi ergo, vt optaſti, epiſtolam tuam diligentiſſime, & plura in ea me delectarunt. eo tunc ſolo triſtis fui, cum extremam vidi lineam. Rediui tunc ad caput, & iterum, atque iterum perlegi. Non induam medici perſonam, quia in ea nihil curandum eſt: amantiſſimi profecto ſeruitoris iam diu indutus ſum. Idcirco ex corde loquar. abeant allectationes, adulationes recedant ab amore & conſuetudine noſtra, quæ nec Dignitati tuç conſentiunt, nec naturæ meæ. Plena eſt epiſtola tua dignitaris, & grauitatis, prægnans ſententiis optimis, lenis, non arrogans doctrina, ſtilus ſuauis, non turgidus, qui beneuolentiam, & gratiam tibi comparare poſſit, non inuidiam conflare, aut incendere odium. Noſti enim quam modeſte ſit cum talibus loquendum: quis enim tanget montes, & non fumigabunt? Inſigne præterea ea eſt mentis bene conſtitutç, & animi intendentis ad quæque optima, dedignantis leuia, deſpicientis ſuperba, & ab omni arrogantia & inſolentia abhorrentis. Cardineam prorſus præ ſe fert maieſtatem, & digna profecto, quam Patres præ oculis ſemper habeant, in qua tam mirum in modum reſtituere contendis, & reintegrare deperditam quodammodo ſenatoriam grauitatem, & Maieſtatem veſtram. Eia igitur non abiicienda in flumen, ſed in conſiſtorio veſtro legenda ac celebranda magnis laudibus, atque in excelſo aliquo loco notanda aureis litteris. Neque tibi verendum eſt, quod arrogantiæ argui merito poſſis, quaſi volueris plus ſapere, qui iunior es ætate, & dignitatis tempore multis collegis tuis. quis enim prohibere poteſt ſpiritum Dei? *Poteſtis* (inquit Apoſtolus) *omnes per ſingulos prophetare, vt omnes diſcant & omnes exhortentur.* Suſcitauit Deus aliquando ſpiritum pueri iunioris & iudicauit ſenes iudices populi. Figulus eſt pa-

eſt paterfamilias noſter, idem qui vaſa ædificat, & formata poſtea implet, quo voluerit liquore. neque cognoſcit quiſquam, niſi ei deſuper reueletur, ad quem tandem vſum electus ſit. vnde eſt illud de iuuene Ioſeph: *Eloquiũ Domini inflammauit eum, & cõſtituit eũ dominũ domus ſuæ, & principẽ omnis poſſeſſionis ſuæ: vt erudiret principes eius ſicut ſemet ipſũ, & ſenes eius prudentiã doceret.* Te autem hoc maxime rogo, hoc deprecor, vt charitas tua magis ac magis abundet, & ita nitetur facere, vt qui tua hæc legerint fratres tui, in te quaſi in ſpeculo quodam ea ſpeculentur, & probent experientia, & exemplo tui quæ litteris demandaſti, vt non futilis ſuaſor, & monitor, ſed efficax, & conſtans fuiſſe videaris. Non enim dubito te æſtimaſſe, quantum negotii ſuſceperis, non ſolum in præſentia, ſed in omnem vitam tuam, ſi hęc edatur epiſtola. Legem poſthac ante oculos habebis, non ſolum à naturę ratione, & diuino humanoque iure proditam, ſed etiam à te tibi pręſcriptam. Quis enim Patrum tibi ignoſcat, ſi contraieris admonitionibus tuis, ſi ab his tuis conſiliis declinaueris? in quo tamen mihi laudabilior videris, quia non ſolum communi ratione virtutis, officii, & dignitatis tuæ, ſed etiam quadam alia neceſſaria pręceptione à te ipſo ſtatuta, tibi ſit deinceps cum Pontifice, & Patribus grauiſſime, ſanctiſſimeque agendum. Implebit autem amici, & boni Senatoris officium is ad quem epiſtolã ditexiſti, ſi cutauerit, vt apto aliquo modo Pontifex eam ei ponderet. Vale.

TIMOTHEO CANONICO REGVLARI ARCHIEPISCOPO Raguſino.

CLXIX.

FAcile eſt credere intermiſſionem conſuetudinis noſtrę à quibus es ſemper dilectus, moleſtam tibi eſſe. Id enim humani ſenſus eſt proprium, olimq; accidit multis, plurimis indiem continget. Verum tu, ſi conſolari nõ potes carnis præſentia, quod proximum eſt, conſolationem ex ſpiritu accipe. Vel ſcribendo, vel litteras noſtras legendo, fac vt tibi ante oculos ſimus, ac ſic deſiderium lenies. Neque enim minus iucunda eſſe ſolent mentis, quam corporis conſortia. Ego vero tui obliuiſci non poſſum, nec eſt vt de Papienſi tale aliquid timeas. Humanitas tua, & fraterna dilectio, & gloria diuinæ prædicationis, quam in eccleſia es aſſecutus, faciunt, vt excidere animo nullis interuallis vel locorum vel temporum poſſis. Oratorem Raguſinum antea tantum mihi notum: nunc vero paſtoris ſui teſtimonio commendatum benigne accepi, & me illi totum impendi. Hortatus quoque pluribus ſum, & ad conciues ſuos exhortationem iniunxi, vt te colant, tibique auſcultent, nec putent minus grata nobis futura quam tibi ſuæ deuotionis obſequia. Dicam vno verbo: In illo promerendo deſiderio tuo ſatisfeci, & meo. quę vero ex oris iſtis Illyricis humaniſſime offers, omnia ea mente accipio, qua offeruntur, tibique gratias ago. Nil autem in pręſentiarũ eſt, quod optem iſthinc. hoc tantum peto & rogo, vt valeas ſemper, vtque opus Dei digne adimpleas. Etenim his in locis es poſitus, in quibus nõ ſolum credito, ſed & circumſtanti gregi poſſis vtilitatem præſtare. Fidei hoſtis vicinus eſt, perſecutio aſſidua. Hortandi ergo à te illi, & ſubleuandi ſunt, & in confeſſione fidei retinendi, quorum ceruicibus hoſtilis gladius imminet. Cum vir nominis ſis, & monita ſancti pectoris plurimũ ponderis habeant, nõ erit ſine fructu cura hæc ſumpta. Talenta nobis à Domino credita circumſcriptum locum non habent, conferri vbique ad lucrum poſſunt. Præſul ille dici non poteſt miniſterium bene impleſſe, qui ſuam tantum diœceſim curans, quod in vicina deſerentibus aliis, geri poſſe vtiliter videt, per negligentiam deſerit. Fero, iuxta prouerbium, ligna in ſiluam, & monitorem gentium moneo: ſed dum te quam laudatiſſimum, Chriſtianos vero illos quam adiutiſſimos cupio, fideli ſum imprudentia lapſus. Vale.

FRANCISCO SFORTIÆ DVCI MEDIOLANI.

CLXX.

VIdimus ſemper dilectum filium noſtrum Iacobum tituli ſancti Chryſogoni præſbyterum Cardinalem Papienſem nobilitati tuę valde affectum, & rebus tuis ſtuduiſſe, quantum fuit in ſe. Tempora immediati prædeceſſoris noſtri indicio nobis

fuerunt: noſtra vero experimentum dedere. Conſeruandi ſunt amici tales & viciſſim amandi. Nos quoque propter eius virtutem, & præcipuam in nos charitatem, ſine intermiſſione illum dileximus, agentes in minoribus ſucceſſus eius adiuuimus, & ad Pontificatum aſſumpti, non mutauimus mentem. Audita igitur nuper vacatione Monaſterii ſancti Petri in Cœloaureo Papienſis, quod ſuæ cathedrali eccleſiæ pene contetminum eſt, commendandum ſibi illud putauimus: Confidentes in Domino, quod diligentia eius, ac ſtudio, in ſpiritualibus, & temporalibus incrementa ſuſcipiet, fietque in oculis populi commendabile miniſterium ſuum. Credidimus diſpoſitionē hanc noſtram non eſſe tibi ingratam. Neque enim credi aliter conuenit, quia & perſona ipſa grata eſt excellentię tuæ, & dilectionem meretur à te, & nos ei prodeſſe hac in re merito cupimus. Hortamur igitur nobilitatē tuam in Domino, & paterne rogamus, vt pro reuerentia Apoſtolicæ Sedis & noſtra, & pro honore etiam tuo prouiſionem hanc benigne accipias, voluntatem noſtram adimpleas ſine recuſatione, fauens Cardinali, qui ſtatui tuo fauit ſemper, & fauet. Scimus ſtatim non defuturos, qui te ad porrigendas pro eis intereeſſiones aſſidua importunitate fatigent, ſperantes retractaturos non eſſe quod fecimus. quibus dilecte fili excellentia tua aures non præbeat: mutatur, enim factum non ſumus. Perſeuerantes vero in moleſtiis ſuis, nos, & te, & Cardinalem ſine fructu vexabunt. Verum confidimus, quod pro ſapientia tua, & pro communi noſtra dilectione illos non audies.

FRANC. SFOR. DVCI MEDIOLANI.

CLXXI.

ROgas nos per litteras tuas vt monaſterio ſancti Petri in Cælo aureo pręficere velimus in Abbatem dilectum filium Antonium de Iudicibus, fratrem Abbatis defuncti. Nos, dilecte fili, preces tuas optamus ſemper quantum cum Deo poſſumus adimplere, & has implere poſſemus, ſi monaſterio prouiſum nō eſſet: audita enim vacatione commendauimus illud ſicut noſſe iam debes, dilecto filio Iacobo tituli ſancti Chryſogoni presbytero Cardinali, & Papienſi Epiſcopo, quem ſciebamus charū eſſe tuæ nobilitati, & opportuniatem ad bonum regimen non paruam habere. Itaq; iam ſatiſfacere deſiderio tuo non poſſumus, & ideo hortamur tuam Nobilitatem, vt bono animo neceſſitatem hanc noſtram accipias, & prouiſionē factam habeas gratam. Duobus tibi amicis Cardinalibus gratam rem facies: Papienſi, cui Monaſterium eſt commendatū, & Theanenſi, qui ex huius aſſecutione alterum à nobis eſt habiturus, quod ipſum Papienſem mandamus dimittere: nobis quoque, quibus bonam tuam mentem es ſæpe pollicitus, & factis probaſti, vnice complacebis. Antonio vero, pro quo intercedis, contenti ſumus prioratum concedere, & in futurum, cum vacare aliquid melius continget, honoris ſui, tua contemplatione rationem habere. quod certe ſuo tempore obliuioni non dabimus. Si qui aliter de Monaſterio te fatigatent, & propter inſtantias litterarum, & precum confiderent nos mutare quod fecimus, oſtende confidenter illos errare. Non enim ii ſumus, qui nō ſciamus quid grauitati officii noſtri conueniat: & quid continuare nos deceat. Huçuſque per gratiam Dei nil nos variare oportuit, nec hanc diſpoſitionem mutare intendimus. Scimus, quia nos amas, & quia honorem noſtrum, propter rogantium ambitionem non negligis. Nouimus quoque te ſapientem Principem eſſe & rationem audire, & vinci à rebus honeſtis. Proinde ſi poſſeſſionem Cardinalis adhuc nō habet, rogamus vt tuo iuſſu, & tua gratia aſſequatur quamprimum. Si habet, vt etiam negotia ſua habeas cōmendata. Nulli ex tuis niſi tibi ſoli ſcribendum putauimus, quia non credimus opus eſſe inter nos mediatoribus vllis. Vale in Domino, & ſicut expectamus votiue nobis reſponde. Datum Romæ.

IA. ANT. EPISCOPO LEGIONEN. PRO PONTIFICE.

CLXXII.

COmmendauimus dudum, vt ſcire te credimus, dilecto filio noſtro Iacobo tituli ſancti Chryſogoni presbytero Cardinali Monaſterium ſancti Petri in Cœlo aureo Papienſi: ſed obſtante claræ memorię Franciſco Sfortia Duce Mediolani nuper defuncto, aſſequi poſſeſſionem non potuit, licet litteris, & nuntiis eum aliquando rogari

gari fecerimus. Sciebamus eam renitentiam non placere dilectæ in Christo filiæ, nobili mulieri Blancæ Mariæ Ducissę consorti eiuſdem, credidimuſq; poſt obitum illius difficultatem nullam futuram, & antequam tua Fraternitas Mediolanum veniſſet, poſſeſſionem iam habitam eſſe: ſed audimus dilationes varias adhuc interponi, & prouiſionem noſtram differri. quod certe admiramur, præſertim cum ſine offenſione Dei hoc eſſe non poſſit. Proinde Fraternitati tuæ harum ſerie iniungimus, vt noſtro nomine de hac ipſa re alloquaris Duciſſam, eamq; horteris vt pluris ſuam cõſcientiam exiſtimet, quam importunantium preces, & magis Deum attendat, quàm homines. Nos de ſua nobilitate bonam ſpem ſemper concepimus, putauimuſque rectæ conſcientiæ eam eſſe, & Deum timere. Id quoq; in præſentiarum putamus. Vidimus inſuper abuſus, qui in beneficialibus eſſe prius ſolebant, ab ea non probatos fuiſſe. quod ergo verbo ante oſtendit, expectamus nunc vt opere compleat, & id agat, quod eſt ſemper locuta. Honori enim ſuo, & bonæ famæ ſic expedit. Mens noſtra eſt, vt præfata prouiſio valeat, nec mutare illam intendimus. Si quid aliud ſuaderetur, vel ſcriberetur, ex intentione noſtra ſciat illud non eſſe. Tua fraternitas hanc quoq; commiſſionem diligenter curet, & nos de eo quod egerit, faciat certiores. Datum Romæ. die VIII. Aprilis. M.CCCCLXVI.

GALEAZIO DVCI MEDIOLANI.

CLXXIII.

ALias iniunximus dilecto filio Auguſtino de Roſſis, tuo apud nos oratori, vt ſcriberet tuæ nobilitati, non eſſe noſtræ intentionis, vt à venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ Eccleſię Cardinalibus ſeu Vicariis eorum, quicquam ratione mutui, quod nunc a perſonis eccleſiaſticis capis, cõtra eorum voluntatem exigeretur. Audimus in præſentiarum à tuis officialib. id nõ obſeruari, & inſtantius quàm ante ad dictam exactionem tuo mãdato procedi. Quod profecto ſatis miramur, cum nec noſtro honori, nec dignitati ipſorum coactiones huiuſmodi conueniant. Proinde hortamur eandem tuam nobilitatem in Domino, & obnixe ab ea requirimus, vt pro noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reuerentia, dare operam velit, vt à contributione huiuſcemodi iidem Cardinales cum bonis ſuis ſeruentur immunes, nec amplius ſuper hoc moleſtentur. Non enim ſine præcipua diſplicentia noſtra fieri aliter poſſet. De intentione autem hac noſtra, ſi aliter ſcriptum, vel nunciatum eſſet tuæ generoſitati, rogamus malis nobis quàm aliis credere, & cum effectu curare, vt ſuper hoc amplius non habeamus reſcribere.

GALEAZIO DVCI MEDIOLANI.

CLXXIV.

INtelligentes menſe elapſo nonnullas exactiones nomine mutui fieri ab officialib. tuis de beneficiis & eccleſiis, quæ in dominio tuo à quibuſdã ex venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Ro. eccleſiæ poſſidentur, admirati plurimum ſumus, ac doluimus, moleſte habentes eos, qui membra ſunt noſtra, & qui ſedulo nobiſcum laborãt, nulloq; vllo dignitatis reſpectu indebite ab illis vexari. Propterea accerſito ad nos ſtatim dilecto filio, oratore tuo præſente in curia, grauiter cũ eo de hac re ſum⁹ cõqueſti, & eidẽ iniunxim⁹, vt illico ad nobilitatẽ tuam ſcribẽs, oſtenderet quàm ingrata nobis res eſſet, requireretq; nomine noſtro, vt ab eiuſmodi exactione mãdares deſiſti. Credidimus hanc requiſitionẽ momentum iſthic illico eſſe habituram, nec ſignificatione noua opus exiſtere. Intelligimus nunc ex eorundẽ fratrum querela, acrius perſeuerari in propoſito. Et mãdata quoq; inſpeximus ſuis procuratoribus facta, quæ certe nimiũ inaduertenter, ne dicamus licenter, ſunt facta. Dilecte fili, quia te inſcio præſumpta talia eſſe putam⁹, nec credimus tã modici à te æſtimari Cardinales, hortamur iterum, & requirimus eandẽ tuã nobilitatẽ per præſentes, vt mandare illis protinus velis, quatenus ab exigendo deſiſtant, nec dictos Procuratores vltra moleſtent: pati enim nec debemus, nec poſſumus, Principes Eccleſiæ, & aliunde onera grauia habentes, qui vbique in honore habentur, laicalibus oneribus iſthic aggrauari. Confidimus quod re intellecta requiſitioni noſtræ pro reuerentia eius dignitatis, & pro tua bonitate opportune prouidebis, & cito. quod vt facias, iterum excel-

lentiam tuam exhortamur. Libentius enim ab illa quàm à nobis moneri officiales tuos vellemus.

REGI FRANCIÆ.

CLXXV.

Commendauit nobis tua ſublimitas per literas ſuas dilectum filium Ioannem de Toloniaco, quem ad Monaſterium Sancti Andreæ Auinionenſis Diœceſis electum ſcribebas. Procurator ſuus huc miſſus ſimul cum Procuratore tuo fuit nobiſcum, & decretum electionis ſecum apportaſſe aſſeruit. Nos cupientes tuæ Serenitatis intuitu, iuſtitiam illi fauorabilem facere, & nihilominus dilectum filium noſtrum Iacobum tituli ſancti Chryſogoni presbyterum Cardinalem Papienſem in ſuo iure audire, cui dictum Monaſterium per felicis recordationis Pium prædeceſſorem noſtrum dicitur commendatum. Gratum habuiſſemus dictum decretum præſentatum fuiſſe. Cum vero hoc factum non fuerit, & aduerſarii illo exhibito abierint, non debuimus partibus inauditis ſtatuere aliquid, aut Cardinalem ſpoliare de facto. Dubitamus autem, ne dictus Procurator Ioannis ſuo iuri parum confiſus, ſine diſcuſſione iuris abierit. Propterea Cardinalem ipſum tuæ clementiæ facimus commendatum, ne vim patiatur, aut indebitum ſibi aliquid fiat. pauper eſt enim & tibi ſeruitor, & ad iuſtitiam ſemper paratum ſe offert. Quod illi benefeceris, gratum habebimus.

PRO PONTIFICE EPISCOPO XANTOnenſi.

CLXXVI.

Delatæ ad nos ſunt querelæ de te, præſentibus litteris introcluſæ. Adduci vix poſſumus, vt vera credamus, quæ referuntur. Conſcientia tua noſcit omnia melius. Si vera ſunt, peccas vehementer, & offendis Deum, & Sedem hanc noſtram: honori quoq; tuo conſulis parum. Hortamur proinde Fraternitatem tuam in Domino, & paterne monemus, vt quæ malefacta ſunt, mutes, & viuas deinceps aliter, nec des occaſionẽ nobis, vt querelis perſeuerantibus, durius cogamur decernere. Non enim deeſſe honori noſtro, & iuſtitiæ petentium poſſumus. Hanc primam admonitionem voluimus eſſe à noſtra in te charitate manſuetam, & lenem. Fac Frater, vt pro benefactis tuis, & pro reuerentia in Romanam Eccleſiam, amare te iñ Domino poſſimus, ac bene agentem laudare potius, quàm errantem corrigere.

REGI PORTVGALLIÆ.

CLXXVII.

Libenter vidimus dilectum filium Aluarum Gundiſſalui Legum Doctorem & Secretarium tuum, quem miſiſti ad nos. Diligimus enim illum propter virtutem ſuam, & propter memoriam patrui ſui Antonii Cardinalis Portugallenſis, quem viuentem amauimus plurimum, & mortui grate recordamur. Aluarum quoque ipſum in minoribus nouimus, erat induſtriæ eius tunc ſpes bona, cuius vtique nunc bonum exitum intuemur. Intendimus, Deo ita volente, ſi vacare contingat aliqua eccleſiarum regni tui, illi eum præficere, vt doctrina, quam peperit, ſit in populo vtilis. Hortamur ſerenitatem tuam, quæ bona opera diligit, & quæ Sedi Romanæ afficitur, intentionem noſtram grate accipiat, & cum prouiſione, quam faciemus concurrat. Imprimiſq; occurrente vacatione memor ſit huius noſtri propoſiti, & ſi ſupplicare pro aliquo intendit, pro Aluaro ſupplicet: quia & honor tuus erit non negligere ſeruitorem fidelem, & nobis beneplacitum conuenire preces tuas cum eo, quod ſumus acturi.

PAVLO SECVNDO PONT. MAX.

CLXXVIII.

Hvmile genus meum eſt. Patria, vt non grandis, ita Guelphorum & Gebellinorum expers. Illorum ſequitur fidem, quibus vel eam dedit, vel ex beneficiis debet.

debet. Amplius ſibi cum nullis eſt. Me Gebellinum putas, quod Romam veniens, in famulatum Dominico Capranicenſi ſum datus, Cardinali ſanctæ Crucis Gebellino tunc credito. Ignoſce hoc verbum, erras vehementer, ô Paule, nec generis eſt, vt dixi, affectus hic, nec patriæ, nec famulatus quoq;, quem fors obtulit magis quàm voluntas. Quemcunq; exceptorem nactus tum eſſem, illum eſſem ſecutus. Gebellinus ergo non ſum. Guelfus nun ſum. Illius ſum totus, qui acceptator perſonarum nõ eſt, & oriri ſolem ſuum facit ſuper bonos, & malos. At tu Gebellinum me faciens, & mutatum credens, ſeuocaſti heſterna die dimiſſo iam conſiſtorio adhibens Cardinalem Reatinum, Dominici, quem dico fratrem Germanum meæ culpæ, & tuę reprehenſionis teſtem. Quæ fuit oratio? hæc ad vnguem videlicet: Miſer Papienſis, Miſer Papienſis. Num te pudet factionis mutatæ? Repetita ſæpe hæc vox tantam ſignificationem fecit vultus, & ſpiritus, vt palam fieret factionis, quam dimiſſam doles, vel principem te eſſe, vel propugnatorem acerrimum. Cum peterem cur de me ita ſentires, cauſam dixiſti, quod amicus factus ſim familiæ Vrſinæ, Romæ principatum Guelphorum tenenti. Silui ad hæc, nolens commoto tibi, & breue ad audiendum temporis habenti reſpondere, quæ boni Cardinalis officii erant, & paucis explicari non poterant. Sed audi nunc quietus, & ad cognoſcendum ſpatium habens. Affectum nullum mutaui. Eundem retineo, quem ab initio ſumpſi. Ille dicitur affectum mutaſſe, qui priori dimiſſo diuerſum aſſumit. Non mutaui illum, ſed ad vnum alium addidi. Diligebam ante propter priuata in me beneficia Gebellinam Columnenſem familiam, in eadem dilectione perſeuerans. propter publica nunc quæ in Eccleſiam contulit Guelpha Vrſina, eam quoq; nunc diligo. Peccatum meum nullum hic eſt. Addidi ad charitatem, non minui. Vnum antea cõplectebar: cõplector nunc duos. A Dominico Capranicẽſi Columnenſis factionis, multa in me fuerunt pietatis officia. Venientem in curiã hoſpitio accepit, egentẽ adiuuit, titulo ſecretariatus ſui ornauit, ad hanc q; curialis diſciplinæ induſtriã rudem ignarumq; formauit. Taceo quæ patrocinio ſuo à Caliſto Pontifice ſum aſſecutus, quantumq; Romanus homo Tuſco mihi, & antea ignoto, verborum, rerumq; habuerit fidẽ. Obliuiſci nõ poſſum collatæ pietatis. Fleui defunctum, atq; animæ iuſta impleui. Germano etiam eius Angelo relicto ſine ſpe, & in præſidatu Bononienſi, & in Cardinalatu, & in ſacerdotiis aſſequẽdis, quantum puſillæ vires tulerunt, ſum ſuffragatus, nulliq; ſuo ſuorumve tempori defui. Meus eadẽ perſeuerat, aucta, non imminuta. Quod fui dudum, ſum nunc, & olim quæcunq; dabunt ſe tempore vires, non patiens veterem amorem nouo excludi. Ad diligendos autem Vrſinos tempora me coegerunt, meapte natura ad omnium dilectionem procliuem. Dilexit eos vnice Pius, quidni & diligam ego? Nefarium & impium iudicarem, non iiſdem affectibus capi, atq; iiſdem non credere, quibus ſe totum ille ſæpe permiſit. Es temporum illorum locuples teſtis. Meminiſti nullorum opera quam Vrſinorum, cum fidius, tum vero felicius eundem Pontificem vſum. Nam, vt Pontificatum omittam, in quo voce ſua Cardinalis Vrſinus eſt ſuffragatus, cum cæteri pene Toparchæ Romani in contentione Regni Neapolitani hoſtibus Andegauenſibus adhæſiſſent, hi non modo alienati non ſunt propoſitis etiam conditionibus magnis, ſed Pontificem tuentes, in diſcrimen omnium rerum deſcenderunt. Pugnarunt acriter. Reſtiterunt vehementer. cumque duo germani fratres, Neapoleo, & Robertus, alter Eccleſiæ Dux, alter ex Ducibus Ferdinandi Regis ſtrenue militarent: Neapoleo quidem apud Senogalliam potentiſſimum Sigiſmundum, à quo anno ante, inſignem plagam Pius acceperat, prælio ſuperauit. Roberti vero opera, qui primam pugnam commiſit, Andegauenſes circa Troiæ mœnia in Apulia ceciderunt. Vtrobiq; autem plenam victoriam ſunt operati. Omitto patria obſequia in Marſis, in Campania, in toto agro Romano ſæpius pręſtita, quibus omnium iudicio, & vicimus ſemper, & ius noſtrum ſeruauimus. Sed tu quoq; ô Pontifex dic quæſo, num proxime Euerſanos fratres Deiphebum, atq; Franciſcum, tibi illudentes, publicumq; ad te iter claudentes, ductu Neapoleonis intra duodecimum diem omni tyrãnide deieciſti? capto eorũ altero, quem & nunc in vinculis habes? An non ii tales à me ſunt diligendi? An nõ & hæc gratitudo præſtanda, vt à quibus patrem, & rectorem meum adiutum recorder, & quorum virtute intelligam ſummam

pacem ex ſumma turbatione,ſummamq; æſtimationem ex ſumma confuſione inductam,eoſdem charos habeam,atq; obſeruem? Si inimiciſſimi ante fuiſſent,patrêq;, aut fratres necaſſent,indulgeri nihilominus his tantis meritis rancor omnis deberet. Nunc vero cum odetint nunquam: beneficam aliquando voluntatem oſtenderint, quis ſanę mentis,impugnandos ſibi eos exiſtimet,aut quis,præter te,miſerum Papiēſe n,quod Columnenſes nō deſinens eolere, Vrſinos quoq; ſibi colendos aſſumpſerit? Miror nimis hoc tuum iudicium,Paule,tuamq; hane voluntatem, quæ niſi totiēs iam eſſet refricata,inculcataq; auribus meis,ludi eam fuiſſe,nō animi iudicarem. Etenim,quid alienius à ſummi Pontificis ſacerdotio fratrum,& filiorum diſcordia? concordia autem eſſe quæ poteſt? alterius factionis aſſertore te comprobato? cum alterā ſtatim neceſſe habeas impugnare,an nō hinc odia conſecuntur,& rixæ? odibiles creatori Deo,in eccleſiaq; omni tempore calamitoſæ? Cognoſce mecum, quantorum malorum ſunt cauſa,quantumq; detrimenti priuatim, ac publice afferant. Videbis piacula miſerrima eſſe,ſimulq; loquentem in humilitate filium non dedignare. Ducem perſæpe milites,& Gubernatorem nauis vectores vtiliter admonent. Qui Præſulem Tyraſonenſem de iuſtitia,& ſupplicationibus patienter audis quotidie,audire de hiſce rebus ſemel Cardinalem tuum ſimili patientia potes.

CARDINALI NICENO.

CLXXIX.

Miſeri quid ſumus Nicene? aut quo recidunt conatus noſtri? Vapori eſt ſimile, quod viuimus. Floremus mane,& tranſimus: veſpere decidimus, atque areſcimus. Vidiſti quanto in honore eſſet nuper apud Pontificem Præſul Taruiſinus, quātaq; illi haberetur ſecretorum omnium fides. Nulla epiſtola, nullum decretū, quod modo momenti eſſet,ſcribebatur,quod illius nō eſſet opus. Quicquid cum gloria Romanæ Sedis vbiq; per nationes,& regna eſt lectum,ex officina eius id fuit. Facile inueniebat quod diceret. Dicebat grauiter quod adinuenerat. Vbertas orationis tāta affluebat,vt obruerentur ſæpe vel legentium, vel audientium animi. Adducere ex ſacris libris egregios locos,ſine tu Pontificum,ſiue ſcripta veterum, & nouorum requiras,non plus in labore erat,quàm in quotidianis ſermonibus agere. Tenax, ingēſque memoria ſubminiſtrabat affatim quod erat neceſſe. Admirabamur omnes hominis linguam,& pectus. Laudabamus,& dignum ſummis honoribus iudicabamus. Ecce quomodo breui momento eeciderunt omnia, & ſtudia tot anguſtiis conquiſita,vna morte abierunt. Grandem iacturam ſors noſtra huius obitu fecit, nec eſt redemptura quod perdidit. Inuenire eſt, qui doctrina tantum excellant, & qui eloquentia,& qui vſu rerum, & qui ſola integritate vitæ, at vero qui omnibus clareat hiſce,& operoſum,& rarum. Accedebat in Taruiſino ſumma religio, ſumma charitas,ſummus zelus,ſumma humanitas, faciles ad eum tot in curis acceſſus erant, benigna reſponſa. Adeuntium deſideria ſic excipiebat, vt propemodum ſua facere illa videretur. Teſtimonium hominis vbiq; erat laudabile, vbiq; prædicabatur. Vacans à publicis,vel lectioni,vel diuinæ rei operam dabat. Ea erant refrigeria ſua, & occupatæ mentis leuamina. Nec vagabatur,nec otioſus errabat. vel cella , vel Pontificis aula viciſſim erant curriculum. Vtrobique fidelis inuentus eſt miniſter. Diligebat illum ſummo affectu Paulus,& virtuti ſuæ omnia tribuebat. Mecum de eo aliquando ſermonem habens,interiora quædam bonæ mentis reſtimonia protulit, antea mihi ignota. Eſt, inquiens, miri ardoris ad tuendum dignitatem Eccleſiæ. Conſilia eius intrepida ſunt,non reſpiciunt in potentium facies,nec propter minas langueſcunt. Quæ Veneti noſtro imperio coacti ſunt emēdare,quia hic Epiſcopus dictat,incitationi ſuæ aſcribunt,& dure in eum aliquando loquuntur. Ipſe tamen hæc non ignorans,nihilo ad bonum opus remiſſior redditur. Nouiſſime quoque cum renunciatum eſſet ei remedia vndique conquiſita, ægritudini conceptæ non ſubuenire, dolens,ſuſpiranſque,moritur. ait Præſul inſignis, Præſul perfectus, quales eſſe reliquos oportet. Erat in eo nō ingenium modo,& litteræ,& mens,& eloquium,ſed prudentia,& timor Domini,& cōſcientia recta. Rara ſane tot, tantorumq; bonorum cōiunctio. Si ergo Romanus Pontifex,qui experimentis quotidianis hominem totum verſauit,

verſault,tanta illius virtutibus tribuit,quid à nobis conuenit tribui, qui ſola extrinſeca intuentes,vno omnium iudicio illuſtria putabamus? Quadrageſimum adhuc non attigerat annum,& tanta apparebat bonorum operum fecunditas. Vix Pontificatum inierat Paulus & tot iam miniſterii ſui monimenta extabant.Flendus,flendus eſt à nobis hic caſus eius,non propter eum, qui hoc carcere exutus meliorem vitam ſortitus eſt,ſed propter nos, qui tantum lumen amiſimus. Inſigne talentum, quod ad lucrum conferri longo tempore poterat,cum poſſeſſore ſuo ſublatum eſt. Et cui vltima optanda erat canities,Neſtoriſque,ac Mathuſalem anni, prima ac melior vitæ pars eſt intercepta.O fragilem conditionem vitæ humanę! quæ ante deſinit,quàm inchoetur,& ante nos doloribus opprimit, quàm gaudii initium ſentiamus.Non parcitur vlli hominum generi,non meritis vllis,ſimul diues,& pauper, inſipiens,& ſapiens perit. *Omnium verſatur vrna* (inquit Flaccus) *ſerius,ocyus: ſors exitura, & nos in æternum exilium impoſitura Cymbæ.* Neſcio autem quo pacto præcedunt ſemper meliora,relictis peioribus.Stupei,& plumbei, & inertes, quorum vita oneri, longiſſimam viuunt vitam.qui vero nati ad ſalutem ſunt,primo ipſo laudis aditu tolluntur è medio.Guſtata dona non ſinuntur diu eſſe nobiſcum,ſed in ipſo guſtu nos deſerunt.Ego Nicene cõiunctione tanti præſulis deſtitutus,maximum amiſi vitæ meę ſolamen.Diligebamus nos inuicem,quàm diligi maxime poterat. Amor noſter Pii temporibus inchoatus,officiis continuis ex illo initio creuerat.Merita in me ſua,quę non vulgaria erant,commemorabam ego illi ſæpe,ille viciſſim mihi mea in ſe. Conſolationem capiebat à me in laboribus,qui ei ex Pauli Pontificatu erant, ab illo ego in aduerſis meis.Omnis noſtra animi ægritudo inuicem communicata, alternis obſequiis ſtatim leuior fiebat. Deſiderio immenſo deſiderabam vt aliquando virtutis ſuæ digna ratio haberetur,& nobiſcum ſederet ad Romanæ Sedis conſilium. Debitus enim hic gradus honorę; ei erat futurus aliquando,ſi mors non pręueniſſet. Magna autem Senatui noſtro fuiſſet facta acceſſio,ſiue actionem quæras,ſiue conſilium. Præteritę præſenteſq; adminiſtrationes ſuæ hoc de illo nobis ſpondebãt.Ad tribunal Rotæ,quod eſt in Eccleſia maximum,ſic annos complures ſedit, vt documenta futuræ laudis notiſſima omnibus daret,& iudicium vllum à ſe iudicatum, vllo prouocationis iudicio damnaretur.Sententia eius veritatis & iuſtitiæ lex putabatur. Conſulente aliquando beatæ memoriæ Pio magnis de rebus & grauibus iudices collegii ſui,huic ſemper conficiendi,& ſcribendi conſilii cura demandabatur. Raro ad ea quę inuenerat additum aliquid eſt,vel diminutum. Vt attulerat, ſic omnium iudicio probabantur,nec minus cum recitabantur Pontifici,eius ſenſui congruebant. In Galliam ab Oſtienſi Epiſcopo ductus,qui per ea tempora legationem gerebat, tanta virtute eius onera pertulit,vt quod iuſte, quod integre, quod diligenter eſt factum,huius induſtriæ putaretur.Idem,quem dico, Oſtienſis, mecum de homine loquẽs idipſum ſæpe aſſeruit,& addidit: quòd ex eo tempore illum ſemper dilexerit, illam legationem cauſam fuiſſe.Miſſus à Pio annis ſequentibus ad Venetos orator cauſam,quæ aduerſus Sigiſmundum ex Principibus Auſtriæ agebatur, magno ingenio magniſq; contentionibus tutatus eſt.Impietatem eius detexit, & neceſſitatem iudicii protulit,quod in illum eſt factum.Reuerſo autem habitæ à Pio gratiæ ſunt, & fides eius laudata.Iterum ad Ludouicum Francorum Regem iuſſo proficiſci, ad mandata,quæ cum collega ei erant communia,priuata quædam magni momenti addita ſeorſum ſunt,quę ante eam diem nulli fuerant credita. Elegit videlicet fidem hominis Pius,vbi tantum eſſet virtutis,putans publicis damnis errari non poſſe. Ad regem vero perueniens,duabus orationibus cauſas neceſſarias duas pro Pontifice egit,quarum altera Regni Neapolitani corona Ferdinando data defenſa eſt, & calumniæ purgatę,quæ Pio erant impoſitę. Altera in hæreſim Huſſitarum, & in Georgium Boemiæ Regem illius aſſertorem inuectus eſt, anathemaq; in Sigiſmundum, quem dixi,& Palatinum Rheni,iuſtum monſtrauit, quod ille deceptus mendaciis iniquum putabat.Habuit & tertiam,qua ad contribunenda in Turcos ſuffragia eum Regem hortatus eſt.Factum vero his ſtudiis vidimus, vt omnia apud Ludouicum pacatiora nobis quàm ante,& meliora ſint reddita. Tranſiens inde ad Philippum Burgundiæ Ducem argumẽtis exempliſq; innumeris ad reddendũ Domino votum,

quod vouerat,quarta actione incitauit.Vbique & animi magni & ſummæ ſapientię
præſul eſt habitus,ptimuſq; nonGallicanis auribus,ſed Sedis officio inſeruiuit,liber-
ratem loquendi monendiq; à ſpiritu ſumens. Reuerſus ad Pium cum horas amplius
duas in referendis quæ egerat abſumſiſſet,tanta tamen ſuauitate, & ſplendore otati-
onis eſt vſus,vt fine facto, nobis qui circumſtabamus teſtatus ſit Pontifex, propter
elegantiam eius nec ſenſiſſe ſe tempus,nec ſtudium.Idipſum eontigit & nobis, cum
legationis quoq; noſtrę ſeorſum iniunctæ rationem pluribus explicaſſer. Hũc vnum
ab illo tempore ex ptæſulum numero dilexir Pius, & hunc vnum laudauit, gratu-
lanſque idem Cytharam appellabat ſuam,quod videlicet illa eſſet vſurus, ſi quando
vel alliciendi,vel monendi,vel refellendi Principes eſſent.Plura huiuſmodi de Tar-
uiſino poſſent referri,ſed & longum eſſet, & creſcente oratione creſcit pariter dolor.
Præſtemus Nicene defuncto quod poſſumus.Colamus memoriam eius, & benedi-
camus ſpiritui recto,vnde in nos charitatem ſpirabat: piis quoq; ſuffragiis fidelem
animam adiuuemus.quanquam temetiens ego anteactam vitam eius, & nunc mor-
rem conſiderans,facile adducor,vt credam liòcrum reditum patuiſſe illi in cœlum,
interq; ſanctos Dei ipſum nunc agere.Vixit enim innocenter, & operatus eſt iuſti-
tiam,&incidens in languorem patienter tulit omnia.Domino quoq;totum ſe credi-
dit,ita affectus redigens ſuos,vt quicunq; ſequeretur caſus benediceret illi, & volun-
tatis ſuæ opus agnoſceret.infirmanti & mortuo pietatis omnia ſunt perſoluta officia.
Adiutus à ſuis eſt,& ab amicis non derelictus.Pontifex etiam Paulus,cui ad naturam
miſericordem accedebat amor in Taruiſinum paternus, dignatus eſt ad eum acce-
dere,pauperis Epiſcopi intrare cubiculum,aſſiſtere ægroto, & piis adhortationibus
vrgentem vim mali leuare. Mortuum quoque amarè fleuit, & bendictionibus eſt
proſecutus.ſuus illi vitæ terminus hic fuit.manet nunc noſter nos. Secuturi illum
ſumus poſt paulo, ac redituri vnde proceſſimus. Oremus Deum, Pater Nicene,
vt in pace ſit tranſitus noſter, & ſpatium accipiamus parandæ nobis in æternum
ſalutis.

FRANCISCO CARDINALI SENENSI.

CLXXX.

MVlta ſæpe in hac noſtra dignitate peccamus, ampliſſime Pater: ſed nulla meo
iudicio grauius,quàm cum indignum Principem plebi catholicæ damus. In
nos etenim ipſos & in omnem Eccleſiam impietatis opus,& petfidiæ exercemus, af-
ficiendi diuinis ſuppliciis,digniq; gradu deſtitui,quem ad ſalutem acceptum ad de-
trimenta eonuertimus.Pone ante oculos totius facti noſtri ſpeciem, & vna recotda-
tione cuncta rememora.Videbis eo flagitii culpam aſcendere, vt merito noſtrimet
nobis ſit pœnitendum.Exit à conclaui in omnem partem iam facta electio.Annun-
tiatut fidelibus paſtor habendus.Fit illico à Regibus, à Principibus, à plebibus Dei
ranti operis iudicium. Non latent eos merita noſtta. Sciunt quid quiſq; virtute vel
vitiis valeat.Sed ſi ex iis eſt ptæſul aſſumptus,quem non probet publica vox in rebus
huiuſmodi rationi (vt plurimum) congruens,maledicitur illico nobis, ingratum in-
acceptumq; eſt miniſterium noſtrum,& vel non fuiſſe ad publicam ſalutem iudici-
um,vel ad bene eligendum defuiſſe voluntatem,vel ex omni noſtro numero non in-
uentum meliorem exiſtimant.Quibus hominum opinionibus quid noſtræ æſtima-
tioni infeſtius? Etenim ſi tardi mente cæcique ad diſcernendum putamur, illa ſtatim
indignatio ſubit,eſſe nos in Eccleſia Chriſtiana inutiles,non dignos,qui pręſideamus
in ſpecula,non idoneos qui miniſtremus aliis,quod ipſi nos ignoramus.Contemptui
eſſe incipimus,ac ſub noſtris ornamentis ridendi. Quid enim in Eccleſia faciat, aut
quid meliori honorem præripiat,qui diſcernere inter lepram & leptam non poteſt?
Qui non videt,quid fructuoſum infructuoſumve ſit? Aut duobus propoſitis ſpeciem
boni habentibus,quid horum ſit optabilius.Recte illud Scripturæ nobis accommo-
dant: *Quomodo nix æſtate & pluuia in meſſe: ſic indecens eſt ſtulto gloria.* Quod ſi malæ vo-
luntatis id quod frequenter ſolet aecidere, fuiſſe crimen exiſtiment, nec paſſos nos
aliter fieri quàm factum eſt: illa quoq; lamentatio ſutgit, proditam noſtris fallaciis
Sedem.Peſſundata iniquitate Chriſtianorum omnium commoda. Exitiale autem
malum

malum huic vel illi affectui deputant. Sunt qui ambitioni, quod aſſumi nos cupientes inuideremus bonis. Sunt qui odio, quod eum quæſierimus potiſſimum, qui malo inimicos noſtros afficeret. ſunt etiam qui auaritię quod vendiderimus mercede pacta ſuffragia noſtra, & ſapientes quæ carnis, non quæ ſpiritus ſunt, inclinauerimus in eum, non qui omnibus, ſed qui nobis, nō qui eccleſiis, ſed domibus noſtris benignus eſſe atque vtilis poſſit. Qua turpitudinis nota nil & nomini noſtro infamius, & proxime excogitari nocentius poteſt. Etenim quodlibet horum homines credant, illud certe perſuaſum animis habent, ſine charitate nos eſſe, non amare Eccleſiam, ſalutem publicam ſumma imptobitate proiicere, Fidem ac religionem addictam precio habere, venaleſque animas poſſidere. Videntes quoq; nos populi duces, vnde ſpecimen boni reliquis eſſe oporteret, ſic inquinati ſordibus, facile in hac carnis fragilitate facti noſtri fiunt imitatores. Quodque licere nobis vident, Deum tractantibus: ſibi quoq; in ſæculari vita prohiberi non volunt. Ita miſerandum in modum cum illorum ſalute noſtra quoque ruit auctoritas. Age vero ſi non imprudentię, non praui conſilii, ſed neceſſitatis fuiſſe indignam electionem exiſtiment, quod non ſit melior inter fratres inuentus, quod hoc dedecus eſt eius collegii, quod ſacroſanctum in eccleſia dicimus, Regibus anteferendum putamus? An non cōtemnimur omnes: & indigni habemur ornamentis, quæ contulit dignitas? Certe vt anteimus honore: ſic virtute putant nos oportere excellere. Id vero cum negligentia noſtra non accidit, illud continuo accidit, vt ſine fructu ſit omnis auctotitas. Attende porro quam confertum malorum agmen Ducem ſequatur inutilem. Non eſt Pontifici reuerentia ſua, non honor qui tantæ poteſtati debetur. Mandatis quoq; obedientia rara impenditur: omnia neglectui ſunt propter Principem negligendum. Vexantur eccleſiæ. impugnantur Epiſcopi. Sine æſtimatione clerici ſunt. Surgunt contra Sedem damnoſa conſilia. Recuſant parere ei, quem imperandi neſcium putant. Quin & ab ipſis eccleſiaſticis, non ſecularibus tantum, eadem detrimenta perueniunt. Sunt antiſtites per orbem multi eccleſiis magnis prępoſiti Dominatus ampliſſimos poſſident. a ſummis Principibus genus nobiliſſimum ducunt. Sacerdotio pariter, & ſanguine de ſe anguſta non ſapiunt. ii quoque ſubeſſe principi Eccleſiæ dedignantur, quem principatu dignum nō vident. Noſtras ſacerdotiorum collationes reiiciunt. Valere ſuas in ſuis diœceſibus volunt: cognoſcentes cauſas, in quibus nulla eis eſt iuriſdictio. Comminationes autem noſtras taaquam inanes ventorum flatus pro nihilo habent. Ita fit vt officiotum omniū in Eccleſia ſit perturbatio. Id autem etſi peruerſe agant illi, Apoſtolici præcepti immemores, quo iubentur ſubditi eſſe dominis ſuis non tantum bonis, ſed etiam diſcolis: nos tamen peccati huius maximam occaſionem improbitate noſtra porrigimus. Etſi enim Pontificatus per ſe clarus, & magnus ſit: non dubiæ tamen obtinentis conditio in vtranque partem ad reuerendum, & contemnendum plurimum præſtat. Nō tam enim miniſteriū ipſum humana fragilitas, quam miniſtrantē ſolet attendere. Adde quod in parabola à Domino Saluatore eſt dictum: *Non poſſe arborem malam bonos fructus producere: nec de malo theſauro cordis bona proferri.* Quis etenim dubitat, a ſummo ad imum ſingula percurramus: ex malo Pontifice aſſumi cardinales non bonos? ex Cardinalibus non bonis non bona adminiſtrari conſilia. ex iis vero opera omnia detrimentoſa ſuccedere. Dantur plebibus paſtores inutiles. Hi rurſus malos ſacerdotes parrochiis tribuunt. Eadem ratio de religionibus eſt, quæ rectores ſuos à nobis accipiunt. Ita vnius paſtoris ac principis morbo in omnem eccleſiam manat contagium: *ſicut grex totus in agris Vnius ſcabie cadit & porrigine porci. Vuaque conſpecta liuorem ducit ab vna.* Nam quid ea commemorem, quæ in tanta perturbatione neceſſe eſt euenire? De tollendis hæreſibus curam non ſuſcipi in oculis noſtris ſæpe naſcētibus? de propaganda fide nil cogitari? Tantum quod ante pedes eſt, ac vix illud ipſum attendi. Sunt in nonnullis externis regionibus adhuc ſancti euangelii ſemina non ſuffocata. Adoleſcere illa non eſſet difficile, ſi colerentur laboribus noſtris. Neque enim minor ſperanda eſſet in reſtituenda fide omnipotentis Dei benignitas, quam ab initio in inſtiruenda fuerit gratia. Sed cum is præeſt, quem dico, mercenarius magis quam paſtor, non ponit manū ad fortia, non certos mittit qui deſcendant, & videant. non etiam temptat, quid in his ſpiritus poſſit. Vel auaritia vel hebetudine mentis, vel

etiam carnalium ſtudio à cultura Dominici agri auertitur. Quod autem dolendum eſt magis,hic inter nos, vbi ſtabilita eſt fides,frequenſque habetur Chriſti confeſſio, incendia diſcordiarum ſinuntur augmenta ſuſcipere, nunc hos, nunc illos exitialibus flammis apprehendere. De extinguendis cum rarus eſt ſermo, tum vero operatio rarior. Satis ad quietem animi habetur: ſi illa longius poſita intercapedine ſua tutos nos præſtant, non videntes miſeri, quicquid vbicunque perit animabus noſtris perire:omnium autem vnam eſſe querelam,otioſis ſacerdotibus filios Dei calamitoſe confligere. Nam de ſubditis Romanæ Sedis nil dico,quos alterutro indigni Principis malo pati eſt neceſſarium, vel improbitate vel negligentia. Quorum altero diripiendi aliis & vexandi traduntur. Altero diripit ipſe ac vexat, vtrobique id parans, vt facile perturbatis temporibus Fidem illi noſtram relinquentes, ad oppugnatores noſtros irati ſæpe concedant. Tantorum vero incommodorum nos ipſi, propter indigna ad Pontificatum ſuffragia cauſam præſtamus,comparticipes omnium atque correi, ſubituri ſimul tremendum veri Dei iudicium, atque ſimul luituri errati tanti miſerabiles pœnas, quas etiam viui adhuc volente Deo ſæpe expendimus. Hinc enim frequenter noſtrorum ſacerdotiorum direptiones,hinc denique illud accidit, vt pro ſemente meſſem colligentes,ab eodem illo,quē male eligimus, accipiamur deterius, & cui imperare credid mus,quotidianis angoribus ſeruiamus. Aut enim in odia incidimus,aut honeſtis exilis ablegamur,aut vero etiam extremi omnium beneficio, & gratia ſumus:quarum rerum exempla & vidimus multa ſæculis noſtris, & plura patrū memoria legimus, Propheticum illud taciti murmurantes: *Sicut fecimus factum eſt nobis. Retributionem noſtram conuertit in capita noſtra.* Ex his ergo plane videntes, quanta in nos ipſos, quanta in proximos noſtros, quanta in vniuerſam eccleſiam peccamus, cum in eligendo non ſpiritui ſeruimus, ſed carni. Si quando hæc venient tempora, ſingulari diligentia caueamus ne tam dira iniquitas requiratur de manibus noſtris. Ne ſeruiamus vlli cupiditati, ne huius vel illius gratię concedamus indigna,ne fallamur etiam dolis,qui tendi eo caſu plurimi ſolent:ne denique frangamur metu,ſicundeis nobis incutitur, præferenda omnibus rebus eſt conſcientia noſtra, & pluris habendus Deus,quam homo. Pluris animę ſalus,quàm fallax ambientium gratia. In eo quoque conatus omnes, ſenſuſque vertendi, vt conclaui iam abſoluto, teſtari Deo hominibuſque poſſimus, feciſſe nos quod optimum duximus,nec pœnitendum aliquid admiſiſſe. Hoc mētis teſtimoniū, pro magno ſemper Pontificatu ſit nobis. Nulla porro ambitionis noſtrę inanis ſuaſio tranſuerſos nos agat, faciatque, vt vel impudenter in vetita connitamur, vel turbemur in aliis, quod aſſequi ipſi non poſſumus. Patres eos proponamus animis noſtris,eleuandoſq; ſumamus,qui laudabile teſtimonium vbique poſſideant,quorum vita tanto ſit aliis clarior, quanto aliis Dignitatibus eſt ipſe Pontificatus illuſtrior. quibus cū ſumma bonitate ſumma doctrina,ſummumque ingenium ſit,quos etiam prouecta ætas,& continuata rerum experimenta in miniſterio ſacerdotali probauerint, à quibus denique expectari merito poſſit non ſæculi faſtus,ſed Chriſtiana humilitas,non purpuratorum mollities,ſed veterani militis durata laboribus patientia, non congregādi, ſed diſpenſandi deſiderium, non otium, ſed negotium,non imperium,ſed benedictio,non contentio, ſed pax, non faſtidium, ſed charitas,non ſomnus,ſed vigiliæ, non tepiditas ad opera Dei,ſed feruor, non tractatio rerum inanium, ſed pondus ſemper babentium, non poſtremo domus Dei neglectus, ſed perpetuus zelus. quos ſi in noſtro ordine perfectos omni ex parte non eſt inuenire,in alienis eos ipſos quæramus. ſi nec in his quoque, præſtita iam Deo diligētia noſtra, ſumamus in hac mortalium imbecillitate, quē nimis abſcedere à perfecto videmus. Hoc vero noſtrum examen adiuuare plurimum illa diligentia poterit, ſi cuiuſque,in quem inclinemus,priuatam vitam, & domeſticam diſciplinam ſpectemus, vt bene ſuis conuiuat, vt pacem quietemque habeat, vt miniſterium familiare, ſuum ordinem ſeruet, vt veſtiat, vt conuerſetur, vt religionem tota inſtitutio ſapiat. Quæ porro conuiuia, qui ſumptus, quæ ornamenta domeſtica, qui diuinus cultus,quod denique cubiculi ſui ſit teſtimonium. Specimen quoddam publicæ adminiſtrationis eſt norma domeſtica. Qui domui ſuæ præeſſe non ſcit (inquit Apoſtolus) quomodo Dei curam, & eius Eccleſiæ habebit? Si in aſſumptis nobis vitia oſtenduntur, non illa

illa facit aſſumptio, ſed detegit. Quem eſſe domi animo ſemper cupido, ſemper irreligioſo agnoſcis, non ſperes alio nunc in principatu affectu futurum. Cuius etiam priuatarum rerum incuriam, diſſolutionemque, & confuſa vides officia, huius iam Principis facti adminiſtrationē ne expectes diſſimilem. Contra qui bene inſtitutę domus, qui vitę priuatę laudē eſt aſſecutus, ſpem quoq; is bene adminiſtrandi ſacerdotii præbet. vt vitia, ſic virtutes quocunq; aſcendimus, nobiſcū aſcendunt. & quoniam iudicia noſtra nonnunquam falluntur, nec introſpicere penitus ſecreta hominū poſſunt: quorum quidem ſolus eſt Deus interpres, admiſcenda ſunt conatibus noſtris diuina adiumenta, humilianda eſt anima. Amplior in hoc articulo ſuſcipienda religio. Placandus pœnitentia Deus, rogandusque ſacrificio aſſiduo vt non ſecundum merita noſtra, nec ſecundum peccatoris populi iniquitatem, ſed ſecundum ſuam miſericordiam, paſtorem, & principē det ſanctæ Eccleſię. eum videlicet qui immutata Zachariæ Prophetę ſententia, in terra viſitet derelicta, cor. quirat diſperſa, ſanet contrita, & quod conſtat enutriat, quiq; nec carnes pinguium comedat, nec vngulas eorum diſſoluat, ſed, quod Apoſtolus admonet, ſeipſum præbeat exemplum bonorum operum in doctrina, integritate, grauitate, verbo ſano irreprehenſibilem, vt is qui ex aduerſo eſt, vereatur, nil habens, malum de nobis dicere, qui demum toto miniſterio ſuo eiuſmodi ſit, de quo Populus Dei exultet. Nos gloriabundi in conſpectu hominum incedamus. Nec ad malorum operum ſuorum querelas confundi animis, oculoſque in terram ex conſcientia deiicere habeamus. De his vero ſumamus exemplum, qui Pium noſtrum beatiſſimū elegerunt, tantæ virtutis, & glorię ſacerdotem, cuius nunc, vt vides, ſanctiſſimis actionibus tanto in honore lætatur Eccleſia. Cardinalatus nunc primum tyrocinium exercemus, non tantum adhuc experimento firmati, vt ad tantam rem per nos ipſos ſimus idonei. Ab iis, qui digne illa geſſerunt, diſciplinæ noſtræ ſuſcipienda eſt forma Beneficio miſericordis Dei, magnę inter nos venerationis ſunt Patres, ſumma omnia ad ſummum ſacerdotii decus habentes. Quorum ea eſt cauſa, eaque in omni virtutum genere commendatio, vt, ſi abire in diuerſum nolimus, præclara ſit ad bene ſanctęque eligendum facultas. Vale.

PAVLO PONTIFICI MAXIMO.

CLXXXI.

QVid hoc eſt, Paule? Tenebrę enim mihi ſunt. Quid agis? aut quo hæc temptas cōſilio? Mutata repente ſunt omnia. Nihil priſtinum video. Pro charitate in nos tua ſucceſſit duritas, pro blandimentis aſperitas, pro læto initio, triſtis ſucceſſus. Vouiſti Cardinalis, vouiſti & Pontifex ſeruaturum te leges, quæ in conclaui ſunt editæ, ad ſalutem publicam vtiles. Voti tui duobus in libellis chirographum extat. Dixiſti cum ſcriberes, etiam ſine voto ſeruaturum te eas fuiſſe. Sic quoque ſcripſiſti cupide, vt vindex non ſeruantium videreris futurus. Sperabamus reſpiraturam Eccleſiam, futurū Pontificatum, qualem à Petro non vidimus. quid nunc dicam? aut quid non potius dicam? Commutaſti tu eas in leges inanes, mille effugiis plenas, quibus in hanc ſententiam præfari nos cogis, quia priores bonæ non erant, improbamus quod egimus: præſentes autem probamus. Vocas nunc intra cubiculum ſingillatim omnes. Rogas vnumquenq; vt membranæ tuæ ſubſcribat, renitentes vrges, perſeuerantes dimittis vexatos contumeliis. ſi qui ſubſcribunt, non tamen earum prius legendarum poteſtatem accipiunt. Cognoſci illas vetas, quin & inter ſcribendum ne legi poſſint, ſcripturam totam manibus contegis. Me quia tibi in re ignota non annui, torques iam multos dies. Idem facis de reliquis, quos ducere in ſententiam nequis. Lamentatus eſt mecum Cardinalis Tuſculanus, vir grauis, & innocens, ſe nuper egredientem cubiculum tuum, vt colluctationes tuas effugeret, manu reprehenſum eſſe, & oſtio clauſo exire prohibitum: itiſſum porro ſub graui anathemate rebus non inſpectis ſubſcribere. O bone Ieſu, quæ præcipitatio hæc eſt? & quæ intemperies mentis? Talem de te præbes ſpem Paule? atque hoc initio Præſulatum inſtituis? quæ expectatio erit fidelibus bonorum operum, quando excutere te iugum ſalutis intelligent? quod exemplum modeſtiæ, quando ita vehementer actum cum fratribus noſcent? Nobis vero quem eſſe animum credis? videntibus noſtræ dignitati illudi, & vim ſimul af-

ferri? Hoccine erat, quod repromittebas de te? cum Pontificatum quærebas, cum te inſinuabas nobis, cum dolebas Nicolaum, Caliſtum, & Pium, paruipendiſſe Collegium noſtrum? Ecce quod damnabas in aliis, primus tu facis. Quod illi agebant modeſtius, tu intemperantius agis; nemo eorum ſubſcribendum Cardinali dedit, quod non ante vidiſſet. Nemo in cubiculum clauſit, nemo anathema impoſuit. Non diſputo nunc voto illo tenearis, an non. Alterius loci, & temporis ſit inquiſitio. Tantum dico, paucis exceptis, quod ſublatis legibus faciliorem ſibi ad Cardinalatum viam intelligunt, reliquos tam pontificii quam diuini iuris interpretes, totum quoque collegium teneri te exiſtimare. Hoc vero lamentor, hoc doleo, quod filios tuos, de te optime meritos indigne fatigas, inſignemque leuitatis notam, ſine cauſa eis imponis. Etenim tenearis, vel non tenearis, quid nos noſtris ſubſcriptionibus poſſumus? quid annuendo operamur? Si non teneris, rem ſuperuacuam facimus: ſi teneris, vtique inutilem. Vtrumlibet malis, nullus eſt fructus. Poteſtatem non habemus nos tollendorum votorum, nec redimendi quod oblatum eſt Deo. cum his tibi res eſt, quos appellas in voto, cum Petro, & Paulo, & cum Chriſto Deo tuo. Cogens nos comminationibus tuis, illos non cogis. Factus à nobis liber, non vtique libertatem ab illis conſequeris. Audi Prophetam dicentem: *Vouete, & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu affertis munera: terribili & ei, qui aufert ſpiritum Principum: terribili apud omnes reges terræ.* Reddi videlicet admonet vota: non reddentibus autem pœnam denunciat. Verum iſta omitto. Conuertor ad preces, beatiſſime Paule, atque aduolutus pedibus tuis, pro omnibus hanc veniam deprecor. Sint libera conſilia noſtra. Ad opus, quod malum credimus, non cogamur inuiti. Filiorum apud te, non mancipiorum inueniamus locum. liceat præſtari Deo quod ſentiunt ſpiritus noſtri. Si erramus, doceamur à te. Si docti non emendamur, pro meritis tunc corrigamur. Adhuc quod non tenearis voto non docuiſti: quod teneri nolis, ſumus experti. Ex ratione, non ex tua voluntate patere ſententias dici. Attende quoque ignominiam fratrum, & illorum conſule nomine. Habuiſti eos honoris tui non minus ſtudioſos, quam voluntarios. Notæ ſunt vbique terrarum hæ leges, cogitatæ per nos, diſcuſſę inter nos, iuratæ ac votæ à nobis. Opus noſtrum illud eſſe nemo ignorat, conſentiens, vnanime, ex veteri exemplo ad ſalutem publicam innouatum. Vix dum, vt eſt in prouerbio, ſiccata ſunt atramenta, cum cogimur delere quod ſcripſimus. Quid aliud hoc eſt, quam non ſanę mentis Senatum cum arguere, quem tu quotidie anteferendũ Regibus prædicas? Non omnes coactionẽ tuam intelligent. Factum noſtrum intuebuntur & exitum voluntatis, putantes quod eſt neceſſitatis. Nec eris tu quidem ab his querelis immunis: pariter nobiſcum damnabere. Atq; eo damnabere grauius, quod ad mutationem propoſiti cõtemptum etiam voti, & cupiditatem, non ſanioris, ſed liberios vitæ adiunctam videbunt. Porro qua imprudentia leges conditas dicent, eiſdem te electum contendent. Nihil in hac abrogatione vel tibi, vel nobis eſt honorificum: vertuntur omnia in commune obprobrium. quare omitte quæſo importunum conſilium. Iracunde ne agas nobiſcum. valete leges has ſinito. Seruauit eas Pius, ſerua & tu. non propterea minuitur tua poteſtas. Ad bonum opus ſunt traditæ claues. ſi bonæ ſunt leges, cognatam rem habes clauibus tuis. ſi aliquando ex tempore, ex loco, ex re, ex quapiam cauſa fiunt inutiles, eſt ſemper diſpenſatio tua. non idem omni tempore dictat: ſed idem ſpectat primæ Sedis poteſtas. Hoc autem amplius operatur hoc votum, vt quod aliquando voluntate eſſes facturus, promiſſo etiam perſeuerantius agas. Puto implere me officium filii, & ſuadere quæ ſunt ſalutaria. Hanc ob cauſam hæc ſcribo. ſi erro, non recuſo corrigi emendatus. Vale. 1464.

N. CARDINALI THEANENSI.

CLXXXII.

NOn precibus, non ratione, non obſecrationibus vllis adduci potuit Paulus, vt ſeruandas ſibi putaret leges votas atque iuratas. Tanquam leo plagas, ſic iſte ſancta vincula abrupit. Scripſit nouas a prioribus multum diſſimiles, quatum virginei ſunt vultus, fœdiſſima ventris proluuies. Præferunt ſpeciem boni, intuenti interius patent poſtica innumera, ex quibus, cum vult, effugere poteſt ad libertatem quæſitã.

Subſcri-

Subſcripſimus omnes, partim cupiditate aſſequendorum quæ volumus, partim metu, ne quotidiana indagationis ſuæ ſuſtineamus flagella. Fateor, molles fuimus, delicati, ac noſtri met nimium cupidi. Reſpeximus non quæ Dei, ſed quæ carnis, & ſeculi ſunt. Nemo tamen probauit. Solus Ioannes Catuagial genere Hiſpanus, ætate grandæuus, meritis magnus conſtantiæ laudem inuenit. Turpitudinem hanc eſt deprecatus, nec vllis temptamentis ingenioſi poſtulantis propoſito dimoueri eſt paſſus. Ad ſingulas colluctationes ſic excuſauit: quod iuuenis non commiſi, nõ committam ſenex, vt me recti pœniteat. Tibi propter has leges moleſtus non ero. Tantum ſinito dignitatis, & conſcientiæ me rationem habere. Vir profecto dignus, non qui nobiſcum ſedeat, ſed qui præſideat ad conſilium Sedis Romę. Dolendum aliud audi: quanquam in his ipſis inanibus legibus dicat ſe voturum ſuo chirographo, ac iuraturum: nihil tamen vel iurauit, vel vouit. Tantũ ſubſcriptionibus noſtris extortis membranam in ſuas arculas condidit. Nec, vt conſuetum eſt, exemplum nobis reliquit ſeruandum, inſpiciendumque, ſi quando ex illis ſumenda eſſent conſilia. Abiit, elapſus eſt, factus eſt totus quod voluit. ſuo tamen, non noſtro iudicio, vincula dirupiſſe ſe credit. Nos eum teneri putamus.

Eluctata canis, inquit Perſius, *nondum arripit: attamen illi*
Cum fugit, à collo trahitur pars magna cathenæ.

Iudicis noſtri ſupremum tribunal admonebit illum erroris. ſi falli potuimus, & cogi, non falletur ille, neque cogetur. Rectum eſt enim iudicium eius, & potentiæ ſuæ non eſt qui reſiſtat. Doleo tamen tanti, ac tam expediti boni occaſionem ſublatam, nos deriſos, notatum leuitatis Collegium. Quodque non ſine ingenti gemitu refero, vexandę, lacerandæ, & ſcindendæ Eccleſię materiam præbitam. qui viderit legum ſententiam, magnitudinem iuriſiurandi, ac voti, Vim decreti, in extrema pagina poſiti, hęc mecum ſuſpirabit, & gemet. Simus ergo poſthac, Pater, ad eligendum cautiores. Acrius expendamus naturam cuiuſque. Non credamus fronti, non verbis. Fallunt ſæpiſſime vani filii hominum, iuxta Prophetam: *Mendaces filii hominum, vt decipiant ipſi de vanitate ſua in idipſum.* Recurramus animo ad diſciplinam domeſticam, introſpiciamus ſecreta cubiculi: ex inſtitutione vitæ priuatę iudicium faciamus de publica. *Si quis*, inquit Apoſtolus, *domi ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* odoremur, temptemus, excutiamus omnia. Anſæ hinc erunt ſemper ad probandos improbandoſque homines, Solertia nulla in tanta re eſſe nimia poteſt. ſi in perquirenda vita Pauli fuiſſemus hac cura, non decepiſſet nos exterior ſpecies. Multa ad melius conſulendum ſe obtuliſſent: ſed & nos parum acres ad videndum: Ipſe ad celandum ſemper intentiſſimus fuit. Artificium quęrendi Pontificatus ex Cardinalatu eſt ſumptum. Nec Pontifex mutauit mores: ſed tectos detexit Cardinalis Auinionenſis feſtiui Pater ingenii ridens, iocanſque cum illo: Recte, ait, Paule, annos vigintiquatuor adhibuiſti ſtudium vt ſemel nos falleres. quæ vox, etſi ridente, approbante tamen Collegio eſt intellecta. Iterum dico. Si erratum eſt ſemel, mi Theanenſis, non erretur ſecundo. Maioribus detrimentis nec peccari, nec errari vllibi poteſt. Vale.

IA. CARDINALI PAPIENS. CAMPANVS.

CLXXXIII.

Hodie diſceſſimus è balneis: & quidem ſiticuloſi, & bibuli. Parateram epiſtolam paulo curioſiorem, qua tibi de omni ſtatu noſtro ſignificabam, de Balneis multa, de Cœlo quamplurima: ſed eam hodie cum cætera ſupellectile Senam imprudẽs miſi: qui de improuiſo nactus ſum nuntium, de improuiſo ſcribo. Epiſtolam accipies, cum Senam peruenerimus. Non ſum ego, qui in præſenti ſapiam, aut Muſas conſulam in curſu. Venit Romam Dominus Antonius Senenſis, Scriptor Apoſtolicus, & Domino meo Senenſi quam gratiſſimus, defenſurus cauſam ſuam. Senenſis eſt, ex Pii familiaribus eſt. Illi viuenti, quantum eius tulit ratio, inſeruiuit. Eo mortuo nepoti inſeruit. A Pio accepit quod nunc defendit. Vide quæ vincula, quæ cathenæ te aſtringant ad eius defenſionem ſuſcipiendam. Commendat eum tibi Sena tua, commendat Pii tui dignitas, qui te omnium ſuorum propugnatorem conſtituit, vt eius in o-

mnes tuearis beneficia. Commendat etiam Dominus Senenſis, qui eadem de re ad te ſcribit, etiam ille ſuperciliosus Campanus tuus, aut mauis Barduli colluſorem dicere, tibi commendat, atque ita commendat, vt cura Falconis mei defenſionem ſic agas, vt hic quem tibi commendamus, nihil accipiat iniuriæ. *Durum eſt*, inquies, *canes de præda contendentes conciliare, quam alter teneat, alter depoſcat.* Sed illud eſt ingenium tuum, vt etiam quæ fieri non poſſunt, cum velit faciat. Quid in cauſa ſit, aut qui nodus interueniat, nemo videt melius, quam tu: nemo concludit melius quã tu: nemo conficit, inficit, officit, efficit, melius quam tu. Velis modo, omnia in portum erunt, immo ſunt potius. Deuincies tibi hunc ipſum, cuius res agitur, propinquoſque omnes, qui apud te aliquid poſſe gratulabimur. Vale & illas litteras ad gentes mittas, & ſermonem meum de Spiritu ſancto, cuius copiam habeo nullam, remittas oro, vt poſſim vt tu tua, ſic ego mea legens intumeſcere. Pientiæ xxv. Iunii M.CCCCLXVI.

CAMPANVS CARDINALI PAPIENSI.

CLXXXIV.

DIſpari fortuna par amor, & tamen nihil hac noſtra diuerſitate coniunctius. Iter noſtrum comitatus eſt Papienſis. Romæ cum remanſiſſes, nobiſcum veniebas: ſi non tecum, de te ſermo habebatur. Diſceſſimus repente omnes. Fuit iucundum abiiſſe te, non modo patronum meum acrem, ſed etiam cenſorem grauem, & ſeuerũ. quæ tua fuiſſet querela, immo calumnia potius, ſi te inſalutato diſceſſiſſem? Iter neq; mihi, neque hero meo laborioſum, tanquam ad Inſulas illas, quas vocant fortunatas, connauigantibus, vbi omnia læta, moleſtum nihil. Prima die venimus ad Cremeram flumen, ſiue Bachanum, ſiue mauis ſtultitiam meam, & comitatu venimus Theutonico. Nam graue, & bellicum eſt germanicum dicere. Poſtridie primum Roncilione pranſi ſumus, deinde Viterbium contendimus. Roncilione ſiniſtro omine accepti ſumus. Qui arcem, ſiue palatium cuſtodiunt, tranſeuntibus nobis Turcum Turcum voce altiſſima congeminarunt. Idque ſæpe, & ingredientibus nobis, & egredientibus congeminatum. Horruimus, omen non accepimus. Viſum eſt propter recentem nuntium, & Epirotarum calamitatem indigniſſimam, vocem illam, nomenque audire inimiciſſimum, & præter Sanctiſſimi Domini noſtri dignitatem id fieri non poſſe iudicauimus. Dicent fortaſſe, vnum fuiſſe qui clamaret: neſcimus an vnus fuerit certe. Multi aut hortabantur, aut aſſiſtebant. leuis eſt res, ſed porro temporum conditione grauiſſima. Intelligo id prælatis omnibus tranſeuntibus fieri, ſed in cæteros ferri fortaſſe, in Cardinalem non debet. Tu ſi quid facto opus ſit, facies, etiam quæ minima ſint, pondus habent, cum pendet trutina. Ego quantum in me fuit, impatientiſſime tuli. Viterbii per diem placuit ſubſiſtere, quod Cardinalis ex itinere, & morbo defeſſus, aliquantiſper viſus eſt recreandus. Hodie Vulſinium appulimus. cœlum iam prope patrium, & clemens, neſcio quid polliceri mihi videtur de domini valetudine: non ſitis eadem ardet, quæ prius. Non tenacitas hæret ſputi: & eſutit ad horam, & concoquit quæ ſumuntur. Hæc ſpem faciunt, cum accedent balnea, ad priſtinam valetudinem redituram. Scripſi hæc, vt incipiam iam nunc parere Papienſi, qui me vt ſingula perſcriberem hortatus, etiam in itinere liberum eſſe non ſinit. Tu quid promiſeris, non ignoras: primum litteras tuas illas ad gentes, & regna: deinde interuentum apud Vrſinum. Litteras, etſi curo, non magnopere tamen, cum ſciam te imprimis dicaculum eſſe, & orationem tuam ſubdolam, acutam, penetrantem, & quo impetu nequit, blandiciis & confricationibus penetrantem, vt nihil ſcripſeris tam grauiter, vt non putem grauiora ſcripſiſſe. qui ſagittas loqueris, ſaxa moues, ſiſtis flumina, & eadem cum opus eſt, manus ac lingua felle, melleque decertat. Negotium, & interuentum curo, qui iam ſopitus erga me videris, excitari aliquando debes. So mezo imbriaco: ſi inepte ſcribo, proximum montem, qui viuos homines in ſomnum rapit, accuſa. Cætera ioci gratia: de Turco pluſquam ſeria ſcripſi. Dominus meus, tibi vltra quam cæteris mortalibus dedititiſſimus, iuſſit quotiens ſcriberem ſe tibi commendarem. ſi quid eum voles facere reſcribito. ego ad ea quæ tecum locutus ſum,

tus ſum,& piloſiſſimus,& paratiſſimus accedo. Feliciter valeat Reuerendiſſima Dominatio tua Vulſini VI. Iulii M CCCCLXVI.

HIERONYMO RANVTIO BONONIENSI.

CLXXXV.

HÆc tua ſcribendi,& ſignificandi officia ſunt mihi gratiſſima. quæſo vt cæpiſti, ſic pergas,& labor nullus te grauet. Ego quæ cum amplificatione gratiæ ſignificari poſſe puto, Pontifici ſtatim ſignifico. Videoq; eſſe illi ſemper gratiſſima, quoniã ex literis tuis plura quàm ex alienis agnoſcit. Vale. Romæ. XXII. Maii M. CCCCLXVII.

HIERONYMO RANVTIO.

CLXXXVI.

QVantum ex literis tuis coniicio, antequam hæ tibi reddantur, iam inter Duces erit conflictum. Omnipotens Deus in eam partem inclinet, quæ Romanæ Eccleſiæ, & Ducibus Mediolanenſibus vtilis ſit. Hoc aduentu Galeazii Sfortiæ ſum ſumme lætatus. Erit initium gloriæ ſuæ,& firmamentum rerum domeſticarum. Dominus Deus ſit illi aſſiduus cuſtos. Romæ. die XXIV. Maii M. CCCCLXVII.

FR. GONZAGÆ CARDINALI MANTVANO.

CLXXXVII.

IN ſummo dolore meo recreauit me epiſtola tua,& manus codicelli eſt conſolata, quæ tangit digito locum abſconditi vulneris. quid enim aliud eſt quam quod tu putas? Ergo ſacerdos Dei propter inanem iniuriæ opinionem tria euertet clariſſima ſacerdotia?& ſanctuarium Chriſti diripi patietur? vel magis diripiendum obiiciet? O tempora! ô mores! Agi deberent gratiæ conſulenti recte, hic ſtatim parata ſunt odia. loquentem ex dignitate augeri oporteret fortunis: videmus illico oppreſſum ruina. Fac eſſe iniuriam, dixiſſe quod erat conſcientiæ. Vbi præceptum Domini? *Percutienti vnam maxillam præbe & alteram.* vbi conſilium Pauli? *Benedicite perſequentibus vos. Benedicite,& nolite maledicere.* ac rurſum: *Mihi vindictam,& ego retribuam.* Milites ſæculi, an ſacerdotes Dei ſumus? Incolimus caſtra, an domum eius, qui dixit: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde?* Similiora hæc ſunt Marii, & Syllæ operibus, quam actionibus ſanctis Patrum noſtrorum. Si eram ad vindictam poſcendus, quid in hunc ſanguinem non exercebatur impietas? Veneranda illa cœnobia: quid oro mali merita ſunt? Sæuiri ne in Sanctos, & in eccleſiam, cuius ſumus cuſtodes, propter me vnum debebat? Cathenis & carcere ſatiari hoc ocium poterat. Quid attinebat ob priuatam Cardinalis iniuriam Collegium Sacroſanctum tanta nota afficere? In mea iniuria vos omnes deſpicere,& peſtilentiſſimum exemplum toto orbe inducere. Domine Ieſu Chriſte, qui hæc aſpicis de excelſo Sancto tuo, ignoſce auctori tanti mali,& mentem illi tribue meliorem. Ego quidem ſine rancore vllo ignoſco, vndiq; me ad patientiã comparans,& colligens cuncta, quæ leuare dolorẽ hunc poſſunt. Prima medicina eſt, quod vaco culpa. Proxima, quod diligentis Dei vulnera hæc credo. *Quos amo,* inquit Dominus, *arguo, & caſtigo.* Addo & alteram, quod facta infecta eſſe non poſſunt. Iungo & quartam, quod reputanti hæc recta ad ſalutem ſunt omnia. *Gloriamur in tribulationibus,* inquit Apoſtolus, *ſcientes, quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero ſpem. Spes autem non confundit.* Miſereatur ergo mei Deus,& det animum fortem, perſeuerantem in via ſua, vt non declinem à dextris neque à ſiniſtris. Spoliatus prouentu omni præteriti præſentiſque anni quieſcam amodo, & dimiſſa familia vel vrbe abero, ſi ita Pontifex patietur, vel domi me condam fugiturus aſpectus hominum, quos ſine ingenti confuſione iam ferre non poſſum. Memor enim ſum quanta pro Paulo,& quanta pro Ducibus meis olim ſum operatus,& quæ nunc ſit retributio. Miſeris ac calamitoſis nil iucundius ſecreto & ſolitudine. Dignationi tuæ quæ imperauit,& Ioanni Petro, qui conſolationem diſertiſſimam ſcripſit, quantas poſſum gratias ago. Hæc lege & lacera. Beneuale. Senæ. Iulii M. CCCCLXVII.

BESSARIONI CARDINALI NICENO.

CLXXXVIII.

QVas tibi ego, Reuerendiſſime Pater, pro tantis tuis in me beneficiis gratias agam? Vnde retributio patri, pro iis quæ ad ſalutem filii eſt operatus? Nullæ à me dignæ vel referri poſſunt, vel agi. Merita tua vim omnem facultatis noſtræ & ingenii ſuperant. Retulit Carolus Cremonenſis, quod tuum in his aduerſis meis conſilium fuerit, quæ opera, & in Collegio patrum oratio. ſpectare his oculis & audire his auribus videor vultum vocemq; dicentis, lamentantis in dignitatem facti, deplorantis communem ſortem Senatus: Inuadentis quoq; in ſummam arcem defenſionis amici. Scio quantus in clypeum aſſurgas. Niceno meo nihil valentius, cum pugnat ex animo, & cum dolet ei quod loquitur. Dolere autem quid amplius potuit quàm contemptus ordinis ſui? quam filii euerſio? quàm plaga Eccleſiæ? Cui quæ medeatur manus non eſt. Retribuat Dominus operibus tuis. cōſoletur dies omnes vitæ, & quod hic perfectum nō eſt, abſolutum præſtet inter ſuos electos. Sed te oro, Nicene, an impendiſti diſertam excuſationem Antiſtitis noſtri, promptam ex officina præclari artificii ſui? Aduenit, inquit, Orator ducalis, de Papienſi obloqui cœpit, difficilem illum & pertinacem eſt criminatus. Ego qui paulo ante cum illo contenderam, adductus facile ſum, vt ei aſſentiens diceret vera eſſe quæ loqueretur. Hinc puto factum Duci animum eſſe vt liberius in Cardinalem ſæuierit, putans me non inuito eam vexationem futuram. Audi Nicene, Plena monitionis, ſi bene attendis, hæc eſt excuſatio. non tam ſe excuſat, quam vos admonet. Si non eritis dicto parentes, ſi non aſſentiemini deſideriis meis, vel ſola alienati animi ſignificatione poſſum vos perdere. Ex vultu meo ſalus veſtra atq; int ritus pendent. Si non creditis Papienſem inſpicere, vno tantum verbo, non nocendi animo, ſed per iracundiam dicto perditus eſt. Hæc ſermonis ſui prima eſt laus. Alterum noſce: Maledicta in Cardinalem probaui. Quæſo te, Paule, cuius maledicta? Nempe hominis laici. Quid ergo interiores ſibi agendū exiſtiment, audientes crimina noſtra, cum ſummus Sacerdos inter homines pro Chriſto ſedens laicum probat maledicentem fratri, maledicentem ſedenti ad conſilium Sedis, & membro myſtici corporis ſui Honorare flammeolis rubris, & mitra ſericea Senatores ſuos hoc eſt? An turpi cōfuſione eorum capita operire? legem, quā de ſe vult, & ſeuere imperat, in nobis contemnit. Nemo, inquit, veſtrum extra vos de me ſiniſtre loquatur. Non patiar. Non ſubſtinebo. Si quid inter vos maledicere vultis, ſit liberum cuiq;. Tu quæſo, ô Paule, charitatem, quam non pręſtas fratribus tuis, pręſtari tibi tanta ſeueritate edices? quid turpius, quàm legem condere, cuius ipſe ſeruator eſſe non velis? Si poſuit nos Deus ſub lege tua, nō propterea voluit exlegem te eſſe. Præcepto ſuo impendi conuenit proximo, quod ab illo deſideras. *Omnia*, inquit, *quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis.* Sed iam non agam obſcure tecum, Nicene. In apertum proferam omnia. Vtar ſua conceſſione. quam dixi, extra Cardinalem non erit hæc lamentatio. ſi præſens eſſem loquerer tibi, non ſcriberem. abſentem quomodo alloqui, niſi per epiſtolam poſſum? erit tota manu mea, non ſecretarii. Ad te ſolum obſignata mittetur. Me auctore nō excidet. exemplum nullum apud me erit. ſi vulgabitur, & in alienam agnitionem deueniet, transgreſſor tu legis eris, non ego. Itaq; eam lectam, lacera in mille particulas. Tantum quod ſentio, vel proba, vel improba. Sat mihi erit interiora mala Patri non eſſe incognita. quid poſt digitulum vnum factum noſtrum abſcondimus? cur quod eſt non plane fatemur? Paulus ſecundus, Paulus inquam ſecundus, huius impietatis non caſu, ſed voluntate eſt auctor. ſi erro, tu qui veritas es, ignoſce Deus. Sētire aliter ego nō poſſum. Edixit palam, audientibus cardinalibus tribus, id quod erat acturus, quodq; eueniſſe ad vnguē videmus. Nā eum hortator eſſem vna cura cęteris, vt iuriſiurandi ſui, ac voti eſſet ſeruator, idq; priuatis deſideriis eius eſſet aduerſum, doleretq; nimium ſententiis decerni nō potuiſſe, quod intendebat, conuerſus ad me: Et tu, inquit, imperatam à Duce pecuniam ſolues? Scribam vt exigat. Dicente me, ſine ſacerdotiorum interitu extorqueri illam non poſſe: & ſi, ait, diſſipabuntur fundi, non propterea ſacerdotia ipſa perdentur. Fecit quod dixit. Nihil mentitus eſt veraciſſimus Princeps. In hoc ſolo ſua

opinione

Digitized by Google

opinione eſt falſus,quod incolumib. ſacerdotiis vexari fundi nõ potuerunt. Sacra, & prophana omnia, vna calamitate ſunt inuoluta. Verum tu credis veniſſe ad eum Oratorem Ducalem? Criminum meorum feciſſe principium? & fabulam totã, quam ad vos terrendos,ſeq; excuſandum cõmentus eſt, ac recitauit? Erras vehementer, ſi ita exiſtimas. Non venerat ad eum orator. In ardore illo animi vltro eſt accerſitus. Nec ille calumniari me cœpit. Quid enim ſine cauſa id ageret? Ipſe eſt orſus. Ipſe calumniam inchoauit,atq; expleuit. Eodem quoq; in ſpiritu lacerauit cæteros, qui ei fuerant aduerſati. Intactum nullum reliquit. Pudenda filiorum alienis ſpectãda reliquit. Vnde Papienſis hæc habes? Quo teſte iſta confirmas? Cardinalis Mantuanus, cuius orator ille dies,ac noctes eſt domi,eo referente cuncta accepit, & mihi, vt proſpicerem rebus meis,dolens narrauit. Si hic teſtis ſatis tibi non eſt, alium audi, Iacobum Trottum Ducis Mutinenſium oratorẽ,cum quo eadem ad verbum verecundus homo eſt lamentatus. Si nec adhuc fidẽ his putas habendã, crede Põtifici Paulo, in cuius teſtimonio eſſe error nõ poterit. Expoſtulanti etenim mihi,quod tãta in me,laicis audientibus,eſſet inuectus,aſſenſit,non negauit. Plane confeſſus eſt, conſedentibus mecum Rothomagenſi atq; Vrſino. Audi etiã reliqua. Cum intelligerem ab initio acerrima edicta fieri Vicariis meis à Magiſtratibus ducis,ſi intra tempus nõ ſoluerent, ipſa autem edicta quæ miſſa erant ad me,illi oſtenderem, vt videns ſuperba imperia ad reſiſtendum incenſior fieret: hactenus cõmotus eſt,vt diceret: Forma tu breue ad Ducem, quale opus eſſe exiſtimas. Dictaui Breue,detuli ad eum,legi. Non probauit. Accerſito Secretario ſuo,aliud ipſe iniunxit. Nõ mouit hoc me. Quotidianum eſt, vt ſuum velle ſit cuiq;. Rogaui tantum mature quod erat imperatum abſolueret: etenim ſalutem omnem in celeritate poſitam oſtendebam. Quod erat Secretarii quàm primum eſt factum,quod fuit Pontificis duci cœpit in lõgum. Quid ita, Paule ſecunde? An neceſſitatem non intellexeras? An non ſingulis pene horis rogabaris à filio? An non breue ante probaueras? Erat quæſo tanti anulum detrahere digito,ceræq; imprimi meræ, vt expectandos tibi tot dies putares? Quid aliud per has moras quærebas, quid optabas? niſi, vt quæſita calamitas eſſet ante accepta, quàm prohibitio tua ad Ducem perlata? Inualeſcente autẽ calamitate,& maiore multo, quàm expectarem,cũ pulſis Vicariis,& cuſtodibus omnibus,tria ſanctuaria Dei militibus complerentur, non ius diceretur clero,non diuina ſoluerentur Altiſſimo,omnia prædonum vis occupaſſet,precibus impenſiſſimis petii,vt ſumptu meo vnum mitteret ex familia ſua, qui eius nomine,tantæ ruinæ occurreret,diceret ſaltem ius,ſi nõ poſſet cætera, & diuina intermiſſa reſumeret. Tam me audiuit,quàm tu,ad quem illa non ſcripſi. Charitas domus Dei nõ tetigit cor de ſola vltione ſollicitum. Sed quid ego ſuperfluis argumentis rem manifeſtam veſtigo? An non audiſti ab eo,qui ſuis oculis vidit in literis Ducis quæ ad oratorem ſuum ſcribuntur,declarari aperte, voluntate Pauli permiſſam direptionem fuiſſe. Quæ maiora teſtimonia quærimus? An non ſatis hoc eſt? An nõ dubitationem omnẽ vnum hoc tollit? Tibi tibi hæc ei dicenti,non negauit de literis. Vidiſſe ſe quoq; aſſeruit. Ad auertendam tamen facti ſui ſuſpicionem, diuerſam eſſe earum ſententiam dixit. Quid enim Orator Ducalis,quanquam malus, ſine Pauli voluntate in diripiendis eccleſiis tantum licentiæ Principi ſuo dediſſet? Quid amicos Cardinales quatuor mercede tam nulla paraſſet aduerſos? Extremæ iniquitatis, ne dicam dementiæ,conſilium erat,inexpiabile apud Deum: apud homines aliquãdo luendum. Vox Pauli ruinam iniunxit. Manus oratoris ſcribendo adiuuit. Arma Ducis ſcelus ſunt executa. Tribus his carnificibus vna cathredalis eccleſia,& cænobia quinq;,in contumeliam Dei vexata,lacerataq; crudeliter ſunt. At dices, tres mecum Cardinales, Bononienſem, Sanctorum quatuor,& Senenſem, quibus iratus ille non erat,ſortem eandem ſubiiſſe,ſigni hoc eſſe auaritia Ducis, non artificio Pauli,mala hæc irrogata. Non eſt ita, Nicene,non eſt. Aſtute cogitata ſunt omnia. Noſcis ſenſus eius reconditos,frontem natam ad ſimulanda, & diſſimulanda quæ vult. In me vnum fabricata eſt machina. Me vnum petiuit propoſitum eius. Admiſceri hos voluit, vt Papienſem nemo eſſe agnoſceret,quem ille voluiſſet euerſum. Nouerat damna eorum collata meis,leuiſſima eſſe, alibi eos habere, vnde affluentiſſime viuerent,iactura vnius loci pane non carituros. Me autem ſciebat,quicquid id erat, vnde

alebar poſſidere ſub Duce,atq; vno illius impetu poſſe ad mendicitatem facile cogi. Per detrimenta noſtra imus ſæpe vltum iniurias acceptas. Quid ni per aliena cõtendamus facilius? Tritum ſermone vulgi prouerbium eſt: *Amici pereant, dummodo inimici pariter trucidentur*. Quanquam & Senenſem nunquam dilexit, vt ſcis, & Bononienſi, qui ab initio eſt reluctatus, chirographo ſuo multa eſt minatus. Cardinalem autem ſanctorum quatuor obolo non æſtimauit, niſi cum fuit neceſſitas. Neq; vero, amantiſſime pater, plus ego illum offendi, quàm cęteri. Vehementius, ingenioſiuſq; egerunt nonnulli. Ad vindictã ideo Papienſis electus, quia & minus illi poteſt nocere, & ad iniuriam eſt opportunior. Contra folium, quod vento rapitur exercuit potentiam ſuam, & ſtipulam ſiccam eſt perſecutus. Non oppreſſiſſet ſua cauſa Cardinalem amicum grauiſſimus Venetorum Senatus. nõ ſapientiſſimus Rex Ferdinandus. Alienæ duritati noluiſſent Carnificinam præſtare. Elegit Principem Puerum inconſultum, egentem. Cuius infami miniſterio in meo exemplo vos, quos timet, admoneret ſtultæ cõſtantiæ. Rothomagenſem, qui vel vnus plus eſt operatus quàm cęteri, nõ modo malo, ſed ne mali quidẽ ſignificatione affecit. Quid ita? Sãguis eſt Regius. Cognationem potentiſſimam habet. Principes multi clientelam eius ſequuntur. Iniuriç ſuæ magnis fuiſſent cõmunes. De nonnullis noſtrum idem cõtendo, à quorum perſecutionibus non voluntas illum, ſed aut timor, aut occaſio non opportuna abduxit. Vidiſſes diebus iiſdem contentionum ſuarum, etiamſi demiſſiſſime eſſem locutus, rabiem omnem conuerti ſemper in me, & pendiſſe me vſq; ad alienæ perſeuerantiæ pœnas. Nullum erat alicuius paulo efficacius dictum, cuius moleſtia in Papienſem non volueretur. Dicebant per iocum nonnulli, vas me Pontificis eſſe, quod interior omnis eius miſeria in id vomeretur. Ego increpatione ſua durus, ego pertinax, quod à recta ſententia cum primis Patrum dimoueri non valens, animæ ſuæ, & noſtræ pręcipitationem vitabam. Audiente toto Collegio, ignorantiã literarum obiecit, tanquam ipſe earum ſit columen. Ac nõ aliquando publice, priuatimq; loquens audiatur cum riſu. Ignobilitatẽ generis exprobrauit: Vicarium ſe eius non recordatus, apud quem non eſt perſonarum acceptio: Mariæ matris Domini immemor, quæ ſponſa Fabri eſt dicta. Petri præceſſoris ſui oblitus, cui Piſcatori, & pauperi, cæleſtis regni attributæ ſunt claues. Diſce diſce, Paule, quæ ſit vera nobilitas. Non Veneta tua, & mercatoria eſt, longinquis nauigationibus parta. Apud Deum, cuius locum habes in terris, ſola prædicatur nobilitas, non ſeruire peccatis, ſed meritis eſſe laudabilem, cuius quantũ ſis particeps, conſcientia tua tibi reſpondeat. *Elegit Deus*, inquit Scriptura, *ignobilia, & contemptibilia mundi, vt potentes, ac nobiles ad humilitatẽ adduceret*. Ergo quod elegit Deus tu improbabis? quod ad ædificandam Eccleſiam poſuit, ad contumeliam, & ignominiam duces? O miſerum me! quæ doctrina ſummi Pontificis hæc eſt, ad erudiendam plebem in ſalutis cathedra poſiti? Lamentor hæc tecum liberius, quia emendare nõ poſſum, atq; in hoc paulum dolor quieſcit, quod ei loquor, cui & nota ſunt omnia, & quotidianam, vt mihi, præſtant mœſtitiam. Reuertamur ad indicia noſtra. Collige mecum, Nicene, & confer ſingula ſub vnum intuitum. Animus ad vltionem ſua natura eſt pronus, offenſionum non obliuiſcitur. Dixit ſcripturum ſe Duci, vt imperatã extorqueat pecuniam. Plus quàm imperatã extorſit. Rogaui vt cita inhibitione ſubueniret inchoatæ ruinæ: Ruina iam facta, datum eſt Breue. Rogaui impẽſa mea mitteret quemquam, pręteriit poſtulationem ſilentio. Iratus erat. offenſum ſe æſtimabat. Faſſus eſt maledicta Oratoris probaſſe. Identidem repete Cardinalis Mantuani, Iacobi Trotti: Ipſius quoq; de ſe teſtimonium. Adde ad oratorem literas Ducis, in quibus quæ facta erant ante breue, contraria his eſſe affirmat, quæ de voluntate Pontificis prioribus literis ſcripſerat. Pone vltimo loco opportunitatem vindictę, impotentiam humilis Cardinalis; Exemplum calamitoſum, in quo totum Senatum cõmonefacere voluit. Quam quæſo probationem? quam veritatem? quam mathematicam neceſſitatem iſta non inferant? Luce clariora ſunt omnia. Verba dari vobis non ſinite, mihi quidem non dat. Afferre vim poteſt, fallere Papienſem non poteſt. Artificia eius noui dudum, & ſum ſæpe expertus. Dico cum gemitu, ſpargit ſpargit, qui ad colligendum eſt poſitus. Vale. Senæ. Iulii 1 4 6 7.

FR.

FR. CARDINALI SENENS.

CLXXXIX.

EGo, mi Senenſis, ante reditum meum, ni tu aliter iudices, excuſandum mihi nil puto. Monitor ex vrbe ita deſiderat. Noſtra in illum fides ita requirit. Nullo artificio aſſequi poſſemus, vt non Pontifex, qui ſuſpicionibus plenus eſt, conuitia ſua renunciata nobis à collegarum aliquo crederet. Poſt reditum quoque, niſi imputet, prius verbum non faciam. Conſcientiæ ſignum eſſe ſolet, excuſare quod nemo accuſat. Terentianus ille, *Neſcio*, inquit, *quid hæc purgatio afferat peccati.* Si imputabit aliquid, non tam excuſabo, quam petam veniam, quod homo ruſticanus nec hoſpitio primogenitum magn. Regis accepi, nec vlla re ſum muneratus, nec cœnaui apud eum, aut apud me ille. Turbaui potius oratione triſtiore, quàm aduentitio conueniret. Satisfactio mea hæc erit, tuam quoq; paratam habes, & facilem. Sed de te diſcens, floccifacere has nugas inſtituo: magis autem, ſi menſtruam ſtipẽ voto promiſſam nõ reuocabit. Id enim me pauperẽ imprimis ſollicitat. Aſſit quod edã, bono animo pati potero.

Quod nec Sarmenthus iniquas
Cæſaris ad menſas, nec vilis Galba tuliſſet.

Aliorum mala faciunt noſtra leuiora. De quo non vidimus, & opinari illum ſiniſtre, & maledicere palam, & mox puerili ſentẽtia velle, quod noluit. laudare quod carpſit? Morbus animi ſic eſt, morte ſua, non dolore noſtro ſanandus. Præſtemus ei fidem quæ Pontifici, nobis patientiam, quæ Deo eſt debita. Ac quamuis mille talia ingruant quotidie, non cœnemus vno cruſtulo minus. Vale. Pientiæ.

CAROLO SALANDO CREMONENS.

CXC.

AGe gratias Patri noſtro Niceno quàm maximas potes, operatus eſt opus, non quale vulgaria officia ſolent, ſed charitati intimæ conuenit. Raros eſt inuenire, qui hoc animo in filios ſint. Non minoris pẽdo ego, quod ſignificauit per te, quam quod per Oratorem Mediolanenſem fieri obtinuit. Hic fructus certus eſt, illic fides incerta. Vtraq; tamen habenda in precio, geſtanda in ſinu, rememoranda omnibus horis ad gratitudinis cumulum. Carole audi, tu noſti ſenſus meos. Tu mecum ſemper es cum libertate locutus. Si affectus aliquando in aduerſum me raperet, & beneficii accepti, quam debeo, non tenerem memoriam, memora tu, corripe tu, & tanquã manu ingratitudinis ſemitam retrahe. Hic pater notum me à primis annis dilexit. Venienti in curiam fidelia adiumenta præſtitit. ad Cardinalatum eſt ſuffragatus. Cauſis meis omnibus ſic in noſtro collegio affuit, vt viſæ ſint propemodum ſuæ. Iterum dico, adiutor gratitudinis ſis. Ex iis literis, quæ apud te erunt, admonitor eris officii mei, cum tempora accident. Si qua in re hactenus in eo colendo negligẽs fui, futura diligentia eam ſegnitiem compenſabo. Sed venio ad præclaram Põtificis noſtri concionem, quã in cõſiſtorio habitã, paucis percurram. Negat indulto ſuo occaſionẽ imperatæ pecuniæ præſtitam. Ago gratias Deo, quod non literis, non rumoribus, nõ longinquis ſignificationibus id intellexi. Reprehendendus eſſem, ſi ad leuem auditionem ita ſcripſiſſem. Ipſe, mi Carole, ipſe ignoranti mihi omnia aperuit. Detuleram ad eum literas pattui tui, Vicarii mei, quas ſibi oſtenderẽ: Initium enim tunc erat perſecutionis iam cœptæ. Cõtinebatur in eis, Ducem Mediolanenſium dicere, & magiſtratus eius palam vulgare, concedente Põtifice, ſubſidium id mutui quæri à Clero. Hæc ille intelligens, querelam meam verbo ſuo ſtatim accipiens, hanc ſententiã dixit ad vnguẽ. Venit ad me Orator ducalis, rogauitq; nũ moleſte eſſem laturus, ſi cõcedentibus ſua voluntate clericis pecuniam mutuam, datis eius reddendę promiſſionibus, eam caperet Dux. Reſpondi rem mihi hanc æquam videri, & nec me laturum moleſte, eis conditionibus vel pendi, vel accipi. Gratias egit orator, atq; diſceſſit. Nõ breue, non literas à me vllas accipiens, hæc eius excuſatio fuit. Nil omnino addo, vel muto. Id intereſt tantũ, quod maternè illa ab eo ſunt dicta, hęc à me ſcribũtur Latine. Vide ergo quantum diſcrepet à ſenſu ſuo ſenſus epiſtolæ meæ, & quã iuſte filium vexet. Dixi, indulſit Duci Mediolanenſium ſanctitas tua. Quæro, an nõ indulgere hoc ſit, laudare quod petitur, & non moleſtum futurum aſſerere? Quid refert verbo, an

ſcripto id fiat? præſertim cum eo, cum quo verbo Oratoris maxima quęque ſolet trãſigere. Sed aliud vide, in quo ſuam hanc non tam indulgentiam, quàm voluntatem agnoſcas. Me hortatus eſt vt imperatę taxæ facerem ſatis, & petentem Ducem contributione mea iuuarem, exemplo ſuo id confirmans. Et adiutos à ſe olim Venetos, neſcio quot milibus referens. Taceo plurima, quæ per eos dies in diuerſis eius ſermonibus non obſcure notaui, huc pari ſignificatione tendentia. Itaq; percunctatione nulla ſecretarii ſui eſt opus. Ad dicta ſua, non ſcripta, meam epiſtolam reuoco, & teſtimonio ſuo ſibi reſpondeo. Si quando in Conſiſtorio aget de his, vt acturum eum exiſtimo, redibit in mentem, me admonente, dictorum ſuorum, noſcetq; nobis noſtram eſſe memoriam, ac ſibi, ob maiores curas has minores plerunque excidere. Nam conuitia in filium audiente collegio dicta, bono animo perfero. Pater eſt. Dominus eſt. Immunes alii ab his flagellis nec fuerunt olim, nec per dies ſingulos erunt. Iraſci nulla ratione, vel volo, vel debeo. eo æquanimius patiens omnia, quod à noxa ſum procul, & præceptis Eccleſiæ debetur hęc reuerentia. Vox ſancta eſt Petri, cuius militiæ ſum conſecratus: *Serui ſubditi eſtote dominis veſtris in omni timore, non tam bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Hæc eſt enim gratia, ſi propter conſcientiam Dei ſuſtinet quis triſtitiam, patiens iniuſte. quæ enim eſt gloria ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? ſi benefacientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia Dei apud Deum.* Vtinam & ipſe hunc ipſum Apoſtolum alio loco audiret: ad ſucceſſores etenim loquitur ſuos. Breuis textu ſententia eſt, ſed magna myſterio. *Paſcite eum, qui in vobis eſt, gregem Dei, non vt dominantes in Clero, ſed forma facti gregi ex animo.* Tranſi ad ſecundam calumniam. Dixit debuiſſe me de profectione Florentina conſilium ſuum exquirere, dictutum eum fuiſſe quid in ea re fuiſſet agendum. Cogitaui hoc, Carole, non tem, ſed naturam ſuam attendens, quæ ſuſpicionibus ſemper eſt plena, ſed locus non erat conſilio. Nunciatum Senæ literis certiſſimis erat, Ducem non amplius quatriduo moraturum Florentiæ. Videbam illum ante receſſurum ad caſtra, quàm meas literas Romæ futuras. Euentus probauit, quod dico. Venit die vna, quieuit quatuor, ſexta repente diſceſſit. Quomodo ergo tam breui tempore & officio ſimul, & neceſſitati poterat inſeruiri? Addidit obtentu ſoluendi voti iſſe me ad curandam rem temporalem, meritoq; ob eam cauſam in neutro gratiam debuiſſe accipere. Bone Ieſu, quid ex te audio? Ita ne diſcernimus temporalia à ſpiritualibus? An non litteris meis, an non lamentationibus tuis intellexerat Pontifex, intra ſepta cœnobiorum armatos eſſe inductos? omnia telis completa? perturbatum cultum diuinum? An non Vicarium meum adminiſtrantem temporalia, & ſpiritualia, ex Papienſi Eccleſia pulſum? In cœnobio beati Victoris non relictum granum frumenti, non vini ſtillam, vnde ali monachi poſſent? Deſolata omnia eſſe, derelicta, & vacua? curare quæſo, hoc erat rem temporalem? an ſpiritualem? Dei opus perquirere, an carnis, & ſæculi? Pono hic ori meo cuſtodiam. vltra non loquor. Gemitus verborum, qui ab æſtu cordis exurgit, deprimitur ad imum. Accipe tertium, non crimen, vt video, ſed meum contemptum. Riſit quod de Duce dixerim SS. bis Iuuenem ſum alloquutus SS. riſerit ſane quod voluit. Malo riſiſſe illum, quàm doluiſſe. Sed dicat, quid riſu dignum hic fuerit? Si enim quod Iuuenem appellaui, parum laudis in magno Duce exiſtimat, concedat hoc homini Latine erudito. Barbare, ne ſecum quidem, qui ex domo eſt barbara, loqui poſſum, aut volo. doctrinam exprimit calamus, quam Latinus magiſter docuit. Græci ſcriptores cum Alexandum Macedonem damnant, puerum dicunt. M. Brutus, M. Antonius identidem appellatione pueri, Auguſti imperium rident. Contra Virgilius eundem laudans,

Hunc ait, euerſo iuuenem ſuccurrere ſæclo Ne prohibete.

In Iuuene videlicet, in adoleſcente eſt laus. Solius pueri videtur in dominatu eſſe contemptus. Hunc riſum Pontificis, dolentibus aliis, ſecutam approbationem dicis antiqui amici noſtri, aientis inſanam poſtulationem meam eſſe, ſed literas inſaniores ſibi videri. Enimuero magni hoc iudicium eſt æſtimandum, ab homine eſt enim qui ſemper ſana & petit, & ſcribit. Petitionum ſuarum duo proximi Pontificatus ſunt teſtes, & conſiſtoria noſtra quotidiana, in quibus de iniquis petitionibus ſuis eſt frequens querela. Scriptorum vero teſtis eſt Pius noſter. Teſtis præſul Ferrarienſis, teſtis Anchonitanus, teſtis & ego. Quæ quidem eo vſque inſaniæ proceſſerunt, vt poteſtatem

ſtatem Romanę Sedis ſint conata elidere, & ipſi vincla, ac carceres propemodũ ſunt operata. Oſcinem ergo hunc coruum obolo non æſtimemus: malis enim omnibus ſemper crocire eſt ſolitus, nec puncto temporis in vna ſententia eſſe, pluma, & folijs leuior. Addis in extremis litteris tuis, putare Patres nonnullos ſecundam, quam miſi epiſtolam, à Pontifice in peſtem meam retentam, vt videlicet proferat eam, oſtendatque Duci, ſi quando vlla ex cauſa plecti me volet. facile hoc credo, ad mores magis, quam ad charitatem eius reſpiciens. Sed proferat, vt vult, incendat in me illum, vt ſcit, maiora pati ab eo non poſſum quam quę paſſus nunc ſum. Vt ſacerdotali animo perfero hæc, ſic illa non muliebriter feram. Natus ſum pauper, altus pauper, ad Pium vſque perſeueraui in paupertate. Quid me angat ad ſortem redire, vnde exiui? Si miniſtros viginti non potero alere, dimidium alam. Si nec hoc quidem, vno tantum cõtentus: lætius ad extremum perueniam, quàm cum theſauris ingentibus ille. Nulla ſua duritas, nulla afflictio mei me diſſimilem reddet. Poſſum pro libertate conſilij, pro recta ſententia animam hanc & carnem contemptibilem dare. Dicet homo gentilis Cicero, ſolum ſecutus gloriam ſæculi: Vero licet, & ſemper licebit dignitatem tueri, mortem contemnere Poteſtas ſit veniendi in ſenatum, dicendi periculum non recuſo. Ego homo Chriſtianus idem non dicam? Metu ſacerdotiorum, quæ in aliena ſunt poteſtate, conculcata conſcientia, contra iudicium loquar? perdens me ipſum, atque in eandem perditionem proximum trahens? non faciam. non committam. Tuque Deus meus, qui renum meorum es verus ſcrutator, confirma hoc, quod in me es operatus. Da intellectum, vt mandata tua non excidant. mandaſti enim vt non timeremus eos qui occidunt corpus: animam autem non poſſunt occidere. Sed eum potius timeremus, qui poteſt animam, & corpus perdere in gehennam. Sed vide, Frater, quale hoc patris in filium, Principiſque quale in ſenatorem ſuum officium ſit. Non dico, epiſtolam fideliter ſcriptâm in vltionis tempus ſeruare, quod gentilium, & noſtrorum vocibus condemnatur: ſed ſi qua dolentius à Cardinali ſuo ſunt dicta, proferre in medium, & pudenda illius palam omnibus reuelare? An non magiſtri ſui, & Domini eſt recordatus: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum inter te, & ipſum ſolum?* Nonne illum euangelicæ legis huius ſeruatorem potiſſimum eſſe oportebat, qui ad eius cuſtodiã in excelſo eſt poſitus? In quem autem erat niſi in eum, peccatũ meum? quem offendebat epiſtola illa, præter ipſum ſolum? Pietatis erat paternę, ſi peccatum putabat, reſcribere filio, admonere illum erroris, hortari, increpare, minitari quoque, ſi ita opus agnoſceret. Ad eum enim tantũ erat tranſmiſſa, nec quiſquã pręter ipſum, & me, quę ſcriberentur ſciebar. Quondam proferente in conſiſtorium Pio codicellos quoſdam ab hoc ipſo Niceno ſcriptos, qui eum male habebant, ſic excuſauit cordatiſſimus Cardinalis, & quidem approbante toto ſenatu: Ad te ſolum, Pontifex, illi ſunt ſcripti: mea manu ſunt ſcripti: ſigno meo obſignati: nemo eos præter te, & me vidit. quod nunc palam fiant, vide cuius culpa ſit. mea certe non eſt, qui charitati, & ſecreto impendi quod debui. Tacuit ille, ac quamuis ingenioſus, inclemens tamen factum ſuum agnouit. Quid argui hoc loco in me diſſimile potuit? aut quid damnari, quod nõn cõuenitet filio? Scripſi ad patrem. ſcripſi ad eum, cui de ſacerdotis ne perfundentur, ſuprema eſt cura. Detexi vulnera, quæ de ſola manu ſua poſſent medicinã accipere. accuſaui eos liberius, qui tantæ impietatis eſſent auctores. Admonui, videret poſthac, quantum Principibus ſęculi concedendum eſſet in nos: Eorum videlicet memor, quæ Duci indulſiſſe ſe dixerat: Veri autem Cardinalis ſum ſecutus officium. Si hoc verbum conſcios ſenſus pupugit, quid aliud dicam, niſi verbũ illud fuiſſe verbum ſalutis? *Nulla* (inquit Cicero) *remedia, quæ vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quam quæ ſunt ſalutaria.* Non propterea concionem de me haberi oportuit plenam criminibus, & epiſtolas, zelum Dei habentes, per irriſum oſtendi. Quis vnquam Chriſtianæ charitatis veſtigium tenens, litteras à filio miſſas interpoſita offenſione, in medium protulit, palamque recitauit? Quid hoc aliud eſt quam tollere colloquia abſentium? verbum Dei in oribus ſacerdotum extinguere? amputare rerum benegerendarum occaſiones innumeras? quam multa loca, inquit idem orator, eſſe in epiſtolis ſolent, quæ prolata ſi ſint, inepta eſſe videantur. quam multa ſeria, neque tamen vllo modo vulganda. Sed hoc alieni ſit facti. Quid me agere, Carole, amodo conuenit?

Dicet aliquis, vt dixiſſe tibi patrem noſtrum affirmas: Ne ſcr be Pontifici tu. Verbo referri cura, quæ vis. Scribe fidelibus tuis, quæ illa alioquin eſſent ſcribenda. Quid ſi non expedit à fidelibus illa cognoſci? quid, ſi non dictat conſcientia, vt extra Pontificem ſint? Quid, ſi fideles infideles timeam aliquando futuros? Nonne hoc monſtrat ratio, vt tutius ſit patri communicata illa eſſe, quam alieno? aut ergo mentiendum erit in litteris, ne illum offendant, aut deinceps tacendum. Miſerum ſane vtrunque. Sed vt in malis, fidelibus potius credamus noſtram ſalutem, quàm aut mentiamur Deo, aut tacendo deſeramus communia bona: ſequar ego in hoc patris conſilium, cuius niſi eſſet apud me tanta auctoritas, non modo non pœnitendum mearum epiſtolarum mihi putarem, ſed in hoc certe dolendum, quod non dolentius ſcripſerim, quanquam non ex me, ſed ex eo ad quem mittuntur, admonitionem ſuam eſſe ſignificas. Scripſi hæc ad litteras tuas, non rancore vllo cordis, non impotentia animi, quam pro Deo ſacerdos abieci: ſed ex libertate, ad quam me inſtruxit Eccleſia, & vt tibi factum meum probatem: cuius vt charitatem amplector, ſic magni iudicium facio. Deus nobiſcum ſit. conſoletur nos in tribulationibus noſtris, faciatque vt eius hæc diſciplina ſit ad ſalutem. Vale. Senę Auguſti MCCCCLXVII.

IA. CARDINALI PAPIENS. CAMPANVS.

CXCI.

PApienſi meo ſalutem plurimam: plurimam ſalutem Papienſi meo. Hoc ſi centies repeterem, nunquam ad voluptatem recreationemque animi ſatis repetierim. Et quanquam es ſemper in ore: nunquam tamen ita me imples, vt non creſcat libido nominandi. Papienſem mihi ſomni, Papienſem vigiliæ offerunt. Æque mihi in ſolitudine, atque in frequentia occurris, quàm illic de te cogito, tam hic de te loquor. Sed refero pedem, ne qui verus velim, & apertus videri, videar blandus, & fictus: præſertim apud te,

Cuius habent oculi, quod nunquam viderat Argus,
Nec noſtri aſpiciunt lumina Callimachi.

O dulces lachrymas, cum te modo nomino, cum te cogito. non credis (iuro) fluunt lachrymæ. Felix vale vnicum ſydus, vnicum pręſidium meum, nam plura nequeo. Ego hic prædico ſingulis Dominicis, tanto concurſu, vt nuſquam fuerim auditus attentius. Tui ride, & tace, & me Sanctiſſimo Domino noſtro, ſi occaſio detur, commenda. Teranii die XXVI. Februarij M.CCCCLXVII.

IO. CARDINALI ATREBATEN.

CXCI.

ORo, Pater Reuerendiſſime, filio conſecrationis tuæ indulgeas: ſi ante hanc diem non ſcripſit, dolor fuit in cauſa. Habuerũt me anxium non priuata mea, quę tibi ſunt nota, & quorum lachrymis pauci tanguntur, ſed magis publica, quę magno impetu ferri ad interitum video. Humiliata eſt in puluere anima noſtra. Conglutinatus eſt in terra venter noſter: lux pilei tenebreſcere incipit, & ad cõtemptum ordinis noſtri apertum eſt iter. Current amodo in damna communia qui ante ſedebant. vno exemplo creſcent in dies noua exempla.

Sicut grex totus in agris Vnius ſcabie cadit, & porrigine porci.
Vuaque conſpecta liuorem ducit ab vna.

Laborum meorum, Vigiliarum mearum, contentionum quoq; mearum pro Sfortianis hic fructus eſt, ſicut tuum eſt pro Andegauenſibus tuis. Vendamus nunc animam gratiæ, & diſpliceamus Deo, vt placeamus hominibus M.CCCCLXVII.

B. CARDINALI NICENO.

CXCII.

NE dubita, Pater ampliſſime, caſum meum, ad cuius patientiam me ſæpe hortaris, bono animo ab initio excepi, & forti nunc perfero. Non eſt ea cordis triſtitia, non mentis confuſio, quæ à pleriſque forſitan creditur. Indui armaturam Iuſtitiæ, & clypeum rationis dextræ aptaui, vt his tectus, venientia tela ſine offenſione exciperem. Audi tacitas cogitationes adiuuantis ſe filii, vt argumenta eius conſiderans, de

volun-

voluntate quoq; certius iudices. Primum nulla mea culpa (quod mihi conſcius ſum) pertuli, quæ iam cognouiſti. Si imperatę taxæ non ſatisfeci, nec coniici in plebem ſum paſſus, dignitatē retinui noſtro ordini debitā, in eos quoq;, qui malorū auctores fuerunt, nullum meum extat peccatum. Colui eos per omnem vitam. Poſſum quoq; ſinė iactantia, innumera recenſere in eos meę charitatis officia, quæ & nota ſunt tibi, & nullis teſtibus egent. Gratis igitur odio me habuerunt, ponentes aduerſus fratrem mala pro bonis, & odium pro dilectione ſua. Conſolatur hoc primum me patientem facile officia mea mihi: illis vero ſuam eſſe iniuriam. Adde quod imparatum ii caſus non inuenerunt, nec quia improuiſi acciderent, duriores ſunt facti. Erat enim neſcio quomodo grauioris incommodi alicuius apud me expectatio, animo iam ita concepta, vt declinari poſſe non crederem: cuius rei conſcientiam meam, quæ Deum non fallit, & notos complures habeo teſtes, quibus inter loquendum, vt fit, metum hunc familiariter indicaram. Repetebam annos præteritos, quibus noſtram hanc curiam eram ſecutus. Videbā quam breui ſpatio, & quam nullis laboribus ſumma omnia accumulaſſet diuina clementia. quam facile paupertatem in ſubſtantiam, obſcuritatem nominis in claritatem: humilitatem vero in eam dignitatem mutaſſet, quę poſt Romanum Pontificatum prima eſt in Eccleſia. Agnoſcebam quoq; hęc omnia in recenti ætate eſſe conceſſa, valido corpore, & mente ad bonum opus idonea: atque illud quoque inter ſecunda connumerabam, quod tempora Pii Patris, cui famulatus inter domeſticos fueram, & innocentem pręſtiterant me, nec fecerant vt ab iniuria mea metuendus quiſquam mihi nunc eſſet. Magna hęc ducebam a Deo, non valens vnū aliquid promere, quod mihi ad ſummam quietem deeſſet. Cogitabam ergo ſic mecū: Heu Papienſis in tanta largitate Dei, pro meritis ſuis gratus illi nō es: nec datorē tuum agnoſcis. Peccatis innumeris iram eius in te quotidie prouocas, ac tanquā ex tua virtute, non ex ſua gratia ſingula ſint: ita & immutabilia, & perpetua eſſe cōſideras. Erras vehementer. Auferre qui dedit poteſt ſuæ poteſtati ſubiecta ſunt omnia, nec eſt qui à calore eius ſe poſſit abſcondere. *Ira* inquit Apoſtolus, *& indignatio, tribulatio & anguſtia in omnem animam operantis malum.* Si plaga tua differtur ad diem, nec peccatum pœna conſequitur, diſpenſationis ſuæ hoc eſt, nolentis ſtatim perdere, quod miſericordi mora ſanari expectat. Sed veniet aliquando, atque vtinam non eo grauior quo dilata diutius. Non enim tardat promiſſis Deus, ſed patienter agit, propter nos, nolens aliquem perire, ſed ad pœnitentiam omnes conuerti. Cum ergo obſiſtente carne ſpiritum ſanitatis non ſumerem, nec ratio ſuperaret affectum, vita autem ſuis initiis continuaret errorem: Intenſum eſt expectatum ſuppliciū, cogens admoneri factis, quem ſuaſiones ante nō mouerant. Pręſtolatio autem hęc diuturna diebus pene ſingulis in metu habita, hoc aſſecuta eſt boni, vt tolerantius nunc ferantur omnia, nec perinde premant, ac ſi improuiſa accidiſſent. Gratiæ ſint diuinæ pietati pro hac mentis agnitione & muneri aſcribatur ſuo quicquid hinc firmamenti accepi. Sed quantum illud eſſe ad patientiam putas, quod maiora merito expectāti, minora omnia ſunt irrogata: debebatur antiquatę iniquitati grande flagellum, & indurato animo virga vehementior. Sed dulcis, & rectus Dominus, caſtigans caſtigauit filium ſuum, & morti non tradidit eum. Poterat qui prouectus Sacerdotiorū permiſſione ſua abſtulerat, Sacerdotia inſuper ipſa adimere, & qui cupiditatem iuuenis Principis in me concitarat, ſuſcitare & furorem. Grauioribus indulgenter pepercit. Non dedit exilium, non perſecutionem de ciuitate in ciuitatem, non vincula, & carceres, qualia multa peccatores ſæpe ſunt paſſi. Quin & corpus, in quo erat ſenſibilior dolor, nullo incommodo attigit, & mentem ſuppliciorum omnium vltimum, ab errore, & dementia conſeruauit. Conſolantur nimirum hæc me, idipſum agentia, vt acceptorum oblitus, ea ſola ponderibus iuſtis expendam lucroque deputem, quæ dignus accipere, non tamen accepi. Alleuat porro animum, & quaſi in gratulationem adducit, quod ſupernę dilectionis indicia per hæc aduerſa collegi, veriuſque dignum gratia quam odio me iudicaui. Etenim cui non iraſcitur Deus? aut cui flagella non infligit ſua? Nempe ei, à quo auerſi ſunt oculi eius, & in profundum malorum eſt lapſus. *Non iraſcar*, inquit, *amplius tibi, Hieruſalem: Zelus enim meus receſsit à te. Ego quos amo arguo, & caſtigo.* Vas quoque electionis Paulus admonens ſimul & conſolans, *Fili mi*, ait, *noli negligere diſciplinam Domini: nec*

fatigeris dum ab eo corripeꝛis. quem enim diligit caſtigat. Flagellat autem omnem filium, quem recipit. Vnicum quoque noſtræ patientiæ exemplum Iob ſanctus: *Beatus*, inquit, *vir qui corripitur à Domino.* & cui oro non optabilior ſit ærumnoſa hæc vita, quam conſequitur benedictio Dei, quam quæ iram habens per lęta ſæculi, quaſi per amœna prata ad interitum ducit? aut quis non ſibi malit miſeras ſanctorum perſecutiones, quam perſequentium infortunatam felicitatem. Nota eſt de diuite purpurato, cuius dies dati felicibus ſunt, & paupere Lazaro Saluatoris Chriſti tremenda parabola. Malim ego illum me eſſe, qui poſt triſtem vitam atque inopem, ſinum Abraæ eſt conſecutus, quam eum, quem poſt flurentem, & diuitem, horrendę tenebræ acceperunt, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Ac licet inexploratum habeam pietatis, an odii fuerit tribulatio hæc, ego tamen, qui miſerationes Domini ſcio ſuper omnia opera eius eſſe, in mitiorem partem libens interpretor, Propheticum illud ſedulo habens in ore: *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Vide vero, digniſſime Antiſtes, quam copioſam meſſem ex tanta tempeſtate collegerim, & quanti eſſe apud me debeat factum eſſe, quod accidit. Profecto eſt tanti, vt non modo eam non declinandam, ſed magnis à me precibus impetrandam fuiſſe exiſtimem. Didici primum monente ſuperna bonitate, de ſtudio colendorum Principum bono Cardinali remittendum plurimum eſſe damno animæ: non procuranda illorum carnalia deſideria: melius eſſe confidere in Domino, quam confidere in homine, & ſperare in eo, quam ſperare in Principibus. Intellexi quoque noſtris amicitiis vti illos vt nummo: non ad charitatem, quę rara in illa fortuna eſt, ſed quaſi ad mercatorium quæſtum, ac tamdiu haberi eas in precio, quamdiu præſentem vtilitatem miniſtrant. Sum quoque admonitus, diſpenſanda iuſtius eſſe quæ nobis proueniunt ex altari: carni, & ſanguini non ita profuſe indulgendum. In comitatu quoq; alendo, comparandoque ornatu domeſtico tam multa non inſumenda. Bona hæc noſtra altaribus attributa, precia peccatorum eſſe, quibus redimi animas dantium pia cura oporteat, & inſtaurari domum orationis, & egenos, vagoſq; in domos noſtras induci. Quæ cum nõ fiant, iraſci grauiter Deum, & ſæpe hunc exitum negligentibus dare, quem in me ipſo ſum proxime expertus, vt videlicet adminiſtrata male, etiam ſuo permiſſu dilabantur deterius. Oculus igitur, quos peccatum clauſerat, ne ſacerdotis viderem officium, ſuperueniẽs pœna aperuit, ac iuxta Eſaiæ Prophetæ verbum: *Vexatio intellectum dedit auditui.* Aſſecutus inſuper boni hoc ſum certe non contemnendũ, vt minus iam amem, minuſque æſtimem hos noſtros ſacerdotiorum prouentus momẽtaneos quidem, & innumeris caſibus ſubditos. Quid enim placeant, quę alienæ magis ſint poteſtatis, quã noſtrę, & quæ precario poſſideamus, vnicoq; vel ſuperbientis, vel indignantis Principis edicto impune diripi poſſint, iugemq; anguſtiarum, & dolorum materiã præſtent. Mihi iam ſatis ſit viuere, ſi non eam vitam, quę oculis intuentium placeat, at eam, quam Dominus adminiſtret: quietiorẽ certe & minus habentẽ moleſtiæ. non enim poſſunt grandes familiæ non oneri eſſe, atq; animum pluribus occupare. Expertus nunc compellente inopia quid boni ad tranquillitatẽ dimidiata iam familia habeat, & quam multum confuſionis, tædiiq; abſtulerit, non minus omnipotenti Deo gratias ago, quam egerit olim Romano populo Antiochus, cum adempta regni parte & intra Taurum montem iuſſus regnare, grandi procuratione ſe liberatũ aiebat. Quod ſi rediret iam in integrum amiſſa omnia, omniſq; etiam congeminaretur prouentus, ita vt ſuppeditari ſumptus ampliſſimi poſſent. Mutaturus præſentem inſtitutionẽ non ſum, nec cariturus ſuauitate iam deguſtata. Miretur imperita plebs, quod volet in me: & vel auaritiæ, vel anguſtiæ cordis tenuitatẽ noſtram aſſeribat, nihil ego eius pendam iudicia. Vnus mihi Nicenus, vnus Spoletanus, qui propoſitũ laudent, inſtar omniũ erunt. Deus quoq; qui ad frugem bonam ſuo nos exemplo inſtituit, plus inſonabit auribus meis quam loquacium ſermo inanis. Ad cuius auditũ, qui comparat ſe, infinitis neceſſe eſt implicetur moleſtiis. Bonum ergo mihi Domine, quia humiliaſti me, vt diſcerem iuſtificationes tuas, quas ſecundis elatus, ante non attendebam. His itaq; Reuerendiſſime Pater, atq; aliis adiutus rationibus, quas ne ſim nimius, libens prętereo, me ipſum in aduerſis meis ſubſtento & mihi congratulor, & infirmam carnem caſtigo, & Deo gratias ago, & tuam quoque dignationem de filii patientia bono animo eſſe protinus volo.

volo tam enim hæc iam dolent, vexantque Spiritum, quam ſi ad me non pertinerent. Infirmitates ad mortem non datę, fortiorem me reddiderunt. Deus noſter, qui ſecr e-totum inſpector eſt, ſcit quia hæc loquens, non mentior. Tibi vero Nicene Pater, qui grauiſſimis litteris ante, & poſt etiam verbo me es conſolatus, atq; huius boni partem præcipuam contuliſti, ſint à me gratię immortales: à Deo vero ęterna merces, qualem præſtantibus proximo charitatem ſua miſericordia repromiſit. Vale.

DONATO ACCIAIOLO.

CXCIII.

IOſephus, de quo ſcribis, chariuſculus meo iudicio eſt, hoc pręſertim anno, quo nõ multum abundo. Homini inopi nõ minus ventri, quàm auribus eſt conſulendum. Itaque ille valeat nunc. de remediis vtriuſque fortunę ſi non probat Veſpaſianus, ne probemus nos quidẽ. longo vſu æquat noſtram cognitionem. expectanda erit emendati libri occaſio, & tu ad id operam da. Placet abſolutum Scipionem, atq; Hannibalem. Emenda vtrumque diligenter antequam edas. nec te grauet labor. Vidiſti eum eſſem Florentię media pagina vix dum lecta, deprehenſa multa a me eſſe. quæ tu ipſe parum probaſti. Hoc ſi libri initio accidit, vbi eſſe amplior ſolet cura, quid in ſequentibus timeam? itaque æſtimationi tuæ accuratiſſime cõſule: multa iam eſt & nec proiicienda, vlla deſidia. Quæ a me poſcis de rebus meis, inepta illa ſunt, Donate, & auribus Florentinis non ſatis idonea. Scripta illa nobis tantum ſunt. Laudamus Romæ quicquid rem habet, nec faſtidimus non admixtum dulci vtile. Huiuſmodi lectores notat Flaccus. Centuriæ Seniorum agitant expertia frugis. Itaque ne expectes hinc quod non eſt inuenire. Quæ de Pio ſcripſi, non expeditio eſt, vt tu putas, ſed vitæ eius exitus, à diſceſſu Vrbis ideo inchoatus, quod inde initium habuit. Hunc mitto ridendum magis quam videndum. ſi quid erit tamen quod lectione dignum exiſtimes, id erit fortis obitus fortis Pontificis, cuius (vt verum fateat) vix decimam partem ſum aſſecutus. De Euchariſtia nulla extat noſtra oratio. Duæ tantum Omeliæ à me ſunt peroratæ. Altera de conuerſione ad Dominum: die cinerũ. Altera de Aſſumptione beatæ Matris: die ipſo ſolemnitatis Ambę autem me pręſule habitæ ſunt. Earum nulla eſt apud me, niſi in prototypis tantum. Propter neſcio enim quid lucis, poſtulatæ ſunt à diuerſis, & in hunc diem retentæ. ſed vel requiram eas: vel exſcribi de prototypis faciam. Ridebis nouum verbi Dei magiſtrum. ſed (etſi hæc non aſpernabere) leges & alia: aliena tamen à gentilibus. Vale. Romæ die XXVI. Februarij M.CCCCLXVII.

LAZERO ARRETINO VICARIO SVO.

CXCIV.

BEne veneritis. Voluntas Principis, & virtus veſtra, vt ita venientem ſalutemus, hortãtur. Iterum bene veneritis. Petitis an placeat nobis vt officio vicariatus fungamini, ad quem electum vos eſſe, & vocatum per Ducem noſtrum aſſeritis: Placent omnia, quę illi ſunt placita, & quæ cupit ille, nos cupimus. Vos non cognouimus ante, nec nunc niſi teſtimonio ſuarum litterarum cognoſcimus. laudat doctrinam veſtrã, & mores. Ita eſſe confidimus, ſcientes acri illum in omnibus eſſe iudicio. Itaque conſentientibus nobis, & Domino benedicente exercete quod iubet, & Vicariatum iniunctum accipite. Scitis quæ conueniant ei officio, & quæ ſint partes veſtræ in nos, eas dilıgẽter ſeruate. De Inſtructione data, quam legimus, credimus ex bono theſauro cordis cuncta eſſe prolata. Videmus tamen, non ſatis iuſte apud excellentiam ſuam de ſacerdotiis noſtris nos eſſe culpatos: id enim monſtrat inſtructio. Veſtiuimus Eccleſiam Papienſem, quam nudã inuenimus. Multis in locis reparauimus multa. Temptauimus conatu magno, diſtractas templi poſſeſſiones ad Domini altare reducere. Aliquando etiam ne diſtraheretur contendere. Iuriſdictionem porro omnem à Domino creditã cuſtodire. Si in iis adiuta eſſent deſideria noſtra, gloriari adhuc amplius in hominum conſpectu poſſemus. Sed externi hominis impotentia in crimen adducitur, & male armata voluntas parum animata putatur. Domino contenti noſtrorum cordium inſpectore, patimur æquanimiter cætera. Poteſtatem Vicariatus, quam petitis, Dominus Chriſtophorus auctoritate noſtra concedet, & quidem quanta eſt o-

pus.M ndatum habet à nobis manu noſtra conſcriptum, quo quę nos poſſumus po teſt. Ideo illud non mittimus nos.

CHR. PRATELLÆ VICARIO SVO.

CXCV.

IOannes Antonius, quem domi à puero educaui, adultus iam eſt, primiſque diſciplinæ rudimentis ita imbutus, vt ad fortia videatur idoneus. Mens eſt, cum memoria ſingulari, & ingenio ſit, ad ciuilia ſtudia, & canonica illum transferre. Hoc cum nullib aptius quam iſthic fieri poſſit, cogito propediem mittere eum ad te. Tu ergo in cœnobio beati Petri cubiculum præpara, id ſcilicet quod Prioris dicitur. Ibi enim placet illum eſſe. cura etiam, vt pręter lectulum eius, lecticula ſit, in qua famulus cubet. munda ſint omnia, magis ad rem, quam ad pompam compoſita. cibum capiet in menſa cum cæteris. Audio ibi eſſe presbyterum quendam nouitiorum magiſtrum, gnarum ſatis iurium horũ: Is poterit adiumento eſſe initiis. Præcipe illi nomine meo, vt curam adoleſcentis ſuſcipiat, & primordia hæc integritate, & diligentia regat. Tu etiam de doctore vide, quem auditurus ſit publice. Vellem, ſi fieri poſſet, alienigenam eſſe, ne imprudens in factionem vllam incideret. Mando tibi, & cęteris, haberi eum non vt vnum ex familia mea, ſed vt ex me genitum filium: honorari etiam quantũ ærati conueniat, & indulgeri quæ ad valetudinem, & ſtudia faciant. Noſti quo cultu Romæ apud me fuit, eodem placet eſſe Papiæ. Cardinali creato dedit mihi de manu ſua illum Pius nutriendum, atq; docendum. Cum ſanguis eius fuerit, cumq; ab eodẽ totus ſim ego, alio in adoleſcentem animo eſſe non debeo. In cœnobio, vt dixi, ſit, & in deſignato cubiculo. Epiſcopium in quo habitatis, propter frequentiam, & quotidianos ſtrepitus, minus idoneum ad ſtudia eſt. Reliqua mandata mea ipſo veniente, accipies. De omnibus mox vt ſunt præparata reſcribe, & Vale.

IAC. CARDINALI PAPIENSI CAMPANVS.

CXCVII.

CVm ad Ratisbonam peruenero, quod ad biduum ſpero, perſcribam, immo mittam potius, quam perſcripſi profectionem noſtram omnem. inter ſaxa, montes, fetas, nam homines nuſquam, fortiſſimus duro. Nolui hunc tabellarium ſine hac vna. Quid dicam neſcio, nam inſtat, & ego ordiri niſi grandia, & niſi ſpatio non poſſum.

Italia, & dulces Latii, Diuum omnia campi:

Quando erit illa dies: quando erit illa dies.

Iſta beſtia tabellarius inſtat. Mittas pro Iuliano canonico ſancti Euſtachii, quæras ab eo quid opus ſit, & commendatum habeas. volui etiam abſens imperioſus eſſe. Vale feliciter. Gentili meo ſcribam otioſior, ſaluta tu eum. Ex Lanxut vltimo Aprilis M.CCCCLXVII.

IOANNI IACOBO RICIO PAPIENS.

Iureconſulto.

CXCVIII.

DIſtuli dies aliquot reſpondere litteris tuis, volens per eundem referri ad te meum reſponſum, per quem portatum fuerat tuum. & nunc quoque breuiter agam, multis meis occupationibus impeditus. Quotidie magis vbertatem orationis tuæ admirot, delectorque, agnoſcens quanta facilitate ſis ad ſcribendum, quantam gratiam, & quantam charitatẽ ſpiret locupletiſſimũ pectus. Sine aſſentatione hoc dico, neſcio quid in te prius admirer, eloquentiã, an doctrinam: an vero in amicos tuos etiam beneuolentię ſtudium. omnia perfecta ſunt, omnia meo Ricio dignã, quo quantũ exiſtimo, nil habuit ętate noſtra ſchola Papienſis pręſtantius. Quę de Principe tuo excuſas cum te audio, vera exiſtimo, cum pono epiſtolam, & oculos verto ad exempla ſingulorum dierum, omnis æſtimatio labitur. vt taceam cętera, vnum hoc edictum cognoſce, quod à Ducalibus quæſtoribus meis Vicariis eſt miſſum. Si eſſem ex infima plebe ordinis mei, nec imperioſius nec cõtemptibilius, nec minacius eſſe aliquid potuiſſet. nullus iſthic eſt hominũ delectus, nullus amicitiæ. æque habẽtur boni, vt mali.

Sola

Sola vtilitate probatur omnis cõiunctio. ſi celato Duce hæc in me fiunt, magna ſuorũ in Ro. Eccleſiæ Cardinalẽ licentia eſt. Sin volente, & conſcio, eſt quod tecum ante ſum lamentatus. non cõmittam, vt proiector dicar dignitatis acceptæ, aut patiar ſub meis Sfortianis agi, quod ſuperbiſſimi omnium Veneti in ſua ditione non faciunt, à quibus & Cardinales, & Cardinalium ſacerdotia, ſummo in honore habentur. nummum ii quæſtores me tradente, non capient. Poteſtas eſt Ducibus extorquẽdi quodlibet. Auferant quæ volunt, conſcientia mea contentus, reliqua permittam Deo, & Sedi Romanæ, cuius magis agitur publica res, quàm mea priuata. Quæſo te, ſi videtur, cum præſtantiſſima Duciſſa noſtra hanc indignitatẽ communices, & dolorẽ meum oſtendas, & lecto illi edicto, requiras num talia Cardinalibus amicis conueniãt. Extrema conditio, ad quam induci potuit Vaſinus, perſcripta eſt à me noſtris Albricis. Si ea reſpuitur, nihil eſt quod ſperari amplius poſſit. Fixit ille pedem, nec dimoueri ſuo loco patitur. Inter Antonium ex iudicibus & me, rogo ſine acceptione iudicium facias, & ſimul illud ſcripturæ attendas. Omiſſo iudicio non ſis in mala cauſa, vel pauperi miſericors, vel diuiti amicus. De vultu tuo iudicium prodeat, & oculi tui videant æquitates. Turonenſis tuus nouem iam interceſſores appoſuit, decimus tu es. quod Cardinales, quod Prælati, quod Dux ipſe tuus reſpõſum accepit: id tu tibi habeto mi Rici. Cœnobium hoc in portis Auinionenſibus eſt, commodum inæſtimabile habens. Si Auinioni ſit Pontifex, ſeruare illud in omnem euentum conſtituo. Vtinam augurer male, ſed ſi res noſtræ bene expendantur, futurum non longe proſpicio, vt illic nos compingi oporteat. Habes animum meum. Tu pro amicitia noſtra patri illi ſine offenſione reſponde. Ad ea, quæ apud vos habeo, addere glebulam vnam non ſtatuo. Sat negotii præſentia exhibent. Animus moderatus eſt. cura tot dignitatum peranxia, tum detractio, & inuidia ſemper parata. Fauebo Theanenſi noſtro vt mones, ſunt enim plurima in me ſuæ charitatis officia, & quæ ſcribis, nota illi primo alloquio faciam. Bene vale. Benedictio Domini ſit ſuper te, quandoquidem rectus es, & in eius ſemitis ambulas. De beneficiis Hieroſolymitanis reſcribit tibi Stephanus Robius. taceo ego, quia loqui ſine nauſea nequeo. Bene vale. Romæ. III. Maii. M.CCCCLXVII.

FRANCISCO PHILELPHO.

CXCIX.

Vide quanta vis ſit communium ſtudiorum noſtrorum, & quanta tua ſcribendi ſuauitas. Eram tibi antea ſubiratus, quod de Pio noſtro, & quidem mortuo eſſes meritus male. Nunc literæ tuę, eiuſdemque diſciplinæ ſocietas, pene omnem eam moleſtiam abſterſerunt. Te itaque amo, vt ante amabam, ferique idem à te plurimum lætor. curemus vt nulla noua intercedat calamitas. Quod accidet, ſi non ſtatim, vt in alterutro diſplicebit aliquid, capitale id æſtimabimus. *Fælices, inquit Flaccus, ter, & amplius, quos irrupta tenet copula, nec malis diuulſus querimoniis ſuprema citius ſoluet amor die.* Conarer & Senenſem tibi reddere, & cohortem omnem filiorum Pii, ſi tu ad me aliquid ſcribens Sterſicori palinodiam cantares. Quæ enim ſancto illi ſeni obiecisti, partim male perſuaſa tibi, partim ab aliis accepta deterius, errant lõnge a vero. Vere autem laudare quem falſo carpſeris, nec leue eſt viro bono, nec turpe. & tu eo ingenio es, vt cum ſumma commendatione vtriuſq; facti rationem honeſtare vel facile poſſis. Itaq; in hoc cogita. Rogo autem te mittas mihi ſcriptum indicem commentariorum tuorum, quos vel edidiſti tu, vel tranſtuliſti è Græco, vt maxime placitos, opera tua, impenſa mea, emendate iſthic curem deſcribi. Adiunge etiam quicquid verſuum, epiſtolarumq; extat. Bene vale Philelphe. Pientiæ die XVIII. Iunii.

IOANNI ARGIROPILO.

CC.

Neſcio quo animo filii tui obitum feras. ſi bono, eſt quod gratuler tibi, cui ratio medeatur, non tempus. Philoſophiæ tuæ hæc debetur conſtantia, cuius tota contentio mortis eſt commentatio. Sin te hominem præſtas, hoc eſt, preſſu-

ram doloris nō ſubſtines,quid ego breuis orę temptem epiſtola,quod Plato,quod Ariſtoteles,quod tota doctorum cohors,tot iam annos non poteſt? Diuturni propoſiti, non ſubitę conſolationis,eſſe id robur oportet.cōfido tamen,qua es ſapientia, tibi te nō deeſſe. Sed quod in libris antehac alios docuiſti,verioribus nunc experimenti tui argumentis probare,quam ob cauſam in conſolationem non ſcribo doctiſſimo pręſertim ſui temporis non neceſſariam.nihil enim dici de hoc genere poteſt, quod tibi non ſit,quàm cæteris notius. Tenes nil mali eſſe in morte, in ea pręſertim, quæ in Domino accidit. Noſti quoque vitæ noſtrę conditionem vapori aſſimilem eſſe, & quotidianis caſibus ſubditam, in eiuſque diuturnitate agenti ita dolores, & detrimenta,& luctus viciſſim contingere,vt longum iter habenti puluis, & lutum, & pluuia. Anaxagorici quoque dicti es memor: Sciſſe ſe genuiſſe mortalem. Q. etiam Fabii,Paulique Æmilii memoriam habes, quorum alter ſpectatæ virtutis conſularem filium extulit,alter vno ante triumphum: duobus poſt amiſſis filiis, in concione ita locutus eſt,vt conſolari populum,non conſolationem quærere videretur. Porro autem intelligis,quid nobis Chriſtiana lex iubeat, quid gentilis etiam dictet. In altera lugeri vetantur mortui, quoniam iam quieuerunt: altera lugendi terminum præfiniens fœminis,viris nullum præſtituit, quoniam & nullum honeſtum. Sola tantum officia,quę languenti,& mortuo præſtita ſunt,breui ſignificabo. non tam vt mœrorem,ſi quis eſt,per hæc tollam,quàm vt ea commemoratione intelligas, quanta hic in te,& filium inuenta ſit charitas. Doluit ſupra modum nefario ſcelere Paulus,nec ingemuit aliter,quàm ſi de filio nuncium id accepiſſet. Craſſatores anxia veſtigatione,miſſis qui ad vias exciperent, iuſſit conquiri. Requiſiuit etiam horis pene ſingulis,an aliqua vitæ ſpes haberetur, & excedenti peccata fragilitatis noſtrę indulſit. Ipſe vero Pater Nicenus,qui vulnera illius corde ſuo excepit, & conſolationem non inuenit,ſeptem adhibitis medicis,ab ore morientis nunquam diſceſſit: nullum leuaminis,aut miniſterii genus intemptatum relinquens, ſed contrahens vndiq; omnia,per quæ tam charo apud ſe poſito pignori ſeruari ſpiritus poſſet. Imprimis autem viaticum futurę quietis,plenum perfectumq;,ſenſibus adhuc integris, miniſtrare curauit,quod ille non minori religione accepit,quàm pietate pater tantus impenderit. In complexu deniq;,& benedictionibus ſuis Creatori animam reddidit. Eum porro defunctum fleuit omnis curia, atque ad ſepulchrum vſq;, non priuati alicuius,ſed Principis pompa eſt proſecuta, vt plane ſit indicatum, quanti filius, & in eo pater apud nos haberentur. Monimento autem intra Baſilicam Petri indultus eſt locus parte admodum celebri,quæ Caliſtum continet, eius nominis tertium, & nec niſi magnis indulgeri eſt ſolitus. Ad ſummos quoq; Baſilicę gradus qui extra veſtibulum ſunt: Vicarius templi cum omni ſacerdotum collegio, funebri ſolemnitate cadauer excepit. Si maius aliud potuiſſet conferri, contuliſſent libenter deſideria noſtra. dileximus etenim illum,& excellenti doctrinæ tuæ deberi iudicauimus omnia. Videns ego Nicenum noſtrum tanta affectum mœſtitia, vt ſine lachrymis ſcribere horum quicquam non poſſit, ne perirent apud te ſua,& cæterorum officia,commemoranda tibi ea putaui pernimium dolens, quod cui nulla antehac neceſſitas ſcribendi occaſionem attulerit, attulerit nunc hic acerbiſſimus caſus. In quo quęſo te,mi Argyropole, vt tui ſis memor, vtq; Xenophontis etiam facti imitationem tibi proponas. Etenim ille, vt accepta inter ſacrificandum morte filii, qui eadem qua Epaminondas pugna occiderat,coronam depoſuit,moxq; vt honeſtum exitum nouit, eam reſumpſit,ſacrificiumq; continuans ne lachrymatus eſt quidem: Ita tu ex me audiens Bartholomæum tum in fideli patris ſui miniſterio accepiſſe vulnus, & plenam religionis mortem obiiſſe:tum autem viuenti, & mortuo ſuprema pietatis opera cumulate indulta, ſi quam naturæ imperio virtutis vim poſuiſti, pari conſtantia recipe & homo Chriſtianus Chriſtum tuum ſancti Iob verbis alloquere: *Dediſti Domine filium,& abſtuliſti: factum eſt quod placuit tibi. Sit nomen tuum benedictum in ſæcula.* Vale. Romæ.

CARDI-

CARDINALI NICENO.

CCI.

SEcutus dignationis tuæ conſilium ſcripſi Ioanni Argyropolo de obitu filii: magis id agens, vt officia in ſe tua ille agnoſceret, quàm vt in tanta doctrina conſolationem a me vllam acciperet. diſtulit dies multos reſponſum: Credo propter animum nondum ex mœſtitia recreatum. reſpondit tandem, ſatis oſtendens quantum poſſit humanitas. Doleo vicē hominis docti ferentis mollius hunc eius caſum, quàm tantæ virtuti conueniat. Nicene mi, neſcio quo peccato frequenter à nobis diſcedimus, & in vmbra fortes puluerem, & ſolem ferre non poſſumus. Noſti lachrymas Demoſthenis ab Egina in Atticam reſpicientis, deliramenta Solonis, nuntiante Thalete filii occaſum: Ciceronis etiam gemitus, defunctam Tulliolam, & patriam amiſſam deflentis. nil illi eſſe languidius quicquam potuit. Sic ſe res habet. Auditores verbi tantum ſumus, non autem factores. Vapulabimus ergo plagis multis, quoniam voluntatem Domini agnoſcentes, illam non adimplemus. Mitto tibi exempla litterarum, vt ex meis promiſſum officium, ex illius vero multam ſine robore doctrinam intelligas. Vale. Romæ.

HIERONYMO RANVTIO BONONIENSI PHILOſopho, Medico.

CCII.

OMnibus literis tuis, quas ante hanc diem ſcripſiſti, reſpondi manu ſecretarii mei, parcens videlicet fatigatis iam, & pene emeritis digitis. Vltimis vero reſcribo aliena etiam manu, ſed noſtro ingenio. Cum enim poſtules grauia, reſcribi quoque grauius conuenit. de exercitibus vniendis idem ſentio quod tu: vniendi autem ne ſint, æque tecum ignoro. Inuolutus libris, & otio, quibus præter ſolitum ſine intermiſſione indulgeo, non veſtigo quid animi habeant, qui rerum nunc potiuntur. Requiris porro quid ſentiat Pontifex de operibus veſtris: Placeant, an diſpliceant, & miſſurus ne ſit in caſtra copias ſuas: Hieronyme frater, hæc rogo, poſthac à Papienſi ne requiras. Tenebræ vndiq; illi ſunt: ſolitus quoq; eſt, vt noſti, non temere aſſerere, quin & libentius audit quàm loquitur. Hoc tamen affirmo, dixiſſe illum priuatim, ac publice, à quo tempore præſentes motus ſunt inchoati, non probari ſibi Venetorum, & Bartholomæi conſilia, damnaſſe illa continuo vt intempeſtiua & peſtifera, neq; Italiæ modo, ſed fidelium omnium cauſæ aduerſa. Hodie quoq; eadem nobiſcum lamentatur, & gemit. Non conuenit de patre Chriſtianorum aliud, quàm quod auditur, credi à me. ex iis ſum, qui quod non mentirer ipſe, mentiri ſeruum ſeruorum Dei ſuſpicari non debeo. Legatum pacis cauſa Venetiis habuit. De pace etiam Præſulem Ferrarienſem ad Bartholomæum nunc mittit. litteris, & nunciis, & precibus non pepercit, vt quieti eſſemus. In tam continua voluntatis ſignificatione quid opiner, aliud quàm deſiderium pacis non video. Ago tuę diligentiæ gratias, qui nunciationibus crebris me excitas otiantem. Si non eſſes tu, raro, niſi quod habent compita perferretur ad me, putarerq; in rebus notiſſimis hoſpes. Beneficio tuo ſciolus videor, & inter anſeres ſtrepo. Peto maiorem in modum Papiēſi tuo hoc obſequium præſtes, quamdiu finitima erit pręſens turbatio. Varia pro affectu cuiuſq; referuntur ad nos, ſolis literis tuis fidem adhibeo. Verax enim es, nec vulgaribus rumuſculis caperis. Etiam rogo pro mea in te charitate, minutius quam facis ſingula notes, quæ videlicet copiæ noſtrorum, quæ hoſtium, qui duces vtrinq;, quæ caſtra, & quibus in locis, quæ oppugnationes, quę pugnæ, quæ cuiuſq; virtus, atque audacia, quæve ſint apud vtroſq; conſilia, quid agatis vos, quid agant moliantur-que cæteri, vera ſint omnia, nil voluntarium, nil factioſum, nil ex eo quod velles, ſed ex eo quod eſt. Cum hanc legem impleueris, vno officio implebis omnia, quæ conferri in me hoc tempore poſſunt. Non grauet te labor. amici eſt, non paucorum dierum, ſed longi temporis pro amico ſuſcipere vigilias. Admone poſtremo tabellarios tuos, vt quæ ſcribis, in meas, priuſquam in aliorum deueniant manus. Aliquando ab eo ſoluuntur redimūturq;, qui ſputis minutis alloquētes faſtidit. Hominē

Digitized by Google

noſti, & quidem eo tempore reddit, quo iam per vicos ſunt decantata. Nõ eſt operoſum venienti Bononia, & petenti ædes Reatini noſtri, ante fores Papienſis tranſire, qua via breuiſſima eſt, & tuas extra faſciculum reddere. Bene vale, & Patri noſtro communi me quantum potes commenda. Ex Vrbe, vltima Maii M.CCCCLXVII.

THEODORO PROTONOTARIO MONtisferrati.

CCIII.

EX vrbe ſignificaui tibi venturum me Senam, & ad voluptates eius loci te inuitaui. Sum igitur Senæ, adhuc reſponſum non habens. vel non accepiſti literas meas, vel nimium es occupatus, vel contemptui ſunt quæ ante placebant. Quodcunq; ſit horum, his ſecundis ſaltem reſponde, & de acceſſu tuo inſimul cogita. Eorum quæ laudare Pii temporibus ſolebamus, nil eſt immutatum. eadem perſeuerant omnia. Aer ſuauitatem priſtinam retinet. ager omnifariam oblectamentis abundat. Ciuitas imprimis gratia, & benedictione Domini eſt plena. Quodcunq; in tanta perturbatione rerum optare debemus, longe à belli ſtrepitu abeſt. deeſt ad ſummam conſolationem meam hoc tantum, quod nec te, nec quenquam alium habeo, quo cum aut iocari libere, aut ſuſpicari familiariter poſſim. Solus aduena ſum. Si aduenerit tua dignatio, communicandis colloquiis noſtris, & ducendis ſimul diebus, ac noctibus, quam pulcherrimum, & quam iucundiſſimum ſeceſſum agemus. Itaq; collectis ſine mora ſarcinulis aduola ad me, & quæcunq; te premunt, fratrum curæ dimitte. Erimus Senæ ad medium Octobrem, fruentes ſedulo nunc ciuitate, nunc agris. inde Romam petemus, erecturi opus tuę dignitatis, cuius iam pridem fundamenta ſunt poſita. Bene vale. Senæ die &c.

FR. GONZAGHÆ CARDINALI MANtuano.

CCIV.

QVanta ruina domeſticarum rerum ſecuta ſit poſt meum diſceſſum, ab exemplo literarum quod mitto licet agnoſcas. fugiens ad me Vicarius meus, adhuc grauiora his retulit. direpta ſunt omnia, mi Mantuane, & vexata. in forum producta, ac vendita. duriora non pertuliſſet rebellis quà m pertulit Papienſis, paternus Ducis amicus & Sfortianorum rebus ad factionem ſemper inſeruiens. Noſti ſpiritum meum, quàm vehemens pro eis ſedulo fuerit, & quàm propterea odioſus nonnullis. Adfuiſti quoque in conſiſtoriis noſtris, & vocis noſtræ teſtimonium habes. Nil meo iudicio eſſe vnquam amarius poteſt. Taceo tempora Pii, in quibus non modo imperator, extortorque fui deſideriorum ſuorum, ſed graues contentiones, graueſque inimicitias ſuſcepi, & pertuli. nota tibi ſunt omnia. Ex me nunc diſcant, qui Principum ſequuntur obſequia. vt nummo, ſic miniſteriis noſtris, ſuo tempore, non noſtro vtuntur. Bene Propheta: *Nolite confidere in Principibus, in quibus non eſt ſalus* Et, *Beatus cuius eſt nomen domini ſpes eius: nec reſpexit in vanitates, & inſanias falſas.* Amiſi præſentis anni prouentum, nec vnde viuam iam ſupereſt. amodo cogor vel mendicare turpiter, vel familiam ſic diminuere, vt iam mihi oneri non ſim, neque illis incommodo. Hoc poſtremum amplectar. Sed ô rem turpem, bone Ieſu! rem infamem! rem miſeram! rem ſacroſancto collegio noſtro ignominia plenam! Cardinalem Romanæ Eccleſiæ, membrum Pontificis, cuius dignitas antefertur Regibus, tanquam abiectæ ſortis rectorem, & taxari, & mandata à miniſtris indignis accipere, & carcere ad contribuendum vrgeri. Quid enim meo Vicario factum eſt, quod ipſi mihi factum non ſit? Tranſibunt, tranſibunt exempla hæc poſt paulo ad alios, lugebuntque ſua incendia, qui vicina nunc negligunt. Venetorum inultæ decimæ proximum Ducem ad hæc illexerunt: illicient & cæteros impunitatem præſentem videntes. Miſereatur noſtri Deus, & ipſe nos protegat, quando protegente nemine, ſacerdotia ſua ſancta diripi, & in prædam agi ſinuntur. Scio bonitatem tuam pariter mecum dolituram his rebus, magis propter publicam omnium rem, quàm propter priuatam amici. eam quoque ob cauſam impenſius

penſius ego contriſtor. Si ſubuenire iſthinc aliqua ratione potes, hoc quæſo fac, præſtantiſſime Pater. non quidem propter me, cuius priuata damna paucorum lachrymas habent, ſed propter Eccleſiam, in quam manifeſte hæc fertur tempeſtas. Ego hinc præſtare auxilium nequeo, præſidio omnium rerum deſtitutus. Oro tantum omnipotentem Deum, in cuius manu ſunt poteſtates, & iura regnorum, vt qui tam male de templo ſancto ſuo merentur, vel merentibus conſentiunt, peccatum agnoſcant ſuum, & mentem meliorem accipiant. Scripſi hæc volens non tam contriſtari tuam dignationem, quàm me conſolari. Ignoſce, ſi vexaui tuam quietem. Sum Senæ apud nepotes, & matrem, nil in tanta calamitate iucundum inueniens. Si eſt otium, reſcribe aliquid, & me commendatum habe. & has quoq; literas, ne quem offendat, apud te retine, vel conſcerpe, vel vre. Vale.

PAVLO SECVNDO PONTIFICI Maximo.

CCV.

VEhemens peſtilentia, quę his proximis diebus Pientiam, & vicina loca apprehendit, coegit me Senam recta via contendere. Itaque hic ſum cum familiola incolumis, ac (niſi quod in turba verſor libertati contraria) ad cętera amœnum ſeceſſum inueni. Habito in Cœnobio fratrum minorum, extra portam ouilem, in quo & aer patentiſſimus eſt, & libera euagatio. Ingreſſus vero hodie ciuitatem, quantum primo acceſſu deprehendi, conuerſam totam in deuotionem Beatitudinis veſtræ. Vix autem, Beatiſſime pater, ab equo deſcendi, cum ecce lætitiam diei corrupit plenum mœſtitia nuncium. Vicarius etenim meus, qui pro me adminiſtrabat Papię, relicta Eccleſia, & omni ſpiritualium, & temporalium cura, ad me trepidus fugit. fugæ autem ſuæ illa eſt cauſa, quod miniſtri Ducales omnibus quæ poſſideo, militum cuſtodia iam occupatis, & productis in forum, ac venditis quæ vbique condita erant, etiam edicto ſuo iniunxerunt, vt quocunque in loco inuentus is eſſet, caperetur ad carcerem, non aliam ob cauſam, quàm quod non habens vnde contribueret imperatam taxam, vt aliunde ſumeret, nimis aſſiduis vrgebatur, præferentes literas Ducis, in quibus hæc fieri præcipiebatur. Miſerandam profecto rem, & diu non intellectam. Initium quoque, vt video, perſecutionis noſtræ, & multorum malorum. Hæc tamen duritas non exercetur in me ſolum, ſed in cæteros quoque Cardinales, qui in ditione ſua beneficium habent. Doleo quidem, & ſupra quàm dici poſſit etiam doleo, non mea cauſa, cuius iactura eſt facilis, ſed magis ſanctę Apoſtolicæ Sedis, cuius nimium offenditur æſtimatio. Si in filios Romani præſulis, & in membra Vicarii Chriſti, & in eos quos Sanctitas Veſtra antefetri Regibus aſſerit, tanta licentia eſt, videndum amodo erit, quid in miſeros inferiores habeat fieri? Graue exemplum hoc eſt, atque omni diligentia retinendum, cuius poſt paulo imitatores noui non ſint defuturi. Video ex literis ad me miſſis rem multis in locis cognitam eſſe. quod certe eſt ad eadem mala prima aliorum inuitatio. Non erit poſthac Venetis iraſcendum, ſi eum honorem abiicient, quem huc uſque noſtro ordini habuerunt, nec admiranda aliorum nouitas, quæ in cęteris Italiæ locis, & in tranſalpinis nationibus contra ſacerdotium ſurgat. Dico iterum, Beatiſſime Paule, Non me priuatæ res grauant: grauat contemptus Cardinalatus, contemptus Eccleſiæ, qui, vt videtur, creſcit in dies. Gloria quoque temporum tuorum me angit, in quibus ſacroſanctum Collegium pariter cum abiectæ plebis hominibus in eandem taxam coniicitur, eadem mandata accipit, atque eiſdem vexationibus ad contributionem impellitur. Beatitudo veſtra, quæ ſummam habet poteſtatem omnium noſtrum, in magnis neceſſitatibus ſuis non modo non exegit à nobis, ſed vltro etiam nobis indulſit. Venerunt nunc gentes in hæreditatem tuam, & polluerunt templum ſanctum tuum, & nos lumina Sedis tuæ facti iam ſumus obprobrium hominum, & abiectio plebis. omnes videntes nos derident nos, loquuntur labiis, & mouent caput. Si qua eſt ſpes retinendi mali huius, ne in profundũ deſcendat, eſt in ſola Beatitudine veſtra, quam zelus domus Dei ſemper comedit, & quæ ſupra omnes Pōtifices honorum inſignibus extulit Cardinales. Eccleſia Papienſis Syro Petri diſci-

pulo dicata eſt.duo quoq; magnæ venerationis cœnobia, in quorum altero corpus ſancti Auguſtini conditum eſt,& titulum habet Principis apoſtolorum, vexata per iniuriam, Rectore & adminiſtratore nunc carent: quam placeant hæc Deo, perſpicuum eſt: quàm malarum rerum exempla præbeant, cognoſcit ſapientia veſtra. mihi ſatis eſt nunciaſſe quæ accidunt Patri meo,& Domino cuſtodiam eccleſiarum habenti. Si ſubuenire his calamitatibus poſſem,feciſſem iamdudum, ſed non poſſum, quod potui feci. Non literis,non nunciis,nō vllis obſecrationibus,ſcribendo, & operando peperci. Reliqua Dei ſunt,& Beatitudinis veſtræ,cui me etiam,ac etiam commendo. Senis die XI. Iulii. M.CCCCLXVII.

BAPTISTÆ ZENONI ET IO. DE MIchaelibus.

CCVI.

QVi primus verbo ad ſcribendum vos prouocaui, primus quoq; ad reſpondendū præſenti epiſtola voco. Statueram hanc totam æſtatem Pientiæ agere, vbi ad ducendos ſine tædio dies excogitatus à natura eſt locus. Peſtilentia ſubita, quæ id oppidum,& vicina quæq; inuaſit,coegit me Senam procedere. Itaq; hic ſum non tam voluntatem quàm neceſſitatem ſecutus. Valeo cum familiola mea, & cæteris omnibus præterquam ſolitudine,abundans. Optabam ſeceſſum extra frequentiam vt viuerem mihi,ecce in frequentiam inuadens,propoſitum tenere non potui. Sed vindicabo me in libertatem,quantum licebit. Opto vos bene valere, & eorum memores eſſe,quæ abeunte me Roma communicata inter nos pluribus ſunt. Studio Virtutis,& doctrinæ,nil,vel ad ſacerdotium benegerendum,vel ad iuuandam Eccleſiam,in qua nouellæ plantæ domino creſcitis,vel ad aſſequendos honores, vtilius eſt. Ad retinendam quoq; manſuetudinis & bonæ mentis æſtimationem, nil veſtra concordia, & mutuæ charitatis officio magis neceſſarium. Itaq; hoc agite fratres, & fructus oſtendite expectatione dignos,quæ de ambobus nunc eſt. Pontifici cōſolatio multa hinc erit,& mihi ſolidum gaudium,qui propter humanitatem,& clara ingenia veſtra,fraterne vos amo. Bene valete. Senæ.

FALCONI.

CCVII.

PIentia excluſus,quo me propinquante peſtis præuenit, neceſſario tractus ſum Senam. Si quæris quo hic animo ſim,verbo vno intellige,non ſatis quieto. Diſcedens vrbe propoſueram mihi libros, & otium: ſed veni ad eos, qui me quietum eſſe non ſinunt,& ſuperfluis peccant officiis. Cogito paucis diebus ad rem domeſticam datis,liberiorem ſeceſſum deligere, vbi nec domus

Mane ſalutatum totis vomat ædibus vndam:

Nec diei horæ operibus aſſignati,adeuntium moleſtia perturbentur. Eſt mihi & toti familiæ in reliquis bene. Commendo fidei tuæ Papienſem tuum, & deſideria ſua, quorum tu prope vnus & conſcius es,& familiaris interpres. Sub vigilia Falconis dormitant oculi mei, nil repentinum, aut meditatum eo cuſtode pertimeſcentes. Commenda me obſecro Reuerendiſſimo Patri noſtro Cardinali Auinionenſi,cuius ſalutem ſubleuet Deus manu miſericordi.& Triumuiratum quoque verbis ampliſſimis ſaluta ex me. Mellitiſſimo autem Mellino noſtro etiam dices: Mario filio quàm optime eſſe,vigilare eum ad fores meas quotidie, ac niſi quod patrem propter recentem litem Anaſtaſinam non audet profiteri, cætera libenter hic eſſe. Vale. Senæ.

CARDINALI ROTHOMAGENS.

CCVIII.

PErinde mihi ſunt Pontificis breuia, quæ ſcripta eſſe affirmas, vt medicorum argumenta morienti ægroto: eget ille rebus ad vitam,non ſyllogiſmis. ſic ego præſenti auxilio,non inanibus verbis. Poſt ſcripta illa congeminata eſt omnis impietas, & aucta calamitas. Audiens Carolum Cremonenſem, & quæ mihi nunciata nouiſſime ſunt,

me ſunt, plene agnoſces. miſereberis filii, videbiſque ſpem nullam in contentionibus verborum habendam. Patiebatur olim Cardinalis ſancti Marci, & miſſus ad Venetos eſt is, qui Pio noſtro ante alios chariſſimus erat: Patientibus nunc quatuor, breuibus poſſumus eſſe contenti. Grandes morbi leuibus medicamentis curari non ſolent. Miramur in dies ſi noua in Eccleſia detrimenta accipimus, cum nos ipſi detrimentorum cauſam præſtemus. Sacerdotes Dei ſimus, & ſpeculatores non cæci, & in tempeſtate Gubernatores non timidi, & canes non muti. Iam videbimus confuſiones has, quibus premuntur capita noſtra, in honorem conuerti, & metui eſſe, qui nunc negliguntur. Ego tamen, & quæ Pontifex ſcripſit, & quę tua charitas præſtitit filio, chariſſima habui, meoque Rothomagenſi innumeras gratias habeo: petens pro mea in te obedientia & pro noſtro iucundo conſortio, Papienſem tuum in ſuprema ruina non deſeras. Bene Vale. Senæ.

DONATO ACCIAIOLO.

CCIX.

SEnam venientes extulimus nobiſcũ Campanus & ego libellos tuos, qui apud me erant. In quorum altero vita erat Demetrii Regis in Latinum conuerſa: In altero Caroli Magni tua opera ex diuerſis collecta. Delectauit ea lectio vtrunque noſtrum non mediocriter: me quòd antiquę inſtitutionis noſtræ ſum contemplatus veſtigia: illum quòd rem cognitu dignam, & tamen antea ignoratam, totam agnouit. Quam ob cauſam iter agentes, multa de te inuicem ſumus locuti. Campanus, cuius eſſe acre iudicium cognoſcis, ingenio tuo tribuit multa. Ornatum laudat, & genus dicendi illuſtre, ac purum. Memorat quoque humaniſſimis litteris à te prouocatum nondum reſpondiſſe, ſed reſponſurum breui cum fœnore, quando domeſticis occupatus facere id ante eam diem non potuit. Hortor Donate, vt quæ inter vos iaciuntur beneuolentiæ ſemina, colas in dies ſedulitate officiorum tuorum, inque eo promerendo nil prætermittas. Eſt ſummæ virtutis, laudiſque Antiſtes, qualem noſtra ætate commendatione vitæ, oratione, ac verſu, alterum pręferre non poſſum. Coniunctio talium ornamento eſſe tibi poteſt, & ſtudia adiuuare, quę magno conatu perſequeris. In eo autem tibi iungendo opera non erit difficilis. nam & ad beneuolentiam ſua natura eſt pronus, & me referente tanta de te cognouit, vt putem obuiis manibus acceptarum eſſe quamcunque ei obtuleris diligendi occaſionem. Eſt futurus Senę hanc totam æſtatem. Si in hac loci propinquitate tuo commodo viſere hominem poſſes, puto ad confirmanda omnia inter vos vtilem rem faceres. Sed perturbata in hoc tempora conſule, ne forte nimius libero animo nobiſcum agens quam velles, non tantũ pręſtares de te, quantum acceſſu tuo nunc quęrimus. Si es venturus, affer tecum commentariorum partem aliquam, quos in Ariſtotelis Ethica edidiſti. Videre illos ambo optamus. Vale. Senæ.

PAVLO SECVNDO PONTIFICI MAX.

CCX.

AVdiens Ducem Mediolani veniſſe Florentiam, illuc ſtatim contendi, non deprecandæ ſolum ruinæ, quę in beneficiis meis maior quotidie fit, ſed voti inprimis ſoluendi, quod triennio ante Spoleti languens Annunciatæ virgini voueram. In altero religioni plene eſt ſatisfactum, in altero quid impetrarim vix ipſe intelligo. Bis iuueni ſum allocutus: ſemel domi Petri de Medicis, apud quem habitat, iterum meæ. Primum colloquium, quod præſente Petro eſt habitum, nil niſi communia habuit. Poſtulauit tantum Dux, num creandos his temporibus Cardinales putarem, & quos crederem in animo eſſe Beatitudini tuę. Item qua ratione ego humili loco natus in hanc dignitatem veniſſem. In ſecundo vero ptiot ipſe de rebus meis agere cœpit, inuehens multa in Vicarios, quos Papiæ habueram, & volens excuſatione tacita in eos reiicere quæcunque à miniſtris ſuis in me eſſent peccata. Popoſcit quoque vt illuc mitterem nouos, qui vt ipſe aiebat, rectius honori meo conſulerent. Cum ego de illorum innocentia dicerem multa, & narrarem quãta impietate à Magiſtratibus ſuis laceratæ eſſent Cardinalium Eccleſiæ, quæ in ſua ditione ſunt poſitæ, adderemq; quam

propterea offenderetur & tua ſanctitas, & collegium filiorum tuorum, hoc tantum reſpondit: durum eſſe non adiuuari eum à nobis in neceſſitatibus ſuis. Repetente iterum me, nec charitatem Beatitudinis tuę, nec noſtra officia eo tempore defuiſſe ſibi, in quo grauius periclitatum eſt de ſumma rerum ſuarum, & indignitatem monſtrante taxandorum, cogendorumq; Cardinalium, pariter cum infima plebe clericorum, ſubridens quæſiuit quantum à miniſtris ſuis exactum eſſet vſque in præſentem: cum negarem ſciri hoc poſſe à nobis, quippe expulſis Vicariis noſtris nemo ibi reliquus eſſet, qui ſignificare aliquid poſſet: ſed affirmarem, quęcunq; inuenta eſſent, direpta eſſe, & vendita, pecuniamq; omnem à locatariis præſenti anno, & pręterito debitam, magnis coactionibus coactam, anticipatamq; eſſe, nullam animi ſui offenſionem demonſtrans, alio deriuauit ſermonem, multa de rebus Italicis loquens. dicente autem illo, & tacēte me, cum prope iam duæ horę eſſent conſumptæ, & ad diſcedendum ſe præpararet, quęſiui quid de beneficiis noſtris decerneret. num diripi amplius vellet, an extremum illis ſpiritum reſeruari. *Scribam*, inquit, *meis*: nec aliter declarare animum voluit. Itaque ſi ſpes aliqua ex acceſſu meo eſſet ſuſcepta, hunc ſciat Beatitudo tua profectionis huius fructum fuiſſe. In multa eius oratione ingeniũ in *Iuuene* noui, & linguam ad dicendum paratam: & iudicium acre, & plurimarum rerum memoriam, tum autem ad ſcienda quæ vbique agantur indefeſſam ſolertiã. Ita multa de rebus tuis, & noſtris, etiam iis quę ſub arcano erant, expeditiſſime retulit: vt mirer, cuius vel improbitate, vel negligentia ea effluxerint. In iis vero, quę de Italicis contentionibus retulit, magnum pacis deſideriũ, & pericula innumera oſtendit, quę continuante bello euenire poſſunt Eccleſię. Exitus fuit, vt rogaret commendare Beatitudini tuæ communem pacem, & res ſuas priuatas quod deſiderium apud Florētinos, & Senenſes inuenio: apud quos omnes ſic egi cauſam laborum, quos pro ſtatuenda pace biennio iam pertuliſti, ac ſic eorum animos ad bene de te expectandum firmaui, vt habitę mihi vtrobique ſint gratiæ, nec ego immemor inuentus ſum officii mei. Summa hęc eſt factorum, & dictorum meorum: quam ideo ferendam minutius duxi, quod ſemper boni Cardinalis eſſe putaui, quęcunq; audit, vel loquitur, patri, & Domino communia facere. Triduo enim Florentię fui: quo ſpatio tanta amoris ſignificatio priuatim, ac publicę facta eſt, vt vehementer ſim admiratus. quem vero exitum habitura ſit de rebus meis iterata Ducis promiſſio, plurimum ambigo. Spes omnis in tua Beatitudine eſt, quæ niſi ſubueniat grandem calamitatem hoc exemplo ſuſceptura Eccleſia eſt. Afflicti miſerandum in modum quatuor Cardinales ſunt: ſed hæc maior mihi quàm cæteris eſt illata calamitas, quod aliunde illi habentes ſubſtentationem ad vitam, vna tantum in re iacturam fecerunt: ego vna direptione cuncta amiſi, nec niſi in diminuenda familia refugium habeo. Mitto his incluſas litteras Cardinalis Senenſis, vt eas intelligens ſancta tua Dignatio, iudicare facilius poſſit quod in meis factum ſit, quæ propinquiora ad prædam ſunt, quando in longinquioribus tanta eſt ctaſſata crudelitas. Dies mali ſunt, beatiſſime Paule, & peiores aduenient. Miſereatur noſtri omnipotens Deus, & de excelſo ſancto ſuo reſpiciat nos. Senæ xxviii. Iulij M.CCCCLXVII.

CAROLO SALANDO CREMONEN.

CCXI.

QVid egerim acceſſu meo ad Ducem, ab exemplo litterarum intelliges, quas ſcribo Pontifici. Res ita eſt geſta, vt narro. Additum à me nihil eſt, aut diminutum. Cura vtramq; epiſtolam in tempore reddi: ſed eam quę vetuſtior eſt, & crucem habet à tergo die vna prius: alteram vero poſterius. De reſponſo non eſt quod magnopere ſollicitus ſis: aut enim hæc curantur, aut non: ſi curantur, etiam ſine tua opera fiet quod expedit. ſi minus, omnis diligentia ſuperuacua eſt. Mitto tibi etiam exempla calamitatum noſtrarum, quę quotidie a Sacerdotiis noſtris afferuntur. Eiuſmodi ſunt, vt expectanda a Turcis grauiora non ſint. Feramus patienter omnia, & præſtolemur eum qui dixit: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Poteris, ſicubi vtile eſſe iudicabis, illa oſtendere. Viſita nonnunquam Rauennatem noſtrum, & dolorum meorum facito illum participem. Vigila ad rem Priuernatem, & quantum potes attende, ne Papiæ afflicti, etiam ſubditione eccleſiæ eundem caſum feramus. Scribet patruus tuus, quid agen-

agendum in nonnullis exiſtimet. Sequere conſilium eius, ſi illud tu vtile putas. De re domeſtica, non eſt quod admoneam te: ſcio frugi homo es, & mihi affectus. Similis tui eſto, & errare non poteris. Audio Chriſtophorum noſtrum ad mortem languere: ſi ita ſit, doleo non mediocriter. Quacunque in re potes caſum illius adiuua. Si Domini voluntas ſupra remedia noſtra eſt, age cum Patribus meis, Rotbomagenſi, & Auinionenſi, vt plebs illa, quę ducentorum aureorum eſt ſingulis annis, commendetur mihi in his rebus afflictis. Leuamen aliquod erit nuditati, in quam duritas me aliena induxit. Allegari certa familiaritas poterit. Fuit non obſcure Capellanus meus, & aliquando domus magiſter. Vide ne noſtras manus effugiat, quoniam & rebus his noſtris aliquando compoſitis futura eſt tua: ſic enim eſt mens. Scribo Pontifici ea de re. Reliqua tuæ diligentiæ erunt. Ieiunus es in ſcribendo, omnia nuntia etiam minutiſſima quæque, & vale. Falconem noſtrum etiam atq; etiam meis verbis ſaluta. Ad eius ſuauiſſimas litteras nil reſponſi nunc do, plurimis impeditus. Hanc dilatiunculã granditate epiſtolę compenſabo. Ambo beneualete. Senæ vltimo Iulij M.CCCCLXVII.

Hortor Pont. ad mittendũ vnum ex familia ſua, qui nomine ſuo apprehendat poſſeſſionem beneficiorum noſtrorum, vt minus prompti ad iniuriam Ducales ſatellites ſint, & addo, daturum te iſthic impenſam ad iter vſque Papiam. Itaq; ſi hoc factura eſt Sanctitas ſua, tu quoque facito ſumptum. Perquam vtile conſilium puto ſi fiat.

M. EPISCOPO VICENTINO.

CCXII.

AModo non tanto metui mihi ſunt Turci, quanto antea erant. Chriſtiani eadem operantur. Diripiunt illi vexantque Eccleſias, hi non ignauius craſſantur in ſancta ſanctorum. Hoc ſi mitiſſimæ menti tuę durum videtur, audi cum à quo præſentes reddentur, & exemplo inſpice litterarum, quæ idipſum ſignificant: noſces à vero me non errare. O rem miſeram dignamque Ananiæ, & Zaphiræ exitu! Non me grauant domeſticæ res quanquam calamitoſæ ſint. Illud premit atq; incendit, quod in totam Eccleſiam hęc protenditur ſtrages. Paulatim ſumus obprobrium hominũ, & abiectio plebis. Noſti quid Clerus Venetus ſit proxime paſſus: ad vicinos Inſubres lapſa eſt indoles ſceleris. Florentini idem nunc cogitant. Audiente me, reclamante, & reprehendente non religioſiores ſe futuros, dixerunt Duce, & Venetis. Erramus vehementer, ſi damnaturum regem conſilium hoc credimus, aut nõ tranſcenſurum Alpes putamus. Ita vno ex loco malum exoriens, totam mox apprehendet Eccleſiam. *Quid,* inquies, *agendum exiſtimas*? quid oro aliud quam flendum continuo? & orandum Dominum Ieſum, vt placatus peccatis ſacerdotum ſuorum, gentem ſuam in lachrymabilem direptionem non det? Scio Pontificem noſtrum ſupra quam dici poſſit ægre hęc ferre, & temporum conditione non poſſe quæ vult: eſt enim mens eius ad libertatem Eccleſiæ nata. ſi quid tamen rogando, & monendo illum poſſe intelligis, hoc tua impetratione damnis publicis præſta. Seruis priuatę cauſę, cum curas communem. & ad hoc Deus tibi gratiam dedit in oculis Pauli, vt ſubuenires clamantium vocibus. Ego vt verbo vno ſortem amici tui agnoſcas, prouentum omnem pręteriti præſentiſque anni amiſi, quæ calamitas cæteris, quæ taceo, comparata, adhuc mihi tolerabilior eſt. Mœſtus, & dolens hæc tecum ſum queſtus. Quæſo apud te omnia ſint. Accipienda hoc tempore, & muſſitanda iniuria eſt. faceret eam iterum, ſi feciſſe crederet. Bene Vale. Senæ penultimo Iulij M.CCCCLXVII.

CARDINALI THEANENSI.

CCXIII.

EXpectaui continuo Dignationem tuam, ſicut inter nos erat conuentum, & tamẽ poſcentibus noſtris peccatis, non veniſti huc vſq;. Maluiſti caſum peſtilentiæ domeſticum expectare, quã deſiderio filii tui facere ſatis. Nimis Viterbienſe cœlum te cepit, & nimis antiquæ conſuetudinis memoriam tenes. Senæ tuę oblitus, Bagnariã, ſicut audio, delegiſti, in qua te, & familiam oblectares. quid tam male ii ciues de te meriti ſunt, vt fugiendos tibi eos exiſtimes? an neſcis parentem Reipublicæ huius te eſſe, & directorem haberi in omni ciuitatis fortuna? Sic me amet perpetuo Deus, &

ſecunda omnia tribuat, vt ego hic & celebrari, & in grandi veneratione eſſe nomen tuum inuenio. Requiritur a me horis pene omnibus venturus ne ſis, & quãdo id erit quod cis de te repromiſi. Pater quoq; Bartholomæus, qui aliquãdo eſt mecum, & tua affinitas vno ſtudio aduentum hunc præſtolantur. Quem quid tardet non video. Aër ſaluberrimus eſt. Æſtus longe remiſſiores quam alibi. poſt leue autem contagium, quod ab initio cum huc veni vix eſt intellectum, ne ſcintilla quidem continuationis eſt viſa. aſſunt affatim ad victum omnia, gelidæ aquæ, & puræ bibuntur. Gelidiora etiã vina ex tophinicis cellariis prompta. Matutinis quoq; horis luſtraui nonnunquam circumſtantem ag umnihil, mi Theanenſis, ad aucupia & piſcationes tuas, meas quoq; venationes excogitari accommodatius poteſt. Vicina etiam loca, & religioſorũ cœnobia gratam viciſſitudinem præſtant. Profecto aut loci amor me fallit, aut amplitudo tua errat iudicio: angulus vel minimus ſuburbani Senenſis toti Viterbienſi territorio eſt præferendus, vbi & continua ſulphura, & arboribus nuda planities quid grati habeant neſcio. Quam ergo veniẽdi fidem non obſeruaſti, amodo ampliſſime pater implendam tibi exiſtima. Inuehere præſens, quę abſenti non ſcribo, & profecto ſi recognoſcere propius charitatẽ domeſticam volumus, debentur iis qui nos genuerunt, & qui noſtri ſanguinis ſunt, hæc conſolationis officia. Grandæuus pater, qui ſola tui auditione ætatis vim ſuperat: Item frater, & nepotes, & domus tota, ad laborũ ſolamen, & vires, hanc lętitiam pet multi exiſtimant. eſt nobis ignotum quamdiu habituri eos in hoc ſæculo ſimus Eſſet mentis triſtis aculeus exceſſiſſe patrem è vita, qui nõ potuiſſet auctorem fortunarum, & domeſticę gloriæ, ante obitum cernere, cum tamen in propinquitate loci id facile fuerit. Quin & ratio noſtra, Pater ampliſſime, in hoc ipſo habenda eſt tibi. Senenſi, qui propediem futurus hic eſt, quique ad aquas Piſanas non plene eſt confirmatus, te præſente eſt opus, vt videlicet communicatione umniũ voluptatum à triſtitia illa ſua, & ſuperciliorum nube, quę animam grauat, ad hilaritatem illum traducas, quæ quidem vna ſi quando caſu aliquo accidit, plus ægram valetudinem recreat, quam mille medicorum remedia. Ego quoq; ſi in meis neceſſitatiis conſilio tuo vllo tempore egui, imprimis certe nunc egeo. Perditis enim & afflictis, & miſerandum in modum vexatis omnibus, quæ in ditione mei Ducis poſſedi, conſolari me ipſum vix poſſum Non aliter in caſtra hoſtium ſęuitũ eſſet, ſi eſſent deuicta, quam craſſatum à ſatellitibus eius eſt in Papienſem eccleſiam, & in duo tantæ venerationis cœnobia, ex quibus, vt plus ſcias nõ Vicarii modo, & villici, & cuſtodes, ſed monachi quoque eiecti crud liter ſunt. Quam calamitatem ne propriam mihi eſſe exiſtimes, ſcito & Bon nienſi noſtro, & Senenſi eſſe communem, cuius quidem Prior conuentus innocens homo & mitis, in prima direptione transfoſſus eſt gladio. Veniens itaq; ad nos eris malorum noſtrorum leuator, & ſolamen quod in nobis inuenire non poſſumus, accipiemus a te. Recreabis quoque languentes ſpiritus noſtros: Imprimis autem iudicio quo plurimum vales, & auctoritate, qua apud Ducem, & Comitem Vrbinatem præ cæteris potes, ſaluti eris ambobus. Ego enim Florẽtiæ bis illum proxime allocutus, quid boni retulerim neſcio. Itaque Dignationem tuam precamur, vt venias. Incides quoque in celebritatem Beatæ Matris in cœlum, quam & ſolemnem hic agi ſcis, & à lætis ſpectaculis non alienam. Ouidiano verſu epiſtolam claudam, *Nil mihi reſcribas: attamen ipſe veni.* Vale. Vltimo Iulij M.CCCCLXVII.

PONTIFICI PAVLO.

CCXIV.

QVotidie magis, non à Vicariis meis, qui nulli iam ſunt, ſed à ciuibus Papienſibus certior fio, res omnes cœnobiorum, atque eccleſiæ crudelius lacerari. ſunt enim vacua adminiſtratoribus omnia. nec quiſquam in tanta acerbitate pœnarum manendũ ſibi putauit. Superfuerat iuuenis vnus ad cuſtodiã domus epiſcopalis relictus: Is quoque ſub mulcta aureorũ mille iuſſus ire Mediolanũ ad accipiẽda edicta Thomę Reatini Iuliano apoſtata ſæuioris, omnibus derelictis, amicorũ beneficio latet. Mitto incluſas litteras eius ad me, in quibus propter continuam quæritandi diligentiam, nec nomen loci eſt, nec amicorum, apud quos deliteſcit. Io me autem quam in cæteros Cardinales durius hic ſatelles cruſtatur, quod cęterorũ Sacerdotia procul Mediolano

ſunt,

ſunt,mea in oculis. Parata direptio animum illi facit ad facinus promptiorem. Confuſus ergo,Beatiſſime Paule,tam triſti facie rerum, quid agam ignoro. Nihil me turbat,quod carnem, & ſanguinem ſapiat. vulnera cordis mei ſunt, euerſio rerum, quas tanto annorum multorum labore cum gloria ſacerdotali compoſueram. Breuis hora cuncta diſſoluit. Qui prædiis occupatis iam ceſſarant poſſeſſione, in veterem occupationem nunc redicre. Qui venerabantur,obſeruabantque dignitatem ſacerdotiorum meorum, fortunam ſecuti, incommodorum omnium ſunt adiutores. nemo ibi pro me eſt:alienigena ſum,nec cognatum habens, neque affinem, cuius communis offenſio conſideratiorem Ducem ad iniuriam faciat. In tam afflictis rebus vna tantum ſalus occurrit, qua mihi non præſtita, finem miſeriarum non video. Ea vero, beatiſſime Pater, ſi ſancta dignatio tua aliquem ex ſua familia mittat, qui nomine tuo poſſeſſionem omnium apprehendat, & tamdiu temporalia, & ſpiritualia inſimul adminiſtret,donec tempeſtas hæc tranſeat,& quietem capiant mala præſentia. Credo quod me nunc habent ludibrio,reuerentes nomen Pontificis continebuntur,nec extremum interitum quærent. Neque vero timor impenſę vllius hanc diligentiam tardet: Curator domus meæ Carolus Cremonenſis, quem Romæ dimiſi,ſumptum præbebit vſque Papiam,reliqua adminiſtrator ipſe ſibi ſumet in dies. Quæſo per immortalem Deum conſilium hoc ſerui tui non negligas: meum enim ſolum non eſt. Idem ſuadent, qui ex locis illis clanculum ſcribunt, quippe præſentem rem intuentes monſtrant remedium, quod poſtremum eſſe intelligunt.nec me, beatiſſime Paule, tacita cogitatio tua accuſet. Poteras Papienſis contribuere ſimul cum cæteris. Quondã & Cardinales Principes ſæculi in neceſſitatibus adiuuerunt. duorum miliũ ſumma te his calamitatibus eximebat. Malo iterum,atq; iterũ malo, cum ſacerdotiis meis me perditum iri, quam tam iniquum exemplũ Patribus mei ordinis inſtituere. vbi enim imperatam taxam voluntarius nunc ſuſcepiſſem,ſuſcipiendã quotannis videbam in omnem neceſſitatem quãtumuis exiguam: nec habituram vllo tempore finem. Adhuc ſatius eſt ſemel, atque iterum per violentiam diripi, quam indigniſſimum tributum ſubire. Illud non ſemper audebunt: hoc tanquam regale Ducalis ærarii in æternum requirerent. Natus humili loco ſum,non tamen humilem animum gero. Sequutus eius exemplum, qui dixit: *Zelus domus tuæ comedit me*. Propoſitum teneo,non ſacerdotia modo,quorum occaſu non occidet fides,ſed hunc ſanguinem, ſpiritumque ſine metu proiicere. Temptaui, & tempto cum Vicario Chriſti præſentibus malis medicinam apponere, maiorem quam implorem non habens. Si ea naſcenti malo ſubueniet, laudem Domino dabo. Si minus,etiam voluntati ſuæ me accommodans,pro omnibus, quæ accident gratias agam. A ſeruo tamen ſuo hoc,quod dicam, ſapientia tua benigne accipiat. Videndum deinceps eſt, Paule, quantum ſæculari poteſtati in ſacerdotes ſit concedendum. honeſtis cõceſſionibus noſtris abutuntur illi ad ſua arbitria, omnemque quantumuis leuem prętextum, grauiſſimas ad perſundandum faciunt cauſas. Indulſit Duci meo tua benignitas, vt ſi qui ex clericis ſuæ ditionis ſponte afferre quidpiam vellent ad ſubſidium belli, impune id poſſent. Ea tamen conditione, vt idipſum certis ex promiſſionibus redderetur in tempore. Ecce indulgentiam tuam excedens ille, grandi inſtituta taxa vnicuique ſummam indicit, inopeſq; & inuoluntarios per violentiam cogit.ac ne quid licentiæ deſit, membrum myſtici corporis tui, ſanctę tuæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales non cogit modo, ſed in prædam turpiſſimam agit.Eadem de reſtituendis pecuniis tibi ſit ſpes, quæ de exigendis eſt nunc conſolatio. vt promiſſam conferendi libertatem non ſeruat, ſic reſtituendi fidem non obſeruabit. Multa eſt bonitas tua, vt video, & ex teipſo metiris Principes ſæculi. Sed iudicandi illi ſunt ex operibus eorum, quæ videmus quotidie, non ex manſuetudine noſtra. Venetorum inultæ decimæ has nunc anguſtias in locis proximis faciunt,& facient poſt paulo in aliis. Putant quippe homines ex officio fieri quicquid fit vicino exemplo. Det veniam dolori meo tua compaſſio, ſi feruentius loquor. Rerum indignitas,& amor Eccleſiæ,& gloria temporis tui ita me cogunt. Senæ xxx. Iulij MCCCCLXVII.

CARDINALI RAVENNATI.

CCXV.

MOx vt Senam acceſſi, ſignificaui tibi vt valerem ego & ii, qui tui nominis cultores hic ſunt. Dixi etiam quanta beneuolentia ab his ciuibus eſſem ſuſceptus. Litteras ferendas dedi Abbati cuidam Burgundo,qui viſurum ſe Romę tuam dignationem dicebat. Ex illa die nil amplius ſcripſi, nolens quem diligo vt parentem, contriſtari miſera ſignificatione rerum noſtrarũ. quid enim in tanta iactura poſſum, niſi dolendum,& lachrymandum ſcribere? Verum quia, vt à meis diuulgata iam Romæ ſunt omnia,ne tu aliis loquentibus, me tacentem mireris, paucis filii calamitatem intellige. Ducis mei imperio loca omnia Papienſis Eccleſiæ, & cœnobiorũ quæ teneo, plena militibus ſunt.diripiuntur non aliter,vel direpta iam ſunt,quam ſi eſſent hoſtiũ caſtra.quæcunque condita erãt, & ab aratoribus debebantur vel locatariis in annum preteritum,& præſentem,magnis coactionibus exacta,anticipataq; ſunt. At quo impunius,& liberius omnia fierent,eiecti curatores,& Vicarii. Monachi quoq;,qui administrabant diuina. Vacua ibi ſunt omnia.non rector eſt: non domeſticus quiſquã, qui nedum ſubuenire,ſed ne ſignificare quidem quotidianum aliquid poſſit.Certior à nonnullis Papienſibus fio,non reparatum iri biennio, quod Ducis ſatellites paucis exterminauerunt diebus. Audiens ego illum eſſe Florentiæ, acceſſi ad eũ,temptaturus,num retinere hunc impetum ratione aliqua poſſem.Bis,mi Rauennas auditus,ſic anceps remiſſus ſum,vt quod retulerim neſciam. hoc ſolum loquente illo deprehendi:nihil ſe ignorante,aut non iubente eſſe admiſſum.Sortẽ conſimilem Senenſis pertulit:in eius Terdonenſi cœnobio non modo direpta ſunt omnia, ſed conuentus Pater ſacerdos,& monachus in ipſa direptione occiſus. voluntate Ducis, an impulſu alieno facta hæc ſint,ſcit Dominus abſconditorũ inſpector:ego id neſcio. Multa tamen, vt noſti,quę ſuſpicer habeo. Cuiuſcunq; culpa exemplum tam noxium factum in Eccleſia ſit,grande nimirum peccatum eſt, relinquendum iudicio eius qui dixit: *Mihi vindictam,& ego retribuam.* Quanquam vero hęc ita ſe habeant, amantiſſime Pater,& vna impietate biennii prouentibus ſpoliatus ad mendicitatem impellar: non tamen mente deficio,nec impatientius fero hunc caſum,quam dignitati meæ conueniat. Id modo me angit, quod redempta magnis laboribus, quod ad diuinũ cultum bene inſtituta,quod laus adminiſtrationis rectę,annis iam pluribus parta, breui hora ceciderunt.Peterẽ vt in tantis malis mihi eſſes ſubſidio, ſed poſt ruinam nõ eſt iam ſubſidio locus. Hoc tantũ quæro his litteris, vt Papienſis tui miſericordiam habeas,& preſentes litteras nulli communices. Potentiorum iniuriæ,inquit Seneca, hilari vultu,non patienter tantum ferendæ ſunt. Facient iterum,ſi feciſſe crediderunt. Vale. Senæ 11. Auguſti.

PAVLO SECVNDO, PONTIFICI MAXIMO.

CCXVI.

QVantum breuia tua ſubuenerint domui Dei, cuius tu imprimis es cuſtos, vide, beatiſſime Paule,ex exemplis litterarũ,quæ xxviii. Iulij ſcribuntur ad me. Mitto ea Carolo Cremonenſi Accolito tuo, vt ſi velis poſſis inſpicere. Creuit in dies magis vexatio mea, nec vlla calamitas habitura finem videtur. Taxa Romani tui Cardinalis ad milia duo erat indicta: Præſens direptio,quatuor iam multo excedit. abſorpſit vna ingluuies prouentum omnem præteriti anni,atque præſentis. Thomas Reatinus tuæ ſanctitatis ſubditus, & fratrem in curia habens ſcriptorẽ Apoſtolicum: male imperata deterius implet.Ille eſt,cuius impia opera calamitoſius exercentur omnia,atq; in pręceps aguntur. Appoſuit de ſinu ſuo emptorem, qui quam minime æſtimet quæ rapit:Ipſe quam multo poſtmodum vendat.de me obloquitur. Te nõ reueretur. Vina omnia, quę in Cœnobio ſancti Victoris condita erant, domum ſuam in ipſis doliis tranſtulit.olim quoque,vt retuli tibi,citauit ad ſe ciues nonnullos meos Papienſes, & carcerem eis eſt minitatus: quia ſententiã tui breuis ſeruantes, publice in Cathedrali eccleſia deportoriis a Clero exactis veniam coram Vicario popoſcerunt, iurarunt q; deinceps ſe non exacturos. Ipſi quoque Vicario contumeliis multis vexato, grauiora denunciauit,ſi à mandatis tuis non abſtineret. Quæ maiora,ô Paule,adueniente Turco ex-

co expectamus? An non eſt hæc immanitas omni barbarie ſęuior? Verbis iam meo iudicio opus non eſt: inania ſunt, & vacua. aſſumenda amodo ſunt arma iuſtitiæ, & virga Apoſtolica vaſa figuli confringenda. Procraſtinando & indulgendo aluimus iã multos annos Tyrannidem in capita noſtra, & in dies alemus, niſi ſacerdotes eſſe cæperimus. Scripſi Beatitudini tuę de vno aliquo ex familia tua Papiam mittendo: perſeuero in eadem ſententia, & precor vt fiat: Indicans hoc ſolum ſupereſſe ad meam ſalutem. neq; Angelus Sutrinus iudicio meo eſſet inutilis: prudens enim eſt, & cautus, & pręceptorum tuorum obſeruans. me quoq; in hac antiquitate Curiæ agnoſcit. Non magis tamen hunc, quàm qui tibi placuerit quæro, dummodo tuus ſit, ad rem mihi eſt ſatis. Ex ditione tamen Ducis neminem probo. experimento veteri hæc dico: vel metui ſeruire cogetur, vel gratiæ. Memento, Paule, Vicentinæ perſecutionis tuæ, & charitatis, quam tibi Cardinali præſtitit Pius: Fratrem ſibi chariſſimum & ſecretarium quotidianæ neceſſitatis, valentem apud ſe gratia, ante alios, quo maior eſſet auctoritas, ad tuos Venetos miſit, & felix fuit opera ſua. Non peto tantum pro antiquo filio tuo comparticipi olim anxietatum tuarum, puſillum aliquid peto. Senæ. v. Auguſti. 1467.

CARDINALI NICENO.

CCXVII.

INtelligo, Reuerendiſſime Pater, quæ acta in Conſiſtorio ſunt ad redemptionem meæ, immo communis omnium noſtrum iacturæ. Habeo gratias Pontifici noſtro pro iis, quæ ſcripſit ad Ducem. Ago & charitati tuæ pro omnibus quæ pręſtitit filio. Plena pietatis ſunt omnia, & certe opportuna ad rem, niſi iam cuncta vna procella abrepta, diſpulſa, & diſſipata miſerrime eſſent. Reliquæ iam nullæ ſunt, quibus poſſit intendi. Præteriti anni, & præſentis abſorptus eſt omnis prouentus. De retinenda poſſeſſione, quantum inde intelligo, nunc periculum eſt. Rebus non contenti, etiam ſpiritum quærunt. Redeunt in vetera, qui occupationibus antiquatis iam ceſſerant, & ſine domino fundi: locandus fundus proponitur. Hoc ex Carolo meo Cremonenſi pietas tua intelliget. Miſerum me, quanta plaga Eccleſiæ hęc eſt, & quàm lachrymabile exemplum iis qui proximi incendio ſunt? Rogaui Pontificẽ, mitteret ſumptu meo Papiam vnum aliquem ex familia ſua pro ſuo notum, qui ſuo nomine omnem poſſeſſionem apprehenderet, ac tutaretur. putans quæ proſtitutæ dignitati noſtræ iam non habetur reuerentia, habitum fortaſſe iri beatitudini ſuę. neſcio quid aget. Binas ea de re iam litteras dedi, oſtendens extrema fomenta hęc eſſe, quæ adhiberi poſſent ſpiranti prope iam corpori. memoraui quoque quantum miſſione Gregorii Lollii ad Venetos olim beatiſſimus Pius in re ſua Vicentina egiſſet. Dominus Deus inducat in animum eius quod ſit ſalutare. In breuibus ſuis, vt loquar Patri meo in aurem, nulla eſt ſpes. Dicam præſens, ſi quando ad vrbem reuertar, quę Florentiæ loquente Duce acceperim. Miraberis multum, & miſeram conditionem noſtram pariter ingemiſces. It magno impetu in præceps omnis gloria adminiſtrationis Romanæ. Tua ſapientia videat num dexteritate, qua ſoles, agere quicquam de mittendo, quem poſtulaui, commode poſſis. Id ſi impetraremus, aut neceſſario pugnandum illi aperte eſſet cum Duce, aut ſaltem retinenda locorum poſſeſſio. Quæſo in his doloribus meis ne deſeras me, Pater Nicene, admoneas & monſtres quid agendum exiſtimes. Ego enim etſi immemor meæ dignitatis nõ ſim, tamen in tanta rerum duritate conſilium certum non video.

Miſeros prudentia prima reliquit:
Et ſenſus cum re conſiliumq; fugit.

Bene vale. v. Auguſti Senæ.

CARDINALI MANTVANO.

CCXVIII.

NVnc primum delatæ ad me ſunt literę tuæ, caſu quodam, vt refert Ambroſius Spanochia, in cubiculo ſuo dimiſſæ. etenim cum ſoluiſſet faſciculum, qui afferebatur ex vrbe, & modo has, modo illas feſtinus tractaſſet, diciteas, quæ mihi erant inſcriptæ, admixtas chartulis ſuis, latuiſſe vſque in hanc horam, & in euoluen-

diſ ſcripturis veniſſe nunc primum ſibi ad manum. Inſpexi diligenter, num ſigna integra eſſent, & an quid mali eſſet temptatum. videns intacta omnia: & caſum fuiſſe in culpa, non redditorem, minus moleſte hanc tarditatem tuli. Itaque ignoſce, Pater, ſi a deditiſſimo ſeruo tuo primum ſatisfactum non eſt deſideriis tuis. Negligens in te colendo nec fui vnquam, nec ero. Ad literas vero ipſas, libertate, qua ſoleo ſic breuiter habe: Ais epiſtolas meas, quæ recitatæ nuper in conſiſtorio ſunt, quibuſdam in locis à nonnullis eſſe reprehenſas: idq; iniquum tibi videri affirmas, damnans indignam conſuetudinem ordinis noſtri, ad quem nil ita elaboratum perfectumque afferri poteſt, vt criminatores ſuos non habeat. Rem narras, ampliſſime Pater, antiquam, quotidianam mihi, & ſine litteris tuis per me cogitatam. non ſcripſi ea mente Pontifici, vt recitari eas Patribus vellem, tacuiſſem potius, quàm paſſus eſſem in examen cenſorum noſtrorum venire. Raro quidem concors, ſed ſemper malignum. Recordor ſcriptorum Pontificis Pii, quæ & ſi in admiratione ſumma alibi eſſent, tamen plerunque nobis communicata, non placuerunt quibuſdam. his ieiuna, illis vndantia, nonnullis tollẽda tota ſunt viſa. Teruiſini quoq; noſtri recens memoria. nemo erat, vt ſcis, qui tacito iudicio ingenium eius non collaudaret, epiſtolaſque dum legerentur ſtupens audiret. attamen vel inſcitia quorundam, vel liuor, ita malignis reprehenſionibus eius animum fregit, vt videns ille labores ſuos tam male acceptos, mœrore confectus in languorem inciderit, ex quo recreari non potuit. Id mihi familiariſſimus pater antequam decederet, euenturum eſt lamentatus. Literas Cardinalis ſancti Angeli, optimi, atque integerrimi Patris vidimus nuper effuſo cachinno à pleriſque deriſas. Acres ſumus ad aliena carpenda, ad noſtra videnda ignaui. *nemo*, (inquit Perſius) *in ſeſe temptat deſcendere nemo. Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo.* Sed demus hoc communibus malis, nec feramus moleſte in aliorum torrem nos conici. Alio ingenio fuit Pius, alio Taruiſinus, quàm Papienſis, & tamen maligna iudicia declinare illi non potuerunt. Quid me angat declinari à me non potuiſſe? verum nimis multa de nugis. Illud mihi eſt æſtimandum: Illud graue ducendum, quod fideli chirographo tuo reprehendis: ſcripſiſſe me Ducem Mediolani quædam narraſſe, quæ ſecreta eſſe ſciebam, atque hunc locum ideo male acceptum, quod in crimen reuelatarum rerum viſi ſunt Cardinales vocari. Mi Mantuane, doleo vel non ſcripſiſſe apertius, vel fuiſſe verba mea minus communia. mens tamen aliorſum ſpectauit. Quæ retulit Dux, ea ſola fuerunt, quæ vnicuique noſtrum conuiciatus eſt Pontifex, & ſeorſum quæ mihi eſt minitatus. Itaq; minutatim totam contentionem recenſuit, vt interfuiſſe omnibus videretur. Hæc ſcis fuiſſe ſecreta inter nos, & tamen per oratorem ſuum ſignificata ſunt Duci. Oratori autem Pontifex indicauit, vt tibi renunciauit orator. hoc videlicet volebam per epiſtolam meam, vt tacitus ipſe intelligeret, reuelatorem ſecretorum eſſe, non nos, quos aliquando tam ſeuere accuſat. Si aliter accepta res eſt, iterum doleo, atq; iterum tota mente cõtriſtor. Potes, ſi videtur, factum meum Patribus excuſare, & quo animo illa ſint dicta teſtari. nam quod ſcripſi indulto Pontificis, ſubſidium clericale in ditione Ducis Mediolanenſium exigi, id ego ipſe: Ipſe inquam ego à Pontifice ipſo audiui. nõ literis tamen, ſed verbo tantum oratori Auguſtino conceſſum. Amplius audi: Hortatus eſt ille me vt ſatisfacerem taxæ imperatæ, & exemplum olim ſuum cum ſuis Venetis retulit, quos nonnullis millibus adiutos eſſe in neceſſitatibus, neſcio quibus, aſſeruit. Si ergo non indulſerat Duci, cur me ad indignam rem hortabatur? ſi indulſerat, cur ad excuſandas excuſationes in peccatis filium immiſericorditer lacerat? Omnibus modis miſer eſt ſeruus, cuius veritas vi domini vincitur. Sed hæc coram vberius. Addis, minus ideo improbari à te conſilium tuum, quod conſtantia mea mihi obfuerit, tibi nõ nocuerit facilitas tua. Iocaris hoc loco, Reuerẽdiſſime Pater, nec quid ſentias, ſed quid rideas ſcribis. neq; enim te ita ſentire puto, vt dicis: maior eſt enim virtus tua, quã vt ſola terrena inſpiciat. ſi qui tamen ſic ſentiunt, ſenſus illis ſit ſuus, mihi meus nõ adimatur. Ego nihil vtile vnquã putaui, quod non idẽ eſſet honeſtum, nec vtile aliquid, quod non honeſtati eſſet coniunctum. Si valeat ſententia tua, corruat neceſſe eſt tota religio noſtra. quæ ideo in tantam maieſtatem aſcendit, quod ſanguine ſuo teſtificata eſt honeſtatẽ, quã dico, & potiorem morte conſcientiam duxit. Interrogatus tu

tus tu à me illis diebus contentionum noſtrarum vtrum ne crederes Pontificem, & nos voto, & iureiurando illo teneri, & poſſe abſq; horum tranſgreſſione inſtitutis legibus contraire. Scis quid mihi reſponderis etiam teſtimonio Michaelis Mediolanēſis, quem ſecula noſtra integerrimum, & doctiſſimum verbi Dei prædicatorem merito habent. Si ergo oportuit in tanta religione Sacerdotem, Epiſcopum, & ſanctæ Ro. Eccleſiæ Cardinalem, conculcata conſcientia loqui, & pluris æſtimare iacturam temporalium quàm animæ, aut Pontifici adulatoris officium, non ſenatoris præſtare: tu ipſe, qui & bonus es, & zelum Domini habes, & ſupra ætatem etiam ſapis, iudicio tuo expende. Ego illum caute negotiari exiſtimo, vt verbo vtar tuo, non qui rationes ſuas ad ea, quæ infra, ſed ſupra nos ſunt, fidei documentis inſtituit. non adſtipulor hoc dictis ſanctorum vllis: non tam quod deſint, quàm ne manifeſtam rem minima probatione videar in dubitationem adducere. Sed hæc quoq; vberius corā. Pro omnibus quæ ſignificas, & pro iis quæ Romę & Mediolani es operatus, Dominus Deus cumulate retribuat, non ſolum viuo, ſed etiam mortuo. Ego Mātuano meo nil charius, nil amantius, nil precioſius habeo: quem quidem ad ſupremum vſq; vitæ ſpiritum, omnibus obſequiis deuotiſſime colam. De Cardinalibus creatis gratulor collegio noſtro: ſunt viri præſtantes, & nobis amici, & Romanæ Eccleſiæ futuri perutiles. Sed ô corda ſine pietate: vbi quæſo eſt Mediolanenſis? An ne videtis expiraturum illum dolore? & vos fratricidas futuros? Ago gratias Deo, quod mundæ ſunt manus meæ a ſanguine iuſti huius: vos autem videritis. Bene vale, & me commendatiſſimum habe, & hæc quæ ad ſolum Cardinalem ex lege Paulina ſcribo, apud te contine, ne tu tranſgreſſor legis ſis, non ego. Senæ.

CARDINALI SENENSI.

CCXIX.

Miraris vnde tantum iniquitatis exerceatur in ſacerdotia noſtra, requiriſq; num in Ducem Mediolanenſium peccauerimus aliquid pœna tam miſera dignum. Peccatum, ampliſſime Pater, nullum noſtrum eſt. In eum, & patrem eius Franciſcum impleuimus omnia bonorum amicorum officia, nec inuenti vllo tempore aliter ſumus. Sed tu admirari iam deſine: mirandum magis eſſet, ſi in tanta licentia non fierent, quæ fiunt. Dux ipſe iuuenis eſt, annos viginti & quatuor natus, à patre militari moribus militaribus inſtitutus. Raram educatio illa religionem habet. Ei putatur plus animi, & fortitudinis eſſe, cui maior eſt Dei contemptus. Blaſphemiæ pro expugnationibus vrbium ſunt. armis arrogantur omnia. Diuini iuris, atque humani nulla eſt ratio, & miraris ſi ſanctuarium Dei diripi imperauit? Vide & aliud, quod admirationem omnem penitus tollat: miniſtrum voluntatis ſuæ delegit Thomam Reatinum, hominem eum, quem, vt ſcis, per vulgata ſcelera orbis pene omnis abominatur. Iniuncta ei à Duce peccata ſunt. Dirus ſatelles portenta exequitur, id agens videlicet, vt quando virtute nulla ſe inſinuare ad gratiam poteſt, egentem iuuenem his ſibi ſceleribus iungat. Ad Reges pene omnes Chriſtianos & Principes, Thomas ſe contulit quærendæ fortunæ cauſa: nullis horum accepta opera hominis potuerunt. Apud quoſdam etiam periclitatus eſt de vita, & finem cepiſſet iniquitas, niſi repentina fuga in articulo ſubueniſſet. ſtudia per omnem vitam fuerunt alea, magicæ artes, & libido in mares, quorum circa ſegreges ſemper videmus. nam vanitatem animi, & iactantiam, & linguam mendacem, & periuria quotidiana nō refero, quæ illi familiariora, quàm cibus, & potus. Hunc velut ex toto orbe profugum, in Franciſcum Sfortiam fortuna impegit, patrē Ducis huius, ducatum eo tempore armis præparantem. Is vero, vt erat ad ſæculi prudentiam dexter, hominem non eſt aſpernatus. Putauit (ſi quando iniungendum iniquitatis miniſterium eſſet) hunc vel ſolertiſſimum miniſtrum, vel eſſe poſſe futurum. etenim hoc habuit Sfortiana illa domus præcipuum, vt omnifariam aulicos ſibi conquireret ad omnifariam opus idoneos. A ſceleribus autem adhæſit Thomas, & ſtetit. Nec aliud præterquam mentis opinio ſatellitem auxit: Flagitia eius omnia, ſi cupis ſingillatim agnoſcere, lege epiſtolas duas viri integerrimi Poggii Florentini, in quibus illa enumerat, conatus vel ad ſanitatem illum reducere, vel cæ-

Digitized by Google

teros,ne fallerentur,itnpuræ vitæ admonitos facere. Editæ ſunt, & apud multos habeantur,nec inueniendi erit labor difficilis. A mala igitur arbore, iuxta Saluatoris verbum,expectandi boni fructus non ſunt:nec à theſauro iniquo cordis opus diſſimile. Si ad bene operandum contraheretur quicquid in eo eſt virium, Thomas iam id nec ſciret,nec poſſet. Antiquata indignitas in naturam eſt verſa, neque ad virtutem reditum habet Facit in nos, & noſtra, quod inueteratæ dietum malorum menti eſt conſentaneum. Itaque doleamus iam pro iis omnibus: non admiremur. Admirationem quidem quæ dicimus tollunt, aut per hæc temptat Deus patientiam noſtram, aut erratorum noſtrorum nos admonet, aut vero pietati filiorum vtrunque indulget. Quodcunq; autem ſit horum, gratias illi patienter agamus,. dicamuſq; cum ſancto Iob: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut domino placuit factum eſt. ſit nomen eius benedictum in ſæcula.*

IOANNI DE MICHAELIBVS.

CCXX.

HOrtatus ſum te ad ſtudium virtutis, & ad ſeruandam charitatem cum fratre Baptiſta. Ecce tam multis mecum in eam ſententiam agis, vt qui docere alium cupiebam, doctrinam ipſe vltro acceperim. Video nil tibi deeſſe, quod ad bene operandum literæ ſacræ admoneant. lætatus ſum plurimum ingenio tuo, & mihi congratulor, quod amer ab eo, eumq; amem, qui pleno gradu ſemitam laudis ingreditur. ſic facito ſemper, Ioannes, & quæ intelligis ſerua, & quæ didiciſti operibus comproba. Hac vna ratione creſcere in Eccleſia, & vtilem te in domo Domini potes præſtare. Abeunti promiſiſti quaq; hebdomade daturum te ad me literas: quinq; iam lapſis, vix vnas accepi. Fidem ſerua, nec manum calamus grauet. Bene vale, & me ama. Senæ. VIII. Auguſti.

BAPTISTÆ ZENONI.

CCXXI.

LIteræ tuæ plenę humanitatis, & gratiæ, admodum me delectarunt. In hoc etiam ſunt conſolatæ, quòd ſeruaturum te ſpondent, quæ ego non ambitione aliqua, ſed beneuolentiæ ſtudio, verbo, & ſcripto ante admonueram. Præſtabis ergo quod dicis, atq; ita perpetuo mentem inſtitues, vt in timore Domini ambulare, virtutemq; ante omnia ponere te homines noſcant. Animus meus tecum ſedulo eſt. opera etiam nullo tempore deerit. Bonam famam tu, & Ioannes frater ſic cuſtodite, vt qui vos amant, de vobis loqui intrepide poſſint. Fidem mihi non ſeruas, quinq; iam hebdomadibus vnas tantum à te literas habeo: ſingulas ſingulis ſpoponderas ſcribere. Crebritate igitur erratum hoc ſarci, & vale. Senæ. VIII. Auguſti.

GENTILI VRBINATI.

CCXXII.

SIc malo ego quoque vt cum Iacobo tuo poſthac, non cum Papienſi, negotium ſit. Quid enim & Rica, & Pyleus iucundum familiare ve haber. Pompulis nominum de conſuetudine noſtra ſublatis, ſic agamus inter nos, tanquam quibus idem ſit animus: ac propter animum parem in vtroque poteſtatem velimus. Vbi ſeruitus, ibi odium. Vbi dominatus, non ſtatim libertas. Vtraquē ſane charitati inimica. Eum me facito, quem aliquando iſthic fuiſſe audiſti. Satisfeciſti nunc longa epiſtola. Gratias habeo. Haberem impenſius, ſi tua voluntate, non meis aculeis excitata veniſſet. Quæ de exercitibus refers, amabo ea miſſa faciamus: admiſcenda dulcibus amara non ſunt. Muſis nulla cum Marte conuentio. Sibi habeant Duces arma, & copias. Litterulas has nobis relinquant, plus multo ſuauitatis habentes, quàm triſtes tubarum concentus. Intelligo quid cogites de tuis Libellis. Non tantum petieram à te: ſat mihi erat exſcribendos tradi librariis, & emendatos mitti ad me. Augere videlicet beneficium vis, & maius mihi onus imponere. Patiar fieri quod ſtatuis, non vt parcam impenſæ, ſed vt pignus animi tui ſedulo ante oculos habeam. In ſempiternum male ſit Aulo maledico. Quid enim vel Papienſem, vel Iacobum

bum inhumanitatis eſt criminatus? An quicquam me vnquam fuit humanius? qui vſque adeo ad omnem comitatem deſcendi, vt præter hæc indumenta, nil priſtinę facilitatis omiſerim. Increpatus nōnunquam a mei ordinis Patribus, quod Cardinalem neſcirem me gerere. ſic ſe res habet. in edito poſiti conſpicui omnibus ſumus atq; omnium linguis, atq; oculis inceſſimur. Sed non abit ille impune. Beneficio Gētilis amici ſementis ſuæ meſſem collegit. Sic facito ſemper, & pro tuo vel Papienſi, vel Iacobo valentiſſime pugna. Militans mihi lingua & ſtilus, ferent aliquando garrudinis noſtræ ſtipendia. Expecto & de Aulo, & Hercule integrum riſum. Ridendi etenim ambo. Ille quod nunquam eſt bene locutus: hic quòd raro bene operatus. De verſibus Campani idem ſentimus: languiduli ſunt, & nimis communes. obolo æſtimandi non eſſent, niſi triſtitiam legentis vltimus, vt dicis, verſus paululum tolleret. Quid enim non faſtidio plenū SS *præuento terq; quaterq; loco.* & illud frigidulū SS.

Ipſe tuis plenus laudibus æther erat SS.

Et aliud in re leui tumidulum. SS.

Et ſonuit ſub equi paſsibus icta ſilex.
Occupat hic aditus, altas petit ille feneſtras.
Alter adit turres, tectaq; ſumma domus SS.

Atque aliud ab ornatu cultiſſimæ vrbis longe alienum SS.

Et quæ ſuffulta ſtant mæniana trabe.

I Campane cū iis tuis ineptiis. Gentilis atq; ego epigramma hoc tuū delere iubemus:

Et male tornatos incudi reddere verſus.

Hæc ad literas tuas, quas vt hanc epiſtolam clauſero, ad Campanum illico mittam, vt quæ mihi non credit etiam iudicio tuo agnoſcat. Quoaduſq; non miſeris quod ille anxie nimis expectat, dignum Campano nihil legemus. Communi parenti noſtro Petro Medici omnia mea & me cōmendato. Eadē ſchola, atq; eadē ſtudia, quibus recentibus annis inchoata eſt charitas noſtra, animorum cōiunctionē debent ſeruare. Fortuna, quam præſtitit Deus, bene vtatur. Id fiet, ſi & ſeruabit, & beneficio.

NON EST FINIS.

CARDINALI VICENTINO.

CCXXIII.

AGo gratias omnipotenti Deo, Reuerendiſſime Pater: quod tandem me eſt conſolatus, & tandem viderunt oculi mei quod illis hoc quadriennio fuit in voto. Aſſumptus eſt ad Cardinalatum pater meus, Dominus meus, & dilectus meus, quo mihi in toto Clero nihil ſuauius. Gratulor Eccleſię, quæ habitura eſt Cardinalem exemplo, & vita præſtantem. Gratulor & mihi, qui collegam ſummi amoris, & ſummæ pietatis gratia Dei ſum conſecutus Benedictum ſit nomen eius in ſæcula. Doleo in publicatione hac honoris tui non affuiſſe. Excepiſſem te oſculo, & complexu, non quali vulgus amicorum communium ſolet, ſed quali Papienſis facit, cum amat ex animo. quod nunc fieri non potuit, fiet mox me redeunte. Interim præmitto has breues infinitæ lætitię meę indices. Saluator noſter Ieſus pietate ſua concedat, vt dignitas hæc animę, & corpori ſit ſalutaris. Vale. Senæ.

IA. CARDINALI PAPIENS. L. DATHVS EPISC. MASSANVS.

CCXXIV.

ACcepi literas V. Reuerendiſſimæ D. plenas humanitatis ac prudētiæ, ſuæq; in me charitatis teſtes, quæ me quindecim, aut amplius dies febricula quadam acuta, colicoq; dolore vexatum, magna ex parte releuarunt. Quare eſt quod D. V. immortales gratias habeam. Nam quod ea dicit, ſe meæ nouę dignitatis acceſſione lætari, credo, etiam ſi aliter diceret. Nō enim aut tā noua, aut tā obſcura D. V. in me charitas eſt, vt facile diſſimulari poſſit. Sēper me ea vnicè dilexit, ſemper pro ſua humanitate charū habuit, ſemper honori, & cōmodis meis ſtuduit. En Sāctiſſimi D. N. clementia ad Epiſcopalē me gradū euexit, & ſeruū ſuum ſubleuauit è ſtercore. Video quid ordo ram facer à me poſtulet, & id Dominatione Veſtra ſuadente, in dies non deſinam meditari, nec deſpero Deo auctore, Pōtifice fauēte, Dominatione Veſtra cooperāte, mę

conſecuturum,ne omnino in me male collocata tanta dignitas videatur. Felix valeat D.V.& veniam det, ſi tardiuſculus in reſpondendo fui. effecit mala valetudo, qua preſſus,domi abditus plures iam dies extra Palatium cubo. Dedo me, & commendo eidem Dominationi Veſtræ totum. Ex vrbe pridie Calendas Septembris. M.CCCCLXVII.

IA. CARDINALI PAPIENSI IA. DE MINVtolis Lucenſ.

CCXXV.

TErruerunt me quæ aliàs ad Reuerendiſſimam D.V.ſcripſi,cum falſo ſcripta eſſe intellexi,vſq; adeo,vt ne temere ſcriberetur,maluerim ſilere. nunc vero neceſſitas præcipitem agit. Auſpicio V.Reuerendiſſimæ D. in prouinciam veni à Domino meo cum collega miſſus:pari fere imperio,prouentu impari, non ex Iuriſdictionis defectu,ſed quod Papienſis monita ſecutus,nil præter Sanctum accepi. Huius rei inſigne teſtimonium afferet Reuerendiſſimus Dominus Cardinalis Aquilanus, ſi rogabitur,cui eſt vita mea perſpecta. Hæc cum Domino Gubernatori referrentur, iuſſit ſcribi ad amicos,qui pro abſentia mea intercederent in officio Pœnitentiariæ, id eſt,apud Sanctiſſimum D.N. Scriptum eſt ad Reuerendiſſimã D.V.ad Reuerendiſſimum D.Vicentinum. Aquilanus operam ſuam pollicitus eſt. Hanc curam demandaui latori præſentium,qui rem in memoriam reducet. Non ſit Reuerendiſſimæ D. V.graue partes ſuas pro creatura ſua interponere. Erit hæc magna acceſſio ad meam fortunam,nec minor ad beneficiorum cumulum, quibus me eſt proſecuta eadem Reuerendiſſima D.V. Afferet hæc benignitas, vltra florenos c.xxv. annuos detracta Falcidia,ſine allegationibus,& Bartholis,quibus obtundor Muſis in exilium miſſis: quæ forte poſtliminii iure redibunt,ſi quod petitur exorabitur. Sed hæ his ſatis Campano ſunt obligatę,vnumq; illum credito,rem cognoſcunt ad gloriam Papienſis nominis,& numinis.quod ego, vt debeo,venerabor perpetuo. Iacobus frater Reuerendiſſimæ V. D.heri apud nos fuit, & egregie valet. Commendo me V. Reuerendiſſimæ D.quam Deus ad vota felicem faciat, & conſeruet. Tolentini. XIIII. Octobris. M.CCCCLXVII.

CHRISTOPHORO LANDINO FLORENTINO.

CCXXVI.

QVi te poſſe apud me putant,non falluntur iudicio: Potes etenim plurimum. Amaui ſemper ingenium tuum,& mores.literas vero ita in precio habui, vt etiam legendas ad doctrinam putarem. Horum prædicator fui continuus,nec tacuit lingua quod animus ſenſit. Petis à me, vt priuilegium famulatus noſtri dem fratri Mariotto ordinem minorum profeſſo,& cauſam dicis, vt ſine impedimento correligioſorum ſuorum extra cænobium agens docere laicos Arithmeticam poſſit,cuius eum ſcientiſſimum prædicas. Si obſequor tibi,Landine,vide quid agimus: Tu interceſſor, atq; ego conceſſor offendimus Deum,& religionis inſtituti onem turbamus. Ille prælatis ſuis obedientiam vouit,nos Chriſtiani tollimus eam, & tranſgreſſionis cauſam præbemus,quod prælatus eius illi poteſt concedere,ab eo non impetrans, ad diuerſi ordinis auctoritatem confugit. Occaſio manifeſta mali odibilis Deo,& ſæculo quoque non placens. Contumax ſpiritus hæc operatur, vt maioris poteſtatis clypeo tutus, ordini inſultet,& dummodo licenter erraret, quàm bene erret non cogitet. Sed nec leuius hic peccatur exemplo,quam re. Qui vident Cardinalium famulatus ad obediẽtiæ iugum valere,eoſdem appetunt, & viis omnibus quærunt. Vnus tantum Cardinalis non eſt,qui priuilegium det. Vnus item religioſus non eſt,qui diſcedere à fratribus cupiat. Vbiq; tales Cardinales & fratres permultos eſt reperire. Qui paulo incauti in concedendis his ſunt,dare non multi exiſtimant,credentes opus bonum ſe operari. Ita nulla patribus ordinum reuerentia habetur,nullus eſt diſciplinæ correctioniſq; metus. Confunduntur inſtituta religionum, paulatimq; male ruit quod ab initio eſt bene ſtabilitum. Hac de cauſa Pius Pontifex nuper defunctus,querelam communem omnium ordinum audiens dolentium his priuilegiis, vno decreto ſanxit

quæcunq;

quæcunque à Pontificibus eſſent conceſſa, & à nobis in futurum darentur ad declinandam patrum obedientiam, impetratoribus non ſuffragari. Monuit quoque vno Conſiſtorio nos, ne eas daremus deinceps. At, inquies, ſi non valent, quid grauaris vnum concedere? Si inanem rem dederis, nullus mali auctor. Interponere nomen Cardinalis ad rem fictam & vanam, grauitatis non eſt. Inducere credentem in fraudem, charitatis non eſt. Forte etiam ſuus Prælatus abrogationis Pientinæ ignarus, propter me non corripiet errantem religioſum. Ita in offenſionẽ Dei incurram, de qua paulo ante agebam, & ego me ipſum agnoſco. Si fiducia litterarum mearum raperetur ille ad carcerem, aut durius in eum aliquid fieret, pati certe nõ poſſem. ſum enim carneus, indignationi, & iræ obnoxius. Clamarem, incenderer, molirer omnia, vt eriperem eum qui dictus eſſet ſemel famulus meus. Ita præſtat nil dare, quam & leuiter & inutiliter dare. Sed oro quid quærit hic tuus in docenda Arithmetica? vtilitatem ne hanc facere ciuitati? At plures alii ſunt qui eam præſtent quotidie. Dices: non tam ſcienter præſtare. quid attinet inſtruendis pueris ſummum magiſtrum quærere? Exercitata doctrina, & mediocri illis eſt ſatis. Non ad metiendas harenas maris, aut altitudines montium, ſed ad adminiſtrandam mercaturam illorum inſtitutio à patribus quæritur. At bonum opus eſt commendabile, liberali diſciplina illos inſtruere. At malum opus eſt à religione diſcedere, & obedientiam maiorum defugere. Plus mali hic eſt, quam illic boni. *Non ſunt facienda mala*, inquit Apoſtolus, *vt eueniant bona.* Non eſt frangendum votum, non turbanda religio, & exemplo malo nocendum, vt pueri Arithmeticam diſcant, quam aliis docentibus poſſunt addiſcere. Quod ſi mercedem diſciplinæ quærit, & vitare vult paupertatem, vt credo: dic, oro vbi eſt votum, quod vouit Deo paupertatis ſeruandę? *Melius illi erat paupertatem non cognoſcere*, vt ait Petrus, *quam poſt agnitam retroire.* Et Saluator: *Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, eſt me dignus.* Apparet ipſum pœnitere ſuſcepti propoſiti, non probare ordinem, quem profeſſus eſt, vitam ſæcularem appetere. Quid oro commercii eſt religioſo cum pueris? Tunicæ diui Franciſci cum purpura ciuium? Quę porro honeſtas pro clauſtro Cœnobii habitare plateas? pro choro concinentiũ Deo, audire pueros arithmeticam ſuam cantantes? pro obediẽtia libertatem? pro paupertate diuitias? pro continentia occaſionem laſciuiæ commutare? *Nemo militans Deo*, inquit Apoſtolus, *implicet ſe ſæcularibus negotiis*, & rurſum, *operam detis vt quieti ſitis, & vt negotium veſtrum agatis.* & alio loco, *Obedite præpoſitis veſtris.* Horum nil audiens Mariotus, ſoli cupiditati obſequitur, reiecta bene viuendi regula. Si ille de ſalute ſua curam non accipit, de noſtra nos accipiamus. Non ſimus cauſa tranſgrediendi voti, operatores alienæ damnationis. Quia nos vna cum illo ante tribunal iudicis peccati huius rei citabimur. Vale.

IA. CARDINALI PAPIENS. IO. PE. ARRIuabenus.

CCXXVII.

HErodis impii natalis nobis hodie Ioannem obtruncauit, craſtinus natalis Pontificis Pauli nobis illuceſcet, cuius muneris & tu inter reliquos nobis auctor fuiſti. Decebat profecto hodiernam mœſticiã craſtino gaudio excipi, vt ſicut in illo Regis feritas: inſontis indigna mors, Ecclesię iactura: ita in Pontificio natali ſenatoria pietas, benè merentis digna electio, & Ecclesię ſubleuatio conſideraretur. magnæ vobis habendæ ſunt gratiæ, vnde nobis tanta felicitas. Plura eſſent à me dicenda, ſi quam (immortali beneficio vobis propterea aſtricti ſumus) vellem recenſere. Maius ingenium, plus temporis expoſcit tam locuples materia. Illud tantummodo attingam, quod cum natalis hic dies felicibus auibus initiatus ſit, & ad nos ſemper felicior redierit, nunc vero auſpicatiſſime: nam ſicuti ortus Alexandri duarum victoriarũ nuntio lætior ac celebratior apud Philippum patrem habitus eſt: ita hoc quoque relatum eſt, hæreticos Bohemos acie cecidiſſe, Iorſici filium cum multis captum eſſe ab Hungaro, & illius regni potiundi infra paucos dies ſpem eſſe Pannonio: Claſſem quoque Venetam cepiſſe vrbem, quam aiunt Eno, vt vulgato vtar vocabulo. Ego fortaſſe, ſi locorum ſitus conuenit, Æneum dixerim: quod oppidũ primum Æneas Ilio profe-

Digitized by Google

ctus, fundauit in Thracia. Legimus & ſecundum in Creta eiuſdem nominis abeo poſitum. Vtrum horum aut neutrum ſit, haud ſatis auſim affirmare. eo cum ex improuiſo appuliſſet claſſis Veneta, incauti oppidani & nihil tale veriti, primo congreſſu capiuntur. Opulenta, vt aiunt, vrbs eſt, vnde multum auri, ac nobilis ſupellex exportari potuit. captæ nobiles matronæ, multi in ſeruitutem abducti. Magna pars interfecta eſt: & quia retinendæ vrbis, quod à Turcis eo facilis ſit tranſitus, facultas deerat. Tota diruta, & ſolo æquata eſt. Eiuſmodi excidium eſt vt Troiano prope comparari poſſit, ſi vera ſunt, quę referuntur. Id omen ſi infanti Alexandro vniuerſarum terrarum victoriam protendere potuit, quanto maiora, & certiora de Pontifice noſtro ſperare poſſumus, cum iam antea felicitatis ſuæ experimenta dederit, & dextera Domini protegente bellet. Audi & tertium proſperitatis auſpicium, quod Pontificatus ſui eum diem natalem habuerit, quo Fœlicis, & Audacti memoriam colit Eccleſia: vt ſcilicet intelligeret felici audaciæ omnia eſſe ceſſura, iiſque veluti fatalibus geniis intrepidus permaneret. Ita ſe effundit in hominem Dei gratia, vt omni ex parte eum in tuto collocet, & ſuimet fiduciam indulgeat. In diem igitur craſtinam, ob fœlicem cumulum tot felicitatum, ſolemni ordine in Baſilicam Petri proceſſurum Pontificem publico edicto nunciatum eſt. Ignes per vrbem parantur, & quæcunque in ſummis gaudiis conſueuere. Hæc tibi ob cauſam Fidei, ob ſalutem lætitiamque Pontificis, gratiſſima fore non ambigo. Quę etſi diffuſius te ex aliis cogniturum certus ſum; voluitamen pro mea in te obſeruantia rudi ſtilo, ac ſuccincte perſtringere. Ex Arimino nihil noui percipio. Socii Principes ſiue potentatus modo Ariminum ab impugnatione defendant, nihil vltra moliturí videntur. Audio Venetum oratorem, qui Neapolim miſſus eſt, ea propoſuiſſe, ex quibus illius Reipublicæ ad pacem, quam ad bellum animos magis inclinari conſtat. Caput rei eſt, vt niſi bellum velit, neceſſe ſit Pontificem in pacis conditiones tranſire. Sed quod humanis iudiciis diſceptatur, eludit ſæpe diuina potentia, & forti brachio conterit inimicos ſuos. Commendo me Reuerendiſſimæ D. T. cui longam & affluentem felicitate vitam exopto. Romę xxix. Auguſti.

IA. CARDINALI PAPIENSI IO. PE. ARRIuabenus.

CCXXVIII.

SOllicitudines tuæ qualeſcunque ſint, moleſtiam mihi afferunt, eaſque taciturnitatis cauſam attuliſſe mihi grauius eſt, quam quod pluribus litteris meis non reſpondiſſes. quorſum ceciderint, haud ſatis ſcio. Quod ſi adhuc pendes, opto vt tibi quod cupis eueniat: ſi liberatus es gratulor tibi. Non potui ex litteris tuis, quę nunc mihi redditæ ſunt, quem finem habuerint, comprehendere. Vnum id ſcio, non deeſſe Papienſi animi magnitudinem, atque conſtantiam: nihil tam procelloſum aboriri poſſe, quo fluctibus obruatur, etiam ſi vires omnes ſuas fortuna exerceat, non ſuperaturam tamen inuictum robur mentis tuæ, non incautum, aut imprudentem offendet, neque tibi opus eſt externo præſidio, cui ſufficiunt arma domeſtica. Quin ſi & te calamitates vndique circumſtarent, fortitudinis, & patientiæ à nemine eſſes admonendus. Meum itaque eſt tibi in proſperis gratulari, in aduerſis dolere, aut potius à te exemplum patientiæ accipere, in vtroque qualem volueris operam præſtare. Quod de Principe meo ſcribis, gratum fuit ex te cognoſcere: etſi Senenſis ac tua in eum charitas haud nunc primum mihi ſit perſpecta, explorataque. Ego tibi ob plurima debeo, ſed ad meam in te obſeruantiam non parui ponderis eſt tua in Principes meos non ſimulata beneuolentia. Scio cordi eſſe quod amas. Tuum ad nos reditum ſummo deſiderio expecto: ſatis æſtiuatum eſt. Iuges pluuiæ ruſticationem moleſtam efficient, & tu iam incipies commodius vrbem incolere. Cum igitur breui, vt ſcribis, venturus ſis, breuior & ipſe nunc tecum ero: nam & quod publice nunciem, nihil noui habeo. Commendo me Dignationi tuæ. Romæ pridie Calendas Octobres.

IACO-

IACOBO CARDINALI PAPIENSI IO. PET. Arriuabenus.

CCXXIX.

ANte reditum tuum ad vrbem, explicandam eſſe tibi rationem taciturnitatis meę exiſtimaui, ne aut dignationis tuę memoriam mihi excidiſſe, aut inertia factum putares. nam primũ qui fieri poſſet, vt tantę humanitatis & clementiæ, qua me à principio complexus es, recordatio aboleri poſſet: eſſet id nedum ingrati, ſed immemoris animi, quod conſtanter fateri auſim, à me prorſus alienum. Inertię ſuſpicionem excludat meæ erga te deuotionis ſtimulus, qui tarditatem omnem potuiſſet excludere. Et ſi qualis inter amicos paritas eſſe ſolet, eadem inter nos fuiſſet, accepiſſes profecto creberrimas à me litteras, ſiue quid notitia dignum, aut neceſſarium, ſiue quod familiariter vulgo ſcribi ſolet, mihi tantum affuiſſet. Sed alia ratio eſt Dignationis tuę, qui non tam alloquendus, quam venerandus, & in magnis tantum rebus adeundus es. Vt illud Horatii alia tamen de cauſa ſcriptum, non inepte fortaſſis teſtari poteſt:

Nec Deus interſit niſi dignus vindice nodus Inciderit.

Scio tibi, vt es miti ingenio, ac ſingulari humanitate prędıtus, & mei tua potius gratia, quam meo merito amantiſſimus, non ingratas eſſe, qualeſcunque litteras meas. Meum tamen eſt, paruitatis meę habere rationem, & cum nihil expedit, abſtinere, ne inſulſa garrulitate tuas aures delicatiſſimas offendam. Fateor igitur me ſiue modeſtia, ſiue modeſtię opinione ductum à ſcribendo continuiſſe: & licet totos dies in tui veneratione peregerim: maluiſſe tamen tacendo modeſte agere, quam ſcribendo ineptum & ambitioſum præſtare. Expurgationẽ hanc meam omni certe fictione vacantem, & ingenuam togo æquis auribus accipias, litterarumq; mearũ inſipidam loquacitarem tuo nunc tantum dignare conſpectu. Cum ęſtiuandi, ruſticandiq; finis adeſſet, & iam redeundi in vrbem tempus inſtaret, Dominus meus ad xi. Calendas Octobres ex more ſuo Neptunnam acceſſit. Id caſtellum à dextra Antium, à ſiniſtra habet Aſturam, è regione Carthaginem eſſe incolæ memorant. Magna ibi ſuperſunt adhuc antiquitatis veſtigia, & præcipue portus Antiatis, quem in Volſcis poſitum ſumptuoſiſſimo ornatu excoluit, celebrauit, dilexitq; Nero Imp. quo enã de transferenda ſede, ac domicilio Imperij C. Cæſarem tædio vrbis cogitaſſe legitur. Eo nunc diſiecto magnæ adhuc moles extant, & forma ipſius qualis fuerit optime dignoſci poteſt. Semicircularis erat, & vt nauigandi periti aſſerunt, tutiſſimum eum fuiſſe coniectat. Ab Antio Aſturam vſque, quod eſt octo miliarium ſpatium, viſuntur paſſim in littore ruinę ędificiorum, quę vt fit, omnibus Principem comitantibus, deducta quoq; eo colonia magnis ſumptibus certatim ſtruebantur. Quin & pauimenta teſſellata, & fornices ingentes intueri licet, magnæ amœnitatis & iucundiſſimi ſeceſſus locus. Ibi aliquot dies morari inſtitueramus, & eos piſcatione, venatione, aucupio, quorum omniũ larga facultas eſt, lætiſſimos agere. Turbauit omnia aduerſa valetudo Principis mei, qui ad nonum Calendas rigore ac febre, doloreq; capitis correptus eſt: & quoniam illic ſine medico & ab omnibus remediis remoti eramus, inſequenti die abeundi conſiliũ, donec recens ægritudo, integrę vires, & viuax adhuc complexio erat, iniuimus. Itaque factum eſt. Rediuimus Marinum, vbi per horam quieſcendo immoratus, etſi febris eum non relinquebat, Romam eadem die primis (vt aiunt) caſtris petere inſtituit, ductus magna ſpe Medici ſui, quem vbi primum conſpicari, & medicamenta ægro corpori adhibere poſſet, certiſſimam & eam ſubitam ſalutem ſibi promittere videbatur. Ad tertiam ſubinde noctem febris omnino fugata eſt: eruperunt poſtmodum, quas vulgo variolas dicunt, per totum corpus, quarum pruritu & impetu conflictatus eſt. Plures noctes inſomnis egit, & inquietos babuit dies: nunc vero remitti cœptus eſt furor ille & exicari. Iam incipit melius conquieſcere, futurumque eſt vt intra paucos dies liberetur. Scio te ſalutis eius auidum, ſi de infirmitate forte ex aliis ante ſenſiſſes, de incolumitate prope reſtituta ex me libentiſſime cogniturum. Quod de rebus publicis, & priuatis à me ſcribi oporteat aliud nil eſt, niſi vt ſcias reditum tuum, vbi id tuo commodo erit, à me ſumme deſiderari, vt præſens numen, in quo præſidium, & ſpes omnium curarum & cogitationum mearum conquieſcit, præſens

Google

& venerari, & adorare poſſim. Commendo me Reuerendiſſimæ D.T. Romæ IV. Nonas Octobres.

IAC. CARDINALI PAPIENSI BART. PLATINA.

CCXXX.

SCripſi ante captiuitatẽ meam libellum iſtum de honeſta voluptate, quem ad Amplitudinem tuam mitto, qui capto patrono, vt videbis, myropolia omnia, & tabernas pertreptaſſe videtur: adeo eſt vnctus, & ſordidus. Si in Culina verſatus eſt, non diſceſſit ab ingenio, cum de obſoniis conficiendis maiore ex parte ſit compoſitus. Eo itaque profectus eſt, quo vocari ad operam faciendam ſe intelligebat. Venit tandem ad me ſqualidus & vnctuoſus: ex quo dum maculas abſtergo, quædam etiam abradenda cognoui. Verum quia in rebus propriis iudicio plerunque vtimur præpoſteri, librum ipſum formidoloſum (certe ſentit quam acerrimi ſis ingenii) ad limam Amplitudinis tuæ nolentem etiam, mittere conſtitui. Ex hoc ergo, Reuerendiſſime & doctiſſime Pater, pro arbitrio tuo quicquid voles abradito, mutato, inuertito, transferto, & ſi quid mancum, & diminutum videbitur, quidquid voles, & quantum voles addito: tuo ſingulari iudicio indiget, tua doctrina. Proinde non ſecus eum emendato, ac ſi ex verna tuo natus, ac ſi domi tuæ altus eſſet. Sum ego tuus verna, tuæ amplitudinis admirator, & præco. Proinde quicquid à me fit, id tuum iure ſit, ac merito neceſſe eſt. Tua igitur emendabis, tua corriges. ſi plus ſalis, & aceti in proœmiis librorum poſui quam ipſa obſonia requirere videbuntur, quantũ voles demito. Nolo quempiam lędere: non poſſum ego adeſſe, & videre quid approbes, quid contra. Proinde Reuerendiſſimam D.T. rogo, ſi peto honeſta, vt in margine addas, ſi quid cenſes addendum, vel demas quod non probes, vel notes quod à me cenſeas mutandum, non vngue, ſed calamo, quo certior fiam quid cenſeas faciundum. Defert librum ipſum frater meus ad Amplitudinem tuam, vt cognoſcas duos Platinas tuæ Magnitudini dedicatos eſſe. De libertate mea quid ſcribam neſcio: adeo incertus ſum quorſum tandem iturus ſit ille, qui potitur rerum. Spero, timeo, crucior, angor, & mihi manum iniicere interdum cogito, vt me tandem atque amicos his curis liberem. Si nocens, cur non punior? ſi innocens, cur teneor in vinculis? O me infelicem, qui non cũ Pio ſum mortuus! ex illa morte tot mihi mala euenere. Feram ego, ferã hanc calamitatem quamdiu potero. Vbi malis feſſo ſuccumbendũ erit? cum tot ſint leti viæ, occumbam generoſe. Quare amplius in vita eſſe velim non video: cum profligatę ſint litterę, & ad Tartara detruſæ. Aiunt in manu Reuerendiſſimi Domini Vicentini libertatem noſtram eſſe. Si ita eſt: ei me cõmendato, & Reuerendiſſimum Dominum Mantuanum tarde incedentem impellito. Si volunt, trades obſidem, dabo vtrunque circumſcribant, multi locum relegent. Ibo quo volent. Reuerendiſſimam Dominationem Veſtram rogo, vt quibuſcunque modis poteſt, libertati meæ caueat.

IA. CARDINALI PAPIENSI BAR. PLATINA.

CCXXXI.

TAnta eſt opinio, quam de tua Amplitudine concepi, vt ambigam, immo deſperem quidquam ſalutare inueniri in re mea poſſe, niſi per te ſaluberrimum litteratorum omnium ſidus, fuero adiutus. Iactamur vndis, acti vento, & fluctibus. Nil prodeſt tot ſæuientibus procellis obiectaſſe humeros, & caput. Tot ſcopulos, tot Syrtes, tot Euripes euaſiſſe. Grandẽ video procellã iam iã nos feſſos, & extrema queq; timentes obruituram, ni fluctuantibus nobis, & totiens in ſaxa alliſis, ſalutiferam manum, & à me tam diu expectatam, porrexeris. Inuritur hæc nota ingeniis, inuritur litteris, inuritur Muſis, quarum ſemper pater, & patronus es habitus. Collige nos quæſo, & ad te natantes, ac tandem his fluctibus libera. Vales auctoritate apud Pontificẽ, cuius ingenium à clementia, & miſericordia non abhorret. vales apud Cardinales, & reliquos huius aulæ præſules. Ora quos decet, adhortare quos oportet, vt erga nos miſeros, atq; omnium qui viuunt infortunatiores, clementia, & miſericordia vtantur. Intelliges quo in ſtatu ſumus collocati, & quos, ac qua de re habituri ſumus iudices. Hos rogato, vt ex bono, & æquo iudicent, vtque voluntatem imperantis mitigent. Quod

vt facias, per Deum te rogo, & per animã illius, à quo habuiſti, virtute tua ita ſuadenre, vt & velles, & poſſes calamitoſis ad te confugientibus ſubuenire. De me quicquid pollicebere & Pontifici, & aliis, id ego perpetuo, & conſtanter ſeruabo. Commendare me Reuerendiſſimo D. Vicentino non erit à re mea alienum.

IA. CARDINALI PAPIENSI POMPONIVS.

CCXXXII.

IVuenis quidam, cui nomen eſt Antonius, gente Volſcus, bonarum artium ſtudioſus, Senis profiteri cupit, plerique amici hortantur: Id poſſe aſſequi auxiliante Papienſe perſuadet ſibi, & non fruſtra. nutu veſtro iſta virginalis vrbs pendet, obſequi ſtudet. Quare deditiſſimus numini veſtro Pomponius, orat, obſecratq; voti compos ſit Antonius. De doctrina, & erga auditores diligentia, ac moribus fidem ipſe facio. quæ certiora fient pręſente Iuuene. Et cum parentibus liberum hoc eſſe debet: Præceptores ſcilicet eligendi, conuenit pectori veſtro, totius vrbis parens haberis, vt tanquam circumſpecto loquaris, tam pientiſſimã curam Senenſibus gratam fore ſpero, obligabuntur magis paterna charitate, & nos quoad vixerimus, habebis debitores. Scriberem diffuſius, niſi ſcirem caſtigatiſſimum ingenium dominationem veſtram paucis delectari, cui me impenſiſſimo commendo. Romæ Calendis Septembris.

CARDINALIS PAPIENS. IO. ANT. SARACINO.

CCXXXIII.

PVro te, & Cantalicium incolumes Pientiam perueniſſe. Id ſi ita eſt, placet, & lętor. Curate ambo valetudinem veſtram. tuque imprimis in recipiendo ſomno intende. eam enim ob cauſam præmiſi te, ne mora vrbana ad morbum adiiceret. Sequemur paucos poſt dies, & reliquum æſtatis vobiſcum agemus. Interim non exulent litteræ, legatur aliquid, & ſcribatur. pertineatque eo ſtudium, vt parta non abeant. memoria otioſa nihil infirmius. De modeſtia vitæ non eſt quod admoneam te: credo es memor mandatorum meorum. fac intelligam, præſenti & abſenti eundem animum eſſe: nec plus te vereri oculos Domini tui, quam honeſtatem. De bono filio Mitio Terentianus ait: *præſens, abſenſque idem erit.* domum curato mundari, vt nec puluis, nec aranearum telæ venientem offendant. Noſti quam me turbet neglectus domeſticus. Si auleola illa noſtra accommodare locis ſolitis poſſes, gratius eſſet appenſa inuenire, quam vt appenderentur mandare. Sed omnia ad voluptatem, & ſine tædio fiant. Vt valeres, nõ vt procurares te miſi. Prima ergo cura ſit reſumendi ſomni, proxima continentiæ. Tertia retinendorum quæ mandaſti memorię. Cætera ex commodo, atque animi cauſa tantũ agãtur. Bene Vale fili chariſſime, & Cantaliciũ noſtrũ ſaluta ex me.

IO. ANT. SARACENO.

CCXXXIV.

SCripſiſti ad me verbis vulgatibus: quæro cur non potius Latinis? Si eſt in cauſa inſcitia tua, pœnitendum veſtræ impenſę, atque laboris tot annorum. ſin neglectus, reprehendendus tu, & tecum Cantalicius, qui id non caſtigat. Nil poſthac tale committatur à te. Latinæ ſint litteræ, & cultę, & hercle etiam recta ſcriptura cõpoſitæ. Sic hæ diſtortæ ſunt & confuſæ, vt Gallina, non manus ſcripſiſſe appareat. Intelligo ſaluũ te eſſe, domi mũda omnia, meq; iſthic cum lætitia expectati. Grata ſingula, ſed tua ſalute nil charius. conſerua eam, & auge. Quod inter vias præſcriptum meum ſeruaris ſeruaturuſque iſthic etiam ſis, plurimum laudo. Bonæ mentis id erit indicium, meque ad bene de te promerendũ magis inducet. fac opera dictis conſentiant. latere diu malefacta non poſſunt. eoq; lædunt fortius, quo ementita ſunt contumacius. Noſti quã perſpicacis ad ea deprehendẽda ſim animi. Tu vno bene agendi propoſito omnia vita. Precia rerum, atq; annonę ſingillatim agnoui cariora cuncta iſthic eſſe quam Senis videntur. Faciet id vt fortaſſe eſſe alibi malim. Strator Hiſpanus reduxit equum & manticas, deque recuperato iam ſomno id retulit, quod mihi imprimis placuit, & litteris perpetuis tacetur à te. Cura valetudinẽ. Studia ne deſere, pudicamq; ante omnia adoleſcentiam age. Dico iterum, quod boni mali ve feceris, venienti patebit. Vale.

IO. ANT. SARACENO SENENSI.

CCXXXV.

STulte & leuiter egiſti, qui multos iam dies nil ad me ſcribis. Imperatum tibi ſcis, vt ſeptimo quoque die ſcriberes aliquid: præterita officiorum intermiſſio excuſationem ætatis habuit natu iam grandis es,& ſapere iſta ætate oportet. Erit poſthac neglectus omnis tuus ingratitudinis crimen, non annorum. Homo ſum, tangor charitate meorum, & contemptu. nec memoria Pii in malefactis te adiuuabit. Conde hoc intimis ſenſibus, quod ideo ſcribendum cenſui, potius quam dicendum, vt ſit apud te continuum animi mei,& moniti etiam huius documentum. Litteras has, niſi deſpicies, & releges ſæpe, & diligenter ſeruabis. Venire Pientiam prius non potuimus, quod tenuerunt nos publica. Veniemus iam nunc, & ante Octauum ab his diem ſcriptis, erimus tecum. cura vt parata ſint quæ annotata præſentibus leges paleę,& ſpeltę, ordei, & tritici quod triduum ſit ſatis. lignorum quod die vna ſufficiat. Culinam ædibus proximam curato diligenter mundari, vt venientem coquum nil occupet. In cænaculo etiam familię menſas reponi. in cellis omnibus ſuos lectos ſterni. Culcitras tantum videlicet & lodices. nam lintea me veniente dabuntur. In equili quoque ædium Pii cubilia ex paleis quatuor fieri, in quibus & ſtabularii,& ſtratores, & magiſter equilis in linteis tantum, & lodice quieſcant horis tribus.& coquus,& obſonator acceſſum noſtrum pręuenient, vt præparent cuncta reliqua erunt diligentiæ tuæ. Scriptum eſt Blaſio vt lintea aduecta Ticino mittat ad te, & lodices inſuper duas. Si afferentur, ſepone omnia, vt à nouis internoſcantur vetuſta. Pluſculum eſt nobis familię nunc, quam anno præterito. Propterea ſi opus erit etiam lecticis pluribus, actutum conficiendas locato, aut aliunde ſumito commodo. Affero mecum accubita quatuor, duo mihi, vnum tibi. quartum quod in hoſpitum cubiculo deſeruiat. Iraque ad aliorum vſum eſſe culcitræ poterunt. Mitto tibi breuem incluſum familię omnis, atque equorum, vt comparandorum omnium ſit certior norma. adhibe adiutores Pientinum præpoſitum, & Cantalicium, & Nicolaum. Erant æſtate præterita Auſano Canonico culcitræ plures, & quidem ſuperfluæ: ſcito num ex iis vnam velit, vel venum, vel commodo dare. Si impetrare eam potes, loca in hoſpitum cubiculo, quod dixi. nam accubitum modo vnum ſine culcitra ſternere, & leue, & miſerum eſt. Da in his omnibus operam, vt te non ſemper puerum dicam. Carolum Cremonenſem quod Beneuenti eſt, non poſſum pręmittere. Ideo tu ſingula expedi,& Vale.

PAVLO PONTIFICI.

CCXXXVI.

INtellexi quæ nomine B.V. retulit mihi Laurentius Pettonus. Ago illi imprimis humiles gratias, quæ in eo quod eſt ſuæ poteſtatis, contriſtari ſeruum ſuum non voluit: deinde peto, vt moleſtam non habeat interceſſionem quam feci. Voluntas veſtra, voluntas mea in omnibus ſit. Hoc tamen ad ſupplicandum me impulit. pro anno elapſo creatura erat Sanctitas veſtra Laurentium in conſeruatorem, niſi intereeſſionem alterius Cardinalis præferendam putaſſet. accedit continua ſeruitus, quam ille præſtitit in minoribus Beatitudini V.& ſumma amicitia, quæ mihi fuit cum illo. Item etiam ſummum deſiderium D. Falconis ſeruitoris veſtri fidelis, qui non audens propter innumera beneficia veſtra hoc ſupplicare, etiam me ſupplicatorem appoſuit: cuius ille neptem in vxorem habet. nec vidi in ciuitatibus, vbi ex ſuffragiis ciuium conferuntur honores, reſpectus parrum filiis obſtare. attenditur hic virtus, non gradus in genere. Omnes ex illa domo mihi amiciſſimi ſunt, & in omnem partem à me ſæpe verſati. Audeo ſine mendacio dicere, modeſtia, integritate, ciuilitate,& ingenio, Laurentium longo interuallo cæteros anteire. voluntas veſtra, vt dixi, meo & Falconis deſiderio pręferatur. hic erat primus, quem toto Pontificatu veſtro meo ſuffragio honorari petieram. Commendo me humiliter pedibus B. V.

CARDI-

CARDINALI MONTISFERRATI.

CCXXXVII.

EX literis,quę ſcriptæ ſunt ad noſtrum Senenſem, audio domi tuæ peſtilentiam aliquid nocuiſſe,initiumq; à Medico factum.Id ſi ita eſt, tua cauſa plurimum doleo.neq; enim caſus huiuſmodi ſine multa turbatione eſſe poſſunt, eorum quos corripit,& eorum qui ne corripiantur timent,ac cauent: conſilium in his pręſentiſſimũ eſt fuga,auxilium Deus.Etenim antidota,quæ circumferuntur,raro ſubueniunt.Igitur dignatio tua vrbe excedat,ſeq; & ſuos chariores habeat,quam ambitionem hanc curiæ noſtrę.Imprimis autem roget Deum,vt malum non ſerpat latius, nec ſequatur quo ibitur.Senenſis,quem dico,mecum hic eſt. Bononienſis ad balnea, quæ beati Philippi dicuntur.Reatinus in Senenſi quodam ſuburbano omnes incolumes,& incolumitatem vobis cupientes qui Romæ manſiſtis.Pientiæ.

TIMOTHEO ARCHIEPISCOPO RAGVSINO.

CCXXXVIII.

ORator Raguſinus,qui proximis menſibus detulit ad me litteras tuas, ideo ad te non retulit meas,quod diſcedens non petiuit eas, vt facturum ſe ſæpe receperat.Scriptæ autem apud me erant,& obſignatę,vt venienti darētur. quas mitto nunc, vt teſtimonium habeas officii mei. Quæ de tuo in me animo pluribus repetis, probatione illa non egent. Scio eadem eſſe Raguſiæ, quæ fuerant Romæ, & nec ſinu Adriatico letheum aliquid eſſe, vt tranſeunti obliuiſcendum fuerit conſuetudinis noſtræ.quod iterum quoque offers tua omnia,dico iterum me tibi gratias agere, & iterum poſtulare,quæ ab exemplo dictatę epiſtolæ poſtulata agnoſces. Timothee mi,viciſſim tu hunc Papienſem,quantus cumq; eſt,adhibe in omnibus tuis, & tuum eſſe ſine exceptione exiſtima. Scribo hæc ex Pientia, quando ne ſim Romæ prohibet peſtilentia.Cardinalis Senenſis & Gregorius Lollius, qui mecum ſunt, te ſalutant. Vale.

CAROLO CREMONENSI.

CCXXXIX.

VIdeo ex litteris tuis, quæ ad xxv. Maii datæ ſunt, quæ ſit iſthic conditio rerum noſtrarum,& quæ ſpes vtraq;, quantũ intelligo extrema & miſera. nam & viuere ſine cõtentione non licet,& cõtendere iniquis iudiciis cogimur. Adde quod nemo nos reſpicit,nullaque ſacerdotii reuerentia. Ideoq; aut propaganda ſunt mala, ſi intueri volumus noſtra: aut magnis detrimentis alienæ parendum libidini. Erunt hæc quamdiu Dominus volet,qui fortaſſe his diſciplinis meliores ſtudet nos facere. In tantis difficultatibus,Carole,duo pręſtemus nobis aliunde non mendicanda. Alterum, vt ſicut in hunc diem vſq; egimus, moderate accipiamus omnia. alterum vt de diligentia nil remittamus,non iacentes ſi deiicimur, nec redeuntes ſi pede offendimus.Facio ego hoc ipſum.fac tu idem animo magno: nam ſi culpa noſtra diuerſa non accidunt,& credita ſacerdotia ignaue non deſeruntur, quod aliena improbitate contingit,doloribus,angoribus proſequendum non eſt. Intelligo quæ de Lardirago,quę de Portorio,quæ de Lazaro,quæ de te etiam ſcribas. Gratias Deo. Iudicia iniqua ſi erunt,feramus ea,cedentes poteſtati cui reſiſtere non poſſumus, & pareamus iudicato,captiuorum more pecunia nos redimẽtes: nam improbiſſimam illam fœminam continuare poſſeſſionem non placet. Si negligenter etiam Lazarus agit,& hoc toleremus ad tempus, emendaturi cum tuto licebit. nam quod ad re attinet,bonum animum habe, nec pugnas præteritas nouis metibus deturpa. Si eiicieris Papia,ad me venies,apud quem tibi erit ſemper cum honore locus. & ſi non diliget te Dux,diliget Papienſis & diligent te ii, à quibus ille diligitur. & ſi non patietur ſacerdotia ſuæ ditionis te impetrare,ſcito multa alibi eſſe,& curiam noſtram habere quæ deferri poſſunt ad te.Nil vſq; in hanc horam,voluntate eius es aſſecutus. curauit tibi cuncta labor,& fides. Quod ergo pauciora obſequia antehac ſunt aſſecuta,nimirum plura poſthac aſſequentur impenſius. Tu pugna viriliter, & Domi-

no cauſam noſtram cõmenda,& propera ad finem, quicunq; futurus is eſt. Nõ habeo quo te aliq vel horter, vel iuuem. Crede tamen conſiderari a me diligenter tuas anguſtias. Vnum illud poſtremo & volo,& impero, vt quæcunq; erit ſententia, ancilla illa Demonum Lucia Lardiragum dimittat, fideſq; cõductoribus nouis ſeruetur, etiam ſi propterea prouentus anni præſentis in hoc ſint profundendi. Bene vale.

EPISCOPO BRIXIENSI COMMENDAT ORATIONEM habitam de Pace.

CCXL.

QVid tu, mi Brixienſis, es veritus ne te negligentiæ accuſarem? quod me abeuntem non ſis proſecutus? An ego ita vanitatum noſtrarum ſum ſtudioſus, vt leui obſequio prætermiſſo, ſuccenſere Patri debuerim? aut tu ita diffidens noſtri, vt formidare idipſum debueris? valde obſeruans amicorum es, qui non putes ſatis illis eſſe animum tuum, & cogitari curas, quæ tibi ab inuictis muneribus innumeræ ſunt. Cogito ego illas,& miror magis cum tale aliquid præſtas, quàm vt præſtetur requiram. Itaq; poſthac ſublata ſint ex noſtra familiaritate officia hæc non neceſſaria,& contenti charitate, ambitioſa non expectemus. Colis tu me vt filiũ, obſeruo ego te vt patrem, monitoremque veritatis,& vitæ coniunctio hæc nil niſi purum, ſincerumque habeat. De homelia tua plus feciſti quàm eſſem auſus, non dicam petere, ſed pene appetere. miſiſti eam ſcriptam, ne deſiderium eius videndæ vſque ad reditum meum me angeret. Gratias ago tuæ beneuolentiæ quam continuas, quàm maximas,& quàm intimas poſſum. Quaſi collectam longo æſtu ſitim cuperem ſedare, ſic eam totam vno ſpiritu hauſi, plura agnoſcens, quàm ad me eſſent perlata, & plus laudis colligens, quàm fama tuliſſet. Qua ianua ingredi decentius ad rem potuiſti die Aſcenſionis,& pacis, quàm illo initio? *Paulus ſeruus Ieſu Chriſti vocatus Apoſtolus, omnibus qui ſunt Romæ dilectis, Dei gratia vobis, & pax à Deo patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.* Mirũ in modũ ingenioſum initium ſedenti Paulo,& plebi ſuæ alluſit, nõ poterat quicquam vel excogitari lætius, vel deuotius porrigi, vel ad præparanda corda meo iudicio humanius dici. Quæ porro rerum continuatio, quæ mediatio angelici occurſus domino aſcendente, quàm ſuaues inter ſe quæſtiones, atque reſponſa? quantus comitatus beatorum ſpirituum circumſtantium triumphatorẽ omnium Dominum, quanta Mariæ matris lætitia? qui deniq; conſeſſus eius ad dexteram patris? hoc eſt, æqualitatem bonorum, ac poteſtatis?& quàm exceptus cæleſtium vocibus? Deriuas hinc optime dictionem omnem tuam in commemorationem pacis: at qua ſemita,& ductu? omnium profecto maxime opportuno. Captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Triumpho videlicet expoſito ad dona conuerteris. Interea vnum illud præcipuum ſumis, quod myſterio ſuſceptæ ſolemnitatis non cõueniens modo, ſed neceſſarium erat. Donum inquã pacis, ita explicas, diuina illa tua explicandi facilitate vt non plura bona in ſe habeat pax, quam cõmemorantur à te. Non plura de ea literæ diuinæ, atq; gentiles perhibeant teſtimonia quam dies is vnus collegerit. Quam videlicet præclarum ſit donum pacis, quàm ſalutare, quàm cõſentaneum naturæ, quàm expetendum omnibus, contra quàm innumera mala ex bello proueniant, quàm intenti eſſe Principes ad parandã ſeruandamq; concordiã debeãt. Poſtremo, quibus artib. illa iam parta poſſit ſeruari, quo in loco, licet breui, licet agere aliud videare, contendentium quemq; admones ſui erroris & fomitem monſtras, vnde incendium proximum eſt ſuſcitatum. Ad exitum orationis deſcendens identidem rogas atq; obteſtaris, vt diuinum donum partim beneficio Pauli ſibi ſeruent atq; cuſtodiant, Deumq; precentur & orent, confirmet quod eſt operatus. Tuq; imprimis idipſum precaris & oras. At quibus verbis? Virgilianis primo.

Audiat hæc genitor, qui fœdera numine ſancit:
Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpat.

Inde Pauli Apoſtoli: vt videlicet cuius homeliæ initium fuit, eſſet & finis: *Et pax Chriſti, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu, Domino noſtro.* Exitus ſane dignus principio. Non minus ille quidem ad præcedentia mentes confirmans, quàm illud ad ſuccedentia parans. Gratulor iterum

tibi

tibi talento tali à Domino credito nec defoſſo à te, ſed ad vbertimam lucri rationem adhibito. Audies vocem Domini tui: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam: Intra in gaudium Domini tui.* Hæc ad ſermonem, quod læteris ſtudio ſacrarum literarum quibus inuoluor: non modo id verum, ſed pene neceſſarium iudico. amas enim me, & in me animam meam. Accedit quòd tu harum interpres pater, & princeps non potes non ad voluptatem referre, imitatorem me cernere veſtigiorum tuorum, quæ in Sanctis curriculis ſunt glorioſe impreſſa: dicens cum Ioanne Apoſtolo: *Maiorem gratiam non habeo, quam vt audiam filios meos in veritate ambulātes:* parens adhortationibus tuis, quod facio contentius faciam, præteritamq; omnem negligentiam futuris ſtudiis compenſabo, ne nomen hoc honoris ſine onere geram, & inter illos deputer, de quibus eſt ſcriptum: *Fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus agitatæ: quibus caligo tenebrarum ſeruatur.* Vtinam tu mecum eſſes, ad cuius pedes vt ille Gamalielis, poſſem ſedere. Voluntas hæc vehemens à fundamentis ſuis progreſſa, doctrinæ tuæ gubernaculo melius in viam Domini ambularet. Sed in hac ſolitudine quod potero capiam, nec, ſi ad ſummum licebit euadere, deſiſtam propterea. *Prima enim ſequentem*, inquit Cicero, *honeſtum eſt in ſecundis, tertiiſque conſiſtere.* De libris tuis quod offers, eſt mihi gratiſſimum. vtar omnibus cum erit neceſſe: interim pro illis literas da, quibus mirifice lætor atq; confirmor. Bene vale Præſul omni veneratione digniſſime.

CARDINALI RAVENNATI.

CCXLI.

MI Rauennas. Meum appello, quia vere es meus. Mi inquam Rauennas, gratias tibi ago, quantas tua in me merita poſtulant. Video quid reſcribas ad litteras filii tui. Intelligo, quid pro Seruo Nicolao es operatus. Pie omnia, & paterne, ex antiqua tua in nos charitate. Seruet te Deus, & ſemitas pedum tuorum cuſtodiat. Quem tibi ſemel addiximus animum, perpetuo incorruptum ſeruabimus, nec beneficiorum inueniemur immemores. Tu fac quod facis, tantumque ad patrocinium adde, quantum ad fidem clientelæ quotidie nos adiungimus. Doleo cum vitæ diſcrimine iſthic te nunc eſſe: id enim indicant litteræ tuæ. Amabo quid Romæ ſuperuacuo agis? Anne ſcis publice nos præſtare parum? priuatim nihil omnino? Extra iam eſt Theanenſis, extra Mantuanus, & Neapolitanus, atque alii nonnulli. Quid veteris, quod verendum non eſt? & ii non veriti ſunt, qui maluerunt ſibi conſulere, quam ſeruire inani affectui. Edico tibi, niſi collegeris ſtatim ſarcinulas, & niſi cito abieris, veniam ego Romam, ac ſi alia ratione educere te inde non potero, extrudam fuſtibus. Malo enim verberibus dolere Patrem meum quam febribus. Bene vale.

PRÆSVLI PATAVINO.

CCXLII.

GAudeo te Vrbem exiſſe non valetudinis tantum cauſa, quam tamē primam eſſe oportuit, ſed ſtudiorum quoq;, vt liber iam reſumere inceptum opus de Pontificibus poſſes, & ad finem perducere. Quid enim vel Patauino Præſule dignius? vel in commune vtilius? vel Papienſi tuo acceptius? Itaq; quod facturum te ſpōdes totis viribus præſta. Vna opera laudi tuæ amicoq; inſeruies. Lætor quoq; ſeceſſum te ex tua ſententia nactum, vbi abunde ad rem, & voluptatē ſint omnia. Det Dominus, vt frui eo pro deſiderio poſſis. Ego etiam læto in loco ſum, & ſalubri, nullo carens, quod ad recreandam mentem, & valetudinem faciat. Iucundam Pater in Domino traducamus vitam: Id agentes, vt iuxta Catonianum verbum non minus otii noſtri quam negotii extet ratio. Reddenda illa quidem Domino in ſupremo iudicio. Bene vale.

PRÆSVLI BRIXIENSI.

CCXLIII.

REuoluens ego certam ad rem commētariolos quoſdam doctorum tēporis noſtri incidi in libellum Correferendarii tui, Pręſulis Zamotenſis, cuius argumentum

vniuerſum eſt: non licere fidelibus è locis peſtilentibus fugere, & peccare omnes, qui id faciant. Impenſius autem clericos propter iniuncti ſacerdotii curam. Id autem peccatum ad iudicium Dei magis refert quàm hominum, nec ex contentionis foro, ſed conſcientiæ colligi. Multa primo in vtramq; partem diſputat, multa ſibi præſcribit, nonnulla concludit. Concluſa rationibus quibuſdam ſuis auctoritatibuſq; cõfirmat. Quę diſputata in contrariam partem erant, iiſdẽ viis diſſoluere nititur. Summa multorum verborum meo iudicio eſt: Ideo nõ licere quòd contra charitatem ſit fuga, & quòd flagellum Dei ſit peſtilentia, vitę, non loci mutatione vitandum. Percuſſit ea res me videntem, ſi ita veritas ſit, non modo nos omnes, ſed plebes ſępe integras, ac populos in crimine eſſe. Memini præſenti mihi tuam dignationem dixiſſe non prohibitam in talibus fugam. Quæſo ergo, ſi vacuus es, breui epiſtola doceas, quid in hoc Chriſtianis nobis ratio dictet. Cum enim mea & cæterorum ſententia in diuinis ſcripturis primas tui temporis partes teneas, optime omnium alternãti animo poteris quietem pręſtare. Si labor grauat, memineris Petri: *parati ſemper ad ſatiſfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ eſt in vobis ſpe.* Vale.

IO. CARDINALI SANCTI ANGELI CARVAGIAL.

CCXLIV.

SCripſi iam ſemel dignationi tuę ex hoc loco. Scribo ſecundo: ſcribam tertio, & quarto, quoadusq; ficus aduenient. Illis matureſcentibus ſyllabam modo vnam ne expectes à me. Scio enim in eis edendis ita occupatas eſſe inermes gingiuas tuas, vt nihil loci ad ſatisfaciendum filio ſit. annis pręteritis expertus hoc ſum. Nec eſt committendum, vt gratis ſim importunus. Interim vexabo te literis & reſponſum credo merebor, niſi & mellones iam placere incipiant. Hæc ioco, extra iocum alia. Opto D. Tuam bene valere, atque vt nunc valeat noſcere. Illi etiam commendatum me eſſe, & per eam commendari Pontifici: Admoneri quoq; abſentẽ ſeruum ſi quid honori ſuo expediat. Cupio inſuper rogari patrem meum Nicenum, vt Papienſis ſui ſit memor, & patrociniũ ſeruet, quod antehac præſtitit: Maiore ſemper ſua charitate, quàm meritis meis. Ego vt proxime ſignificaui, in loco ſalubri ſum, & quieio: Vos miſerans, qui Romæ manſiſtis. Delectant hic me multa: Sed illud imprimis, quòd natale ſolum eſt Pii, & impreſſa tenet ſancta eius veſtigia. Quæ contemplans moleſtiam ſępe omnem præſentis temporis leuo. Libri quoq; in delitiis ſunt: Nec valetudinis cura curãdę animæ obeſt. Si me de ſcripturis diſſerentem audires, ſemi Theologũ diceres. Senenſis noſter hic eſt, & valet, & eſt in eodem ſtudio. Oramus ambo, vt propter noſtram in te charitatem, & propter Pium noſtrum, quem amaſti tantopere, paternè nos diligas. Bene vale.

CARDINALI ROTHOMAGENSI.

CCXLV.

DErelictus à te eſt filius tuus, vt video. nil per Rothomagenſem ſignificatur Papienſi de rebus Vrbanis. Omnium quę aguntur apud Vos, ſum prorſus ignatus. Abüt Auinionenſis. Abiit Albienſis, & tu mihi non ſcribis? Fiunt & mille alia, quorum me celas. Euenire id puto nimia potentia, in quam aſcendiſti. Abſentibus enim iis duobus, & Conſtantienſe quoque, regnas tu nunc in Gallicis rebus, nec ad nos humiles aſpicis. An rediturum Albienſem non putas? Redibit quamprimum, & te quietum eſſe non ſinet. Fuit mecum Pientiæ, & cœnauit mecum. Multa de te, ſed honorifice omnia. ſciebat enim ſe loqui cum filio, cuius aures non admittunt calumniam Patris. Intelligere tamen non potui, quid ſibi diſceſſus hic velit. Vtrum ne à Pontificis iniuria, an à rebus priuatis proueniat. Scribe tu omnia, nec patere me ſecreti huius ignarum. Si calamus grauat, communica meo Abbati, qui Romę domum cuſtodit. Fidelis eſt, teq; imprimis obſeruat. De peſtilentia quoq; aliquid nuncia, & num inualeſcente illa ſeceſſurus ſit Pontifex, an manente eo tu abiturus. Deniq; nil ſit, nil fiat, nil cogitetur, quod per te ſeruus non ſciat. Ego hic ſumma in quiete ſum. Vtor quantum poſſum ocio, & loco, excludens curas omnes, quę angere animũ poſſunt. Mecũ eſt Senẽſis noſter, qui te amat. Agimus ambo vitam iucundã, nil Vobis inuidentes, qui Romę manſiſtis. Bene vale Pater, & Domine, meq; cõmendatum habe.

PAVLO II. PONTIFICI MAXIMO.

CCXLVI.

CRebri caſus, qui acciderunt domi B. Veſtræ, cogunt fideles ſeruos ad ſalutem domini eſſe ſollicitos. Olim deceſſit peſte inſignis Vir cognatus ſuus, nuper medicus, qui mane, & veſperi veniebat ad menſam, nunc Ioannes Condalmario, cuius erat ab officio frequens ad ſanctitatem V. acceſſus. Inferioris famulatus taceo complures, quibus idem exitus fuit. Non timuit Sanctitas V. nec timet. Timemus nos, quorum vita, & quies alitur beneficio ſuo. Si vox humilis ſerui inter ſapientum conſilia accipi poteſt, dico conſiderandos eſſe hos caſus, neq; committendum, vt in peſtilenti ciuitate caput ſuum totiens obiectetur periculis. Inexploratum eſt ei quid poſſit contingere. Animus bonus pars remedii eſt, ſed non plenum remedium. Plerunq; qui in prælio feruentior eſt, ſuo robore cadit, & natatores intrepidi voraginibus abſorbentur. Non ſi annus vnus nos ſeruat, de altero ſecuritas eſt. *Quem ſæpe caſus tranſit* (inquit Seneca) *aliquando inuenit.* Antidota quoq; in quibus ſæpe ponimus ſpẽ, non ſubueniunt nobis. Maior eſt vis mali, quàm vt noſtris artibus valeat vinci. Decimus quiſq; vix illis ſeruatur. Sed & Medicorum maximæ tenebrę ſunt. Languida eſt omnis eorum ſubuentio, magiſq; nos ſua præſentia conſolantur, quàm iuuant. Præſentiſſimum ac pene ſolum habetur præſidium mutatio loci. Legimus in Ezechiele Propheta: *Qui erit in ciuitate, peſtilentia deuorabitur, & ſaluabuntur ex eis qui fugerint.* Scio operoſum eſſe ſummo Princip. ſedem mutare: Sed pro ſua, & filiorum vita, omne ſubeundum eſt opus, nec grauare debet, quod animas ſeruat. Laudi ſæpe datum Principibus eſt, quòd non ſola vrbe contenti, viderint quoq; prouincias ſuas, & pecoris ſui vultum agnouerint. Vt Romæ, ſic alibi Pontificis facies lætificat loca. Indulgeat mihi pietas veſtra, ſi Mineruam ſus doceo, & ſi porto ligna in ſiluam. Hoc me priuata charitas, & publica cogit. Nec enim eadem affert momenta priuati hominis, & Principantis interitus. Illius incommoda omnia eodem quo corpus, clauduntur ſepulchro. Huius ruinæ late opprimunt multos. Quieſcit beneficio veſtro Italia Romana Sedes rem, æſtimationemq; auxit. Nos etiam, ſi conditionem noſtram agnoſcimus, nil merito dolendum habemus. Tot proſperis confluentibus, ſine detrimento non poteſt eſſe mutatio. Obteſtor propterea B. Veſtram, quam à prima iuuentute mea dilexi, vt his malis diebus non tam antidotis, & medico caueat ſibi, quàm loco, ſuamq; omnem curiam exhilaret abitu ſuo. nunquam diſcedere, & ſæpe diſcedere, parem habent querelam in populis. Pio Beatiſſimo datum eſt vitio, quòd annis pene ſingulis ſui magis recreandi cauſa, quàm aliorum, vrbem exierit. Videat nunc ſapiẽtia veſtra, ſi in præſenti neceſſitate dolituri multi ſunt, occaſionem ſalutis non dari. Et ſi enim omnibus abeundi poteſtas ſit facta, multis tamen manente Principe, ſit manendi neceſſitas. Et qui ad eum ex toto orbe mittuntur, ad locum, vbi eſt, coguntur accedere. Sed de his ſatis. Ago clementiæ veſtræ gratias innumeras, quod me abſentem pietate ſua reſpexit, & conſuetam iuſſit eleemoſynam porrigi. Is qui videt qua charitate dat S. Veſtra: Qua neceſſitate accipio ego, pro me illi ſempiterne retribuat. Pro Breui quoq; in re Cœnobii Marradienſis conceſſo, eidem plurimum debeo. Reuerendiſſimus D. Albienſis in Galliam proficiſcens ſponte ſua Pientiam venit: Vbi viuente Pio domum conſtruxit. Cœnauit mecum, Rogatuſq; quam ob cauſam tam longum ſuſciperet iter, hoc tantum reſpondit, Priuatam ſe ob cauſam ire, & octo ſolos menſes ad reditum à Beatitudine Veſtra eſſe præſcriptos: Quam protegat miſericors Deus, & cuius pedibus me deuote commendo. Pientiæ. XXIII. Iunii. M.CCCCLXVIII.

ANTONIO DE BISANA.

CCXLVII.

VEniam da, ſi nulla præcedente notitia fatigo te literis meis. Virtus tua, & mea neceſſitas ita nunc quærunt. Audio te bonum virum eſſe, iudicantem in veritate quod ſentis, & nec accipentem in iudicio pauperis perſonam, aut diuitis. Immunem porro à corruptelis, quibus nunquam perit iuſtitia, veritatemq; opprimit fraus. Lætatus eam ob rẽ plurimum ſum, cum cognoui te mihi iudicem datũ

in lite, quæ de Lardirago cum aduerſariis eſt. Credidi potentium preces contra externum hominem in cauſa Dei non valituras. Id ipſum nunc & lætor, & credo, quãquam tardior paulo diffinitio multorum mihi incommodorum cauſa fuerit, & maiorum ſit futura in dies. Seponens ergo omnem interceſſionem, qua tecum vti nulla eſt animus, omnem iuſtificationem, quæ in actis naſcetur, & Romæ iam per doctos noſci eſt cœpta. Omnem porro fiduciam munerum, quæ nec conſuetudini meæ, nec naturæ tuæ conueniunt. Ex ſolo Deo, & ex ſola anima tua ſolus te alloquor: obteſtans per omnipotentem Deum, qui inſpector eſt cordium, & retribuit cuiq; ſecundum opera ſua: per ſalutem tuam, quæ tibi habenda eſt charior omni hominum gratia: Per beatum deniq; Apoſtolum Petrum, de cuius domo, non mea, nunc iudicas, vt de vultu tuo iudicium prodeat, & oculi tui videant æquitatem. Non flectaris cuiuſquam precibus, non terrearis cuiuſquam minis: nec cuiuſquam etiam gratiæ cedas: Sed id pronuncies quod dictante ratione, conſcientia ſuadet: Memor quod benedictio Domini ſuper caput iuſti, & quòd beati ſunt qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore, & quòd generatio rectorum benedicetur: Et quòd iuſtus vt palma florebit, & ſicut cedrus libani multiplicabitur. Contra autem, quòd qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam, & quòd vultus Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum: Et quòd diſſipat oſſa eorum, qui hominibus placent, nec reſpiciunt ſanctum eius. Magnus non ſum, Cardinalis tamen ſum: Amans qui me amant: Beneficiorum non immemor, & internoſcẽs qui bene de me, & male merentur. Montes ſemper in eodem loco conſiſtunt, obuiant ſibi aliquando homines, variiſq; ſæpe caſibus ad mutua coguntur officia. Si paratus es, vt certe credo, rectum iudicium facere, & domum Dei, Titulum apoſtoli ſui Petri: & ſepulchrũ doctoris noſtri Auguſtini eripere de manu iniqui, & contra legem agentis, æterno beneficio me deuincies. Amicum habebis paratum mercede iuſti miniſterii, qui pro te poſſit & velit, quicquid habet induſtria, quicquid valet facultas, & quicquid continet ſua dignitas, in tuis, & liberorum, ſi quos habes, ac amicorum rebus, ſine exceptione effundere. Cauſas egi multas. nulla vnquam tanti à me eſt æſtimata. Cogor propterea imis ſenſibus condere, quicquid in vtranq; partem vel iuſte vel iniuſte mihi præſtatur. Te quæſo iterum memor ſis animæ tuæ, & famæ. nec æſtimationem boni viri in diſcrimen iſthic atq; hic vna opera adducas. Ante oculos Deum habens iudica iuſte, ac cito. quem oro, vt ſit in corde tuo, & in labiis tuis. tibiq; in hoc iudicio aperienti os, impleat illud veritate, & gratia. Bene vale. die XII. Iulii. M.CCCCLXVIII.

PRÆSVLI BRIXIENSI.

CCXLVIII.

SAtisfactum abunde eſt deſiderio meo, atq; animus in verbo tuo quieuit. Quod ante rationis iudicio fieri licito arbitrabar, probationibus tuis manu nunc teneo. Bene ſit tibi Pater, & doctor, retribuatq; Dominus boni laboris mercede. Fidelis eſt ſermo tuus, omniq; acceptione dignus. Ego vero & libenter quæro cum dubito, & diſco cum neſcio: Timens illud Apoſtoli: *ſi quis ignorat, ignorabitur*. Ideoq; Papienſi tuo, æquis ſi te aliquando percunctationibus agitat, nil te inuito edetur: Idq; propter amicum, vt mones, cuius mores ita pinxiſti epiſtola, vt non pingi aptius facies penicillo potuerit. Miror tantam eius ad quæuis ſcribenda facilitatem, & magis ad emendanda incuriam. Dum ambitioni ſeruimus, efficimur iuxta eundem Apoſtolum ſenſibus pueri, non intelligentes quæ loquamur, nec de quibus affirmemus. Det Dominus verbo Hieronymũ, vt audiat, & taceat, intelligat, & ſic loquatur. Ampliores tibi gratias præſens agam, nunc abſens ago, quas poſſum, rogans vt doctrinam tuam ſecutus, ſeceſſum tibi aliquem pares, in quo cum familiola vites venturum Auguſtum: Romæ ſemper noxium, hoc annò etiam peſtilentem. Si pater noſter Cardinalis ſancti Angeli in vrbe adhuc eſt, precare vt filii Papienſis ſit memor, & Vale. Pientiæ die XII. Iulii. M.CCCCLXVIII.

CARDINALI SENENSI.

CCXLIX.

SIc clam ſemper celatis omnibus abis, vt furari has tuas voluptates videaris, non quærere. nemo de te vbi fueris, niſi in reditu poteſt ſcire. Ignoraturus etiam nunc eram hunc Sarteanenſem excurſum, niſi eum tuæ litterę docuiſſent. Bene feciſti ſic ſcribere. Feciſſes rectius, ſi pro ſcriptura Secretarii manubria illa tua lucernarum eſſent recognita. ſic enim & cõtendi ego à te iam dudum, & tu promiſiſti. Memor poſthac eris promiſſi. Gratulor maiorum tuorum reliquiis ſic te delectari, & Sarteanenſes aquas morari reditum. Fui ego olim Saterani, & contemplatus ſum locum. Vmbroſiſſimũ, quem ſcribis fluuium, nedum ad oppidi muros, ſed ne in toto agro illo agnoui. Nudum autem ſic memini, vt niſi ipſe ſibi ſit vmbra, ne ab herbę quidem ceſpite illam accipiat. Vide, mi Theutonice, ne alius te iſthic fons, & alia vmbra delectet. Cautus es, & tibi conſulere ſine ſtrepitu ſoles. Ego tamen paratus ſum quæcunque vel iuſſeris, vel cupieris credere, etiam extremam partem epiſtolæ tuæ, qua contendis prę́ſentiam tui Papienſis iucundiorem tibi omnibus his voluptatibus eſſe: ſed hactenus de Sarteano. Ambroſius Spanochia venit Pientiam. Fuerat pridie eius diei cum Theanenſe noſtro in ſuo Fabiano. Multa de ſolitis. Retinere eum volui ad reditum tuum, contendens etiam vſque ad penulam ſciſſam. Pedes non permiſere, qui quanto validior lingua eſt, tanto illi infirmiores. Seruo tibi ad cumulum delectationum tuarum integrum eius ſermonem, qui nec breuis fuit, nec iniucundus. Mitto tuæ D. litteras Montisferati noſtri, incuria mea, magis quam peccato apertas. Etenim putans ad me illas inſcriptas, ſuperſcriptione plene non lecta imprudenter ſolui, & legi. nec ante ſcelus agnoui, quam illius ad me alteras in faſciculo inueni. In pænam mali accipe & meas, & mihi ignoſce, & Vale. & cum plenus ad ſupercilium es, ad nos redi. Dolent Pientini plus tibi placere aliena quam ſua. Pientiæ.

M. CARDINALI VICENTINO.

CCL.

SI boues Romani mouere hunc currum veſtri diſceſſus nequeũt, ſcribe ad me: mittam ex ora Senenſium maritima mille iuga, quæ adiuuent vos. Quid quæſo hoc eſt? Ex nona Iunii habeo ab Vrbe litteras, & poſt longum tumultum video pedem domo non extuliſtis. Mori videlicet vultis: non ſat adhuc territi domeſticis malis noua credo expectatis: quæ vtinam non de vobis alii potius doleant, quam de aliis vos. Abite oro, & miſeris Curialibus pie conſulite. Non ſat eſt poteſtatem diſceſſus illis feciſſe: Circumſtant multi neceſſario Principem. Fortunam quoque ne tentate totiẽs: occurrit aliquando dum quæritur. nec ante eſt erroris noſtri agnitio, quam pœna. Quid, inquies: vis faciam? Dixi frequenter iſta, & nihil proficio. Hoc videlicet eruciat me, mi Vicentine, quod ſcio quo cum tibi res eſt, & cupio Paulo, & tibi ſalutem quam mihi. Fac ſaltem quod valeas, & Deo te crede, antidotiſq́; & ſolitudine, quantum potes vitam fragilem muni. Viuimus ſemel, ad ſeruandam quamdiu licet vitam, exemplo Saluatoris admoniti. Papienſis autem tui nullo tempore immemor ſis. Amat te non ambitioſe, non ficte, vt ſæpe iam dixi, ſed vera illa charitate, quę imperata à Domino eſt. Bene Vale. Pientiæ die XII. Iulij.

R. CARDINALI CONSTANTIENSI.

CCLI.

SI valet meus Conſtantienſis, voluptas ſumma eſt ſuo Papienſi. optat vt valeat ſemper, & vitam in Domino ſine moleſtia agat. Scripſi ab initio cum veni Pientiam, D. Veſtræ Reuerendiſſimę, & nuntiaui quam gratus, & ſalubris eſſet hic locus. Inuitaui quoque eam ad voluptates has meas. Reſponſum non merui, credo quia perierint litteræ, & non ſint ad eam perlatæ. Scribo iterum, & cum non ſit quod ſcribam, nuntio me bene valere, quieto animo eſſe, viciſſimque quotidie recreari libro, & agro. Iterum eam inuito. Si hic erit, quanto ab vrbe, tanto à periculo longius erit. Patres nonnulli ex noſtris dedignati hoc anno agrum Senenſem non ſunt. Reatinus Senis

eſt. Theanenſis in ſuburbano Senis propinquo. Sanctorum quatuor in Cœnobio Montaneo, nobis vicino. Senenſis atque ego Pientę. addita dignatio veſtra conſortium iucundius faciet. Si auelli à ſuo Sutrio nequit, ſignificet ſaltem filio valetudinem eius, & quietem, & ſanitatem loci, atque vno verbo, omnia quæ faciunt gratum ſeceſſum, vt bis patiter, ſi non corpore, animo tamen, vna cum patre amantiſſimo perfruar. Precor inter cętera vt Papienſis ſui ſit memor, eumque amet, & commendatum habeat. Pientiæ xii. Iulij.

CARDINALI SANCTORVM QVATVOR.

CCLII.

LÆtor multum vicinitate patris, ac Domini mei, quem dolebam tam proximum periculo eſſe. poſſumus nunc & litteris, & pręſentia quoque aliquando nos viſere. Det Deus, vt nouus hic ſeceſſus ſit ſalutaris ſibi, atque familiæ. eſt gratus, eſt locuples, & tempori opportunus, olim Pio noſtro ſumme iucundus. Aduentu meo excipi hunc acceſſum ſuum oportebat: ſed ne moleſtus eſſem, abſtinui. Mitto has litteras quæ nomine filii bene meriti patris apprehendant manum, atq; oſculentur. ſolet oppidum iſtud abundare rerum omnium copia. ſi quid tamen deeſt, quod parati hinc poſſit, imperet P. V. cupidius implebo mandata, quam illa imponat. De me autem ſi ſcire aliquid optat, valeo cum tota familia, quietem agens, nihilque admittens curarum, quæ angere animum poſſunt. Idem ſtudeat D. V. Omnia in circuitu vacua peſtilentia ſunt: Bonconuentu excepto, vbi contagium nocuit magis quam aër. Amantiſſime Domine, vitam agamus in Domino hilarem, fruentes dum poſſumus dignitate noſtra, atque ætate. Ego deuotionem meam in D. veſtram inchoatam Caliſti tempore, auctam poſt beneficio ſuo. ſeruo, & ſeruabo vſque ad extremum vitæ. Dominus Deus eam conſeruet, & conſoletur ſemper in omnibus operibus ſuis; cui me deuote commendo. Pientiæ die xvi. Iulij.

F. CARDINALI MANTVANO.

CCLIII.

MIrifice recreant me ſemper litterę tuæ, præſtantiſſime Mantuane, nihilq; in hac ſolitudine iucundius lego. locatis, pungis, lingis, omnia rides, cum tamē ipſe ridendus non ſis. nō alio te hic fruor ſcripto, quam Romę pręſentia. Tunc pænitere ſeceſſus huius incipiet, cum quod facis, facere deſines. Itaq; vt ſemper ſim lętus, ſemper tu ſcribe, & quod nunc pręſtitiſti, vtramq; paginam imple. ſi aulea tua peregrinantur adhuc, iam plane video conſiſtoriali increpatione ad te humiliandum opus non eſſe. Ignominia damno admixta ſatis humilitatis apportat. Hoc autem lucri feres, ſi preciū illorum dabitur, quod diſces dehinc emere. Iuuenis es, & qui tibi vendunt, fallunt te. Minor eſt ſemper merces, quam ęſtimatio. Hic autē noſter ætate prouectior diligentius penſitat ſingula, nec ea licitatione emit, quæ in vendendo augere conditionem non poſſit. Quod ergo dabit tibi (non dabit autem, quam cum dediſti tu) ſcito valuiſſe aulea, atq;, vt dixi, damno tuo. diſce dehinc emere. Eſt & alia cōſolatio quod non ſuperbies tanto apparatu domeſtico, nec ante tempus Pontificatū inuades. Quid facit in domo Cardinalis Auleum intertextū auro? Pontificum eſt iſta ſupellex. Peccat, qui ſibi parat non ſua. Ægre itaque non ſit abiiſſe peccatum cum re. Audi aliud, quo lenire triſtitiam queas. cum pendere illa ex alienis parietibus intuebere, etſi triſtis recognoſces olim tua, circumſtantibus tamen dicere iactantius poteris: Mea illa dudū fuere. ſine me hic locus ornari non poterat. Vtinam ad complendam humilitatem oſtendiſſes & arculas gemmarū tuarum, vt quicquid eſt apud te ſuperflui, vna cenſura eſſet ablatū. Diſce de ſenioribus, Mantuane, & Camerarii tui recordare, qui cum accepiſſet in Albano Pium, ſubtraxit omnia ab oculis noſtris, quæ potuiſſent placere. Non vas peregrini operis, non auratū auleum, non precioſum aliquod, propoſitū eſt. Communia erant, & pene quotidiana quęcunq; exhibuit. Regium fuit conuiuium. Supellex plebeia. nihil ergo ab eo petitum, quia nihil egregium. Rurſum tu ſi accipiendus hic erit, memor eſto diſciplinæ proprio impendio partæ, & auidos oculos cautius deuita. Rideo te nunc. ſed oro num ridebis tu me? ſi interim vel remiſſa ſint aulea, vel precium conueniens redditū: ſit quod volet. Adhuc tu metu damni ridendus ad

dus ad aulea: ſatis letor ſcrupulum nullum ad confirmandam pacem à Duce futurũ, rationemque eam initam, qua ſolui Sabaudienſis nodus poſſit, in quem iſti incidevant. Nil minus in rem noſtram erat, quam continuari bellum, & nos eſſe omnibus odio. Audiui hęc fere omnia à Ioanne Iacobo Ricio, propterea ad vos veniente. cum Senenſi enim noſtro, & mecum Pientiæ nocte vna fuit. Ratio repetendi ſeceſſus tui probabilis illa quidem mihi videtur, ſed nõ neceſſaria. Idem Tuſculani. idem Albani pręſtare ſine periculo poſſes, quod Marini non potes. At alia à ſuis incoluntur poſſeſſoribus. Non magis Tuſculanum, Albanumque intelligo, quam quemuis alium locũ, procul à commerciis, ſed non à via publica poſitũ. At ſi quid ſiniſtri accidet, illud mutabo. Cautius eſſet, ne mutari oporteret ante videre. periculo vitæ nil bene tentatur. Ignoſce ſi in hoc nimius ſum. Mantuani mei amor me cogit, & charitas imperioſa res eſt. ſignifica mihi quid agat condiaconus tuus Montisferrati, & vbi nam latitet audio enim domum ſuam peſtilentia inquietam, primumq; fuiſſe Medicum, quem illa attingeret. Mala res, nec ſpes, vbi parum tuti medici ſunt. Quid de nobis fiet, qui illorum conſiliis regimur? Dico iterum, mi Mantuane, loco, non medico cauendum his temporibus eſt. Si es illi propinquus, aut ſecum es, dede ſuæ dignationi Papienſem ſuum, qui à nullo magis, vel dari, vel vendi, vel opponi pignori, quàm à te poteſt. Senenſis ad celebrandam ſolemnitatem corporis Chriſti nudius quartus Senam profectus, reuerſus eſt hodie. Studia ſua, & mea libri ſunt, & lectio, & ager, & aqua. Tui ſumus ambo, & tibi nos commendamus. infamis autem apud hos Pientinos es propter dedecus inchoatę domus, & imperfectę pendentis, quicquid purgamenti, & fœditaris hoc oppidum habet, ſine delectu eodem congeritur, ſic vt iam tuæ vicinitatis me pudeat. Vicecancellarius pene perfectam ſuam rogante Senenſi, Epiſcopo Pientino dedit. Albienſis abſolutam ſuam Gregorio Lollio. Quid tu tuam? Vlna vna vix ſolo extantem æſtimas tanti? An minoris eſt apud te & patrem hic Papienſis, generi tuo addictus, quam apud illos externi, & peregrini illi? Pręſertim cum pro inchoata vna, abſolutas duas ſis habiturus. Vale.

IA. MVRVTOLVS LVCENSIS CARDINALI Papienſi.

CCLIV.

CVm res Ariminenſis vrgeretur, hoc eſt, ante tranſitum copiarũ Regiarum, Principes ligæ, Rex, & Dux, ſcripſerunt Pontifici, maturaret conficere negotium. ſe enim facere non poſſe, quominus fidem implerent, & ſubſidia mitterent: ita eſſe inter ſe conuentum, ita fieri oportere. Ea res quęſtori nunciata eſt. Sed plus potuit Ducum noſtrum perfidia, qui per diſſimulationem, protraxerunt oppugnationem quoad ex obſidentibus facti ſumus obſeſſi. Hoc modo amiſimus magnam rei bene gerendę occaſionem, & infeliciter poſtea pugnatum eſt. Commendo me Reuerendiſſimæ Dominationi Veſtrę, quæ feliciter valeat.

M. PALMERIO FLORENTINO.

CCLV.

VXorem nunquàm duxi, nunquam dedi, nunquã cum Cieiaportia familia cõſuetudinẽ habui. Puellę, & dotis, atq; huiuſce rerum omniũ ſum prorſus ignarus. in his tenebris, quid Iacobo dicam, nõ habeo. ipſe iam per ętatem ſibi ſapit, & monitores habet pręſentes. Horum conſiliis, & ſuo, benedicente Domino agat, quod in rem eius eſſe intelligit. Ego omnibus bona mente acquieſcam. Bene Vale, & quid nunc ad communem vtilitatem cudas, vel proxime cuderis, velim mihi ſignifices. Nam vetera tua pene omnia habeo. Pientiæ Calendis Iulij.

F. CASTILIONO FLORENTINO SACERDOTI.

CCLVI.

CÆtera in Gregorio tuo, vel noſtro iam placent. Id modo auebam ſcire, quæ illi ad tradendam Latinitatem facultas eſt, inſtituendis adoleſcentibus ſumme neceſſaria. Audiſſe ius Pontificium. Philoſophiã, & ſacras litteras, adultis ſunt opportuna.

Hæc ętas,cui præceptorem paro, Grammaticen ſine ſuperſtitione, & intelligentiam puri ac nitidi ſermonis noſtri,expoſtulat.Itaque ſi ille eſt talis,extortum magis, quàm impetratum ab ſuo hoſpite mitte ad me,& ſimul ſtatue quid ei in priuatas neceſſitates dem ſalarii annui.gratias Gorbizo noſtro agens pro ſua in hac re diligentia. Promitto tibi, erit Gregorio ſenſatus diſcipulus, dictatis eius omnibus parens: non vanus, non leuis. fatigaturus illum non tam componendis moribus, quam litteris. ipſi autem, vt ſcripſi proxime,laboris merces maior aliunde quàm à ſalario erit. Bene Vale.Pientiæ Calendis Iulii.

G. AVGVSTINENSIVM MINISTRO GENERALI.

CCLVII.

QVid tu, mi Claude, de re vxoria tam aſſeueranter agis? & de ſponſa tanta repromittis? An non vita tua omnis inter libros conſenuit? longiuſque à coniugalibus rebus,quam à caſtrenſibus ſemper fuiſti? ſi ea fiducia de rebus diuinis diſputas, quid tibi ego iam credam? Puellam ais,cui nihil deeſſe video. vnde mi Guillelme hæc propoſitio? an non audiſti vocem Aleph? *Mulierem fortem quis inueniet? Procul: & de vltimis finibus terræ?* An non Eccleſiaſten tuum? *Virum vnum de mille repperi, mulierem ex omnibus non inueni.* An non & innumera alia,quæ Theologo tibi ineptum eſt recenſere? quid aliud oſtendit epiſtola tua,niſi cupere te ad amorem,qui inter nos eſt, coniugii etiam neceſſitudinem addi? Si ſacramentum Eccleſiæ non eſſent nuptię,quam te armis tuis hic agitatem? quam ſęcularibus negotiis te implicates? & ponens ad atatrum manum retrorſum aſpiceres. Sed illo videlicet vno os mihi obſtruitur. Relinquuntur tamen nonnulla, quibus tecum in hac negotii abundantia iocer. forma inquis perpulchra, atque elegans. Idearum ſpectatorem bonum te iudicabam,mulierum neſciebam,iſta præſertim ætate,qua ſine adiumento ocularis vitrei bene nil vides. Addis moribus optimis imbuta. Dic quæſo ex temetipſo hoc aſſeris, an ex aliis habes? ſi ex te ipſo: quid Auguſtinenſi cum puellis conſuetudinis eſt, vt de earum moribus iudicet? ſi ex aliis, quid pro explorato amico Cardinali offers? quod illi ſuę rei cauſa potuerunt mentiri? An non mulieri de moribus mulierum eſt credendum? Audi Plautinam Eunomiam: *optima nulla eligi poteſt. alia alia eſt peior.* Subdis & in iis quę ad artificia mulierum attinēt, eruditiſſima. Riſum hoc loco non tenui. oto te,quę artificia acus credo,& coli. Si coli: an neſcis linteis te ex religione tua non vti? ſi acus: quid tu de tenuiter ſutis iudicium fers? in cuius ſacra veſte conſuto vulnere craſſum atq; recens filum oſtendit non vna cicatrix. Sed hæc ioco: reliqua ſerio. Patere me in hac te vti iudicio,& id cum Iacobo agere,quod cum tribus fratribus iam obſeruaui, quibus de vxore conſulentibus, negato conſilio, poteſtatem permiſi vt placitam ducerent. Quęrendi liberi Iacobo ſunt non mihi: ipſique moleſtia omnis, & voluptas omnis futura. Expendat ſeipſum, & tempora, & facultates ſuas, ſubductaq; omnium ratione id agat, quod in animum Deus inducit. Scriptum eſt enim: *Domus, & diuitiæ dantur à patribus: à Domino autem vxor timorata, & prudens.* Nepoti meo omnium mihi chariſſimo,non aliud dicam,cum cogitabit de nuptiis. Bene Vale Pater omni veneratione digniſſime. Pientiæ Calendis Iulii.

CCLVIII.

COnſolator abſentiæ meę quam plenior fuit cōmunicatio hæc cum Abbate meo, quam narratio priorum litterarum tuarum. Illæ nihil niſi vulgare continuerunt: hæc ex ſinu Domini tota eſt prompta. Intelligo nunc ad verum, quid Romę agatur, quid cogitet Pōtifex,qui fuerit tractatę pacis vltimus exitus,& quę etiā cauſa Albienſem meum vrbe extraxerit. Verum quæ ratio fuerit,vt in eodem nauigio cū Auinionenſi non veheretur,ex parte agnoui. Plene agnoſcere ex te nō potui: ex Theanenſi, quem ex itinere ſuo ſum allocutus,myſterium omne eſt reuelatū. vehebantur videlicet neſcio quæ merces ab Neapoli vſq; petitæ,charę, precioſæ, habendę ſemper in ſinu,& nullis,ne quidem amiciſſimis credendę. Placet non dicta hęc eſſe Abbati,ne ad inferiores triumphi noſtri ordinis tranſeant. Gratias autem benignitati tuę pro omnibus ago,orans vt ſic facias ſedulo,& abſentem ſeruum hoc genere pietatis lætifices. Si diſcedet Pontifex,vt vellem ego, vt ambo non credimus, ſeruabit curiam abitu ſuo.

Si

Si diſcedes tu, Papienſi filio gratam rem facies, |cui ſupra quam credas tua ſalus eſt curæ. Diſcede ergo, vt dicis, & te reſpice his malis diebus. Quid addere iam rebus tuis præſentia poteſt? Honorum tibi abunde eſt: Beneficiorum abunde. Pecuniarum eſt tantum, vt victus cauſa contrahi æs alienum non ſit neceſſarium. Vita eſt opus, hac præſertim ætate, qua anni voluuntur in præceps, & damna eorum acri diligentia ſunt ſarcienda. Vides iam minus quam videre es ſolitus. audies poſt paulo etiam minus. Mox quoque guſtabis etiam minus, & minus dormies, & minus deniq; laborem poteris ferre. Medicina tantorum malorum eſt venatus, aucupium, piſcatio, libertas cæli, agrorum inſpectio, & quies imprimis animi, quam Romæ inuenire non potes. Serua te igitur Pater ad meliora, & me audi, & vale. Canto tibi efficaciora remedia quam medicorum omnium cohors. Pientiæ ix. Iulij.

PAVLO SECVNDO PONT. MAX.

CCLIX.

VNo eodemque tempore intellexi, Beatitudinem veſtram proximis diebus languiſſe, & nunc recreatam eſſe beneficio Dei. Altero dolui, altero lætatus ſum, quantum filio de patre dolendum fuit, atq; lętandum. Hortor & quæſo, vt ſe poſthac diligentius ſeruet, & laboribus parcat, quos aliquando nimios ſuſcipit. Tempus anni per ſe inſalubre eſt, & curæ illud plurimum grauant. Danda eſt opera vt quod vtiliter facimus, facere diutius valeamus, miſcẽtes ſemper inter ſe cum actione quietem. ago gratias Deo quod illam ſaluauit. eundem deprecor, vt in futurum etiam ab omni malo cuſtodiat. Ex iis enim ſum, qui beneficentiam ſuam expertus, & libertatem ſine metu agens, Dominum, & patrem mutare non cupio. Cuius pedibus me deuote commendo. Pientiæ ix. Iulij.

PAVLO SECVNDO PONT. MAX.

CCLX.

COmmendaui Beatitudini veſtræ ante diſceſſum meum, Nicolaum Foroliuienſem, neceſſarium D. Antonii clerici cameræ veſtrę, hominem cum bonum, tum vero numeroſa familia ortum, & pulſum nuper à Tyranno ciuitatis eius propter fidẽ Eccleſiæ, quam ſequebatur. Dixi etiam poſſe hunc aliquando ſuo, & ſuorum ſuffragio, adiumento eſſe Beatitudini veſtræ in quęrenda populi illius afflicti ſalute, & propterea non negligendum. Audiuit hanc commendationẽ libenter Sanctitas veſtra, & notulam quarundam artium, & officiorum, quæ petebantur, iuſſit D. Henrico dari cubiculario ſuo, quod & factum eſt. occupationes ſubſecutæ Beatitudini veſtræ non permiſerunt fieri quod in animo habuit. Scripſit ille nunc ad me & petiit, rem ſuam in mentem reduci. Hoc facio libentiſſime, Sanctiſſime Pater, non eo ſolum, quod nulli afflicto eſt negãda interceſſio, ſed magis quod in rem Eccleſiæ eſſe agnoſco. Amo Sedem Petri & patrimonium eius, prædicariq; omnibus in locis noſtram gratitudinem cupio. qui videt non derelictum eum qui paſſus eſt pro Domino ſuo, ad patiendũ, & ipſe ſe comparat. multum in vtramq; partem valent exempla. Rurſum itaq; humiliter quæſo, vt dignetur hunc filium ſuum reſpicere, & ex ipſa notula, quã Domino Henrico iterum dabit, aut vndecunq; placuerit, locum vnum deligere, in quo ſeruare ſe interim in omnem opportunitatem Eccleſiæ poſſit. De fide eius, quæ probata experimento eſt, etiam D. Antonius cautionem dabit, quam volet Sanctitas V. cuius pedibus Nicolaum, & me deuote commendo. Pientiæ ix. Iulij.

CAMPANO PRÆSVLI APRVTINO.

CCLXI.

SI ſcirem cui credendæ eſſent hæ litterę, ferres à me mercedem ingratæ obliuionis tuæ, cum ne nuncio quidem poſt diſceſſum, Papienſem dignatus ſis appellare. Sed hoc videlicet continet me, quod vereor ne aliquo caſu nimia noſtra familiaritas pareat, palamque peccatum tuum cum mea iracundia fiat. Habeto igitur impune, neſcio neglectum dicam, an contemptum, an vero id, quod Campania dicitur genuiſſe. Pantaſyleæ tuæ nobili mulieri negotium grande à genero ſuo faceſſitur, quod ex An-

tonio Vrbeuetano plenius noſces. Contentio omnis Peruſiæ eſt: ipſa Senę apud cognatos nunc abeſt. nemo rem filiarum in aduerſa ciuitate audet aſpicere. ſolus tu es, qui lapſum vbique familiam ſuſcitare es ſolitus, pupillarumque ac matris viduæ miſereri. Miſericordia hæc impenſius nunc eſt impendenda. Optant vt Peruſiam eas, & quicquid eſt diſcidii tua diligentia ſarcias. Rogauerunt me, quem poſſe apud te putant: id ipſum contendam. Facturum recepi. Maiore quidem in eas officio quam de te ſpe. Quæſo igitur vocem deprecantium audias, & derelictis ſubuenias. Nemo te melius facere hoc poteſt, qui earum domeſtica tenes. Nemo amplius velle debet, quod egenus olim omnium, gratæ domus es liberalitate adiutus. Memor eſto beneficii accepti: Tibique in hac neceſſitate dictum exiſtima: *Campano derelictus eſt pauper: Orphano, & pupillo ille erit adiutor.* quantum impetrem neſcio, qui auctorem tuę dignitatis habes pro nihilo. Nimirum & educatores præteritos negliges. Delectaris, vt video, nimium te ipſo, & Theramo, ac ingenio nimium inſoleſcis. Adde, quod nundinatis ſacris primi altaris diues es factus. Cuique ante erant vix vrceoli ſex, nunc Craſſi abaci oſtentantur. Digna res ſacerdotio. *Vnde habeas, quærit nemo: ſed oportet habere* Tacere volueram hoc: Sed indignatio extorſit. Reliqua in vrbe: Vbi vel tibi repetundarũ diem apud Bardulum dicam, vel quod magis puto, ſtrangulatum his manibus in proximum flumen abiiciam. Vale. Pientiæ x. Iulij.

BAPTISTÆ ZENO APOSTOLICO PROtonotario.

CCLXII.

VBi ſis, & quid agas, atq; vt valeas, neſcio. Valere te cupio. De reliquis fieri aliquãdo certior opto. Itaq; cum potes, ſcribe. Communicatione rerum alitur charitas. Amo Dignationem tuam. Idq; ſponte, magis quam præcedentibus meritis. Erit tuæ benignitatis, qua commendabilis es, operam dare vt te quamdiutiſſime amem. Etſi enim noſter amor parum addere rebus tuis poteſt, amari tamen eſt laudi. Vbicunq; autem es, valetudinem ſerua, & nec litteras deſere. Plus illæ ad te honeſtandũ afferent, quàm Zenonia omnis nobilitas. Si tecum eſt frater tuus Ioannes, quęſo meo nomine ſaluere illum iubeas. Propter humaniſſimos mores ſuos, & ſtudia, & ingenium, præcipuamq; in me beneuolentiam, ei quoq; afficior plurimum. Ambos cum Pontifice Paulo, & veſtro Papienſi ſeruet miſericors Deus. Bene Vale. Pientię x. Iulij.

F. CARDINALI S. PETRI IN VINCVLA.

CCLXIII.

SCribe rem ſæpius ad D. Veſtram, vt mei officii eſt, ſed nouit Deus, quid ſcribam non habeo. Sum in loco procul à commerciis hominum. Nec hic affertur niſi quod vbique eſt notum. Vt tamen mihi ipſi ſatisfaciam, pauca hæc ſcribo, quibus & opto D. Tuam beneualere, & me illi commendatum eſſe. Amo enim eam vt patrem, plurimique ſummum ſuum ingenium; ſummamque bonitatem omni tempore feci. Curet ſeipſam diligenter hoc peſtilenti anno, & familiam ſuam. Cupio per D. Veſtram commendari Pontifici & noſtro Niceno, quos benignitate ſua protegat Deus. Pientiæ x. Iulij M.CCCCLXVIII.

A. CARDINALI AVINIONENSI.

CCLXIV.

SI nauigans D. Veſtra attigit iam portum ſalutis, bene eſt, Gaudeo, & Deo gratias ago. Placeat pietati ſuæ reliqua ex voto concedere. Amplius præſtare patri meo non poſſum. Poſſum autem rogare multa. Primum, vt valeat: Deinde vt ſibi non deſit. Poſt etiam, vt de reditu cogitet: Denique, vt memor ſit filii ſui amantis ſemper, & fidelis ſemper. Scit quorum indigeo. Si erit cum Rege gratia, vt futuram puto, liberet me quæſo moleſtiis continuis: Quibus & de cœnobio Auinionenſi, & Archidiaconatu Xanthonenſi vexor quotidie. Alterum petit Rex, vt dimittam, Altero non ſinit Epiſcopus vt quiete fruar. In vtroque opem patris imploro: Magis autem in reſtituenda Achidiaconatus iuriſdictione, quæ illius iniquitate adimitur. Dedit eum

pietas

pietas veſtra. Vtiq; veſtra opera eſt defendendus. Ad hęc duo ſi addi aliquid aliud ex tanta Gallici agri ineſſe poteſt, meminerit Auinionenſis meus, quicquid Papienſi additur, addi ſibi. Adhuc ſum Pientiæ incolumis cum tota familia. Peſtilentia non ceſſat Romæ. Mecum eſt Senenſis noſter. quatuor alii Cardinales in proximo. Reatinus Senæ. Theanenſis in ſuburbano Senenſi. Sanctorum quatuor, in Monaſterio Montano, quo ſe Pius quondam ex Viterbio contulit: Bononienſis autem ad balnea beati Philippi, ex quibus tamen nuper diſceſſit. Dominus Deus ſua pietate cuſtodiat Dominationem Veſtram Reuerendiſſimam, cui me deuote commendo. Pientiæ die xv. Iulii. M.CCCCLXVIII.

PAVLO II. PONTIFICI MAXIMO.

CCLXV.

Legens ego hodie, Beatiſſime Paule, exempla duo literarum vere Chriſtianiſſimi Regis Hungariæ ad me miſſa ex vrbe, quibus ad propulſandam Dei iniuriam, obſtinatiſſimo Bohemo bellum indicit, eleuaui ad cœlum oculos, & manus, & pietati ſuæ gratias egi, quod tandem reſpexit nos, & in ſpem ſalutis erexit, & ſuſcitauit ſpiritum Danielis, qui contriturus ſit Sathanam ſub pedibus noſtris. Inde calamum ſumens congratulandum duxi clementiæ veſtrę, quæ Apoſtolica virga vas cōfregit inutile, & ſecuri miniſterii ſui excidit infructiferam arborem: Damnans poſt multam patientiam quod multo ante erat damnandum. Gratulor igitur quantum Chriſtiano homini, & ſacerdoti, & Cardinali Romanæ Sedis eſt gratulandum. Fides B. Veſtræ, & labor in hac cauſa continuus, refrigerium hoc iam merebantur. Memini die latæ ſententiæ B. veſtram in frequenti Conſiſtorio dixiſſe: Non videre ſe executorem tanti iudicii, ſed futurum aliquando vindicem Deum: Atque eius ſpe, magis quàm hominum eam damnationem ingreſſam. Non fruſtrata eſt ſua expectatione Sanctitas V. Accipit iam fructum religioſę fiduciæ, ſentitque Propheticum illud impleri: *Prope eſt Dominus inuocantibus eum, inuocantibus eum in veritate.* Ego, Beatiſſime pater, etſi principia ſalutis hæc ſint, nec ſpondere nobis exitum certum poſſimus: tamen bono animo continuationem diuinæ opis expecto. Cauſa optima eſt, & iudicium rectum. Tum autem ante iudicium omnis miſericordia immerenti Georgio pręſtita. Quid aduerſi hinc timeam, neſcio. Excitatus eſt tanquam dormiens dominus, & tanquam potens crapulatus à vino. Vltio ſanguinis ſeruorum eius qui effuſus eſt, introiuit in conſpectu ſuo. Ponentur iuxta verbum Apoſtoli, inimici noſtri ſcabellum pedum noſtrorum. Quia ecce oculi noſtri ſuper regnum peccans, vt conterat illud à facie terræ. electus propterea pugnator is eſt, cuius auus, & pater, & fratres, pro fide ſemper pugnare ſunt ſoliti, & ipſe pugnando gratiam Dei ſępe eſt conſecutus. Interim, Beatiſſime Paule, ne nimia terrenorum fiducia auertatur pietas eius à nobis, augenda eſt omnis fides, omnis deuotio, & bonorum operum zelus. Rogandusq; aſſiduo ſacrificio Deus, vt confirmet hoc, quod in nobis eſt operatus, & cor Regis ſtabiliat ad opus inceptum. Grandis res eſt: In vtranq; partem momentum plurimum habens: Nam & victoria nil plebi catholicæ lętius: Sedi autem veſtræ glorioſius, & aduerſo caſu (quod abſit) nihil triſtius, atq; miſerius. Fax funeſta eſt, vnde in noſtra, & fidelis populi capita, propagari quotidianum incendium poſſit. Quo magis propitiandus eſt exercituum Deus, & vocibus Eccleſiæ religioſus Rex adiuuandus, vt videlicet ipſo pugnante pluat ſuper peccatores Bohemos laqueus, ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum ſit pars calicis eorum: pro quo ſuum alienumque ſanguinem fundunt. Quod ego etſi peccator, indignuſq́ue, qui eleuem manum ad ſacrificium Domini, facio, & faciam quoaduſque vel perditam, vel ſanatam hanc Boemicam peſtem agnouero, petens humiliter a Beatitudine Veſtra, vt ſi vlla in re ſcribendo nimius fui, charitati, & zelo ſerui ſui aſcribat. Amo enim Eccleſiam, & diligo decorem domus Dei, in qua ſupra merita mea ſedeo cum Principibus populi ſui, eiuſdem pedibus me deuote commendans. Pientiæ. xvi. Iulii.

F. CARDINALI MANTVANO.

CCLXVI.

NOn putabam ſecundis rebus te ſic inſoleſcere. Scribere ad me antea ſolitus eras, & noſtris literis reſpondere, cum & Ioannes chirurgicus, & Bartholomæus Maraſca, domeſtici tui Principi ſeruiant: Atq; ex illis videaris plus poſſe. tam me negligis quam ſi tibi notus non eſſem. Non ita de te ab initio iudicium fuit, cum cœptus eſſes diligi. Aut ſcribe, & multum ſcribe, aut mihi amicitiæ fidem remitte. Cum ſuperbis nolo mihi negocium ſit. Vale Pientiæ. xxvi. Iulii.

FALCONI.

CCLXVII.

VErum eſſe experior, quod vulgi prouerbium habet: *Procul ab animo eum eſſe, qui ſit procul ab oculis.* Poſt diſceſſum meum ſyllabam non miſiſti ad me. Aut langues, quod doleo: Aut contemnis, quod vero eſt propius. Quicquid id ſit, ſcribe poſthac: De tuiſque & aliorum rebus etiam minutiſſima nuncia & folium comple. Non minus habeant verborum & riſus literæ quam præſentium ſermo. Hoc ſi nolles iniungi, vtiq; ab initio diligi à me nolle debebas. Antiquatus amor cogit ita vt poſtulem. Bene vale. Pientiæ. xxvi. Iulii.

IOANNI ALBARISANO CHIRVRGICO.

CCLXVIII.

AVdio Palatinum te factum. ſi ita eſt, & gratulor tibi, & gaudeo. Auctus eſt nouus famulatus æſtimationem & rem. idq; vt ex voto eueniat opto. ſuperbire iam noli. multi pontificibus ſeruierunt, quibus nihilominus præſidio opus fuit alieno. ſi cuius rei egebunt mei, opera tua ipſis adeſto. locum quem es adeptus, ſtudio tibi conſerua. id accidet, ſi non eris tui diſſimilis. Bene vale. Pientiæ. xxvi. Iulii.

IO. CARDINALI SANCTI ANGELI CARVAGIAL.

CCLXIX.

INnumeræ ſint gratiæ D. tuæ, quæ ex Hungaricis literis tantum lætitiæ eſt impertita. maiorem animus non ſenſit hoc anno. video non dereliquit nos Deus: ſed recordatus miſericordiæ ſuæ de cęlo in terram aſpexit, vt audiret gemitus compeditorum, & ſolueret filios interemptorum. eramus ſine ſpe vltoris ſententiæ noſtræ, nec apparebat qui tanti iudicii executionem ſuſciperet. Excitatus à Domino eſt fortiſſimus rex, cuius quanto inopinatius præſidium eſt, tanto timidis nobis & circumſpicientibus omnia lætius. Indictione ſua illa belli, quæ ſcriptis oſtenditur, nihil, ſi cauſam attendimus, grauius: nihil, ſi animum intuemur, præſtantius. ſi opus etiam fidei & obedientiam Romanę Sedis inſpicimus, nihil Chriſtianius. merito illum laudauit dignatio tua, & dignum duxit, qui decretis noſtris ex omni regum numero ornaretur. præſtet ei Deus gratiam ſuam pugnantiq; aſſit, faciatq; vt obſcurentur oculi inimicorum eius, fiantq; viæ illorum tenebrę & lubricum, & angelus Domini perſequēs eos. in participationem optatiſſimi gaudii exempla fieri curaui, & vicinis dominis mitti Reatino, Theanenſi, Sanctorum quatuor & noſtro Senenſi, qui tuæ diligentię mecum vna gratias aget. Oremus omnipotentem Deum, Pater, vt lucem hāc ſpei nunc primum monſtratam pietate ſua indies aperiat, & cor regis confirmet, & memor ſit improperiorum, quæ ab inſipiente Georgio tota die fuerunt. Bene in domino vale. Pientiæ die xxvii. Iulii.

FR. CARDINALI SENENSI.

CCLXX.

DEſertus mihi nunc videor. Non tu hic es. non Maſſaninus. Non mox futurus & Lollius. Si gratum mihi eſſe ſeceſſum hunc optas, redi actutum. Sed ita vt imperfecta non linquas ea, quorum cauſa me dimiſiſti. Si qua iniuria feneſtrarum te tāgit, obſtruentur illico muro craſſiſſimo. Si etiam doles meſſem ademptam, tota poſ-

ſeſſori

ſeſſori ſuo reddetur. Scribe conditiones, quas cupis. Firmabuntur ſtatim meo chirographo. Dummodo redeas, nil erit vel graue vel multum. Inauditus ſcio quid agam. Apponam tibi ad autem meum Spanochiam. Flagello linguæ vel currentem remittet ad me. Si inter ſalutationes Senenſes dici vacat particula, nuncia mihi quid ad rẽ tuam noſtram potius acceſſus profuerit. Cogit charitas, vt tecum pariter vel ruam vel pendeam. Vale, & reſcribe. Multum lucubranti lucernæ iam deſunt. Pientiæ.

G. LOLLIO PICOLOMINEO.

CCLXXI.

QVæ curata à te in emendo prędiolo ſunt, ex fide, & beneuolentia noſtra ſunt omnia. Placent, & facta ex vſu exiſtimo. Matthæo venditori pecuniam penſam benedicito nomine meo: Benediciq; ab eo viciſſim agellum curato. Volo mihi vſum eſſe communem cum eo Documentum venditionis da operam à notario exigi. Tuq; illi pro me ſuam mercedem vel inuito perſolue. Si quid iſthic nunciatur noui, fac tuis literis noſcam. Scribe imprimis quo itinere Dux Calaber ad patrem redeat. Item vera ne ſint quæ de Ferdinandi languore feruntur. Singula cum ſuis auctoribus habeant literæ tuę. Vale, & domeſticos omnes ſaluta ex me. Pientiæ.

CARDINALI SENENSI.

CCLXXII.

VEnienti Senam Anſano Canonico communicaui nonnulla, quæ meo nomine à dignatione tua contenderat. Si conſentanea rationi ſunt, ſi à te perfici poſſunt, ſi vt fiant etiam cenſulis, quæſo pro mea in te charitate ea mihi vel magis Chriſtophoro ſeruo omni diligentia pares. Additamenta quę audies vehementer cupio: ſed non plus quidem quam tu cupienda exiſtimes. Volo deſideriorum meorum adiutor ſimul ſis, & corrector. Bene vale. Pientiæ.

FRANCISCO PHILELPHO.

CCLXXIII.

LEgi palinodiam tuam de Pio. Legi laudes, quas de me plurimas refers. Inſpexi cõmentariorum indicem antea poſtulatum. Intellexi quoq; quid Senis tua cauſa curari deſideres. Omnia & reddita præpoſtere ſunt, & allata ſerius, quàm expediret. Ad ſingula ſic breuiter habe. Pro palinodia gratias ago. Et ſi enim validiore manu illata, quam ſanata ſint vulnera: maieſtaſq; Romani Patris offenſa ſtilo calamis ius ſuũ non teneat: tamen acceptiſſima fuit, digna laude, plena ingenii, & conferenda priſcis, quæ vel apud Græcos, vel apud Latinos miramur. Exempla eius mittam ad noſtros omnes, ad Theanenſem, Senenſemque imprimis, quos ante alios factum tuum pupugerat. Non dubito ſi quid apud hos triſte de Pii contumelia reliquum erit, id eos omne huic Palinodiæ daturos. Tu interim labori inchoato finem non facies: Sed parenti auctoriq; fortunarum noſtrarum præſtabis, quod aliquando iniuſti direptores pacatis oppidis præſtant. Vt ſi vna diligentia reſtituere prędam totam non poſſunt, ſenſim, vt quæq; proferuntur, reſtituant. Sic tu qui in Pii gloriam iratus inuaſiſti. ſi minus vno labore reddere quod ademptum eſt potuiſti, reddes paulatim, & nouis, & pluribus. Quod vt facias, non ſolum opto: ſed pro amoris imperio, etiam volo. Commemoratio laudum mearum, quas prædicas, non tã mihi aliquid de me perſuaſit, quàm ſuauitate orationis tuæ animum mulſit. *Mecum habito, & noſco quàm ſit mihi curta ſupellex.* Tu qui vnice amas, ex pietate tua Papienſem expendis, ſuę virtuti id tribuens, quod alieni totum eſt officii. Parui homo ingenii ſum, literaturæ minoris. In domo Domini ſeruus inutilis, indignuſque, non dico qui ſedeam cum principibus populi ſui, ſed qui vix inter vltimos ſacerdotes annumerer. Quare magis me poſthac ad doctrinam, & religionem cohortationibus tuis accendes, quàm parræ alicuius laudis teſtimonio proſequere. In illis fructus erit: In his tantum tuæ voluntatis indicium. Rem Senenſem temptare adhuc nequiui cum pluribus. Abſum enim diei vnius longiſſimã viam. Cum nonnullis, qui me priuati officii cauſa adiere, diligenter temptaui. Si quæris quæ ſpes: exigua, quantum ex illorũ ſermone, & ciui-

tatis motibus colligo, ô Philelphe. Petita merces magna nimis videtur. Cōditio pendendæ ante tempus pecuniæ prorſum inſolita. Tum autem literarum noſtrarum ſtudium vel nullum ibi, vel minimum. Ineunte octobri ero illic, ac planius agam omnia, teq; ſuſpenſione hac liberabo. Admiſſum iudicem editionum tuarum hoc tantum dixiſſe ſat erit: Habendas tibi, & ab ætate tua, & à tota poſteritate gratias eſſe. Non ſolum quod docendo, id quod intermiſiſti nunquam, ſed ſcribendo etiam, quod facis aſſidue, ad communem vtilitatem multa contuleris. Non paſſus iuxta verbum Varronis ſolam fuiſſe Sibyllam, quæ viuens, & mortua hominibus beneficio fuerit. Deligam ex iis quædam, quæ mox de tuis exemplaribus emendatè mihi parentur. Nam quod Ducem noſtrum multa nuper in me inuectum ſignificas, cauſamque omnem conferre in miniſtros, quibus minus gratis in procurationibus vtar: Nouum, Philelphe, malum non eſt. Alias ſæpe ſum laceratus: Illi etiam frequenter in crimine adducti. Sed eo tolerantius à me feruntur cuncta, quod bonorum iudicio, meo quoque abſum à culpa. Superbum dicit. Nil me vnquam humilius, qui dignitatis huius oblitus præter eius inſignia de priſtina communitate vitæ nihil mutaui. Auarum etiam criminatur: A quo vno longe plura ornamenta in ſacerdotia mea collata ſunt, quàm à decem anteceſſoribus ſimul. Sed qui anno proximo pertuli verbera, quid ni & præſenti perferam verba? Nunquam ille ſuis criminationibus faciet, vt obliuiſcar me ſacerdotem, vtq; amare Sfortianam familiam, & ſe etiam deſinam. Memini dictum mihi voce Apoſtoli: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis: relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Qui peccatum non fecit: nec inuentus eſt dolus in ore eius. Qui cum malediceretur, non maledicebat. Cum pateretur, non comminabatur. Tradebat autem iuſte ſe iudicāti.* Porro autem apud me valet beneficentiæ paternę memoria. Quod ſum: Quod poſſideo, illius ſuffragio acceptum refero. Non debeo vno incommodo filii, vno aut altero de me inclementius dicto tot merita eius poſt tergum reiicere. Scio ineunte ætate, & deferueſcente iuuentute alios ſenſus ſuos futuros, quantumq; ad annos, tantum ad ſuam in me humanitatē acceſſurum quotidie. Querelæ vndecunq; allatæ, ex eo fonte redundant, quod alienum à me Principem noſcunt. Redeat ſapientis Franciſci de me honorificus ſermo: omnis iam detractio in benedictionem vertetur, & qui oppugnare non ceſſant, propugnare incipient. Miniſtri mei iidem ſunt, qui fuerant patre viuente: Meliores, non deteriores facti ætate. Noſco eorum fidem ac diligentiā non externis teſtimoniis, ſed domeſticis experimentis probatam. Si tueri aliquando apud eum factum ſuum poſſent, artificia maleuolorum multa oſtenderent, & in benefactis placerent. Nunc accuſati ſemper, nunquā defenſi, quid aliud quam mali apud vnius partis iudicem poſſint putari? Sed his quoq; ſucceſſores mox mittam. Magis vt præſenti rumori faciam ſatis, quam vt ſperē eandem inuidiæ flammam poſſe illos vitare. Tibi gratias ago, quod de his omnib. me celari paſſus non es: rogans pro beneuolētia noſtra, vt idem agas in reliquis. Cicho noſtro, quem probas, nil certe fieri beneficentius poteſt. Vir integer eſt, amantiſſimus noſtri, amicorum ſuorum fidelis adiutor. Eo illos diligentius colens, quod expertus eſt, quanti ad parandum augendumq; Dominatum Franciſco erectori ſuo contulerint. Verbo vno abſoluam: Maria ac terras populoſq; regenti non comes vtilior. Si non adfuiſſent patrocinia ſua cum potuit, conſilia vbi nō potuit pro naufragio vno paſſus eſſem iam multa. Ei tu quoq; meo nomine gratias age, & rem noſtram commenda, & me ama, & operam nulli tuo vel tempori vel loco defuturam confide, & has quoq; indocti hominis ineptias bono animo accipe. Eo autem melior quod reſcribo non ſcribo. Bene vale. Pientiæ XXVIII. Iulii.

CANTALICIO.

CCLXXIV.

DIſciplina & vita Ioannis Antonii commiſſa ſunt diligentiæ tuæ. Vtrunq; cura cū fide. Quotidie aliquid addatur ſtudiis. Si mores exorbitant, reducantur in ſemitam. Noſti ætas illa quam fragilis ſit, & in licentia quàm labamur omnes. Exigam à te veniens omnium rationem, ſed vitæ longe ſeuerius. Mane tantum, & veſperi ſit veſtra vagatio. diei reliquum occupent literæ. conſortia illa vitentur, quæ ad imitādum ſane nil habent: Cicerone, Cæſare, Marone, & Comico tuo non poteſt quicquam eſſe feſti-

ſe feſtiuius. Horum ſodalitia cæterorum ſunt anteponenda cõſuetudini. Epigramma ruum perlegi. Eſt ſaxoſo Pientino colli aſſimile: durum, inæquale, alieniſq; magis verbis fultum quàm ſuis conſiſtens. Quod ſcribis Cantalici ſtatim ne profer. Verſa in omnem partem, & obuia ne ſemper admitte: ſepone ad tempus, & interim quære, num meliora ſe offerant. *Carmen*, inquit Flaccus, *reprehendite, quod non*

Multa dies, multaq; litura coercuit, & non
Quod caſtigatum decies conſpexit ad vnguem.

Facio tecum quod cum cęteris ſoleo. Vt libere dicam quod ſentio, Recte ne an perperam ſentiam, viderint docti. Malo alii inſcitiam damnent, quàm me conſcientia. Vale.

IACOBO MINVTVLO.
CCLXXV.

IN multo meo ocio iuuat aliquando colligere, quæ temporibus noſtris geruntur digna memoria. Ariminenſis hæc oppugnatio ex eo genere videtur: non ſolum quia magna eſt, ſed quod maiorum motuum præbitura occaſionem putatur. Eam ob cauſam rogo te per amicitiam noſtram, vt quæ facta ſunt, & fient quotidie, reducta in libellum mittas ad me. Notes tempora rerum, & conſilia, & locorum ſitus, & rationem omnem oppugnandi, & repugnandi. Addas etiam quæ fuerit arctandæ obſidionis diligentia, & Ducum hinc inde induſtria. Scis quæ conueniant hiſtoriæ, ea ſtudio ſummo conquire, & ſcribe. nolo autem Latine illa ſint ſcripta. Vulgarem narrationẽ, eamq;, vt ad calamum venit, habeant ſingula. Sic tu, & minori labore quæ peto abſolues, & ſignificantius omnia indicabis, & mihi in declinandis tropis, & ſchematibus tuis erit leuior cura. Non fient hęc ſine laude Theſaurarii noſtri, cuius virtuti lingua noſtra militat. Opto eccleſiæ, & Pontifici Paulo, vobiſq; omnibus acceſſionem hãc Ariminenſem: Quæ ſi beneficio Dei adueniat, palmam nobis de rebus Italicis datis. Tua beneuolentia, mi Iacobe, horum quæ peto pleniſſimam, veriſſimam, & cumulatiſſimam habeat rationem. Vale.

FALCONI SYNOBALDO.
CCLXXVI.

QVando de Gallicis tuis rebus intelligere ego nil poſſum, audi tu cõtra de noſtris Italicis, quæ in magnam expectationem videntur adductæ. Pontifex ad Ariminũ caſtra habet, & magnis eam ciuitatem obſidet viribus. Summæ rei pręfectus eſt Alexander Sfortia. Is vicis tribus ſuburbanis iam occupatis hoſtem Robertum intra muros continet, & bombardis quatit. Suſtinetur in hanc diem obſidio. Dolet ea res multum fœderatis tribus: Ferdinando Regi, Duci Mediolanenſium, & Florentinis, qui Roberto à Pontificis ſtipendiis ad ſua traducto fidem illius tuendi documentis, & iureiurando dederunt. Habent copias ii omnes ad fines Eccleſiæ, quos nõdum ingreſſi ſunt. Minitantur multa, non tamen inferunt. ſuus puto illis eſt metus. Aduerſus regẽ miſſus ad Truentũ eſt Neapoleo Vrſinus cum turmis equitũ circiter quindecim. Ante cõtenderant eo nonnullæ alię, quę his iunctæ iuſti exercitus inſtar efficient. In Ducẽ, & Florentinos ſi quid ii molientur, inſtructi ſunt. Veneti nobiſcum iuncti fœdere. Vtrinq; celſi animi. Vtrinq; duces fortes, & miles egregius. Quid tandem fiet ambigimus. Iuſta nobis eſt cauſa, illis iniuſta Durum videtur iniuſtæ rei gratia bellum inferri, & apparatu grande, euentu dubium, & exitu calamitoſum Rurſum proiicere hominem in fidem ſuam ſuſceptum, cum ignominioſum illi putant, tum exẽplo etiam noxium. Mira res. Domus Malateſtarum Andegauenſis belli in Ferdinandum excitauit incendium. Eam pro Ferdinando oppreſſit Eccleſia. Pro eius nunc reliquiis, in Eccleſiam pugnat Ferdinandus. Quis hæc digne lamentari queat? Rara eſt fides, & meritorum recordatio. At mutatus eſt Pontifex. At non mutata Eccleſia. Opibus Eccleſiæ, non ſuis Ferdinandum iuuit Pius. At inclementer multa in Regem Paulus. Quid oro, non clemẽtiſſimum? Audire nunquam paſſus eſt hoſtium de illo conſilia. Remiſit cenſus. Dedit Sacerdotia. Præſulatus contulit. Cardinalem Romanæ Sedis ſua voluntate creauit. Deniq; & pacem reſtituit. Quid addi am-

plius potuit? At rem Soranam non reddidit. At non debuit. Tu ne, quod te nolebat dominum, & in te pugnabat, & ad matrem ſuam, tuo conſenſu reductum eſt, & niſi reductum eſſet, vinci non poterat, poſt tanta accepta beneficia repetes bello? Sed queri iam deſinamus. Ad querendum ſatis annus non eſſet. Oro Deum omnipotentem, ſanam mentem tribuat, contineat arma, & pacem præſtet, cuius dulce nomen eſt, & res ſalutaris. Vale.

G. LOLLIO.

CCLXXVII.

QVod de prædio Maſſainorum eſt à te actum, gratias ago. Petitum precium longe exorbitat. Quod licitatoribus ſuis hic obtuli, offero iſthic tibi, millia ſex aureorum Senenſium. Sed ita ſi integrum detur. Venditam neſcio quam particulam dicunt, quam conſtat pignori quadringentorum eſſe compoſitam. Nummum his non addam, nec in me vectigal venditionis recipiam. Præſentem pecuniam ſoluam, vt noris omnia, & non mireris exploratiſſimum habeo. Tribus item aliis millibus nõ reſtitutum iri neglecta. Nouẽ millibus collectis parabo propinquum Ciuitati, quod pulchrius, amœnius, vtilius, etiam & tutius à bellis erit. Vale, & tuo obſcuriloquio vtere, vt plus ſemper diſpliceas, quam placeas. Pientiæ. xii. Auguſti.

CCLXXVIII.

QVid mirum, ſi me ita delectat Pientinus ſeceſſus? Innumera ſunt quæ illuc animum trahant. Saluberrimus aer detectus, & patens. Cum eo aduenio, ex fornace videor ad flumen aduenifſe. Recreor totus ac neſcio qua dulcedine mens, corpuſque perfunditur. Aquæ porro leues, & digeſtæ, vnde nec lapillus timendus eſt, nec guttoroſitas, è fontibus non longinquis petuntur. Accedit panis mollis & niueus, menſis Regum digniſſimus, qualem ab vrbe ad id loci non eſt inuenire. Vina præterea eiuſmodi quidem, vt tota Ethruria meliora non ferat. Ciuitas non magna eſt. Pugnatores paulo plures quadringentis armat. Poſita in colle edito ad medium fere Vrciæ vallis eminet. Sunt mihi in ea ædiculę duæ, ſane belle ædificatę. Alteræ in meũ, paucorumq; qui mihi ſunt neceſſarii: Alterę in familiæ vſum. Ambæ proſpectus latiſſimos habent. ſuntq; ad voluptatem æſtiui temporis pulchre excogitatæ. Quod autem referri primum decebat, eſt & baſilica operis egregii à Pio extructa, ſupellectili ſacra inſignis, & locuples. Coluntur ibi diuina mirabili ſtudio, ſic vt nulli cathedrali Italicæ cedat. Exiguum in ea collegium eſt, ſed ex ſacerdotibus totum vigilans ad opus Dei dies ac noctes. Additur his hominum charitas, vt non ſumme diuitum, imprimis quidem facilium. Amant peregrinos. Benigne illos accipiunt hoſpitioque & neceſſariis iuuant. Non poſſum quicquam cogitare quod placeat, vt non illi mea præueniant ſtudia. Accedens ad eos lætitia & ludis accipior. Abiens publico pene fletu dimittor. Gratiora facit hæc omnia crebra Pii noſtri recordatio. Illic natus eſt. Illic baptiſmum accepit. Illic quoq; reliquit impreſſa ſanctorum pedum veſtigia. Quocunq; vertuntur oculi, monumenta ſui nominis aſſunt. In familiaribus colloquiis quæ nobiſcum habebat ſæpe, hunc prę cæteris laudabat locum. Optabatq; & ornari à nobis, & poſt ſuum obitum coli. Quod ſane facio, vt gratitudinem quaſi quandam ſecutus poſthabitis cæteris hoc ſolo delecter. Audi & gratiam paruę ciuitatis. In colle, vt dixi, poſita circunſtantes colles amœniſſimos habet, naturæ beneficio ſic inſtitutos vt cum vinetis, & ſatis conſpicui ſint, tum aſcenſu deſcenſuq; adeuntes non grauent. hos crebri præterlabuntur fluuioli, glarea, & aquulis nitidi. Piſciculorumq; ſupra modum feraces, qui nobilitaris cauſa longius ſæpe portentur. Hinc aſſus eſt, & Thuoma. hic Trieſa, & Formon, & maior his Vrcia, à quo vallis tota nomen accipit: Propinqui omnes, & piſcatu faciles. Prominent montes in circuitu, quorum altiſſimus Amiata eſt, numero populorum, & ſpecie. Seceſſu quoq; Pii imprimis famoſus. Condiunt quæ dixi caſtella plurima in gyrum poſita, æquis fere inter ſe ſpatiis diſtantia. Cuncta inter octauum milliare incluſa. Ab oriente Politianum, Monticulum, & Caſtiliunculum. A meridie Contignanum, Campilia, Roccha, Caſtilio. Ab occidente Quiricum, Ilicinum, & Lucilianum. à ſeptentrione Mutium & Petrorium.

Petrorium. Populoſa ſingula, & neceſſariis ad victum plena. Si quando ſatietas Pientini loci te capiat, adiri hæc licet, & varietate tædium tollere. Si quo etiã egeas, quod non habeas, peti inde id licet. Si quando, quod abſit, langueas, vicina ſe prębente Auinionis & Beati Philippi balnea ſtomacho & capiti vtilia. omitto cuiuſque modi aucupia & venatus, vt copioſos ſemper, ſic propinquos, & non laborioſos. Dicam extrema epiſtola id quod etſi leue poſſit videri in ſeceſſu, tamen ad voluptatem valetudinemq; optabile eſt. Tectam habet extra Pientinas portas ad milia paſſuum duo euagationem, vt neque ab oriente matutinus ſol noceat, neque ab occidente veſpertinus: Sed continuo per vmbroſa inambulanti ſine immaturo ſudore exercitium fiat, & proſpectus amœniſſimus ante oculos ſit. Rationem habes iterati placentiſque ſeceſſus pagina breui collectam: ſi probatur, mirari me deſine. ſi tuo hunc anteponis, veni ad nos. Domus, quę te capiant, plurimæ erunt & commodę. Vale. Pienriæ.

HIERONYMO RANVTIO.

CCLXXIX.

Video ex litteris tuis, quæ doleas mecum de mutatis à Pontifice conditionibus olim te oratore conductis. nimias eſſe contendis, & Ciuitati tuæ importabiles. Proinde quid de his ſentiam, reſcribi petis ad te. Ego quid ſentiam inaudito Pontifice reſpondere tibi nil poſſum: Sed ſi vera ſunt, quæ ſingillatim commemoras, dura nimirum videntur. Sin vos de fugiendo officio maiores vero difficultates pretenditis: quid aliud dicam, niſi præteritam indulgentiam præſentem diſciplinam aſperiorem nunc reddere. Summa illa eſt, Hieronyme, vt filiorum more ſi quid impetatum vehementius eſt, Patri id nuncietis. Oretis vobis eius pietatem, & precibus magis quàm minis impetrare conemini, quod priuatę rei & publicæ expedit. Si eſſem Romæ, operam meam quantumuis leuem offerrem, atque impenderem. Sed abſum quatridui viam. Hinc tamen ſi nuntio vllo meo, aut litteris vobis eſt opus, parata vtraque ſunt omnibus horis. Bononiam amo, nun modo propter virtutem & generoſitatem ciuium, quæ certe conſpicua eſt: ſed hercle propter vetuſtatem ſuam, & te. Doleo peſtilentia adhuc vos laborare. Malum hoc multos hoc anno exercet. Ferte & id quoque animis æquis. *non ſi male nunc, & olim ſic erit.* Acceſſum ad me tuum, quem offers decedens officio non tam expecto quam cupio. Bene Vale, quando & nos omnes beneficio Dei, ſine medico valemus. Pientiæ die xix. Auguſt.

F. GONZAGÆ DIACONO CARDINALI

Mantuano.

CCLXXX.

Magna eſt auctoritas conſiliorum noſtrorum, ampliſſime Pater, magna religio. Suſtinent, cum bona ſunt, totam eccleſiam: ſine iis quod pondus habeat, nihil decernitur. Horum decreto collegæ inter vos cooptantur. Præſules præficiuntur eccleſiis. Propagandæ & retinendę fidei ratio quæritur: De pace ac bello ſtatuitur, nec omnino publicum aliquid accidit, quod ad ea nõ veniat. Diuinæ rationis hæc eſt inſtitutio: ſancta & ſalutaris ſi habeatur vt expedit. Sed exquirendorum conſiliorum vis tota in Pontifice eſt: dandorum in nobis. Si ille prudenter ea regit, ſi nos meditata, & libera, & coniuncta Deo afferimus, nihil eſt ſalutarius. Communis operis in omnẽ partem manat vtilitas. Optanda quidem vtraque ſunt ſemper. An præſtentur ſemper, experimur quotidie. Colligam ergo nonnulla meo iudicio ad rem facientia, non vt aliorum magiſter: ſed vt commemorator quidam eorum quæ ſentio. Et primo, quæ ad Pontificem: Inde quæ ad nos pertinent, breui abſoluam. Ad te vero libentius hæc ſcribo, quod & boni ſemper deſiderium habes, & iudicare de omnibus ſapientiſſime ſoles. Bona an mala ſint, trutina tua expendes. Venturus in Conſiſtorium Pontifex ante omnia affectus exuat, ſi qui eum ea in re tenent, de qua eſt conſulendum. Hunc afferat ſolum, vt verum cognoſcere cupiat. Cogitet etiam non ſuam priuatam rem agi: ſed publicam omnium, cuius aliquando Deo creatori reddenda ſit ratio. Si hoc

illi propoſitum erit, vix relinquetur peccato locus. Quæ autem adductus in conſilium eſt, pure proponat. Verbum audiatur nullum, in quo ſuſpicari poſſimus, quid velit. Singula inueniendi veri deſiderium monſtrent. Sententiam ſuam ipſe dicat poſt omnes: qua in re non erit aliquando inutile quæ in vtramque partem eſt meditatus collatis inuicem rationibus in medium ponere. Adiuuat hoc infirmiora ingenia, cum quaſi deſignatos videant locos, in quibus quærendum conſilium ſit. Fortiora etiam excitat, cum minus iam & in iis occupata ad inquirenda noua ſe vertant, & de propoſitis internoſcant facilius. Obſeruabat hunc morem beatæ memoriæ Pius ſecundus: hunc ego plerumque neceſſatium iudico. Re tota libere, vt dixi, propoſita, erigat conſulentium animos, admoneatque vt ex ſententia conſulant: Teſtatus ſe non hoc malle quam illud: Sed id maxime quod libertati maxime ſeruiat. Dici vix poteſt, quam fructuoſa ſit hęc diligentia, quamque ad rectum nos animet. Pendemus enim vt plurimum ab illius oculis, nec tam eccleſiæ, quam noſtram rem intuemur: Veritu ſemper, ne ſenſui ſuo dictio noſtra non congruat. Proxima cura erit, vt eos qui loquuntur, tota ſignificatione clementiæ audiat, vultuq; adſit. Nil æque dicentem confirmat, & ad proſequendũ adiuuat quam magis enim bene ſentire & bene loqui, & placere ſe putat, tanto & nititur diligentius, vt bene inchoata abſoluat. cum vero circumſpicitur, obſcitatur, ridetur, atque alibi ſenſus audientis eſſe videntur, frangitur animo qui loquitur: Atque ad ea reſpiciens, quę inepte dixiſſe ſe credit, ad dicendum minus fit efficax. Erit ergo præſidentis benigni, in his etiam, quæ non probet, probationis ſigna oſtendere. Sed nec interrumpendus eſt conſulentis ſermo. Sinendus ſemper in finem procedere. Plerunque enim vbi memoria tenax non eſt, excidunt per interualla bene cogitata, nec reſumi facile poſſunt. Fitque ideo vt cum non meminerit ille quod dicat, vel turpiter taceat, vel perſequatur inania. Interpellare tamen aliquando eſt neceſſarium, ſiue cum res plene intellecta non eſt, ſiue cum admonendus nominum videtur, quæ ſatis non tenuit. Vtraque tamen parce impendenda. Caput omnium eſt, vt inter audiendum non ſuccenſeat Pontifex, nec iratus aliquid imputet, nec alibi eſſe, aut hoc quam illud ſe malle ſignificet. Auditis ſententiis, humanitatis etiam erit bonam conſulentium mentem laudate, dicere ſapiens conſilium eſſe. Idque agere, vt grata fuiſſe officia ſua fratres intelligant. Eſt hic labor exiguus: at gratia & laude pleniſſimus. Præterire autem ſilentio quod dictum eſt, atque hoc tantum, vel illud recipere, Domini opus eſſe videtur, non patris. Si in vnum ſententię coëant, & ſubſit ratio, decernendum eſt ex Fratrum conſilio. ſin vero, vt aliquando accidit, à maiori & meliori numero pauci quidam diſſenterint, negligendi illi non ſunt: ſed clementer docendi, quamobrem dicta eorum recipi nequeant. Nemo enim noſtrum eſt quantumuis hebes, qui ſuis cogitationibus plus æquo non arroget. Ea igitur dexteritate ſatisfaciendum eſt cuique, vt bono animo in alienam ſententiam tranſeat. Mos eſt noſtri collegii à numero ſententiarum decernere: credo ea ratione inſtitutus, quod veri eſt ſimile, hunc ordinem non niſi ex perfectis conſtare, quorum maior conſenſus probationis etiam conſilii faciat argumentum. Hoc quidem vult ratio. Sed longe eſt aliter aliquando. Principes ſęculi, neceſſitas temporum, amor etiam carnis frequentius collegas nobis dant quam Sedis electio. Ergo non ſemper numerus eſt attendendus, expendenda ſemper ipſa conſilia. Leuium enim & ſtultorum vbique rara eſt pars. Maligne etiam ſæpe conſulitur, ratione habita non tam ſalutis quam negotii, quo Pontifex grauius implicetur. Sunt & qui ad gratiam totos ſe forment. Expendet ergo & ſeliget ea diligens Princeps, neque ad linguas, ſed ad mentes reſpiciet: Seruabitque iuxta ſcripturam à conſiliario malo animam ſuam. Nam quod in Prouerbiis legitur: *Salus multa, vbi multa conſilia.* Id ita eſt attendendum, ſi veritati ſint conſentanea. Quid enim malorum conſiliorum aceruus iuuat? quorum quanto maior eſt cumulus, tanto peſtis validior. Ponderanda igitur ſunt non numeranda. Illudque putandum verius, quod Eccleſiaſticus admonet: *Conſiliarius ſit tibi vnus de mille.* Non erit autem inutile, quod vno in conſiſtorio eſt introductum, altero decernendum relinquere. Ad grauitatem noſtri ordinis hoc pertinet, & ad verius cognoſcendum præſtat materiam. Dies vna aut altera interpoſita diligentius inquirendi ſpatium dabit.

Ac veluti in ſtomacho demiſſus cibus, ſic tempore ipſo coquetur conſilium. Ante Nicolaum quintum hic mos ſeruabatur, ſed vt cætera neglectu noſtro iam obſoleuit. Non ſemper tamen eſt differendum. Repentina quædam accidunt aliquando, in quibus mora omnis eſt noxia, & conſulendi amplius adimitur ſpatium. Ergo temporis tota erit hæc ratio. In decernendo autem ſortem animum habeat Pontifex, non attendens quid terrenę poteſtates petant, ſed quid ſua officia poſtulent. Exigunt nonnunquam indigna, quærentes non quæ Ieſu Chriſti ſunt, ſed quę ſua. Minantur quoque cum poſtulant, & cum non impetrant iraſcuntur. His honor vt magnis habendus eſt, non vt iuſtis præſtandus aſſenſus. Accidit quoque ſæpe, vt illa maxime rogent, quę nimium cupiant. Francorum Rex Carolus cum contenderet ab Eugenio quarto Iuuenem ante annos legitimos Metropoli eccleſiæ pręfici, idque aſſecutus factum damnaret, dicente quodam: Interceſſiſti ô Rex. Interceſſi, inquit, rogatus, ſed non credidi conceſſum hoc iri: ſe videlicet poſtulationis extortæ: Eugenium nimiæ facilitatis damnauit. Quærendum ergo ſemper quod rectum, & conſcientia gratiæ pręferenda. Hactenus de Pontifice. De Cardinalium officio pauca nunc audi. Conſulere nemo bene poteſt, qui idem non ſapiat. Sapit nemo niſi qui à Deo ſapientiam habet, loquitur Scriptura: *Dominus dat ſapientiam, & ex ore eius prudentia & ſcientia.* Ex Deo igitur erunt ſua conſilia, nec proferet lingua quod timor Domini ante non probet. Deſideria quoque ſi qua eum priuatim tenent, poſthabeat publicis, nihil ſuum credens quod commune non ſit. Eſt cuique noſtrum patria. ſunt Principes potentatuſque meriti aliquando bene de nobis. In ditionibus eorum noſtra ſacerdotia poſſidentur, vnde panem quotidianum accipimus. Amari eos non veto. In benefactis etiam adiuuari volo. Hoc damno quod ab illis ita pendemus, vt non electi ad conſilium Sedis, ſed mercede ab iis videamur conducti. Dicimus non quod noſtri eſt iudicii, ſed quod eorum vel nuntii, vel litteræ porrigunt. Intrantes ergo conſilium huiuſcemodi affectus omnes ponemus, ſimulque cum turba, quæ comitata eſt nos, relinquemus ad fores. Introducenda autem erit ſola veritas comes. Qui de rebus dubiis conſultant, inquit hiſtoricus, ab ira, odio, amicitia, vacuos eſſe decet. Haud facile animus verum prouidet, vbi illa officiunt: neque quiſquam omnium libidini ſimul & vſui paruit. Sed nec à vultu Pontificis ſumenda conſilia ſunt, ſi vel ille charius affectum ſequitur, vel noſtri ſenſus aliud dictant. Sacerdotis os cum mente ſemper concordet. Dicendæ autem cum libertate ſententiæ ſunt, ſed ita vt contumaciæ abſit ſuſpicio. Dati non ad blandiendum, ſed conſulendum ſumus. Præſtarique id conuenit, vt ſacerdotum probemus collegium. Inclinemus etiam ad miſericordiam magis quam ſeueritatem: & emendare quæramus, non perdere. ſi cogitemus quid iure in nos decerni à ſummo Iudice poſſit & quid velimus decerni, imitari eum licebit, qui non ſecundum peccata noſtra facit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis. Duritas nimia eſt, cum leniori ſententia reddere meliorem proximum poſſis, malle triſti decreto affligere. Probabiliorem dicit Cicero medicinam, quæ ſanat, quam quæ exſiccat. & Apoſtolus Paulus: *Vos*, ait, *qui ſpirituales eſtis inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Non nego agendum aliquando ſeuerius eſſe, & vim excitandam. Sed id tum adhibendum eſt, cum temptata lenitate medicamentis parum ſalus ſuccedit. Porro cum ea in conſilium veniunt, quibus impendenda eſt vel res noſtra, vel opera, laborem otio, & largitatem parſimoniæ pręferamus. nec vt vitemus incommoda, ſententiis malignemur. Quæcunque in commune afferimus, tanto amplius commendant miniſterium noſtrum, quanto & difficiliora ſunt, & minus præſtari à cæteris ſolent. Agendum vero eſt omni ſtudio, vt non putemur ad deſidiam facti, nec videamur auare parcere traditis ab Eccleſia bonis, quorum diſpenſatores, non poſſeſſores vero vocabulo ſumus. Dandum ergo ſuadeamus potius quam retinendum, & demus ipſi ſine triſtitia, pigrique ad opera ſubeunda non ſimus. Hoc enim eſt noſtri officii. Ad pompam & delitias ornamenta Cardinalatus non ſunt: aut deponi illa oportet, aut id non recuſari, cuius cauſa ſunt data. Bis peccat, qui boni operarii occupat locum. Mandatum ipſe non ſeruat, & ab opere alium prohibet, dignus quidem damnatione Dominica: *Inutilem ſeruum eiicite in tenebras exteriores:* & quoniã eorum loco ſucceſſimus, quibus Do-

minus dixit: *Pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis*: non facile ad decernenda bella inclinemur. Sint amica concordiæ noſtra conſilia. Valeat in nobis Chriſtianis quod in P. gentili homine Scipione olim cum gloria valuit, vt dicamus, malle nos ex noſtris vnum ſeruare, quam mille hoſtes occidere. Ad retinendum, non effundendũ ſanguinem, & ad tollenda, non ſuſcitanda ſcandala poteſtatem accepimus. Nil minus quàm bellicum opus conuenit Sacerdoti. Omitto enim quod bellari neſcimus, & vel ignorantia noſtra vel aliena perfidia damna ſæpe ſuſcepimus. etiam qui hæc audiunt, indecora miniſteria noſtræ vocationi exiſtimant. Igitur (iuxta verbum Comici) *temptabimus omnia conſilio prius quam armis, & pacifici erimus, vt filii Dei vocemur.* Indigne etiam afflictis nunquam deſit in conſilio patrocinium noſtrum. Proiis velut pro nobis audacter dicamus ſententias, neminem credentes lædi, vbi pro veritate eſt patrocinium. Infinita ſunt quæ pręcipi de hoc genere poſſunt. Quot enim offeruntur opera bona, tot per dies ſingulos eſſe poſſunt conſilia. Id vnum in commune tenendum, vt recedentes à malo, quod ſanctum eſt & ſalutare perſequamur. Videnda nunc ea ſunt, quæ erudire & meliora facere hęc noſtra poſſint officia. Adiuuantur imprimis ciuilis iuris & Pontificii Legiſque euangelicę diſciplinis. Ex quibus deliberationes noſtræ ſemper ſumuntur. Hæreſium iudicia, recta in fide ſententia, læptę à lepra diſcretio, Præſulum lites, inſtitutionum, deſtitutionumque cauſæ: examen denique rerum, quas tractat Eccleſia, formulam inde accipiunt. earum qui inſcius erit, aut ſæpe iudicio fallatur neceſſe eſt, aut alienam ſententiam ſequatur ſuæ ignarus. Olim Q. Sceuola Sulpitio forenſes cauſas tractanti, vitio dedit, quòd ciuilem ſcientiam vnde illarum eſſet patrocinium ignoraret. Quid ni idem nobis maiorum rerum iudicibus queat de noſtris litteris imputari, non ab homine, vt illi, ſed à ſummo Iudice Deo per Prophetam monente: *Erudimini qui iudicatis terram.* Hiſtoria quoque non mediocriter in deliberationibus valet. Etenim magiſtra eſt vitæ, exemplisq; homines facilius, quam ratione ad conſentiendũ ducuntur. Ex pręteritis etiam præſentia, & ventura pernoſcimus, videmuſq; quid dimitti prehendiue habeat. Tenenda igitur eſt omnis antiquitas. Initia naſcentis Eccleſię, progreſſus, & caſus, quibus eſt agitata Martyrum fides. Patrum virtus, per quos eſt aucta religio. Comprehendendum etiam vetus omne, ac recens miniſterium, non Romanorum tantum, Sed aliorum quoque Pontificum. Dictu non facile eſt, quanta hinc lux, & fiducia ſuſcitetur in actionibus noſtris. Sed nec recentioris ætatis eſt ignoranda conditio: quid nationes, quid regna, quid Principes, quid liberę ciuitates de ſacerdotio in vtramque partem ſint meriti, vt conſulentibus promptum ſit quid liceat ab iis vel illis ſpetari, & quid iis, vel illis tribui debeat. Confundatur neceſſe eſt præmii & pœnę omnis ratio, vbi hæc non ſubueniat diligentia. Sapientiam dixerunt quidam filiam eſſe vſus, & memorię. Quantu longinquiora duo hæc ſunt, tanto illa præſtantior. A nulla autem re maior memoria eſt, quam ab hiſtoria. Pauca quædam pueri meminerunt ſenibus collati. Vita noſtra comparata antiquitati, eadem ratione pueritia eſt. *Neſcire enim quid fuerit antequam natus ſis, id eſt* (inquit Cicero) *ſemper puerum eſſe*. Et quoniam ad conſilium de Repub. capiendum caput eſt noſſe Remp perdiſcenda vtique bono Cardinali erit tota Chriſti Eccleſia, quæ fides vbiq;, quę diſpenſatio, quanta Sacerdotibus, quanta Epiſcopis, quanta etiam Romano Præſuli ſit reuerẽtia. Quid valeant opibus Principes, quas paces, quę cum quoque bella exerceant. Denique qui mores illorum, atque inſtituta. Rationem hanc ſic paratam animo, inſtructamque habeat, vt nulla in re, cum opus fuerit, hoſpes videatur ac peregrinus. Quia vero ad nos veniunt ſæpe magnis de rebus Legati, quas in Senatu tractari oportet, etiam audiendi illi cum diligentia ſunt, & petitionum ſuarum tota vis pernoſcenda. Ingerendæ etiam difficultates, vt in iis diluendis planius illi de cauſa nos inſtruant. Quin & in litibus, quæ iudicandę ſenatoriis ſententiis ſunt, requirendi aduocati erunt, & procuratores, quibus in vtramque partem cauſa inſtruitur, ſeorſum à ſingulis probationum ſuarum ſeries audienda, quam etiam ſi pro more ſcriptam relinquant, proiicienda illa non eſt, aut ſemel tantum legenda. Repetenda frequenter, & nec aliter concipienda animo, quam ſi res noſtra ageretur. Negligimus hanc curam per ſępe, & ſine cognitione ad cognoſcendum accedimus, ſiſt vel referentium ſtudio, vel ſententiis primo loco di-

co dicentium. Neceſſaria inſuper eſt Curiæ noſtrę & ſæcularis totius poteſtatis cognitio, quid habeant queque facultatis atque officii. Cancellaria imprimis tenenda: Cuius inſtituta ad noſtras diſceptationes ſæpiſſime veniunt. Quid porro ex quaque Prouincia, & Ciuitate ad ærarium veniat, quid ipſum ærarium poſſit, qui noſtri exercitus, qui ſocii, quæ ſubditorum fides, atque perfidia, quę priuilegia Romanæ Sedis, vel obſoleta iam vetuſtate, vel nunc quoque vigentia. Qui denique cenſus, & quę loca, vel poteſtatis noſtrę, vel iuris. Præſtat horum diligentia, vt certum ſemper conſilium, ſic aliquando fructus non expectatos. Sunt autem in hoc genere priuata etiam quędam fidei & moderationis officia, conuenientia ſemper conſultoribus bonis, & à me non omittenda. Principis noſtri odio, maligne conſulendum non eſt. Malum enim conſilium conſultori peſſimum. Nullum quoque eius incommodum, à noſtro ſeiunctum putandum eſt. Sed nec laudi bene conſulentis collegę inuidendum. Aut vt parum ille vidiſſe videatur, ſentiendum diuerſe. Contra charitatem hoc eſt, & publicis nocet. Præſtanda etiam iis, quę decreta, & diſceptata ſunt, taciturnitas. Nil propalandum, quod quenquam grauet. Laboramus hac intemperantia ſæpe, dum ſoli eorum ſtudioſi videri volumus, quos adiuuandos ſuſcipimus. Ideoq; reuerſi domum ſeriem ſæpe totam conſilii pandimus. Crimen omne vel reiectæ petitionis, vel parum adiutæ in hos vel in illos reiicientes: Qua in re & ſancta ſocietas collegii violatur, & grauium odiorum cauſæ pręſtantur. Minuitur etiam mirum in modum ſacroſancti loci auctoritas, perfidiamque ipſi noſtram cum leuitate oſtendimus. Cum autem omni hæc cauerimus diligentia, tum illud accurate ſeruandum nouerimus, vt non cõtendamus cum ſentientibus diuerſa. Non tollamus clamores, non contumelioſe quicquam agamus. Tantum rationem affirmemus noſtri conſilii. Idque quanto maiori poſſumus, verborum & vocis honore. Impenſius autem præſtanda hæc modeſtia eſt, cum neceſſarium erit aliquid dilui. Pauci enim æquanimiter ferunt, non probari ſententiam ſuam. Itaque & venia interim petenda, & mitiſſimo orationis genere promendę cauſæ, cur hoc illo vtilius arbitremur. Identidem & laudanda fides eius contra quem agimus, vt ſi maxime erraſſe iudicio ſe ſentiat, probari tamen officium gaudeat. Omnes commendat hæc diligentia: Sacerdotes vero Dei imprimis, quibus Apoſtolus dicit, *Nihil per contentionem, vel inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes: non quæ ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum.* Sententias quoque noſtras, in quo ſæpe admonitos nos vidi, non iteremus: Sed contenti loco, qui obtigit, alienum non occupemus. Quod etiam dixerunt alii, noua nos oratione non peroremus. Conſulenti ad rem, non ad pompam, ſatis eſt verbo vno in priorem ſententiam ire. Temporis omnino nulla eſt permittenda iactura. Dicimus enim ſententias ſinguli, & decernenda ſunt multa, & occupatus ſemper eſt Pontifex. Itaque ridendi, & moleſti omnibus ſumus, cum tractamus ſuperflua. Illud autem in omni actione noſtra meminerimus, Pontifici noſtro conſultores nos eſſe, non magiſtros, dicique à nobis vota, non voluntates. Ideoque nec agendum vehementer, nec indigne habendum, ſi non accipiuntur noſtra conſilia. Votorum nomen indictum eſt noſtris ſententiis, vt videlicet optare videremur non velle, & ſeruire non imperare. Itaque cum placide quod eſt noſtri iudicii ſemel dixerimus, eo contenti feremus modice quod decernetur, laudandumque, & adiuuandum putabimus. Quia vero conatus omnis noſter ſine Deo inanis ac mancus eſt, die ſemper conſilii illum precabimur, notam faciat nobis viam, in qua ambulemus, errare non ſinat infirmitatem hanc carnis, noſtrumque omne propoſitum ita moderetur vel tollat, vt maxime Eccleſiæ ſuę neceſſarium iudicat. Sanxit Cæſar Auguſtus, vt prius quam Senatores ſui conſederent, ſupplicarent ad eius Dei aram, in cuius templo haberetur Senatus. Turpe quidem, & nefarium erit, religionis Chriſtianę Principes ſacrificium ſuum non ſoluere. Hoc ſoluendum promptius, quod certior eſt impetratio. Edicitur etiam voce Diuina: *Quærite primo regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Otians in receſſu Pientino collegi hæc pauca. Tu ingenioſus proſequere reliqua. Mihi propoſitum fuit non tam te monere quam alloqui. Bene Vale. Pientiæ M.CCCCLXVIII.

PAVLO SECVNDO PONTIFICI MAXIMO.
CCLXXXI.

POntifex Paule, eſt tibi, vt video, magna æternitatis cupido. Prædicare de te optas ſequentia ſæcula. Numiſmata eam ob cauſam tuæ imaginis non cudis modo, ſed fundamentis ædificiorum parietibuſq; admiſces, vt illis vetuſtate ruentibus exiliant poſt mille annos monimenta nominis Pauli. Titulos etiam operibus iubes incidi, quę vel publica ſunt, vel vſum domeſticum habent. Æmulator quoque vanitatis antiquę ſæculares ludos, & epulum Romano populo exhibes. Similia his moliris multa illuc vno affectu tendentia, vt Pontificatus tuus poſt te non ſileatur. Ignoſce Paule. Veram laudem iſta non habent. Sacerdotalis non putantur officii. Vanitas eſt his intendiſſe. Sapiens nemo numiſmata, & titulos, & laſciua plebis delinimenta probauit: Peccatum etenim continent. Videntes ea audienteſque poſteri ſectatorem quendam inanis gloriæ te fuiſſe conicient. Ita quod minime quęris, ignominiam pro laude inuenies. *Gloria noſtra hæc eſt*, ait Apoſtolus, *teſtimonium conſcientiæ.* Quære ergo, vt conſcientia tua ſatisfaciat Deo, & in illum reſpiciat. Parabis tibi gloriam permanſuram, quam nunc quærens non inuenis. Opera autem æternitatis in Pontifice ſunt: Vitam immaculatam pręſtare, lapſam Eccleſiæ diſciplinam erigere, reſtituendæ libertati clericorum intendere, ſic Iuſtitię cultorem eſſe, vt tamen miſericordiæ ſit recordatio. In bonis cauſis intrepidum ſe pręſtare, non vultus, non minas potentum timere, potiorem vita conſcientiam ducere, in ſpecula credita excubare, ad publicam gregis ſalutem oculos ſemper intendere, nihil ſuum credere quod Chriſti non ſit: mederi iugiter de miſeris Chriſtianis, qui proximi infidelibus ſunt, præſidia his mittere: incitare Principes ad capeſſenda pro fide arma: Ducatum, ſi opus ſit, illis præſtare: Theſauros in piam hanc cauſam effundere: parcitate non impediri, miſſione legatorum, profectione etiam propria, ſi expediat, pacare Regna. Nullibi ob cauſam priuatam diſſenſiones optare. Conari, vt miniſterium Sedis vbique ſit ſalutare. Domi quoque bene compoſitum eſſe: non iracundum, non impatientem, non male de miniſtris, qui probati iam ſunt, æſtimare. Partiri noctem, & diem ad opus, viciſſim & quietem. Naturam non inuertere, Velle, vt ſuo potius incommodo omnium conſulatur commodis, quam vt vnius quies aliorum paretur inquietudine. Meminiſſe Gregotiani verbi, quod litteræ Apoſtolicæ pręferunt: *Seruus ſeruorum Dei.* Si quando à curis vacet, lectionem ſacram aſſumere. Identidem ſcribere, colligere quæ memoratu ſunt digna, laborare ad præſentem pariter & fututam vtilitatem. His titulis, & numiſmatibus, & ludis, & epulis paratur ſolida, & perennis gloria. Illa ſæcularia, vt inania ſunt, ita euaneſcunt quamprimum, nec fructum acceptabilem habent. *Qui gloriatur*, inquit Hieremias Propheta, *in Domino glorietur.* & Apoſtolus Paulus: *Mihi abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Hos audi, Paule, & in quærenda laude ante oculos pone. Suadebunt ſanius, quam vana Gentilitas. Vale.

FR. BERTINO LVCENSI EPISCOPO ANDRIENSI.
CCLXXXII.

AB vltima Gallia requiris à me, quid poſt tuum diſceſſum à nobis ſit actum in Bohemicis rebus: Momenti (vt ſapienter ſcribis) multum habentibus vel ad ſalutem vel ad perditionem eorum, quos ab initio cauſę ne interirent ſeruare propoſitum fuit. Non puto de exitu iudicii velle te quicquã agnoſcere. etenim vidiſti præſens, & in ſenatu ante, & mox in baſilica Petri ſolemnem ſententiã à Pontifice ferri. In qua & manifeſte hæreſis Georgius damnabatur, & ſceptro regni ſubditorumq; fide, ordine priuabatur. Ea tantum poſtulari exiſtimo, quæ ſecuta ex illo tempore ſunt. Quam ad rem opportune accidit reditus ad nos Ferrarienſis Epiſcopi, qui ante ad Nurimbergenſem conuentum in Germaniã miſſus, & de his plura intelligens refert, quo in ſtatu ſint ſingula. Præſul (vt noſti) grauis eſt & fide digniſſimus. Ex eius igitur multo & accurato ſermone eis de rebus ita collegi: Magnam partem Georgicæ ditionis audito Sedis iudicio ab illius tyrãnide ſe ſeiunxiſſe, ac iam palã detrectare imperia: Dynaſtarum

rum autem quemq; ac populorum ad priuatam defenſionem ſe comparare: Metuēdum vero eſſe, ne ii omnes Germanis non adiuuantibus & perurgente Georgio inſignem aliquam calamitatem accipiant: Polonorum regem, quem creditum erat vendicaturum armis id regnum, tradente præſertim Pontifice, nec libere quicquid habeat animi reſpondere, nec ſaniorem illo in fide haberi. Imperatorem quoque Federicum ad omnia præpoſterum innata lentitudine neſcire quid potiſſimum agat. Id modo vnum flagitare à nobis, ne aduocetur Polonus rebus ſuis in tanta propinquitate tremendus. Palam etiam ferre, ſi maxime damnandi regis noſtrum iudicium fuit, non vtique poteſtatem eſſe regni tradendi: eam totam imperatoriam eſſe: Germanos itidem principes priuatis adductos periculis, de Polono excludendo ſentire cum Cæſare. Neminem autem inueniri, qui non habeat Georgium odio, & propter eius iniquitatem regno deiici cupiat. Verum dum ſibi inuicem omnes mutuis contentionibus diſſident, parumque pacati ſunt Cæſari, contingere vt metu quiſque aduerſæ factionis ne illi ſe Bohemus adiungat, non modo temperet bello: ſed neceſſario quoq; blandiatur fortunæ. Eamq; ob cauſam quoſdam fœderibus, nonnullos coniugiis eſſe coniunctos. In eo autem ſummum periculum verti, ne vndiq; liber hæreticus carptim aduerſantium quenq; vel ſtudiis continuis ſibi conciliet, vel opprimat armis. Etenim totum corpus ſanę partis regni non coire in vnum ad priuatam cuiuſq; defenſionem, ſed laborante vicino quietem proximos agere, atque ad ſua tantum conuenienda ſtudium adhibere. Futurum igitur his tantis incommodis, vt mox ille priſtinis ſuæ tyrannidi reſtitutis viribus, non modo contempturus hæc noſtra Sedis iudicia ſit, ſed paſſim vel metu, vel gratia ſtudia totius Germaniæ conciliaturus. Atque ita quemq; Bohemorum antea catholice ſentientem in eandem ſecum damnationem iturum: nec ante futurum finem quam ille inſigni aliquando detrimento Romanam Eccleſiam vlciſcendi ſtudio afficiat. Summa Ferrarienſis noſtri hæc eſt, non aliena quidem à vero ſi terrena tantum aſpiciat. ſed ego non ea ſolum contemplor, quæ humani conſilii ſunt: Altius quiddam ſpecto Chriſtianæ fidei decentius. In Domino Deo ſumma mihi eſt ſpes: non ſinente cauſam ſuæ religionis perire. ſperauerunt in eum patres noſtri: ſperauerunt & liberauit eos. clamauerunt ad eum & ſalui facti ſunt. In eo ſperauerunt, & non ſunt confuſi. ſperantes & nos conſecuturi nimirum eius miſericordiam ſumus. neq; enim abbreuiata eſt manus, ſemper plena, ſemper omnipotens. Miniſterium iuſtitiæ operati ſumus. Iuſtitiæ admiſcuimus clementiam. Nulla ſollennitas. Nullus ordo, Nulla expectatio eſt prætermiſſa. Rite peracta ſunt omnia. In quadriennium à die citati rei productum iudicium eſt: non negligentia vlla noſtra, ſed certo ſemper conſilio. Ter flagitante Cęſare, conuerſionemq; eius ſpondente: ſemel autem Principibus, quos memoraui, idipſum petentibus, curſum damnationis ſuſpendimus, maiori ſemper gratificatione, quàm ſpe. Ea vero lege continuo eſt promiſſa ſuſpenſio, ſi interim ille fidelibus pacatis nihil noceret. Indulgentia noſtra abuſus contumaciter eſt: Non quietem agens, non iis etiam parcens, quos propter inſtitutum erat iudicium. Per has moras ſic eos nequiter habuit, ſic dure afflixit, vt graues ad nos perferrentur querelæ, & facilitatis noſtræ aliquando nos pœniteret. Pertulimus tamen patienter omnia: Ac licet decepti, in eadem lenitate durauimus, ne aliquando in mali Regis iudicio, aut præcipites, aut immiſericordes exiſtimari poſſemus. Cur ergo in tanta manſuetudine noſtra, & tam iuſta fidei cauſa non ſperemus in Domino? metumque omnem ſiniſtri euentus, ſi quis nos habet, forti animo abiiciamus? An non dictum eſt nobis per Apoſtolum Iacobum: *Benefacientes, & non timentes vllam perturbationem?* An non per Saluatorem Chriſtum Ieſum: *Maior eſt qui in cælo eſt, quàm qui in mundo?* Et, *Mihi vindictam: & ego retribuam?* Scimus iuxta verbum Scripturæ itinera impiorum perire: Vltionem ſanguinis ſeruorum Dei, qui effunditur introire in eius cōſpectum. Eſſe eum à dextris nobis, ne commoueamur. In tantis ſponſionibus Diuini eloquii, niſi infideles ſimus, bene concipiendum eſt nobis, & erecta mente expectanda repromiſſa præſidia. Pręſto etenim ſunt omnibus inuocantib. ea. Ac licet peccata noſtra terrere merito nos debeant, ab iiſque flagella debita ſint expectanda: quia tamen publica Chriſtianorum res geritur, atq; in vnius caſu multorum ſalus

exurgit, confidendum indubie eſt, pietatem diuinam ad fidem magis Eccleſiæ reſpecturam, quàm ad conditionis humanæ fragilitatem. Exemplis innumeris confirmatur hæc in me ſententia. Quorum ſupra memoriam noſtram nulla attingam. Sunt enim innumera. Tria tantum, quæ vidimus ipſi, ſatis ad confirmandas animas ſint: eo quidem efficaciora, quo à noſtra cognitione minus remota. Damnato nuper propter hæreſim Sigiſmundo Malateſta, opinione rei militaris, & locorum communitione potenti, ratio perdendi hominis non ſat humanis iudiciis cernebatur. Ab Aragonenſibus, à Florentinis, à Sfortianis, ab omni noſtro Senatu diſſuadebatur Pio executionis ſuſceptio: Proponebantur oppida eius nonnulla natura & manu ſic comparata, vt facile decennalem obſidionem poſſent perferre. At Pater ille Deo fretus, cui holocauſtum id parabatur, illato bello, & apud Senogalliam hoſte deuicto intra pauciſſimos menſes Dominatum omnem, qui maximus erat, manifeſto Dei præſidio abſtulit, ſuæq; ditioni adiecit. Illum vero concluſum Arimini deleturus certe videbatur, niſi mox pœnitens facti in Baſilica Petri Apoſtoli conceptam hæreſim publice abiuraſſet. Ad conſequendamq; veniam Venetorum quoq; deprecatione fuiſſet adiutus: Alter æque Sigiſmundus ex Principibus Auſtriæ, propter Cardinalem Romanæ Eccleſię in vinclis habitum pari damnatus iudicio, Principatuq; omni exutus, cum propter ampliſſimam cognationem, Germanorumq; fœdera, vltorem facinoris habiturus non putaretur, vexatus tamen pœnis continuis, atq; odio ſuis habitus: Longa etiam contumacia fatigatus, à nulliſq; interim in ſua conſortia receptus, diuino tandem eſt humiliatus miraculo, atq; eo quidem vſq; humiliatus, vt Romanorum Imperator Auguſtus Cæſar orbis noſtri alterum caput, conſanguinitate illum attingens, cum ſumma Sedis gloria ante genua legati Apoſtolici procidens non ante ſurgendum putauerit, vel finem obſecrationibus imponendum, quā pœnitenti, & ſatis pro iniuriis facienti pœnarum abolitionem, reſtitutionemq; eſt conſecutus. Diethero autem Iſemburgenſi quid mirabilius diebus noſtris accidit: aut operi diuino ſimilius? Præfecerat hunc idem Pius ſummo ſacerdotio Maguntino: qua ex ſede, & dominatum ampliſſimum, & ius eligendi Cæſaris fuerat aſſecutus. obuertente autem mox cornua in patrem, nilq; aliud præter euerſionem primæ Sedis ſuperbis conſiliis agitante, proindeq; quotidie nouis in nos motibus Germaniam concitante, priuatus & ipſe eſt ſolenni Senatus decreto, reuerentiorq; alter in priuati locum ſuffectus. Cum autem ad complenda hęc armis nimirum opus eſſe iudicaretur, tenente illo præſertim Maguntiam ciuitatem, eiuſque arces, atque oppida vniuerſa, bellum paratur vtrinque, & magnis res ſtudiis geritur. Concurritur non multo poſt apud oppidum Egram. Superantur noſtri, Duceſq; fere omnes in poteſtatem hoſtis viui deueniunt. Actum eo tempore de Maguntinis conatibus iudicabatur: Nemo erat qui tanta plaga accepta, medicinam mali vel videret, vel ſperandam ſibi putaret. Ecce autem de improuiſo Pio ſolo ex omnibus, ſpe Dei non deſtituto, adeſt de ſancto ſuo auxilium. Fridericus Palatinus Rheni, quo Duce, & ſocio ſuperbus ſacerdos nos vicerat, diſſidere ab illo vehementiſſime cœpit. Sic vt de iuuando præſule, quem oppugnauerat, quotidianis conditionibus ageret, quarum rerum metu, & tædio affectus Dietherus, conſcientia ſimul tanti iudicii fatigatus contentioni ceſſit, & Sedi. Inde mercedem iniquitatis diſpenſatione Dei accipiens, vnde nos ante terruerat. Eundem nunc nobis exitum diuina gratia ſperare debemus, nec omnia noſtris ponderibus trutinare. Domino Deo, qui ſupra nos eſt, ea quæ ſupra nos ſunt, fidenter permittere. Cauſa non abſimilis eſt. Minori hic neceſſitate non premuntur fideles, quàm ibi. A noſtro porro ordine nulla conſilia ſunt defutura, nulla præſidia. Contrahentur omnia, per quæ oppugnari caput peſtiferum valeat. Interim ſpe bona fortiſſime ſubleuati expectemus ſuſcitari ſpiritum Danielis, qui Satanam conterat ſub pedibus noſtris, & molas Leonum confringat. Quod pietate ſua ille nobis concedat, qui ductori populi ſui per Eſaiam prophetam dixit: *Meus es tu: cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit te. Quia ego Dominus Deus tuus: ſanctus in Iſrael ſaluator tuus.* ac rurſum: *Apprehendi dexteram tuam, ſubiciam ante faciem tuam gentes, & dorſa Regum conuertam.* Vale.

FRAN-

FRANCISCO DE CASTILIONO FLORENTINO Presbytero.

CCLXXXIII.

De ſummula beati Antonini,atq; eius indice bene curata ſunt omnia. De exhortatione quoq; ad ſtudium veræ religionis,placet quod libello eſt additum. Expectationi noſtræ reſpondent omnia. Habeo tuę diligentiæ gratias. Precium quod te tacente,me requirente præſul Feſulanus indicauit, incluſum his mitto, libras viginti. Commentarium de ſtatibus deſcribi opus non eſt. A præſule Siluenſi illud parraui,quàm emendatiſſimum,& pulcherrimum. Remitto, vt petis alteram ſummulam:quam in pignus meæ deſcribendæ à te ante acceperam. Pro ea quoque gratias ago. Feſulanum ipſum, quem mihi honorificis verbis commendas, amo vt patrem,coloque vt eum,cui ad ſummam doctrinam, ſumma quoque accedit integritas. Nulli ſuo vel loco,vel tempori deero. Sed vtinam fundamenta, quæ illi iecceram,eleuaſſet noſtro conſilio. Perfectum nunc, atque abſolutum opus inſpiceres. Sed nec Platinam deſeram,cui adhuc eſt durior iudicio meo fortuna, quàm culpa. Vale. Romæ.

CAMPANO EPISCOPO APRVTINO.

CCLXXXIV.

Contra quàm petii,& quàm recepiſti,menſem iam ſecundum nil ſcribis. Aut nimium Theramo delectaris,aut noſtri exceſſit memoria. Vtrumcunq; eſt,ſine reprehenſione amicum non deſeris. Vel prætermittum ſarciens,ſcribe quotidie,vel quod malumus, redi ad nos. Deſiderium tacentis, abſentiſque ferre non poſſumus. Nullis tuis de rebus,non de te etiam poſt diſceſſum tuum cognoui. Audi tu contra de me,& meis:Id ſane quod ſine moleſtia multa non audies. Familia noſtra vexata eſt his diebus peſtilentia, iacturamq; miſerabilem fecit. Ioannes Barchinonenſis, tuus olim contubernalis,nunc meorum ſtudiorum comes,repente ſublatus eſt: vir vnus, vt ſcis, commendatione vitæ, & intelligentia ſacrarum literarum excellens. Hunc ſecutus eſt Bartholomæus Scarampus, ſummæ nobilitatis, & modeſtiæ iuuenis. Ambo non chari ſolum, ſed imprimis etiam vtiles. Hactenus quieuit malum, apprehendit quoque enecuitque inferioris ſamulatus perplures. Eam ob cauſam collectis ſarcinulis cogito intra quatriduum Pientiam petere,atque ibi largiente Domino æſtatem exigere. Cardinales nonnulli iam abiere. Stultitiam puto,conflagrante iam domo, ſine cauſa expectare, donec flamma me opprimat. Scis iam vbi ſim futurus. Erit beneuolentiæ tuę vel præſentia, vel literis amiciſſimum conſolari. Literæ, mi Campane,ſemper gratæ,ſed longe tu gratior. Vale. Romæ. Maii. M.CCCCLXVIII.

CARDINALI MANTVANO.

CCLXXXV.

Veni Pientiam,& ſum in ædiculis meis,quæ olim in gratiam Pii ædificatę, gratiſſimum nunc præbent ſeceſſum. Aer puriſſimus eſt. Circumſtantia loca plena lætitię. Exulat vndecunq; non peſtis modo,ſed nomen etiam peſtis. Si quęris quid agam,breui accipe. Inuoluor libris,lego & ſcribo,& vagor. Contemplor quoq; ſancta illa veſtigia Patris noſtri:quæ toto hoc colle ſunt ſępe impreſſa. Peto à te maiorem in modum:Primum,vt ſi aer peſtilens iſthic perſeuerat,Romæ non ſis: maioremq; virę tuæ,quàm rerum gerendarum curam ſuſcipias. Deinde, vt fidelem animam Papienſis tui diligas,eum protegas, conſulaſq; ſemper quid quaq; in re agendum ei exiſtimes. Te enim ſupra omnes ſui ordinis amat,& pręcæteris ſperat in te. Locus hic, vt procul ab hominum conſortiis eſt, ita & à rebus quæ poſſint literis ſignificari. propterea nihil ſignifico,& finem hic facio. Commenda me ſanctiſſimo Domino noſtro,& Patri meo condiacono tuo Cardinali Montisferrati. Bene vale,mi amantiſſime Mantuane. Pientiæ.

CARDINALI MONTISFERRATI.

CCLXXXVI.

OFficium eſt filii ſignificare Patri quicquid ei vel ſecundi accidat, vel aduerſi. Significo igitur, veniſſe me Pientiam cum tota familia: ac quantum locus placuit, tantum iter quatridui diſplicuiſſe: quod nunquam effuſis imbribus caruit. Viæ finis illorum finem fecit. Sum in hoc oppidulo maxima cum qu ete. Lego, & vagor. Lectioni ager, & agro ſuccedit lectio. Animus eſt, totam æſtatem hic agere, niſi aut Pontifex aliud imperet, aut aer inſalubris pellat. Precor Dominationem tuam Reuerendiſſimam, vt Papienſis ſui ſit memor, eumque adiuuet in quotidianis neceſſitatibus. Imperaui meis, qui remanſerunt Romæ, adeant illam, cum patrocinio vllo eſt opus. Scio non defuturam mihi, & illis charitatem amantiſſimi patris. Si Romæ non ceſſat peſtis, quæſo in aliquem locum ſecedat, malitque exemplo alieno, quam damno ſuo admoneri. Seruanda eſt vita: Idque agendum ne ſtudio exigui boni in magna mala incidamus. Pientiæ.

RICARDO CARDINALI CONSTANTIENSI.

CCLXXXVII.

POſt diſceſſum meum ab vrbe, neſcio quid conſilii ceperit Dominatio veſtra: manſerit ne Romæ an ſeceſſerit. Rurſum ſi ceſſerit, qui ei locus ante alios placuit. Ego, vt præſens verbo ſignificaui, Pientiam veni, quod oppidum amœnitate agri, & puritate aeris, me multum oblectat. Non minus tamen conſolantur libri, quibus totum id ſpatii, quod à curanda valetudine ſuperat, cum delectatione impenditur. Vtcunque de ſe ſtatuerit Dignatio veſtra, det operam, vt valeat bene, vtque non peſtilentiam modo, ſed metum quoq; peſtilentiæ vitet. Hæc cura & propter ſe ſuſcipienda eſt, & magis propter familiam, cuius non tam domini, quàm patres eſſe debemus. Contendebam quotidianis precibus à D. veſtra, vt Montepolitiani eſſet: Nunc damno conſilium. Eſt enim is locus militibus plenus. Dux quidam ex exercitu Ferdinandi regis, Alphonſus nomine, cum turmis quatuor equitum illic hibernauit, nec pace iam facta, abiturus per hanc æſtatem videtur. Non conuenirent, meo iudicio, cum Breuiatiis enſes, cum Eccleſia caſtra, & cum Aragonenſibus, Galli. Itaq; ſi placet, Pientiam veniat ad filium pater, ad ſeruum Dominus, & ad canonicum Archipresbyter ſuus. Domus hic plurimæ ſunt: Vina egregia: Frugum, & pabuli gratiſſima copia. Erit & Papienſis veſter, qui quotidianis obſequiis iucundiora omnia ſibi & familiæ faciet. Quid aliud offeram neſcio. Dominus Deus Dominationem veſtram cuſtodiat. Pientiæ.

OLIVERIO CARDINALI NEAPOLITANO.

CCLXXXVIII.

ERam antea non meus: Nunc cum Pientiæ ſum mihi ipſi redditus videor. Fruor quiete animi magna. Cum libris omne colloquium ago. Nulla mihi eſt cura futurum ne ſit cras Conſiſtorium, audiri perendicà Pontifice poſſim. Preces adeuntium non me habent ſollicitum. Non torquent interceſſiones reiectę. Nullis viſitationibus crucior. Bene habito. In cœlo ſum puro, ac ſalubri. Peſtilentiæ non modo res, ſed ne ſuſpicio quidem vlla hic eſt. Vitam (vt verbo vno abſoluam) prope cæleſtem ſum nactus. Vtinã perpetua hæc ſint. Quid de ſe ſtatuerit Dominatio tua ignoro. Opto conſilium ceperit tempori opportunum. Si mala inchoata Romæ continuant, vitam præferat omnibus. Propter eam enim quærimus cætera. Illa perſequi cum vitę diſcrimine non bene conſultum videtur. Dicam cum Euangelio: *Exemplum meum dedi vobis, vt ſicut ego facio, & vos faciatis.* Bene ac feliciter valeat Dominatio tua, & Papienſis ſui ſit memor. Pientiæ.

BAPTI-

BAPTISTÆ POGGIO CLERICO APOSTOLICI Aerarii.

CCLXXXIX.

Legi in itinere epiſtolam tuam, vt tibi eram pollicitus. Pientiam quoque veniens iterum eam percurri. Primum gratias ago, quòd degustationem hanc ingenii mihi obtuleris: quod ego, & ſi non degenerem ab ingenioſo patre putarem, experimento tamen nullo aute agnouetam. Deinde delectatum me fateor copia rerum, quas ad ea refellenda adducis, quæ tibi, Theologia excepta, in diuerſis hominum ſtudiis non ſatis probari videntur. Accedit quoque vis ipſa verborum, ac proprietas, quæ ſuis locis ita adiungitur, vt non diſcere nunc ptimum, ſed quæ didiceris diu, monſtrare aliis iam videaris. Nulla exempla, nullæ ſimilitudines deſunt, quæ ad confirmandum propoſitum valeant. Videris legiſſe multa, lectorum memoriam conſetuaſſe. Effert ſe fęcunditas illa, quam in adoleſcente Cicero quærit. Non dico quid de cauſa ipſa exiſtimem. Alterius tēporis erit diſcuſſio Hoc contendo, præcipua commendatione te dignum, quod tanto acumine, tanta probationum varietate confirmatam iam opinionem oppugnes. Non mentior tibi, nec adulationibus amiciſſimum fallo. Errare poſſum iudicio, voluntate nō erro. Quod igitur feciſſe verbis & memini ego, & tu epiſtola refers, iterum ſcripto hoc facio. Hortor quam maxime poſſum, vt bona hæc à natura accepta aucta iam primis laboribus in diem conatibus abſolutiora perficias: Paterniq; exempli, & laudis huius expectationem adimpleas. Vides quanta hominum doctorum inopia laborēt tempora hæc, quam in paucis commendatio ſit: quàm in paucioribus ſpes. Fecerunt literæ tuæ, vt te ex his confidam futurum, qui retinendę gloriæ huius eſſe auctor facile poſſis. Itaq; & totus in hoc ſis, & ad hanc induſtriam totum te forma. Valetudo tibi ad laborem idonea eſt: Ad continuationem ætas: ad diſcendum, & ſcribendum natura perfacilis. Me autem, qui te antea propter memoriā Poggii patris diligebam tātummodo, nunc etiam propter virtutem amo hortatorem propoſiti, & prædicatorem ingenii: Adiutorem quoque, ſi ita expedierit, ſtudiorum tuorum ſemper habebis. Vale. Pientiæ.

F A L C O N I.

CCXC.

Comitantibus imbribus quarto à diſceſſu die Piētiam veni. Sum hic animo quieto. Non vexāt me illę moleſtiæ, quas anno præterito pertuli Senis. Hi Pientini ciues diem in agro agentes, noctu dormiunt libentius, quam viſitent. Itaq; meus ſum omni ex parte. Loci huius hoc primum eſt beneficium. Sed ſuccedunt alia. Putiſſimus aer. Circunſtantia oppida contagiis vacua. Neceſſariorum facultas. Nam quæ ſtudioſos piſcationis, aucupii, & venationis poſſint delectare, etiam multa, & proxima. Facio quod prioribus ſeceſſibus. Lego, & ſcribo: Ambulo quoq; valetudinis cauſa. Nam venandi cura neſcio ætate, an ſatietate iam eſt remiſſior facta. Habes ſtudia mea. Nunc à te, Falco, more ſolito multa contendo. Primum, vt valeas bene: Deinde, ne nimia fiducia vitæ adducas in diſcrimen tuam ſalutem. Poſt autem, vt Patri noſtro Aninionenſi omnibus me horis commendes: cuius eo mihi eſt triſtior abitus, quod illum ante diſceſſum viſurus non videor. Proxime vero, vt me falconice ames. Deſideriorum meorum ſis memor. Non obliuiſcaris abſentis, cuius præſentis animum mētemq; agnoſti. Poſtremo vero, vt meorum, qui Romæ ſunt, curam pro me Patris, & Domini habeas. Requiras aliquando, quid fiat: vetes, impetes, quod longo iam vſu ſenſibus meis conſentaneum putes: & quoniam his in collibus ſum, ad quos auræ frequentius, quam homines veniunt, fac quoq; vt diligentia tua vrbanarum rerum expers non ſim. Hic labor ſi te occupatiſſimum premet, cogita quod ſine fructu non erit. Opera vna amico tibiq; inſeruies. Stylum enim exercebis, qui rubiginibus ſcaber nunquam, niſi à ruina mea, hoc eſt, reſpondendi neceſſitate detergitur. Cum dies erit collegii tui, cumq; aſſederitis omnes, prius quam vlla de re inter vos refetatur Patri meo Feltrenſi & Vicecamerario, & ſingulis ſuo ordine ſalutationem, & commēdationē meo nomine dices. Omnibus enim proſpera, & precor, & opto. Vale. Piētiæ.

F. EPISCOPO ANDRIENSI.

CCXCI.

ADmonui te ab initio literis meis id ageres tota tua pro me interceſſione, vt nec importuni videremur nec cupidi. Nil enim minus conuenire putaui, quàm mendicantem ex ſuo non dantis arbitrio velle accipere. Quod igitur nunc facere inſtituis, ab initio factum oportuit. Muti deinceps, nec nutu quidem ſignifica velle te amplius. Gratiæ pro acceptis habendæ ſunt, acquieſcendum. Ego enim ex proximo naufragio iam reſpirare incepi. Colam vero quem mones: Idq; propter excellentem virtutem ſuam, non ſolum propter hanc exiguam animi ſignificationem. Pius hunc mihi affectum reliquit: Hunc vſque ad mortem tenebo. Id pauxillum, quod apud te eſt, mitte Romam Medicis menſariis. Fideliter illi ſoluent. Apud alios deponi non placet. Rem Nicolai noſtri curabo quantum ex longinquo ſeceſſu licebit: ſum enim Pientiæ: extruſus vrbe peſtis incendio, quod Domum apprehendens hunc modo, nunc illum non ſine cæterorum diſcrimine, & meo populabatur quotidie. Vale Andrienſis mi: quem amo toto corde: & totis viſceribus meis. Pientiæ.

FRANCISCO CASTILIONEO.

CCXCII.

PEr hunc, neſcio quem, miſſum ad me à Priori Beati Apollinaris, remitto tibi ſummulam tuam. Placet quod de habita pecunia ſcribis. Rurſum ſi expendendum noſtra cauſa aliquid erit, ne agas nobiſcum ruſtice. Quid attinuit celare amicum debiti æris: An non ſum tuæ inopiæ conſcius: An non ſufficit opera poſita? An non etiam ita mihi familiaris es, vt te eius rei non pudere debuerit? Vt animis inter nos, ſic verbis poſthac liberi ſumus. De libello tuo faciam quod mones. Ad anxietatem illum iterum legam, ſiamq; Ariſtarchus, ſicubi erratum agnouero ornatu vel re. Veni Pientiam ex vrbe peſtilentia pulſus, quæ apprehendere domum meam iam cœperat. Non ocior ignauc Cum libris omnis mihi res eſt, quibus ita indulgeo, vt ſoli pene totum me habeant. Eſt mihi adoleſcens domi, quem Pius Pontifex initio Cardinalatus mei alendum dederat mihi: Filius enim ex ſorore conſobrina erat. Hunc eductum à paruo bonis litteris, & moribus curaui inſtitui. Sine præceptore nunc eſt, & ruminat magis, quàm paſcitur. Propter repentinum diſceſſum parare alterum Romæ non potui: Simul quod rari ibi Grammatici ſunt, qui non gentilitatis, quàm religionis plus habeant. Vide quæſo ſi quem mittere iſthinc ad me poteſt, non alia accipiendum gratia, quam ſi inſtituendus eſſet ex me natus filius. Eum enim commendatione Pii, & religione ſua alio cultu non habeo. Vt vero qui mittendus ſit noſcas, ita accipe. Annos ſexdecim natus adoleſcens, eſt ſpecie admodum liberali. Vita (quod credam:) immaculata. Condicit mecum, & cum ſacerdote horas canonicas. Prima rudimenta, quæ iſti canones nominant, pene abſoluit. Commentarios Cæſaris belli Gallici didicit. Primum etiam volumen totum menti habet. Ingenii boni eſt, melioris memoriæ. Tota vero conditione ad diſcendum parendumq; facilis. Salarium, quod venienti ſtatues, ſine exceptione præſtabitur, quanquam feruenti bene melior expectanda ſit merces. Hoc, mi Franciſce, cura æque vt cætera, & vale, & reſponde. Pientiæ.

B. CARDINALI RAVENNATI.

CCXCIII.

EX literis incluſis videbit dignatio tua, quid ſcribat ad me Nicolaus frater. Ego ab his locis adiuuare eum non poſſum. Quæſo tu Domine ne deſeras fidelem ſeruum. Adiumento ſis inopi, eripiaſq; eum de manu iniqui, & contra legem agentis: ſi non ſua cauſa, qui tuus eſt: at mea, qui me tibi totum addixi. Beneficentiæ tuæ vides nunc retributionem. A ſuperbia officii contemnit te is, qui per te officium eſt aſſecutus. Cohibenda meo iudicio eſt ingrata malignitas. Vbicunq; ſim ego, meus mihi Rauennas in animo eſt. Tibi oro abſens Papienſis ne excidat. Debetur fidei ſuæ charitas tua. Vale. Pientiæ.

PETRO

PETRO ACCIAIOLO.

CCXCIV.

ACcepi litteras tuas. Accepi & antidota conſilio medicorum parata. Vidi quoq; qua ſollicitudine ſis ad meam ſalutem. Quid tibi, Petre, aliud dicam? niſi amari me vnice abs te: Nec ſtabilitam ſtudiis, & vitæ conſuetudine charitatem moueri re vlla ab animis poſſe. Gratias tibi ago, planeque fateor hac ſignificatione pietatis tantum acceſſiſſe ad meam in te volunratem quantum accedere cumulato iam affectui potuit. Det Dominus vt teſtificari hoc poſſim re magis quam verbo. Ego vt tu etiam ſentis, in periculo fui. Quatuor mihi ex peſtilentia obiere. Inter eos duo, quorum alter orabat mecum, alterius iam correpti malo venam tetigi ac frontem. Veni propterea in hunc locum, vbi & cœlum puriſſimum eſt, & reliqua affatim omnia ad nos recreandos. Diem iam quadrageſimum ſine contagio euaſi, quod ſpatium ſine periculo eſſe non volunt. Quid inde erit ignoro. Spero in miſericordia Dei, quæ me in hunc diem tutata, etiam in fururum non deſeret. Vita ſobria, de qua mones, ſeruatur à me. A familia item, quantum in multitudine poteſt. Vtar antidotis tuis: quanquam contra vim mali huius ea perſæpe nil valent, magiſque à Deo quàm hominibus ſint petenda leuamina. Memini ego me adoleſcente hunc ipſum medicum, quem refers, in magna olim peſtilentia conatum fuiſſe his ipſis remediis ſeruare familiam Guidettã, in qua famulabar: attamen iuuenes duos, qui impenſius his vtebantur, intra paucos dies extinctos. Sic eſt in humanis adhuc. Nihil præſentius, nil certius Virgiliano conſilio:

Fuge crudeles terras, fuge littus auarum.

Eo ſemper vtar, cum potero. Vale, & ſicut cœpiſti, ſcribe ad me aliquando. Pientiæ.

PAVLO SECVNDO PONTIFICI MAXIMO.

CCXCV.

SCripta mihi ex ordine ſunt quæ B. veſtra die Aſcenſionis Domini magna Patrum
& populi frequentia Romæ celebrauit, ad propitiandum pro pace iam conſtituta
datorem bonorum omnium Deum. ea ego ſumma iucunditate accepi. Delectatus
cæteris omnibus, ſed illo imprimis, quo Beatitudo Veſtra in decantatione verſiculi
Agnus Dei ad oſculum pacis non proximos tantum, ſed nouo more Cardinales o-
mnes, omneſque oratores admiſit, qui ad ſacra conuenerant. Nil meo iudicio dici &
rei cogitari aptius potuit, vt videlicet à quo pacis opus illi acceperant, ab eodem quo-
que ſignificationem eius acciperent, & cuius manus infirmam carnem ſanauerat, os
tranquillitatis ſpiritum inſpiraret. Gratulor Beatitudini veſtræ, illique vt indignus Sa-
cerdos gratias humiles ago. Nec enim poſſunt opera huiuſmodi ſine magnis fructi-
bus eſſe. Placatur Deus. Impetratur gratia actionibus noſtris. Impletur miniſterium
Sedis. In conſpectu etiam plebis mirum in modum acceptio creſcit atque auctoritas.
Tota Italia nunc celebratur nomen Eccleſiæ, & beneficium renouatæ pacis illius o-
pus putatur. Detrimenta multa ſuſcepta iam erant ex bello, & maiora expectabantur
in dies. Nec deerant qui malorum propagationem variis artificiis quærerent. Diu-
turnus labor ſanctitatis veſtræ, dexteritaſq; & patiẽtia pręter ſpem abſtulit omnia. Be-
nedictus Deus, qui reſpexit in faciem Chriſti ſui, deditque, vt contra malignorum ca-
lumnias re & verbo pateret pietas eius interior, non ante credita quam experimento
probata. Doleo non aſtitiſſe Beatitudini veſtræ in tanta ſolemniũ celebritate: quam
ſi ſciuiſſem, prætuliſſem hoc ſpectaculum meo, & familiæ periculo. Sum hic Pietiæ &
valeo, lego & ſcribo, raraque eſt præterquam à libris voluptas. Memor quoque bene-
ficiorum Sanctitatis veſtræ oro & orari in meis ſacrificiis facio pro incolumitate ſua,
quam miſeticors Deus ex voto præſtet: eiuſdem pedibus me ſemper cum deuotione
commendo. Pientiæ.

DOMINO HENRICO CVBICVLARIO SEGRETO Pontificis Pauli.

CCXCVI.

GAudio me affecerunt litteræ veſtrę, quibus nunciata eſt ſolemnitas aſcenſionis à Pontifice celebrata. Ago huic charitati plurimas gratias, quæ non eſt paſſa lætiſſimam rem ab amiciſſimo ignorari. Video Papienſem illum, cuius olim aures & hoſtia aſſiduis vocibus pulſabatis, eſſe vobis menti, nec propter vllas occupationes aliquid dilectionis imminui. Ita precor faciatis, eumque ametis, à quo fratetne amamini. Solennitas ipſa, quantum intelligo, bene inſtituta eſt: Bene proceſſit: & bene eſt adimpleta. Omnia ex ſanctis adinuentionibus religioſi paſtoris fuerunt. Sed illud imprimis, quod de oſculo pacis eſt factum. Placuit, decuit, abſentiſque cor ipſa conſideratione molliuit. Det Dominus bono Principi vitam, & petitiones eius adimpleat, quandoquidem oculi ſui ſemper ad eum. De redditis litteris meis ſuæ Sanctitati rurſum diligentiæ veſtrę gratias ago, & rogo, vt pedibus eius me quam ſæpe, & quã beneuole commendetis. Ego hic à libris raro diſcedo. Recreationi tantum datur quantum neceſſe eſt. Bene Valete. Pientiæ.

ANTONIO FOROLIVIENSI CLERICO CAMERÆ.

CCXCVII.

TOt tibi gratias ago pro omnibus quę nunciaſti, quot ſyllabas continuit epiſtola tua. Eram hoſpes ignaruſque omnium, niſi tu ſubueniſſes. Placet igitur peſtilentiam poſt diſceſſum meum non auctam, Pontificem ſolenni celebritate paci iam conſtiturę extremam manum impoſuiſſe: Te & Guillielmum contubernalem bene-ualere: Me à vobis ſapientem haberi, quod in tempore mihi, & familiæ cauerim. De Falcone noſtro quid opineris intelligo. Nondum reſcripſit ad litteras meas. Itaque nec de abitu eius certum aliquid ſcio. Coniicio tamen verum eſſe quod putas: Illo argumento admonitus, quod Auinionenſis meus excuſans per litteras diuerſionem ſuam ad me quam mihi ſpoponderat, ait pro me mittam vnum ad te hunc ego futurum eſſe Falconem interpretor: cui ob hanc cauſam iam parari cubiculũ facio. Quod de Pharẽſi Epiſcopo nuntias ſane pupugit cor meum. Attende quę ſequantur & ſcribe. Non enim ſine metu ſum parari hanc fabricam in Feltrenſem epiſcopum meum, cuius omnem iacturam honoris & rerum communem mihi putarem. Dominus illi ſit adiumento, & de gente non ſancta ab homine iniquo & doloſo eripiat eum. Tu, Antoni, conſerua te, & valetudinem cura, & ædes meas viſe aliquando, & quid agatur requ re. Saluta etiam verbis meis totam familiam tuam: Nicolaum, Hieronymum, Stephanum, Francalantiam quoque: Quibus miniſtris & ſolatoribus in fuga mea apud te nuper ſum vſus. Vale iterum. Pientiæ.

CARDINALI MANTVANO.

CCXCVIII.

VIncis me omnibus in rebus, amantiſſime Mantuane, etiam iocis, quorum me vnicum architectum eſſe putabam. Scripſi tuæ dignationi inſpici hic totos dies ſancta illa veſtigia beatiſſimi Patris noſtri ad memoriam filiorum impreſſa. Cauillans reſpondes iſthic melius, & crebrius occurrere oculis: Cauſamque affers eam, quam ego ſine multo riſu non legi. Vera prædicas, Pater. eſt plane quod ſentis. A iuſto iudicio non errat iudicium tuum. Non committam ergo poſthac, vt maiorem vllibi quam Romæ memoriam eius eſſe contendam. Vos eſtis, quibus ante oculos ille eſt. Sed hæc hactenus Gratias ago pro iis, quæ de Aſcenſionis ſolennitate ſignificas. Placent omnia: ętiam ſi vt ſcribis tertium cantandus fuerit hymnus. Illud imprimis lætor, quod tanto Pontificis hoſpitio tu hoſpes, tuæque ædes ſint illuſtratæ. Quis nunc Mantuano vti ſuo commodo poterit? Summiſſius iam erit agendum cum te alloquemur. Satis erat illum diuitem factum. Semi Pontificem factum quis feret? Humiliari iam non poteris, niſi vna tantum conſiſtoriali increpatione, qualem collegæ tui ſæpe ſunt paſſi. De Laurentio Piſaurienſi dolet quod memoras. Vir eſt cum doctus, tum

bonus, tum vero etiam mihi amicus. Miror tamen quo pacto à conſilio ſuo ipſe abierit. Me enim adiens triduo ante diſceſſum vehementer affirmauit, caput illud Sabaudienſe non prius in fœderibus ſe admiſſurum, quam Dux ſuus id ſibi litteris imperaret, ad quem ea de re ſe ſcripſiſſe aiebat. Quin & Theanenſem noſtrum accuſauit, quod propoſitum eius damnaret, in ſeque ducis aſſenſum reciperet. Periculoſa ſunt, vt vides, Principum miniſteria, atque eo periculoſiora, quo magis ipſi præcipites. Dominus bonæ menti ſit adiumento. Seceſſum quem paras, probo: Locum ipſum non probo. In itinere enim poſitus frequentes habet occaſiones periculi. Hominum cõmercia vitanda his temporibus ſunt, & in latibulis ferarum more ſalus quærenda. Itaque hoc diligenter etiam atq; etiam vide. Vbicunque autem ſit futura D. tua, tecum ſit Papienſis, apud quem, immo in quo ſemper tu es. Vale, & de Ioanne Petro noſtro aliquid aliquando cogita. Tibi enim creſcit quicquid inter tuos creſcit.

ANTONIO TRIDENTO.

CCXCIX.

BEne feciſti ſcribere ad me pro conſuetudine tua, & nuntiare quæ Romę ſunt geſta. Hoc officium vt rarius ab amicis aliquando impenditur: ita gratius eſt ſemper cum diligenter impletur. Tibi igitur gratias ago, teque pro noſtra beneuolentia quæſo, vt quod cœpiſti niſi coactus nunquam omittas. eis enim in locis ſum, ad quæ raro homines commeant: & præterquam quod à meis mittitur, neceſſario ſit ignorandum. Solemnitas Pontificis noſtri, quantum ex tuis litteris noſco, non plena tantum religionis fuit, ſed diei quoque, & ſtabiliendę paci conueniens. Benedicendus eſt Deus, rogandusque ſacrificio aſſiduo, vt pietate ſua confirmet, quod in nobis eſt operatus. Operatus eſt autem rem non minus neceſſariam quam expetitam. De Præſule Brixienſi noui nil nuntias. Idem eſt ſemper in omnibus. ſummus ſemper, excellens ſemper, ſiue quid orat, ſiue quid diſputat. Hoc autem amplius enituiſſe ea die lucem clariſſimi ingenii puto, quo ampliori expectationi, cauſæque ſeruiuit. Gratulaberis ſecum ſi caſu in eum incides, & meo quoque nomine dices ſalutem. Colo enim vt patrem, veneror que vt vas in honorem à Domino factum. Gaudeo peſtilentiam nil ſæuire durius ſolito, ſpemque eſſe deſituram eam ineuntibus æſtibus. Sic præſtet ille, cuius miſerationes ſunt ſuper omnia opera eius. Tu interim tamen diligenter tibi cauebis. Idque ages vt nimia vitæ fiducia non negligas adiumenta ſalutis. Domino Tuo & meo Reuerendiſſimo Vicecancellario me commenda. Pientiæ.

DOMINICO EPISCOPO BRIXIENSI.

CCC.

SCripſerunt multi ad me de ſolennitate à Pontifice celebrata die Dominicæ Aſcenſionis. Nemo autem ſine ſumma laude tuę Poteſtatis, ob egregium ſermonẽ de Pace habitum. Ita quidem eorum teſtimoniis approbatum, vt nihil inſignius habuiſſe eam diem oſtendant. Hoc etſi te orante accidat ſemper: ego tamen, qui bonorum tuorum ſum ſtudioſus, intellexi ſumma animi voluptate. Eoque libentius, quod in tanta hominum expectatione non potuit ea res non tangere corda eorum, qui hactenus in te agendo negligentes fuerunt. Virtuti igitur tuæ gratulor multum, optoque vt boui tot annos iam trituranti os vltra non infrenetur. Ne iuxta verbum Scripturę, clamor mercedis fraudatę introeat in auribus Domini Sabahot. Para hunc ſermonem, Pater, vt cumprimum rediero ad vrbem, videre illum poſſim atq; deſcribere. Interim quoque da mihi aliquid litterarum, & tuo more currentem incita. Curro enim in ſcripturarum campo, quantum per infirmos pedes licet. Neque inde puncto temporis abeo: Dolens horis omnibus quod non ab adoleſcentia mea initiatus his ſtudiis fuerint: In quibus ſolis etſi ſero, aliquando tamen vidi ſalutem noſtram veritatemque eſſe. Vale, Pręſul omni veneratione digniſſime. Pientiæ.

GENTILI VRBINATI.

CCCI.

IN receſſu agenti longe tu mihi gratior futurus es quam verſus, quam caſeoli, quam noua ſyrenula. Verſus allati ab vrbe multi ſunt. Caſeoli inuenti his in collibus multi: ſyrenulæ autem, quas memoras, iam non placent. Vertuntur mox in Gallos, & ex Campanica id nuper agnoui. Igitur veni tu, in quo munus omne eſt, & omnis ſuauitas. Vale. Pientiæ.

O CARDINALI NEAPOLITANO.

CCCII.

GRatias ago benignitati veſtræ pro iis quę ſcripſit ac nunciauit. Scripſit enim ſumma ſignificatione amoris in filium, & nunciauit ea in quibus ſum valde lætatus. Solennitas publicatæ pacis conueniens implendo operi fuit. plena religionis ac fidei, dignaque illo, cuius in huiuſce rebus nil ineptum, aut vile conſpicitur. Donum hoc expetitum diu. Quæſitum laboribus habitum tandem ille perpetuet, qui miſericorditer dedit. Audio à Reuerendiſſimo Domino meo Senenſi, qui huc venit, Dignationem veſtram ituram Neapolim. Id ſi ita erit, benedicente & ſociante Deo eatur. Memor autem ibi ſit meus Neapolitanus primum beneualere: Inde abſenti ſeruo aliquid ſcribere. Tertio commendare Regi Papienſem ſuum, amicum paternum, ſui ſtudioſum, & duris temporibus notum, qui ante amare cœpit quam noſci, & ante fraternum ſanguinem fundere quam mercedem accipere. Hoc quoque menti erit dignationi veſtræ: vt primum viderit fratrem amantiſſimum Fabritium, complecti illum meo nomine, ac oſculari. Illique etiam iureiurando, ſi opus erit, teſtari me ſuum eſſe, & Caraphæ familię non minus quam Picolomineæ deditum. Accedet etiam poſtremum obſequium patris, vt Præſuli quoque Andrienſi, & Antonello ſecretario verbis meis dicat ſalutem. In his ſi nimius ſum, & ſi nimis onero tuam dignationem, ſuaſit culpa. Nimis enim ipſa me diligit. Ego interim fruar his libris & collibus, & meo Senenſi. Concedat omnipotens Deus vt futuro Septembri, vel, ſi audiatur conſilium meum Octobri, bene curata valetudine pingues & nitidi reuiſamus nos. Romæ. Pientię, Die III. Iunij M.CCCCLXVIII.

L. DATHO SECRETARIO PONTIFICIS.

CCCIII.

INtelligo ex litteris tuis, quę cupiat Beatiſſimus pater de Numiſmatibus inuentis. Curabo rem quanta diligentia potero & fidum mittam, qui illa conquirat & ferat. Puto tamen diſtracta in varios eſſe. Apud me teſte Deo nulla omnino ſunt: Neque enim iis ſum delectatus. Tantum cum eſſem Pientiæ, de inuentis audiui, & vnum ſolum inſpexi, oblatum mihi a quodam Canonico, qui ab inuentore acceperat. Referebat ad trecenta eſſe numero Quanrum ex ſuperſcriptione perſpexi, ex nouiſſimis ſunt: nomen enim erat noui ac pene ignoti Imperatoris. Similia eſſe puto quæ reliqua ſunt: Sed ad pręceptum Pontificis me accingo. Vale. Vltima Iunij, hora ipſa tuarum acceptarum.

IOANNI PETRO ARRIVABENO.

CCCIV.

DVo contendo à te pro amicitia noſtra. Alterum, vt commendes Papienſem tuo Mantuano. Alterum, vt ames me tu, vel amorem magis continues. Addo & tertium: vt meo nomine ex Mecœnate noſtro perquiras, quid poſt diſceſſum meum in publicis rebus acciderit, & caſurum exiſtimet. In his collibus nil audio præter triturantium ſtrepitum, & conuehentium meſſem ad horrea. Tu fac vt abſens ſim Romæ, in Vaticano magis atque adeo in ſinu ipſo Pontificis. Miro ſecreto continebuntur ſemper litterę tuæ. Quæ huic Stephano, quem iuſſi adire, credi fideliter poſſunt. Pinge mihi curiam, & quicquid intus, vel deliratur vel ſapitur. Vale. Pientiæ. VII. Auguſt.

IOANNI

IOANNI PETRO ARRIVABENO.

CCCV.

CÆtera in litteris tuis bene. Illud non ſatis ad animum, quod te à cura nuntiandorum quæ accidunt retrahis. Excuſatio momentum non habet. Nam neque certa apud me ſunt, neque à te audiuntur incerta. Etiam nec ingrate lego, quæ feruntur in triuijs. Itaque ſcribe omnia, & ſæpe ſcribe, & ſemper folium imple. Si minus delectabunt res: ſtilus, & oratio, & humanitas tua afferent voluptatem. Non plene adhuc perſuades tibi quantum te amem. Si perſuaderes, ex quaque fortuita herba faſcem colligeres, & pruritum amicarum aurium medicamento hoc tolleres. Cum ſcripturus es, adi tuum Principem. Dic ſcribo Papienſi: nunquid non & tuo nomine? Ex eo ſemper tanquam ex ſanctiore Pontificis ærario promes quos ad me mittas theſauros. Itaque hoc faç & vale. Item & familiola mea mecum valet. Pientiæ Die 18. Auguſti M.CCCCLXVIII.

IOANNI PETRO ARRIVABENO.

CCCVI.

COgitabam, Arriuabene mi, nuntiatione nouarum rerum, quam faceres primam in tuis litteris, voluptatem accipere. Accidit contra. Poſtremum inde accipio. Primæ locum habet charitas, quam video in dies creſcere, quantum Vere nouo viridis ſe ſubiicit alnus. Proxime genus ſcribendi, quod omni laude dignum me ſæpe in admirationem adducit. Delectui verborum, & concinnatui, & grauitati ſic vna opera ſeruis, vt quem tibi ætate noſtra anteponam, non habeam: quibus te præferam inueniam multos. Delector plurimum hac commendatione ingenii, quintamque iam epiſtolam tuam ad priuatam animi oblectationem ſępe in manus reſumens, plus illis tribuo vltima lectione quam prima. Gratias habeo huic diligentiæ: Teque licet occurrentem ſponte meis affectibus hortor & oro, vt ad reditum vſque hac ſuauitate me teneas: omnium, quas iſthinc expectem, optatiſſima & maxima, intellexi, quę noſtrarum rerum conditio ſit. Quo ab hoſtibus progreſſum. Quid metus, & ſpei. Quid item ſenatibus duobus actum feratur. Significata omnia ad verum exiſtimo: nec aliter accidiſſe puto quam referantur. In præcipiti meo iudicio ſumus: niſi ſtrenue conſiſtamus, planta ad imum deuoluimur. Reſpiciat Deus in faciē paſtoris. Omne conſilium ſuum confirmet: & reprobet cogitationes impiorū. Aſtiterunt enim Reges terrę, & Principes aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum ſuum. Nil ex omnibus me magis terret, quam nubes illa, quam in propinquo cōſtitiſſe affirmas. Parata enim ad calamitatem eſt: etſi modo intonuerit aliquid *dabit illa ruinam Arboribus ſtragemque ſatis, ruet omnia late.* Quæ ſequentur expecto ex te. De Mantuano meo quod refers, nil eget teſtimonio. Quid Papienſi exploratius illius in ſe pietate? Iuuenis licet & ſana ſemper dedit conſilia, & patrocinatus eſt ſemper, & mea vel amara, vel dulcia propemodū ſua putauit. Dicam quod illi ſum ſæpe teſtatus. Arcem mearū omnium neceſſitatum, quas humani poſſent caſus afferre, generoſiſſimā, officioſiſſimā, beneficentiſſimamq; Gonzagam domum mihi cōſtitui: qua incolumi etiā ſi fractus illabatur orbis ferient impauidū ruinę. Quod ad meum in te animum attinet, vno hoc verbo voluntatem perpetuā accipe. Quod ſum tuum eſt. Quod ero tuum erit. Quod mihi optas, tibi optas. Si cor vt facies inſpici poſſet, plus adhuc intuereris quam dico. Opinio prętantis virtutis tuę experimētis iam cōfirmata adamantinis vinculis me tibi vinxerūt:

Quæ nec vis vlla virum, nec ipſi excidere ferro Cælicolæ poſſent.

Bene Vale. pridie Calendas Septembris.

ALFONSO DVCI CALABRIÆ.

CCCVII.

HOrtor autem, vt inter militares curas tuas, & venatorias has voluptates, litterarum quoque ſtudia admittas, ne quod imprimis ornamentum vitæ viris præſtantibus eſt, poſtremum à te habitum videatur. Ingenio ſummo es præditus. Otium quoque litterarum, ſi tecum Pontanus eſt, egregium habes. Animo tantum eſt opus.

Ego quoq;, qui Pientię hortatus excellentiā tuam ſummd virtutem, ideo manu mea, & veterum more hæc ſcripſi, vt te ad reſcribendum inuitans, occaſionem reuiſendorum libellorum præberem. Memento ſummorum Ducum, qui cum gloria militati coniungendam quoque hanc laudem duxerunt. Alexander Macedo Philoſophiam, docente Ariſtotele, didicit, & Iliadem Homeri, quam viaticū rei militaris appellare ſolitus erat, nocte etiam iacens vna cum pugione ſub puluino habebat. Pyrrhus Epyrotarum Rex de omni ratione bellica, bellans ipſe eruditiſſime ſcripſit. Cæſar commentarios rerum ſuarum, inter medias legiones ſumma cum cōmendatione ingenii edidit. Et M. Brutus ſub tempus Farſalici prælii, Polybii epitoma, quę ante cœperat, ſtrepitu armorum non impeditus abſoluit. Pręterco innumeros, quos cura hęc ad caſtra quoq; eſt comitata. Idem ſi facies tu Alphonſe chariſſime, ad commendationem humanitatis, prudentiæ, & militaris diſciplinę hanc quoq; adiicies, cęteris non inferiorem meo iudicio. Quod proximum eſt mitto laqueos duos, qui apud me reliqui erant, non tam te dignos, quam locis iſtis montanis, in quibus nunc agis. Vale.

DONATO ACCIAIOLO.

CCCVIII.

NVlla in re mentitus eſt Chriſus. Queſtus ſum omnia, quę tibi tenuntiata ſignificas, nec me queſtum iniuſte puto. Peccaſſe te in amiciſſimum dico: idque & re ipſa contendo, & conſuetudine tua, quæ mihi notiſſima eſt. Nobilis es, & doctus. Faciunt vtraque vt acrius te ipſum expendas, quam apud eum conueniat, qui nobilitatem tuam longe exceſſit, & fundamēta tibi iecit totius quæ ſupercreuit doctrinę. Memor præteritorum non fallor de pręſentibus. Laberis nimium, Donate in commune nobilitatis malum: idq; frequenter. hoc & peſſundedit aliquando familiam tuam, & peſſundatura eſt poſthac: niſi apud vos maior fuerit manſuetudinis ratio quam generis. Ego quod ad me ſcripſeris perieriſq; dimiſſionem cœnobii non doleo. Hoc doleo, quod non exauditus deſieris ſcribere, indignans voluntatem tuam meæ æſtimationi pręlatam non eſſe. Roga te ipſum, & in ſecretum cordis deſcende: Videbis cum à vero me non errare: tum tuam purgationem plus ingenii habere quam veritatis. Motus autem recordatione cōſuetudinis noſtræ antiquę, & ſtudio ſatisfaciendi, quod conaris magis quam aſſequeris, ne inſumpti laboris pœniteat, do errato tuo veniam, quam non petis: reſtituoq; me eum tibi, quem ante poſſederas. Fac vt poſſeſſionē amici non negligas, victuri tecum annos ſi Deo placuerit multos, & inutilis nunquam futuri. In omnem caſum tuum ac fratris cogita perfugium nullibi quàm apud me & tutius vobis eſſe, & certius poſſe. Mitto tibi ex reliquiis præteriti naufragii mei aureos viginti, & quinq; papales, qui in calceandis filiolis te adiuuent. Si colligere me ipſum fortius potero, maiorem, eamque annuam ſentietis impenſæ olim charitatis mercedem. De Hannibale & Scipione gratias ago. Delectatus ſum hiſtoria: ſed labore imprimis, & diligentia, & certe etiam luce orationis, quę iam ſummos noſtri temporis æquat. Noua aggredere. Ætas tua, & vigor animi, communis quoque expectatio omnium ita expoſcunt. Bene Vale. Romæ die v. Nouembris M.CCCCLXVIII.

B. ROVARELLÆ CARDINALI RAVENNATI Legato.

CCCIX.

NOn putaui, Reuerendiſſime Pater, donec hi motus Regü quieuiſſent, vexandam eſſe dignationem tuam litteris meis. Satis enim erat curis animi poſſe intendere, quæ horis omnibus mentem coquere debuerunt. Nunc remiſſis, vel paululum ſollicitudinibus tuis, ſatisfaciendum duxi animo in te meo. Redii deſinente Octobri Pientia incolumis, & valetudine diligenter curata. Dolui propter me Rauennatem meum hic non eſſe inuentum: propter publica autem abeſſe eum lętatus ſum. Neque enim miſſiones tuæ ſine grandibus Reip. commodis eſſe conſueuerunt. Gaudeo quoque Dignationem tuam valere, quod ex Pontifice audimus quotidie, & mentem etiam regis pacatiorem nobis reddi in diem. Facit quod virtuti ſuæ, & meritis in ſe noſtris conſentaneum eſt. Qualia enim illa fuerint, tu omnium optime agnouiſti, &

ipſe

ipſe inprimis expertus eſt. Deus omnipotens, in cuius manu cor Principis continetur, vertat illud ad noſtram ſalutem, & ſenſum gratitudinis ſuperinducat. Neſcio quamdiu futurus iſthic es. Audio pluſculum adhuc, quàm forſitan velles. Quæcunque autem erit legationis acceſſio, cura vt valetudinem ſerues, & omnia ſine moleſtia perferas. Virtus tua, non ambitio hos tibi labores faceſſit. Ego, mi pater, is ſum, quem noſti, facultate inter tibi deditos vltimus, pietate vel obſequio vel cum primis adnumerandus, vel, quod mihi perſuadeo, primus cenſendus. Si quid eſt, in quo vel tibi vel familiæ dare operam poſſim, non tam libenter imponetur onus à te, quàm à me libenter feretur. Dominus Deus in auxilium tuum ſemper reſpiciat. Romæ Die XII. Nouembris. M.CCCCLXVIII.

ALANO CARDINALI AVINIONENSI.

CCCX.

Licet proximis diebus abunde ſcripſerim Dominationi veſtræ Reuerendiſſimæ de iis, quæ ſcribenda tunc videbantur, & de iis, quæ ſunt conſecuta, credam domeſticorum ſuorum diligentia nunciata: tamen officii mei eſſe putaui, hunc nuncium, qui ad eam mittitur, non venire vacuum literis filii. Itaq; ei ſignifico, me beneualere beneficio Dei: & quietem agere, & nõ plus curarum ſumere, quàm poſtulet præſens rerum conditio. Cæſar Federicus, qui ſoluendi voti cauſa Romam venit, ad beatam Mariam in Laureto iam eſt, & hic propediem erit. Exiere obuiam, quàm longius poſſunt, Auditores Rotæ primum, inde Referendariorum pars maior, Prælatis nonnullis admixta. Parant & nunc exire Narniam vſque Rothomagenſis noſter, & Senenſis. In ingreſſu vrbis conſueta reliqua perſoluentur: De quibus & mox aliquid nunciabo. Inter Pontificem, & Ferdinandum Regem pendent nunc omnia, beneficio hyemis, magis quàm voluntate non vlterius progreſſa. Tyraſonenſis, & Rocha electi iudice, meo iudicio vel continebunt Regem ſententia ſua, vel dilatione iudicii irritabunt paratum alioquin ad res perturbandas. Potens exercitibus eſt, & pecunia, & quidem amicis etiam non mediocribus. Vtinam tam bene animatus ad gratitudinem ſit, quam facile inſtructus eſt ad iniuriam. Dilexi eum ſemper, vt ſcit Dignatio veſtra, ſed obedientem eccleſiæ: Mutatum nunc animo non plus amare poſſum, quàm matrem noſtram Apoſtolicam Sedem. Illuminet Deus ſenſum eius, & cor, & nobis in adiutorium noſtrum intendat. Vrſinus noſter neptem ſuam Germanam Rynaldi ſubdiaconi in coniugium dedit Laurentio de Medicis Petri filio. Rem ſane vt apud omnes non expectatam, ſic à multis merito exiſtimandam. & qui laudent, & qui ægre ferant in vtranq; partem ſunt plurimi. Ad Eccleſiæ ſuę vtilitatem hoc quoq; Deus conuertat. Quid vltra ſcribam, non habeo. Opto Patrem meum Auinionenſem bene valere, & iſthinc mature abſolutum redire ad nos, apud quos non iniucundior, quam apud Gallos erit præſentia ſua. Parietes ædium veſtrarum, ita me amet Deus, hunc reditum videnter expetere. Commendo charitati veſtræ filium meum Ioannem Duboter, mihi propter fidele obſequium vnice charum, vt qui videlicet menſam eſurienti, & feſſo laute ſemper parat, etiam lautius veſtro beneficio præparet. Opto benefieri ei, & bene eſſe in omnibus. Commendo & me ipſum, vt auctoritate patris & Domini, panem Archidiaconatus Xanthonenſis de manu ſua acceptum non extorqueat, & rapiat iniquiſſimus Prǽſul: ita quotidie vt video impietatem impietati accumulans, vt futurum breui confidã, cum ad priuationem male adminiſtratæ eccleſiæ ſuffragio meo Rumantius ſum adiuturus: Dignior quidem illo exitu eſt Andegauenſi Epiſcopo. Romæ. XXII. Decembris. M.CCCCLXVIII.

HIERONYMO LANDO, EPISCOPO CRETENSI,
Legato Peruſino.

CCCXI.

Est quod cum Dignatione tua de Petro filio tuo querar. Viceſimum pene iam Romæ diem agit, & nondum Papienſem eſt allocutus. Hodie viſitans ex conſuetudine noſtra Cardinales nouos ſororum Pontificis filios, atque illum videns ſpatiantem per aulas vocaui ad me, & rogaui, num Cretẽſis mei filius eſſet? Cũ eſſe ſe di-

ceret:petii rurſum,num me agnoſceret? Cum æque ſe agnoſcere reſpondiſſet, addidiſſetq; multa mea in te patrem extare officia: Et quid, inquam, eſt cauſæ, quòd me nunquam adieris? Erubuit adoleſcens: vultu confitens, quod excuſare verbo non potuit. Si venerit, vt venturum exiſtimo, accipietur ea charitate qua accipi pater eſt ſolitus: Noſcetq; ſi maxime ad beneficium nunc deeſt facultas: animum tamen non deeſſe, qui tuis omnibus tẽporibus ſemper affuit. Ad literas, quas Thomas ſacerdos attulit, reſcribo in hæc pauca. Sed illud etiam addo, gratulari me multum, quod in iſthac difficillima Peruſiæ adminiſtratione ita prædicetur dexteritas tua, vt nihil intempeſtiuum, aut improuidum agere iudiceris. Ita etiam commendetur vitæ inſtitutio, vt aſſit ſemper, & ſine ſcurrilitate comitas, & ſine aſperitate grauitas. Retine vſque in finem laudem hanc inchoatam, atq; illud cogita ſemper, raros fuiſſe etiam ſummæ virtutis viros, quorum in tam feruida ciuitate ſimiles initiis exitus fuerint. Ego, mi Cretenſis, ſum tuus, & tibi omnia ſumma deſidero. Vale. Romæ. XXIII. Decembris. M.CCCCLXVIII.

NICOLAO LVCENSI, EPISCOPO MVTINENSI PRÆſidi Montis Caſini.

CCCXII.

MOleſta & mihi quoque eſt tua iſthæc mora, plus tibi meo iudicio afferens damni, quàm ei vtilitatis, à quo es ablegatus. Virtus tua dignius miniſterium poſtulabat, in quo vim ſuam oſtenderet, & ad ampliora gradus pateret. Sed quid agas? vbi & ſine indignatione dimittere opus acceptum non potes, & retinere cum triſtitia cogeris? Ferendum videlicet eſt, & animus ad tolerantiam præparandus. *Non ſi male nunc, & olim ſic erit*, inquit Flaccus. Multi poſt longa exilia conſecuti imperia ſunt, & in lætitiam luctus ſuos verterunt. *Cuncta, quæ pateris*, inquit Gregorius, *tanto ferre patientius debes, quanto ſecretorum cæleſtium ignarus, cur hæc pateris neſcis.* Neſcis tu: & pariter ego tecum ignoro, num aliquando ſolitudo iſta tua ad celebritatem, & loci obſcuritas ad claritatem, pericula vero ad ſummam ſecuritatem ſint reddituræ. Sperandum eſt, Beatum Benedictum, cuius cœnobium, & locum pœnitentiæ ſuę regis, poſt opus bene impletum retributurum tibi abunde, nec paſſurum, vt fruſtra ſint vigiliæ tuę. Itaq; ad patientiam, & obedientiam Principis te quantum potes confirma, & meliora expecta, & vitam tuam cuſtodi. Hominem illum, quem locuturum mecum ſignificas, nec audiui, nec vidi. Vtrumq; egiſſem libenter, ſi ſe obtuliſſet. Iterum dico, bene ſpera, & iuxta verbum Scripturæ: *Triſtitiam omnem longe expelle à te. Multos enim iam occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa.* Ego tuus ſum: memor ſemper futurus cum noſtræ antiquæ conſuetudinis, tum vero tui in me animi. Vale. Romæ. XXIV. Decembris. M.CCCCLXVIII.

LAVRENTIO ROVARELLÆ, EPISCOPO FERRAÀrienſi, Legato in Hungaria.

CCCXIII.

LEctis literis tuis, audito etiam ſeruo Dei, Gabriele noſtro, benedixit anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius. Video enim iacta iam eſſe fundamenta noſtræ ſalutis, & Sathanæ Synagogam in ruinam conuerſam. Ceſſit qui cedentes perſecuturum ſe iudicabat. Amiſit multa, cui exploratum erat cuncta diripere. Quique etiam & re militari, & bellatoribus neminem ſibi parem arbitrabatur, Vicini Regis virtute inanem opinionem ſuam agnouit. Impleuit Dominus faciem eius ignominia. Obſcurauit oculos ſuos ne videat, & factę ſunt hæreticorum viæ tenebrę, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos. Non videbamus antea miniſtrum iudicii noſtri. Timebantur multa à multis. Mala perfidi hominis mens, malus animus ad fraudem ſemper intentus nos perterrebat. De vicinis quoque Germanis erat vehemens ſuſpitio, ne vel ſtudio partium, vel odio cauſę, rationem omnem inchoati operis frangerent. Ecce ſublata ſunt omnia primo aditu belli, & manus Domini eſt nobiſcum. Laudandus æternis Eccleſię præconiis Matthias Rex Hungarorum, qui ſancta Patris monita accipiens, arma ſine con-ctatione

ſtatione intulit, hoſtemq; in fugam verſum magna parte male poſſeſſi regni priuanit. Laudandus & tu, Præſul digniſſime, cuius forti miniſterio comparata breui hęc ſunt, nulla habita vel laboris, vel diſcriminum ratione. Laudanda & Gabrielis ipſius indefeſſa ſedulitas, qui ſupra valetudinis vim, ſupra etiam religionis ſortem, nulli vel loco, vel officio defuit. Eſtis in quotidianis ſermonibus noſtris. De vobis tota vrbs loquitur. Benedicimini, amamini, & digni habemini, quos reſpiciat de alto Altiſſimus, & præſens ætas, ac poſtera in animo geſtet. Recenſere ſuperfluum eſt, quid ſæpe de te prędicauerit Pontifex, & quid certatim tribuerint Cardinales. Vnum illud de omnibus iudicium ſit, quod conſtans noſtra ſententia eſt, neminem ex omni numero eorum, qui multos iam annos in negotium Eccleſiæ miſſi ſunt, aut maiora præſtitiſſe quam tu, aut plura breui tempore perfeciſſe, aut lætiora etiam ad hanc Sedem miſiſſe. Conare igitur, digniſſime Chriſti pugil, ſacrificium inchoatum explere, & ſpem à Deo monſtratam quantis potes conatibus adurgere. Tua tota hæc prouincia eſt, & palma tua: Nullius prꝫterquam tuis manibus ad nos referenda. Ad quam rem cum Pontificem noſtrum opportuna omnia collaturum exiſtimem: Tum meæ, & multorum orationes, qui Remp. ſaluam cupiunt, laboranti tibi non deerunt. Reliqua ex eodem Gabriele accipies, qui noſtra omnia intellexit, & mecum perfamiliariter ſæpe locutus eſt. Dominus Deus, cuius cauſæ nunc ſeruis, fortitudo tua ſit, & illuminatio tua, & ſalus tua, Teq; communis voti compotem Patri, & omnibus nobis cum gloria reddat. Bene vale. Romæ quinta Februarii. M.CCCCLXIX.

CHRISTOPHORO LANDINO.

CCCXIV.

Licet Vgolinus, & Baccius hoc paucorum dierum contubernio iam ſatis mihi ſint noti, teſtimonio tamen de iis tuo ſum delectatus. Sunt in Vgolino quæ memoras: fides in obſequio, & ſedulitas: quodque ego optare in domeſticis ſoleo, etiam grauitas. Si pluſculum aliquid literarum attuliſſet ad nos, nil eſſe amabilius poterat. Confirmatior doctrina futura illi ad facilitatem erat: Mihi ad gratiam. Sed non negligam eum propterea honore tuo, cui cognatus eſt, & morum continentia, quos probo, benigne ſemper habebitur. Plus ocii & commodi indulſi ad ſtudia iam quidem, quàm curiæ noſtræ vſus ferat, & indulgere aliis ſoleam. Protinus bona ſpes erit obſequii, ſi quæ tu literis, verbis ego, illum monuimus, animo continebit. Patientia imprimis perneceſſaria eſt, à qua vna ſuperatur omnis ſeruiēdi aſperitas. Egendum ſæpe eſt, & ſudandum, & algendum, atque his difficultatibus quaſi adminiculis augenda induſtria. Duces ii boni haberi ſolent, quibus tyrocinium laborioſum fuit, & reliqua militia exercita. Nobis, qui ſiue generis, vel doctrinæ præſtantioris commendatione, quaſi in mercaturam quandam honoris huc venimus, adiutrice perſeuerantia eſt emergendum. Quod & in multis ſum ſæpe contemplatus, & in me ipſo ſemper expertus. Summam illam facio, vt perſeueret Vgolinus, nec grauetur ſeruitio, nec, quia non præſtetur ante mercem precium, langueat animo. Ocyus, ſerius irremuneratum neminem patitur curia. Quod ad Baccium attinet: Si modeſtia par eſt ingenio, ſibique non vulgo ſeruiet lyra, fructum & ipſe feret ſeruitii. Roſcio autem, quem memoras, Populus Romanus auditum ſæpe in ſcena prębuit, nunquam in adminiſtranda Rep. fidem. Laudatus in Theatro, ad comitium admiſſus non eſt. Sed confido hunc quoq; non defuturum ſibi, & qua eſt docilitate perſpecturum magis, quid ſe iuuare poſſit, quàm alios delectare. Te amo, Landine, memor antiquæ conſuetudinis noſtræ, & certe etiam præſtantis ingenii tui, cuius laudator ſemper inuentus ſum. Ornamenta dignitatis noſtræ nil mihi ademerunt de amicorum memoria. Volo me & meis fidenter omnibus vt tuis vtaris, Papienſemq; propius recognoſcas. Infelicem crederem hanc meam felicitatem, ſi quæ dedit Deus cultoribus doctrinæ non eſſent mecum communia. Vale.

GERALDINO NEPOTI ANGELI EPISCOPI Sueſſani.

CCCXV.

CArmen, quod de prædio Sueſſano miſiſſe te dicis, redditum mihi non eſt. Cum redderetur, agentur beneuolentiæ tuæ gratię: ſicut & nunc pro Bucolicis agũtur. Quæ eiuſmodi ſunt, vt ſpem de te optimam pręſtent. Laudo induſtriam, quotidianãque hanc ſcribendi curam. Sed hoc te pro noſtra beneuolẽtia rogo, vt ſimul cum ſtilo ani rum colas. Noſti quid valeant verſus inopes rerum, nugæq; canotæ. *Scribendi recte*, inquit idem Poeta, *principium ſapere eſt, & fons.* Ad emendatam Latinitatem, quæ tibi iam parta eſt, addenda nunc reliqua ſunt: videlicet Dialecticæ ſtudium, & Philoſophiæ ſacrarumq; imprimis literarum: ſine quibus inutilis eſt omnis noſtra contentio. *Rerum copia* (inquit Cicero) *verborum copiam gignit.* His vero diſciplinis, & ſi iam nũc & tuo iudicio, & monitis optimi patris Præſulis Sueſſani inuigilare te putem, volo tamen hoc breue teſtimonium noſtræ charitatis accedere. Vale.

F. CARDINALI MANTVANO.

CCCXVI.

SEptem his diebus, qui ab vltimis literis meis ſecuti ſunt, ægre quid ſcribã inuenio. Scribam tamen, & ſi nugas ſcribi oporteat, vel hebdomadis conſuetudinem ſeruem. Propoſui enim quam diu abieris meminiſſe officii tui, quod tu olim præſens abſens impẽdiſti. Proximo Domini die, quo ſemper ex noſtro ordine aliquis celebrat, operatus eſt ſacris Cardinalis Sancti Vitalis, qui ab altari ad Pontificem veniens pallium Tarantaſienſis eccleſiæ eadem hora accepit. Vide ad quid ſcribendum cogat rerum inopia. Vide & aliud leuius. Ceſſit Falco noſter fratris filio baſilicæ Petri canonicatum: Eundemq; me rogante inter accolitos cooptari obtinuit. Vide & tertiũ ridiculum magis. Protonotarius ille Vaſco, qui domi meæ dudum acceptus, multiſq; honoribus, & beneficiis auctus, tanta quadriennio ante calumniatus eſt, moriens nũc vnum ex ſuis inſtituit, qui Romam veniret: Veniam à me precaretur, mẽtitumq; eſſe ſe omnibus affirmaret, quos ego monſtrarem. Peperci famę defuncti, & conſcientia ſola contentus, nil vltra expetii. Inuitus non leges, quod ſequitur. Sine nouis Cardinalibus ieiunia tranſiere, Pontifexq; multis competentibus dixit, tempora perturbata nouæ ordinationi minus eſſe idonea. Antiſtes Ianuenſis, Ibletuſq;, & noſter Chaurienſis in ſpe præcipua ſunt: quam cito autem implenda, ignoro. Hodie Cardinalis Aragonenſis accipitur. Imus Lateranum vſq; obuiam omnes, ad Pontificemq; deducimus. Cum hæc ſcribo, nondum patrem vidi. Si quid noui honoris, noui ordinis erit, reuerſus domũ epiſtolæ adiiciam. Audio eſſe in comitatu ſuo Epiſcopos quatuor futuros Romæ in familia. Totidem quoq; qui honeſtandi itineris cauſa venerunt, ad ſuas Eccleſias mox redituri. Ex Regiis purpuratis itidem quatuor, primumq; inter hos ex Piccolominibus Melfitenſem. De breuiatorum collegio res innaleſcit. Puto Vicecancellarium hanc reſtitutionem perquam indigne ferentem. Tandem partitione aliqua numeri, manus datutum. Si papyrus arramentaq; Bononiæ ſunt, reſcribe pauca, cupienti multa de te cognoſcere. Quartæ hę literæ ſine reſpõſo ſunt, quas poſt reditum ſcribo. Vale. Romæ.

F. CARDINALI MANTVANO.

CCCXVII.

PRecor, Mantuane chariſſime, vt ſi de iis quæ ad præſens bellum pertinent, non ſcribo, mihi ſis æquus. Facile eſt perturbatis temporibus non bene literas reddi, & quæ fideli ſtudio ſignificantur, his aut illis eſſe ingrata, & in partem aduerſi animi accipi. Obſeruor immeritus. Accipe ergo, quæ in concione recitari ſine periculo poſſunt Exordia à meis. Redii ex Vulſinienſibus incolumis, & ſum Romę incolumis: literis tantum, & domeſticis vacans. Publicis autem quantum per dignitatem imponitur. Emi intra vrbem Vineolam, quæ & ducendo tempori, & valetudini curandę eſt opportuna. Ad eam ſerena quaq; die me confero, vna opera interpellatores vitans,

vitans,& curas. In beneuolentia Vicecancellarii noſtri perſeuero conſtanter. Ille pari ſtudio io mea. De tua Dignatione ſunt crebri inter nos ſermoaes. Deſiderium vero præſentię pene cootinuum,tempori ſucceſſentes,cuius cauſa ex nobis ſubtractus. Sed illod aliquando abibit,& tu nobis redderis. In alienis hæc etiam habe. Mortuus eſt Barchinonenſis noſter,pręcipua ſuorum,& totius curiæ mœſtitia. Eius ſacerdotia, Eeclesiam,& quæ exercebat apud auunculum munia,ipſi auuneulo permiſit Pontifex,vt ad quos velit ſingula deferantur. Affuimus omnes ſolamini ſuo. Cenſeo idem tu per literas agas. De cœnobio Laurentiano perſeruerat contentio adhuc, & ſuo loco quiſq; ſe eontinet. Quantum intelligo,in Neapolitanum Palatinus inclinat. Nouarienſis,vt mihi affirmauit,æquius de Cardinalatu,quam de ſemel adita poſſeſſione patietur depelli. Doleo inter oos iſta incidere, opioiooemq; ſacerdotalis modeſtiæ apud ſeculares perire. Numera tu quot talia, & cuius culpa breui accidere, atq; vnius tantum culpa, vt noſti. Exequias Reatini,& Tiraſonenſis hodie abſoluimus, vt religioſas quidem,ſic & frugales. Mellinas vero peſtilenti æſtate non plene impletas inſtaurari Pontifex iubet. Nec id ſine patris nepotumq; mœrore. De cardinalibus creandis rumuſculi quidam in plebe,apud nos ne veſtigium quidem. Peſtilentia per hanc hyemem tectum magis ſemen habet quàm proferat. Vereor ne appetente vere exire rurſum & peregrinari nos cogat. Quęrenti quid nunciare amplius poſſim nil ſane ſe offert. Vt ieiuna eſt curia,ſic ſua ſunt omnia. Ego ſi forſan eſſes oblitus, ita ille tuus ſum Papienſis tibi tota mente addictus, vt quaotum meritis,tantum ſui poteſtate cæteros ſine controuerſia ſuperes. Vale.

DONATVS ACCIAIOLVS IA CARDINALI Papienſi.

CCCXVIII.

DElata eſt ad me nuper pictura quædam Galliæ tranſalpinę, ſatis arbitror emendata. Hanc ad tuam Reuerendiſſimam D. mittendam putaui, vt ſi quando Cæſarem,aut alios ſcriptores de rebus Gallicis in manus ſumeres, ſubiectas haberes oculis illius prouinciæ regiones,quarum deſcriptio ſolet legentibus iucundiſſima eſſe. Quędam adhuc flumina,vt Iſara,Rhodanus, Liger, Sequana, Elauer. Quædam etiam oppida,vt Genua,Lugdunium,Biturigum,& Thuronum vrbes. quidam etiam populi,vt Saothones, Auerni, Attrebates, aliaq; eiuſdem geoeris in ea reperiuntur,quę antiqua prope retinent nomina:quædam vero nouis vocitantur nomioibus,vt Delphinatus,quem Alobroges incolebant locum,vt flumen Arar,quod nunc Sonam appellant,vt multi in Belgis populi circa Rhenum,vbi Germani longum tēpus incoluere. Sed hæc melius nouit Reuerendiſſima D.tua, cui me etiam atq; etiam commendo. Florentiæ,die IX. Aprilis. M.CCCCLXIX.

CHRISTOPHORO PRATELLÆ.

CCCXIX.

VSque in hunc diem literę tuæ pecuniarię nullæ ad me peruenerunt. Alienæ hoc auerſionis, non tuæ negligentię eſſe exiſtimo. Medices Menſarii ſuas habent. Cum iis meæ non perferuntur. Vnde hoc accidat, non tam ignoro, quàm miror. Niſi Philippus adminiſter menſæ, fidens priuatę ſignificationi,pecuniam à te perſolutam retuliſſet in codicem, laboraſſet iam dies complures familia. Secundas reſcribi cura, & mitte, & quibus credas tabellariis vide. Venit Ioannes Antonius,alio illum animo aceipe,quàm tua ſcripta oſtenderunt. Doctore, & libris adiuua hæc eius initia: nam pecunia, & veſtitu adiuuabitur, vnde inſtitui. In cœnobio,& deſignato cubiculo eſſe illum volo. Socio ſtudiorum vtetur nouitiorum Magiſtro,quem præcepto meo retentum à te eſſe exiſtimo. Summa eſt, vt intelligat adoleſcens mandata hæc contempta ooa eſſe. Cibum, vt prius ſcripſi, cum Magiſtro, & in Monachorum cœnaculo capiet. Exige, & mitte, & Vale VI. Maii. M.CCCCLXIX.

STEPHANO EPISCOPO LVCENSI.

CCCXX.

SI non minus fidei habendum mihi quàm Marco credis, crede Pater, neque imprudentiæ culpaſſe me tuos, neq; vllius rei crimen interetuliſſe. Egiſti omnia, non fideliter tantum, ſed ſummo etiam patris officio, monens quod antea neſciebam, & collaborans, in quibus tuam operam volui. Etiam Ioannes Guidicio, & frater plura præſtiterunt deſiderio meo: quàm nullis præcedentibus meritis poſtulare fas erat. Laudo omnes, & gratias quas poſſum omnibus ago. Miror tamen retuliſſe Marcum quod non intellexit, & in nuda narratione qualem proximis meis literis accepiſti tuam, & tuorum contumeliam agnouiſſe. Si tyrannum me credidit, cuius etiam leuis ſermo plus ſemper habet, quàm præferat, ſenſum illum elicere potuit. Sin Sacerdotem putauit, qualem me noſti, putare vtiq; debuit conſenſiſſe os cordi, & nec plus de animo impetrandum, quàm verba oſtenderent. De ſolo Sebaſtiano id tantummodo queſtus ſum, & quidem modice, quod ex me ſæpe audiſti. Quare mœſtitiam depone, ſi quam habes, & Mareum putato more hominum affinxiſſe, quod negatæ pecuniç conſentaneum credidit. Ego nec te culpare poſſum, ſi vellem, nec deberem, ſi poſſem. Es mihi amore infinito coniunctus, atq; omnium, vt ſæpe dixi, qui viuant chariſſimus. Quod ad ſecretarios Lucenſes attinet, noſcens quo cum Principe mihi res ſit, non audeo in iis quæ poſtulant, literis ſatisfacere, quas ſciam aliquãdo huc illuc nunciandarum rerum ſtudio mitti. Sed ſatisfaciam tibi, qui ſub eiuſdem Magiſtri es virga. Fœdus inter Pontificem tantum, & Venetos ictum eſt. Nulli alii eorum, qui vulgo feruntur adiuncti ſunt. Conditio vna de pluribus eſt imperata, vt laceſſito a ſocialibus Pontifice, mittere Veneti in auxilium ſuis ſtipendiis debeant equitum millia quatuor, & peditum duo. Ignorantur cætera à me horum, vt noſti, minime curioſo. Ipſe in conſiſtorio cum factam rem nunciauit, hoc tantum aperuit. Ad probibendam, non inferendam iniuriam id conſilium neceſſario ſumptum habes ad omnia. Vale, & me ama. Romæ, Calendis Iulii. M.CCCCLXIX.

IACOBO MINVTOLO LVCENSI.

CCCXXI.

CVmulate impleſti quod erat in voto. Eſt mihi nunc ſeges, vnde paſcere ocium dierum aliquot poſſim. Deduxiſti hanc Ariminenſem contentionem ab initio ſucceſſibus ſuis: Vt certe non plura exiſtimem geſta, quàm ſunt à te ſcripta. Id etiam genus orationis adhibuiſti, Italice licet, vt luce ſua plus me delectarit, quàm latinum meum delectaturum alios credam. Gratias ago, & me tibi debitorem confiteor. Duo quoq; contendo à te: Alterum, vt quod modo ſummo meo beneficio egiſti in finem vſq; continues. Alterum, vt noſtrum Archiepiſcopum meo nomine roges, cautius ſe caſibus offerat, quem illi ſæpe tranſeunt, aliquando inueniunt. Niti viribus, & vigilare, & præſenti animo eſſe, & matrem Eccleſiam labore aſſiduo adiuuare certe decet, & cuiq; præſulum conuenit. Sed inter hęc vitæ etiam rationem habere non modo licet, ſed certe eſt neceſſarium. Quod bene facimus, danda eſt opera vt facere poſſimus diutius. Ipſe, vt opinor, propter ſacerdotium armaturam totam non induit, gladio non ferit, atq; iis tegmentis non procedit in aciem, quibus ſæculi Duces. Quãto ergo minus armorum eſt, tanto eſſe plus diligentiæ ad cuſtodiam debet. Noſcit nos omnes. Scit qua interdum gratitudine ſimus. Non dubito, ſi quis caſus ſiniſter eum arriperet, futuros aliquos nonnullos, qui & riſuri eſſent eius incõmoda, & aſcripturi temeritati quod fuiſſet virtutis. Itaque malit ſe ſibi & Eccleſiæ reſeruare, quàm ludibriis aliorum vitam offerre. Reliqua tu melius, & tno, & tuorum conſamulantiũ nomine. Vnum opto quod pene exciderat, vt in his quæ ſcribis noſtratem omnem hanc rationem aggerum, pontium, foſſarum, vallorum, atq; aliarum rerum, quę continendorum in tuto militum, aut deſtinendorum hoſtium cauſa excitantur, minuratim adiungas. Video in eiſce rebus frequentem fuiſſe Cæſarem, atq; eas plurimũ delectare, cum bene exprimuntur. Da veniam ſi occupationibus tuis addo hæc tędia. Addes tu meis ſemper cum voles. Vale. Romæ. XX. Iulii. M.CCCCLXIX.

CHRI. PRATELLÆ.

CCCXXII.

EXcuſatio tua de cedulis non conſentit prioribus litteris. Ingenui animi eſt fateri patri quod eſt. Erat ſatius dicere, in magnis neceſſitatibus noſtris maiorem porrexi. Vtcunque ſit, laudo factum, & bene collatum munus exiſtimo. Doleoque ante id tempus factum non eſſe. Conſulis num offerente illo penſionem quam debet, remittere pecuniam ad ducentorum ſummam debeas, an alia ratione id exequi. Erat animi mei, honoris etiam atque officii, emptis muneribus idipſum explere. Sed tu, qui præſens es, & affectus eis deprehendis, agito quod illis gratius noſces. Fortaſſe remiſſa pecunia gratior erit, & minus periculi, atque oſtentationis habebit. Itaque totum hoc opus curæ ſit tuę. Doleo de Epiſcopo Bethlemitano nō ſuccedere, quod deſideratum iam erat, & dignitatem habuiſſet tribunal, & minus quoq; impendii. Si reliqua vlla eſt ratio, qua impetrare id poſſis, viribus quæſo totis contende. Si ingratū Ciccho non eſt tractare illum quæ ſunt ſacramentorū & ordinis, miror cur diſpliceat tribunal adiungi. Pugna quoad potes, atque illud contende, vt ad alienum arbitrium vicarios non cogamur accipere. Id enim eſt iuriſdictionem amittere. Malo tu id munus continues, quoad aliunde proſpexerit Deus. Habes animum meum. Illi te quantum potes accommoda. Propterea vt non ſpolier, neq; cogar ſeruitutis huius iugum ſubire, cedulas munerum miſi. Recipe ad te omnia ſi potes, atq; vt poſſis conare. Tum per ſubſtitutos ex iureruallis ſpiritualia tracta. Hoc modo nullis ſentientibus, quem volemus ad tribunal habebis. Bene Vale, & ſacramenti tui in altari præſtiti eſto memor, magiſque animam tuam attende quam cætera. Tum imprimis cogita ſemper, quid honori noſtro conueniat, & nec ex perſona tua metire quicquam, ſed mea. Pro me iſthic es, non pro te. Serui dignitati Cardinalis, & conſilio cuncta inſtitue. Litteras omnes meas, quas manu propria ſcribo, ſerua diligenter, vt pręſto eſſe poſſint cum repetentur, Latinę præſertim. Iterum Vale. Romæ die xx. Iunij MCCCCLXIX.

CARDINALI SENENSI.

CCCXXIII.

OFficia D. veſtræ ſuperant gratias meas. Rem coniugii abſolu ſti quo tempore nondum inchoatam putabam. Acceſſioni intendiſti ædicularum, cum obliuioni datam in tot occupationibus crederem. Diligentiæ commendo te, me damno inſcitiæ, qui dilationem non ad ſtudium conficiendi retulerim. Ago tamen quas poſſum gratias, ac duo hęc munera colloco in rationario cæterorum, quę tuæ beneficentiæ debeo. Perſoluere aliquando poſſim faciat Deus. Nam perſoluendi voluntas non niſi cum ſpiritu deſinet. Grata fuerunt quæ de Vrbanis, & bellicis rebus ſignificat. Caſu Eccleſiæ ſemper dolendum eſt nobis. Cum ſuis enim rebus coniunctæ ſunt noſtrę. Sed vtinam ante initium conſiderati exitus eſſent: aut non his tantum fidei habitum, quibus mos fuit alienis fortunis ſuas præferre: Immo & alienas contemnere vt ſuæ locentur in tuto. Vbi nūc quatuor illa milia in Flaminia expectata: vbi fœderum tanta fiducia: Cum damno, & dedecore Arimino pellimur, nec eques modo vnus in auxilium venit. Reſpiciat Eccleſiam Deus, quando in ea adiuuanda nos minus videmus. Credo iam Senis tibias ſiluiſſe. Comparo me igitur vt veniam, prę ſenteſque de omnibus colloquemur. Nunc D. Tuæ me & mea commendo. Inter mea Campanus eſt, Pientiæ xvi. Auguſti MCCCCLXIX.

IO. PETRVS ARRIVAB. IA. CARDINALI
Papienſi.

CCCXXIV.

NOn fuerat propoſiti mei ea ad te ſcribere, in quibus aut tuto mentiendum, aut cum periculo vel ſaltem odio veritas pronuntianda eſt, quod vtique verendum

eſt, aut litterarum interceptione, aut eorum negligentia, quibus committuntur. Sed quod exigit a ſeruo Dominus, non poteſt recuſari: quædam enim pręſtamus ſine culpa. Imperata non facere crimen eſt. Id ne mihi impingi poſſit, & ab eo potiſſimum cui omnia debeo, agam præter inſtitutum meum, non quod res magnas & certo exploratas perſuaſum habeam poſſe tibi à me ſignificari, ſed vt mandatorum tuorum obſeruantiſſimus videar ſcripſiſſe quod ſentio, & id quod ſine fuco audies, liberum ingenium, à quo vanitas omnis, & mentiendi ſtudium alienum eſt. Nihil enim mihi videtur fidem hominis magis violare ac tollere quàm vſus delectatioque mendacii. Commendabo litteras meas Stephano tuo, vt eas faciat ad te perferri quam diligentiſſime. Sed antequam vlterius progrediar, agendæ tibi ſunt à me immortales gratiæ, quod me litteris tuis humanitatis & beneuolentię plenis dignatus es, quod Io. Pettũ tuum nil videris oblitus, & in faſtigio Amplitudinis tuæ poſitus nos viles pullos læto etiam oculo reſpicis. Dixi vbi eæ mihi redditæ ſunt: nimirum heri ſimiles dignoſci ſine nomine auctoris à me facile potuiſſent. Ea erant opera Fidiæ, vt cuius artificis manibus elaborata eſſent, ſine inſcriptione iudicaretur ab omnibus. Nunc ad imperium tuum reuertar. Summa mandati tui eſt, vt tibi pingam curiam. non expectes à me Apellis imaginem. mallem equidem poſſe omnino tuæ ſatisfacere voluntati. Sed ſi dedero quod in manu mea eſt, putabo me officium impleſſe. Ad curiæ picturam maxime pertinere arbitror, quæ licet extra eam ſint, nos tamen potiſſimũ ſpectant, quoniam inde ſalus & interitus noſter pendet. Oppugnabatur Ariminum, vt noſti, magna vi atque animo, ſuberatque eius potiundi velut certa ſpes, & quod oppidani obſidionem ferre diutius nolle videbantur diſiectis iam muris, & tormentis ſine intermiſſione ſaxa in ciuitatem excutientibus, & quod Robertus Malateſta eum Alexandro Sfortia de conditionibus pacis colloquia habuiſſe, & eo iam perueniſſe ferebatur, vt ſcriptæ conditiones & ex vtraque parte admiſſæ eſſent. Vocatuſq; ad rem non tam concludendam quam publicandam Camerinenſium Dominus fuerat. Eo illuc accedente, non ſine iuſſu Pontificis inuentus eſt Robertus a ſententia receſſiſſe, vel, vt quidam dicunt, ſimulationem animi detexiſſe, eoq; atque Alexandro & omnibus conditionibus reiectis refutatiſq; tuendi ſe iniſſe conſilia continuoq; nunciatum eſt, Hannibalem poſteriorem, vt ſic dixerim, copias ſuas in agrum Ariminenſem eduxiſſe, ac per iocum Alexandro ſcripſiſſe, ſe eum rogare, vt mallet bombardas inde aſportari facere, quam illarum auferendarũ ſibi onus relinquere. Proinde monere eum vt ſibi bene conſuleret. Vſi ſunt conſilio hoſtis præfecti exercitus, tormentaque & ſpecioſam ſupellectilem, magnamq; impedimentorum partem Ceſennam tranſmittentes: nihil tamen de magnitudine animi remiſerunt, denunciantes inſuper ſe hoſtem expectaturos & pugnæ copiam facturos. Interiectis paucis diebus cohortes Regiæ, quod nunquam veriti fueramus, vt ſumus deſideriorum noſtrorum cupientiſſimi, in Agrum Picenum v. & quinquaginta ordinibus, ſiue vt alii referunt v. & quadraginta tranſierunt. Conſcripta erat in ea prouincia magna copia ruſticorum ad vii. quibus ad impediendum tranſitum Neapuleo viutus erat. Quid inde ſecutum ſit, haud ſatis compertum habeo. Sunt qui dicant, Regios milites Hannibali ſe adiunxiſſe. Negant alii, id factum eſſe obſtantibus & prouincialibus, & Neapuleone. Verum vtcunq; res habeat, niſi aliunde nobis auxilia veniant, non eſt vnde tantis aduerſariorum conatibus reſiſti poſſit. Quidã Iulius Piſanus tribunus Regius Sancto Germano imminet. Petiliani Principis filius altero ex latere ſui terrorem facit. Eques Vrſinus prope Tybur eſt, proximiſque diebus eius milites in agrum Monticellorum & Palumbariæ excurſione facta in armenta quædam abegerãt. Reſtituta tamen poſtmodũ ſunt omnia, purgauitq; ſe eques ſuo iniuſſu: immo ſe inſcio (vt eſt militum conſuetudo) id factum eſſe. Ad eum cohibendum, ſi opus fuerit, Marianus Sabellus Tybur mittitur. Itaq; ſi bellum efferbuerit, non videntur nobis defuturę vndiq; impugnationes. Fœderati ſiue ſociales, vt tu appellare conſueuiſti, principes firmo ſimul vinculo conſentiunt. operęprecium eſt videre ipſorum legatos, qui niſi iuncti ne domo quidem efferunt pedem, & Romæ in nos conſilia ineunt. Habemus hoſtilem riſum ante oculos, & id patimur. Spes noſtra in Venetorum auxilio eſt: à quibus niſi ſubueniatur, opus erit, vt deſerta Ariminenſi impugnatione ad pacem, qualiſcunq; ea futura ſit, nõ tam dandã

quam

quàm impetrandā inclinemus. Diſceſſit hinc Franciſcus Senutus patricius Venetus eo, vt aiunt, animo ac promiſſione, vt cumprimum Venetiis fuerit, & in eorum concione, quid opus ſit facto, expoſuerit, IV. equitum ſint à Venetis in Flaminiam profectura. Eumque propterea gerendi belli præfectum deſignarunt: quoniam cum Romæ fuerit, norit optime omnia Pontificis conſilia. Ego tamen à nonnullis intelligo Venetos non admodum paratos eſſe ad bellum ſuſcipiendum: immo Pontifici eorum auxilia poſcenti reſpondiſſe, non debere ſe ex conuentione id facere: quoniam ſine eorum conſenſu hanc expeditionem obierit, & quod ipſe prouocator belli, non laceſſitus fuerit: Se autem conueniſſe, vt laceſſito ſubuenirent, nec aduerſus aliquem bellum moliri, niſi ipſis conſultis deberet. Quid acturi ſint, omnino dubitatur. Ego tamen eius ſententiæ ſum, Venetos nil moturos, ſi fœderati tuendi tantum Arimini curam videbuntur obire. ſi aliter Pontificem offendere pergerent, fortaſſis futurum, vt ei ſubueniant. Pontifex vbi primum reſciuit copias Regias in Picenum tranſiſſe, eo conſiſtorio, quod in Vigilia ſancti Laurentii habitum eſt, obtinuit à collegio, vt poſſet cum quacunque dynaſtia etiam externa ſocietatem inire, & Arimini iura cuicunque tradere. declarauitq; poſtmodum ſe id Venetis conceſſurum, quos hac ſpe prædę non dubitaret promtiore animo in ſui defenſionem conuolaturos. Rumor eſt enim cum Duce Burgundiæ conſilia belli habere, atque inde venturum eſſe Baſtardum, quem appellant, & ſimul cum Sabaudienſi Ducem Inſubrium bello perturbaturum. Sed vana ſunt, & paruifacienda externa auxilia, quæ ſi etiam ſuccedunt, tarda ſemper, & debilia ſunt. Hæc habui quæ de bello ſcriberem. Tu ſi certiora, & grauiora aliunde noſti: non tamen irrideas fatuitatem meam, quam extorſiſti imperio tuo. Non te latet, quàm arduum ſit ſecreta perſcrutari, cum hi in celando ſint maxime diligentes. Quid in vrbe agatur vis ſcire? nihil pręter ſolitum. Diſcurritur, ambitur, tenduntur inſidiæ, & philoſophi ſententia comprobatur, Curiam eſſe locum conſtitutum ad decipiendum, & fallendum ſe inuicem. Raro ſenatus habetur. Pontifex magno curarum fluctuat æſtu. Dicam tibi rem certam, & paucis fortaſſe cognitam. Reddita fuit proximis diebus ſcedula quædam Pontifici ſine nomine auctoris, qua ei denunciabatur, vt ſuis rebus prouideret: Vitam eius Septembrem non ſuperaturam. Riſit, ſubdiditque auctorem, quod nomen ſuum non appoſuiſſet (mercedem amiſiſſe, iuſſitque vt ſtatim ad præſidem arcis Sancti Angeli deferretur. Quare ad illum, non poſſum argumentari. Tu ex his quid intus vel deliretur vel ſapiatur iudicato. Non vacauit à Mantuano tuo perquirere) quod iuſſiſti: quoniam cum ad veſperam heri redditæ mihi fuerint litteræ tuæ, ab ea hora vſque ad quartam noctis ſtomachi inteſtinorumque doloribus vexatus eſt: tunc remittente ſe ea moleſtia, admotis medicamentis, & clyſteribus dormire cœpit, & me nunc hæc in principio diei ſcribente quieuit: Curabo id poſtea, & quicquid cognouero, ex me ſcies, faciamque vt crebro ſubeas litterarum mearum tædia, quarum etſi omnia vilia ſunt, fides tamen ſpecioſa eſſe poterit. Securitatem noſtram turbauit Sibinicenſis Epiſcopi mors ex peſtilentia, cum ante tota vrbe nil tale ſentiretur. Princeps Mantuanus, vt tibi notum eſſe non ambigo, in balneis Petriolanis eſt. Iturum eo Dominum meum nondum auſim affirmare. vbi id exploratum fuerit, non ſinam te latere. Commendo me amplitudini tuæ. Romæ XVIII. Auguſti M.CCCCLXIX.

DONATO ACCIAIOLO.

CCCXXV.

MVnus tuum a re gratum: à loco gratius: ab animo gratiſſimum accidit. Non fuerat hic labor ſumendus. Ignotis præſtari is conſueuit. Mihi epiſtola vna tuo chirographo ſcripta Attalicis muneribus longe eſt acceptior. Hoc præſta ſæpe. Illud ad conciliandas amicitias verte. Trabalibus clauis noſtra eſt confirmata. Reuiſerem Guſonenſem noſtrum, vt petis: Sed vides tempora. Caſus, non voluntatis, eſſe eam profectionem oportet. Breui ero Senis. Inde inter nos reliqua agemus. Nunc vale. Pientiæ XXII. Auguſti M.CCCCLXVIII.

DOMINICO LVCENSI.

CCCXXVI.

DE prędio Lucenſi, cuius dimiſſionem venire in ſermonem noſtrorum ciuium refers, exequere quod ex vrbe ad te ſcripſi. Non is ſum, qui ponam rumores ante ſalutem. Gratias tibi ago, quod mecum de ſeceſſu hoc meo & valetudine inſimul gratularis. Alterum ſemper: Alterum hoc tempore eſt neceſſarium. Placet conſortem tuam, Sororem meam Sueuam tecum valere. Vtrique ſit cuſtos Deus, & ſecunda omnia largiatur. Vale. Senis vltima Auguſt. M.CCCCLXVIIII.

GEORGIO LOLLIO COMPATRI.

CCCXXVII.

EXimo te metu, Lolli, deſiderium conuincendi in iudicio Regis quæritare Paulum cogit monimenta omnia Pii. Quod nomine ſuo ad te ſcripſi, ad Nicolaum Piccolomineum ſcripſi. Idem quoque à me ipſo ſæpe contendit. Sorana res hanc nobis moleſtiam exhibet. Quæ nunc miſiſti perleuia ſunt, nec offerentur à me: ne ſic parſim miſſa argumentum præſtent condita ſeruari alia, quæ nolimus produci. Tantum illi ad excuſationem officii tuas litteras legam. Bono animo eſto: multa tua in eccleſiam officia me iudice Paulus cognoſcit: qui ſi pecuniam non permiſit tuorum diplomatum, ſcito maiorem pecuniarum opinionem tibi obſtitiſſe. At iniuria res. At ferenda à te æque vt cæteris. Hactenus hæc. Quod de calceo & ſiniſtro pede ac dextro torqueris, nimis mihi Lolli diffidis. An tu putas ignorari à me, quæ non modo aſſeris tu ſed expertus ego ſum ſæpe? Danda ad ſpeciem plerumque ſunt multa, & nec omni ex parte adeuntes nos aſpernandi. Potui ego Bellanto tuo, potui & huic noſtro non obſequi, penula me ad comprecandum trahenti. Vidiſti exitum poſt. Illum prætuidens ego vendere æſtiuo tempore Solem ſine periculo potui. Sed nimis me amas: nimis & circumſpicis te: quanquam ad nimietatem nil circumſpici queat. Summa illa eſt. Vna fides. Vnum baptiſma. His comitibus degam quod reliquum eſt vitæ. De ædibus Marreſcotis quo me vertam ignoro. Pars hæc, quam litteris refers, ad anguſtias ſuas chariſſima eſt. Vide reliqua, & conſule. Abbas iſthic meus ad interitum languet. Mitto iſtum, qui conſoletur, & adiuuet. Adiuua & tu quoad potes obſequio meo. Si perdo hunc hominem, inſignis erit calamitas prædiolis noſtris, triſtaborque ego perinimium. Saluta coniugem tuam ex me, totamque familiam. Vale Valeo & ego.

G. LOLLIO COMPATRI.

CCCXXVIII.

NIl quærei à te amplius Paulus ex Pontificatu Pii. Vltimæ litteræ à me illi lectæ ſuſpicionem omnem, cum inani ſpe ademerunt. Quod de Eugenio, Nicolao, & Caliſto aiebas, quorum ne vna modo epiſtola ad manus noſtras deuenerat, fecit illico, vt ita eſſe agnoſcens nobis æquior fuerit, ac quieuerit animo. Ita tu quoque & quieſcendum exiſtima. Ædes Mareſcotas quæſo valere iam ſinito: Vendere illi non tam rem, quàm ſpeciem quærunt. oblata eſt ſpes acceſſionis certæ ad Spanochinas nuperrime emptas. Id ſi fiet, ampliato pariete anteriori ſat erunt omnia ad dignitatem, & commodum. Nam de Laterna nocturna, leuis eſt cum iactura, tum cura. Nil apud me prius charitate Pii, & ſuorum gentilium. Pungis rurſum me de velo ad ornamentum altaris adhibito. Inepte ſuſpicaris, ne dicam iniuſte. Quàm vellem à Quadrio Poſterlano te vendicares, & aliquando tu quoque ſanius ſaperes. In eo velo pictus Cupido non eſt. Imago eſt Saluatoris noſtri è ſepulchro exrantis. Quæro in cellario an in ſacrario appendi illam decentius fuit? Video quid reſpondeas. Hic quoque reſpondeo ego: *Nolite iudicare: & non iudicabimini.* Omnis otioſa ciuitas eadem & maledica: reſaneſcere non niſi negotio poteſt. Vale.

PAVLO

PAVLO SECVNDO PONTIFICI MAXIMO.

CCCXXIX.

NVnciatum hic eſt, copias Eccleſiæ his diebus infeliciter pugnaſſe. Neſcio quantum damni acceptum ſit. Varie,& pro cuiuſque affectu narrari hæc ſolent. Vtcunq; ſit,doleo,& contriſtor toto corde meo,tota anima mea,& totis viſceribus meis. Diligo Eccleſiam, & decor eius mihi eſt menti. Ingrati ſunt, impii ſunt, qui tantum iniquitatis ſunt operati. Aſtiterunt aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Patrem inhonorarunt,à quo ſemper beneficium,& nuper pacem tulerunt. Matrem oppugnarunt,quæ ſeruauit eos,& protexit derelictos. Deus vltionum Dominus audiat hæc de excelſo ſancto ſuo, & ad vindictam exurgat. Scio opus non eſſe conſolari B.veſtram,quæ magni eſt animi, & conſolari reliquos eſt conſueta. Ad conſilium quoque ego ſatis non ſum. Sed ſi filio apud patrem, ſeruo apud Dominum aliquando eſt locus,ſupplico humiliter,ne quid propterea vel remiſſius, vel timidius agat. Confidat in Domino, qui non dereliquit ſperantes in ſe, & per hæc detrimenta temptat patientiam noſtram. Agitatur Eccleſia,ſed non mergitur. Vincitur ſæpe in prœliis,ſed nunquam bellis. Cauſa nobis eſt optima. Pugnamus pro iuſtitia contra iniquitatem. In tot iuſtificationibus noſtris miſericordia Domini eſt expectanda. Perſeuerantibus multa ſæpe vertuntur in melius. Offerunt tempora, quæ non præuidet ratio. In cauſa Maguntina magna & graui victa ingenti prœlio Eccleſia tandem vicit. Poſt deletas ad internetionem copias Eccleſiæ delectus eſt Sigiſmundus Malateſta. Poſt profligatos apud Sarnum exercitus Regis, Ducis, & noſtros, profligati Andegauenſes hoſtes ſunt,& pulſi Regno. Recentia hæc ſunt, & Beatitudini veſtræ notiora, quàm mihi. Et ſi non ſint nunc iidem adiutores,qui tunc erant,eſt Deus,per quem victoriæ illæ ſunt habitæ. Animo tantum,& bona ſpe eſt opus. Cætera expediet diuinum auxilium. Indulgeat Sanctitas veſtra,ſi improuide loquor. Dolor meus, & charitas in Eccleſiam ita me cogunt. Non dubito Beatitudinem veſtram ſapientiſſime & fortiſſime conſulturam eſſe ſponſæ ſuæ fidei creditæ: Eiuſdem pedibus me ſemper commendans. Pientiæ die I I I. Septembris M.CCCCLXIX.

BARTH. PLATYNÆ.

CCCXXX.

GRatulor te Perrioli eſſe intendentem valetudini: Mihi gaudeo noſcenti ex litteris tuis,quanti me faciat Princeps Mantuanus. Nil de noſtra in illum voluntate teſtatus es,quod non teſtimonium omne exceſſerit. Sum ſine exceptione ſuus. Præclaram eius domum perfugium mihi conſtitui temporibus meis omnibus. Cum filio Cardinali ſic coniuncte viuo, vt nihil habeat Roma coniunctius. Ago tibi gratias pro officiis tuis, rogans vt quod feciſti facias ſedulo, & in intimo affectu tam præſtantis Principis Papienſem tuum penitus condas. Quod expleta lauatione reuiſurus ſis vrbem,eodemque itinere inſpecturus monumenta beneficentiſſimi Pii patris noſtri,& placet,& lætor. Pientiæ eſt tibi parata domus. Caue alio diuertas. Indictum tibi alioquin bellum exiſtima. Vale. Senæ Die VI. Septembris M.CCCCLXIX.

IO. CARDINALI ATTREBATENSI.

CCCXXXI.

LIteræ tuæ ea voluntate acceptæ à me ſunt,& lectæ,vt debeam tibi, quod inter curas multas Papienſis es memor. Commẽdas te ipſum, & tua. Vide quam tempori redditæ ſunt. Hodie habitum eſt conſiſtorium. In eo cum veniſſet in conſilium Hiſpanienſe Cœnobium tuæ fidei commendatum, eam ſententiam dixi, vt non modo conſecrationis tuæ filium probauerim me, ſed vno excepto Pontifice, aliorũ nulli in te ornando conceſſerim. Non iactandi officii, ſed probandi animi cauſa hæc ſcribo. Quæ nihilominus veniens aliorũ teſtimonio accipies. Amo te Pater. Idq; certiſſimũ habe, plus longe valere apud me coniunctionem manuum tuarum: Germanitatẽ noſtræ dignitatis eodem parente progenitam: Multa item tua in me non vulgaria merita,quam vim neſcio quam perturbatiſſimi temporis. In quo ſi verum fateri volumus,

ſententiis magis quàm animis diſſenſimus inuicem. Iterum dico, amo te Pater. Magis hoc chirographo teſtati mentem non poſſum. Vale.

IA. CARDINALI PAPIENSI IOANNES PETRVS Arriuabenus.

CCCXXXII.

SCribentem Principi meo Mantuano offendit me Stephanus tuus. Litteras tuas pridie Calendas Septembres ſcriptas reddidit, monuit ſibi eſſe nuntium craſtino mane iturum ad te, cui litteræ committi fideliter poſſent, ſi quid eſſem ad te ſcripturus. Itaque etſi alia me diſtrahebant negotia: nolui tamen in tanta occaſione non ſcribere, maluique vel tumultuarias litteras, quàm nullas dare. Facilis erit venia apud te infantiæ meę, qui eam iam pridẽ vtcunq; auribus tuis dignatus es. Nam certe qui tibi omnia credo, de me nihil credo. Quoq; magnificentius de me loqueris, eo grauiorẽ intelligo ruinam meam, & magis pudet inſcitię meę. Illud fatebor, obſeruantiam in te meam ne verbis quidẽ explicari poſſe, eamq; dicendi genus omne exuperare. Tu vero, qui me vſq; quaque beneficiis tuis cumulas, non deſinis quoq; tam honeſtiſſimis verbis onerare. Plus enim tribuere quam me deceat, id quidẽ mihi eſt oneroſiſſimũ. Tuę charitati omnia aſcribo. Superas ingenio. Vincis facundia. Excellis & humanitate inter omnes. Quia non vacat, vtar paucis, & vbi gratias egero, quod me litteris tuis dignaris, & inſtruis, veniã ad rem ipſam. Die Dominico ad veſperam vario quodam rumore dici cœptum eſt, milites eccleſiaſticos fuſos fugatoſq; eſſe. Hęc verba erãt in ore vulgi. Addebãt aliqui, ſe vidiſſe litteras ex Florentia ad oratores fœderatorũ ſcriptas, quibus ideo narrare omiſerãt initium pugnę, & quomodo conflictum eſſet, qui capti aut mortui, quoniã tam læti nũtii feſtinationẽ noluiſſent immorari. Heri quoq; huiuſmodi cladis opinio inualuit. Erant & recentiores litteræ, quibus & captiuorum numerus, & nomina recenſebantur à principio. Haud ſatis fides habebatur: & quoniã nouiſſimi mala noſtra diſcimus à ſuis, Pontifex nil audiebat, aut aſtute diſſimulabat, & vſq; in hanc horam ſubticeſcunt prętoriani noſtri: immo vt ſunt ad celanda omnia artificioſiſſimi, ne ſignũ quidem vllum mœroris oſtendũt. Sed hoc ſapientię fortaſſis aſcripſerit quiſpiã. Illud vero, quod de reficiendo exercitu, inſtaurandiſq; viribus nil videntur cogitare, quale ſit tu iudi ato. paruo momento magnę res in bello diſſoluũtur. Conſultiſſimi Imperatoris eſt, non ſolũ perditis rebus ſuccurrere, ſed ante prouidere vnde ſuccurratur, ſi periclitatum fuerit, ne vbi opus eſt facto, conſultationibus tempus teratur. Tu qui alias huiuſmodi caſibus, & interfuiſti, & præfuiſti, quanta celeritate opus ſit, ſatis noſti. Nunc aut clam omnibus moliũtur, aut equum Troianum ſtruunt, aut quod nobis conſtet nil agunt, & fortaſſe hoc magnitudinis, & inuicti animi conſtantiæ documentum afferunt, ſe etiam in diſcrimine ſecuros eſſe, & Deo freti illud Pſalmiſtæ habent in labiis: *Si conſiſtant aduerſum me caſtra nõ timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* Spes iuſtorum à Domino. Illud tamen obiici poteſt: *Non temptabis Dominum Deum tuum.* Dicit enim Dominus: Sume arma, & ſcutum. De clade ipſa, quod magis mihi compertum exploratumque eſt id exemplum litterarum Hannibalis ad Florentinos facit: quod puto tibi ſatis, qui proximior es, innotuiſſe. Paucis tamen enarrabo. Cognouerat is ab exploratoribus ſuis hoſtes è Virgiliano caſtra mouiſſe: ad Flumen, cuius & ipſe accola erat, deſcenſurus, inſtructis ordinibus eis occurrit. Confligitur, & cum hoſtes mallent ſe pugnæ ſubtrahere, aut quod itinere feſſi, aut quod iniquo loco rem gererent, non eſt paſſus ſine clade abire. Capti ſunt trecenti, quos homines armorum appellant. Non occurrit quo alio verbo id tibi explicem: ad III. milia equorum. Ingens numerus impedimentorum, & bina vexilla, quę infœlici omine non ſatis odorato thure inauditis precibus Duci data fuerant: Ductores plurimi, inter quos Imperatoris filius, vti Scipionis ab Antiocho, quẽ publica gratia commutare noluit, pater integerrimus Io. Franciſcus Meletenſis cum filio. Vulneratus Alexander Sfortia. Aſportatę ſunt & geminæ bombardæ, & alia id genus tormenta bellica. Affuit & illi prœlio Foroliuienſis Princeps cum cohortibus Veneris ad numerum nouem: quæ cum eo mane aduentaſſent ſatis opportune, & ipſę interceptæ prædę fuerunt hoſtibus. Ingens profecto damnum, & quod haud facile reſar-

le reſarciri poſſit. Hæc habemus, & quieſcimus. Stupidi ſumus, an altiora corde volutamus. Tu qui ſapis iudica. Nimia lætitia exultantes hac ſumus aduerſitate compreſſi. Reicitur omnis culpa in Venetos, qui in mittendis ſubſidiis lentiores fuerint quàm oportebat. Ad perniciem noſtram iam plana ſunt omnia. Nihil intercedit. Nihil obſtat. Modo velint, non deeſt hoſtibus in nos irruendi atq; opprimendi facultas. Orandum eſt, vt aliud cogitent, & quod ſe hactenus dixerunt, tantummodo intendere, id vnicum abſoluant. Qua mente à principio fuerint, haud ſatis ſcio. Sed qualecunq; propoſitum induerint, vereor ne occaſionem proſequantur, & vt vaſto ſunt animo, non hic conquieſcant. Ex Gerona affertur, Gallicos ab oppidanis eiectos, & multos trucidatos eſſe: Subtraxiſſe Regem Gallorum ſubſidia, quæ Duci Ioanni addiderat. Hæc publicitus. Quod ad me pertinet: Illud verbum, quo tuam erga me voluntatem circumſcripſiſti, quam vehemens eſt, quam ſuauitudinis, & dulcedinis plenum. Potuiſti nihil maius. nequeo neq; verbis neq; tuis in me beneficiis par eſſe, aut pares gratias agere. Ego quoq; poſtquam me tibi addixi, quid magis poſſim non habeo. Sed tu vt magis debeam efficis tam conſtanti humanitate. Quod ſi Domini, & ſerui officia inter ſe paria vllo modo eſſe vnquam poſſunt, illius amando ac benefaciendo, huius integram fidem atq; operam ſemper prꝗſtando, non diffugiam iudiciũ. In eo certamine nihil profecto ſuccumbam. Audiui te Senam conceſſiſſe, eo fortaſſe conſilio, vt locorum commutatio voluptatis aliquid afferat. Ex ſolitudine commigrantibus gratior eſt frequẽtia. Diu celebriore loco detentis lætior optatiorq; eſt ſolitudo. Vbicunq; fueris, opto vt tibi bene ſit: nam nos quibus te vita ſuperſtite iucunda, ſi contra grauis, meliorem in te vitæ partem ducimus. Satis nugatus ſum inepto quidem. Lectis literis tuis hæc raptim ſcripſi. Itaq; nil eſt, quod cohæreat. Ignoſce garrulitati meæ, quę & eo ineptior eſt, quo magis ſubitaria, & extemporalis. Vale. Romę Nonis Septembris. M. CCCCLXIX.

IA. CARDINALI PAPIENSI IOANNES PETRVS Arriuabenus.

CCCXXXIII.

SCio, Pater Ampliſſime, veluti quoddam emporium rerum nouarum domi tuæ celebrari. Ita expoſcit dignitas tua, vt vndecunque earum notitiam crebro accipias, & tu earum es inueſtigator diligentiſſimus, & vera cognoſcis, & cito ad te perferuntur. Non immiſcuiſſem me tanto conuentui niſi tu imperaſſes, maluiſſemq; contumaciæ quam ineptiæ crimẽ effugere. Quicquid igitur ſcripſero, memineris id fieri mandato tuo, & fidem noſtram expendito. Nonis Septẽbris quæ nunciata eſſent de Ariminenſi pugna ad te ſcripſi. Poſtero mane habitus eſt Senatus, in quo recitatæ ſunt Quæſtoris Pontificii literæ. Is conflictum eſſe, plures captos, occiſos, vulneratos quam plurimos non ibat inficias. Signa ab hoſtibus intercepta, impedimenta ſubtracta, & quod verbo non exprimebat, ſuos omnes campo ceſſiſſe, & in municipia finitima trepidos confugiſſe, ipſo ſatis euentu declarabat. Se vulneratum in genu, Alexandrum item Sfortiam, & Neapuleonem, alterum in capite, alterum in gutture vulnus accepiſſe fatebatur. In eo tantum minus iniquam fortunam ſuam faciebat, quod & hoſtium plures, & digniores capti: Plures interfecti, maior equorum copia eſſet amiſſa. Affuit in Senatu Orator Venetus, produxit literas illius potentatus nomine ad Pontificem, quibus dolebat huiuſmodi iniuriam damnumq; fuiſſe ei irrogatum. Sed quod ſolum in ea iactura poterant, ſe paratos terreſtribus maritimiſq; ſubſidiis conſilia eius omnia iuuare, præſtituroſq; affatim omnem operam ſuam, vt ex initis conuentionibus tenebantur. Magnifica inquã verba, & magnæ, vt aiunt, ſpei. Sociorum igitur, & domeſtico robore ac præſidio firmatus Pontifex, qui nondum, vt aſſerunt, Chorbonam aperuerit, nihil animo motus perſtat in ſententia, ſe niſi Ariminum dedatur, neque a bello temperaturum, neque ad ineundam pacem inclinaturum. Noſti neruos belli eſſe pecunias. Inde initium reficiendorum militum ſumptum eſt. Heri ad exercitum profectus eſt Lucas Nelli cum XL. millibus ducatis, eos diſtributurus, vt magis oportere intellexerit. De aliis mittendis infra paucos dies ſpem addiderunt. Perquiſiti, & in domi-

bus Cardinalium,& tota vrbe equi idonei, qui eo tranſmittantur. Octo Neapolitanus, vt audio, Decem Procancellarius dedere Pontifici. Reatinus Rauennaſque permiſere iis, quibus ea cura fuerat à Pontifice demandata, vt quot vellent è ſtabulis acciperent. Huius deſcriptionis immunes ſunt Dominus de Vrſinis, & Mantuanus, quod fratres habeant, quibus eos opus ſit ſubmittere. Et tui in militiam vocati fuiſſent, ſi affuiſſes. Sed vtinam reuerſo non opus ſit præſtare, quod abſente non fuit exactum. Emuntur & vbique quotquot inueniuntur equi, quos Anconam deductos nauigio in Flaminiam tranſmittent. Nil diffidimus viribus noſtris. maiore animo grauiore iniuria laceſſiti, pugnabimus. Sentient hoſtes Hydram Herculis. Nunciatur iam aduentaſſe magnas copias à Venetis, quibus adiuncti iterum hoſti occurremus, feliciore fato, & quo magis putamus fortunæ inuidiam hac clade ſatiaſſe: ita nunc certiore ſpe proſperam eam nobis fore pollicemur: neque nos terret quod Robertus vnum è noſtris municipiis expugnauerit, alterum nunc obſederit. Friuola hæc, & infra animum noſtrum animi magnitudo, ſiue eam malis ferociā nuncupare, in feris ex præda dignoſcitur. Si parua appetuntur, viles: ſi fortiora robuſtiores habentur. Non eſt nobis hærendum in paruis, aut Ariminenſi expugnatione, aut hoſtium internecione victoriam noſtram metimur. Ad hæc ſunt & conſiliorum, & exercituum noſtrorum vires inſtructæ. Adiutorem, & vindicem Deum habemus, qui cuſtodit diligentes ſe, & exterminat inimicos ſuos, quos de ſua nunc nequitia exultantes corripiet in interitum, & conuertetur dies eorum feſtus in luctum, qui veluti ad ipſam iam diuinitatis tendunt iniuriam. Nihil inani iſta victoria ſibi applaudant, quibus poſtmodum de tanto rerum culmine deiectis altior erit caſus, & impulſæ præceps immane ruinæ. Subſannabit eos Dominus, cum irruerit repentina calamitas: quia deſpexerunt omne conſilium eius, & increpationes eius neglexerunt. Satis firma ſunt nobis vndiq; præſidia. Itaq; non eſt amplius vt deploratam fortunam noſtram exiſtimem. Audies tandem acceptam eſſe huius cladis non diſparis victoriæ compenſationem. Illud ſcias velim, in Quæſtorem omnem culpam reiici, nec deeſſe, qui inde occaſionem hominis impugnandi ſuſcipiant. Quod nunciare poſſim, noui aliud offertur nihil. De meo in te amore ac fide, & quantum Papienſi fatear me debere, illud vetus eſt, & vulgo tritum adeo, vt iure mihi inuideat quiuis, ita te quoque amicum præſertim cautum dignos aſſumere. Itaq; ſi te colo, ſi te celebro, ſi maieſtas tua ſemper obuerſatur oculis meis, non ingrate facio: perpetuam atque omnium fidiſſimam ſeruitutem à me emeritus es tua iſta humanitate, quam ſibi imitandam proponerent vtinam ii, qui videntur cenſere honorē ad ſe oſtentandum, ita ſuperbiam & elationem appetere, ſicuti ſtratus humi palmes viduas deſiderat vlmos. Indignos eo honore falſo ſe iudicio reddunt. Ego tuorum in me beneficiorum memor ero, dum ſpiritus hos reget artus. Diſſoluetur q; prius anima, quàm tuus à noſtro corde faceſſat amor. Bene vale. Commendo me dignationi tuæ. Romæ quarto Idus Septembris. M CCCCLXIX.

IOANNES PETRVS ARRIVABENVS IA. CARDINALI Papienſi.

CCCXXXIV.

NOuos ac recentes rumores, & eos perſæpe vanos Romæ nunquam defuiſſe compertum eſt. Hoc facit vrbis amplitudo, diuerſæ nationes, diffidentia inter ſe vota, pro quorum nutu aut falſa confingunt, aut auditis ſemper nouus adiicit auctor. Poſtquam illæ acies inter ſe tam infeſtis odiis, tam obſtinatis animis concurrere mihi ſæpius euenit, vt ſi quando conceſſeram in frequentem turbam, cuius prope ædes noſtras quotidianum conciliabulum eſt, eodem miniſterio aurium varia exciperem, ita vt qui dexteram aurem ſonus verberauerat pulſam ſiniſtram penitus aduerſaretur. Quoſdam è ſententia loqui, alios affectu mentiri, nonnullos, vt ita loquerentur, de induſtria ſummiſſos iudicabam. Qualis ea fuerit repugnantia, etiam me tacente facile ipſe perpendes. De ſuis quiſq; magnifice loquebatur. Neque enim Romæ omnibus eadem voluntas aut factio eſt: Coaleſcere in eadem ſtudia non poteſt tanta colluuies. Sed quod fortaſſe deterius eſt, Hoſtiles legati quotidie ante oculos ob-

los obuerſantur. Hi Pontificis conſilia explorant, & noſtris paratibus cautiores redduntur. Indignatur Plinius vir nullius doctrinæ expers, temporibus ſuis quatuor Hannibalis ſtatuas in ea vrbe cerni, cui ipſe tam atrociter inſultauerat. Si mortuum Hannibalem haberi execratur, cur nos viuos patimur? Iam, vt aiunt, ſpes nulla eſt pacis. Bellum hæc armenta minantur. Pacem ſe daturum nunquam ait Pontifex, niſi Ariminum dedatur. Hoſtes ſe nullo modo dedituros inquiunt. Audio tamen hos legatos dixiſſe, expectare ſe vt primis literis à Dominis ſibi diſceſſus imperetur. Id vero quale futurum ſit, non affirmauerim. Rediit Baldaſſar Trinus è caſtris Pontificiis, qui conflictui interfuit: refert acceptam quidem cladem. Sed ſi omnia expendantur, illatam quoq; hoſtibus grauiorem. Ioannem Baptiſtam Stabiam miris effert laudibus, & fortitudinis, & fidei in Pontificem: Cuius inter cætera refert memorabile, quod Alexandrum Sfortiam vulneratum, & iam captum è confertiſſima hoſtium manu ſeruauerit, reduxeritq;. Eumq; qui captiuum ducebat, amiſſis eo prælio tribus equis interfecerit, nunquam tota pugna ocioſus aut ſuorum fuga deterritus. Quid vero de Quæſtore prædicet, incredibile dictu eſt, quam diligens in ducendis ordinibus, ſummittendis militibus fuerit, lorica indutus, & ſago, vt ne quid dignoſceretur ab hoſtibus. Diſcurrebat, inquit, totam aciem. Labantibus præſidia mittebat, integros feſſis ſubminiſtrabat. Alios monere, hortari, imperare pro tempore. Ipſe interdum pugnare, &, vt inquit ille, ſtrenui militis, & boni Imperatoris officium implere. Cum tandem inclinata eſſet acies, ſuis iam diffugientibus, postremus remanere: Signa non deſerere, in animum induxiſſe, nec ante abire, quam aut ſalua reduceret, aut illic fortiter pugnans confoderetur. Sed cum maior vis hoſtium ingrueret, conſilio, & vi tribunorum ſuorum ægre inde abſtractum ceſſiſſe, cum iam ſublata eſſent. Ita fortiter fecit, ita ſe inuicti animi præſtitit, vt veterani milites gloriæ presbyteri iam fateantur ceſſuros. Virum omni laude, & honore dignum affirmant: qui licet ad triumphum fortunæ ſucceſſus non habuerit, magnis tamen excidit auſis. Vincere nunnunquam fortunæ eſt. Fortiter pugnare, hic verus honos propriuſq; hominis eſt. E caſtris noui aliud nil audio, niſi quod diſperſi milites colliguntur, iuſta iterū ſi dabitur occaſio acie oppugnaturi. Hinc pecunię, & equi ad legiones transferuntur. A nobis nouem equi accepti, quod prius dixerant ſe non facturos, & hodie abducti ſunt. Senatus his diebus nullus habitus eſt: quod ſi extra eum aut in eo clam me fit aliquid, id vnde prorſus cognoſcas, idoneos habes auctores, non dicam amore, aut fide ſuperiores, cum in te amandu colendo quoq; cedam nemini. Audio ſuſurrari neſcio quid de parturiendis ſiue pariendis nouis Senatoribus: Quid in hoc futurum ſit, ſcio tibi eſſe exploratum. Quod ſi is fuerit deſignatus, quem ſentio, & propter quē furtaſſe tot ſpectacula, dicam illud Martialis, Vindemiarum nō vbiq; prouentus ceſſauit Ouidi: Pluuia profuit grandis. Claudicans Cocles ſtatua dignus habitus eſt. Quæ genu excipiuntur vulnera, neruos contrahunt, & ſæpe corporis iacturam faciunt, ſed rependi poſſunt hæc damna honore aliquo. Deus bone, qui ſcrutaris renes & corda, quouſq; inſcitiam noſtram toleras: aut ſancta tua polluentur? In quo ſæpe erratum eſt ne ſæpius erretur, & erroris continuatio tranſeat in exemplum circumſpice. In hoc rectum eſt Papienſis tui cor, qui non cenſet priuata beneficia publica gratia eſſe commutanda, & in hoc affectus omnes eſſe exuendos. Dilapſus ſum ſcriptione, vbi non decebat paruitatem meam. Sed vt apud te omnia liceant, facit humanitas tua. Tuum reditum miro deſiderio expecto: quod ſi tantum abes, vt calores Romanos aufugias, redire iam ipſe potes. Habemus ſalubrem aeris temperiem, & mane ſubfrigidum eſt. Si redeundo tibi non diſplices, id quo maturius feceris, eo magis nobis ſatisfacies. Vale. commendo me Dignationi tuæ. Romæ, Idibus Septembris. M. CCCCLXIX.

IOANNES PETRVS ARRIVABENVS IA. CARDI-nali Papienſi.

CCCXXXV.

ITa delector meo erga te officio, vt cum etiam nihil occurrit ſatis dignum auribus tuis, ſumere tamen calamum, & ſcribere aliquid iuuet. Nam & quod

præſenti facere interdum conſueuimus, vt nulla niſi ſalutationis cauſa adeamus, id quoq; abſenti præſtare non ineptum putamus: in quo & minus importuni futuri ſumus. Si enim cum redduntur literæ, maioribus negotiis detenti eſtis, minore erubeſcentia atq; iniuria earum lectio, quam adeuntium corpora differri poteſt. Etſi, quod tuæ humanitati, nō meæ modeſtię aſcriptū ſit, ego nunquā mihi viſus fuerim tibi importunus, expediam tamen pauca nonnulla, non tam tui admonendi cauſa, cui nunquam Delphis oracula ceſſant, quàm vt quod tu dicere conſueuiſti, ex quacunque herba falcem colligam; & videar mandatorum tuorum retinētiſſimus. Poſtremo Senatu, qui die Veneris habitus eſt, eum inter reliqua, quorum agendorū vulgo opinio percrebuerat, Hiſpanienſi eccleſiarū diſtributio expectaretur, nihil quod relatum ſit actum eſt. Nihil deniq; alia vlla in re memorabile ęnunciatum eſt. Inſequēti die, quo celebritas coronationis Pōtificiæ agebatur, recitatæ ſunt inter Senatutes literę à Quęſtore, quibus copias eccleſiaſticas iam conueniſſe ſignificabat, & breui in agris tabernacula habituras. Aduentaſſe eum Hercule turmas XXIV. poſt primas XII. Expectari & alias XII. a Venetis, & ſexcentos equites ex foro Iulii, quæ omnes cum ſummam XLVIII. impleāt, additas noſtris numerum octoginta exceſſuras, magni profecto robur exercitus, quæ non ſolum fœderatis obſiſtere, ſed eorum omnem vim diruere poterunt. Non deeſſe animos vlciſcendæ iniutiæ, abolendæ ignominię, ac æterni nominis conſequendi. Non inficiatur Robertum Malateſtam quędam Caſtella agri Ariminenſis occupaſſe, quorum amiſſio nō tam nobis per ſe moleſta eſt, quàm quod in habendorum commeatuum frumentiq; imprimis occaſio data eſt. Nam cum vbique aliquid reconditi tritici repertum ſit, in quodam tamen municipio ingens copia ad XX. millia modiorum inuenta eſt, omniaq; in vrbem Ariminenſem cōportata ſunt, quæ cum antea ob famem diutius ferre non poſſe obſidionē videretur, atq; inde deditio ſperaretur, nunc aut ſublata, aut dilata ſpes eſt. Reliqua municipia, quæ eo loci momenti ſunt, vti Mondauium, Verruchium, & huiuſmodi ita militibus, omnibuſq; præſidiis communiuit, vt iam ſatis contra hoſtem firmata ſint: & quia oppidanos verebatur, quippe qui ingenitum habeant in Malateſtam familiam amorem nondum extinctum, ſingulo in quacunq; domo relicto omnes emiſit, ne intus manentibus ab eis proditio fieret. Hactenus in Flaminia, quantum audio, res ſucceſſere. Euentus rei vti dubius ſemper, ita iudicio meo imperſerutabilis. Sunt qui opinentur, aduentante iam hyeme nihil memorabile acturos eſſe, ſed vtrunq; exercitum ſatis habiturum, ſi ſua ſeruauerit. hyeme ad hiberna conceſſurum, & quod fieri ſemper conſueuit, nouorum conſiliorum hyemem matrem fore, monſtruoſos partus ver nobis editurum, quarum rerum vel in Cæſare magnum inſtar futurum aſſerunt, qui cum nuper internuncio Abbatis Caſæ nouæ cum Venetis fœdera iunxerit, ac multa millia equorum ſit in expeditionem Italicam tranſmiſſurus, idemq; fœderum mox cum Pontifice ius ſit initurus: magnos inde tonitrus ſumus exauditurı. Addunt etiam, Abbatem illum nouas ſocietatis cunditiones inter Cæſarem, & Ducem Ioannem conciliaturū. Pontifex in ſententia perſeuerat, &, vt inquit Terentianus ille Charinus, nihil vult niſi Ariminum. *Omnis in Arimino magni ſtat cura parentis.* Non minis, non periculo, non clade, non ſumptus onere ab ea ſententia dimoueri poteſt, & quod prudentiſſime conſilium propoſitumq; induit, id eſt conſtantiſſime ſeruaturus, etiam ſi ad vltimum diſcrimen deueniretur. Hoc facit affectus Dei iuſtitiæ, & talenti à Deo commiſſi, quod qui recondidit, & in eo nihil operatus eſt, reprobus habitus eſt apud Deū. Itaq; niſi in hoc cedant hoſtes, & Pontifici ſatisfaciant, non eſt vnde pacem poſſint expectare. Venetorum auxiliis maior fides eſt, quàm antea: nam ſincerius, & magis ingenue nunc agere ſe oſtendunt. Sentio exardeſcere noſtris ſpiritus, & ductos magna ſpe victoriæ in ipſa etiam ſpe iam ante lætari. Sed vtinam ſperatam lætitiam certam ac præſentem videamus, optatoſq; diu liceat ductare triumphos. Vale ſerui memor, nec cœptæ humanitatis deſertor. Tibiq; perſuade, non minorem eſſe apud me obſeruantiam tui nominis, quàm tuam in me charitatem, etiam ſi ca tuo arbitratu ac tua lance expendatur. Commendo me amplitudini tuæ. Romæ XV. Calendas Octobres.

IOAN-

IOANNES PETRVS ARRIVABENVS IA. CARDInali Papienſi.

CCCXXXVI.

VT hominum, ita rerum conceptus eſt. Silent omnia, cum parturitur. Cum puerperium fit, exaudiuntur clamores. Id nobis in rebus bellicis puto accidere, quarum conſilia in ſequentem annum iam magis, quàm præſentem videntur reſpicere, & quod in hyemem tendimus, & quod tunc ſperetur occaſio rerum melius gerendarum. Profligato bello quod audiſti, ſumma celeritate inſtaurati ſunt exercitus, accerſita ſociorum auxilia & periculo ipſo Saturnus Mercutiũ induit. Ita ſtrepebat militibus tota Flaminia, vt eſſent qui dicerent, aurum Tholoſanum, aut equũ Seianum apud victores eſſe. Eos ſibimet fomitem malorum ea victoria peperiſſe: Ita numerum ac robur Legionum noſtrarum auctum eſſe, vt quod de Græcis Homerus ſcripſit, decem milites vix ſingulum hoſtem eſſent habituri: & id quidem ſatis veriſimile coeuntibus tam validiſſimis potentatibus, & coniunctis viribus sociale bellum miniſtrantibus. Cum autem rebus gerendis tempora aduerſa iam incumbant, neque interim ad committendum prælium ſatis, quantum coniici poteſt, animati videantur, aut ſuperior ratio in cauſa eſt, aut Dictatorem Fabium habemus. Tu, qui & ingenio, & peritia ſatis calles, iudicato. Vtra harum ſit, ocioſi certe ſumus, & ego affirmarim, noua conſilia agitari. iis fides, & taciturnitas ſucceſſum præbent. Si efferuntur, euaneſcunt. Nam & admonitus hoſtis ſibi, vbi opus eſt, præcauet, & expectatione fruſtratur aduerſarium. Opus eſt tamen, vt quod tacite aſſeruatur, fideliter miniſtretur, prudenter quoq; excogitatum ſit. Si enim hoc tollas, operam & impenſam perdimus. Sumus in his omnibus pari ſtudio, ac vigilantia. Pamphilum Simonis Terentiani imitamur, qui diuerſorum ſtudiorum nihil egregie præter cætera moliebatur. In tanto igitur rerum ſilentio, quid negocii ad te ſcribam non habeo. Facta enim, quod publice gerantur, enunciari poſſunt. Conſilia, quod intra hominis cor deliteſcant, haud facile à vulgo, cuius ego vulgatior ſum, reſciri poſſunt. Sed neq; ingenio valeo, vt coniectura aſſequar. Si igitur nihil habes, ex me cauſas audiuiſti. Heſterno Senatu, qui interdum habendis comitiis proprius eſſe ſolet, nil occupati fuerunt Senatores: nam primo ingreſſu, vt audio, percontanti Pontifici, ſi quid erat agendum aut referendum, nil omnino reſponſum eſt. Itaq; ſtatim diſſolutus eſt, & quod publici nil erat, quiſq;, vt mos eſt, pro priuatis circunſtare Pontificẽ. Quoſdã ſtatim abire volentes retardauit familiæ abſentia, quæ domum è more reuerterat, & tardius prandium egerat, quod ea dies ieiunio eſſet dicata. Neq; igitur è Senatu, neq; a caſtris noua afferuntur. Id nos aliquantulum ſollicitat, quòd auerſo tempore peſtilentia cœpit ſerpere, qua inter alios deceſſit Conradinus Q. ſanctiſſimi patris tui Firmani intimus. Valet tamen Dominus meus cum tota familia. Idem de te ac tuis audire cupio, & eo magis, quòd de te nil omnino ſenſerim poſt tuas, quas pridie Calendas Septembris ſcripſiſti. Vale Pater ampliſſime, & ſiue ocio frueris ſiue negocio, noſtri memor. Romæ. XXIII. Septembris. M.CCCCLXIX.

CHRISTOPHORO PRATELLÆ.

CCCXXXVII.

LIcet literæ, quibus reſpondetur tuis, manu Secretarii ſint ſcriptæ, non tamen eorum quicquam vidit, quæ mihi ſignificas. Tantum in nube calamum duxit, ſenſus omnis verborum ſuorum ignarus. Ne dubita. Cuncta ſemper quo voles continebuntur ſilentio. Salus tua, mea eſt ſalus. Et gratia omnis, quam inueniſti iſthic, mea eſt gratia, & rebus meis inſeruit. Video quo tandem euaſit comminatio Vicarii noui. Deo ſint gratiæ. Et hoc reliquum Aloes deglutiendum eſt nobis, vt alia multa. Superinducet dulcedinem Deus, cum tempus accipiet. Expecto literas Vicarii, & Ducis, quibus reſponſum paratum iam eſt ex temporum conditione, non ex iudicio ſumptum. Nam de mandato ad vnguem obſeruabo quod mones. Tu, mi Chriſtophore, vigila, vt facis, & nos tuere & noſtra. Spes de te mihi eſt multa initia rerum iam intuenti. Si non potero ego præmium referre pro meritis, referet

Deus, & Sancti illi, pro quorũ eccleſiis in laboribus es. Si tempore aliquo potero ſine menſura rependam, præſertim cum pro virtutibus tuis maximis quibuſq; dignum te deputem. Memor eſto, vt es conſuetudinis tuæ, propter quam placuiſti, & fidei datę, & iuriſiurandi præſtiti, & meritorum, quibus Romanæ Eccleſię Cardinalem in dies magis obligas tibi. Imprimis autem cura valetudinem tuam, & nil neceſſitatibus tuis deeſſe permittito. Non eſt boui trituranti os infrenandum. Diſcedo perẽdie Senis, vt recta Romam contendam. Valeo, & valere te cupio. Quod vtrięq; continuet Dominus. Senis. vi. Octobr. M CCCCLXIX.

IA. MINVTOLVS CARDINALI PAPIENSI.

CCCXXXVIII.

VIdebor quodam poſtliminii iure ad inceptum opus redire poſt longum ſilentiũ meum, cuius vtinam nullam poſſem afferre excuſationem: mallem enim contumaciæ, & negligentiæ reus fieri, quàm poſſe mę legitima exceptione purgare. Nã ſi quæ poſt vltimas literas meas ad Dignationem tuam acciderunt, ſando enumerare pergam, neq; dirus Vlyſſes, neq; Myrmidonum quiſquam temperaturus eſt à lachrymis. Quis enim cladem illius diei, aut tantam cœli inclementiam explicet? Structa erant parataq; ad victoriam omnia, niſi nobis eam Deus inuidiſſet. Horret animus hæc meminiſſe. Paucis ideo rem abſoluam, minutiſſime iterum exaraturus, ſi cognouero, ad vrbem rediiſſe D. veſtram Reuerendiſſimam. Vt fermentum habeat, vnde multum conficiat panis. Conſedebamus in eodem Burgo, quem vi occupauimus imminentes Arimino. Cum Regiæ copiæ, ad turmas circiter XLV. equitum à Tronto Flumine mouentes, per Agrum Picenum iter facientes ſecum Vrbini comite coniunxerunt. Alfonſus Dux Calaber illis præerat. Hic diu communicato cum eodem comite conſilio, cum dimidia eiuſdem exercitus parte recta, qua venerat ad patrem in regnum rediit. Earum gentium aduentu cognito duplicatiſq; copiis hoſtium, noſtri conſilium ceperunt de muris ſuburbanis, quibus cingebantur, diruendis, vt ſi quando nobis in animo eſſet illuc redeundi, liber pateret nobis reditus. Quod ſtrenue, & impigre factum eſt. Imminente ſubinde nobis exercitu comitis ne vndique impeteremur, id eſt, à Ciuitate, & à comite ipſo, diuertimus in vicinum collem paulo editiorem, ex quo iterum imminebamus Arimino, & hoſtili exercitui, qui non procul ab Arimino conſederat millibus paſſuum quatuor. Nos ex tranſuerſo inter exercitum, & Ariminum pari interuallo, nec plus minuſve milliaribus duobus. Patebat tamen via hoſtibus ſecundum mare eundi Ariminum abſq; noſtrorum metu. Caſtris vtrinq; tum loci natura, tum vallo, & foſſa munitis, aſſeruabat quiſq; fines ſuos. Interea Ceraſolum oppidulum à noſtris bello ſuperatum, & præſidio noſtro munitum ab hoſtibus obſidebatur, hac tamen obſidione, quod iuxta illud caſtrametati erant. Noſtro tamen milite munitum erat, peditibus circiter Sexaginta quinque, equitibus paucis, quibus præerat Bartholomæus de Mediolano Ceſennas ciuis: peditibus pręerat vir antea incognitus, ſed ſummæ ignauiæ Andreas de Caſſia Comeſtabilis: cum xv. Selopetariis, Baliſtariiſq; totidem. Hic cum oppidi expugnationem metueret, ſe & oppidum hoſti tradit, & in caſtra ad Reuerendiſſimum Dominum meum redit, veniam deprecatus quod nihil ei defeciſſet niſi animus. Hic fateor a Domino erratum: nam ſi laqueo dediſſet hic tantæ ſiue ignauiæ, ſiue perfidiæ pœnas, fuiſſent alii ſtrenuiores. Non licet nobis interficere quenquam. Hinc prima mali labes. Oppido enim recepto hoſtes eam habuerunt belli Sedem, & noſtræ calamitatis ſeminarium. Ea prima illis victoria, & quidem incruenta. Inde ſe vertere ad aliud Caſtellum Molazano illi nomen eſt, quod a Malaſpina Comeſtabili noſtro, cum peditibus centum & Septuaginta tenebatur. Ab eo ſæpius repulſi hoſtes conſilium inierunt eruendi illud per tormenta, & Bombardas, quibus aduectis oppugnabatur, & quidem in caſtris noſtris Bombardarum ſonus exaudiebatur, quæ res in grauem noſtrorum cedebat ignominiam, qui ex obſidentibus facti eramus obſeſſi. Id cum diutius noſtri ferre nõ poſſent, caſtra caſtris hoſtium propius admouere decreuerunt. Et erat locus arduus, quem conſpicati erant noſtri, in quem transferre caſtra ſtatuerant, tutus, & dignus tali electione. Imminebat enim ceruicibus hoſtium, quod à cura, & ſtudio obſidionis eos

nis eos auertiſſet. Hoc conſilium à Theſaurario non probabatur per omnia. Ipſe enim ſtatuerat, vt hoſtem arceret, ab obſidione repentinum impetum in Ariminum facere: Cuius muri per Bombardas noſtras diruti non fuerant reparati. Aditus autem patebat per eiuſdem ſuburbii muros ſtratos. Vicit Ducum ſententia, & collectis ſarcinis, & impedimentis ſtructa acie itur ad deſignatum caſtrorum locum. Quo cum iam ventum eſſet, hoſtes arcere noſtros cœpere telis, & ſagittis. Intercedebant inter hunc locum, & caſtra hoſtium paſſus circiter ſexcenti, & foſſa ingens natura facta, per quã riuulus fluebat, in quam omnis pluuia à caſtris hoſtium fluens, & à noſtris decolabat. In eam noſtrorum equitum aliquæ turmæ deſcenderunt, & intra hoſtium caſtra penetrarunt, viam ſibi ferro facientes. Iamque cum aliquamdiu pugnatum eſſet, erant ex hoſtibus, qui impedimenta colligerent, verentes ſeſe in fugam vertendos. Pugnatum erat horis circiter quatuor: licet hoc conſilio à noſtris itum non eſſet. Tunc iuſſu noſtrorum Ducum receptui tubicines cecinere, noſtrique ſe receperunt. Id hoſtes fugiendi conſilio a noſtris factum rati inſequi cœperunt, noſtri qui pugnæ gloria ſuperiores redibant, nihil tale verentes iam caſſides cum lanceis præmiſerant. Noua tamen, & inopinata re perculſi arma petunt. Miniſtri, qui iam ad occupanda veterum caſtrorum loca præierant, nuſquam apparebant. Ita inermes, id eſt, ſine caſſidibus, & galeis multi in pugnam redeunt tumultuaria ſumentes arma. Hanc fluctuationem hoſtium Dux conſpicatus paucis ſuos hortatus, qua velit eos in noſtros impetum facere manu monſtrat. Ipſe furibundus recentes turmas ſubminiſtrabat deducens feſſas. Atrox hic inſtauratur prœlium: immo cædes vtrinque. Nam Spingardis erant omnia caſtra munita, & nos vnam habuimus, quæ Pomum plumbeum librarum decem emittebat, quę medium aciei vnius aſſidue ſubuertebat. Econtra hoſtis funditoribus ſagittariiſque aërem verberabat nimbis telorum crebris. Nam ad eam rem parauerat propugnaculum in collis nobis oppoſiti vertice, quod ex turri lateritia fecerat, quam lignis, & terra contexit, addens tabulata inſtar Baſtię validiſſimæ. Hoc exitiale noſtris fuit, cum & ſuperne opprimerentur, & pro muro ſtantes, & illo ſe tuentes nudata his præſidiis noſtrorum pectora ferirent inimici. Fuit cædes vtrinque eminus cominuſque. Noſtri tandem qui tumultuaria ſumpſerant arma, cum neque ordinem ſeruare poſſent, neque Imperatorum dicto audire, vt in re improuiſa fit, quę per ſeſe ſibi terrorem incutit, retro cedere, ac ſuis impedimentis timere cœperunt. Ea res hoſtibus animum auxit, & noſtros cedentes inſequebantur. Noſtri vt impedimenta colligerent, pugnam relinquebant. Cuius rei auctor extitit Pinus Foroliuii tyrannus, qui cum proxima nocte in noſtra caſtra veniſſet, primus terga vertit, primus in fugam conuerſus eſt. Præerat hic turmis duabus ſtructiſſimis, & cum omnibus ſuis aufugit primus Huius exemplo alii vertentes pedibus ſalutem quęrebant. Hic neque Ductorum imperium, neque auctoritas valuit. Alexander Sfortia vnus hic pulchrum occumbere ratus, vt Leæna catulis amiſſis circumibat adhortans, imperans, nihil umittens quod ad ſtrenuiſſimi Imperatoris officium pertinebat. Inclinauerat eo iam res, & fortuna, vt non poſſet vel virtute vel Imperio alicuius inſtaurari. Inter hæc miſſus eſt qui Alexandrum confoderet miles leuis armaturę, qui egregie facinus indignum ſuſcipiens in hunc venerabilem Senem gladium conuertit, & duplici vulnere affecit, in gulam altero, ex quo illico cauſata febris, ſi quid ſupererat ſpei, abſumpſit noſtris. Ægre tandem à ſuis relatus eſt. Quæſtor noſter gregarii etiam militis munia ſubiens, nunc huc nunc illuc diſcurrens ſępius in aperta ruit pericula, quem tamen protexit militaris veſtis etiam ſordida. Quod potuit tamen vltimus ſecutus eſt fugientem exercitum. Hoſtes ſimul cum peditatu noſtro impedimenta diripuerunt, quæ nos omnes magna affecerunt iactura, cuius ego nun tenuem partem feci. Citatis equis omnes ſe Ceſennam receperunt. Mox inſecuta omnia, quę à victoribus in victos ſubſequi conſueuerunt, quæ in aliud tempus ſeruabo, quando nunc agor ſtimulis litterarum Reuerendiſſimi Domini mei, quos aſſidue multiplicat. Inſtauratione exercitus facta ideo diutius dilatum eſt prodire in caſtra, quod Veneti mature, cunctanter, pigre procedendum putant. Hęc cunctatio exitio fuit. Exiuimus tandem latebras, caſtraque metati ſumus iuxta Sauignanum oppidum, quod pari interuallo Ariminum à Ceſenna diſterminat, hoc eſt, miliaribus x. Alium caſtrorum locũ delegimus apud

Non

ſanctum Archangelum, medium fere inter Ariminum, & hęc caſtra: Robertus Malateſta cognito quod in caſtra prodiuimus, ſoluta obſidione, Mundauiũ enim obſidebat, ſe cum copiis, & Comite Vrbini coniunxit, accepta prius magna iactura, & ignominia à noſtris, qui præſidii cauſa Mondauio præpoſiti erant, qui conſpicati eum abire cum exercitu inſecuti ſunt, & impedimentorum partem, & equorum diripuerũt. In caſtris apud nos ſunt cohortes quinquaginta, ex quibus XXXII. ſunt ex auxiliis Venetis XV. alias h ıbemus præſidiis Fani, & aliorum locorum diſtributas, quę medium tenent hoſtilem exercitum inter nos. Reliquæ copię, præcipue peditatus diſtributus eſt per oppida alia Hoſtis eſt non multo minoris exercitus. Ipſe tamen partem diſtribuit per oppida recepta, quę non ſunt magni momenti, futura etiam noſtra cum temptari poterunt. Ad ea cum non poſſet terra iri, nauigauit Dominus his diebus non ſine diſcrimine: Fanumque primum, & reliqua oppida his firmauit præſidiis, vt non ſit de fide aut defectione ſuſpicandum. Quibus in Picentibus geſtis renauigauimus in Flaminiam. Nulla enim erat ſpes educendi exercitus niſi rediiſſet Dominus. Idque patuit, quod cumprimum rediit productæ ſunt copię. Hæc ſine belli neruis fieri neceſſe eſt. Ita enim tenuis pecunia ſubminiſtratur, vt vix ad panem ſufficiat. Quæ alias ſe commendat Reuerendiſſimæ D. veſtræ, quam dicit habuiſſe propheticæ ſpiritum, cum ad me ſcripſit. Noſcit nos omnes. Scit qua interdũ gratitudine ſimus, & reliqua, quæ Cumea Sybilla vix potuiſſet prædicere. Ego me, vt ſoleo, commendo Reuerendiſſimę pietati veſtræ, quam feliciſſimam opto. Ex caſtris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ iuxta Sauignanum XVII. Octobris MCCCCLXIX.

IACOBVS MINVTOLVS CARDINALI PAPIENSI.

CCCXXXIX.

PErcurri ſuperioribus diebus Reuerendiſſimæ D. veſtræ ſtatum rerum noſtratum, & quæ facta erant poſt vltimas litteras meas. Prætermiſi tamen inſtaurationem exercitus factam à Pontifice tam de pecuniis quam de equis circiter trecentis. Quę ſi celeriter vt potuit facta fuiſſet, proditum eſſet in caſtra longe antea, ſubuentumq; rebus noſtris labentibus. Sed fuit illa cunctatio nobis exitialis, quippe hoſtis ob eã cauſam multis oppidis eſt potitus, non tamen munitis multum. Quæcunq; ſint, tutantur eorum caſtra ab excurſionibus noſtrorum, & commeatum ſuggerunt ipſis alioquin mendicaturis. Nam licet ab Vrbıni Comite multum farinæ, & confecti panis ex eius tectıs adducatur: nihilominus laboraturi erant ınopia frumenti, qua liberati ſunt receptione illorum oppidorum, quæ dixi. Enumerabo vero illa cum intellexero Reuerendiſſimam D. veſtram rediiſſe ad ſcribendum. Scripſi nuper deſignatum eſſe caſtris noſtris locum tutiſſimum iuxta ſanctum Archangelum Caſtellum in edito ſitum colle, & validiſſima munitum arce, cui pręſidet Germanus Bracii de Peruſia. Ad radices huius collis caſtra locanda erant: Iamq; foſſa latiſſima ductaerat, & munitus hic locus vallo, & aliis ad hoſtiles ıncurſus vitandos neceſſariis, ita vt à fœminis tutari poſſet. In hunc locum procedere Venetum auxilium diſtulit expectans pluuiam, & hyemem, cuius velamento excuſationem peteret, & remiſſionem in hyberna. Cum dietim rem protraxiſſet, vt par fuit maturo autumno ecce exaudiuntur. Pluuia aſperſa ſunt caſtra, cuius rei delicati, immo delitioſi milites impatientiſſimi renuunt in caſtra parata concedere: ſed valetudinem, & centum alia cauſantes ad ſtatiua properant cum hirundine redituri. Hic rumor increbuit, & iam puto ad hoſtes peruenit. Qui ſi viri eſſent, nos cum ipſis caſtris occuparent. Ego ita ſentio, neque ſolus ſum, ad hoc miſſas eſſe nobis auxiliarıũ has copias, vt bellum in viſceribus eccleſiæ nutriant, ærarium Pontificium exhauriant, Ariminum in hac ambiguitate ſeruent ceſſurum ſibi aliquando: Quod honeſte fieri non potuiſſet, ſi ad gremium rediiſſet Eccleſiæ. Hæc omnia ex voto cedunt. Hæc enim prouincia ab illo ſociali exercitu patitur omnia hoſtilia. Vaſtationem agrorum, omnium ruſticorum prædiorum, & domorum ruinam, d reptionem, & excidium vſque ad ſolum, & aream. Si ad hoſtium perniciem tenderetur paribus animo, & viribus, validior eſt exercitus noſter. Claſſis vigintiquinque nauigiorum inſtructa. Munitiones paratæ. Ducum peritia, & copia ſorte multa. Magna vincendi ratio, modo voluntas non abeſſet. Nemo eſt, qui ferre

poſſit

poſſit tam apertam tergiuerſationem, cui non deeſt claſſis diſſimulata perfidia, ex qua ſæpius nauigia Ariminum clam petunt. Quid apertius? Nos inter hæc diſcruciamur, neque eſt quod rebus noſtris poſſit ſuccurrere. Viderit Deus, & vos cœli cardines huic potentatui longe infenſi, cuius potentiam formidantes inſolentiſſimi hi cludunt, eludentéſque conterunt. Commendo me Reuerendiſſimæ pietati veſtræ, quã Deus, & Eccleſiæ ſuæ, & nobis colonis ſeruet felicem. Ex caſtris ...ta Sauignanum Octobris XXIV. MCCCCLXIX.

IA. MINVTOLO.
CCCXL.

SI ſerius ago gratias officio tuo, velim mihi ignoſcas. Tempore, non voluntate differuntur litteræ. Rari ad vos commeant. Qui mittuntur, non ſinuntur vel ferre alienum quicquam, vel reddere. Ea iactura in meis, & tuis ſæpe eſt facta. Credo has Ioanni Ariminenſi cõtubernali tuo. Fidem, quã tibi præſtitit, præſtabit & mihi. Commentario ad me miſſo nihil ad animum melius. Complectitur omnia, quę noſſe in deſiderio erat. Video poſtulatum amici plurimi à te exiſtimatum. Si quid ad beneuolentiam meam accedere poterat, hoc ſtudio totum aeceſſit. Addi iam nihil ad cumulum poteſt. Roga Deum, vt poſſim. Voluntate ad te promerendum nihil incenſius. Ago tibi gratias. Quæſtori item meo vt nomine gratias agas, & peto, & precor. Codicellus chirographi ſui adſcriptus, & acceptiſſimus fuit, & plurimum contulit. Illius imperio quæ Ioannes preſſus à me ne mutierat quidem, plene effudit. Noſco iam omnia. Futurum confido, ni fallunt vires, & fides eius plena diſcriminibus: ſi minus apud quos oportuit mercedem gratię tulit: at apud me veræ laudis inueniat. Hortare illum, vt bono ſit animo, & contentus conſcientia Domini benedictionem expectet. Ad honores illa expedita eſt via, ſi vulgetur virtus ante non cognita. Magnum de ſe ſpecimen animi dedit. Pauci qui vellicent ſunt, qui miſereantur, & laudent pene omnes. Audio ſermones noſtros. Audio & vulgares aliorum. Non mentior, Iacobe: Magna eſt æſtimatio, paſſimque opinio, fortunam ſibi magis quàm ipſum Fortunæ defuiſſe. Vbi hæc tam ſecunda de homine eſt fama, adeſt plerumque retributor, vnde non expectatur. Laborioſiſſimi ſeptennii, quo eram Cardinali Firmano famulatus mercedem retulit Pius, quem pene non noueram. Vnde id quæſo? niſi ab optimo eſt miniſterii boni. Perſeueret in finem. Ferat, & perferat omnia. Victrix eſt tandem fortunæ patientia. Vale.

MINO TRICEREHIO SENENSI.
CCCXLI.

DE heremitorio gratias ago. In re pene nulla piget iam tot tractatuum. Craſſi regia minoris eſſe potuit tædii. Nulli propterea ſcribere propoſitum eſt non ſuperbia, ſed deſperatione exitus. Ad caput reditur quotidie. Mihi iam remiſſa eſt omnis neceſſitas. Paraui ſtabulum, & culinam, quorum cauſa optanda erat acceſſio. Reliqua nunc magis conſortii veſtri ſunt quàm mea. Idque poſt paulo ſentietis, cum reſarciendę erunt ruinę. Si conſtituent inter ſe collegæ tui rem certam, nec perſequentur inania: Et mihi vnicum dinumerandę pecuniæ opus relinquent, adhuc conuentanon abnuam, magis quidem ornamenti cauſa quàm vſus. Verbum ex me nemo expectet amplius. Habitorum eſt ſatis, ne dicam nimis. Tenes animum meum: quem tamen apud te continebis. Tibi enim ſic ſcribo, vt fratri. De prædio Macellano ſcribo etiam pluribus Guidantonio noſtro. Conferte ambo conſilium, & facite quod in rem meam putatis. Hinc neque ego videre quicquam poſſum neque ſtatuere. Res fratris tui non excidit animo. E Volaterrano plenius noſces omnia. Vale.

GENTILI VRBINATI.
CCCXLII.

ORo librum, de quo agis, mittas ad me. Vidi illum nunquam nec audiui quidem, ſi verum quęris. Gratus erit quod ignoraui. Gratior quod ab interitu viuit. Gratiſſimus quod tuo iudicio eſt Suetonii. Nil illo vel ſignificantius quicquã vel breuius.

Pecuniam à menſatiis illico accipies. De re Volaterrana laudo conſilium. Si & tu cõmendatus eſſes publice, illuc noſtra fuiſſent relata ſtudia. Cum homine eſt res, in quem facile ſuſpiciones hæ tendunt. Sed bono eſto animo, fortiter priuatam auctoritatem opponemus publicæ. Non erit tamen ab re, poſt bimeſtre aliquid indidem promi, quod dignitatem tuam curæ eſſe ciuitati oſtendat. Ad ſuſtinendos aliorum conatus grati pleriumque hi Clypei Pontificibus ſunt. Si quæris quo vultu balarum ouis paſtor exceperit, breui accipe. Erubuit ſtatim. Tacuit diu. Id mihi fuit ſigni, neſciſſe cum prius, & contra expectarum accidiſſe poſtremum eius verbum. Pluma eſt leuior. Tu oui, & nuttitori gratias age. Id facio, & libenter facio, quandoquidem ſic videor poſſe facere. De Archano nil eſt quod vereare. Claudunt os eius centum ærei vectes, æternaque ferri robora. Nec vt plus noris, cuſtos abſiſtit limine Ianus. In balaru promendo recte Baptiſtam ſeruaſti. Vſus es clauibus, ſed nimis conſpicuis: nimiſq; ab hoſtiolis tuis abſtantibus. Iunge poſthac, vt idem eſſe ſera videarur, & clauis. An putas Nannem noſtrum intellecturum hæc, ſi Epiſtolam ſoluat? Ne Philippus quidem acutioris naſi intelliget. Nullum prioribus litteris te dixi. Si vis appellem omnia, ocyus librum mitte, & vale.

GREG. LOLLIO.

CCCXLIII.

SIſtomachi neſcio quid habuerunt proximæ litterę meæ: Id fecit odioſa breuitas tua. Sic plerumque ſcribis, vt ieiunior videaris ſenſu quàm verbo. An non potuit explicari tunc, quod nunc eſt patefactum? Ego diuinus non ſum, nec non loquentes intelligo. Reſpondi ad ea, quæ viſus ſum intelligere. Ideo tibi iratior factus, quod quibus etiam eſſet iraſcendum, non prodidiſti. Abiice quæſo aliquando tuam hanc breuiloquentiam, obſcuram ſæpe multis, mihi ſemper ingratam, & munere conceſſo vtere, vel digitorum, vel linguæ. Vtroque enim eximie vales, cum vis. Scis quotiens te peccati huius reprehenderim. Vide vero quanti ſit inter priores litteras tuas, atque vltimas has. Illis excitaſti bilem non intellectus: Pro his apertioribus nunc gratias ago. Noſco iam omnia, nec Sybillinum quicquam me angit. Non putaui vſque adeo hominem inſanire, vt etiam obuio cuiq; oſtenderet, quod aliquid notæ interioris poterat maligna interpretatione afferre. Credidi vel hic ſaltem conſideratiorem eum futurum quando non incautus in priuatis habetur. Sed quid non de vanis timendũ? Vt videlicet gloriolam colligeret, ex chirographo illo collegit demens auenam pro frugibus. Ero in cæteris cautior, nec committam illi quicquam, quod non recitari in concionibus velim. Tu, ſi potis eſt, exue iam tandem Apollinem, & Gregoriũ retine, quem dedit genitor Nicolaus. Conſcia iſta tua nec acceptiorem te reddent nec meliorem. Noſti illud Virgilianum: *Inconſulti abeunt, ſedemq; odere Sybillæ.* Raro hoc genus agendi vel cũ gratia eſt, vel ſine faſtidio. Non indignor reprehendi à te. Indignor non reprehẽdi apertè: charitatemq; amici in dubium ſenſum venire. Ænigma illud tuum non tam alienam calumniam arguebat, quàm tuam. A te vero, qui ex vulgo non es, quomodo non moleſtum eſſe debuit, vulgi iudicio iudicari? Iterum dico: Vel plane poſthac ſcribe, vel nihil ſcribe. Tacentem melius feram quàm vaticinantem. Emptas ædiculas ideo appellaui tenebras, quod parum probari tibi intellexi. De Laterna etiam nocturna ideo mentionem feci, quod tu eam Senis multi pendere videbare. Admonuiſti enim ſæpe, non niſi iis decerni, qui in tribu ſua habitant. Ex Camuliana Chriſtophorus eſt: Domus in Martiniana. Et ais de Laterna verbum nunquam feci: hui tam nulla memoria es? Senio quantum video nimis tabeſcis.

STEPHANO EPISCOPO LVCENSI.

CCCXLIV.

NIſi gratias tibi egero manu mea, nullas putabo habitas eſſe. Officioſus in me valde es pater. Nunquam Dignationi tuæ aliquid commendaui, quin aut factum ſit ſtatim quod volui, aut cur non factum ſit, illico excuſatum. Oſtendiſti beneuolentiã tuam conceptam ante, hoc biennio maxime indicatam. Debeo tibi: Idq; plane confiteor. Ago igitur hoc meo chirographo, quas poſſum. Sed verecunde ago, quando verbo tan-

bo tan-

bo tantum ago, non re. Non bene ſola epiſtola retribuitur operibus. Culpam hanc temporis puta, non voluntatis. Animo quidem ad te promerendum nihil cupidius. De Iacobo Chriſtophori intelligo quid optes, & ſi decretum Ciuitatis non obſtet, quid etiam ſpondeas. Eodem, quo dixi, hæc quoque humanitas pertinet. Hannibali itidem meo plus video præſtitum quàm ſit pro co petitum. Circumuenior vndique beneficentia aſſidua, habeoque iam neceſſe captiuum tuum me profiteri. Si poſſum profeſſione hac, vel paululum tot meritis ſatisfacere, libere me captiuum tuum profiteor: nullo etiam precio præterquam quod tu dixeris redimendum. Fama iuſtæ, ac clementis adminiſtrationis tuæ adhuc perſeuerat. Id gratulare, & ſerua: & vale.

CHERVBINO PRÆDICATORI EX ORDINE Minorum.

CCCXLV.

SEro nimis redditæ ſunt mihi litteræ tuę, Cherubine chariſſime: Calendis Martij eas dediſti. Hodie primum ad me peruenerunt. Si meas quoque ſerius, vide negligentiæ huius quorum ſit onus. Nec tuum certe eſt, nec meum. Laudas officia Vicariorum noſtrorum in te. Si hoc teſtimonium illorum facti eſt, non tuæ humilitatis, plurimum lętor. Imperaui, fateor, nil tibi paterentur deeſſe: Proſequerentur laborantem qua poſſent beneficentia. Obtemperatum mihi eſt: vtique ex charitate eſt factū. Si minus animo contentus meo, illorum negligentiæ reliqua indulge. Multa peccant ſæpe miniſtri arbitrio ſuo, non alieno. Ego tibi ob prædicationem anni huius pernimium debeo. Impleuiſti opus debitum mihi, & ſponſam meam monilibus exhortationum tuarum ornaſti. Intellexi quanta in labiis tuis diffuſa ſit gratia, quam Dominus dederit tibi ſermonem rectum, & bene ſonantem in os tuum. Quanta quotidie conuentio ciuium, quanta attentio, quantus animarum fructus. Nimirum iuxta Iſaiæ verbum: *Pulchri ſuper montes pedes Cherubini ſunt, adnunciantis, & prædicantis pacem, adnunciantis bonum, & prædicantis ſalutem.* Non poſſum ſatis dignè laudare miniſterium hoc, & gratias agere. Dominus Deus, cuius in populo orator es, in pugna inimici miles, det tibi retributionem, quam ego non poſſum, & quam laborantibus in vinea ſua ipſe promiſit. Quod vnum potero, memor ero tui ſemper, & diligam te ſemper, & narrabo nomen tuum fratribus meis: & in medio eccleſiæ Romanę collaudabo te. Nunc vale in Domino: & opus inchoatum pie ac patienter abſolue. Fratres etiam qui tecum ſunt, ſaluta verbis meis in Chriſto Ieſu.

GENTILI VRBINATI.

CCCXLVI.

PAucis tecum agam, quoniam & in pauca conferri poſſunt, quæ ſcribi ſunt neceſſaria. Mutuam operam, quam quæris, pollicetur hic noſter cumulatam, & cum fœnore. Addit nullo officio vinci ſe permiſſurum, quando ad peruincendum arma non deſunt. Experimento rerum probationem ſuam conſtituit. Nam redeunti huiuſmodi quædam dixiſſe ſe ait: Nihil tamen de archanis noſtris proditum eſſe. Summa deſiderii ſui hæc eſt. Cupit adempta omnia reddi: non partem. Ad eamque rem & ouis, & nutritoris opem implorat. Nunciari quidem conſilia gratum eſt ei. Sed longe gratius poſtulatum hoc perfici. Dices quomodo ſaluis paternis id poteſt? Dixi id ipſum & ego. Sed reſpondit: voluntas adiuncta ſapientiæ nihil non inuenit, & nil non exequitur. Vide quem in angulum compingamini ambo. Vel Protheos vos fieri oportet, vel quod queritur agere. Inſubris ſententiam ad reddenda omnia ſe inclinare affirmat. Si accedat veſtra parum operæ in attrahenda Neapolitana exiſtimat: etenim ſecum de priuatis omnibus iam conueniſſe. Habes ad ſingula. Inter Carybdim Scyllamque nunc nauigate, vt neutrius vos æſtus arripiat. Libellum accepi. Suetonii haud dubie eſt. Idque figura, & nitor orationis oſtendunt. Gratias, non pecuniam remitto ad te. Sic enim breuis ſcriptura eſt, vt me qualiſcunque precii pudeat. Vale.

Nnn 3

G. LOLLIO.

CCCXLVII.

Litterę tuæ, de quibus anxius eſſe videris, ſaluę redditæ ſunt. Non dubito quin ad Senenſem noſtrum attuleris quod in te ſtudii, & diligentię fuit. Sed vtinã eo tempore adhibitũ eſſet, cum ille alienę charitati, non ſuis operibus aſcribere potuit. A me tamen in ſignificanda, & teſtificanda voluntate tua nihil omiſſum. Marretę gratias ago duabus iam interpellationibus motus. Egiſſem prius ſi ille commodo meo, nõ ſuo perficiendam rem ſuſcepiſſet. Sum homo, & ad reddendam mercedem rationẽ temporũ habeo. Decreta me pręſente exulum reductio gratię meæ videbatur eſſe poſſe. Abſente nunc, & non petente confecta, quid meũ declarat? Vmbrarum Lolli conſimilimi eſtis: Fugitis inſequẽtes: Cedentes ſequimini. Habete iam vobis tanti æſtimata, & deprecata ſuffragia veſtra, & in beneficiis ęgerrime dandis. Languidas gratias capite. Cum populo, inquies, negotium erat. Et de populo meus eſt ſermo. Ioanni Baptiſtę Arengherio præſtabo quod optas. Teſtimonium tuum cum plurimi apud Pontificem ſit, puto affixam, & lamentatam mecum aliquando calumniam totam auellet. Dies hi ſacri, qui à mane ad veſperum anniuerſariis ſolemniis conſumuntur impedimento fuere, quominus ea de re agi quicquam potuerit. De peſtilentia hic orta quæ nunciata vobis ſunt, inania ſunt. Nihil incolumius, & mundius vrbe Roma. Tibi pro tuo in me, & Chriſtophorum officio gratias ago. Vale.

G. LOLLIO.

CCCXLVIII.

NActus opportunitatem vacui temporis egi apud Pontificem cauſam Aringherii noſtri: Teſtimonio potiſſimum litterarum tuarum, cui & meum adiungens narrani quę apud vos agens memineram à quoque vel optata vel dicta. Quætere deſine, conceptum crimen animo illius penitus abſtuli Fecique vt patris, & filii, tua etiam in ſe officia multis ſignificationibus agnoſceret. Doluit ſine cauſa moleſtiam præbitam, & planius iam loquens delatorem aperuit. Sceleſta res Lolli. Is potiſſimum, quo auctore ſua omnia hic impugnantur peccati proprii hominem innocentẽ notauit. Credere nomen eius litteris nolo: Sed veniens indicabo. Simul intelliges ex me, quàm opportune ille iam noſcat, quod antea ignorauit. Apud te erunt omnia. Ioanni Baptiſtæ renunciare tantum potes, omni moleſtia vacet, putetque ne ſcrupulum quidem ſuſpicionis reliquum Pontifici eſſe. Vale.

CRISTOPHORO PRATELLÆ.

CCCXLIX.

SCripſi ad te magnæ voluntatis ſignificatione, Ioanni Antonio venturo iſthuc cubiculum pręparares, & de doctore iam cogitares: Et filium mihi illum putares non famulum. Adieci cauſam diligentiæ iniunctæ. Tanquam ſi de abiecto ſtabulario ea mandaſſem, ita lento vel nullo potius animo reſpondes. Oſtendis, Ingratum tibi eſſe eius aduentum. & curam hanc nihilum æſtimari. Quid ita fiat ignoro. Vel onus diſplicet, vel tuum præfers, quem appellas, nepotem: vel inſpectorem times eorum quæ fiant. Suſpicionem hanc auget metus non neceſſarius de cubiculo imperato propoſitus. Antequam de illo ſcriberem quicquam, ſciſcitatus ſum diligenter, qua parte cœnobii eſſet, & num aliquando pateret hoſpitibus. In remota ab illis parte eſſe inuenio, qui tamen inferiores cellas ad collocandos famulos habent. Dicis, paratum erit, ni interim præoccupetur imperio Ducis. Ego ſi pręoccupatum erit, opera tua præoccupatum putabo. Scio enim te fabricare hęc ſcire, & in litteris tuis multa eius generis ſæpe inuenio, quibus magis acquieſco quàm fallor. Scripſi alias, & nunc itero: Placere mihi, vera virtute te poſſe magis quam artibus. Cura pręparatum id cubiculum ſit, & is veniens vacuum inueniat. Cæterarum rerum adminiſtrationem, quando ea te grauat, ſibi ipſi committam. Triduo aut quatriduo à datis his litteris diſcedet à me. Dies æque poſt paucos Senæ apud Patrem moratus continuabit iter Papiam. multa à te mihi proueniunt grata; ſed pleraq; interdum amara. Inſcius tui ipſius, & ſuperbis aliquando

quando nimium,& tui iuris es nimium,& in mandatis meis deſes es nimium. Aut abiicienda ſeruitus eſſet,aut ſeruiendum cum fructu. Scitum illud eſt quod fert vulgi prouerbium:*Eum qui male ſeruit ſemper ſeruire. Qui vero bene,finem aliquando ſeruitio ponere.* Nolui increpationem hanc notam cuiquam eſſe. Eam propterea manu mea perſcripſi,vt diſcas voluntatem tuam commodandam Domino eſſe, & literis eius tanto affectu ſcriptis beſtiolæ modo reſponderi non oportere. Vale.

GENTILI VRBINATI.

CCCL.

CVm iniunxit Pontifex poſtrema mandata,nondum reſcitum erat de fœdere inter Regem,& Venetos. Tamen anſæ quędam ad tenendam ſuſpicionem dabantur. Nunc cum paulo apertius patuit res,æquus eſt nobis, & præter bonam mentem requirit iſthinc. Cupis ſcire,num & ipſe in eadem ſit   Si non fallit Senatū, ſi me quoq; non ludit,certiſſime abeſt. Queſtus eſt conſedentibus nobis,vulgari falſo in id fœdus receptum ſe eſſe,& opera tua ipſum coiſſe. Vtrumq; indignanter & negat,& iurat. Eiuſmodiq; eſt tota eius aſſertio,vt fidem nos habeamus. Recipiendus vero ne ſit hoc Legatorum Venetorum aduentui, incertum eſt illi: mandata ignorantur,quorum conditione in alterutrā partem inclinatio fiet. Non tacebo quod extremus eius innuit ſermo Viſus eſt non probare tantum,ſed cupere alteram. Econtra inter vos,Inſubrem, & ſe ſocietatem. Id Legato Ducis aperuit planius. Sed amabo te, Gentilis,valere ſinamus hęc maiorum faſtidia,& de ruſticationibus noſtris iam cogitemus. Seceſſus mei appetunt dies. Diſpercam ni Sacerdotia tua hoſpitem Cardinalem ſunt habitura. Ea ſic inſtrue,vt propoſiti mihi pœnitendum non ſit. Scis quam pauca venter,quam multa mei aueant oculi. Heliſium eſſe oportet rus, Papienſi quod placeat. Vale.

ANTONIO ALLIO, EPISCOPO VOLATERRANO.

CCCLII.

GRatulor,venerande Pater,non tibi,cui ad laborem eſt additum,ſed Volaterranæ Sedi,quæ meo iudicio dignum præſulem eſt habitura. Si non indulgebis ætati: Si Florentinis delitiis non capiere: Si carnis, quæ te circumſtat, non attendes conſilia: Si ſedebis in ſpecula: Si pecoris tui vultum agnoſces: Si mercenario illud non credes,vera erit gratulatio mea. Protinus veram adiutore Deo futuram confido: Sed tu ad id ipſum toto conatu te adiuua. Illud quoq; enitere,vt iam tandē animo conquieſcas. Tranſiſti à Raguſina ad Feſulanam: A Feſulana ad Volaterranam contendis. Trium vxorum maritus es. Duo repudia. ſi credis non veniſſe in ſermonem patrum, erras, Antoni. Venerunt per hos dies frequentes. Admirationem auxit ætas tua iam grandis,quietem ex compoſitis non ex componendis nouum opus expoſcens. Quo minus dierum ſupereſt,eo minus viatici quærendum putarunt. Loquor in aurem Patri,quem ſcio in bonam partem hæc accepturum,& illud Scripturæ reuocaturum ad animum. *Vir prudens, & diſciplinatus non murmurabit admonitus.* Diligeris à Pontifice. Pleriq; ex nobis tui ſunt ſtudioſi. Si bonā æſtimationem adiutricem pręſtiteris, adiungere oneri honorem poterimus. Quam ego ob cauſam impedita itineris huius liberius purgo. Vale in Domino.

F. CASTILIONENSI THEOLOGIÆ PROFESSORI.

CCCLIII.

REquiris quid de tuis opuſculis ſentiam: Genus dicendi probo. Vitam Vincentii confeſſoris probo,& ad fratres Medices orationem probo. Quid ni hæc probē? Stilus laudatur à doctis. Officia religione ſunt plena. Vincentium inter ſanctos Eccleſia retulit. Sed alia ſunt quæ à te magis Papienſis expoſcit. In minutis exiguus eſt tum labor,tum commendatio,tum vero etiam fructus. Ad quandam quaſi maiorū operū quietē hæ ſcriptiūculę ſuſcipi ſolēt:nō ad ſatisfactionē expectationis. Grādius aliquid adorire,dignū ætate tua,elegātia quoq;: & Cathedra,q̄ in domo Domini profeſſus es.

Colligere ex his potes,cur aliquando reſcribere differam. Panegyricum canere de parui, non poſſum.Corbizo noſtro nō optas tu quod non ego inter alios velim. Nō etiam tribuis quod paſſim non prædicem.Florentina Sede magis quàm Feſulana eſt dignus:Romana magis quàm Florentina.Sed quid ego contra ciuitatis totius ſtudiū, eiuſq; qui poteſt cuncta,iudicium?Literis publicis petita eſt Volaterrana veſtro Auguſtinenſi.Negauimus eam.Piaculum noſtris moribus eſt, in Feſulana illum nunc præterire.Cupis Franciſce ad libram omnia. Cupiunt & tecum pleriq;. Sed qua oro ætate in miniſterio Eccleſiæ multa à bonis viris deſiderata non ſunt? Non deſinam propterea occaſiones captare, ſi quæ ad commune deſiderium alicunde ſe offerant. Vale.

GENTILI VRBINATI

CCCLIV.

TEnebræ mihi vndiq; ſunt. In nullam partem expedire adhuc aciem poſſum. Si dixero vidiſſe me hominem,cum videro vmbram inanem, errem ego, & cui monſtrauero in errorem inducam. Fidem intueor Laurentii in me. Eam fallere nec poſſum prudens,nec volo imprudens.Hanc puta cauſam, quod non reſponderim tibi.Donec plus lucis affulſerit tacebo,atque amabo: Magnum paruumve ſit lucrum,quod in hoc noſtro eſt factum:totum certe me vindicaſtis. Eram ante veſter.Putaretis ne veſtrum veniebat in dubium.Nunc & putatis veſtrum,& ego id videns ad priſtinam multum adiunxi.Suade Laurentio in hac rerum ſuſpenſione, ſuas omnes circumſpiciat rationes, primamq; à ſe ipſo fiduciam petat: Ab amicis proximam. Amicorum autem ita delectum habeat,vt conuenire publicis,& priuatis intelligit.Supra ætatem ſapit,nec inconſulti hominis eget conſilio.Sed ſi à vectoribus aliquando admoneri vtiliter Gubernatores in tempeſtatibus ſolent, videre poteſt,num in his verbis ſit aliquid frugis. Vale.

G. LOLLIO.

CCCLV.

MItto Papiam perdiſcendi iuris cauſa Ioannem Antonium, in Grammaticis iam confirmatum.Facultas erit multa ad virtutem, ſi volet: ad eam capeſſendam ſum illum hortatus.Si tradit:Tu quoq; hortare.Alia ratione ſatisfacere de hoc adoleſcente Pio noſtro magis non poſſum.Captus dulcedine gentilium codicum ab iis ægre auellitur.A floribus ad dumeta compelli ſe angit. Scueritate illa vultus tui, qua etiam fortes ſoles terrere, animum timidum ad virtutem protrude. Curaui vt Papiæ eodem ſit cultu,quo apud me fuit. Vale.

IVSTO GEMINIANENSI CVBICVLARIO SVO.

CCCLVI.

GAudeo abſoluta eſſe omnia, quorum cauſa te miſi. Scio diligentia tua hoc factū. Penderet opus adhuc,ſi non affuiſſes.Solertiam laudo,& fidem,quę mihi in memoria erit.Puto in feneſtris nil reliqui eſſe,cementis purgata omnia, neceſſariis inſtructa Equilia.Id ſi ita eſt,commenda domum Præpoſito,& benedicente Domino redi ad me.Equum vnde habiturus ſis neſcio.Si eo reuehi poſſes,quo nos Prior Piſanus donauit,pergratum mihi eſſet imprimis.Sine idoneo etenim ſum.Si minus,conductum tibi aliquem para,& veni.Venies expectatus.Vale.

STEPHANO EPISCOPO LVCENSI.

CCCLVII.

DIſtuli ob eam cauſam reſpondere literis tuis, quod ex Lucenſibus noſtris, & te etiam noſcens emptum prædium eſſe non ante tibi,& illis,habendas gratias iudicaui, quàm amplius intelligerem, ſublati ne cenſus illi perpetui eſſent, de quibus inter nos egimus ſæpe. Quod cum diutius expectatum non potuerim in hanc vſque horam cognoſcere,ſerius officio tuo eſt ſatisfactum. Idque æquo animo velim ignoſcas.Num etiam habitis emptionis, & locationum documentis: In quibus de hiſce rebus verbum eſt nullum adhuc: pendere non deſino, dubitans ne nim

noſtrorum

noſtrorum emendici celeritas diligentiæ obſtiterit. Et quod ego ſuper omnia penſito, parum illi attenderunt. Scis ſcriptum tibi à Ioanne fuiſſe conditionem hanc cum venditoribus dictam, vt perſolutis nunc aureis tantum ducentis reliquum non ante numeraretur, quàm redemptis cenſibus liberum omnino prædium fieret. Id vero cum factum non videam, ex literis quoq; eorum, & documentis, cur non factũ ſit æque nihil intelligam: non poſſum prius vel gratulari mihi, vel lętas tibi gratias agere, quàm ſuſpenſione hac liberer. Itaq; Dignationem tuam magnopere quæſo requirat quamprimum à Ioanne quid de perpetuis intellectum cautumq; ſit, & interim de ſoluenda pecunia cum fratre nil agas. Ego quoq; & Ioanni, & Sebaſtiano iterum ſcribo: quanquam vt iterum fatear, Sebaſtiano parum admodum fido, quē ab initio rei huius cum nihil prudentem, tum vero multum cupidum intellexi, pręoccupantē credo iam animo id quod, quam ob cauſam à me emptum ſit plane ignorat. Sed de prædio hactenus. Curabis enim tu reliqua amiciſſimi hominis, & boni præſulis fide. Quod impacatam, & laceram prouinciā accepiſſe te memoras, facile erat ſine literis tuis agnoſcere. Ita neceſſe eſt ſemper, vbi priuatis rebus non publicis cura intenditur. Atq; vbi Prouincialium pars vna negligitur, altera eſt in honore. Vt animæ ſic etiam rebus nocet hæc perſonarũ acceptio. Non ſic tu, Pater Digniſſime, & ad omnium vtilitatē miſſum te noſces, & eos putiſſimum futurus apud te in precio ſignificabis, qui Eccleſiam potiſſimum colent, & in officio continebuntur facilius. Quod cum ſponte tua vno omnium teſtimonio facias, eſt quod tibi ex animi ſententia gratuler. Mi Lucenſis, præſulem Lucenſem te recognoſce: eum videlicet, cuius vita, & actio in hunc diē eſt commendata. Aliorum tibi ſit cura, non tui, & vacuis loculis plenum gloria, & conſcientia ad nos pectus reporta. Pecunia, & ſupellex, atque huius generis multa diligenter quæſita ab aliis non ſunt miniſterii tui. Gratia Domini ad maiora te vocat. Si ſuem rides admonentem Mineruam, ſerio quoque illud attende, chariſſimum te mihi omnium, qui viuant hominum eſſe, & charitatis imperio non facile obſiſti. De obſtruſis itineribus quod mihi denuncias, ne Pientiam petens te declinem: Vide diligenter quid agas. Cuſtodia hæc, vt puto, paruo non ſtabit. Iumento tuo, vt vetus verbum eſt, tibi veheſ incommodum. Noſti quantum hominum, quantum equorũ habeat in comitatu Cardinalis Romanus. Cellaria id me abeunte cognoſcent. Poteſro te vel vno prandio ad mendicitatem facile cogere. Itaq; iam ſatius eſſet vicini præſidis tui Fabiani hominis non incauti diligentiam imitari, qui præſentiens annis ſingulis per prouinciolam ſuam me iter facturum: die vno, aut altero ante ad remotiſſima de via oppida quaſi curaturus aliquid fugit. Idemq; hoſpitii iam defunctus periculo præteruectum accuſat, quod vel horæ momento dignatus eum non ſim. Diſce Lucenſis de Florentino attento ad rem. His lapſus moribus nunquam non inendicabis. Sed vtinam Paulus tuam atq; illius longe diuerſam curam hoc anno non adiuuet: Fratreſq; omnes, claudis cæciſq; exceptis, Romæ ſecum non habeat. Quod ſi factum intelliges, de vita filii actum pronuncia. Vale. Romæ pridie Calendas Iunii. M.CCCCLXIX.

IOANNI ARAGONENSI PROTHONOTARIO Apoſtolico.

CCCLVIII.

Literæ tuæ, pręſtantiſſime Pater, multę benignitatis ſunt indices. Exigua de re non mediocres gratias agunt, & quod non dedi, vltro accepiſſe fatentur. Si animum illæ metitæ ſunt, non inconueniunt gratiæ. Magnus es enim tam Regium genus quam virtutem, & præclara merita ſpectans. Sed qui mihi de te retulerunt, haud dubie veri nunciatores fuere. Locuples autem imprimis auctor Campanus, qui literis primo, mox etiam verbo tanta eſt teſtificatus de re, vt quod ex ſummo Rege ſis natus, in poſtremis reponat. Memorat mores, ingenium, manſuetudinem, beneficentiam, literas. Ante omnia religionem, quam non inſtituto accepiſſe, ſed cum lacte nutricis ſuxiſſe videris. Hæc me tibi conciliarunt primo, inde vt amarē fecerunt: poſt etiam, vt admirarer. Sum igitur tuus, Ampliſſime Pater, & quamdiu viuam non deſinam eſſe tuus. Me tuum accipe, & inter tuos annumera,

Non opes in Papienſi,non facultatem,& nobilitatem expendens, ſed bonam mentem,& quę fideliter amat ſine mendacio colit. Quod vero ad te in Eccleſia augendū pertinet,nil tibi reſcribo,Paternos oratores meæ conſuetudinis ſatis admonui. Quæ eſt,vt ante diem Senatus,& conſilii,nil cuiquam de ſententia repromittam: Ne audito Pontifice,& patribus,qui loco,& ſapientia præeunt, vel aduerſari fidei datæ vel conſcientiæ cogar.Satis tuæ Dignationi ſit amare me multum ac venerari, & omnia egregia ſentire de te.Opto autem, ſi ſcribere amplius ad Papienſem dignabere, Latine id facias,vt non quàm bene te nutrix, ſed quàm bene magiſter erudierit, grata voluptate cognoſcam.In domo Dei futuro dictio,& ſcriptio Latina valde eſt neceſſaria,atq; ad claritatem generis multum veræ lucis adiungit. Eo autem cupidius expeto à te fieri,quod bene atq; eleganter à te fieri intelligo. Vale in Domino ætate fili, poteſtate ac meritis pater.

ACHILLI PETRVCIO SENENSI.

CCCLIX.

INterpellor iterum literis tuis. Iterum ad iniuſtas querelas breuiter audi. Si ab initio cum Aprutinus, cum Abbas Alfiani quingentos ſeptuaginta quinque obtulit tibi non annuiſti. Ne Marianus quidem eodem tempore oblatis quingentis viginti quinque acquieuit. Poſcebat ſexcentos, nec moueri ſententia poterat.Teſtes tui huic quoque rei teſtimonium perhibent. De quingentis autem viginti quinque, cum poſtremo mecum eſſet, conuentum reliquumq; libertati meæ permitteret,quinq; aureos amplius addidi.Aſſenſit,& gratias egit. Tantidem precii cum poſtremo etiam inter te,& me eſſet condictum, quinquaginta amplius accepiſti.Lamentaris tamen,& clamas.Nil mihi tecum eſt a Mariano diſſimile. Sexcentos ante contractum quæſiuit ille:Tu ſupra quingentos LXXV. quoque optaſti. Hoc autem intereſt,quod minus ille habens gratias egit:tu plus accipiens pati non potes. At prædioli partem eſſe non dices. Dices tu quidem, qui in re ma decipeiis: Sed non ii dicent,quibus eſt ſine affectu iudicium.Nimia hæc animi eſt intemperies. Si erat propoſiti tui ſupra quingentos ſeptuaginta quinque accipere: debebas poſtremo quoq; id mihi tecum contrahenti exprimere.Non feciſti.Tacuiſti.Mecumq; de precio ſæpius agens,ſummam nullam liberalitati meæ,ne ſignum quidem,dediſti. Si dediſſes, maioremq; illam voluiſſes quàm accepiſti, plane dixiſſem, tuum tibi haberes prædiolum. Ego inuitus Macialam emi, vt ſcis, & amicis potius quàm mihi credidi.Non video cur tua melior in petendo quàm mea in negando eſſe conditio debeat.Puerili nimium vteris argumento, deſiderio magis quam ratione expenſo. Summa illa eſt,vt Marianus gratias modo egit in eo quod tulit, ita à te eſſent agendæ,ſi non propria tantum reſpiceres: præſertim cum in re pene pari, immo & pari tanto amplius tuleris.Sed illud mirari,Achilles,non deſino, quod procuratori meo Abbati interdixiſti vſu venditæ rei, & venditum nolle es proteſtatus, quod tam ſolenniter eſt ſtipulatum. Multum, vt video, te agit cupiditas, totaque aberrare ſemita facit.Si neſcis liberum contractum imperio tuo reſcindi non poſſe, neſcio & ego quid tibi literæ proſint. Tenebris multis es circumſeptus, ſi id ſcis, & ſcire diſſimulas,quod potius reor.pernimium doleo tam nullius à te æſtimari quibus cum tibi res eſt:Meam porro liberalitatem tam illiberali contumelia excipi. Illud autem imprimis admiror, quod pœnæ contractui additæ, receptique iuriſiurandi immemor eſſe videaris,nec ſentis in quem laqueum incidas. Ne puta his interminationibus terreri me poſſe.Flecti humanitate poſſum.Arrogantia nec poſſim, nec debeo. Si impedimenti quicquam afferre perrexeris, ſenties inutilis fuiſſe conſilii quem nō debes offendere.Meum prædiolum illud eſt, & mecum tibi negocium erit. Romæ quæ Sacerdotes tueantur,etiam ſua iudicia habentur. Habuiſti amicum atq; habes: quæſo nulla de re illum auertas. Vale.

CAM-

C A M P A N O.

CCCLX.

NVllas literarum mearum video ad te perueniſſe. Doleo id plurimum. Binas enim ad ternas tuas reſcripſeram: Sed nec tuæ omnes perlatæ ad me ſunt, quas de tota profectione miſiſſe te aſſeris. Vel intercepit caſus, vel negligentia differt. Papienſi quidem nondum ſe obtulere. Vltimæ de Germanicis, & Boemicis nunciant. Bene id factum. Plus in vtriſque opto quàm ſperem: ſi quid tamen ſpero, in legati diligentia eſt poſitum. Frigent animi, vt cælum. Niſi accedat ſol Italus ſero, & ad modicum calent. De capite noſti. Multis apud eum conſiliis nil omnino agitur. Fecit id iuuenis. Quid de ſene confidam? Seræ ſunt vires ad fortia. Sed miſſa hæc faciamus. Dicam quod tibi dentes atque oculi dolcant. Sum Senæ. Quid ergo Senæ? Bibo, & video. Nunquid non aliud? Tace. Cereris aguntur myſteria. Piaculum grande eſt illa vulgare. Gentiles meeum egreſſus eſt. Quid non ſecundi iter id habuit? Fuiſti nobis tu comes, non cæna, non ſermo, non verſus ſine Campano. Dii potenra quis annum integrum nationem Germanicam, quæ anno hoc nobis te abſtulit. Tui nos miſcret. Omnium quę optas, immo & odis ſatis ſuperq; tibi eſſe putamus. Nos vero quid præſtare abſenti hinc poſſumus? Scribemus ſæpe voluntates noſtras, & pocula augebimus. Quam video naſiculum tuum torqueri. Vale. Senæ.

IA. VOLATERRANVS PAPIENSI DOmino ſuo.

CCCLXI.

NOn vt blandiar auribus tuis, quæ blandimenta non audiunt, ſed vt Minutoli noſtri de rebus tuis iudicium intelligas. Vide quid reſcribat ad me lecto Cæſaris Federici III. in vrbem aduentu, quem ſcripſiſti, nec celaſti vt cætera. Vale.

IA. MINVTOLVS IA. VOLATERRANO Salutem.

CCCLXII.

FRemant omnes licet, dicam quod ſentio, vnum fuiſſe Papienſem noſtra ætate, à quo hiſtoria ſcribi, & potuerit, & debuerit. Vale, & mitte aliquid.

CAMPANVS PAPIENSI.

CCCLXIII.

VBi à te diſceſſi, tum primum ſubiit mentem, quantum eſſet Roma latio amicis patronis relictis, te omnium primo ad Barbaros proficiſci non modo linguæ noſtræ, ſed humani quoque commercii ignaros. Prima die intendentibus iam tenebris Baccanum peruenimus. Inde ad Sutrium pranſi obuium habuimus Pręſidem regionis Antiſtitem Brugnatenſem, hominem, vt noſti, maiore fronte quàm re, ſtipatum ingenti peditatu. Per Roncilionem, & Ciminium progreſſis occurrit Lucenſis tuus, ſed hic re maiore quam fronte: occurrit & Præfectus arcis, ordineſque ciuitatis vniuerſi. Pernoctauimuſq; Vituruii, vbi & diem integrum ſubſtitimus, vt qui Romæ colligendis rebus demorati poſt diſceſſum noſtrum fuerant, ea nos in vrbe aſſequerentur, atq; vnum in iter coirent. Inde Faliſcorum montem ac Vulſinium prætergreſſi ad ſanctum Laurentium properauimus, illecti fama atque opinione, quam noſti. Excepti ſumus eo in loco à Cornetano noſtro permagnifice, & quale auari ſolent, cum conantur, nec amplius quam horam commorati ad Aquampendentem multo adhuc die contendimus. Poſtridie ad Pientiam noſtram, vbi ne quid dubites, omnia bene, proſpere, fœliciterq; verſura, primum excepti ſumus ſub vmbella, cœtu Sacerdotum præcinente. Quid hic acciderit, ex Tetraſticho noſtro intelliges. De negociatore tuo percontatus, nihil inueni dignum delitiis noſtris Senam ingreſſi ſumus eodem apparatu, quo Pientiæ: niſi quod & frequentia maiore, & duobus purpureis galeris ad pompam prælatis auguſtiores aliquanto nos

fecimus. Ad hunc vſque locum accepti ſumus vbiq; permagnifice: viſi ſunt omnes qui occurrerunt magnam neſcio quam ſpem de legatione noſtra, glorioſamq; concipere. Pleriq; parem nobis euentum comprecati Germanicas Pii Legationes commemorarunt. Senenſis ad omnia durus, tanquam nihil hæc ad ſe pertinerent, ego ad altram magis impellor. Quicquid in eius laudem audio, titillor, exulto, lætitia differor. Senæ adhuc nihil aſpexi quod poſſis inuidere. Pauciſſimi ſunt ciuium, qui de tuo aduentu atq; æſtimatione non quærant. Pollicitus te ſum omnibus ante exitum Maii. Vt verus ſim, tua in manu eſt. Expectaris auidiſſime. Beneuolentiæ argumentum hoc cepi, quod expectaris. Ludes hoc anno ſolus ad vmbram in pergula, nobis venti niueſque proponuntur, & colluctationes cum barbaris difficillimæ. Hoc biduum, quod egimus Senæ, breuiſſimum eſt viſum. Ex Sinolpho noſtro cognoſces reliqua. Senæ.

PAPIENSI VOLATERRANO SALVTEM.

CCCLXIV.

REddet tibi Bernardus noſter has literas, & cartaceum inuoluctum illis alligatum, & annulo obſignatum. Significato per eundem, qui ad nos rediturus eſt quamprimum, te omnia recepiſſe. Placet cum tibi erit ocium à domeſticis, vt annotationes illas reſcribas, ſed ordine ſuo. Imprimis vero cura ne videantur à quoquam: ne quidem ab illo, qui tibi famulatur à manu, cuius hac in re barbariem nolim contemnas. Sunt enim hi quandoq; magis quàm oporteat oculati. Datum eſt ideo tibi Senis & Romæ cubiculum ſoli, vt cuncta quæ vel ſcribis vel tractas ex noſtris, ſecretiora ſint ſemper. Volo ſi poſſum notare nonnulla eiuſmodi Senatus noſtri decreta, quorum recordatione, & exemplis in pleriſq; actionibus noſtris inſtrui, & admoneri quandoq; poſſimus. Adiuuat, mihi crede, hæc diligentia multum miniſterium noſtrum. Conſueuerant olim Romani Pontifices eam curam mandare Notariis apoſtolicæ Sedis. Sed obſoleuit mos ille, vt alii permulti, tam Pontificibus vtiles quàm Romanæ Sedi honorifici. Vale. Bernardum, ſi immorari vellet, vrge ad reditum. Blaſio dicito, cras ad nos veniat. Tu ſi quid habes literarum ab vrbe, mittito illico. Iterum vale. Ex ſuburbano.

CHRISTOPHORO PRATELLÆ.

CCCLXV.

QVæ ad te ſcribo, quæſo menti perpetuo ſint. Frequenter ſcribere mea manu non poſſum atq; eadem iterare. Vrgent me multa: Officium, dignitas, ætas, quę iam libentius dictat, quàm ſcribit. Erunt ab animo quæ audies, non aliter tibi dicta, quàm ſolet domeſtico dominus, amicus charo filio pater. Veniſti in obſequium meum annos aliquot ante. Experimenta prima diligentiæ tuę fuerunt Florentiæ. Curaſti rem meam cum fide. Hoc faſſus ſum libere, & redeunti gratias egi. Miſſus ad Priuernate cœnobium idem mihi fuiſti. Non habeo duabus his in procurationibus quid imputem tibi. Laborioſe pleraq;, ingenioſe multa, cum fide cuncta ſunt facta. Aſſecutus es mecum, vt cum pene ante te non noſcerem, dignum iam crederem gratia, & dignum honore Eccleſiæ. Hic primus eſſe labor ſolet ſpem alienam ſequentium, vt dignos ſe probent. Reliqua opinio ipſa virtutis exequitur. Sed hanc opinionem pauci aſſequuntur. Tu, vt dixi, mecum iam es aſſecutus, & fundamenta habes ſolida ad ſubſtruendum ædificium tuum. Danda nunc opera eſt vt parta conſerues, & manum ad aratrum habẽs non reſpicias retro. Ambitio peſſundedit multos. Cupiditas nimia multorum curſum tardauit. Pleroſq; etiam perſuaſio operum ſuorum iactantia magis quam ratione expenſa euertit. Tu quæſo vitiorum horum captiuus ne ſis. Viciſti ea antehac, vince & poſthac. Literæ tuę, quas per hos dies accepi, eo me aliquantum mouere, quod prioribus diſſimiles ſunt. Benefeciſti olim, & ſiluiſti. Caſtigatus es verbis atq; increpitus, & gratias caſtiganti egiſti. Nunc & imputare tua merita incipis, & admonitionem patris non bene ferre oſtendis. Scio, Chriſtophore, annos ſeruitii tui, & non minus mihi quàm tibi ante oculos ſunt. Scio quoq; quæ tua ſunt merita, quorum iuſtus ſum iudex, vnice etiam inter homines conſcius. Nouit omnipotens Deus,

cui

cui omne cor patet, & omnis lingua loquitur, quam ſæpe mecum de te promerendo excogitem, quæ nuper temptauerim, vt animum meum re, non verbo, agnoſceres. Si vſque in præſentem nil mihi temporum culpa ſuccedit, quid attinet patrē in eo quod æque cupit hac imputatione conterere, & dolenti ſua ſponte nouum dolorem adiungere? Non tu ſolus es in hac noſtra curia, cui dilata diutius retributio ſit. Non ſolus, qui de tuo Cardinali benemeritus ſis. Nec ſolus, qui doctrinam vel ciuilem, vel canonicam Romam attuleris. Dilata eſt, ſed non negata. Tardata, ſed tandem conceſſa. Neminem inopem irremuneratum aut inhonoratum dimiſit à ſe, niſi eum, cui tædio & faſtidio expectatio fuit. Decem annos ego laborioſiſſimam ſeruitutem ſeruiens adhuc vnde tonderer non poſſidebam. Paucis poſt accumulauit omnia vno impetu Deus, & longę patientiæ fructum porrexit. Beatæ memorię Pio, vt ex eo ſæpe accepi, quinq; ſupra viginti anni ſeruiendo erant conſumpti, cum nondum erat cenſus, vnde parari ſoleę poſſent: & tamen orbem fere Chriſtianum ærumnis ſuis impleuerat, ſæpe agitatus mari, vexatus procellis, à latronibus ſpoliatus, & captus, carceri incluſus, ad limen prope primum mortis adductus: quorum patientia virtuti coniuncta nō modo Epiſcopatum, & Cardinalatum, ſed mox quoque vno fere contextu Papatum Romanum parauit. Huiuſmodi multos poſſem referre: ſed ſatis puto hęc duo domeſtica exempla tibi ac mihi, & noſtri ſimilibus, quibus nec genus illuſtre eſt, nec potentes familię, nec ſæculi poteſtas, nec excellens doctrina admirationi habita. Nitendum eſt fideli ſeruitio, induſtria continua, & patientia non ſolum diuturna, ſed forti. vexandæ aures præpoſitorum noſtrorum querelis non ſunt: nec prædicanda illis merita noſtra. *Commemoratio iſthæc*, inquit Terentianus ille, *exprobratio eſt immemoris beneficii*. Bene operando, non loquendo, petendum eſt: ſat petit qui diligenter ſeruit.

Coram Rege ſuo, inquit Flaccus, *de paupertate tacentes*
Plus poſcente ferent.

Non dicam extenuandorum laborum tuorum cauſa, ſed vt alienos quoque agnoſcas, quorum tu vix auditor, ego ſemper teſtis fui. Carolus Cremonenſis in iiſdem anguſtiis fuit vno tempore, & ius dixit, & litigauit acerrime, & rationarium tenuit, & ſolus exegit, & profectus quo oportuit eſt, & cætera non menſibus octo: ſed biennio toto exercuit, quibus te grauatum affirmas. Idem etiam fatigatione continua præſtitit Abbas, & quandoque in redimendo Lorentegio diſcrimen vitæ adiuit. Horum tamē nemo, cum à me caſtigaretur, ſegnitiæ prælaturum ſe eremum ſuis laboribus dixit, vt tu nunc molliter nimiū ſcribis. At dices, eorum exitum vides. Plane video. Sed mea, non ſua cauſa id accidit. Imperaui multa, quæ ingrata fuerunt iſthic. Opinio arbitrii eorum, non voluntatis meæ, & mandati peſſundedit eos, & nocuit mihi. Si (quod tandem facio) quod tibi indulgeo, quod Principi non aduerſor, & ſuis, Vicariatum illis tenentibus indulſiſſem, fuiſſet alia rerum cōditio, vnoq; tenore omnia proceſſiſſent. Sed odio propter me habiti in optima etiam cauſa ius meum tenere non potuerunt. Cras ſi muto conſilium, & tecum is ſum qui eram cū illis, non poteris tu artificio quocunque tuo, prudentia vlla tua auertere calamitates conſimiles. Credo, immo & certus ſum, fuiſſe tibi in extricandis rebus curas innumeras, & defatigationes continuas. Sed quæſo te, cum de his tam aſſeueranter mecum agis, cum eo te agere putes, qui & expertus eſt alios, & tua non ingrate nec maligne diiudicat. Tacere non poſſum quod nuper ſcripſiſti de exigendis pecuniis. Ais, breui octo menſium tempore plures à te quàm à ſuperioribus Vicariis exactas miſſaſque ad me pecunias eſſe. Diſſertum negotium. Confer nunc tua illorumque tempora. Fuere illis plena ſemper tumultus, indignationis, & odii. ac tum primum ex naufragio illo graui quinq; milium aureorum ſurgentia. Tua iam pene portum tenentia, & ab odio in gratiam verſa. Tamen codice rationario inſpecto, in quo Medici menſarii pecuniam iſthinc miſſam mihi deſcribunt, inuenio à duodecima Nouembris 1466. vſque ad Aprilis xx. quod ſpatium eſt menſium quinque, miſſos mihi à Stephano eſſe aureos mille ſeptingentos viginti. Tu nunc rationē ſubduc, quot ad quartumdecimum vſque Decembris, ad quam diem datæ ſunt litteræ tuæ, huc ad nos miſeris. Videbis comparationē hanc diligentiæ minus quàm putes procedere. Hæc ad labores aliorum & tuos, Deo teſte, imputatione tua magis quàm voluntate mea adductus. Sed vidi ex litteris iiſdem im-

patientius te ferre, quam deceat caſtigationes verborum, quas facio. Idque alteræ ad Volaterranum ſcriptę ante à me ſolutæ, & lectę, quàm traditę planius indicarunt. In quibus doles moleſtas admodum ad te litteras mitti, non tam meo iudicio quã aliena ſuaſione concepta. Ertas vehementer de me, quem putes & leuem eſſe & credulum, & ad te vexandum, quem diligo, domeſticorum artibus duci. Non plane me noſcis. Oſtendis ex propinquo parum famulatum te eſſe, & abſuiſſe diu Florentiæ, Priuerni, atque Papiæ. Imperare meis ſoleo, non eorum ſubire imperia: quorum quidem nemo iam eſt, qui ad primum hiatum oris non ſe intellectum exiſtimet. Illud vero eſt. Hactenus neglexi multa. Rem familiatem cognoſcere piguit. Delatis acquieui. Ali ſtudio alieno malui, quam meo. Mutaui iam mentem. Intelligere omnia volo, & caſtigare, & vrgere, & ad præſcriptum meum ſtatuere, & quid exactum exigendumve ſit diligenter ſcrutari: putans ni ita faciam, me domi meę, iuxta verbum Apoſtoli, præpoſitum bene non eſſe: ad quam rem etiam neceſſitates multæ me adduxerunt. Itaque cum tales a me litteras leges, ex me, non aliis eſſe illas intellige, nec quenquam propterea iudica Sed valde teneres, ſi admoneti ſine moleſtia nequis. Quid iam me tecum agere oportet, aut quam vitæ legem haberi, ſi ad præſctiptum tuum erit ſcribendum? Mutanda videbitur omnis noſtra conditio. Seruus ero ego: Dominus tu. Rogabo ego: tu imperabis. Non ita boni obſequii domeſticis conuenit. Accipienda patienter eſt omnis correctio, ſiue iuſta illa ſit, ſiue iniuſta, & plus iuris ſemper domino relinquendum. Poſſum ego ſine moleſtia ferre, tantum alieni æris inueterari, & negligi? Poſſum non vrgere ad exigendum miniſtros? Poſſum etiam, ſi quid iſthinc duobus aut tribus teſtibus de neſcio qua pompula ſcribitur, obliquis verbis non admonere? Poſſum denique excuſationem hanc non caſtigare, quod imbecillitatem equi tui cauſam non obeundi neceſſatia dicas? quaſi aut emi alterum piaculum ſit, aut ſumi ab amicis inſolitum iudices. Scribo hæc, (nouit Deus) perquam inuitiſſimus: ſed neceſſario ſcribenda ſunt ſemel, vt vel voluntatem meam intuens, ad illam te formes, vel ſi ita grauis cenſetur, locum conſilio habeas. Ego mei diſſimilis nec poſſum eſſe, nec volo. Noſti ſi non medullitus, at ad cutem qualem me ii habent, cum quibus negotium eſt. Placere tibi talis ſi poſſum, eſt quod & mecum læter, & tibi gratias agam. Hucuſque ex domini imperio. Nunc reliqua ex patris officiu accipe. Chriſtophore, ama dominum tuum ex intimo cordis. Amari vere non potes, niſi & verum tu præſtes amorem. Æſtimatio eius tibi ante oculos ſit. Huc tua referantur conſilia. Pende ab illo totus, & te ipſum ne diuide. Neutrius eris, ſi duorum eſſe contendes. Quomodo ego meum te iudicabo, ſi ſacerdotiis obligatum iſthic te eſſe conſpiciam? Lazari Aretini, & Archidiaconi Placentini mox apud me perſonam ſubibis. Alterius vicem, non meam agere credam Vicarium meum. Ita vult ratio. Ita humanitas ſuadet. Ita experimenta oſtendunt. Porro autem liberè ac nudè in omnibus agitu mecum: duplicem corde deteſtor & odi. Litteræ tuæ ſemper verum aperiant. Simplicitate fortius ſtringar quam artibus. Bonum eſſe artificem conuenit, qui circumuenire me artificiis quærit. Odoro egregie. Natus ſi eſſem catulus ſagax, emendus eram precio multo. Patere etiam quæ ſcribuntur ad te, ſiue placeant, ſiue diſpliceant. Humana non optet, qui humana pati non vult. Opera inſuper tua ne plus iuſto expende. Vanorum aut mollium eſt iſta natura. Iudicium his ſinito, quorum ſpem ſequeris, & gratiam paras. Familiam ex qua fuiſti, & es, fraterne diligito. Bene mereri de omnibus ſtude. Neminem ludito. Scripſiſti nuper Carolo noſtro. Venturus hîc diceris. Expecto te. Litteras mihi cum dolore oſtendit, deriſum ſe putans. Dictum non placuit: ſi credis eum eſſe venturum, ſic male principi acceptum leuitas eſt: ſi non credis, improbitas. Boni quicquam elicere inde non poſſum. Doctor eſt, dignus eſt, natu te maior, & familiæ meæ tot annos magiſter. Taceo enim quod in affini ſuo eſt factum, in quo certe prudentiam tuam requiro. Milies licet ſcripſiſſem ad te, optare me in ſingulis caſtellis Eccleſiæ noſtræ ſingulos domeſticos Cichi: in hoc tamen, & ſeruare beneficium meum propter Carolum illi debebas. Vel ſi ſeruari non poterat ad probandam modeſtiam tuam neceſſitatem mihi ante oſtendere, nec prius ſtatuere quam reſponſa ad litteras tuas acciperes: & mihi Cichi litteras mittis, gratias de promiſſo agentis, vt videlicet pro-

bare

bare cogar, quod factum reprehendo. Neſcio tuam magis in ea re, an alienam cupiditatem oſtenderis. Parari opto potentium gratiam, ſed nequaquam his viis. Ignoro quoque an tanti id faciat Cichus, quanti litteræ probant, quæ & manu eius ſunt ſcriptæ, cuius pater perficitur, & chirographum Cichi ex conſuetudine ſua non habent. Sed miſſa hæc facio. Tu in cæteris conſideratior eris poſtbac, nec me admonebis vt diligenter ante expendam, quæ tibi iniungo. Neque enim ſigillatim ſingula expendi à dominis poſſunt in rebus longinquis, & ideo fides miniſtrorum deligitur, vt in commune mandata ſapienter diſpenſent. Crede mihi, bonitatis tuæ, & prudentiæ erat præſtare, quod dico. Ad monita redeo. Conſcientiam cole, Deum time, & Sacerdotem te recordare, animam præferens ſęculi bonis. Crede melius eſſe nomen bonum quam diuitias multas. Illud eleuat ſemper: hæ plerumque corpus & animam peſſundant. Memento iuriſiurandi in Altari Domini præſtiti: Quod ego tam diu rememorare contendam, quoad tu Vicariatum noſtrum tenebis. Si illud violas, ad gehennam ædificas. Fis furti & perfidiæ reus, à quibus ante reſtitutionem nec te liberat Deus, nec ego te eximo. Porro autem bonam famam cuſtodi miniſterio tuo maxime neceſſariam. Si quid circunſtat quod in ſermonem hominum veniat, amputa illud, & malignantium ora conclude. Diſciplinam domeſticam ſerua. Ordinem rebus omnibus ſtatue. Si quid eſt ſuperfluum, quod familiam grauet, & augeat ſine fructu impenſam, recide. Fac cum mittam, qui accepta & expenſa ex codicibus tuis pro me recognoſcant, frugalitatis te, & parſimoniæ non damnatæ commendem. Nam quæ ad diuinum pertinent cultum, ideo minus tibi inculco, quod voluntate Principis alieni ſunt operis. Hunc tamen atque omnem iuris dicendi diligentiam, & integritatem, quantum potes, adiuues rogo. Audi nunc contra quæ leuare animum in laboribus poſſint: Loquor in conſpectu Dei, & fidem ſacerdotii in teſtimonium affero, nil mentiens, nil fingens, nil ad ducendum te vana ſpe aſſerens. Tantum ea promens, quę interioris ſunt ſenſus. Amo te plurimum, Chriſtophore frater. Glorior mecum miniſterio tuo. Dignum honoribus, quantumuis maximis ſtatuo. Noſco quanta Papienſi tuo præſtiteris, quanta præſtare quotidie poſſis. Memor ſum, per me Sacerdotem te eſſe. Per me deberi tibi, vnde ali Sacerdotium poſſit. Non quia abſis, minus in animo es. Abſentia omnem tui curam adauget. Vt tu mea curas iſthic, ita ego quotidie quomodo curare tua ego hic poſſim excogito. Ardeo cupiditate aſſequendi aliquid digni, in quo noſtram gratitudinem noſcas. Occaſionem hanc confido Dominus dabit. Dixi tibi abeunti, futurum me credere vt penſio quinquaginta ex tranſactione quadam Archidiaconatus mei Xanthonenſis in annos ſingulos tibi daretur. Temptata res parum ſucceſſit. Defunctus eſt nuper titularis quidam Epiſcopus, cui à me ex Prioratu Britannico ducentorum penſio quadraginta in Britannia debebatur. Liber nunc eſt Prioratus, & totus tituli mei ſine lite poſſeſſus. Hunc tibi dicaui. Oraui Falconem noſtrum, videret quomodo ad vtilitatem tuam poſſet traduci, vel Italici Sacerdotii commutatione, vel Priuilegii ad poſſidendum impetratione, vel ſi horum nihil eſt inuenire, maioris alicuius ac firmæ penſionis conſtitutione. Rem conficiendam ſuſcepit. Quod illi dixi, hoc meo chirographo tibi confirmo, & propoſitum non ſum muraturus. Significationem hanc voluntatis bono animo accipe, & de reliquis ſpera. Supplicaui ſæpe pro te. Oraui Pontificem, memor eſſet tuæ virtutis, & meritorum in me. Quæ egiſſes beneficio meo cuncta edocui. Benigne eſt ſemper reſponſum, & tuæ retributionis bona ſpes data. Habui adiutorem omnium Bononienſem noſtrum, & teſtem. Iterum dico, confide, Chriſtophore, & diſſolutas manus conforta, ac genua debilia robora, Domino imprimis tuum animum credens. Prope eſt enim inuocantibus ſe: Inuocantibus in veritate, & operantibus bene. Iuuenis es, ego non nimium ſenex. Amo te, ingenio tuo ſumma omnia tribuo. Curiæ noſtræ varia eſt & frequens fortuna. Sum Cardinalis. Hominem habes, cui ſi quid gratia Creatoris aſpirat, tibi aſpirat. Iactura tot annorum ſeruitii tui per impatientiam non eſt facienda, nec detrimento diuturnioris temporis dominus nouus quærendus. Meus es, & meum te eſſe probabo. Aſſit modo vita, futurum ſpero, vt alteri alterius non ſit pœnitendum. Scripſi hæc vno impetu mentis, charitatem ſecutus, & mea manu ſcripſi, vt inter nos tantum cognita eſſent, & tu me ma-

gis ex propinquo audires. Nil ſcripſerunt digiti, quod non dictauerit cor. Si quando vacui temporis aliquid erit, non erit inutile epiſtolam reſumi & relegi. Reliqua manu Volaterrani accipies. De Ioanne tantũ Theutonico addam, & verum fatebor. Eram, cum illum vocaui, familia modica, quærebam miniſtros ad menſæ miniſterium aptos. Hunc meminceram, cum apud me fuit, dexteritatem non inconditam ea in re habuiſſe, & corpore non eſſe abiecto: Veſtire illum volebam, & ad obſequium lautius adhibere. Si tibi eſt vtilis, vt ſcribis, & neceſſarius communibus rebus, retineto iſthic. Addendi, non minuendi ſunt, qui nobiſcum laborant. Vide tamen ſi quid domi ſuperfluit ſeruitii inutilis, id nec apud te nec apud alium ſit. Dominus Deus ſit adiutor laborum tuorum, & cuſtos vitæ. Atque ego tibi paterno affectu benedico. Vale. Romæ xix. Ianuarij M.CCCCLXX.

ANTONIO MVTIO CANCELLARIO FLORENTINO.
CCCLXVI.

PAter Antoni, patrem appello, quod educatio tua in hanc vſque diem alimenta ſpiritui præbet: ſi non quanta oportet, at quanta ſunt ſatis ad cognoſcendam in errore ſemitam rectam. Pater Antoni, inquam, ſalue. Litteræ tuæ te mihi ante oculos poſuere. Intueri ſum viſus, quem olim vt alumnum ſequebar, venerabar vt ſanctum, audiebam vt inſtitutorem animæ meæ. Memoria illa caſti tyrocinii etiam ſeneſcenti nihil iucundius. Feciſti recte ſenſum hunc innouare. Sæpe vt innoues peto, & precor. Biennio ante cum veniſſem Florentiam, dolui te non vidiſſe. Inter cæteras neceſſitudines tua mihi futura erat acceptior: vel occupationes tuæ: vel mea quædam non neceſſaria aduerſio te mihi ademerunt. Retuliſſem abiens plenam voluptatem, ſi vna hæc non abfuiſſet. Det Dominus, in quo eſt glutinus noſter, vt complecti te aliquando meo animo poſſim. Interim imaginem congreſſus litteræ præbeant. Extulit mihi dignitas terrenam hanc ſpeciem, animum in ſua humilitate continuit. Inopiæ veteris, & amicorum, & conſuetudinis, & locorum quoque, in quibus ad virtutem exercitatio fuit, grate ac pie redeo in mentem Vti Antoni Papienſi potes, vt vtebare antea Iacobo. Immutatum tibi nihil inuenies. Filio, quem dicare Deo cupis, alterum me parentem præſtabo. Debetur hæc pietas meritis tuis. Partiemur operam inter nos. Curabis tu vt dignus eccleſia fiat: Ego vt alimentum ex altari Domini habeat. Puto in eo offerre te Deo munera iuſti Abel: non cæcum, non claudum, non turpem ex grege filiorum tuorum, vt vulgus parentum ſolet: Sed quem eximium tuo iudicio noueris. Idque vt præſtes, libere admoneo. De ſancto ſuo hoc illi proſpiciens incrementa gratiarum accumulabit capiti eius, & fiet holocauſtum acceptabile oculis ſuis. Chryſo noſtro commendatione opus non eſt. Si quis autem cumulato iam amori addere aliquid ſuis commendationibus poteſt, es tu vnus, qui id non modo pro coniunctione noſtra, ſed pro imperio etiam apud me poſſis. Vale noſtri memor. Ad xxvi. Ianuarij M.CCCCLXX.

CHRISTOPHORO PRATELLÆ.
CCCLXVII.

EXcuſationem tuam intelligo. Miſſa iam faciamus præterita: Nouorum ſit ratio. Induatur vel contineuetur potius is homo qui ſecundum Deum creatus ſit. Cor meum habes, Chriſtophore: Fide & diligentia illud conſerua. Vigilat ad tuam ſalutẽ. Idque ſi viuet, Deo volente, intelliges. Scio tibi ingenium eſſe, & dexteritatẽ, & amorem in me, & litteras, & mentem etiam rectam. Operam ſi adiicies his, nil te eſſe perfectius poterit. Nunquid non operor, dices? Ad officium ſatis. Ad animum meum vellem aliquid pluſculum. Frontem ne contrahe. Vt te impatientiæ, ita me nimii deſiderii damno. Opto interdum, quod magis expedit mihi, quam meis ſit facile. Non deſino propterea eorum diligentiam ponderibus iuſtis expendere, in precio habere, & menti affigere. Lege quæſo, vel magis lectita, non rationaria modo, quod te proxime admonui: ſed documenta omnia locationum aliarum que rerum, quas Vicarii ante te tranſegerunt: eaque tam tibi fac nota quàm vngues & digitos. Ad quotidiana plurimum conferunt. Sic plerumque de iis ad me ſcribis vt in multis videaris
hoſpes

hoſpes & peregrinus. Apud me autem quod videris timere, neminem putato nocere tibi poſſe præter te ipſum. Ætate iam ſapio, & meorum noſco ingenium. Credulum qui me putat, id putat, quod non tam eſt quàm apparet. Bene vale. Romæ Calendis Martiis M.CCCCLXX.

IA. CARDINALI PAPIENSI IA. Minutolus.

CCCLXVIII.

NOn eſt nunc cantandum. Res vera agitur. Mors imminet Domino Nicolao noſtro Lucenſi huius prouinciæ præſidi: Cuius hominis magnam facimus iacturã. Ego præcipue, quem ipſe dilexit ex corde. Sed de illo hactenus. Vmbræ ſomnium homo. Venio ad inania noſtra ſtudia. Habet iſte plura beneficia in patria, vt exiſtimo ſeptem. Ex his ſuppliciter aliqua petit Reuerendiſſimus D. Theſaurarius meus à Pontifice. Affert eas rationes, quæ mouere habeant Principis animum: Longæuam Curialitatem, ſeruitia, & pericula cum Reuerendiſſima poteſtate ſua mihi cõmunia, direptionẽ rerum in caſtris. Vtrumq; doctoratũ aſſiduum malum ſcribendi litteras, quo ſolus hic agens diſcrutior, & alia Reuerẽdiſſimę dignationi tuæ notiora. Ad hæc nonnihil affinitatis quod intercedebat. Modo nõ deſit Reuerendiſſimi numinis mei Papienſis graue teſtimonium cæteris præponendum: quod imprimis adfuturum ſpero, nec mea fides falletur. Per quam obſecro adſit mihi Reuerendiſſima D. veſtra, & mãcipium peculiare ſuum erigat ſine hoc præſidio labantẽ. Ne pigeat ea repetere, quibus alias extorſit à Pontifice neſcio quid leue. Hic opus hic labor eſt. Hæc mihi ad quietẽ via, poſtquam auctoritas nominis tui depulit me à rei vxoriæ cogitatione, quæ mihi nulla eſt. Sed ſi concedetur hoc, illico aggreſſurus ſum omni conatu ſuaue iugum Sacerdotii. Paucis actus videor mihi magnis ſermonibus inſtitiſſe opportune, & inopportune. Id facit concepta ſpes de fide Reuerendiſſimæ D. veſtræ in me, quam nunc imploro, quando & res, & tempus, & cætera adſunt. Si res exiget, trahendus huc eſt Reuerendiſſimus D. Bononienſis alterum patriæ lumen, ad quem non ſcribo contentus vetere patrocinio Reuerendiſſimi mei heri Papienſis, quem Deus ſeruet incolumem. Ceſennæ XXVIII. Aprilis MCCCCLXX.

IACOBVS MINVTOLVS CARDINALI PAPIENSI.

CCCLXIX.

HEri albeſcente cœlo, qua hora Deo placuit, ex debili corpuſculo fortem animam Domini Nicolai de Vighizano ad ſe reuerti, ſcripſi ad Reuerendiſſimam D. veſtram, ſimulque curaui, vt ſupplicatio traderetur, quæ à Reuerẽdiſſima clementia veſtra porrigeretur Pontifici. Quod deuotus ſum tuo numini facit, vt credam ſperemq; ea fieri ex mea ſententia, exq; fide Papienſi, qua nihil apud me firmius, nil antiquius. Adiiciet huic curæ ſtimulos: quod niſi mihi ſuccurratur, vt ſit tuta ſenectus à Tegete, & baculo, ad Papienſe Tinellum eſt mihi redeundum. Video has noſtras adminiſtrationes euaneſcere, noſque haberi pro abſentibus. Quo fit, vt niſi Spalatenſis præſtet viaticum, mendicaturus ſim hoſtiatim, quoad recipiat me præſidium meum vetus, & certum, & imploraturus fidem tuę Reuerendiſſimæ D. Cui diffidere videbor ſi pergã in hac ambiguitate, an mihi quicquã ex beneficiis vacantibus patauerit. Quod ſi pro inſtituto, & more curię cunctanter fieri oporteat, rurſus obſecro non deficiat manus tua, quæ me cœpit erigere. Has litteras afferet Perfranciſcus aduocatus nobilis Lucẽſis, vir & humanus, & frugi, nec minus doctus, quam etiam à me cõmendandus: cõmẽdabit me Reuerendiſſimæ D. veſtrę, & Pontifici, ad quem intrabit, cum veniat nõ vacuus, vt in conſpectum Domini accedendum eſt. Viſitabit etiam Reuerendiſſimã D. veſtram Germanus meus, quem præmonui iſthuc vt veniat, quãdo ego hinc auelli non poſſum niſi magna muri cum parte. Hunc cupio intelligere meruæ pietati eſſe non ingratum. Conducet rebus meis etiam domeſticis tantum, tamque ingens teſtimonium. Hic torpemus otio: Milites ignauia, & ſqualore, ne addam timore. Pauci enim ex rebus noſtris exigentibus equum conſcendent: Hique inermes, aut inualidi macie rubigineq; conſumpti. Mentiri cupio. Sed vt hæc noſtra ſegnities deteriorem non patiat fructum, quàm malum conſilium ſuperioris æſtatis: Milites inuaſit deſpe-

ratio malorum extremum, deficientibus belli neruis. Secundi anni menſis Aprilis actus eſt,& primi anni Octaui menſis ſtipendium omnibus nondum eſt perſo u1um. Hæc ſunt hoſtibus notiſſima. Quod ſi, vt fertur, bella fama conſtant, imminet nobis extremum excidium. Sed id Deus auertat. Ego me Reuerendiſſimę D. veſtrę humilem ſeruum commendo. Ceſennæ v. Maij M.CCCCLXX.

BVRGESIO DOCTORI SENENSI.

CCCLXX.

CHaritas veſtra erga me ſuaſit diſcedenti mihi nuper à vobis, vt iniungerem nonnulla, quę meis commodis mediocriter cedunt. Ea rogo pro beneuolētia noſtra, & comparernitatis vinculo mente non excidant: Sed diligentia illa curentur, qua à Domino meo Burgeſio curari ſolent, quę ſibi ſunt animo. Repetam breui. Primum opto prędiolum de la roſa Troyole conterminū mihi expediti loco magis quam prouentu optabile. Deinde tres vel ſaltem duas ædiculas meis oppoſitas vendi, quæ ſunt Adminiſtratoris Senenſis hoſpitalis, vt ſi quando illuc velim diuertere, habeat familia vbi commode habitet. Hoc pene ante omnia cupio. Accedit tertium de heremitorio mihi coniuncto: aut ſaltem de hortuli parte: quam credo Porrinam oſtendiſſe iam veſtrę humanitati. Temptata ſępe ſunt omnia, negligenter ſemper, aliquando imprudenter. Si nunc opera compatris omnium ſolertiſſimi, ingenioſiſſimi, & amantiſſimi non impetrantur, ſpem ſimul cum labore depono. Non putans abſolui poſſe à quoquam vllo tempore quod primo impetu ille non fecerit. Bene valete Compater, & commatrem meam ſalutate verbis meis. Romæ.

ACHILLI PETRVCCIO SENENSI.

CCCLXXI.

QVereris liberalitatem meam minorem tua expectatione fuiſſe, & ad eundem me iudicem prouocas. Prouocationis huius breuem ſententiam accipe. Si prædiolo tantum ſatisfaciendum erat, non tu plus accipere quam Marianus debebas. Qui iuſte æſtimant, hoc libere iudicant. Si venditioni difficili, non tanta debebatur duritati commentitię merces. Sin vero tuę in rebus tuis opinioni, non ego is ſum, qui opinionem cuiuſquam emam, ſed rem. Conſuetudinem tamen meam ſecutus tecum liberaliter egi, & largior fui quam debui. Nemo præter te Senæ eſt, qui non & meum factum laudet, & querelas tuas non improbet. Rogo pro amicitia noſtra, vt te poſthac ſemper ad rationem referas, non ad affectum. Fallitur illa nunquam, hic ſæpe exorbitat. Cumque bene agitur tecum, gratias agas, & ſileas: nimius habendi amor nec ſuadet quicquam bene, nec conſulit. Vale.

COLANTONIVS LENTVLVS CARDINALI PAPIENSI.

CCCLXXII.

ETſi ſuperbum inſolenſq; haberi poteſt, præſtantiſſime Pater, priuatæ conditionis vulgariſque doctrinę hominem eum velle litteris prouocare, quem cum ob ſingularis eruditionis præſtantiam vitæque ſanctimoniam, tum maxime ob dignitatem, in qua excellentes virtutes tuę te collocarunt omnes, & venerantur, & admirantur, tamen cum iam pridem te abſentem ex multorum teſtimonio obſeruauerim, iudicaui ad meam erga te ſummam pietatem pertinere, vt quoquomodo poſſem in te animum meum illuſtrarem. Id quidem mihi omnino ſtatuenti vel illa ratio viſa eſt quā optima, vt quando ſcilicet pręſentia tua Dei benignitate oblata eſſet, nec pudori meo ſatis decorū cenſerem ſi te coram improbe conuenirem. Non putaui mihi committendum, quominus per litteras, quę, vt inquit Cicero, nequaquam erubeſcunt, ſummam meam in te obſeruantiam declararem. Amo te, & obſeruo, Reuerendiſſime pater, ob multa ornamenta, quę non tam maiorum ſplendor, aut opes, aut quę plæroſq; torquet ambitio, tibi pepererunt, quàm vitę integritas, quā cum bonarum artium ſtudiis cōiunxiſti. Tu ſolus es hoc tempore, pace aliorū dixerim qui ex religionis noſtræ principibus cū exactiſſimo cerimoniarū cultu, & vigilanti religionis ſtudio, eloquentiam cęteraſq; liberales diſciplinas copulaueris: quæ quanto ornamento ſit hominū

generi,

generi, non eſt nunc referendi locus. Et quando tu ipſe locupletiſſimus ſis teſtis, cui ſola eloquentia cum probitate coniuncta ad iſtam dignitatem, in qua locatus es, gradum præbuit expeditiſſimum, ſæpenumero in familiaribus ſermonibus, quos cum multis habere ſoleo, & præſertim cum viro clariſſimo, Diomede Carapha Comite Mataloni, qui te ſummo amore, & obſeruantia proſequitur, & coius in familia nos viuimus, ea de te me ſentire affirmaui, quod de viro, & ſanctiſſimo, & doctiſſimo ſentiendom eſt. Vale æternum, præſtantiſſime pater, & pro mea in te pietate nil aliud peti certo ſcias, quàm vt me in numero tuorum clientulorum aſcriptum eſſe non dedigneris. Vale iterum, & Muſam Martiam audire libeat.

O decus Auſoniæ quondam Graiaque Mineruæ:
O decus Aonis diue Iacobe chori:
O cui virgineæ cingebant tempora frondes,
O vates Phœbo ſemper amate Deo.
Quanquam ſacra Iouis celebres nunc carmina veri,
Et Vaticani munera ſacra loci:
Tempora ſiut quamuis rubra redimita tiara,
Arrideatque tibi Pontificalis apex:
Fronte tamen Muſam noſtram dignare benigna
Spectare, & luſus inter habere tuos.

CAMPANVS CARDINALI PAPIENSI.
CCCLXXIII.

SEnenſium omnium cum ſis, & habeare patronus acerrimus, Bonſignori cauſam accipias neceſſe eſt, vt perſonam præſtes quam induiſti. Vteris tamen arbitrio tuo: mihi ſatis fuit quid te deceat ſummonuiſſe. Sirenulã è medio detraximus mari. Cantat mecum hos verſus nonnunquam: *Viuamus Papienſis, & potenter Quemque ſors tulerit feramus ictum: Victuri prope pulucrem Sybillæ Vna: Milleque ſæculis daturi Quod tempus nequeat negare noſtrum.* & quæ ſequuntur. Sequuntur autem geſticulationes mille. Cantat & epigramma illud, quod inceptum ad te miſſum poſtea perfeci. *Campanum veterem tuum clientem:*

Ad cœnam Papienſis accìſti.
Ad cœnam vt veniam, parato cœnam.
Nam cœnam volo, non crepationem.
Caulatam dabis aut cutem ſuillam:
Aut flauum cicer, aut leuem fabatam.
Noli Ficedulas aueſq; cortis,
Tota quærere copioſus vrbe,
Parcas turturibus meis tenellis,
Et perdicibus atq; phaſianis,
Quos nuper dederat meus poeta.
Tantum caſeolis licebit vti.
Ventri cætera pone delicato.
Nobis in tenui placet catino,
Fumans braſsica, ſyciput que porri,
Neruoſique pedes leuisque grunnis,
Et quod Marſia nollet attuliſſe.
Congreſſus tibi Phœbe tam proterue,
Hoc pacto veniam ſemel ve biſve,
Atque omni quotiens vocabis hora.
Nam cœuare volo, crepare nolo.

Sed ô quando ad te, ſine quo vita mors eſt, lux tenebræ! felix vale. Campani memoriam ne abiice. Si quid prodeſſe potes in æde Sannitica, & cogita, & aggredere. Vnus ſum pro quo & potes & debes cum gloria laborare, & iterum vale. Inſtat hic, & nox eſt, & cœna oculis natat.

F. CARDINALI SENENSI.

CCCLXXIV.

NEſcio quomodo, pater Ampliſſime, cum nihil habeamus in hoc ſæculo charius tempore, nihil tamen proiicimus vilius. Indulgemus inanibus curis, ocia mala complectimur, & craſtinum expectantes pollicemur nobis innumera. Nihil omnino perſoluimus. Non ita viuendum cultoribus Dei. Pugnandum contra inertiam, tanquam contra hoſtem blanditiis nos obſidentem. Ad operandum quoq; minima horæ pars non eſt expectanda. Quærenda magis ab opere quies, quam à quiete opus petendum. Periit quod iam præteriit: idque ipſum quod venit, præteriti damno imbecillius redditur. Admonet officii noſtri nos vitæ conditio, ſuis anguſtiis miſera Breuis etenim eſt aſſimilis vapori ad modicum apparenti. Celeritate incredibili labitur, nil impedimenti habens ad moras. Dum molimur, & nitimur, & inanes ſpes nectimus, occupat nos ſenectus, & mors. More aquæ ad exitum feſtinant menſes, & anni, quæque anteceſſerunt, iam non ſequuntur, & quæ abierunt, vltra non redeunt. Occidens ſol mane reſurgit. Conſumpta luna in orbes reuertitur. Deſineos annus ad eadem ſemper redit principia. At noſtra omnia ſine vllo naturæ præſidio minuuntur, & fugiunt. Nec tam bona ſunt quę veniunt, quàm quæ abierunt. Adhibenda igitur omnis induſtria eſt, vt tam precioſę rei non fiat iactura: ſed temporum fragmenta colligantur ne pereant. Pereunt vero inanibus, vt plurimum ſtudiis, quæ ſuperfluo ſumimus, inter quæ conuiuiorum ſolertia imprimis eſt. Frequentes etenim in his plus nimio ſumus, non ad charitatem, vt ſunt inſtituta, ſed ad ambitionem illa adhibentes. Diem ſæpe integrum. Quid dico diem? Verius dies totos adimunt nobis. De vocandis conuiuis longe ante initur conſilium. Quęritur vt bene conueniant, vt ſint grata conſortia, vt non negligantur ii, quorum in nos extant quotidiana officia. His iam vocatis accerſitur diſpenſator domeſticus, deſcribitur epularum numerus atque diuerſitas, iubentur conquiri omnia, vt quàm lautiſſimum, pleniſſimumq; cōuiuium fit. Is inſuper, quem vocant Aulæ magiſtrum, admonetur pluribus, vt ad diem horamq; parata habeat ſingula: Ornati ſint abaci, compoſitæ menſæ, miniſtri inſtructi, atq; expectantes. Edicitur porro, quo ordine, & quibus interuallis, quidq; velit afferri. Sua iisdem de vinis eſt norma, vt acida, vt dulcia, vt nigra, vt alba, his vel illis epulis ſocientur. Omnibus autem ſollicite imperatis adhuc non quieſcitur animo. Anxietas illa ſuccedit, ne ex his quicquam vel obliuione vel negligentia corrumpatur. Itaq; requirit ſæpe, admonet ſæpe. Tota domus ſe inquieto in eadem inquietudine eſt. Inter has vero nugas quid oro loci ad ſanas cogitationes relinquitur? An non hoc ſpacii totum vana indecoraq; occupatione conteritur? Age vero aduenientibus iam conuiuis, niſi inurbani velimus eſſe, excipiendi illi quidem ſunt, & verbis tenendi, donec vel vocatorum numerus aſſit, vel aduenerit hora, vel magiſtri etiam dicto mollita cibaria nuncientur. Prandetur poſthæc: quanta mora, & interuallis non dico. Nos ipſi vanitatum noſtratum conſcii ſumus. Tolluntur tandem menſæ, pudor eſt conuiuas ſtatim emittere. De blandiendis exhilarandiſque alia conſequitur cura, donec familiæ, quæ reducant domo aduenerint. Riſibus interim, & confabulationibus tota expectatio trahitur. Inclinante iam die tandem mittuntur graues ipſi, & grauem hoſpitem relinquentes. Diſtentum vero corpus tam multis, & variis in ſomnos reſoluitur. Neque enim eſt facile vel ſaporum vel conuiuatum gratia feruente menſa non inſarciri. Itaque à mane in noctem abit tempus inutile, nil habens inter homines laudis, nil in conſpectu Dei quod placeat. etenim iuxta verbum Apoſtoli: *Non commendat nos eſca Deo*: nec bonum eſt relinquere verbum eius, & miniſtrare menſis. Audi & aliam, neſcio animi an corporis maiorem occupationem, quæ velut peſtis hominem totum apprehendit, & ſuę poteſtatis eſſe non ſinit. Quæruntur clientelæ Regum, Principum, populorum, prælatorum etiam, qui in numero aliquo ſint. Appetuntur longi comitatus, qui nos in curiam deſcendentes ducant atque reducant. His impenduntur operę noſtræ, atque horum dies ſunt vniuerſi. Neque enim aliter retinere illos in obſequio poſſumus. Itaque patere neceſſe eſt omnibus horis cubicula noſtra, audiri vanitatum multarum

tarum

tarum ambages,& quę petuntur, ſiue bona ſint, ſiue mala, perficienda ſuſcipere. Si negamus, deferimur vt ignaui,& tanquam ad obſequendum difficiles, ſoli relinquimur. Itur ergo ad Pontificem, ne pereat cliens, ſacculo & manibus petitionum inanium plenis. Longa negocia longiora colloquia deſiderant. Nos proponendo, ille negando: iterando nos atq; rogando: Contentius iam nos flagitando: indignantius ille iam reſpondendo, conſumpta die intramus in noctem, & ad quintam ſæpe continuatur inſtantia. Quique curatis iam corporibus quietem domi capere deberemus, vanis clientelis extra operam damus, ambitioni, non beneficentię, ſeruientes. Reuerſis autem,& laſſis, incertum eſſe incipit, ſomno ne an cibo ſit indulgendum. triſte ac moleſtum vtcunq; acceperis. etenim ſi ventre vacuo cubitum imus, noctem inſomnem agentes cogimur in diem venientem dormire. Sin vero alieno etiam tempore cibis implemur, tumultuante ſtomacho id ipſum ſubimus incommodum. Ita ex antecedenti die ſequentis inſtituitur iactura. Aduolant poſtridie ad nos ſectatores hi noſtri,& quid in rebus ſuis ſit actum requirunt, pro certo habentes, gratia intercedentis impleta eſſe quęcunque deſiderent. Hic quoq; impendi nos ad noua temporum damna oportet. Neq; enim paucioribus probanda illis eſt diligentia noſtra, & fides quam ante Pontifici inſinuanda petitio fuerit. Itaq; & nos excuſamus, & negati rationem afferimus,& illos conſolamur, ac vt non diſcedant triſtes ſecundam ſæpe operam pollicemur. Quibus in ludis ita frequens ambitio eſt peneq; continua, vt diuertere animum ad curas honeſtiores ſit operoſum. Omitto triſtitiam cordis, iracundias tacitas,& innumera vitæ tędia, quæ inde domum ſępe referimus, & quibus confecti de quærendis tantum oblectamentis ad retinendam valetudinem ſolliciti ſumus. Tranſi porro atq; aliam temporum calamitatem attende, non inferiorem prioribus. Euagamur per ſingulos penè dies vel ambitionis cauſa, vel vanitatis. Nec quicquam cubiculo noſtro nobis infeſtius. Religionem obtendentes, modo has modo illas baſilicarum petimus ſtationes: eas vero vt plurimum, ad quas conuenire populus frequentior ſolet, vt non tam exhibendi nos Deo, quàm oſtentandi in turbis videamur curam ſumpſiſſe. Aliquando vero vrbem egreſſi circumductus longiſſimos agimus, & aut venandi, aut aucupandi ſtudio longius pererramus, vtrobique diem integram fruſtra conſumentes. Quorum ſi nihil in ſeueriore alicuius vita eſt inuenire, altera nihilominus, atque haud ſcio an grauior inſpicitur occupatio. Viſitantur per gyrum domi ſuæ Cardinales, nunc hi, nunc illi, prout ad rationem noſtrã conuenire eorum gratiam exiſtimamus. Sermones de manibus ſunt. Ipſi eos nos nouimus. Veniunt in medium querelæ de Pontificibus multæ. Opera illorum ſigillatim damnantur, velut detrimentoſa Eccleſiæ,& nobis etiam grauia. Proindeq; iam de obitu,& ſucceſſoribus longa eſt indagatio. Nec deſunt murmurationes innumeræ, detractiones, ac maledicta de multis. Quibus in rebus & tempora inaniter aſſumuntur,& illud accidit mali, vt frequenter vulgi oculis linguiſq; oblati viliorem præſtemus hãc noſtri ſacerdotii dignitatem. Occurrit par alia peneq; Germana mẽtis vexatio, à bonis quoq; nos operibus amouens, nimietate ſola damnabilis, rei familiaris anxietas. Dum enim vel exactam nimium diſciplinam perquirimus, vel impendiis domeſticis parcimus, ipſi nos omnia & ſcire,& inſtituere, & diſpenſare, & cognoſcere volumus. Nec ſatisfacit vlla noſtrorum vel fides vel diligentia. Numeramus diſpenſatori pecuniam, Ephemeridem expẽſorum minutatim diſcutimus. In rationatia maiora noſtra manu cuncta referimus, mercatorum iam, non Cardinalium, tractantes officia. Horrea quoq; & cellaria oculis noſtris ſæpe luſtramus, ſingulorum rationem à cuſtodibus exquirentes. Quin & attentio illa miſera atque infelix occupatum animum momentis omnibus habet, ne aut diſpenſator mentitis rerum preciis ignaros nos fallat, aut culina ſuis profuſionibus detrimento afficiat, aut in familiari cœnaculo poſita diſciplina laxetur: aut vero etiam ex cella largius, quàm ſit opus alimenta promantur. Itaque ſine intermiſſione peruigiles, cum per nos obire omnia prohibeat dignitas, vocamus ad nos, inquirimus, admonemus, litigamus, atq; in deliramentis huiuſmodi totos dies inmergimur. Neq; vero in nobis omnibus etiam has rerum vanitates contendo. Nam & nominare poſſum complures vitæ inſtitutionibus claros, qui cæteris pro nihilo habitis vni ſemper virtu-

ti animæq; inuigilent,& in eo tantum iacturam ſe facere arbitrentur, quod neceſſario curandis corporibus tribuitur. Verum de his mihi eſt ſermo,in quibus animaduerſa hæc non obſcure ſunt. Igitur,excellẽtiſſime Pater, abiectis his inanibus ſtudiis,quæ haud dubie altricia mortis ſunt,cuſtodiamus quantum poſſumus anguſta, & labentia vitæ noſtrę ſpatia. Operemur bonum,dum tempus habemus, dumq; lux lucet,ambulemus vt filii lucis. Neq; enim apud inferos, iuxta diuinum ſermonem, opus eſt nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia, ſed tantummodo operum merces. Memores quoq; ſimus,quam multis impertiendi ſint dies noſtri,& quam diuerſis opera debeatur. etenim ſi recte expendimus, quid Deo creatori, quid animæ noſtræ, quid proximis, quid Romanæ Sedi, quid ſacerdotiis, quid creditis animabus, quid etiam familiæ debeatur, cuius vera pietas non dominos, ſed parentes nos facit: Intelligemus nil loci ſupereſſe ad nugas, ſed diſpenſati temporis reddendam Deo ſeueriſſimam rationem. Abiiciamus ſomnos non neceſſarios, deſidiarum noſtrarum comites. Præſtent ii laſſis quietem, non corporum ſepulchra continua. Præueniamus Solem matutinis vigiliis, id agentes vt cum alii operari incipiant, nos operum noſtrorum iam media habeamus. Ad explenda tam multa dies ipſi ſatis non ſunt. Accedant neceſſe eſt noctium partes. Dicet de ſe homo gentilis Flaccus:

Prius orto Sole vigil calamum, & chartas, & ſcrinia poſco.

Homo Chriſtianus, & Dei ſeruus idem non dicet? Plus quoque olei pro ſæculari laude conſumpſerit Demoſthenes orator quàm vini? Doluerit etiam ſi quando antelucana opificum victus eſſet induſtria: nos pro æterna ſalute, & immarceſcibili corona gloriæ non maiora vel eadem faciemus? Exuamus has tam familiares delitias, quibus circundati ſumus, & fluimus. Abſit omnis tepiditas, omnis mollities, omnis incuria, omnis negligentia, & tarditas, quibus fabris ſurgunt gehennæ ædificia. Salutari occupatione mens ſemper aliquid agitet, ne tanquam deſertus ager tribulis, & ſentibus occupetur. Neceſſe eſt omnifariam cupiditatibus obſideri eum, a quo cultura hæc abeſt. *Multã etenim malitiam*, (vt inquit Scriptura) *docuit ocioſitas*. Seminemus mane ſemina noſtra, & veſperi non ceſſet manus. Scriptum eſt enim: *Si quis non vult operari, non manducet.* Eamus ad formicam laboris noſtri exemplum, & conſideremus vias eius, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat. Turpe eſt quod naturæ inſtinctu agunt illæ, ratione a nobis non fieri. Cętera quoque animalia intra legem ſuam manentia nec tempori deeſſe nec loco: nos diuinæ mentis participes, bonorumque & malorum delectum habentes, neglectores omnium inueniri. Ne ergo voce Domini Saluatoris increpemur, quid hic ſtatis tota die ocioſi, cum iam ſit hora vndecima? *Simus*, iuxta verbum Apoſtoli, *ſolicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, & Domino ſeruientes.* Vale.

CAMPANVS PAPIENSI.
CCCLXXV.

PEr ſcripſeram tibi de aduentu Cæſaris, & apparatu eorum, qui Cæſarem ſequebantur, & quæ ſpes eſſet propoſita nobis de ampliſſimo conuentu, & quantum nec ætas noſtra vidit, nec grandiſſimi natu Germanorum recordantur. Deinceps hæc acta ſunt ad VIII. Calendas Iulias, poſt peractam rem diuinam. In prętorium ſecuti Cæſarem conſcendimus: quem in locum conuenire Principes conſueuerunt de rebus Germanicis acturi. Hic Antiſtes Tridentinus nomine Cæſaris prodiit in medium oratione Germanica: quam eueſtigio, vt externi quoque oratores intelligerent, Latine eſt interpretatus. Primum Cęſaris moram excuſauit, quod ad diem non veniſſet, & capita contentionum, quæ domi poſt indictum conuentum exortæ eum detinuiſſent enarrauit, egitque gratias, & Principibus, & Oratoribus, quod non ſine iactura rei familiaris, & ſumptibus grauiſſimis alterum prope menſem expectaſſent. Cauſam deinde aperuit, quæ ad indicendum hoc in loco, & tempore conuentum impuliſſet. prætetitas Chriſtianorum calamitates, & recentem Carniolæ cladem deplorauit: potentiam, crudelitatemq; immaniſſimi hoſtis, quam breui tempore quantum occupauerit finium noſtrorum, quãtum Chriſtiani

ſtiani ſanguinis fuderit,& in Europa,& in Aſia oſtendit, repetitaque eleganter veterum non vna hiſtoria, clariſſimas, ac prope innumerabiles Germanorum expeditiones,& pro religione Chriſtiana, & pro Imperio Germanico ſuſceptas, commemorauit, hortatuſq; eſt Principes omnes oratoreſq; ciuitatum Germaniæ partam à maioribus gloriam conſeruarent, occurrerent imminentibus periculis, & religionem,in qua patres eorum vixiſſent,& ipſi eſſent nati atq; inſtructi,tuerentur. Addidit poſtremo Cæſaris preces auxilium,& communi libertati,& priuato ſuo periculo implorantis,reſponſumq; poſtulauit. Poſt Tridentinum legatus graui & ipſe oratione propoſitum Cæſaris,& Principum aduentum commendauit, egitq; gratias Pontificis nomine vniuerſis,hortatus,vt quam ſpem Chriſtianis ex conuentu porrexiſſent,eam ſumendis armis exhiberent, nec ſe carpi ſingulos paterentur, qui vniuerſi non modo reſiſtere,ſed profligare hoſtem quam facillime poſſent. Conuentus multos repetiit nequicquam in Germania factos: vbi ſi obtemperatum fuiſſet conſiliis eorum,qui futura pericula præuidiſſent,non eo diſcriminis ventum fuiſſet, vt quem facile tunc potuiſſent ex omni depellere Europa, nunc in ipſa Germania perferrent: dum extrema eſſent neglecta,ad intima hoſtē penetraſſe. Adiecit & preces, ac verba,vultum animumq; Legato, & tantis neceſſitatibus dignum accommodauit. Principes Germanico more paulum ſegreſſi atq; inter ſe locuti, gratias Cæſari egerunt,quod aliquando Germanicæ libertatis, & publicæ ſalutis curam ſuſcepiſſet, ſeparatos per omnia vitæ fortunarumq; diſcrimina illius Imperium ſequuturos in expeditionem,ſi ipſe aut eat,aut iubeat iri,miſſuros ſi iubeat mitti. Lætus eo reſponſo Cęſar laudatis Principibus conuenire ſequentem in diem iuſſit. Poſtridie pari frequentia reditum in prætorium eſt:ſed initium conſultandi ab cōtrouerſia ortum omen belli futuri an impedimenti potius fuerit ſuſpenſum me habet. Oratores Burgundi,cum poſt Legatos electorum collocati, atq; ideo deſpecti priori conſeſſu viderentur,redire in ſubſellia recuſabant. Electores abſentib. collegis qui aderant, quāquam ſumma cum modeſtia,dignitatem tamen cōmunem tuebantur. Burgundi potentiam ſui Principis,& in Gallia,& in Germania maximam , Electores parem nobilitatem,ac vetuſtum morem obiiciebant,ſeq; è corpore Cæſaris cum eſſent,ne Regibus quidem,ſi qui adeſſent, cedere oportere contendebant. quæ contentio cum tres prope horas conſumpſiſſet,non antea eſt ſublata,quàm Burgundi alteris ſubſelliis ad frontem Cæſaris inter oratores Regios locarentur. tum demum & ipſi auxiſſe Principis ſui dignitatem, quod in ordine abſentium regum ſederent, & Electores ſeruaſſe æſtimationem ſuam,quòd excluſi à primis ſubſelliis Burgundi eſſent, videbantur. Vbi omnes conſedere,primi Burgundi ſurrexerunt: quorum vnus locutus eſt oratione ideo parum accommodata,quòd plus in criminādo Rege Gallorum,quàm in propoſito iuuandi belli viſus eſt occupari. Regem rupiſſe fœdera: violaſſe publicam fidem: media pace oppida Burgundi expugnaſſe conqueſtus eſt. Pauca quędam adiecit ad rationem belli,& quæ tunc ibi potius excogitata, quàm domo adducta viderentur. Altera fuit oratio Pauli Morecini Venetorum oratoris breuis & collecta : Certaſſe cum Turcis Venetos annos iam ducentos, eorumque vires atque impetus ſolos & in Thracia, & Illyrio ſuſtinuiſſe: enixius tamen octo proximis annis mari cum iis ac terra geſſiſſe bellum: propugnatoreſque noſtros fuiſſe iam non tam defatigatos aut exhauſtos,quàm à cæteris Chriſtianis deſtitutos eſſe: communi ad eum diem periculo ſolos excubaſſe: creuiſſe nunc hoſtem, factumq; ex aliena ſomnolentia magnum,&quantum iā perferre Chriſtiani vtinam vigiles poſſint: Inſtare illum ab Illyrio, à Pannonia, ab ſinu Adriatico: non mari, nō terra quietos noſtros ſinere: genus belli quale eſſet, ipſos perſpicere: Senes occidi, ſtrangulari infantes, cæteram multitudinem ſine ſexus ætatiſq; diſcrimine in ſeruitutem Aſiaticam trahi: conflammari templa, viros Dei intra templa concremari, igni & ferro ad excidium vltimum vaſtari omnia: Incipere iam Germanos intelligere, quod fuerit Venetis tam diu bellum geſſiſſe cum Turco: nec tamen deſperandum eſſe: modo eo ſint animo Germani, quo quiſq; eſſe debeat ad vitam ſuam, libertatemq; ſuorum defendendam. Habere ſe permagnā claſſem & pręſidia, per Illyrium Græciamq; diſpoſita, ſtipendio eorum militare ad hominum quinq; & viginti millia, iuuari & à Ferdinādo Rege

maritimo bello,ſi iuuentur terreſtri à Germanis,breui & futuros ipſos in tuto, & cæteros extra periculum poſituros. Miſiſſe Ferdinandum tres & viginti triremes, quatuorq; naues onerarias in augmentum claſſis, & alias propediem eſſe miſſurum: ipſos triremes ſexaginta,naueſq; aliquot inſtruxiſſe, & putare iam eſſe deductas, cētum triremibus,ac duodeuiginti roſtratis nauibus bellum maritimum aggreſſuros: ſi terra quoque diſtrahatur hoſtis, vtrobiq; laboraturum. Poſt eum legatus magnificis verbis & rem Venetam,& Pontificis diligentiam, & Ferdinandi apparatum complexus, parem Germanorum curam, quorum non diſpar eſſet periculum, poſtulauit. Secundum legati verba præſul Aiſtetenſis iuſſu Cæſaris progreſſus in medium hæc poſtulauit: primum vt decem millia ad præſentem neceſſitatem, quarta pars equites, cæteri pedites cogerentur, qui per fines extremos Germaniæ diſpoſiti hoſtem ab incurſionibus prohiberent: Alteram deinde manum ſubſidiariam, ac paratam in omnem belli euentum,& ad quamuis hoſtium impreſſionem compararent: Poſtremo, vt de ſumma totius belli quantum geri vniuerſis viribus Germaniæ poſſet, in annum ſequentem conſtituerent. Ad hæc Principes, quod digna conſultatione res eſſet, ſpacium poſtularunt, reſponſuroſq; in diem ſequentem polliciti, præſentibus quoque verbis ſpem Cæſari addiderunt. Magna viſa eſt omnibus Cæſaris poſtulatio, nec minus neceſſaria quàm magna. Sed meo & multorum iudicio præpoſtera, nec Legatus ordinem poſtulatorum approbauit. Laudare ſe dixit conſilium Cæſaris de auxilio præſenti: de ſubſidio parato, de expeditione futura, ſed eum ordinem non placere. Primum quòd cum fama potiſſimum bella conſtent, nec minora in re bellica terrore quàm prœlio conficiantur, irriſuri eſſent hoſtes tam exiguam manum, & vires Germanicas ex decem millibus multum ęſtimaturi, ac tãquam omnem expreſſam Germaniam in tanto conuentu nihil plus præbere virium quam decem millia potuiſſe: aut ſi poſſet, ęgre reliquos in caſtra venturos aliquando eſſe, qui nunc vt darent nomina compelli non potuiſſent. Deinde ſpem omnem ereptam iri ciuitatibus noſtris finitimis Turco: concaſuros omnium animos, cum primum de numero audierint tam exiguo,& quicquid nunc præſente Cæſare aſtantibus omnis Germaniæ Principibus tanto habito conuentu in eorum ſalutem factum non ſit, fieri poſſe amplius deſperabunt. Poſtremoq; vbi decem millia contulerint Germani Principes, contuliſſe ſe quantum opus fuit exiſtimabunt, vt fere ſemper grauius eſt quod additur ponderis quam quod imponitur: eo maxime imputatur quod primum exactum eſt. Proinde ſuam eſſe ſententiam, vt ante omnia de ſumma vniuerſi belli deliberetur: vires omnes Germanorum inſpiciendas: nomina militum, quotquot, & vbi vbi ſunt conſcribenda: Habendum, quantum habere maximum poſſent, ex omni Germania delectum: Ac tum demum ex ea ſumma primum decem millia educēda, pręſidiumque ad impreſſiones ex eadem ſummittendum: Cæteras copias deſtinatas cōſcriptaſque,& primo quoq; tempore paratas habendas eſſe, vt ſit ita futurum, vt hoſtibus terror, ſpes noſtris adiiciatur,& illi ſe contineant, noſtri ad reſiſtendum confirmentur,& cuiq; exploratum ſit, quo tempore quid facere, quorſum, aut qua manu ire iubeatur, magnam vim habere,& animi,& rerum apparatum. Laudata eſt magnopere Legati ſententia: non tamen Cæſaris propoſitum immutatum, vnde orta ſuſpicio eſt nobis, remiſſiorem eum futurum ad hanc expeditionem, quam ſperabamus, & conſulere velle præſentibus periculis, futura non cogitare, quanquam Legato reſpondit, bono eſſet animo: Se niſi re ad ſummam vniuerſi belli perducta, Rariſpona non diſceſſurum. Principes quod erant polliciti, ſequenti die reſponderunt ſe ad omnia quæ Cæſar poſtulaſſet, eſſe paratos: vnum orare, ſimultates Principum ciuitatumq; diſcordias, quod facile auctoritate ſua poſſet, è Germania tolleret: magnam partem virium Germanicarum occupari Principum ſeditionibus, quibus ſublatis vno robore communi manu, copiis vniuerſis inferri bellum poſſe. Cæſar ſtudioſum ſe ait ſemper fuiſſe concordiæ Principum, & nunc quæ ad pacandum Germaniam pertinerent, omnia eſſe facturum. Nouiſſime deſignati ſunt quinq; viri ex familia Cæſaris, ac totidem ex conſiliaribus Principum, qui cum Maguntino, cui eſt primus inter Principes locus, de cogendis ſtatim decem millibus,& pręſidio ſupparando, & de numero copiarum Germanię in annum ſequentem præfiniendo,& de præficiendo Im-

do Imperatore, ac de omni ratione non mouendi ſolum belli, ſed etiam continuandi inter ſe agant, & vbi deliberauerint ad Cæſarem, & Principes referant. Hoc in ſtatu res ſunt. Legatus nihil neque excitandis Principibus, neque Cęſare incendendo prętermittit. Ego ea ſum nunc ſententia, qua nuper fueram, cum primum de conuentu ad te ſcripſi, pendere omnia ex Cæſaris voluntate, qui niſi omnia velit, quæ ad ineundum bellum pertineant, nihil dicam aliud, quàm fato malo perituram rem Chriſtianam. Depopulata Carniola, & igni ferroque vaſtata niſi exciterur, non video quid ſperare poſſimus ab eo auxilii calamitatibus noſtris, qui ſuis non moueatur. Auctus conuentus eſt incredibili multitudine Principum. Nudius tertius venit Lancrauius Aſciæ cum equitibus quadringentis. Heri Antiſtes Colinen. exiguo comitatu. Fratres Saxones, quorum eſt magna in Germanos auctoritas ad triduum expectantur: conueniſſe feruntur ad paulo plus minuſue: quàm equitum decem milia. Pulcherrimum ſpectaculum nobilitatis, vtinam ęque profuturum. Feliciter vale. Ratiſponæ III. Nonas Iulias MCCCCLXXI.

CAMPANVS CARDINALI PAPIENSI.

CCCLXXVI.

POſtridie nonas Iulij, quo die opinio fuerat quinque viros de Principum decretis relaturos, Volfangus Bauarus frequentiſſimo conſeſſu querelam noui ſceleris intulit de Chriſtophoro fratre, qui ab Alberto, & ipſo quoque eorum fratre in vinculis detineretur, orauitque Cæſarem tam immani, & inaudito ante eum diem exemplo impietatis clementia ſua, & pro dignitate Imperii occurreret, vt quem naturæ charitas, ſeueritas iudicii a maleficio cohercerer. Breuis accuſatio ingens vulnus viſum eſt, perculitq; omnium animos fratrem aduerſus fratrē pro fratre contendere: nec cauſa modo, ſed promiſſa barba, & mutatio veſtis, & lachrymarum immodica effuſio certare pro duobus fratribus, altero captiuo, altero ſponte ſua exule videbantur: & habetur alioquin Albertus ſumma inter Germanos Principes gratia, dignitate corporis, & facundia, quantam capere gens poteſt, nonnihil & litteris præditus. Altera fuit contentio Spirenſis Epiſcopi, qui primum nomine Colonienſis acceptus in conuentu inter Oratores Electorum conſederat: ſed vbi Colonienſis aduenit, iam Palatini loco ſe gerens, vetitus a Cæſare eſt ne vbi prius, hoc eſt, Electorum gradu locaretur: quod nec decreto ſuo Palatinum Electorem eſſe contenderet, nec oportere duos ſimul fratres poteſtatem habere Cæſaris eligendi. Iam vides quæ ab eo pacis tam neceſſarię fundamenta iaciantur, & quantum de conilianda Germania cogitet, qui exortas contentiones non comprimat, nouas exſuſcitet. Vereor, Papienſis mi, ne ad vnguem diuinaueris. Memini quo die locutus ſum tecum de profectione Germanica, dixiſſe te nullam ſpem habere in Cęſaris mente dubii, & latebroſi conſilii hominē nihil ad communem ſalutem, omnia ad ſuam vtilitatem reuocare. Poſt hæc lectæ ſunt litteræ Carniolanorum plenæ efficaciſſimę immanitatis: nullum relictum templum, nullam agreſtem caſam à Turcis in Carniola: iacere paſſim cadauera occiſorū ſenum, atque infantium, & iam cœlum fœtore corrumpi. Abrepta præterea eſſe ad milia hominum ferme XX. Communiſſe Turcos loca quędam, vnde excurrere quam latiſſime, ac recipere ſe incolumes cum pręda facillime poſſint: implorare Cæſaris, & Principum, & omnium mortalium opem. Recitatę etiam Strigonienſis & optimatū Hungariæ, quibus ſignificabatur, diuiſum eſſe bifariam Turcorū exercitum: partem Carniolam in fines Cæſaris contendere, partem ad ripam Saui fluminis conſediſſe, eo conſilio vt exitu aliquo explorato, & communito excurrere & depopulari Hungariam poſſint: Centum iam annis pugnatum ab Hungaris cum Turcis eſſe: exinanitum iam & viris & viribus regnum, niſi ope quoque iuuetur, externa non poſſe diutius tam aſſiduum, ramq; potentem hoſtem ſuſtinere. Communem cauſam agi: Se & ſi propinquiores ſunt periculo: non tamen ſolos perituros, monere & orare Cæſarem, vt conuentu prope omnium Principum Germaniæ, & quantum nunquam antea, ampliſſimo remedium aliquod Chriſtianis vulneribus adhiberet: Oportere ēum præcipuum eſſe Chriſtianorum propugnatorem, qui idem Chriſtianorum ſit Impe-

rator. Idem quoque à Principibus poſtulabant. Cæſar, & ad conrentionem Volfanghi, & ad vtraſque has egregie dormiit. Reſpondir Magunrinus nomine Principum, hoc vnum agi, præterea nihil, vt & Carniolanis & Vngaris ſuccurratur. Hoc in ſtatu res eſt. Vale. Ratiſponæ die x. Iulij M.CCCCLXXI.

CAMPANVS IA. CARDINALI PAPIENSI.

CCCLXXVII.

QVartodecimo Calendas Iunias roſam primam legi Ratiſponæ: adeo ſerum eſt in Germania florere. Iam ſi maturari noſtrum reditum putas, præcox iudicium habes. Cæſarem tam nunc expectamus, quàm cum venimus. Aquilæ ad gruem rediere. Profectionē noſtram perſcripſi tibi omnē: idem faciam de moribus gentis. At quid, inquies, in Germania ingenio dignum noſtro? Multa quidē: ſed illud imprimis, quod nec mortui viuunt: nec putes cœli clementia fieri: fit moribus. Ego qui miracula noſtri temporis non odi modo, ſed horreo: nuſquam verſatus ſum omni vita mea faſtidioſius. Sed dices: perpulchrum eſt mortuos viuere: perpulchrum: ſed malim ego & viuos mori: nam cum fœteant qui ambulāt, ſi fœterent mortui, non ambularent. Anceps fortuna mea eſt: Quanta calamitas naſo, tanta auribus fœlicitas ineſt: dum omnes ſentio, intelligo neminem. O Epigrammata!

Tu ſortem miſerare meam: fugere repulſæ
Pierides: Iſtrum Flora Venuſque bibunt.
Arce ſede Bacche: ceſſit neglectus Apollo.
Non nunc eſt aliud viuere quàm bibere?

Vale felix, nec accuſes breuitatem: mox reſarcientur omnia, nunc comparo me in aduentum Cæſaris, habiturus orationem, qualem Italia legat, Germania non capiat: incredibilis eſt hic ingeniorum barbaries: rariſſimi norunt litteras, nulli elegantiam. Vale iterum D. Antonius de Romagnano, Patricius & Montanus ſe D. V. plurimum commendant. Ratiſponæ XXIV. Maij M.CCCCLXXI.

CAMPANVS CARDINALI PAPIENSI.

CCCLXXVIII.

TRes T. Liuii decades: (tot enim ſuperſunt) librariorum inſcitia magna ex parte deprauatas iuſſu tuo recepi emendandas: operoſam quidem rem, & plenam laboris: Sed vtilitatis, vt arbitror, nō minus quam fuit difficultatis, habiturā. Vnde tantum abeſt quo mihi aliquid vendicem gloriæ, vt pene tractum in religionem me cenſeam, qui tantæ rerum maieſtati tantaque magnitudini iniecerim manus. Quippe cum diuinam Liuii hiſtoriam tanquam numen aliquod attrectare nefas ſit. Genus eſt in eo ſcribendi genere proprium, & ſuum, & idipſum ſplendidum, ac magnificū, & tanquam ad ſpectaculum quoddam magnitudinis ſublime, atque eleuatum, & per omnes circumductum amplitudinis gyros: ita vt eruditorum oculos late extendere tollereq; in altum poſſit, imperitis caliginem afferat. Inde librariorum coorti errores, dum aut quod ipſi non capiant nimiū eſſe, aut quod nō cernunt obſcurum, aut quod inuerſum eſt, ſtudio auctoris deprauatum putant, & de librariis emendatores facti, ibi plus adhibent iudicii, vbi minus intelligunt. Horum ego deprauationes, quas tanta diuturnitate temporis tantaq; barbarie neceſſe fuit eſſe quamplurimas, multis fretus exemplaribus corrigere aggreſſus feci quod tu iuſſiſti: & feci quàm potui diligenter, vt huic nouæ miræque induſtriæ impreſſorum ipſe quoque pro virili auxiliarer: Idem facturus in cæteris, quo non modo non careant libris veterum noſtri homines, aut emi multo oporteat, ſed & magna ſit futura copia, & æque pauperi atque diuiti comparari exiguo poſſint. Nec iidem erunt impreſſorum futuri errores, qui fuerunt exſcriptorum. ii vno exemplari eodemque perſpecto, atque emendato, quot volent codices vna opera, vnoque tenore conficient: Illi dum ſingulis quiſque arbitrio abutitur ſuo, nunquam inter ſe ita conueniunt, vt vbi paulo ſit protractior oratio, aut implicatior, non diuerſe corrumpant. Legi iam poterit à noſtris Liuii hiſtoria, ſi qualem ipſi reddidimus, talem & impreſſores cæterique alii effinxerint. Quod ad me attinuit, nuſquam curioſus interpres, aut diuinator, nihil meum præter laborem, & diligentiā

attuli:

attuli: quæ vtinam tanta fuerit, vt librariorum tollendis erroribus ſuffecerit. Certe in hoc fuit maxima, vt Liuii maieſtatem affectatione ingenii nuſquam minuerim, locorum nomina duntaxat vetuſtiſſima, quod diuerſe poſita ſunt à multis, fallere me potuiſſe, & ea perpauca potuerunt. cætera, vt ſpero, non fefellere. Adiecta ſunt ad finem operis omnium librorum epitomata, eorum etiam qui non extant, vt priſcarum rerum noticiam habeamus ex iis aliquam, ſimul, vt quantam in Liuio fecerimus iacturam intelligamus: vtcunque futurum ſit, mihi ſatis fuerit tuis iuſſis paruiſſe, cuius & beneficiis, & auctoritati omnia debeo. Vale.

F. EPISCOPVS ANDRIENSIS CARDINALI Papienſi.

CCCLXXIX.

NOſter Eboracenſis, cuius vitæ aliquotiens hoc anno timui, ſaluus eſt: ſed cum aliorum pernicie. Nam reuerſus in regnum Comes Varuici frater cōplexus Henrici regis factionem, ipſum Henricum è carcere, in quo plures annos fuerat aſſeruatus, eductum, & veſtibus Regiis ac diademate ornatum reduxit ad ædes regias Vaſti Monaſterii: qui locus eſt in ſuburbiis Londomniarum. Rex Edoardus ab illis, quos ſibi fidos ſperauerat, deſtitutus receſſit. Quo autem ſe receperit, an intra fines Regni, incertum eſt. Quæ ſcribo, narrata fuerunt huic Principi. Regina vxor Edoardi, quæ plures menſes ſe in illa eadem Turri continuerat, timens aduentum Vanuci, in Aſylum diuæ Catherinæ, vt vitæ conſuleret, cū fratribus, matre, ac paruis filiis confugit. Omnes videntur ſponte, aut metu victori fauere. Ridebunt poſteri, credo, aut vt miracula mirabuntur, cum audierint tantum eſſe huius Comitis ingenium, vt indomitam gentem tam facile regat, nouos Reges fecerit, his denuo pulſis veteres reuocarit, & ipſe pulſus intra vertentem annum multis intra, & extra Regnum aduerſantibus, in idem regnum redierit: vt dici poſſit *Sæpe renaſcentur, quæ iam cecidere, cadentque.* Lætor Eboracenſis ſalute. Edoardi calamitate certe non lætor: quo rege omnium iudicio, neminem terra illa meliorem tulit. Incredibilis ineſt illi Principi humanitas, tanta clementia, vt viſus ſit maluiſſe in hęc mala recidere, quam crudelis videri. digna Rege liberalitas, & ſumma religio. Mitto corporis proceritatē, & dignitatem, & magna grauitate ornatam hilaritatem. Sed ita ſe res habet, vt quo abierit bonus ille Rex, non ſatis conſtet. Spectabimus quorſum tanta res euadat. De Gallia nihil occurrit noui. Lætum exiſtimate Gallum, qui Vaituco fauit: non lætum Burgundum amicum Edoardi. Si quid hinc expectatis auxilii, non hoc auxilio tempus eget. Si qui ſint qui Fidem iuuare vellent, ii ſuis rebus timentes præſtare nullam poſſunt opem: quod ingemiſcendum eſt, noſtra Fide in tantis periculis conſtituta. Me Reuerendiſſimæ D. veſtræ humiliter commendo. Heſdini XI. Octobris M.CCCCLXX.

BERNARDO ILCINEN. PHILOSOPHO ET Medico.

CCCLXXX.

AVdi Ilcinenſis chariſſime quanta obſtinatione Turcus nos petat, quantaque ad delendum de terra nomen Domini moliatur. Non ſatis illi eſt impia cogitare, exequi durā, mentem non lenir, vt neceſſitate, non voluntate tantum Dei populum inſectetur. Maioribus odiis blaſphemat Creatorem: Archiidolatrā ſe monſtrans, dum nos arguit idolatras. Vouit votum Deo, quem neſcit, dirum, funeſtum, immane, cœlo terræq; execrandum: in quo perſeuerantē rabiem, & ſurgentem in dies æſtum furoris, licet inſpicere. Vult, vt apparet, inſanos ſatis ex ſe populos, non ſuo tantū, ſed cæleſti quoq; nomine in bella noſtra præcipites agere. Quid ait, vel eructat magis contaminatum pectus: Mahumetes ego Murati filius: Idem Soldanus, & Baraſmæ, ac Rachmael Præſes à ſummo Deo in altum leuatus, in ſolari circulo poſitus, ſuper Imperatores gloria affectus: omni ex parte fœlix: tremendus mortalibus: Cæleſtium, magnique Mahumetis prophetæ precibus, armis potens, Imperatorum Imperator, & Principum princeps, qui ab oriente in occidentem ſint, voto, & iureiurando hoc ſpondeo

vnico Deo omnium creatori, non viſurum me ſomnum oculis, non epulaturum dulcia, non petiturum amœna, non tractaturum ſpecioſa, non ab oriente in occidentem verſurum faciē, donec deiecerim conculcauerimq; equi mei vnguis Deos gentiū, ex ligno, ære, argento, auro, pictutaque, & manibus cultorum Chriſti factos: omnem etiam eorum iniquitatem à facie terræ, quantum pertinet ab oriente in occidentem, ad laudem veri Dei Sabaoth, & magni prophetæ Mahumetis exterminauerim. Hanc ob cauſam omni genti circumciſę, Mahumetum credenti, mihi ſubditæ, eiuſque Ducibus: ſociis quoque in bello ſub metu magni Dei conditoris cœli, & terræ: Sub metu etiam inuictæ poteſtatis noſtræ edico, vt in venientem annum ad diem xi. Martij armari ad me omnes conueniant, impleturi præceptum Dei, & Mahumethis magni: Quorum alter numine, alter precatione in gerendis rebus haud dubie eſt adiuturus. Hoc iuſiurandum Conſtantinopoli ſcribitur ad quartum nonas Auguſti, Mahumeticæ Tyrannidis anno æditum xxv. Inde Raguſium à non leui auctore portatum: eo loci in Italicum verſum, atque ad Venetos miſſum, qui rei fidem habentes, notum eum Pontifici voluerunt. Huius ergo voti reus.

SINE FINE EST.

CHRISTOPHORO PRATELLÆ.

CCCLXXXI.

DOlebam differri tam diu, quod ad neceſſitates domeſticas neceſſarium erat. Tarditatem ſubuentionis, magnitudine compenſaſti. Accepi tandem, & mille primo, & nunc quadringentos. Pro vtriſque & benedico tibi, & gratias ago. Quæſo in reliquis patris tui ſis memor, & hunc annum eſſe eum ſcias, in quo & vndique plurimis premor, & aureus vnus duo ſiunt mihi ad gratiam. Hæc manu mea ſcripſi, vt noſcas quàm chara & accepta ſit hęc tua ſolertia. Rem Florentinam video plenam laboris eſſe, ac pene deſperationis: Ita vndique & pręmuniuit ſibi viam Soderinus, & Dominus noſter ſtudio ſatisfaciendi illi, cæteris nobiſque imprimis manus ligauit. Sine longa lite plenaque impendiis temptari quicquā non poterit. Fiet tamen quod in his anguſtiis perfici poterit. Tu, vt ſæpe iā dixi, bono animo ſis, & in Domino ſpem tuam colloca. Confido diuino eius auxilio habiturum me aliquando pleniorem, eius quam ſeruaueris diligentiæ, & fidei rationem. Partes tuę tantum ſint, non negligere mandata Domini tui, & meminiſſe omnibus horis fidelis prudentiſq; ſeruitii aliquando finē eſſe, infidelis vero, & torpentis nullum exitum inueniri. Cura valetudinem, & domeſtici parce, quantum honori noſtro ſat eſt. Impenſæ præteritę, vt bis iam ſcripſi, maiores ſub te vno anno fuere, quā multis ſub aliis. Scribo manu mea Duci, & Domino Cicho, vtriq; gratias agens. Abſolutis nunc his tractatibus Ligæ, quibus hactenus impedita ſunt reliqua, breui (vt puto) rem Rozaſchi explebo, & mittam. Tu cura litteras reddi in tempore. Vale Romæ III. Ianuarij M.CCCCLXXI.

CAMPANO.

CCCLXXXII.

GAudeo tibi, & tuo Mecœnati ſecunda euenire quæ facitis. Puto communia, quæ in vtranque partem accidunt vobis. Iter legationis veſtrę Senam vſque agnoui. Cura vt à prima Germania reliquam Italiam diſcam. Id nos, qui vos votis proſequimur, non minus expectamus, quam petimus. Noſtra vrbana noſces ex multis. Ex pompis Mutinenſibus ea ſola fuere. Magni apparatus magnæque expectationis Borſii Eſtenſis ingreſſus: A Flaminia in Pontificiam medius inter Aquilegienſem, & Mantuanum traductus eſt. In comitatu plurima ſtomachi tui, non tuorum tamen hoc tempore oculorum. Primo venienti eſt datus Senatus. Oratio eius nulla. Lætitia vulnis multa. Receptus ſeſſum poſt Diaconos Cardinales eſt. Inde domum dimiſſus. Aduentus huius nondum patuit cauſa. Cum patuerit, ſcies. Palatina quoque ſi quæris, pauca ſunt. Poſt diſceſſum auditi Cyprii oratores, quorum fuit deprecatio, vt Princeps earum Iacobus Rex appelletur. Sunt & quædam à Cæſare, & Saxonum Ducibus breui ad vos peruentura, ex eorum genere, quorum cauſa petita eſt Legatio. Exercebunt nos, vt cerno, Boëmica. Tu perge, & forticulum te in laboribus

bus præbe. Pro epiſtola, & epigrammate non tibi gratias ago: qui enim digne id poſſim? Vincuntur gratiæ omnes gloria diuini ingenii tui, quod cum ætate, & beneuolentia creſcit. Ex me tu ſaluta Romagnanum noſtrum, & Patricium, & Montanum. Vale. Romæ quinto Aprilis M.CCCCLXXI.

F. PHILELFVS CARDINALI PAPIENSI.

CCCLXXXIII.

QVoniam meam erga tuam amplitudinem, Pater Reuerendiſſime, pietatem perſpectam habes & cognitam, nihil eſt, vt me pluribus vti oporteat. Itaque rogo atque obſecro, quibus efficacioribus poſſum precibus clementiam tuam, vt memineris mei, hoc eſt vt mihi expeditiſſimum & commodiſſimum iter pares in curiam Romanam, quo tecum quam ſæpiſſime agere queam, teque frui quam ſuauiſſime. Quod ſi pro tua benignitate effectum dederis, intelliges profecto in hominem te gratiſſimum, beneficium contuliſſe. Sed hac de re ideirco paucis tecum ago, quoniam vir clariſſimus & optimus Nicodemus Tranchedinus, Ducalis conſiliarius, reliqua meo nomine coram diſſeret. Vale colendiſſime pater, & Domine, & commendatum me habe. Ex Mediolano quinto Idus Septembris MCCCCLXXI.

F. BERTHINO LVCENSI, EPISCOPO *Andrienſi.*

CCCLXXXIV.

MVltis tuis, immo continuis in me officiis gratias ago. Non paſſus es Tabellarium in Italiam proficiſci, per quem de te, & ſtatu Gallicanarum rerum non ſcripſeris. Hoc quæſo, quamdiu abes, non intermittas. Valetudo tua, cum nunciatur, grata eſt ſemper. Publica cum ſignificantur, adiuuant otium noſtrum. Scribimus de temporibus his à Pii obitu, neque Italica modo, ſed & tranſalpina, & Græca. Hanc ab cauſam præſentes litteras libentius do, & in plurimis ſubleuatorem te paro: noſti motum qui proxime fuit in Regem Ludouicum à fratre Carolo, & Toparchis pene cæteris Regni: Contentiones item cum Burgundo patre, & filio: Pugnam acerrimam, in qua vtrinque eſt accepta calamitas: Pacificationes inde nonnullas, non tam animorum, quam rerum: Auerſam porro Veruici pugnam cum Edoardo: Fugam eius in Galliam: Eiuſdem reditum in Britanniam: Abitum Edoardi, & quæ ab illo ſequi intelliges. Leodienſi clade, & captiuitate Cardinalis Andegauenſis opus non eſt. Vtraque veris auctoribus teneo. Quæ autem opto à te, ea cuperem quam pleniſſime colligi: Conſilia videlicet rerum, apparatus copiarum, nomina Ducum, numerum militum, Caſtrorum loca, & pugnarum: rationem ſtructarum acierum, quàm diu pugnatum eſt, & qua virtute, quantus cæſorum, & captiuorum numerus: omnia deniq;, quę ad non ieiunam hiſtoriam ſcis neceſſaria. Audio apud Regem Ludouicum, & Burgundos neſcio quos monachos eſſe, qui publica inſtitutione huic vni rei operam dent, & quaſi annales quoſdam continuo ſcribant. Ab iis ſi accipere cognitionem hanc potes, minus operæ erit ponendum. Sin hi vel proferre hęc nequeunt, vel exiliter, vt puto, atque ad gratiam ſcribunt, quæſo tu laborem ſuſcipias, atque in re optatiſſima Papienſi tuo ſubuenias. In tanta otii abundantia nil ei eſt gratius, quàm ſcribendo tempus extrahere. Cupio imprimis, atque ita efficias velim, vt vel Gallico rudi ſtilo mittantur cuncta ad me, ſi à Gallicis illa accipies: aut ſi à te conquiſita, patria oratione deſcribas. Id potiſſimum quæro, vt vti ſtilo meo ſine alieni interpellatione liberius poſſim. Eboracenſem noſtrum ſaluum lætor. Tanta innonatione rerum non lætor. Vtinam & Galliam, & Burgundiam in eandem contentionem non trahant. Multis ex nationibus ſimilia feruntur ad nos. Chriſtiani iam in viſcera ſua ferrum exercent. In Chriſtianos Turcus. Miſeræ Italiæ, quę conuenire vnum in fœdus tot iam menſes non poteſt, lachrymabile exitium imminet. Ad ſaturanda odia populus omnis contendit. *Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum. Vicinæ ruptis inter ſe legibus vrbes Arma ferunt, ſæuit toto Mars impius orbe. Vt cum carceribus.* Vale. Romę M.CCCCLXXI.

STEPHANO EPISCOPO LVCENSI.
CCCLXXXV.

QVi te fallere non potui veniens, fallo nunc abiens. Ad ſiniſtram linquo Viterbium, ac Sutrium peto. Non ita vigilare ad ſeruandos ſaltus potuiſti, vt diligentia mea illos non ſim prętereuectus. Si quęris, quæ res faciat, vt declinem te hoſpitem, dicam plane: Prodigalitas tua. Accipis non ſacerdotali modo, ſed regio luxu. Quæ ſolent alibi Dominorum eſſe, apud te fiunt ſeruorum. Domus ſupra conditionem noſtram paratur. Non placent menſæ huiuſmodi. Illa delectant, quę communia ſunt, & domeſtica. Si tui nō eris diſſimilis, ero ego ſemper ſic ſimilis mei. Quum te carpſit Firmanus: nunc Papienſis. audi aliquando vtilem diſciplinam, & charitatem oleribus, non ferculis gratiam miſce. Redeo Romam bene curata valetudine tuorum, & mea. vt Antheus à terra: ſic nos à ſeceſſu Pientino vires nouas accipimus. Roganti per hæc loca de præſidatu tuo omnia ſecunda renunciantur. Miſſum de cœlo te prędicant. Laudant multa: Illud imprimis, quod comitatu non grauas prouinciam, octo tantum equis comitibus, ad ſummum duodecim viſitare te aiunt. Fama hac nihil hic ad gratiam, Romę eſſe ad meritum vtilius poteſt. Sed fac, vt vltima conueniant primis, & continuatione virtutis conditionem omnem regendarum prouinciarum euincas. Vale. Ex itinere.

CAMPANVS CARDINALI PAPIENSI.
CCCLXXXVI.

QVæ ante Nonas Iulias acta ſunt in conuentu, binis ſimul litteris, iiſque longiſſimis, quas tabellario Mantuano deferendas ad te dederam, accuratiſſime ſcripſeram. Ad decimam Iulii Principes Saxones, quos propediem expectari dixeram, aduenerunt cum equitibus paulominus ſeptingentis armatis fere omnibus: magnificentiorem ingreſſum eorum Cæſaris occurſus fecit. Poſtridie quam venerunt vocati Principes, non quidem amplius in prętorium, ſed in domum Cæſaris quęcunque acta eſſent, ordine Saxonibus enarrarunt. Saxones contra quæ in Boemia egiſſent, & moram excuſarunt. Continuis deinde multis diebus acta eſt cauſa Palatini: Graues diuerſęque accuſationes, æque magnis defenſionibus auditę. Albertus Saxonum alter, Otho Bauarus, Antiſtes Aiſtetenſis, miſſi a Cęſare pro educendo vinculis Chriſtophoro Bauaro, nihil profecerunt: & opinio eſt omnia ex Palatini cōtentione pendere, quam breui ſublatum iri ſperamus: Deſignati ad eam tollendam Legatus, Herneſtus Saxonum fratrum maior, Ludouicus Bauarus, cognomēto diues, & Sigiſmundus Dux Auſtriæ. Interea Cæſar mutata, vt videbatur, in deterius ſententia, ex decem milibus, quot ad pręſentem neceſſitatem poſtulauerat, ſex milia detraxit: affirmans ſatis nunc futura quatuor milia. Magna vndique murmuratio exorta, & conſiliares deſignati ad rationem cogendi exercitus nequicquam dies multos in prætorio conſumpſerant, quod grauari multi videbantur. Heri xix. Iulii à quinta hora diei ad multam noctem conſultatum eſt de ſumma expeditionis, & demum conſenſu omnium ita decretum eſt, vt in ſumptus belli quiſquis prouentus annuos mille aureorum habeat, is equitem vnum conducat peditem qui quingentos: Cæteri proportione fortunarum ad eam ſummam. Cęterum vbi de prouentibus haberi ea ratio nequeat, de capite habeatur, vt cui mille ſint aurei, quinquaginta habere in prouentibus cenſeatur, atque ea computatione contribuat. Fieri poſſe hoc modo ingentem exercitum aiunt, & facillime ſuſtineri etiam longiſſimum bellum. Et ſunt qui affirment, ſi ad vnguem res exigeretur, ducenta prope hominum milia cogi poſſe. Nos erimus minus octoginta contenti. Principes miro aſſenſu conditionem receperunt. Vale. Bohemi hæretici filium Poloni accierunt: quem fama eſt cum xxxii. milibus armatorum ingreſſum Bohemiam, ad diem ſancti Iacobi coronam accepturum. Ratiſponæ xx. Iulij M.CCCCLXXI. Cras oratores regios expectamus, ſcilicet Regis Ferdinandi. Hungari quoq; propediem. Cum vix confeciſſem has litteras aduenit cum tuis D. Antonius noſter. Recreauit me mirum in modum: ſed ſpiculum adiecit, laboraſſe te calculo. Id ſi eſt, abſtineas omnino à caſeo veteri. Expertus moneo. Non pariere ſi abſtinebis: ego quotiens vel paululum deguſtaui, ſenſi dolorem: vbi abſtinui, valentiſſimus fui.

CAMPANVS CARDINALI RAPIENSI.

CCCLXXXVII.

O Solis,ô cœli,ô Deorum domicilium Italia!Quando,quando?Papienſis mi, hoc grauiſſimum eſt nobis,carere Italia : ſed illud multo grauius, in maximis negociis fieri nihil.Ægre,lente,ſegniter procedunt omnia. Hoc tamen non deſperandum:quia procedunt.Significaui proximis literis quæ xvii.Iulii acta in cōuentu fuerant,de ratione cogendæ pecunię,& exercitus comparandi. Poſt id tempus dormitum egregie eſt. Conuentus Norimbergam propter rerum copiam transferetur. Hic cœlum paulo grauius eſt. Ægrotant multi:nec omnia ad conuentum tam magnum,tam longum ſuppeditant. Cæſar clauſis oculis optimo eſt propoſito:nihil tam ſonorum,tam ſtrepens quod illi excitentur.Nihil tam magnum atq; arduum, quod is ſe facturū nō prędicet.Si tam bene olim pugnabit quàm nunc ſtettit,vicimus. De Bohemicis rebus nugæ fuerunt quæ ſcripſerā : tāetſi minātur Poloni ſe quāprimum venturos ingenti manu ad regnum capeſcendum:& ſunt qui cōfingant, adoleſcentē illum veſte diſſimulata in Bohemia viſum.Grauia ſunt odia in nos: ſed hæc literis nō plane committenda,& aſtu legati,qui omnia ſubodorai,facile opprimuntur. Cauſa Palatini ad hunc diem nequicquam diu multumq; acta interturbat omnia: & rumor eſt,coegiſſe eum quātum nunquam antea,exercitum.Is multa petit, Cæſar pauciſſima videtur conceſſurus.Spes tamen eſt in neceſſitate Cæſaris aliqua.Habet qui auribus inſtillent:& plane referta eſt hæc natio malis pulmentariis.Data ſunt Regalia nudius tertius Lancrauio Aſciæ. Fuit operæ precium aſpicere Cæſarem coronatum: pulcherrima eſt illi tiara:ſed nihil ad noſtram,aut multum fortaſſe.Gemmæ ſunt magnæ,diuerſicolores,perlæidę & multæ:ſed quantum ego hac in re ſapio, Germania vincitur:nec diſſimulatur omnino contentio. O tempora! ô imperium! ô lumina? ô beatos qui ſuccedent:miſeros qui glotiantur, ſtultos qui conquirunt. Ante quoque non miſeret conditionis humanæ: ſed properat tabellarius. Ratiſponæ. xxviii. Iulii.M.CCCCLXXII.

G. LOLLIVS CARDINALI PAPIENSI.

CCCLXXXVIII.

SI falſarum criminationum iacula veritatis clypeo excipiens ſanguinem elicio,quo ſiſtam modo neſcio. Non petitum manu baliſta tua ſcopulum meum queror. Maledicus ille ad te ſcribit ab vno ex nouem viris, quem tibi amicum putas:ardentius id agi quo exiſtimatio tua lædatur,quam pro amicitiæ iure conueniat.Hinc peti ſuſpicor,& Tuſcus homo vehementi coniectura literarum auctorem teneo,niſi auctoritas tua aduerſetur.Scribis ad viii.viros: nō tenere eos memoriam veteris amicitiæ, ſi ea vera ſint: Me autem mones, recenſeam collegas: occurrent, inquis,alii veteres amici. At certe opinione omnium occurram primus, & dignus tanto homine ſolus.Narro,inquis,quod nemo expoſtulat: Cœnobitarum exilia, ſed inquam ad diluendum crimen emētitum neceſſaria. Delatos ad ordinē noſtrū duos atri ſceleris reos,cœnobii patrem,vt certo tempore abeſſe iuberet hortati ſumus, vt famæ ſuorum,& iuuentutis noſtræ moribus conſuleremus. Hęc in publicis monumentis decreta inueniri poſſunt:Nec defui:iā ſcripſi. Noui ex his neutrum. Nulla enim mihi in cœnobio communicatio.Si vt vouerunt patri obtemperaſſent,in occultores erat.Contumaçes ſe vulgarunt. De te ſermo nunquā, Reuerendiſſime Pater, vt valde mirer aliena te crimina tanti exiſtimare: ſi alter domeſticus eſt tuus, an id vaticinari poteram?Num famulatus tuus omnis mihi notus? Quid Senis exiſtens amico occuliſti? Hæc antequam Pientiam concederem: quæ me abſente acta ſint, ex collegarum literis intellexiſti, & quantum mendaciſſimi hominis, qui ad te ſcripſit,verbis fidere poſſis. Multorum vocibus commotus plures mihi eſſe occultos hoſtes quàm apertos amicos, & arguis, & doles. Debeo charitati tuæ plurimum, verum rempubl nullam arbitror ſimultatibus vacuam.Sed auſim dicere, nunquam ætate mea Senenſes ciues minus odiis certaſſe,vt vix vllum eſſe putem, quod à publica ſit cauſa. Miror quod nec iniecta crimina, nec amicitiæ tantę inſidiantes

indicaueris. Ego multorum amicitiam mihi non arrogo: hęc ob decretos mihi honores, & ſi ſponte nulla factione ciuili, nullo ambitu quęſiti decernantur, adeo vt Gracchorum caſum, qui ſeditionis ſuæ pœnas penderunt, non pertimeſcam. At dum mones vt præteritorum in mentem redeam, patrię calamitatem commemoras, in quo quantum per publicas ærumnas licet, mei quidem meminiſſe iuuat. Etenim bono ciui communis fortuna cum Rep. eſt, vt illa incolumi, & florente floreat, & languente langueat. Quæcunq; de te, Reuerendiſſime Pater, publice priuatimq; locutus ſim, cupio tibi nota eſſe: non quę falſo impudentiſſimi quidam mentiantur. Inuenies certe, mihi crede, Lollium tuum conſtantiſſime ſeruaſſe leges amicitiæ, & nulla vel minima in parte vnquam feciſſe iacturam, omnia ſemper egiſſe integra mente, nulliſq; adulationibus, vt qui forte illis aſſueuerunt, aſperiorem me ad tractandum iudicent. Ego te, Reuerendiſſime Pater, & colo, & veneror. Senis vltima Decembris. M.CCCCLXXIV.

PAPIENSIS IACOBO VOLATERRANO, SECRETARIO noſtro.

CCCLXXXIX.

QVatuor hæc capita etiam reſcribito, Iacobe, ne in puluere iaceant. Vetera ſunt fateor: ſed ex his quandoque fructus colligitur. Cogitabimus poſtea quid agendum de iis, & aliis, quæ colligimus. Nunc ſatis ſit curare ne tinea conſumantur, aut piper illis inuoluatur. Vale.

ANTONIO FOROLIVIENSI.

CCCXC.

ET profecto *graue eſt*, Antoni, *à deterioribus anteiri*, vt Seneca inquit, cum natura ita comparatum ſit omnibus, vt animus bene inſtitutus cultuſque diſciplinis bonarum artium difficile ſubeſſe velit hebetiori: cuius munus in dignitate conſtituti implere ſe virtuoſius multo poſſe noſcit, quàm ille ipſe cui commiſſum eſt. Angitur quoq; vidēs fructus laborum, quos pertulit in paranda virtute, ſibi eſſe præreptos, veluti ſibi, nō illi, qui peior eſt, debitos. Ad hæc accedit, quòd ii, quorum in manu dignitas eſt, cū poſthabito digno minus dignum eleuant, videntur nullum virtutis guſtum habere, interq; eam, & ignauiam diſcrimen non facere. Atq; ita ſtudioſi, quorum pręmia à poteſtatibus expectantur, irritos ſentientes conatus ſ, os merito affliguntur. Hinc illa bonorū tepiditas naſcitur ad opera virtutis, diuerſioq; ad mores cōmunes, quos valere & ſucceſſum habere magis quàm rectos intuentur. Nemo eſt autē qui nō honorem proponat ſibi finē operum ſuorum, eamq; mercedē expectet: qua pręrepta & deteriori data, neceſſario ſequitur, quod Seneca ſapiēter dixit, *vt graue ſit à deterioribus anteiri.* Non prius autem moleſtia & indignatio hæc deſinet, quàm viri Deum timentes iuſti cultores ac virtutis poteſtatem dandorum honorum in ſe habebunt, vt pro merito ſuo cuiq; tribuere quod debitum eſt poſſint.

CCCXCI.

QVam ſubito res parui æſtimanda affecit te moleſtia? quam oſtendiſti huc vſque apud animum tuum parum valuiſſe præcepta Philoſophiæ? Vt primum enim Demetrius rem, quam noſti, nunciauit detectam, viſus es accepiſſe vulnus lethale. Quid autem oro triſtitiam hanc debuit afferre? An rabies huius noſtri cerebroſi: quæ vt ſine ratione eſt, ſic merito à te contemnenda: an Emilii offenſio, qui conatum ſuum tuo conatu impeditum putabit? Si maxime omnia pateant, quod tamen incertum adhuc eſt, & tu rogeris, quid egeris, vide quàm non modo probabilis, ſed iuſta reſpōſio tibi ſit parata. Ego ſi iuui Seuerum, iuui amicum meū ſine cuiuſquā iniuria. Si tu pro altero inſtabas, erat mihi ignota contentio tua: neq; tam ſtudium pro illo tuum erat neceſſarium, quàm pro hoc meum. Ille ſiquidem diues & patrimonio abundans eſt: hic præter inopiam, qua premitur, ſedulo etiam per eos dies à Domino ſuo erat eiectus. Vtris ergo patrocinium amicis honeſtius impenſum eſt? Verum dices: cum ſub eodem Domino viuas, non debebas domeſticum ſibi charum eripere,

eripere, vt alteri dares. Quid carum? aut quid ego eriperem? Qui vltro à ſe illum eiecerat: num tibi hoc charitatis ſignum eſt viſum? At non faciebat ad verũ, diſſimulabat iram vt Seuerum emendaret. Qui ſcire poteram ego, ſerio illa fierent, an de induſtria? Quanquam quæ ſigna maiora perſeuerantis in iracundia animi eſſe poterant, quam illum non alloqui, de illo male quotidie dicere, illi denique officium publicum abstuliſſe, eum magna dedecoris ſui nota? At etiam longa iam conſuetudine noſcere domini mores debebas. Debebam ſi dominus is eſſet, cuius certa natura poſſet nunquam deprehendi: ſed quis oro eſt domeſticorum noſtrorum qui non decimo anno nouior ſecum ſit quam primo? Tu certe, qui ei es proximus ſanguine, dic quæſo ſi potes, vnum aliquod, quod in eo noueris perpetuum, & quod ita ſolere eſſe poſſis ſine mendacio dicere. Itaq; eum neſcirem quorſum illa ſua eiectio tenderet, timenda autem eſſent permulta, interceſſi pro homine egeno, & mihi coniuncto, ne in extremam ruinam rerum ſuarum laberetur: qui mehercle ſi eiectus non fuiſſet, ne verbo quidem à me in hoc eſſet adiutus. Verum non hoc indignaris iudicio meo: illud te pungit & moleſte habet, quòd Æmilio tuo locum hunc quæris, quem ego quæſiui Seuero, formidaſq; ne turpe tibi ſit futurum, ſi tantus in Curia Prælatus non poteris implere pro tuo, quod ego homunculus ſim facturus pro meo. Hæc illi cum responderis, nõ ſane video quid vltra habeas pertimeſcere, aut ſubita cura triſtari, niſi fortaſſe tibi nouos fingendo metus velis eſſe gratis mœſtitiæ.

MARCELLO RVSTICO SECRETARIO APOſtolico.

CCCXCII.

B*Ene agere*, inquit Salomon, *& lætari, & videre bonum de labore manuum ſuarum: hoc donum Dei eſt.* Vera profecto ſententia, & illo digna, cuius ſapientiam vt videret, Regina de Saba vſque venit. Quid enim his tribus optabilius eſt? aut vitæ beatæ magis conueniens? bene agendo meremur vitam æternam: lætando annos vitæ producimus: videndo bonum de labore manuum ſuarum, id agimus, vt ſine tormento conſcientiæ partis fruamur, & quietum ſit cor noſtrum. Quotus autem quiſque eſt, cui Deus donum hoc non dederit, vt non eum miſerum merito poſſimus dicere? Seruire auaritiæ, indulgere libidini, iniuſtum eſſe in omni actione ſua, extrema infelicitas eſt. Nullus enim datur locus quieti, oppreſſique malorum pondere dure affligimur, nulli rei niſi terrenæ, & caducæ inhærentes. Hinc naſcitur tumultus animi, & ſpiritus ille triſtis, qui deſiccat oſſa, adducitque ante tempus ſenectam. Non eſt tantus in mari æſtus flantibus inter ſe ventis, quantus eſt feruor animi ſibi diſſentientis. Hinc illum iactat cupiditas, hinc repellit ambitio. Cætera vitia vt ſunt ſibi contraria, ita contrario impetu eundem adigunt, nihil quietis diurnæ aut nocturnæ ei relinquentes. Stimuli interim conſcientiæ, quos Deus in præſentem peccati pœnam eſſe vult, vndiq; ægram mentem lacerant, occurruntq; oculis ſuis faces ſcelerum, quibus tanquam furiis vigilans & dormiens terretur: quo quid infelicius eſſe poteſt? aut vitæ longæuę magis contrarium? Iam vero eum idem videt opes ſuas nõ ex labore iuſto, verum ex impietate conſtare: quid ſibi fruendo putamus eſſe ſuauitatis? Panis mehercle atq; epulæ appoſitę vindictam de cœlo expectant, ſapiuntque nihil, niſi ſanguinem pauperum innocentumq;, pro lucro oppreſſionem. Quòd ſi futuræ vitę eſt ei aliquis ſenſus, qui rarus in illa conditione eſſe ſolet: ſi Dei aliqua recognitio, nonne intelligit, diuitias has tam male partas, quas amat tantopere, alienas eſſe, non ſuas, earumq; faciendam reſtitutionem, ſi ſaluari poſt mortem cupit? O quàm lamentabilis conſultatio illa eſt, in quam deſcendit mens auari: Quid agã miſer? Si reddo quæ abſtuli, quid mihi fiet reliquum? Quid filiis relinquam meis, quibus omnia hæc rapui? Ex ſummis opibus ad ſummam mendicitatem me, atq; illos redigam, futurus ignominiæ, apud quos fui in precio. Si non reddo, nulla eſt animæ redemptio, nec ſalus. Addicor igni æterno, illæque ipſæ animę, quibus viuens abſtuli, vindictam in me ante Deum precabuntur debitam certe ſceleri meo. Vtrum ergo præſtat, egenum viuere, filios nudos relinquere, mundoque inſanum videri, an pro iis æternum ſupplicium volentem ſuſcipere? Iterum me infelicem! Quid agam? aut quam in partem me vertam? ſic vndiq; me circumſtant miſeria, lu-

ctus,& pauor. Vides ergo, Marcelle, vere donum Dei eſſe quod ab initio poſui, bene facere,& lætari, & videre bonum de labore manuum ſuarum, quæ nos tanto imitemur auidius, quanto ſalus noſtra viuentibus, & mortuis nobis eſt chara.

CCCXCIII.

DIe quinta Decembris, anno ſalutis noſtræ, M. CCCCLVI. tribus fere ante lucem horis totum ſere regnum Neapolitanum concuſſum eſt ingenti terræmotu, quo oppida plura, & ciuitates, aut tota multis in locis, aut alibi ex parte cum pernicie hominum corruere. Habito cenſu oppreſſorum relatus eſt ad Regem capitũ numerus LX. millium. Res profecto inaudita ſeculis noſtris, ac vix fidem faciens niſi iis, qui viderunt. Fuit Romæ etiam, & in locis propinquis: ſed innocuus, & mediocris, ac ſemel tantum, vt vix à pleriſq; ſentitus ſit. Credo continuationem imbrium, qui ſine ventis duos prope menſes durarunt, hoc effeciſſe. Memini enim octauo abhinc anno cum eſſem in agro Florentino, poſt diuturnos imbres ſecutum eſſe terræmotum. Rogandus eſt Deus, vt cum euocare nos ex hac luce vult, det ſpacium veræ pœnitentiæ, ne ſubita morte oppreſſi abeamus cum detrimento animæ.

CARDINALIS PAPIENSIS CONTRA IO. CARDINALEM ATREbatenſem ſeu Albienſem Monachum nigri habitus, præſentibus Cardinalibus nonnullis, dimiſſo tamen Senatu.

CCCXCIV.

QVid tu ignobilitatem alteri obiicis, qui ex genere nullam habes nobilitatem? Ortus es oppido Luximio Biſuntinæ diœceſis, mercatore patre, & auo. Acceptus in obſequia Ducis nobilitatem mendicaſti tibi, & patri priuilegio illius. Ita ergo quum te nobilem iactas, non genus tuum laudas, ſed principis gratiam. quod ſi à Sacerdotibus hæc ſecularia habenda in precio ſunt, potiora certe mihi ſunt quam tibi. Ego in libera ciuitate, tu in oppidulo ſeruienti es natus. Tibi Burgundiæ Dux, mihi Pius Pontifex nobilitatis initium dedit. Tu hactenus præter priuilegium habuiſti nihil: ego inſignibus familiæ donatus etiam in familiam ipſam Pontificis ſum adoptatus.

Imputat Attrebatenſis imperitiam literarum, & Grammaticum Papienſem appellat: quaſi ipſe columen, & vas ſit omnium facultatum. Fateor, non eſſe mihi literas, quæ tantæ dignitati conueniant: Eas tamen non negabit, quæ honorificę aliquando fuerint Apoſtolicæ Sedi, & ad miniſterium Eccleſiæ vtiles. Quas quanti æſtimauerit Pius, veſtri oculi vident: ſed de ſuis quid dicemus? Concedamus illum multa legiſſe, codices multos tractaſſe, mandaſſe memorię multa. Quid in tam rudi aceruo digeſtum? Quid ſapienter diſpenſatum vnquam vidiſtis? Non habet iudicium vllum: Accommodare quæ legit locis & temporibus neſcit, atq; vt nauis quamuis bene inſtructa ad nullum eſt vſum, ſi gubernaculo careat: Ita quicquid in mẽte huius eſt, quamuis cumulatum fructum non fert, cum prudentiam moderatricem non habeat: quotiens contrarios ſenſus teſtibus dedit? Quoties eos intorſit? Quotiens falſas ſentẽtias probatis aſcripſit auctoribus? Vt in omni actione eſt mendax, ita in omni interpretatione malignus: Illud Iſaiæ non reputans: *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum. Qui facitis amarum dulce, & dulce amarum.* Neq; ego in ſacerdote ita excellentem doctrinam deſidero, vt in illa eſſe omnia velim. Præfero vitam, modeſtiam, humanitatẽ, exemplum, religionem, & cętera quæ profeſſionis noſtræ ſunt propria. Equidem ſi alterum de duobus ſit eligendum, malim in cardinali prudentiam cum mediocritate doctrinæ, quàm cum ſumma doctrina vanitatẽ atq; perfidiam. Hæc profuit nunquã, obfuit aliquando: illa ſemper & prodeſt, & Deo eſt atq; hominibus grata. Cum bene conſidero, non video quid vtilitatis aut dignitatis afferat præſentia huius. Cum enim ad bene cõſulendum fuerit in Cardinalem aſſumptus, quærendũ eſt quale veri Cardinalis ſit, & quale huius Cardinalis conſilium. Nempe qui recte conſulere vult, induere ante omnia debet veram erga illum charitatem, cui accedit conſultor, vt quid deceat, & expediat ſine malignitate rimetur, & doceat. Proxime huic

liberam

liberam gerere,& mentem & linguam,vt nullo alieno affectui, nulli ſuę cupiditati inſeruiens ſimpliciter loquatur quod ſentit. Hæc vera eſt, ni fallor, recte conſulentium via: quam mox vt egredimur, non tam ad ſalutem, quàm ad peſtem adiungimur. Hic vero,Reuerendiſſimi Patres, cum vos odio gratuito odiat, & ſtudiis ſit omnibus veſtris contrarius, nihil meditari & loqui poteſt quod vobis futurum ſit vtile: doloſæ omnes cogitationes cordis eius, doloſa conſilia, quibus etiam ſi recta eſſent, habere fidem non poſſumus: creſcere non ſperat niſi ex noſtris ruinis, & noſtram omnem gloriam ſuam ducit confuſionem. Minatus eſt multa frequenter Eccleſiæ Romanæ, multa nobis, niſi faciamus ea quæ Regi ſuo poſſint placere.mallet,vt video,cum euerſione omnium noſtrum verus videri, quam cum ſalute mendax, & falſus. Ad hoc eſt tantum intentus dies & noctes, & huc intendit omnis ratio & ſumma rerum ſuarum, vt ſtatus omnis orbis Chriſtiani ex vna Regis ſui voluntate dependeat. Bonum quippe nullum putat niſi quod venit ab illo,ſalutem nullam,niſi quæ offertur ab illo: cæteros Reges, & Principes minimum æſtimat,inania ducens quæ de potentatibus, & rebus publicis referuntur: Adeoque in colendo hoc Deo ſuo eſt cæcus,vt nec videre oculis quippiam ſanum, nec mente poſſit diſcernere. Accedit quòd mercenarius eſt,& lingua conducta ſibi, non eccleſiæ loquitur. Audiſtis aliquando illum fatentem, duo millia aureorum annua pendi ſibi à Rege in mercedem ſui laboris. Audiſtis in hoc verbo ſe gloriantē, quod procurator ſit Regius,quodq; declaratū nobis per literas, ſibi vni de negociis regiis præſtari fidē debere. Quomodo ergo qui procuratorem ſe confitetur, dignitate loci huius eſt dignus? Quomodo ſalutariter poteſt conſulere? Quomodo credi ſententiis eius alieno ſtipendio,non noſtro, conductis? Si perſeuerandum eſt ei inter nos, aduocandi etiam ſunt cæteri,qui in curia noſtra procurant,&admiſcendi nobiſcum. non eſt irroganda hæc iniuria tot Regibus, Ducibus, Principibus, & rebus publicis,vt eorum procuratores ſegregentur à nobis: Sciant & illi ſecreta noſtra, vt hic ſcit: Reuelent ea ſuis, vt iſte reuelat: Iam nihil ſit quod his hoſtiis teneatur concluſum:inter cubiculum,& forum nullum habeatur diſcrimen. Dicam tādem,quod ſentio, Reuerendiſſimi Domini,ſine iracundia quidem, non tamen ſine dolore: exeat conſilia noſtra,qui nobis infeſtus eſt: non participet nobiſcum qui nihil vtile, nihil honeſtum afferre poteſt, vel ſuadere. Et qui ſæcularibus ſeruit, & linguam pecunia vendit,& ſecretum non tenet,quique mendaciſſimus eſt,& in dicto fidem nō habet:profectus Orator Apoſtolicæ ſedis ad Regem ſuum reuerſus eſt hoſtis cauſæ,cui ante fauebat. Nunc eſt omni contentione contrarius. Cum autem mutationis huius amice admonetur, ſolam ſui Principis mutationem excuſat: Cum, inquit, ſibi placebat,placebat & mihi:huic diſplicens diſplicet mihi. Indigna vox Cardinalis,vt ex perſonis,non ex honeſtate cauſæ Apoſtolicæ ponderentur. Cum reprehenditur Cardinalis Atrebatenſis, quòd primo legationem pro Ludouico Rege Francorum ad Pontificem ſuſcepiſſet:deinde,quòd procuratorem rerum ſuarum in curia exerceret: alterum exemplis, alterum ex iure eſt reprobatum. Guillelmum Cardinalem Rothomagenſem,Hoſtienſem Epiſcopum ex Gallis ad Caliſtum redeuntem,qui in pontificem nuper erat electus,rogauit Carolus Rex,Ludouici pater,vt legatus vna cum cęteris,quos ad præſtandam obedientiam mittebat, ire nō grauaretur. Prudentiſſimus vir, cui notum erat officium ſuum, onus quanquam à Magno Rege impoſitum recuſauit,malens dignitati propriæ quam alterius gratiæ inſeruire. Nouerat enim nec debere,nec ſolitum eſſe Cardinalem niſi pro Ro. Pontifice legationem accipere. Et certe modeſtiſſimus Rex id indigne non tulit: ſed mittens alios, quos elegerat oratores,inter cætera mandata, quæ dedit, hoc eſſe voluit primum: vt quicquid acturi,quicquid dicturi eſſent, ad Cardinalem referrent, eiuſque conſilio,& ſuffragio in omnibus vterentur. Fridericus quoq; Romanorum Imperator petens à Nicolao Cardinale Sancti Petri ad Vincula in Germania tunc agente, vt legatus ſuus conuentui Ratiſponenſi intereſſet, ob cauſam Fidei:in dicto exauditus non eſt. Reſpondit Cardinalis,id ſibi non concederet Pontifex: nullo modo licere, neq; antea Imperatori aſſenſit,quā ſcriptum eſt Nicolao v. & cōceſſio impetrata: de procuratione autem ita eſt dictum. Si Cardinali, ſi illuſtri, & ſuperilluſtri ex iure

eſt interdictum, vt non procuret negocium proprium: quanto magis cenſendum eſt, interdictum eſſe alienum? Nil vilius eſt procurationis officio: nihil contemptibilius. Nihil etiam Cardinali indignius, qui ideo ad eam dignitatem aſſumitur, vt in Senatu Apoſtolico ſedens, non quid alii petant, quid ſupplicent, quid contendant, quid litigent, anxio labore procuret: ſed quid vniuerſali Eccleſiæ conueniens atq; vtile ſit, libere conſulat: conſiſtorii enim locus conſilii eſt, non contemptionis locus. Nam quod de venatione eſt dictum, nego poſſe ſacerdotes honeſtius aliis rebus intendere, & aliunde corporis exercitium quærere: veruntamen humanæ cogitationis eſt, facere inter ſacerdotes & ſacerdotes diſcrimen. Parochiano regenti animas ſibi cõmiſſas cum liceat horto vel agello colendo intendere, liberiuſq; huc atq; illuc vel recreandi animi, vel tuendæ valetudinis cauſa deambulare, ſeuerius adimam venationem, ne qui admonendæ plebi eſt conſtitutus, reprehenſibilis ipſe in eius oculis videatur. Eadem eſt in ſua ciuitate de Epiſcopo ratio. Cardinalem autem cum dignitatis amplitudo domi contineat, cum verſare glebas, & ſaxa illi non liceat, cum recluſus vel meditetur vel legat, cum ſe ipſum adeuntibus præbeat, cum ocio ipſo valetudinem labefactet, cum deniq; in faciem populi nihil niſi ſerium & graue oſtendere habeat, quis non indulgeat in tanta ſeueritate vitæ aliquando, vt procul ab omni turba, in nemoribus & ſiluis ſe cum domeſticis ſine iniuria cuiuſquam oblectet, & valetudini ſeruiens ad opus officii ſui nouior & fortior redeat. Plebem Cardinalis non curat: Præcepta quotidiana parochianis non dat, ad nullum miniſterium ſacrorum ſe populo exhibet: ſolo conſilio Apoſtolicæ Sedi adſcriptus, inſtar quoddam ſecularis Principis habet. Sed videamus obſecro, ne dum continere domi volumus Cardinales, non ſolum corpori, ſed animæ quoq; damnoſiſſime conſulamus. Carnei ſunt Cardinales, vt cæteri homines. Tentantur, vruntur, & animi perturbationibus ſeruiunt. colloquia viſitantum non ſemper ſunt caſta, non charitatem, & proximi dilectionem continent ſemper. Adulatur ille, murmurat alter: eſt qui inter fratres odia ſeminet, & in hunc vel in illum cor domini inflãmet. legi ſemper non poteſt, non ſemper diſputari, non ſemper cogitari de publicis rebus. Ad hæc illicita aliquando nos carnis infirmitas trahit, ad alia quoq; nonnunquam quæ ocium conſequuntur, & me ſilente per vos cognoſcuntur. Prætereo ſomnos de die non ſalubres corpori, quos pôſt prandia noſtra arcere non poſſumus: hinc podagra, hinc lateris dolor, hinc Calculus & præmaturum ſenium, ac mortes acerbæ adueniunt, quæ vt ocio celeriter contrahuntur, ſic exercitio facile prohibentur. nec ſine cauſa Principes ſæculares, quos magnitudo curarum grauat, hoc ſibi genus leuaminis elegerunt, vnde reſumere animum, & inſtaurare vires poſſent ad publica. nunquam apud veteres eſt damnata venatio. *Romanis*, inquit Horatius, *hoc ſollenne viris opus, vtile famæ, Vitaq; & membris.* Illa eſt damnanda venatio, quæ totos dies conſumit in agris, quæ mentem auocat à rebus gerendis. Si Cardinalis opus ſibi à Pontifice iniunctum vt venatum eat dimittit, ſi in conſiſtorium, in eccleſiam ſtatutis diebus nun venit, ſi cogitare de ſede Apoſtolica negligit, ſi egentium patrocinia deſerat, reprehenſibilem illi eſſe venationem contendam, & coercendum eum putabo, vt ſe domi contineat. Idem vero ſi impletis, quæ quotidiani officii ſui ſunt, reliquum quod ſupereſt temporis, aliquando inter nemora & feras ad valetudinem confert, inter quas & ſancti Patres totam ſæpe vitam egerunt: non inuadam Catoniana increpatione hanc eius tenendæ ſanitatis prudentiam. Sed profecto ita eſt: Quicunq; ex nobis ita ſeuere venantem Cardinalem coarguit, aut ſenex iam eſt, damnãs quod neceſſitate omiſſum amplius obire non poteſt, aut agreſtem animum gerit, nec quid habeat nobilitatis venatio intelligit, aut natura ſeuerus eſt valde. Ego quamdiu valetudo mea incolumis manſit & iugum laboris potuit ferre, licet ab adoleſcentia venatio fuerit grata: ea tamen ſemper abſtinui: huc vero vna cum Pontifice, & vobis remittendi animi gratia commigrans, ſentienſq; mille morbos vehementius ſolito quotidie inſurgere, non priuato inſtituto, ſed medicorum cõſilio, non quærendę voluptatis cauſa, ſed redimendæ valetudinis, hunc exercendi corporis laborem accepi: In quo ſi etiam neceſſariam non haberem cauſam, aliorum tamen me Cardinalium poſſent tueri exempla: quorum cum virtus & fides, & in publicis rebus diligentia probata ſit nobis, ab hoc tamen ſolatii & recrea-

recreationis genere non abhorrent. Et quoniam qui ante me locutus eſt, ſectatorem me leporum, & ferarum per irriſum dixit, irridens dicam & ego, ſatius eſſe leporem & feras ſine offenſione cuiuſquam ſectari, quàm cum perturbatione Eccleſiæ Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem confictis criminibus inſectari.

IAC. CARDINALIS PAPIENSIS CHRISTOPHORO Pratellæ Vicario ſuo.

CCCXCV.

HOdie in Senatu Cardinalis mihi vnus retulit id, quod etiam aliunde mihi reſcire contigerat, multa iſti Principi de me parum æqua, & vera fuiſſe renunciata ſuper creatione Pontificis noui, quę paulo ante ſecuta eſt. Non poſſum non vehementer dolere, præſertim qui ſciam rumoris huius de me falſi ſalſiſſimam originem. Scripſi litteras de hoc ad Principem. Mitto eas ad te apertas, vt Cichus noſter ante perlegat, nec aliter reddantur, quàm ipſe reddendas probet. Nuda illa, & mera eſt veritas. Si quid confinxi, ſi quid cõmentus in eo ſum, diras mihi vltrices, immo Deum ipſum vindicem depoſco. Amici Principis eſſe ferebantur Rothomagenſis, Bononienſis, Reatinus, Mantuanus, Vincula. Tres primos ſuffragio meo iuui, paratus & Mantuanum, ſi voluiſſet. Ipſe Vincula perſuaſione aliorum adduci nunquam potuit, vt honorare me ſuffragio ſuo vellet: quare commotus vices reddidi, atque ita offirmaui animum, vt ſi comitia ea decennium duraſſent, ſuffragaturus ipſi non fuerim. Niſi paria retuliſſet, alioquin neque Rothomagenſis, neq; Mantuanus mihi vnquam fauerunt. Vide quæſo quales erga me fuerint, qui ſe Principis iſtius amicos, & ſtudioſos eſſe prædicabant. Rothomagenſis, Bononienſis, & Reatinus ſolum nominauerunt Nicenum: Mihi tamen luendæ ſunt vni pœnę, qui illorum exempla ſum ſecutus. Dicet aliquis: bona illi fide verſabantur. Cur igitur ſolus ipſe non bona? Si ſtudebam Niceno, cui & illi ſtuduerunt? Vincula Neapolitano ſuffragatus eſt. Suffragatus ſum & ipſe aliquamdiu. Nempe quia ſatis conſtabat fore, vt id ei minime ſuccederet. Spoletinum quoque iuui ſumma ope, quem ſciebam iſtius Principis honori propenſiſſimũ ſemper fuiſſe: id quod Auguſtinus noſter pro comperto habet. Suffragium meum præter hos, quos dixi, tulit nemo. Proinde haud ſcio quemadmodũ certiorem quis eum facere potuerit, me inimicorum eius omnium fautorem, & ſuffragatorem fuiſſe. Si adeſſe voluiſſem, vbi periculum agebatur, & quibus infenſum Principem ſciebam, fortaſſe alio, quam Xyſti nomine Pontificem haberemus. Nõ igitur iniuria me Deus vleiſcitur, qui facere omiſerim quæ facto opus eſſe noueram: Et dum iſthuc reſpicio, Chriſtianæ religionis, & ſtatus Eccleſiæ commoda neglexerim. Tu vero bonum habe animum: nam quod ad me attinet, quando nihil commiſi, quod iure reprehendi poſſit, ita ſum mente compoſita, vt quæcunque mihi aduerſa immineant, modice ſim laturus. Vale.

GENTILIS VRBINAS IAC. CARDINALI Papienſi.

CCCXCVI.

QVid mihi pro bono nuncio, Reuerẽdiſſime Pater? Campanus tuus nuper è Germania venit. Lege hanc eius epiſtolam: Quem articulatim ſoles oſculari. In ea totum inſpicies. Amplexus poteris, affectus, verba, gratiam, vultum denique ipſum deſiderare non poteris. Si epiſtola hæc in manus poſteritatis deueniet (Deueniet autem ſi laborem deſcribendi eam noſter Volaterranus inſumpſerit) ſcio aliquis cum leget primum ſolutam eius orationem, dicet, hęc Campani erat prouincia. Cum poſt verſus heroicos, heroicos præferet: cum elegos, inde cum lyricos, tum alios quos in hac epiſtola ludit, iurabit aut multos ſub nomine Campani illam edidiſſe, aut naturam multos in vno Campano ætati noſtræ præſtare voluiſſe. Hæc enim multiplex felicitas eleganter in omni genere ſcribendi vni nunquam, multis raro ſolet accidere. Vale.

CAMPANVS.

CCCXCVII.

GEntili meo Salutem. Iam plene ventum ad ſtomachum eſt, non ad mores modo, ſed ad nomen quoque Germaniæ ſubnauſeo. Nihil hic quod oculos, nihil quod manus, nihil quod ſenſum aliquē humanitatis delectet. Nam cœlum illud patens, & agri latiſſima facies iam Autumno primo inhortuerunt, & tolerari per æſtatem potuere: ferri iam homini tam delicato nō potuerunt. Faſtidium auget recordatio meorum, & abſentes delicias cum præſentibus, & quotidianis ſordibus comparo: te imprimis habeo ante oculos: cui

Non ſatis eſt iterum vitrea lauiſſe tumentes
Mane oculos primo, cum pede ſurgis aqua.
Nec ſatis appoſitam vario conſpergere cœnam
Flore, roſas inter continuante manu.

Quid nobis accidat, prope ſtomachor dicere: dicam tamen quam parciſſime.

Hic fœda, & pingui digitis hærentia tabe:
Tantaliam poſſent gauſapa ferre famem.

Quæris fortaſſe, quo feram animo, aut quibus oculis potius: equidem inuitis, & refugientibus.

Durandum tamen eſt, vincit qui durat in armis.
Omnis in abiecto eſt, & ſine laude fuga.

Nec vnam cibariorum cenſeas eſſe moleſtiam:

Adde ſitim, atque oculos lachrymantes inter acerba
Pocula: nam ad cyathum quàm bibo tam lachrymo.

Trahor incredibili voluptate in veteres luſus noſtros, Muſas repetens ex interuallo tam longo. Nec putes habitare hic Muſarum aliquam:

Nec faciles hederas, nec opacas frigida lauros
Terra gerit, Muſis credis an eſſe locum?

Ego vero egregie comparo me ad reditum, aut fugam potius: & ſi nulla re alia, quam adhuc habeam exploratam, ſpe, ſtudio, cupiditate me comparo. Vereor ne ſi diutius hæream, aut eripiar à Barbaris, aut immuter.

Barbara me tellus, vt te quoque Naſo, recondet:
Ni Tuſcos repetam dum noua luna meos.

Vix fieri quidem id poteſt, vix, ſed vt poſſit,

Flecte Deos precibus votiſque inſiſte per aras:
Fac videar ſaltem cæreus ante Deos.

Quid enim impetrari facilius poteſt, quā hominis ſalus à Superis? Verum cogita vbi me ſis excepturus, amicus amicum, vates vatem, tam procul, tam peregre redeuntem, tam plenum deſiderii tui.

Phangius expectet pleno cratere ſacerdos:
Nec bibit è media dicat, vt ante vta.
Fac vocet in plenas non vua, & ficubus ædes:
Nec malo aut dentes excutiente nuce.
Verum vbi iam cœpit plumeſcere clunibus anſer,
Ouaque vbi Veneri menſtrua ſœtat auis:
Strangulet exectos, & rauco gutture gallos:
Aduentu ſument vndique tecta meo.

Perliberaliter quoq; tui alii me exceperunt, & ita paſſim, vt idem oſtendere velle viderentur, quod nec ipſe ignorabam, eſſe te Ethruriȩ regulum ſacrificulum.

Octo flaua tuus Tabernularum
Nobis poma dedit negociator.
Tot ruris quoque poma Caſſiani:
Et vini cyathos decem vetuſti,
Atque adiecit vterque amica verba.
Neuter diripuit togam rogato.

Nuſquam neglectius à te habitus ſum, quam Florentiæ. Nemo me ſalutauit tuo nomine, ſuo multi. Sed recte me admonui, Tuſcia noſtra eſt ne eodem ſtatu, & tam pacata, quàm ſolet?

Quid

Quid noſtri Medices, Tuſcum decus: aurea Læda
Pignora: fraterna num bene mente valent?

Tum Marſilii noſtri quę valetudo: obſecro te, rediit nedum in gratiã cum Peripateticis? an adhuc cõtinet ſe intra Academiã, & cum vno verſatur Platone, quẽ tranſtulit?

Marſilii citharam criſpus ſi tentet Apollo,
Et dextra, & cantu victus Apollo cadet.
Et furor eſt cum cantat amans comitante puella,
Ad flexum, ad nutum percutit ille lyram.
Tunc ardent oculi, tunc planta exurgit vtraque:
Et qua non didicit comperit arte modos.

Sed de Aretinis meis ne recuſa, quicquid homines ſentiant. Dignis qui vtitur nihil indignum fecit.

Aretina duas vno ſub tempore Muſas
Vrbs tulit, accedit tertia, nunquid ames?

Mi Gentilis de me ſic habe.

Sola placent quæ ſunt rariſſima. ſæcula vatem
Cum mea te tulerint, totque inter millia ſolus
Cum libeat ſuaui ferias caua ſidera cantu,
Te colo tu longe potior mihi duceris omni,
Rypheis ſeruant quod Gryphes montibus, auro.

Sed de te dixi. Quid de noſtro numine?

Multos Roma videt diuerſa fronte Galeros,
Vnum miratur Campanus, adorat & vnum,
Qui Latium quantum ſonuit te conſule Cæſar,
Aut Cicerone forum nunc implet, & intonat illis
Altior huic, vt ſum totus modo deditus vni:
Non candentis equi faciunt fulgentia multo
Fræna auro, aut pedibus, palmis plus octo relictis.
Pallia tellurem largo verrentia tractu,
Sed Muſæ faciles, & non moritura perennis
Ingenii monumenta, ruat licet inclyta Roma,
Priſcorumque ferat veſtigia puluis, & Eurus.

Sed hæc de Italia. Quid de Græcia putas?

Nonne vides, quantus mihi ſit Deus alter, & omni
Tempore, cumque ſuo pariter victurus Homero
Beſſario, cuius ſub pectore totus Apollo eſt.
Quem tulit vt fieret priſcis celebratior ætas
Noſtra, nec à magno vincamur, vt ante, Platone.

Sed feror altius, quam licere in Germania putabam, & habet hæc natio grande, neſcio quid, & ſonorum cum loquuntur. Quid alterius ordinis ſummos viros? quo ſtudio, qua obſeruantia proſequor?

Quam mihi Piceni Sypontia Muſa Peroti
Ethruſci colitur, tam mihi Muſa Dathi.
Adiunxit Latio Picena bilinguis Achiuam,
Et celeri & penſo cum libet apta pede.
Tuſca autem patrios cantus, & nata ſub Arno
Miſcuit Auſoniis, & populo apta legi eſt.

Nec ſolos eos putes a me obſeruari, qui biberint ex Helicone: obſeruo & qui cupiunt bibere: qui ſi nondum canunt ipſi aliquid: nos tamen attendunt dum canimus, & quos voce adhuc non audent, adiuuant votis.

Verum hæc prima meo debetur gloria Coſmæ:
Qui gremio vatum carmina ſemper habet.
Cui nunc Quarqualius cantat, cantamus & ipſi
Dignus erit cantu nec minus ille tuo.
Nominis Vrſini nec te deterreat index.

Pectore ne dubita nil habet ille feri.
Mitior eſt teneris, & adhuc ſine dentibus agnis:
Dignus quos tanto ſanguine ducit auos.

Sed & hęc quoque altiora, quàm conuenit. Humiliora tentemus.

Baccius ſumpta cythara per vrbem
Nocte ſopitas canit ad feneſtras:
Vt prius Cantus Amaſina Bacci
Laudat, vt olim.
Eſt ne Campani memor, vt ſolebat?
An ſimul Roma Latioque pulſi
Ceſsimus, nulli ſumus? & ſoporum
Ebibit amnem.

Sed vix arbitror, noui quàm ſit officioſus: niſi fortaſſe quod euenit, ex amante factus ſit amens.

Sed parum quicquid faciat laboro:
Sit comes noſtri modo Saluiati
Fidus, & cauſas iuuet occupati
Semper amici.

Sed pono iam lyram. Ad officia tranſeo. An dum noſter ab arce Saluiatus obſcura exiit, impiiſque tectis?

O quam ſæpe habuit Deos ſecundos!
Qui non læſit vbique cum vocatur,
Aures Iupiter arrigit ſeuera
Expendens trutina bonos maloſque.

Sed de meo Saluiato diu ſum miſere cruciatus, quod videbatur ex corporis morbo tam diuturno concidiſſe, & in animi anguſtias: quare pedem referens à triſtibus ad lętiora reuertor. De Quarqualio meo quid ſubodoras? meo inquam: nec enim fortunas admiror hominum, amplector ingenia.

Vultu Quarqualium fuſco, ſed mente ſerena
Phœbus amat, Phœbi pectore nomen habet.
Læta canit, dulciq; vocat Libetrides ore:
Pro quibus & dentes perdidit ille duos.
Nam Cyrrham nyſſa dum præfert motus Iacchus,
Irata cyathum fregit in ora manu.
Eripere at citharam nequiit, iuuere puellæ.
Has canit in Bacchum, qua licet ille furit.

Multa fiunt Romæ quorum nuncium à te expecto. Iocundiſſimum erit quicquid à Calendis Sextilibus ſcripſeris, aut quatriduo prius.

Scire etiam cupio, quantum nunc Platina ſæuit:
Manibus an parcat, abſtineat que pira.
Sin defeſſa cauo diſiecerit oſſa ſepulchro,
Sparſerit in ventos, preſſerit an pedibus?

Et Platinæ quidem quis non ignoſcat, ſi ſit iratus? Sed parcendum eſt mortuis, quibus qui male dicit, facile oſtendit non audere ſe certare cum repugnantibus.

De grege Pierio ſanctos memoremus amicos:
Arceat à nobis nulla querela deas.

Domitium meum non ignoras quam amem. Ingenio eſt viuo, & acri. Digniſſimus, quem & tu quoque habeas inter familiariſſimos. Nemini videtur ceſſurus eloquentia, nemini gratia poëtica. Vtranq; præſtat egregie, & eſt, quem poſſis Latinum Græcum nominare. In Italia natus verſatur cum Græcis, & loquitur.

Vnum habuit vatem Verona, Domitius illi
Cum creſcat, recte dixeris eſſe duos.
Nec minor hic fiet molli, mihi crede, Catullo.
Nunc maiore etiam cum calet igne furit.

Vides fœlicitatem noſtri temporis. Vndique extant, & offerunt ſe præclata ingenia, iam ad frontem certatura cum priſcis.

An te præteriit, qua nunc Pomponius arte
Inſtituit Romam, quàm Latio apta docet?
Dignus marmoreo quem condens longa ſepulchro
Appia teſtetur morte Quirine tuum.

Et ipſe plane videtur id cupere, vt quoniam naſci Romæ non contigit, Romæ moriatur. Doleo Vallenſes meos relictis nobis transfugiſſe ad Leguleios.

Lalius hos genitor Muſis, Phœboque dicarat,
Et plena biberant ex Helicone manu.

Nec tamen indixiſſe bellum exiſtimes, verſantur adhuc nobiſcum nonnunquam, & cantant cum licet.

Poſſe videntur adhuc Martem, Iouemque decere:
Siue feras acies, fulmina ſiue canant.
Alter bella tonans, Latio monſtrauit Homerum,
Et ferro exciſas Laumedontis opes.
Alter Cretei partum Iouis, igne Gigantes
Abſumptos profugo ſectaque membra patri.

Nec ſola Roma eſt quę proferat ingenia.

Vna duos olim nobis dedit Vmbria vates,
Vmbria ab irriguis fontibus apta lyræ.
Callimacho acceſſit, vicitque Propertius illum:
Tertius & nomen nunc Sigimundus habet.
Sic illi tenero verſu deſlentur amores,
Et duro clangunt horrida bella ſono.

Florentinum ſodalem eiuſque eundem collegam, & Vicentinum, & meum Mantuanum, ac duos Inſubres, alioſque permultos nominis aſperitas eripit nobis. An igitur non putas aliquam ineſſe felicitatem & nomini: Eſt vero magna.

Nec mihi tam Dromo gratus, quàm Cæſar in ore eſt.
Perſephoneque minus, quàm Philomela placet.
At Gryphus: cui nunc vento fortuna ſecundo
Spirat, & optatum nauigat ad Zephyrum.
Mercibus vt redeat conferta naue Sabæis:
Laudis ab ingenio plus feret ille ſuo.
In duras venit hic acies, & mollia furta:
Aonioque poteſt currere quaque pede.

Et ne quid ſuſpiceris, fuit & olim hoc meum de Gryph[illegible]udiciũ. Audio Minutolum noſtrum cooptatum eſſe collegio tuorum. Id ſi eſt, pugnacem collegam accepiſtis, & qui iam pridem didicit tueri communem dignitatem. Nam Picena illa fuga non pugna fuit, & ipſe inter primipilos dimicans, ea die virum ſe præbuit.

Sed quo poſt pugnam victricia mouerit arma:
Qua victis pacem conditione dedit?
Anne Fauentinis etiam nunc finibus inſtat?
Aut fractis illis altera bella parat?

Si ſcias quo ſub Duce militauerit, deſinas mirari tantam eſſe in eo bellicam diſciplinam, ardoremque tantum prælandi. Sed non patiar incognitum tibi eſſe Ducem, qui adeo militem admiraris.

Mœnia reſtituit quondam Romana Camillus:
Nunc Latio victor præſidet ille foro.
Cauſas verus agit, cedunt ſubſellia vero:
Eius pro ſanctis legibus acta probant.

Mirum eſt verum eſſe eum qui poëta fuerit. Nam de Camillo non attinet dicere: fuit inter rariſſimos.

Nemo alius cecinit prædura ſonantius arma:
Nec Dominæ fleuit mœſtius ante fores.

Facit idem nunc quoq; ſed ex interuallo, & cum ſe foro ſuffuratur. Cæterum de Camillo dum cogito, rurſus vertor in Tuſcos. Eos enim ille in Faliſcis obtinuit.

Donati venit in mentem facundia noſtri:
Qua nihil auditur ſuauius, aut legitur.
Delicias natura ſuas huc contulit omnes:
Huicque ſuas omnes Tuſcia delicias.

Et eſt aliquanto maius Tuſcum eſſe, quàm hominem.

Moribus, ingeniis, cultu pulcherrima gleba.
Tantum Campani Tuſcia cedit agri.

Verum de mea Campania cedendum eſt cum contenditur: quippe quam nemo trahere in comparationem auſit. Concedunt omnes.

Hic Deus Eliſios campos, & regna beata:
Hic natura ſuas concumulauit opes.

Perinde caue quid ſentias: Campanus ſum.

Sed de Landino grauis eſt, & iuſta querela.
Quis neget hunc magni criminis eſſe reum?
Bis petit Tuſcos: bis ſum neglectus ab illo.
Iam nunc ni rediens videro, dico diem.
Iudicium peragent Muſæ, te Phœbe patrono:
Pertinet hæc Phœbo cauſa: ſed ira mea eſt.

Nuncii variis de rebus afferuntur. Audio & illud quoque, Numini noſtro decretam eſſe prouinciam. Congratulor quibus eſt præfuturus.

Delicias veteres, Tuſcos, Vmbroſque videbit.
Moribus hos ſanctè quos habet, ipſe reget.

Nihil dicam de Sena: Cypria ad Martem rediit. Sed eſt facilis excurſitatio inter finitimos. Ego interea conſolor, me nonnihil cum æqualibus meis, qui & ipſi ad Italiam ſuſpirant mecum vna ſemper. Nam de legato ſuperuacanea eſt querela. Germanus eſt, linguam, naſum, ingenia callet:

Nos miſeri extremos pipere incroceauimus vngues.
Iam me ſi videas, Pſittacon eſſe putes.

Eſt quoque illud graue vno prandio per fercula vicena decurrere:

Et Solem Lunæ longa coniungere menſa:
Et nocti cœna continuare diem.

Quare magnum, atque ardens eſt deſiderium noſtrum: ad omnem nuncium ſuſpendimur.

Nec Montanus in hoc cedit mihi, Caſſia votis
Poſcitur, & mecum ſonat Iapiges.
Vſque adeo extremum malit fugere ille Tarentum:
Atque vbi Flegreo proxima Leuca mari eſt:
Quam glacie, & niuibus, ſummo ve perire diurno:
Et thermas inter ſordieemque mori.

Nec mediocris erit iactura virum talem noticia præditum rerum plurimarum, & quem nihil in hiſtoria lateat, atque annis, & ſtudiis in philoſophia tritum, ac iam plane philoſophum nobiſcum periſſe.

Quid de Patricio ſentis? Qua nare madentes
Inter Germanos viuere poſſe putas?

Nec eſt Patricius contemnendus. Simiam dicas Ciceronis: adeo ſcribit ornatule ritus, & cerimonias tenet. Recreant me & domeſtici quidem mei: ſed remiſſius efferor propter auctoritatem retinendam.

Spellanum inuitat dulci Strenula cantu:
Æmulus in carmen ſurgit vterque meum.
Concurrunt que ſimul diuerſis vocibus ambo:
Tres vates vna dixeris eſſe domo.

Eos quoque negligi preiniquum eſt, & negligimur omnes, niſi reuocemur. Hoc tuum, hoc amicorum eſt omnium precari reditum.

Porrige mane preces Superis, & veſpere clama:
Nil aliud, quam Dii reddite templa ſonent.

Implora

Implora & Stacoli noſtri preces collipendulas.

Stacolus in menſa Iouis eſt, epuliſq; Deorum,
Præripit & magno pocula ſæpe Ioui.

Nihil non impetrabit Stacolus, ſi vota nuncupet.

Exorare data potuit ſi numina prole,
In reditum poterit flectere & illa meum.

Videor mihi eſſe inter meos, dum de vobis & cogito, & ſcribo.

Noſtra vides quali procurram gaudia lingua,
Dum videar Muſas, Italiamq; loqui.

De Germanicis idem omnino non poſſum.

Accitus quamuis precibuſq; rogatus Apollo
Inuertit nares, olfacienſq; fugit.

Volui nunc tentare, an & de Italia poſſem. Gaudeo nondum iſthic eſſe me mortuum, & ita viuere, vt ſi iam fœteam in Germania, adhuc tamen in Italia ſpirem. Vale. Herbipoli Nonis Octobris. M.CCCCLXXI.

CAMPANVS CARDINALI PAPIENSI.
CCCXCVIII.

DO abſens abſenti manum, quam poſtulas, do pectus, do me totum in complexum: ſed videorne amplecti numen meum? an amplector? an ſomnio? Roma mihi non inuento te, Roma non fuit. Nihil vidi, nihil audiui, nihil guſtaui priſtinæ voluptatis. Abiiſſe omnia tecum vna videbantur. Sena nonnihil memoria reliquiarum tuarum me recreauerat: ſed quæris quàm fortem me inter Alpes ac niues Germaniæ prǫſtiterim? dicam vno verbo. Itinere toto Campanum me præbui:

Forti animo, & quali Romam perferre ſolebam,
Montes, ſtagna, niues flumina, ſaxa tuli.

Et plane omnia vincit, qui cupit. Te vero tanta cum moleſtia carui, vt iam deſideriū ferre vix poſſim, & niſi tanta nouitas rerum nos attraxiſſet, properaſſem ad te: quod breui facturus videor, ni reuertare. Ea enim ſum natura, vt carere cæterorum, quos amem, præſentia ægre, tua nullo modo queam. Expecto itaq; reditum tuum, reſarturus quicquid delitiarum Germania diſſuerit. Vale.

PAPIENSIS GENTILI VRBINATI.
CCCXCIX.

INteriora conſilia tua ſapientiora longe ſunt meis. Cogitaſti ſanius, cum ad quietem vitæ, tum ad gradum, de quo inſuſurraui auribus tuis. obtuli ego quod obuium habui, & quod vno verbo meo effici poterat. de re Florentina nec opinatus aliquid eram, nec te ad eam vertiſſe animum nouerā. Bene feciſti indicare omnia. Audi nunc contra Papienſem. Si de Sacerdotio Piſano conficies quod offers, beneficio æterno me obligabis. Addes ad domeſticam ſuſtentationem pabulum non contemnendum, & pignus certiſſimum beneuolentiæ dabis, ante oculos ſemper futurum. Idq; vt facias pro noſtra amicitia peto. Quanto autem tempeſtiuius procuratio impetrabitur, tanto minus erit & difficultatis, & operæ. Lege Cancellariæ cauetur ne reſignata intra xx. diem ante obitum cedentis pro reſignatis putentur, ſed ſolo obitu vacent. Itaq; hanc Scyllam, ſi potes, declina. In deſiderio autem tuo ſumma fide, & religione obligo tibi animum meum, & operam ſtrenuam, quantameunq; conceſſerit Deus: nec puto operoſam impetrationem futuram, partim propter ea, quæ tu non minus vere, quàm prudenter rememoras, partim propter interceſſores, quos tibi ſcio, & polliceor fideles futuros. Hortor tamen, vt de ſummouendis interim competitoribus cogites: iis loquor qui timendi merito ſunt. Nullum nomino: ſed tu aulam Pontificis luſtra & eos conſidera. Non minus iſthinc, quàm hinc præparanda eſt fabrica hæc. Itaq; & hoc vigila. Bireta, vt erant ad Campanum miſi. Adhuc inter ſulphura eſt. Vale.

XISTO IV. PONTIFICI MAXIMO IA. CARDInalis Legatus.

CCCC.

NOn ceſſaui per hos dies magna animorum diuerſitate mederi affectibus, qui ſatis proni ad ſcandala videbantur. Audiui ad ſatietatem horis omnibus hos Peruſinos. Deſideria etiam,& cupiditates omnes agnoui. Quibus in locis pericula eſſent, diligenter proſpexi. Hodie tandem gratia Dei omnipotentis, & felicitate Beatitudinis veſtræ inſaculatores eorum electi incluſique ſunt, non modo ſine vllis tumultibus, vt aſſolet fieri, ſed tota Ciuitate laudante, atque approbante. Viginti numero ii ſunt: quaterni portis ſingulis attributi: Ita quidem partiti inter ſe, vt nulli vel præteritos, vel contemptos ſe iudicent. Benedictus Deus, qui ſeruum Beatitudinis veſtræ,& mandata ſibi impoſita piè aſpexit. Reliquum operis nunc eſt, vt iuſte, ac ſecundùm ſtatuta ciuitatis officiorum diſtributio fiat. Ad quam rem aduigilabo aſſidue,& moderabor affectibus, ſi qui intemperantius cuperent. Commendo me pedibus Beatitudinis veſtræ, quam Altiſſimus augeat,& conſeruet. Peruſiæ II. Octobris. M CCCCLXXI.

SIPONTINO.

CCCCI.

SIpontine Pontifex ſalue. Lætor & ego in tanta inopia veteris conſuetudinis noſtræ præſidatum tuum in propinquo eſſe, vt conuenire, & colloqui ſine incommodo noſtro ſæpe poſſimus. Id à me officioſiſſime fiet mox, vt legationis primos labores abſoluero, nec leues, vt ſcis, nec operis parui. Incidére in hæc noſtra initia & Peruſina comitia, quæ raro tumultibus vacant,& Tudertina ſeditio, quæ occultis ſuffragiis alitur. Vtrumque ſane exercitatiſſimo, nedum nouo præſidi graue. Comitia ipſa ad finem perducta iam ſunt non quietè modo, ſed ſummo ciuitatis conſenſu. Tudertum quo angar nunc reliquum eſt. Eius is morbus eſt, vt & ſanari ſine periculo,& negligi ſine interitu nequeat. Ad eum me paro, quemcunque exitum dederit Deus. Si culpa vacauero, modice feram. Veniam poſt hęc Fulgineum. Inde erunt noſtri congreſſus,& familiaris omnium rerum commentatio. Itaq; ſi placet, ad id temporis deſiderium noſtrum ſeruemus. Tuo teſtimonio de Demetrio noſtro apprime ſum delectatus: neq; enim iudicio falleris: Epigrammate autem imprimis, cui & grauitas, & nitor, & non diffluens latinitas ineſt. Gratulor in viri huius cognitionem veniſſe,& tibi gratias ago. Ero poſthac non amicus tantum, ſed doctrinæ ſuæ laudator, atq; ingenii. Vt tu mihi eum dediſti: ita viciſſim illi nos ſponde. Doleo in hunc annum conduci eum non poſſe. Cathedræ omnes iam ſunt deſtinatæ, & dicta ſalaria. Si admonitus deſiderii huius non dies multos ante fuiſſem, erat virtuti ſuæ non incommodus locus. Hunc multorum ſuffragio tulit Lilius quidam Tiphernas ad doctrinam quantum video dexter. Si veniens annus me legatum, Demetrium idipſum optantem habebit, implebit accumulate quod quærimus. Nunc Sipontine mi vale,& beneuolentiam ſerua collectam ſtudiis noſtris, auctam officiis, firmatam, ſi veri filii ſumus, charitate vnius, eiuſdemque parentis Niceni, ad quem ſcribens commendationem ſemper ſui Papienſis adiicies. Peruſiæ ad XIV. diem Octobris. M. CCCCLXXI.

R. VICECANCELLARIO.

CCCCII.

VIdeo quanta charitate Dominatio veſtra rem omnem ſui ſeruitoris ſuſcipiat, & quid ad preces vltimarum literarum mearum cum Beatiſſimo D. Noſtro effecerit. Ago illi non quales debeo, ſed quas poſſum gratias. Dominus Deus pro me referet debitas. Ego quoque nullas referendi occaſiones omittam. Indicabit dies quam iſta animo meo inſideant. De profectione Senenſi, & reditu ad vrbem, intelligo clementiam Pontificis noſtri, quæ multa eſt, & magni à me æſtimatur. Conabor affectu,& fide non ſemel atque iterum, ſed perpetuo illi gratias agere: actio-

re:actiones meas ita inſtituens, vt facile in gratum ſe non beneficium contuliſſe fateatur. Vtar benignitate conceſſa, & Senas ibo, & reuertar Peruſiam, atq; inde ad pedes ſuæ Beatitudinis contendam. Ante tamen, quæ componenda in Prouincia fuerint, diligenter componam, nihil pe turbatum relinquens, aut quod perſonam Legati deſideret. De re Tudertina quod promittam non habeo. Maior eſt ęgritudo eius ciuitatis, quàm vt ſanari inermis Legati opera poſſit. Nihil in ea egit Conſtantienſis, nihil Rauennas. Quid aget Papienſis ambobus longe inferior? Pontificis manu ad ſanitatem opus eſt. Niſi Rumæ diſſidentes pacentur, & reditus imperetur eiectis, contemnentur nimium mandata omnia, & mandata Legati, vt iam nonnullis in rebus contemni ſunt cœpta. Ego tamen quæ potero officio meo ſine defatigatione impendam. Quoad vſque Pius, & Paulus cauſam ipſi ciuitatis non cognouerunt, & mali medicinam dederunt, quietem capere populus in factionem diuiſus non potuit. Idem vt faciat Beatiſſimus Xiſtus conſulo, & rogo. Sua ciuitas eſt, & oues paſcuæ ſuæ, ex quibus quicquid petit, damno & detrimento Eccleſiæ perit. Quod autem de Epiſcopo Lucenſi admonet nunc Sanctitas ſua, valde me in admirationem adduxit. Dixi ei ante diſceſſum meum, quæ conditio patris illius ſit. Natus Lucæ eſt ex nobiliſſimo genere. Fratres eius primatū in Republica obtinēt. Me noſcit vltimæ ſortis hominem eſſe. Honoratiſſimas porro legationes diuerſis temporibus geſſit: In Angliam: In Burgundiam ad Imperatorem: Semper quidem cum poteſtate Legati de latere. Præſidatum Patrimonii, qui primi poſt legationes Cardinalium nominis eſt, annos nonnullos ſua, non alterius poteſtate curauit. Et credimus nunc Prælatum tot honoribus functum, qui ſepoſito pileo ſuperiora omnia in ſe eſſe cognoſcit, velle ſe locumtenentem meum inſtitui? Vereor ne hic fallamur iudicio, & de voluntate aliena plus opinemur quàm ſit. Retuli ſubinde Beatitudini ſuæ de Epiſcopo Tiburtino, qui Gubernatur Reatinus & Soranus fuit. Affirmauit ſe eum cognoſcere. Laudauit eum, & quod vellem, præmiſit vt facerem. Duxi eum propterea mecum, in omnibuſque his laboribus habui non adiutorem tantum, ſed ducem. Noſcitur in ciuitate & noſcit, haberturque virtuti ſuę plurima fides. Pacto iam ſecum ſalario, & vulgata fama locumtenentis, multæ ignominiæ eſſet & ſuæ & meæ, alium loco illius aduocare. Dignetur Sanctitas ſua pro eius ſapientia hoc cogitare. Si credidiſſem Epiſcopum Lucenſem, quem Paulus aliquando ad Cardinalatum propoſuit, hoc onus optare, acquieuiſſem libenter, & ſummo honori mihi aſcripſiſſem. Sed ſciebam & ſcio conditionem hanc non placituram: cuius id ſignum D. Veſtræ ſit: quòd Viterbio tranſiens cum retuliſſem hæc de eo facta colloquia, innumeras mihi gratias egit: gratiſſime habens præciſę omnem requirendæ locumtenentiæ huius occaſionem, quam alioquin non fuiſſet ſumpturus. Hoc ſi ſeruitori Papienſi non credit D. veſtra, dignetur vel ſuo, vel Pontificis nomine Epiſcopi mentem temptare, & intelliget, quantum merita ſua ipſe merito æſtimet. Quęſo, vt ad cæteros labores hunc etiam veſtra benignitas addat. Sermones habitos Domino noſtro rememoret: bene de Tyburtini meritis ſperet: Iudicio Legati ſui aliquid credat, qui honorem non proiicit, nec adducere illum in diſcrimen, vel errore, vel negligentia ſtatuit. Peruſiæ xxi. Octobris M.CCCCLXXI.

B. CARDINALI NICENO.

CCCCIII.

SI quid egi beneficio Pauli Pellini, id infra meritum veſtræ commendationis fuit. Maiora debentur patri, & Legationis huius auctori. Satisfacere illi forſitan potui competitoribus multis, ac magnis prælato: ſed mihi certe non ſatisfeci. Quid enim in tanta memoria beneficiorum animo grato ſit ſatis? Pendere animam, non modo operam in obſequium beneficentiſſimi Patris poſſum, ac debeo. Viuat Nicenus, viuat Papienſis. Spero, incurrentia multa indicio erunt noſtro affectui. Legi codicellum gratiſſimum incluſum literis, qui manu noſtra eſt ſcriptus. Statim eum ſum oſculatus. Noſco quid vir optimus Ioannes Baptiſta ad mandata iniuncta reſcripſerit, & de mente Regis quid ſperet. Innumeræ pietati veſtræ ſint gratiæ, & retribuat Dominus quod ipſe non poſſum. Succedant vel ſecus de-

ſideria noſtra: impleta tamen à patre meo Niceno conſueta in filium officia dicam. De Rege illo ſum meritus optime, & meritorum meorum ſunt apud me chirographi ſui teſtimonii multa. Pro iis nec petii vnquam quicquam, nec appetii. Quod appeto nunc, neceſſitatis eſt, non voluntatis. Vt non mendicem, non vt affluam, vt liberior animus ſit, non vt arca plenior, his deprecationibus poſcitur. Domini fiat voluntas. In manu enim ſua cor Regis, & quo vult illud inclinat. Ego Niceni mei ſum. Eius ero dum viuam. Deſinam viuere, cum gratitudo hæc deſinere incipiet. Compoſitis iam Peruſiæ omnibus, ciuitateque ex ſumma ſuſpenſione animorum ad tranquillitatem deducta, cogito nunc præſidiatus reliquum viſere. Sicubi ero, ſi qua de meis actionibus ſecunda parum fama affertur ad vos, non ſileat pater. Corripiat libere filium correctionis cupidum, ac patientem. Valeat Reuerendiſſima Dominatio veſtra: cui Dominus ſit cuſtos ſemper, & comes. Peruſiæ XXI. Nouembris. M.CCCCLXXI.

T. CARDINALI DE MONTEFERRATO.

CCCCIV.

LAudo diligentiam D. veſtræ vtilem eccleſię, & temporibus neceſſariam. Gratias quoq; à nobis omnibus deberi illi exiſtimo, & quas poſſum, ago ego imprimis. Quæcunq; de me ſpoponderit D. veſtra, illa conſtanter præſtabo. Spondeat autem quę cenſeat ipſa vtilia, & ab amicis cenſeri intelligit. Nil commutabo. Nil addam, aut minuam. Huius promiſſi ſeruet has literas teſtes, manu mea ſcriptas. In magnis ac grauibus non ſoleo mentem mutare. Commendo me Dignationi veſtræ, cui ſit Deus protector, ac cuſtos. Peruſiæ die XXI. Nouembris. M.CCCCLXXI.

GENTILI VRBINATI.

CCCCV.

DOleo languore tuo: Campano gratias ago quod literis ſuis languorem depulerit. Quod illas ad me truncas miſeris, tibi ſuccenſeo. Timuiſti videlicet ne pro iis, quas Florentiam me inuito portaſti, & nunquam reſtituiſti, has retinerem. Piratæ ad piratam, rara in pugna merces. His tamen particulis mirifice ſum recreatus. Præſens vel abſens idem eſt in laudibus meis. Cumulus meritorum eius adeo iam in immenſum creuit, vt ad retributionem, vel Imperio, vel Pontificatu ſit opus. Riſum excitauerunt, quæ de pultibus Theutonicorum iocatur. Ad vlticulum pſittaci crocei vngue, antea deerant: abſolutum nunc Pſittacum Germania reddidit. Iam ciſtella opus eſt, in quam rediens includatur. Nulla commodior Pientina cella. In ea cantare ſuauis diſcet. Iam enim heroium natio illa ceruiſiis infuſcauit. Vale, & Laurentium ex me ſaluta Peruſiæ. XXV. Nouembris. M.CCCCLXXI.

L. ET N. CARDINALIBVS VRSINO, ET *Theanenſi.*

CCCCVI.

DIſtuli reſpondere D. Veſtris, quod exitum mandatorum continuo expectaui, vt non fruſtra illas legendo occuparem. Nunc videns in eadem mente perſiſti, quod actum eſt nuncio. Conatus ſum exequi quod in rebus Tudertinis literæ veſtræ, & breue Sanctiſſimi D.N. iubebant. Vocaui illico ad me d. Egidium de Turri meum in ea ciuitate locum tenentem, hominem grauem, & ad quæuis magna idoneum. Monſtratis quę mandabantur, monui quanta diligentia poſſet, Tudertinorum animos ad ordinationem Pontificis inclinaret, oſtenderetque nil eſſe in ea, quod merito videretur timendū: etenim ſuam Sanctitatē illis fauere, me propitium eſſe: quos formidare intus non iniuria poſſent ciuitate excludi, eos tantum reduci, qui propter tenuitatem quieturi haud dubie eſſent: Montechium in Legati poteſtate futurum: Arcem autem vnde trepidari aliquid poterat, in omnem eorum caſum non defuturam: Nollent in tanto beneficio D. Noſtri, & D. Veſtrarum pertinaciter agere: Acquieſcerent ſanis conſiliis: idque omni ſtudio agerent, vt parendi facilitate veſtram ac meam in eos mentem ad bene merendum augerent.

Futurum

Futurum ſi aliter fieret, vt ſero eos inutilis conſilii pœniteret: Etenim non paſſurum D. noſtrum eam ciuitatẽ cum ſuo & Sedis dedecore lacerari diutius, & eo vſq; obedientiam negligi, donec ad extremum interitum eſſet perducta: Neceſſariam omnino mox animaduerſionem aliquam, quæ cum poſt longam patientiam adhibetur, ſoleat ſemper damnum & dedecus ſecum afferre: Curarent proinde dum tempus eſt illam auertere, & parendo ſuperiores ſibi conciliare, non prouocare obſiſtendo. Addidi multa, quæ longum eſſet deſcribere. Reuerſus Tudertum cum his mandatis, nihil omiſit quod ad perſuadendum ſpectaret. Dexteritate, qua potuit imperata temptauit. Reſcripſit tandem, nulla ratione potuiſſe illos adduci, vt tantum exulum numerum patiantur reduci: Eſſe inter reducendos quos magis quàm Matthæum timeant, & iuſto odio habeant: quibus reductis futura nihilominus ſit in metu, & diſſidio ciuitas, nec habitura quietem, quę quæritur. Multis tandem exhortationibus, multis conſiliis huc tediiſſe illorum aſſenſum, vt iis excluſis, quos ad me in incluſa cedula D. Egidius miſit. Reliquos, quanquam grauate acquieſcant, reduci. His ego intellectis communicaui rem omnem cum Brachio Peruſino, vt viderem, ſi quid hinc ſanitatis poſſet afferri. Illis enim amicus illorum tamẽ duritiam damnet, cernens & ipſe pericula eorum, & tolerabilem conditionem, quæ à D. veſtris fertur. Bis Cancellarium ſuum miſit illuc, ac quibus precibus potuit, idipſum conatus eſt impetrare. Summa eſt: In eodem perſiſtunt conſilio. Miſerunt poſt hæc ad me oratorem, per quem neceſſitates multas, & pericula prætulerunt: Idque ipſum viſi ſunt aſſeueranter tueri. Per eundem rurſus ad parendum ſum eos hortatus, non ſuaſionibus parcens, non minis, aut precibus. Reſcripſerunt non lenius quàm ſunt per oratorem locuti. Profectus ego illuc fuiſſem, vt videbamini optare: Sed inutilem profectionem meam noſcebam, & noſco Ciuitas in ſumma licentia eſt. Facinorum longa impunitas corroborauit audaciam. Nullus magiſtratuum metus: Nulla Rectoribus reuerentia. Quod cuiq; in mentem venit, id ſine penſo impletur. Incommoda hæc etſi non probantur primatibus: attamen quod horum ſatellitum adiumento ſe tegunt, neceſſe eſt non perferant modo illos, ſed tueantur. Breuiarium meum & crux veſtra, Domine Theanenſis, ad hos coercendos ſatis non ſunt. Dæmoniorum hoc genus fuſte, non benedictione manus eiicitur. Cogitate qui futurus meus animus eſſet, & quæ conſternatio expectantium Legati auxilium: Quod denique Legationis Apoſtolicæ dedecus: Veniri ad me dies & noctes: Nunciari cum lachrymis huius oppugnatam eſſe nocte illa domum: Illius direptam: Conuitiis affectum alterum, alterum pulſatum ac vulneratum, & ſolis vocibus, ac miſera contractione humeri conſolari oppreſſos. Non eſt facies mea beneficio Dei tam aſtucta contemptibus, vt pati ſine angore has contumelias poſſit. Nec rurſum puto Domino N. & D. veſtris tam exoſum me eſſe, vt gratis in ſeruitore fidei confuſiones huiuſmodi velint. Conſtantienſem, & Rauennatem rebus non tam laxis exiguum reueriti ſunt Tudertini: Perditis nunc cogitate quanti me facient. Ingenio, & dexteritate, quam laudãt V. Dominationes, vti quidem poſſum, vbi ingenio eſt locus. Sed vbi præcipitatio, & temeritas regnat, iniquus eſt illi cõgreſſus: de perturbatis autem in ea ciuitate & agro rebus non tanta his literis refero, quanta re vera in dies accipio. Præuidens ego, cum Romę adhuc eſſem difficultates, quas dico: Audiens quoq; territorio toto Peruſino facinoroſis, & graſſatoribus, & damnatis plena omnia eſſe, petiui deprecationibus multis, vt vel ſolo ſemeſtri indulgeretur Bariſellus, quo opinione aliqua metus, & terrerem malos, & adiumento officialibus eſſem. Idem in prouincia poſitus ter, vt puto, popoſci. Vel inopia trecentorum aureorum, vel occupatione maiorum auditus in præſentem diem non ſum: quæ res damno, & admirationi prouincialibus fuit. Marchia Mareſchalcum habet: Patrimonium habet: Ducatui, cui imprimis eſt opus, nullus omnino permittitur. Cornetano Epiſcopo, in adiumentum adminiſtrationis ſuæ trecenti pedites ſunt attributi: Totidem Rauennati. Protonotario Sabello Bariſellus vtriq; eſt datus. Mihi neſcio qua fiducia, vel virium mearum, vel temporum, in poſtulatis nulla eſt gratia. Si impetrare hunc potuiſſem, fuiſſent Tudertina itinera latrociniis nullis infeſta: Nec tam frequenter audita ſpolia, & vulnera iter agentium. Potuiſſem quoq; inteſtinis malis, quæ dixi, bonam medicinæ partem afferre.

Sed ignoſcant mihi D.veſtræ:dicam libere,quod expertus olim Theanenſis veriſſimum comprobabit.Magna aliquando Romæ de Legatis abſentibus eſt negligentia, & magno detrimento Eccleſiæ ſæpe illis non creditur. Quamdiu hic ero,quę cenſebo vtilia,ſcribam & petam.A vobis vero non creditus commendabo Deo, quos iuuare ipſe non potero.Redeo ad rem. Prima cauſa hæc eſt, cur Tudertum profectus non ſum. Alteram patienter audite. Aut perſuaſionibus,aut vi reduci exules quæritis: ſi perſuaſionibus, iam à Locum tenente meo & me ſunt perſuaſiones omnes cõſumptæ, & nullæ,quę ad rem facerent prætermiſſę. Nolunt perſuaderi. Affirmant acriora inter ſe atq; eiectos eſſe nunc odia,quã antea fuerint,& ſuſpiciones machinationũ maiores:Conſortium autem ambobus in eadem ciuitate pacatum nunquam futurum:Ad alendam quoq; diſſenſionem non referre, vtrum Matthęus reducatur, aut quiuis ex familia ſua. Ad illum enim mox quicunq; erit, concurſum amicorum futurum:Quos non paucos eſſe ſciant,& ſine Duce non timeant,oblato duce formident. Ratio in Zelotopia ſtatus ſane mala non eſt:& qui ſtatũ habent ex ſe ipſis id iudicent. Sin vero ad vim confugiendum putatis, videte rogo an vis ipſa ſit vtilis,& num conſumptæ ciuitati extremam miſeriam addat.Præſidio eodem,quo reducti exules violẽter erunt nimirum& videbuntur tuendi.Præſidio aſſiduo fatigare afflictos calamitas,liberare periculum. Vtrumlibet fiat,minime ad recreandam ciuitatem meo iudicio eſt opportunum. Exitus eſt. In perſuadendo, & rogando impleta ſunt veſtra mandata.In cogendo nulla eſt inermi Legato poteſtas.Brachii,ad quem ſcribitis, in Piceno ſunt copiæ. Nec ex tam longinquo aduocari facile poſſunt. In armandis autem prouincialibus nec firmum præſidium eſt,nec diuturnum. Sine tumultu etiam armari non valent. Ad pacem quoq; prouinciæ minimum expedit mutuis odiis vicinos accendi.Si conditio Tudertinorum deſcripta in cedula placet,ſexaginta pedites tantum ad tutelam reducendorum,& ad cohibendos ſatellites ſunt meo iudicio ſatis.Rebus enim pacatis, & ſuſpicione amota, primates ipſi ad vtrumq; erunt adiumento continuo. Verum ex eo genere milites eſſe oportet, quos nec qui reducunt, nec qui reducuntur ſuſpectos merito habeant. Scripſi quod in tota re eſt. Sapientia veſtra,quæ ſaluti ſunt ſtatuat. Honoris mei curam non negligat. Pro vobis Dominis pati omnia poſſum:Sine proficiendi autem ſpe ad perſpicuum dedecus proficiſci nec poſſum,nec debeo. Valete.Fulginii.XIV. Decembris.M.CCCCLXXI.

R. VICECANCELLARIO S.R.E.

CCCCVII.

AVdio Cardinales duos nouiſſime factos eſſe:Legatos vero quinque, qui ad rem Chriſtianam proficiſcantur:In iis D.veſtram ad Hiſpaniam mitti.Cardinalibus quidem pro noſtra conſuetudine gratulor.Legationes quoq; non damno,ſi,vt confido,ad verum,non veri ſpeciem ſunt à vobis decretæ. Tantorum operum initia Deus ſecundet.In his rebus hoc tantum ingratum,moleſtumq; eſt, quòd Dominatione veſtra,vt video,erit carendum,quam amo,quam mihi amiciſſimam ſentio, & in qua collocatæ iam erant ſpes,cogitationeſq; meæ. Magno non ſolum patrocinio, ſed ornamento vitæ videor ſpoliari.Sed quando Pontifici,& Patribus,& dignationi veſtrę ita eſt viſum,Diuina pietas id probet.Euntem, operantem, & redeuntem non deſerat:Spiritum quoq; fortitudinis & conſilii in omnibus præſtet. Seruum vero abſentem ſi non deſpicit D.veſtra:iudicii ſui eſt quantum fieri per commodum Reipublicæ poſſit,vt vel ſerus ſit itus,vel reditus celer. Dies profert ſæpe multa, vt homini non expectata, ita in magnis rebus ad conſilium capiendum vtilia. Adminiſtratio etiam tanti officii concupita à multis, temptata à nonnullis,à duobus iam diminuta. Varia quoq; noſtræ curiæ fortuna,peregrinationem, ſi neceſſitas ſit, breuem: ſi voluntas,nullam meo iudicio poſtulat.Fulginii.XXVI.Decembris M CCCCLXXI.

OL. NEA-

OL. NEAPOLITANO: ET M. AQVILEGIENSI Cardinalibus Iac. Cardinalis Papienſis.

CCCCVIII.

QVis fieri hoc poſſe crederet, Reuerendiſſimi Patres, vt vno eodemque nuncio triſtaretur animus,& lætitiam caperet? Factum tamen eſt in me ipſo. Audita enim Legatione veſtra in Turcos, alterius quidem mari, alterius terra, in vtrunque affectum ſum ſimul adductus. Gaudium attulit, quod excitari tandem videmur à ſomno, quod magni defenſores dantur fidelibus, quodque in negotium Chriſti exeunt Principes Eccleſiæ: duo, quorum virtus, & fides digna ſacerdotũ opera poſſunt præſtare. Rurſum triſtitiam fecit, quod à patribus meis tam inſperate diuellor, quibus nil erat iocundius. Si Romam rediero: Si ad peregrinas nationes vos ibitis, quæſo, quibus cum erit mihi ſermo tam liber? Solamen tam frequens? Tam familiare gratumque conſortium? Id vnum videlicet, propter quod erat in deſiderio vrbs, vobis abeuntibus tollitur. Abeſſe iam placet, nec in ſupremo digreſſu doloris hunc ſenſum accipiã. Sed quando ſic expedit,& decreta veſtra ſic iubent: Ite fideles animæ bonis omnibus. A porta vrbis vos excipiens Dominus, in via ſit Dux, in laboribus ſuſtentator, in diſcriminibus cuſtos, in conſiliis lumen, in mandatis perfector. conatibus quoque det ſucceſſum, quem quæritis, & nomini gloriam, quæ pie agentibus debita eſt. Neapolitano meo non noceant venti, non obſiſtant ſcopuli, non cœli vlla grauitas obſit. Pateant maria, ſinus, anguſtiæ, & portus. Aquilegienſem quoque non turbent longa itinera, non tetricæ alpes, & duræ. Non barbarorum ſuperba ingenia. In labiis eius, cum exhortationes operum ſanctorum aperiẽtur, fauus ſit mellis, inclinent, erigant, flectant, concitent corda hominum quocunque eſt opus. In congreſſum vero hoſtium ſi quando eſt veniendum, *O Domine Deus exurge, & exaltetur manus tua. Reminiſcere miſerationum tuarum, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſeculo ſunt: ne forte dicant in gentibus: Vbi eſt Deus eorum? Effunde iram tuam in eos, qui te non nouerunt, & in regna terræ, quæ nomen tuum non inuocant. Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos. Sacerdotes vero tui, quos dico Celſi victoria tibi gratias agant: Nomini ſancto benedicant, & in cruce tua glorantes eodem quoque te reduce ad ſanctam Apoſtolicam Sedem incolumes redeant.* Si adiuuare Reuerendiſſimi Patres legationem veſtram tantam, ac tam operoſam conſilio, opibus, aut vllis meis laboribus poſſem, præſtarem vltro cuncta pietatis,& amantiſſimæ mentis officia. Sed cum his omnibus plane deſtituar, præſtabo corde, voto,& precibus, quod præſtari nunc ſcripto inſpicitis. Vobiſcum ſemper peregrinabitur animus, & curarum veſtrarum ſemper particeps erit. Deus, qui iuxta verbum Apoſtoli corda noſtra probat, ſcit quia non mentior, & quod plenis hæc oculis ſcribo. Valete in Domino Fulginij XXVII. M.CCCCLXXI.

M. EPISCOPO TERDONENSI.

CCCCIX.

VEniens his diebus Aſiſſium viam inſpexi à ſacello Angellorum vrbem verſus tua liberalitate inchoatam, ac prope iam pulcherrimo latericio abſolutam. Laudaui id primum,& nomini benedixi. Inde profectus Fulginium opera etiam ſum contemplatus eadem beneficentia paſſim pluribus in locis inſtaurata: Prætorium autem inprimis, quod tenebroſum ante & deforme adeuntibus, nunc lætitia ſua arridet. commendaui hæc quoque,& tibi ſum gratulatus. Quod ergo in his operibus fruor, quod tuo beneficio habito bene, & in cubiculo dormio parietibus & lacunari mirifice adornato, gratias innumeras ago. Memoriæ apud hos prouinciales tuæ diu hęc ſeruient. Vale. Fulginii XXVII. Decembris MCCCCLXXI.

FALCONI SYNOBALDO CLERICO CAMERÆ Apoſtolicæ.

CCCCX.

FAlco, etſi ſalutem nullam à me meritus ſis, attamen ſalue. Quem enim amabas ante alios, ante alios quoque è Gallia rediens complecti debebas. Diuerſio ad me multi non erat diſpendii. Poteras vna opera, & beneuolentiæ noſtrę facere ſatis, & te ac tuos ex longo itinere recreare. Erratum hoc multorum officiorum pœna neceſſe eſt apud iudicem acrem luatur. Id meo tempore & commodo fiet. Nunc ſaluum veniſſe te gaudeo, &, vt fœlix ſit reditus opto. Scribe quę vitæ tibi ſit futura conditio, & quieſcendum an negociandum exiſtimes. Conuerſa omnia inueniſſe te puto, etiam Papienſem tuum, qui tantũ ocii amator in tantos Peruſinę agitationis fluctus ſponte proceſſerit. præſens ſeruitium, immo & ſeruitia dura videri tibi exiſtimo, & tot laboribus non iteranda. In quam tandem partem inclines neſcio. In quam inclinaturus ſis, ſcire ex te cupio. Communica omnia nec tam conſilium pete, quàm explica. Malo more meo emendare te, quàm inſtituere. Vacua ſi fine me redeunti viſa tibi eſt Roma, quid prouinciam hanc videri mihi ſine te eſt neceſſarium? Placebat ante reuerſo Falcone diſplicere nunc incipit. Vide fraterni amoris quanta ſit vis. Aduolare ad te cupio, Tarditina, (Tudertina dicere volui) negotia retinent. Alieni præſidatus pœnas nunc pendo. Corrigere cogor, quod quartum iam menſem magnorum quorundam iſthic cura non corrigit. Si qua in his, vt in cæteris felicitas erit, paeata vndique prouincia reuertar ad vos, & mille te oſculis vbicunque inuenero diſſuauiabor. Nunc vale, & noctes noſtras loquendo conſumptas litteris inſtauremus aſſiduis. Laurentio, & tuis omnibus ſalutem dices ex me. Fulginii XXVII. Decembris M.CCCCLXXI.

LVCÆ DE LENIS THESAVRARIO PERVSIÆ.

CCCCXI.

QVod iſthic accidere tibi ſignificas, mihi quoque id accidit, vt ſine te, & Tyburtino videar ſolus. Veſtro contortio nil erat iucundius. Habebam quibus cum & iocarer, & communicarem, & labores omnes leuarem. Nunc cum Luca tantum Viſſano mihi res eſt, homine tetrico, & cui exhilarare faciem labor, ridere mors ſit. Apud Abbatem mox ſi per imbres licebit, reſumemus lætitiam. De Purio noſtro beneuolentię tuæ gratias ago. Percommode eſt factum, vt iter hac ageret. Dedi ei litteras Romam ferendas, quas tabellariorum inopia dies aliquando multos retineo. Hortare Tyburtinum ad munus ſuum bene implendum. Adiuua quoq; cum potes Æſtimationi meæ quod datis, & veſtrę datis. Communes nobis ſunt animi, & res, & ſpes. Vale. Fulginii XXVIII. Decembris M.CCCCLXXI.

ANGELO EPISCOPO TYBVRTINO.

CCCCXII.

PEruſini tui te mirifice laudant. Agunt & gratias, quod abſente me Proptæſidem te eis reliquerim. Parui iudicium hoc non eſt æſtimandum. Acuta ciuitas bona, & mala primo experimento agnoſcit. Nec ad detrahendum quàm laudandum eſt ſegnior. Tuere operibus hanc apud eos partam opinionem virtutis, quæ & Romę, & in prouincia eſt profutura. Eam vero, ſi continuare in finem poteris, triumphum bene regendi tibi decerno. Tifernatibus ante, & Reatinis pręfuiſti, quorum leues, & contentioſæ ſemper ſunt res. Nunc ſi Peruſinis eodem animo præeris, nihil iam in ditione Eccleſię ſupereſt, quod non inferius tuis actionibus putem. Sunt enim in factiones diuiſi, vt ſcis, ſibi ipſis ſemper infeſti. Rectoribus ſemper moleſti, & quod vinci nullis conatibus poteſt, plus adhuc manu quam ingenio & lingua veloces. Litteras eorum mittam ad Reatinum noſtrum legendas Pontifici, vt tu virtutis, ego iudicii, laudari ambo poſſimus. Vale. Fulginii XXIX. Decembris M.CCCCLXXI.

CAM-

CAMPANO.

CCCCXIII.

Campane, Campane, Campane, Cedo manum, cedo pectus, cedo genas, & oculos. Totum te mihi in complexum præbe, & oſcula. Inſanio lætitia reditus tui. Vt bene fuit tibi, vt bene nunc eſt? Vt alpes, & niues fortiter pertuliſti? Vt ſuſtinuiſti tam diu deſiderium noſtri? Affectu nimio ſum tecum hæc ſcribens: tecum quoq; loquor, exulto, & iocor. Dic actutum quæ poſtulo, & rurſum da te mihi in complexum. Quid rides? An non recepto dulce mihi facere eſt amico?

IOANNI PETRO ARRIVABENO.

CCCCXIV.

Zachariæ noſtri conſilium placet. Nil eo vel ad meum, vel vexatoris mei ſtomachum aptius. Valeant iam arces tam illi qui abſtulit, quàm mihi inutiles. Silendum poſthac eſt, & nil vltra temptandum. Fiunt aliquando poma die mitiora, quàm ſtudio, minuſq; edentibus nocent. Tibi, mi frater, pro tam fraterno in me animo, pro cura tam ſæpe de rebus meis ſuſcepta, pro angore etiam, quem mecum pariter in his anguſtiis fers, ſempiternas gratias ago: Non quales amicorum vulgus ſolet, ſed quales pia, & grata mens concipit. Plane confiteor eſſe te vnum, à quo ſupra cæteros amer, & quem amare ego inter alios debeam. Sed hæc in priuatis: In publicis aliquid. Vidiſti ne oro, quo tandem euaſerit Senatus ille tam longus, & tacitus? Quid ais nunc? Num ne diuinaui Peruſiam veniens? Putas parci præſenti apud vos potuiſſe? Nullo, nullo ingenio declinari Hungaria poterat. Mea erat cunctorum vel ingratis ſuffragiis. Cupiebam ante in vrbem redire. Sic inhæreo prouinciæ nunc, vt auelli inde nec velim, nec patiar. Quid ergo, dices? Ad communem ſalutem adeundat ibi dura non putas? Nil mi Mantuane: nec mortem quidem publici boni cauſa defugio. Sed inſident animo cordatiſſimi, & ſenſatiſſimi, & optimi patris Cardinalis ſancti Angeli crebris ſenatibus inculcata conſilia. Pecuniam, non Legatum quærit Hungaria. Sat ibi Legatorum eſt, cum ſtipendium mittitur. Dic oro vbi id ſit? aut parari vnde gentium queat? Soli, & in aurem hæc pauca. Reſcribe ergo ad me, quem progreſſum Legationes hæ habeant, & ad quem diem ſint exituræ: tum quid Mecœnas tuus noui conſilii capiat. Audio redituram illum Bononiam. Reditus cauſam, & tempus ſcire ex te cupio. Plena ſit epiſtola tua, vt cum legendo ad calcem peruenero, nil ſuperſit, quod intelligere amplius aueam. Fulginii Calendis Ianuarij M.CCCCLXXII.

FALCONI.

CCCCXV.

Laudo tuum propoſitum, Falco, ea tamen lege, vt ſi qua bene gerendæ rei ſe alicunde offert occaſio, illam non negligas. Omnia quærere, nihil obuium prehendere æque in vitio ſunt. Dies tibi adminiſtrator erit conſilii. Tu quoque rei tuæ non deeris. Intelligo quid de Legatis, & Cardinalibus nuncies. Magna res, & ſermonis multi in populis. Sed me vide. Idem quod tu, de tanti operis exitu puto. Raro diſcrepant noſtra iudicia, conciliata ſic à natura, vt alternis etiam obtutibus illico pateant. De te, & Legatis hæc pauca: de conſobrino adhuc pauciora, quando conſumpto patrimonio tam miſere reliquiis parcimus, ne omnino nihil videamur egiſſe, extorque vel ſurripe hos quinque cuſtodes, & Theſaurario Peruſino litteris indicari id cura. Ad Teruiſinum, ſi eius patrocinio eſt opus, en tibi cum iis meis epiſtolam. Aliquid quàm nihil homini inopi eſt ſatius. Vale, & ſæpe ſcribe. Fulginii Calendis Ianuarij M.CCCCLXXII.

B. CARDINALI NICENO.

CCCCXVI.

ACceptis litteris Pontificis noſtri, & tuæ Dignationis, Reuerendiſſime Pater, ne horæ quidem vnius interpoſita mora miſi Peruſiam, vbi agebat Onophrius, & conatus ſum non illum modo, ſed Magiſtratum quoq; ciuitatis in ſententiã noſtram adducere. Non reſcripſit Onophrius. Venit ad me hodie veſperi, mortuo quàm viuo ſimilior. Summa omnium eſt: nec ipſe vult, nec tibi, quantum video, expedit. Annum ſextum ſupra ſexageſimum agit. Corpore eſt graui, rhedæ iam aptiore quàm equo. Ægerrime audit, ſic vt inclamari ſemper ſit opus. Porro autem quod eſt cæteris grauius, maior illum hernia quàm olim Neſtorem prẽmit. Vigilare noctu non poteſt. Interdiu quantum licet à labore ſe vendicat. Cogitat quoque quotidie referre ſe in patriam, & lectionem artemque, decurſa prope vita dimittere. Et factum iam eſſet, ni Peruſini, quos ſui amantiſſimos habet, hunc etiam annum magnis ab eo precibus impetraſſent. Complectar verbo vno. Pręter doctrinam, quæ mediocris non eſt, nil in eo video quod ad rem tuam putem, ac commodum. Hortatus ſum, vt ad te ſaltem Romam veniret, excuſaturus pręſenti imbecillitate, quod alioquin litteris excuſari tam bene non poſſet. Iurauit in his ſummę hiemis incommodis vix ſine periculo ſe veniſſe Fulgintum. Meo iudicio quęrendus eſt alter, qui & iter, & vigilias, & angores tuos non raros, nec breues tolerare valentius queat. Damno autem, quod reddente præſertim Pontifice recuſaris Valerium. Inutilis hęc tua eſt, & parum forſan æſtimata modeſtia. Medici multi ſunt Romæ. Domi etiam alter eſt reliquus. Non tam proderit Xiſto dimiſſus Valerius, quàm nocebit tibi in comitatu non habitus. De valetudine agitur, & vita, quarum rerum cauſa contrahenda ſunt omnia. Hoc quod attendis leue eſt, & ſuperfluum. Me audi, Nicene. Valerium recipe: In quo, vt abſint cętera, quæ certe ſunt ſumma, hoc eſt quidem imprimis, quod recurrentibus morbis tuis aſſuetus, nil habet incognitum, quod ad lenitudinem illico tollendumque languorem ſit neceſſarium. Sed de Medico hactenus: De Gallica nunc Legatione quod ſequitur. Si eſt ſpes boni aliqua, vt putas, nil vereare, præſtantiſſime Pater, conſtanti animo perfice quod conandum cœpiſti. Non te ætas, non valetudo, non longitudo itineris terreat: Deus erit ſubleuator in omnibus. Obumbrabit tibi ſcapulis ſuis. In fide tua te periclitari non ſinet, nec ſupra id temptari quod poſſis. Iter agens, ſtans, cogitans aſtatorem illum habebis. Cum Propheta cantabis: *Exaltatur ſicut vnicornis cor meum: & ſenectus mea in miſericordia vberi.* Vides in quas anguſtias adducta Chriſtiana res ſit, & quam propinquet flamma noſtri incendii, & quàm multos teneat ſine metu ſocordia. Nulla in te Patriarcha Sedis amiſſæ, Cardinalis Romanæ eccleſiæ, in tanto cœtu ſententiæ primę Senator, extremum vitæ actum exercere dignius poteſt. Si hanc occaſionem laudis porrigeret Deus, animæ certæ fideli quærenda votis ac precibus eſſet. Quid agimus Romę Nicene? Quid intra tecta noſtra molimur? Quid aſſequimur meriti? Marcemur otio, conterimur animis. Nil obuiat oculis, quod nõ mentem contriſtet. In deſideriis, in ambitionibus, in contentionibus tota noſtra eſt actio. Extra quoque ſunt curæ, aliquis dicet. Eſſe eas confiteor: ſed ſalutares, ſed liberas, ſed noſtri conſilii atque arbitrii: in quibus decernere cum velis, & ex aliena imbecillitate non ſemper pendere, ſolamen eſt magnum. Vita porro noſtra in dies extenuatur, vt vides. In occaſum vergit lumen, quo cernimus. *Ambulate,* inquit Saluator, *dum lumen habetis: vt filii lucis ſitis, ne vos tenebræ apprehendant.* Si quærimus gloriam, vltima quidem valetudinis non eſt expectanda iactura. Ad eam enim in dies conditio fit noſtra infirmior. Quod ſupereſt virium, ſpiritu & mente firmemus, & conferamus ad lucrum. Sin vero ſalutem animæ cupimus, cuius cauſa, & fides eſt, & religio, & ſacerdotum omnis profeſſio, *operemur iidem, dum tempus habemus bonum ad omnes: maxime autem ad domeſticos fidei.* In hoc vno merces eſt copioſa: Iccirco non fallens, quod ab illo eſt repromiſſa, qui veritas eſt, & credentes non decipit. Magna recreatio ſpiritus, magnum leuamen mentis: magna curarum eſt quies, hora illa ſuprema ſanctorum operum meminiſſe: ante oculos ſtare labores pro fide exhauſtos: tum recordari ambitionis nullius cauſa publicam ſalutem deſertam. Inſanio, virum fortiſſimum ad ea

hortari,

hortari, quorum ipſe domeſtico exemplo, nedum præcepto, Magiſtrum ſe aliis præbuit. Sed neſcio quem impetum ſequor ab initio epiſtolę huius conceptum. Itaque Nicene pater militent Deo, & Plebi ſuę ſanctę hi vltimi dies. Proficiſcere in Galliam, excita ſolito amplius ſenſus egregios, effunde diuitias ingenii, calefac ſpiritu oris corda frigentia. Declaratio ſermonum tuorum illuminet, & intellectum det paruulis. Miretur aliquando Gallia, quod iamdudum miratur Italia. Natio ingens eſt, plena populo, clara militia, aſſueta Chriſti obſequiis: campum habēs latiſſimum, in quo ſerere, & colligere meſſem vbertimam miſeræ Italię potes. Miſeræ, inquam, Italiæ, quod iam diu non credidit: miſeriori, quod ad ſe iri non obſtitit: miſerrimę, quod nunc quoque vexata non ſentit. Qui te Senem tantæ auctoritatis patrem, tot morbis affectum circumferri pro Chriſto in ſella videbunt, & ſtudium Romanę Sedis in tam miſerabili rerum facie cernent, & moueri mentibus poterunt, & Nicenum antiſtitem, vtcumque res cadat, dignum ſacerdotio Dei, & gloria ſempiterna contendent. Mihi quidem abitus tuus, etſi ad ſenſum eſt moleſtiſſimus, quod patre carendum intelligo, quo præſente & incolumi viuo & valeo: attamen quod priuata poſthabenda ſunt publicis, non poteſt non ſalutaris, non iucundus videri: præſertim, quod non in Hungariam, quo meus Aquilegienſis, nō in Heleſpontum, quo meus Neapolitanus, ſed in vicinam Galliam mitteris, itinere leni, hoſpitio, & populis non inhumanis frequenti: vbi & commode ad valetudinem eſſe, & inde ad nos Legatione non diuturna redire facile poſſis. I Pater à complexu filii, benedicente Domino, comitante Spiritu ſancto, Angelis eius dextra, & læua te ſuſtinentibus. Nil obſtet piis deſideriis tuis: nil ſanctos conatus abrumpat. Intret iuſta poſtulatio in conſpectu Regum, & Principum. Audiat terra omnia verba oris tui. Fluat vt ros eloquium tuum, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina. Denique munere omni Legationis plene ad ſalutem perfecto, in Italiam, in vrbem, in noſtros complexus glorians in Domino redeas. Tuus interim Papienſis acceptorum beneficiorum memor, ad publica mente erectus, vt iſta eueniant, votis & ſacrificiis ſine intermiſſione precabitur. Non obliuiſcetur patris, abſentem cogitatione non deſeret. Aderit omnibus locis, peregrinabitur, & collaborabit, & ſingulorum, ſiue dura, ſiue ſint læta, particeps fiet. Si vero reuocari Romam illum contingat, voluntate, & opera anteiri ſe à quoquam pro Niceno ſuo non patietur. Impetrator erit, admonitor erit, propugnator quoque fiet, ſi ita ſit neceſſarium. Denique nullum filii, atque adeo amantis filii, vel negligi, vel intermitti officium ſinet. Tu quoque, Pater ampliſſime, abiens benedicito mihi, & ſenſum noſtri animi fer tecum, ac refer. Vera charitas nec tempore vllo nec loco diſiungitur. De Bariſello præſtabo quod dixi. Nec eſt quod mihi gratias agas. Mei ſunt quos habes in tuis. Archangelo quoque Raphaëlis tui fratri faciam poteſtatem, quam quęris, & rebus eius fauebo. De me tibi gratias ago. Intelligo rurſum, quid Ioannes Baptiſta noſter de mente Regis reſcripſerit. Si idipſum præſtabitur, nil ad rem meam, & libertatem optatius. Cogita amplius de filiis tuis ante diſceſſum, & fundamēta ſtatuæ: In quibus ipſi exſtruere reliquum operis poſſint. Quid ais, Papienſis? duo ex multis, primum, vt Regi tu, ſi videatur, ſcribas, & quam tuus ſim: illius etiam teſtimonium chirographi tui feras. Alterum, vt Sypontini noſtri ſis memor. Anguſtas res ſuas noſcis. Nil præſule illo miſerius. Qui audierunt in tanto quæſturæ Apoſtolicæ munere patruum nepoti poſthabitum: mirantur factum, & cogitant multa. Reſarci hanc ſciſſuram honoris ſui grandi aliquo ſacerdotio, ne vitam pendulam agat, & manibus dubiis ſemper cibetur. Amo illum, & domus tuæ æſtimationem quàm ampliſſimam eſſe opto. Da veniam ſi liberius ſcribo. Id charitas imperat. Iterum vale. Fulginii Calendis Ianuarii MCCCCLXXII.

FRANCISCO DECANO THOLETANO.

CCCCXVII.

SAtis vereor, Franciſce pater, ne Legationes hæ veſtræ plus tumultus ſint habituræ, quàm fructus. Experti olim Legatos ſæpius ſumus. Quid oro ab illis egregium? Vtinam & non aliquid aliquando damnoſum! Sine fide iam in populis ſunt noſtræ cruces, & voces, & lachrymæ. Ad quæſtum circummitti putantur. Moueri hanc

ob cauſam ſe illi non ſinunt. Intuens hæc olim Pius tuus: *Venite*, inquit, *non ite, aut date.* conſumpta videlicet cognoſcebat, quæ velut noua nunc aggredimur. Quid quæſo in Hiſpaniam tanti moliminis Legatus? Quid in Galliam, atque Britanniam? Quid per Italiam quoque? Si vt pecuniam eruat, nulla, vel contemnenda pendetur. Si vt militem habeat, mitti ille qui poterit? Omnia ſi non bellis: at bellorum ſunt metibus plena. Adde quod nec hic miles eſt vtilis: conſumpturus ante ſtipendium, quàm ad longinquum hoſtem perueniat. Quid dicam de claſſe? Ad quem in ea vſum Legatus? Vt magno videlicet nomine inopiam noſtram circumferat, & ridiculos nos Barbaris faciat. De Hungaria ſperari quidem aliquid poſſet, ſi cum Legato decerneretur pecunia. Sed ea vbi eſt? Trecenta annua vnde prouenient? Parum Caruagial noſtri memores ſumus, qui totiens nos ridebat, quotiens de Legato prius, quàm pecunia inibamus conſilia. Sexennali apud eas gentes Legatione didicerat, nil vacuo Legato eſſe inanius. Cum metu hęc ſcribo: damnans me ipſum, quod tanti Senatus non ſequor iudicium. Sed tecum mihi eſt ſermo, & tacere tecum interiores curas non poſſum, quas clam futuras, pro tua in me charitate nõ dubito. Quid ergo expedit dices? Quid tui conſilii eſt Papienſis? Breuis epiſtola, Franciſce, tanta de re non capit conſilium. Adde quod facilius, quæ improbem cerno, quàm quæ putem vtilia. Cito ergo anticipent nos, Domine, miſericordiæ tuę: quia pauperes facti ſumus nimis. Adiuua nos, & libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum. De Theſaurario autem in locum Teruiſini ſuffecto, rem admiratus ſum magis quàm cauſam. Non abſimile hoc eſt cæteris noſtris: viuentium diu pœna ea eſt, vt multa frequenter gementibus oculis videant. Vale Pater: Et quod cœpiſti, ſcribe ſæpe ad me, & multum ſcribe, & minuta quæque etiam ſcribe. Fulginii Calendis Ianuarii M.CCCCLXXII.

CAMPANVS IAC. PAPIENSI CARDINALI.

CCCCXVIII.

DEbeo Peruſinis omnibus multum: nam & ciuitate me donauerunt, & repugnante nemine publicis muneribus præfecerunt, & redeuntem aliquando ſecedentemque per æſtatem, aut in Prępurianos meos ex Tuſcia tranſeuntem omni proſecuti ſunt munificentia, quæ præſtari & priuatim, & publice poſſit: atque ita, vt certare ſinguli, concurrere vniuerſi in me ornando viderentur. Sed fuit peculiaris quædam beneuolentia cum Valerianis meis, quorum primus mihi compaternitate coniunctus eſt familiaritate non mediocri: poſtremo tot, tantiſque officiis, vt ſatisfacere niſi te adiutore nullo modo poſſim. Venit aliquando Romam ad me iacentem in lecto, pecuniæ vim magnam non obrulit, ſed proiecit, dimiſitque in ſinu recuſantis. Eunti paulo poſt ad balnea maiorem ſubmiſit, perpetua ægritudine mea, ita ſollicitus, vt ex Laciniano vſque medicum magni nominis Romam ad me perduxerit, & tamen ex plurimis pauciſſima numeraui. Vides quo ſtudio cupiam commendari tibi eum, cui tanta ex me debeantur. Veniet ad te, & veniet ea fiducia, qua ad me ſolet. Quæ poſtulabit intelliges. Præſtabis Campano tuo quicquid Valerianis meis, præſertim huic iunioti, præſtiteris. Vale. Romæ XIV. Ianuarii M.CCCCLXXII.

CAMPANVS CARDINALI PAPIENSI.

CCCCXIX.

NE Cæſariano quidem illi amicorum ſtudio ceſſerim, nec ſolum valde volo, ſed omnino volo quæ volo: modo ad amici vel dignitatem, vel vtilitatem pertineãt. Vetera ſunt beneficia Valerianorum, ſed ideo apud me recentiora, quia vetera. Amicorum enim illi minime debemus, cui nouiſſime. Tu vero ne præſcribas mihi oro, quàm multos tibi Peruſinorum, aut quantum commendem. Parietes medius fidius illius vrbis velim tibi mea gratia eſſe chariſſimos. Sunt Valeriani inter pauciſſimos mei: ſed ita vt centum ſint Peruſiæ, quos paulo minus amem quàm illos, decem quos comparem, nonnulli quos anteponam. Reuolue faſciculos litterarum mearum, quas proximis decem menſibus è Germania dedi, videbis quanto ſtudio, quantis precibus Pitinellos meos tibi commendauerim. Cenſes ne parua eſſe beneuolentiæ pignora,

quæ

quæ tam procul in tantis occupationibus rerum valere mecum potuerunt? Tum Marianum Balionum veterem vicinum, & prope æqualem meum, cuius vxorem, vt olim virginiculam modeſtiſſimam, ita nunc probiſſimam fœminam his prope manibus educaui. Mariani quoq; auunculum, virum Surianæ meę putas ne poſſe fieri, vt non omni tibi ſtudio commendem? Philippo Pirinello pręfecturam eam poſtulaui, quam maiores ſui nunquam habuerunt: ipſi magna fieri iniuria videatur, ſi non habeat. Vir eſt grauis, integer, domi quietus, foris induſtrius, familiæ non minus modeſtæ, quàm magnę, & cui ſi cętera deſint, hoc ſatis eſſe apud te poterit, quod meus eſt. Sed quid hos nomino? Compara ad faſtidium aures, niſi prouincia decedas. Iam quē mortuum Peruſini tibi nunciauerant, quotidianis Peruſinorum commendationibus intelliges viuere. Cupio te videre, vt omnia videam. Ago gratias quod Perino meo tantum præſtiteris, quantum potuiſti. Vale.

CAMPANO.
CCCCXX.

Literæ tuę, Campane, tam cupide lectæ à me ſunt, tam ſæpe in manus aſſumptę, vt vel bidui tractatione conſumptæ iam videantur. Quem enim Romæ complecti, & in complexu ſuauiati non potui, affectum de eo omnem in his ipſis expleui. Doles me non inuentum in vrbe. Quid tu? Non dolori putas fuiſſe, Campanum redeuntem Papienſis vlnis excipi non licuiſſe? Pertęſum vehementer eſt prouincię, ac tam circumſcripti imperii. Legationi quidem vtriq; eſſe vno tempore finis debebat, vt quibus videlicet idem afferretur laboris exitus, idem quoq; conſuetæ voluptatis principium fieret Sed breui, vt puto, tecum ero, & iacturam hanc temporis ad ſatietatem reſtituemus. Interim ſcribe, & te mihi conſerua. Perino tuo, quem non minus laudas, quàm commendas, quid non tua cauſa opto præſtare? Sed rurſum quia non facultate deſtituor? Præfecturę omnes etiam minimę præoccupatę ſunt Pontificis breuibus. Nulla quam vel dare poſſim, vel confirmare, mihi eſt reliqua. Pauli defuncti indoles in ſucceſſorem pulchre manauit: eligendarum poteſtas adimitur populis, & quod exhortationi non datur, extorquetur imperio. Eum tamen admonui, prouinciam totam luſtraret animo, & ſi quid liberum cerneret, non tam peteret, quàm acciperet. Teſtimonio eius, & voluntas noſtra & neceſſitas abunde tibi probabitur. Vale, vitę meæ & dignitatis vnicum decus. Fulginii. xv. Ianuarii, M CCCCLXXII.

N. CARDINALI THEANENSI.
CCCCXXI.

O Miſeram Eccleſiam, Theanenſis: nos etiam miſeriores, qui quotidie inconſutilem Domini tunicam ſcindimus. Quid ex te audio de legibus noſtri conclauis? Quid de tanta iuriſiurandi & voti religione? Quid item de noſtris Epiſcopis, qui vt ſententia & loco, ſic & exemplo anteire reliquos debent. Qualis, oro, eſt ille prætextus SS. vt leuentur Pontificatus onera: Iuuenes duo contra leges creentur? Si non ridiculum apud ſenſatos hoc eſt, nonne ignominioſum eſt noſtro collegio? Quid nos alii? nunquid non Cardinales? Nunquid non membra Pōtificis? Nunquid non fideles, & ad hęc leuanda onera vtiles? Illo ipſo prætextu quid arguitur aliud, niſi deeſſe in nobis, & tanto patrum numero, qui ſubleuare Pōtificem poſſint. Si ſancta vincula erant frangenda, an non poterat minus turpis errati noſtri cauſa excogitari? Eodem eodem, vt cerno, procliui labuntur omnia. Miror autem nos ſemper in noua fortuna, quos tam breui tempore tanta præteriti obliuio teneat. Sum memor, cum hiſce de legibus in conclaui ageretur, diſſuaſiſſe me multum ne fierent, non quod non ſanctas putarem, ſed quòd vidiſſem Pontificibus ingratas olim fuiſſe. Iacebas ex febri tu nunc. Nemo vehementius illas ſuaſit. Nemo mihi durius obſtitit hoc ipſo, qui nunc audientibus nobis ligari poſſe Pōtificem negat. Si ligari nō poteſt, cur vt ligaretur pugnabat? Si ligari poteſt, cur tantopere eſt ſibi aduerſus? Pontificatus ne oro, tam paucis diebus ingenium aliud doctrinamq; attulit? Illud vero eſt, Theanenſis: In ſumma poteſtate ſummam licentiam quærimus. Ac ne minus videa-

mut poſſe quàm homines putãt,noſtri arbitrii eſſe omnia volumus.Interim nec Dei, nec vltionis ſuæ memores ſumus.Timeo nobis,& propter nos SediRomanæ.Quamdiu Paulus in eodem iureiurando manſit ac voto, ſucceſſum præbuit Deus. Mox vt violauit,vno iudicio æſtimationis & vitæ eſt facta iactura. Clamat Propheta : *Reddite vota veſtra Domino Deo veſtro,terribili,& ei qui aufert ſpiritum Principum*: *Terribili apud Reges terræ.* Abſtulit ſpiritum Pauli,eiq; non modo vocem,ſed ne teſtem quidem interitus in morte miſerrima liquit.Sed lamentis ſit finis, quando in iis ſine fructu eſt noſtra conſumptio.Precemur Deum,aſpiciat gregem ſuum, & paſtorem eius non deſerat.Vale in Domino.Fulginii.xiv.Ianuarii M.CCCCLXXII.

MICHAELI CARCANO RELIGIOSO OBſeruantiæ.

CCCCXXII.

AVdio te prædicaturum Mediolani hoc proximo quadrageſimali ieiunio : Id mihi admodum placet,& propter ſalutem populoſæ ciuitatis,& propter me ipſum. Poſſideo,vt noſti,Papienſem Eccleſiam,quam amare facilius poſſum,quàm adiuuare. Eius arces duas leuis momenti abſtulit mihi nuper Dux,ob eam cauſam mihi iratus,quod præſenti Pontifici in electione non ſum ſuffragatus:ſecutus vt libere dicam, conſcientiam magis quàm gratiam.Res illi ad ſtatum exigua eſt: mihi ad æſtimationem non parua. Offenſus eſt Syrus Petri diſcipulus, Papienſium olim conuerſor,& cuſtos ſemper eius Eccleſiæ. Nec video quàm bene incolumi conſcientia retinere eas inuito Epiſcopo poſſit.Natura eſt acer,vt noſti,& in iracundia vix exorabilis. Ingenio & arte vinci ſæpius ſolet,quàm precibus.Mentes eiuſmodi ſolent in vtranque partem eſſe vehementes.Ad duritatem nimiam ac lenitatem, ſpiritus etiam Dei miranda in talibus operatur.Neſcio quàm tibi eum eo commercium ſit: diebus, quibus dura etiam corda molliri ad pœnitentiam ſolent,Tui nominis ſerui Dei tunc plurimum ſolent requiri.Quæſo charitatem tuam in Domino Saluatore noſtro, vt ſi quẽ aditum ad cor eius te nanciſci contingat,Beatiſſimo Syro reſtitutionem hanc opereris:In qua illi & mihi gratiæ & meriti obſequium ſiet. In omnem autem occaſionem ita deriuare in hanc rem ſermonem tuum memento, vt ex re eſſe conſilium, non ex me artificium putet.Id enim ad cætera eſt illi ingenii, vt difficillimũ præſtet ſemper, quod optari multum intelligit.Scribo quæ audio,& quæ ad rem profutura exiſtimo. Scribo etiam ſenſato,& ſancto,vt nec prudentia,nec taciturnitas venire mihi in dubium poſſit.De te hactenus non ſum meritus vlla in re. Mereri tamen ſemper optaui.Virtus tua,& claritas,& animus ad pia ſemper paratos faciunt vt ſine meritis id oneris fidenter tibi imponam.Si Deus occaſionem hanc præſtat,arripe eam.Si minus, exulcerandã non ſunt,quæ ſanari non poſſunt.Vt cunq; res cadat,tuus eſt Papienſis, & erit dum viuet. Tibi Dominus ſit ſubleuator, & comes. Bene vale in deſeſſe Dei præco.Fulginii.xvii.ianuarii.M.CCCCLXXII.

ANTONIO FORLIVIENSI CLERICO CAMERÆ Apoſtolicæ.

CCCCXXIII.

EGi tibi gratias manu Secretarii: ago nunc mea. In cauſa Guidantonii bene curata ſunt omnia. Præſtitum illi à nobis eſt, quod præſtari conditione temporum potuit.Ante tamen venturum Meſſiam Hebræorum puto, quàm gemmæ deſtinatæ creditoribus permittantur.Superueniens neceſſitas, vt turbo illas arripiet. Pauli nanque ad duritatem res omnis redibit. Ais Nicenum accelerare ſuam profectionem,vt mature in Galliam perueniat.Quid ſi hoc tantum ſtudii redibit ad nihilum? An non me dices prophetam?Non iturum illum propheto:ſi in me eſſe aliquid iudicii putas,id crede,quod dico:non ibit,erit Romæ ad colendam Sedem, quam datam à Pontifice prædicas.Exitum mox contemplare. Qui vero mitti me ad Hungariam tam multis argumentis contenderit,factum id eſt, aut quod mihi tribuat multum,aut quod Aquilegienſem ſuum nimium amet. Maiores orationi ſuæ quàm animo gratias ago.De legatione Rauennatis , & mea, quod diuturniores anno futu-

ras non

tas non credis,facile aſſentio.Quin pœnitere illos opinor ab initio datas,& nunc etiam cupere fortaſſe etiam quærere, qua minus turpi via ante annum poſſint eripere. Seruient quidem in hoc deſiderio meo, qui compoſitis pene omnibus hinc cupio abſolui.De ſtudio quærendę pecuniæ in miſſionem legatorum & obitu Maſſani noſtri,& Anglicanis eccleſiis,& Lauſanenſi etiam,intelligo quæ ſcribas. Ex noſtris ſunt moribus omnia.Fortunet Deus quæ facimus.Illud durius,& dolendum magis,quod ad tollendas conclauis leges aduocantur conſilia.Sed quorum conſilia,Antoni? Eorum videlicet,quibus ad conſequendum Cardinalatum expedit illas ſublatas. Prælatis,quos memoras,quid Romæ ambitioſius per hos annos vidimus? Aut tam ridiculum fuit ſermonibus hominum?Hoccine eſt verum conſilium quærere,an conſilii vmbratilem ſpeciem.offundi tenebræ oculis quidem inſenſatorum hominum argumentis inanibus poſſunt,ſed nec ſenſatorum poſſunt nec Dei, ad cuius tribunal cum iudicandi ſiſtemur,ex Prophetæ dictis,non Ariſtotelis, res noſtra ſtabit aut cadet. *Reddite*,inquit,*vota veſtra Domino Deo veſtro,terribili & et qui aufert ſpiritum Principum: Terribili apud Reges terræ.* Abſtulit ſpiritum Pauli, qui votum ſuum diſſoluit. Abſtulit Taruiſini præſulis,quod ad diſſoluendum impudens conſilium dedit. Videant quo progrediantur & qui conſulunt,& qui conſilium capiunt. De rebus humanis non eſt diſceptatio.Dei & populi ſui res in iudicium venient. Exempla recentia ante oculos ſtent,& calamitas impendens ceruicibus admoneat nos, placari Deum oportere,non irrideri.Hannibal ad portas eſt, nō noſtra, ſed noſtrum ſanguinem ſitiens,nec vtri regnent,ſed vtri ſint certans. Miſeros nos atq; iterum miſeros, quorum adhuc corda tempeſtas tam propinqua non moueat. Vale. Fulginii. XVIII. Ianuarii.M.CCCCLXXII.

FLORENTINIS.

CCCCXXIV.

QVod à nobis petitis, contenderunt & nuper Senenſes, vt dirimendæ liti inter Foyanenſes & Lucianenſes arbitrium ſumerem. Multa licet me grauent,nonnulla Dignitati parum conueniant,exitus harum rerum ſint ſemper incerti:anteferendam tamen charitatem omnibus duximus. Amamus vos. Amamus Senenſes.Apud alteros educati ſumus,apud alteros creuimus. Meritis multis vtraque ciuitas nobis eſt patria.Suaſimus ſemper ambabus pacem. Non præſtare cum petitur,eſt moleſtum,ac graue.Proinde aſſenſimus vobis,& benedicente Deo, permittente Pontifice,onus accipimus. Non tamen inpræſentiarum, ſine graui incommodo exire prouinciam poſſumus. Tudertinæ res ſunt nobis in manibus:ad quietem Legationis maxime oportunæ. Reducendi ſunt exules,diſſenſione ciuili inde eiecti:pacanda ciuitas,conſtituenda multa ad continuationem concordiæ maxime neceſſaria:quibus breui abſolutis vertere ad veſtra curam ſine impedimento poterimus.Interim ne quid noui oriatur mali,atque vt ad pacem prima inſtituatur via, laudamus inter contendentes anni inducias,non de finibus modo, ſed quod venire in difficultatem audiuus de prædiorum etiam tota poſſeſſione : addita lege, vt ad litem direptam vſque poſſideant,qui poſſederunt,& fructus condendi interim futuri ſint eius,cui adiudicabitur prædium.Videat Amplitudo veſtra imprimis, quid nobis conueniat,& ad perficienda quæ quærimus,opportunum quid ſit. Poteſtas vel non libera,vel ſociata,minus ad rem noſtro iudicio faceret.Idem Senenſibus ſcripſimus. Vos ſtatuetis pro ſapientia veſtra quod conuenire putabitis. Valete. Fulginii xx. Ianuarii.M.CCCCLXXII.

IO. PETRVS ARRIVABENVS CARDINALI Papienſi.

CCCCXXV.

IAm didici periculo meo, morbum corporis animum quoque afficere. Inuaſit fauces proximis diebus ſynanchia, non qualis Demoſthenem, ficta & ſimulata,ſed nimis vera.occupauerat illa, & deglutiendi & reſpirandi meatus, & ego ſentiebam,vt eſt ingens doloris impetus,animum corpuſq; cruciari. Languebat inge-

nium,& omnia mea tanquam in manifeſto diſcrimine erant attonita. Hoc accidit paulo poſt literarum tuarum receptionem. Inde factum eſt vt non citius reſponderim. Tandem, Deo iuuante, conualuimus. Excitabat me etiam ægrotantem imperiũ tuum, cupiebamq; vel ob hoc ipſum maxime liberari, vt tibi ſatisfacerem, cui præ omnibus malo obſequi: Amorem ſtudiumq; meum erga te ita tibi comprobari,& literarum tuarum teſtimonio totiens confirmari. non ægre inquam fero, immo & plurimi facio,& ingenue fateor me nulla re tam delectari, aut tantum extolli, quàm Papienſis beneuolentia,& gratia, ad quam aſſequendam vere intelligo nulla ex me merita prodiiſſe, ſed eueniſſe, vt ſincera tantum obſeruantia facile ſibi potuerit tuam humanitatem conciliare. De priuatis nihil dicam, quando exemplo tuo admonitus video prudentiam tuam Fortunam ſibi ſubieciſſe. Verum de publicis ſermonem tecum habiturus vereor ne indignitate rerum, qua neq; maiorem, neq; pernicioſiorem, neq; grauioris exempli vidiſſe, aut legiſſe me vnquam memini, modeſtiæ limites tranſeam. Sed in hanc partem potius peccabo, quam aut vera taceam, aut ſimulari apud te aliquid dicam. Dicam certe euanuiſſe apud nos honeſtatis religioniſque ſtudium: Conglobatim facto agmine deſcendiſſe ad nos vitiorum omne genus. Vno meliores ſumus, quod hypocriſim abiecimus: in malitia gloriamur, & in hoc robuſtiores facti ſumus. Vtinam non in profundum malorum corruiſſemus, vt illud de nobis vere dici poſſit: *in quos fines ſeculorum deuenerunt.* Mala inique agimus: Bona vero non bene tractamus. Expedit Fidei, expedit honori & ſaluti Eccleſiæ, vt Legati decernantur, ad prouincias emittantur, qui Reges, potentatus, Nationes in officio continere, qui vitæ exemplo, doctrina, puritate mentis in auxilium fidei excitare poſſint: Pium opus huic negocio intendere. Sed quid agitur? Perquiruntur idonei. Hactenus placet tam accurata diligentia. Sed quorſum euadimus? In conflictum res adducitur. Non tam qui vtiles, quam qui aut Catoniani aut Phocioniani ſunt deligantur, ne aliquando in theatrum Cato ſeuerus veniat. Vide quid in his electionibus expendatur. Ille nim s acer caſtigatorq; malorum. Ille cõtumax nobis fuit. Non aſſentietur. Ille præcipitio & foueæ quam paramus. Cauſas agit ille bonorum. Non arridet, non blanditur, non minimum gerit. Vtiles erunt Reip. ſed foris ſint. Sub nomine Legationis relegati ſint. Vnus proficiſcatur ad penitus toto diuiſos orbe Britannos: Alter ad glacialem Arcton. Alius deportetur in claſſem. Ex bona cauſa ſumatur occaſio depaſcendi affectus noſtros. Accedit quod alter veluti in Salapiam Hannibal ad Campanas delitias,& Gaditanas choreas ſibi triumphum expoſcit, & ſicuti iis violentum munus imponitur: ita huic ſpontanea exoptataq; prouincia decernitur, duplex lætitia. Non poſſum non mecum ſtomachari diſtractionem eccleſiæ, quam hę concurſationes cum ingenti iactura,& honoris,& commodi pariunt: placeret certè viros ſenſatiſſimos,& integerrimos emitti. Talium quippe opera etiã foris indigemus. Sed quod in re militari prouideri ſemper ſolet, negligemus in eccleſiaſtica? Subſidiaria acies apud ſigna retinenda eſt. Si pelagus intumuerit, venti inualuerint, tempeſtas ingruerit, quomodo euacuata rectoribus nauis ſeruabitur? Quis clauum torquebit? quis eriget nutantes ſocios? quis ducet in portum? Veterani, non Tyronis opera ſunt iſta. Cum his, qui deſignati ſunt, neruus omnis ſenatus abibit. Te abſente, mi Papienſis, non dico ad gratiam colligendam: loquor mehercule pro veritate, diminuti eramus. Satis de auctoritate loci: immo magna pars eius ſublata erat. Retines enim tu veram præ omnibus ſenatoris dignitatem. Proficiſcentibus vero his, aliis vigor omnis extinguetur. Facilius inſultabit Eccleſiæ quiſquis ad nutum ſuum trahere vult. Scio, miraberis. Damnabis fortaſſe hanc libertatem loquendi. Iamprimum puto omnia apud te licere. Tum eo rerum venimus, vt mutũm eſſe neceſſe ſit, qui loqui non vult. Moleſta fuit eritque mihi ſemper abſentia tua, quod te præſente frui nequeam: ſed eo minus grauis, quod bene tecum actum eſſe video, qui hoc tempore à nobis abſis, apud quos neq; bene videre, neque bene audire poſſes: bene loqui non ſatis tutum. In hac rerum conditione nulla tibi vita aut ſecurior, aut quietior, aut ingenio tuo accommodatior obuenire poterat. Recte prouidiſti. Sagaci conſilio vſus es. Inuidiam fugiſti, declinaſti exilium, honori conſuluiſti. Vides vt paulatim pedetentimq; in turpitudinem dilabimur. Nemo pudorem

dorem repente abiicit:ſed malefaciendo ita vitiis inſueſcimus, vt maiora aggredi in dies non deſit audacia Eiectus es tenero adhuc pudore ad loca finitima. Confirmato nunc vultu,& erecta fronte alii ad remotiora detruduntur. Sane tecum ſentio, calicem tibi fuiſſe bibendum ſi affuiſſes,& legitimam video eſſe cauſſam: quam aſſeris declinandę,ſeu recuſandæ illius prouinciæ. Ad ſummam & hoc tibi gratulor, quod non fueris apud nos in tanto diſcrimine. Dices fortaſſe, vt ad ſuperiora redeam: Magnum præſidium domi excogitatum eſt: Suffecti noui ſenatores. Recte admones: non aduerteram. Numero tantum decidimus, quod plures abibunt quàm ſuborti ſint noui. Non minus auctoritatis manebit tamen. Poſtulas tu vt te moneam, quomodo ituri ſint legati noſtri. Non audio ſtatutam adhuc diem, & incertum eſſe profectionis tempus,& vt ſcribam quod ſentio, non magna video ad itinerandum ſigna. Satis frigide omnia. Non feruet opus vt in re tanta. Neſcio quo fato, aut cuius animo id fiat. Suſpenſi ſunt omnium animi vulgari quadam expectatione. Quid euenturum ſit ignoro. Et quia Romæ certa veluti peccatorum venia facilius promittitur, fortaſſis de induſtria quadrageſimam apud nos agent, vt poſt Paſcha nitidiores abeant. Sentio tamen incertam eſſe Niceni profectionem, ſiue is tergiuerſetur, ſiue ex Sibyllinis libris nouum conſilium erutum ſit. De paranda claſſe iam ſermo factus eſt:ſed non ſatis ſe explicant. Promittunt ſibi quod nondum habuerunt. Cras hinc abibit Piſanus Archiepiſcopus, cui audio id muneris mandatum eſſe, vt quinque triremes in portu Piſano ad nauigandum componat. Totidem audio Anconæ fore. Sex à Venetis ſperantur. Reliquum ad numerum xx. ex Mediolano, & Liguribus, aut aliunde comparabitur. Hæc fortaſſe verba:ſed quod de corradenda pecunia agitur, illud non deerit. Quid de Aquileienſi tuo dicam neſcio, cum is ex rebus Hungaricis pendeat, quarum varius rumor eſt. Si ille Rex Pannoniorum Turcos euocauerit, aut ſe eis coniunxerit, non de pacando Polono, non de vendicanda Bohemia, ſed de ſeruanda Italia cogitandum erit. Verum vtinam externum hoſtem tantummodo formidemus. Vereor ne domeſticus aliquis tumultus obrepat, quod ſatis incommode certe contingeret Cometam quem vidiſti, peſtis, & ingentis cuiuſdam cladis prænuncium eſſe memorant, qui aſtrorum periti ſunt. Miſereatur noſtri Deus, & ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos faciat. Mecœnas meus vrgetur à Bononienſibus, vt redeat. Pollicitus eſt ſe ad principium Quadrageſimæ iturum. Cauſa eſt, quod legatum volunt non ſubſtitutum, vt maiore auctoritate omnia tranſigantur. Noui aliud nil habeo,& hæc tumultuarie ſcripſi. Commendo me dignationi tuę. Romæ xx. Ianuarii. M.CCCCLXXII.

GENTILI VRBINATI.

CCCCXXVI.

O Dignum Epigramma Gentilis! Neſcio aptius ne ſit an feſtiuius: an vero etiam verius. Auro nullo emi ſemiuerſiculus ille poteſt. Inſtituit dicere ſum quod erā. Vel Campani eſt: Vel tu Campano aliquādo melior. Valeat Abbas. Nec cedere vult: nec ego nulla de cauſa poſſum redire. Puer, Monachus, & mulier eodem ingenio ſunt. Fulginii XXII. Ianuarii. M.CCCCLXXII.

CAMPANO.

CCCCXXVII.

ANtequam ſoluam literas tuas, illud Cæſarianum murmuro mecum: Magni refert quid Campanus velit. Quicquid enim vult, valde vult. Tantas eſſe tibi cum tuis Valerianis cauſas neceſſitudinum prædicas: Tam lōgo exordio eorum merita repetis, vt neceſſitatis futurum ſit, non voluntatis, quod tua cauſa illis præſtabo. Nemo tamen in hanc choram venit ad me. Nemo petiit quicquam. Aut non egent, aut terrentur hyeme, aut diuinum me putant, quòd priuata eorum prǽuidens deſideriis vltro ſim occurſurus. Si venient, ſentient Campani numen in prouincia eſſe. Si quæris vt valeo, bene cætera, præterquam quod tecum non ſum. Fulginii XXIII. Ianuarii. M CCCCLXXII.

GENTILI VRBINATI.

CCCCXXVIII.

REſpondi tibi, quàm diffiderem voluntati tui Abbatis: diffido nunc quoq; Si tamen vere ab illo agi exiſtimas, ne indigneris plus credere me mihi, quam tibi. Conare ſi potes ad rem Tudertinam perfectam Romæ illum tenere. Poſt id enim tempus relictis reliquis non tam curſu, quàm volatu contendam ad vos. Ante fine nota vel leuitatis, vel cupiditatis non poſſum. Breui autem futurum puto, quod dico. Si tamen teneri ille non poteſt, mitte hominem liberum, ne dicm tibi apud Spoletanum de illata vi dicat. De Niceno, & Vicecancellario mira ſunt quæ nuncias, non tamen cæteris veſtris vrbanis contraria. Huccine oro redeunt tanti Senatus conſilia, ratione ante præuiſa, & Patrum Pontificiſq; ſtabilita iudicio? De ludicris agimus Gentiles: an Chriſtianæ rei ſumma ſalute? Qui nunc de nobis in plebibus ſermo? Miſerum me: Quam ferri nos vndiq; in præcipitium cerno! Galliam videris ſuadere. Quid tu? Repudiatam prouinciam honori? leuem nationem vſui? inopem gentem ſubſidio futuram exiſtimas? Aut magnum nomen te decipit: aut minus me amas, quàm puto. Valeat cum ſuo ſonitu Gallia. Mille alia commutationem hanc prohibent. Vmbriola mea nil mihi ad quietem hoc tempore charius. Vale. Fulginii die XXVI. Ianuarii M.CCCCLXXII.

B. CARDINALI SPOLETANO.

CCCCXXIX.

MAnus Domini, Reuerendiſſime Pater, quæ filium veſtrum in adminiſtranda prouincia huc vſq; adiuuit, etiam in dirimenda Panigalium lite nō defuit. Pronunciatum eſt inter Oddos & Bracchium: Atq; eius ſiue reuerentiæ, ſiue moderationis iudicium fuit: Vt ab vtriſq; habitæ iam mihi gratiæ ſint. Videor liberaſſe Peruſinam ciuitatem non leui periculo: me magna moleſtia: Dignationem veſtram labore ac tædio. Neq; enim voluendi, & relegendi erunt commentarii cauſæ, qui magnitudine ſua eam terrebant. Si plantula hæc veſtra alios non tuliſſet in legatione hac fructus, nunquid ſacculus ſine tumultu factus: & tanta ſine lamentis ſublata contentio, paucis menſibus nouo Legato ſunt ſatis? Non tam me laudo quàm gratulari charitatem veſtram cupio, quòd Papienſem dedit Eccleſiæ. Si rem nunc Tudertinam compono, eſt quod illi ambabus manibus benedicat. Nactus opportunitatem tranſeuntis nuncii pauca hæc ſcripſi: veniam poſtulans, ſi nimium, vel leuiter, vel familiariter patri grauiſſimo ſcribo. Fulginii XXVIII. Ianuarii M.CCCCLXXII.

FLORENTINIS.

CCCCXXX.

IDeo vobiſcum erimus breuiores, quod de hiſce rebus inuitiſſimi loquimur: Ne aut de ignotis diſſerere: Aut de alienis plus iuſto videamur requirere. Summa eſt, vt ſi minus conueniri inter contendentes de induciis poteſt, quod tamen poſſe ſaluis eorum rebus exiſtimamus: à vobis tamen, & Senenſibus adhibeatur cura, ne quid interim incommodi accidat, quo iudicandi conditio difficilior fiat. Valete. Vltima Ianuarii. M.CCCCLXXII.

B. CARDINALI NICENO.

CCCCXXXI.

LIteras, Ampliſſime Pater, quas datas ad me ſcribis, poſt reditum Raphaelis ſcito nondum redditas eſſe. Si fuiſſent ante, tu ad eas reſponſum accepiſſes, quàm hæ ſecundæ huc eſſent perlatæ. Quod ad legationem depoſitam attinet: Tanti cōſilium tuum, tanti animum ad publica facio, vt certus ſim, ſi in ea profectione ſalutem vllam inſpexiſſes, maluiſſes vitam, quàm illam deponere. Hac igitur ratione laudo quod factum eſt. Mihi quoq; congratulor, quod tanto non patrono modo, ſed patre non priuor. Vbicunq; futura eſt virtus tua, præbitura eſt Deo conſueta obſequia. Nec minus eſſe Romæ vtilis quàm in Gallia poterit. Scio quàm deſides omnes ſimus, & quàm

ad priuata noſtra conuerſi: quam denique te auctore atque impulſore in minimis etiam plærunque egeamus. Mihi quidem, vt verum fatear, quod apud Pontificem te neceſſarium ſcire, in Gallia magnam eſſe tuam auctoritatem acciperem, illud Danthis Florentini occurrebat: Si mittitur Nicenus, quis hic reliquus erit? Si non mittitur, quis alter mittetur? Quando igitur manendum tuæ Dignationi eſt, duo imprimis non conſulo: quis enim id tanto patri audeat? ſed fideliter memoro. Primum, vt Pontificem noſtrum in via recta contineas. Alterum, vt ambitioni eorum reſiſtas, qui diſſipari rem Eccleſiæ vel quærunt, vel optant. Audio multa, quæ ſi vera ſunt, vereor ſatis ne mox pœnitendum ſit nobis negligentiæ noſtrę. Plurimum potes, vt audio: fac miniſtram Dei hanc poteſtatem, & illud Domini ante oculos habe: *Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo.* Ego quidem tempore hæc noſtra conſiderans, ſi ſpes in te vno non eſt, actum de nobis pronuncio. Vale. Fulginii v. Februarii M.CCCCLXXII.

GENTILI VRBINATI.
CCCCXXXII.

NEmo ſciat Gentilis, poſtulo præſenti nuncio miſſionem. Retine Abbatem, ſi potes. Videbimus quid animi habeat. Cœnobii cauſa non venio. trahunt me publica. Fulginij.

CAMPANVS CARDINALI PAPIENSI.
CCCCXXXIII.

LÆtitia incredibili efferor, cum quicquam audio (audio autem quàm ſæpiſſime) quod te in opinione hominum confirmet. Nulli prouincialium Romam veniunt, qui non ea de præclariſſimis virtutibus tuis prædicent, quorum non minor ſit nunc admiratio apud cæteros, quàm fuerit ſemper expectatio mea. Permagni refert primã legationem quam præclare in ciuitatibus, & populoſiſſimis, & factioſiſſimis geras. Domeſticam moderationem, & familiaria officia tua intelligebamus iam pridem omnes, induſtriæ, & conſilii publicis in rebus nondum periculum feceramus. Prouinciam accepiſti tanto glorioſiſſimam tibi, quanto fuit iis, qui ante te geſſerant, difficillima. Quocirca eo maior apud homines eſt tua gloria, quo fuit cæterorum tui ordinis in tanta expectatione multorum diſceſſus remiſſior. Ego vero nomino neminem, quippe quorum fuerit exitus non diuerſus. De te autem hoc eximie dixerim, te inter factioſos, & turbulentos ea fuiſſe conſtantia, grauitate, patientia, vt omnium de te idem ſit teſtimonium, & ab vtriſque pari iudicio lauderis. Communis mihi hæc gloria tecum, niſi quod maiorem ego capio voluptatem quàm tu. Quicquid enim de te audio, & efferor licentius, & adulationis ſuſpicionibus careo. Sed Forteguerra inſtat. tu vale. Romæ pridie nonas Februarii M.CCCCLXXII.

N. CARDINALI THEANENSI.
CCCCXXXIV.

RVmoribus magis quam nuntiis audio Ducem Mediolani parare claſſem nõ mediocrem. Terreſtres etiã exercitus augere, & cogere, à Bartholomæo Bergomẽſi idem magno ſtudio fieri: Horum autem cauſam vulgari: vel ſponſionem certaminis recepti, vel occultum conſilium, quo in alicuius peſtem ambo conſentiant. Non deſunt qui putent ductarum in Florentinos Barthlolomæum Mediolanenſem in noſtros Senenſes. Ii quidem vt videtur, ſibi plurimum timent. Scripſerunt enim ad Ferdinandum Regem, ſcripſerunt ad Venetos, vtriſque metum hunc proponentes. Tributum quoque aureorum quinque milium ad muniendas tantum arces, & oppida decreuerunt, miſſo raptim Præfecto, qui maritimam eorum oram circuens confirmet animos, & neceſſariis inſtruat. Aiunt porro, Flaminiam omnem in ſtudium vel Regis, vel Ducis contrariis ſtipendiis ſciſſam eſſe, & Ferrarienſem nouas copias ſcribere, quibus aut tueatur ſua, aut aliena oppugnet. Varia prout cuiuſque affectus eſt de exitu iudicantur. Omnes tamen in communem Italię perniciem erupturam expectationem affirmant. Ego cum his montanis prouincialibus ſolum cõmercium habens

audire quidem multa huiuſmodi quotidie poſſum: nulla autem vel ratione aſſequi, vel certa ſignificatione percipere. Oro igitur Dominationem veſtram, ſi quid de his exploratum habet, quod per ſuam æſtimationē communicari Papienſi liceat, id eius beneficio faciat. Etenim & ſepulta in corde erunt omnia, & dubiam mentem vel liberabunt timore inani, vel pleno dolore afficient. Audio inſuper Nicenum noſtrum depoſuiſſe in Senatu prouinciam: Hoc quoq; an ita ſit, & cur ita ſit factum, atque an alium ſuffecturi loco eius ſitis, opto cognoſcere. Nimia fiducia ſit in culpa, ſi nimium peto. Valeat D. veſtra, cui me commendo. Fulginii VI. Februarij M.CCCCLXXII.

ANGELO EPISCOPO TYBVRTINO.

CCCCXXXV.

VOcat me Pontifex Romam: vocationis cauſam ignoro. Scribitur tamen, redeundum paulo poſt in prouinciam eſſe. Poſt biduum igitur iter ingrediar, & mandatum implebo. Quicquid id eſt, propter quod vocor, mox vt vrbem attigero, ſcies ex me. Interim præſta te ipſum, quem hucuſq; cum tua commendatione, ac mea experta eſt Vmbria, fortem, & iuſtum, & integrum, nil agentem vel metus cauſa, vel gratiæ. Si potes virtutis hanc opinionem in finem ſeruare, lucri plurimum facies. Multa eſt enim, & profutura in poſterum non parum videtur. Ego quæ de te prædicaturus ſim, Romę malo aliorum inde teſtimoniis, quam hinc meo intelligas. Perſoluam certe quæ meritis tuis, & noſtræ beneuolentię debentur. Operępreciũ puto nunc, vt lectis his litteris magiſtratum ad te illico voces, & ad meam exhortationem, quæ cum præſentibus erit, addas tu aliam: qua intelligatur, quanti futurum apud me ſit operibus noſcere mentes eorum, pręſente & abſente Legato eaſdē eſſe. Inſtrui ad hæc opus nō habes. Es enim prudens, nec minus lingua, quàm ingenio vales. Cętera quoque prouincię loca tibi ſint curæ, vt non ſegnius ad longinqua, quàm ad propinqua excubent oculi. Sentiat omnis Legatio, miniſterium tuum præſto indigentibus eſſe. Quod eo diligentius conari debes, quod non ignoras, hanc partem, quę ſuo nuper pręſide regebatur, perinuite adminiſtrationi Peruſinæ ſubeſſe Summa eſt: vt tui continuo ſimilis ſis, & quod iunior feciſti grandis natu non negligas. Ab vrbe quæcunq; adiumenta requires, me impetrante accipies. Placet decretum noſtrum, cui per hos dies obſtatum eſt, tandem in Archiua relatum. Dolebat id Perufinis, quòd ſalutem medicina afferebat. *Nulla enim remedia*, inquit Cicero, *quæ vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quàm quæ ſunt ſalutaria.* Puto virtute tua potiſſimum mollitos aduerſantium animos eſſe, & noſtris obtemperatum imperiis. Quam ob cauſam tibi, mi Tyburtine, gratias ago. De caſſide prætori decernenda laudo conſilium. In Rodulphi reditu vltima ſunt tentanda ſuffragia. Ea ſi nunc quoque negantur, tentari vlterius veto. Beneficio Dei abunde eſt Sedi: vnde abiens magiſtratu Prætor bonus honorari in aurata caſſide poſſit. Quæſtorem noſtrum, quem in vendundis focis refrixiſſe affirmas, ego quoque pernimium miror. quid tantum ardorem ad tantum languorem deduxerit, non ſatis agnoſco. Aut rem creditam negligit, aut negotio perambulante in tenebris retinetur. Quicquid id ſit, munus ſuum eſt, totum dedecori ſuo, vel laudi ceſſurum. Nos & noſtra curemus, & alienis non ante feramus opem, quàm imploretur. A Cæſare ſi vera tibi narrauit, abunde mihi eſt ſatisfactum. Laudo ingenium eius, quod memor beneficii ſit, & ad arbitriũ meum omnia referat. Cura vt noſcat, quàm bene hunc ſermonem acceperim. Componere cum fratre rem diu litigatam: ſi potes, hortor vt facias: Erupturam eam alioquin in gladios puto. Scio quid hic petat, quid ille etiam neget. De patrimonio tota contentio eſt: Et quod miſerius inter fratres eſt, de falſo itidem teſtamento. Sananda plaga videtur occultis tractatibus: non exulceranda apertis iudiciis. De nocturnis graſſatoribus laudo diligentiam tuam. Cura vt quando alter in manus tuas incidit, alter aufugit: Ambo ſceleris ſui dent pœnas. Plus adhuc ſuppliciis, quàm præmiis ciuitatum ſtat ſalus. Minas Protonotarii Perufini tanti hortor facias, quanti non modo tu, ſed ego quoque faciendas exiſtimo. Ad me quoque litteras ſcripſit, in quibus minus rogare videbatur, quam velle. Etiam Fulginium veniens ita locutus eſt, vt iniuriam, non beneficium recepiſſe ſe noſtra opera videatur. Feramus æquo animo vultum non tam iudicio, quam natura

inſolen-

Digitized by Google

inſolentem,& munus noſtrum non deſeramus. Si qua tamen ratione ſatisfacere homini potes,laudo id fiat:vna opera vitabitur lingua maledica,& quotidiana moleſtia. Si ad te veniet,benigne eum accipito. Si ſcribit,reſponde nõ aſpere:ſemper tamen facti tui rationem oſtende. Lege quas inter ſcribendum ab eo litteras habui:non diſſimiles prioribus illas putabis. Reſpondi ad te Petuſiam veniat, & quod ſuaſetis non aſpernetur: Etenim nihil in hunc diem factum me ſcire: quod non ſua potius, quàm aliena factum ſit gratia. Venientem accipe,vt dixi:& hanc curam depone. Confirma meis verbis Prætorem, ac Capitaneum. Balliono etiam noſtro præſentem profectionem communica.Hortare,ſi quid ab vrbe cupit,animum eius aperiat:nihil recuſaturum me vnquam,quod æſtimationis ſuæ, & commodi futurum intelligam. Supra omnes Peruſinos virum bonum puto illum, & mihi amicum. Idem facito cum Paulo Pellino, Petro Sinibaldo: & Pierguiliotto ciuibus ſenſatis, & recti ac æqui ſemper amantibus. Vale.Fulginii xv.Februarij M.CCCCLXXII.

ANGELO EPISCOPO TYBVRTINO.

CCCCXXXVI.

HOdie Arignanum vſque: Cras in vrbem incolumes omnes. Magna vbique de reditu hoc expectatio.Cuncti me in Galliam ſermonibus trudunt:ego Petuſiam ſpecto. Rogati quique obuii, quid ab Vrbe noui: Papienſem inquiunt in Galliam. Quid quæris?tanti eſt Papienſis,vt nomen eius perſonent viæ.Scribam mox vbi nam gentium Roma me velit. Vmbriam cogito ego,vel mordicus retinere. Vale. Arignani xxi. Februarij M.CCCCLXXII.

ANGELO EPISCOPO TYBVRTINO.

CCCCXXXVII.

RVmor Gallicanæ Legationis iam deſiit. Rogare me amodo omnes incipiunt, quando in prouinciam redeo: Sic popularis opinio nulla de cauſa ante aſſumpta, primo aduentu meo depoſita eſt. In Pontifice non modo voluntas,ſed ne ſermo quidem fuit rumori illi conſentiens. Habuit in hunc modum ſe res: Prouinciæ decretæ cum ceſſiſſet in Senatu Nicenus,nil cauſæ præter valetudinem afferens: Pontifex,qui meminerat quanto ſtudio fuiſſet ante petita, mirareturque tam paucis diebus voluntatem mutatam,de conſilii ſententia non accipiens ceſſionem, monuit tantum, vt ſanius cogitaret. Hac in ſuſpenſione perſeueratũ eſt in diem præſentẽ. Nunc vero cum ad ipſum Nicenum humaniſſime ſcripſerit Francorũ Rex, gratulans legatione, hortanſq; ad maturandam profectionem, quam ſibi, & Regno futuram lætam affirmat, viſus eſt in deſiderium primum redire. Neſcio quam nunc in partem ſe vertet. Puto, cum fatales dies inſtent,de quibus tibi eſt cognitum, hunc, & alios non prius in prouincias abituros,quam illis ſimus defuncti. Rem ſane non tam incertã, quam Sacerdotali ſorte indignam. Ego decretis iis,quorum cauſa ſum euocatus,poteſtatem accepi vel redeundi ad vos,vel ſi malim,hic remanendi. Reditc multis de cauſis propoſitum eſt. Sed illa imprimis,quod quantũ video,vtilius iſthic regere, quam hic poſſum conſulere. Itaque Legatum breui expecta. De ſacerdotiis Tyburtinis,& Romano etiam,de quo præſens egeras mecum,conſtitui cum fratre tuo quid eſſet agendum. Vocaui illum ad me,& oblata impedimenta cognoui. Crede me nulli tuo,vel loco, vel tempori defuturum. Vale. Romæ v. Martij M.CCCCLXXII.

BARTHOLOMÆO SCALÆ.

CCCCXXXVIII.

NVlli mea commendatione ad te veniunt, vt non ſtatim pro tuo in eos patrocinio mihi gratias agant: teſtentur etiam quàm me ames, & quanta meritis noſtris tribuas. Merita quidem nulla ſunt, vel admodum parua. Sed animus tuus magnus eſt, quo illa plus iuſto expendis. Quod ergo amicis meis inſeruis, debeo tuæ diligentiæ plurimum. Quod vero me amas,permultum mihi cõgratulor. Bonorum enim & doctorum virorum ſtudia ante omnia expetii ſemper, & inter prima dignitatis ornamẽta repoſui. Amaris quoque à me,quàm fieri merito debet: ſed amorem hunc noſtrum

multa non tam nunc primum conciliant, quàm ex vetuſto confirmant. Adoleſcentes olim eandem ſeruiruté ſeruiuimus. Vicini habitauimus. Iiſdem litteris, ac prope præceptoribus operam dedimus. Paupertatem etiam grauem pertulimus. denique aſpirante Deo noſtræ induſtrię, ambo ad honores, & vitæ commoda emerſimus. Recordatio primæ conſuetudinis huius, & fortunę inde conſimilis me vſque in amore continuit. Idem tibi eueniſſe cum videam, ſupereſt modo, vt litteris atq; officiis veterem coniunctionem ſeruemus atque augeamus Id pręſtabo ego. Id ipſum præſtaturum te puto. Ex iis autem, qui mea gratia affectos ſe tuo beneficio dicant, Gentilis Peruſinus eſt, homo plus adhuc virtute, quàm genere nobilis: cuius ideo ad me litteras incluſas his mitto, vt videas, & quam tibi debeam ego, & quam debere ille tibi ſe putet. Vale. Romæ quinta Martij M.CCCCLXXII.

ANGELO EPISCOPO TYBVRTINO.

CCCCXXXIX.

RESumpſit hodie in Senatu Nicenus legationem depoſitam. Ibit, & ſuſpenſione animi liberabit, quo premebar metus, ne id oneris in ſe volueretur. De me cum tibi ſpem manendi dediſſem, nunc certã rem monſtro. Nunciare hæc potes vbicunq; ingratam eſſe prouinciæ dimiſſionem cognoſcebas. Multi qui ad me iſthinc vel ſcribunt, vel veniunt, hortatu tuo, & ſcribere, & venire affirmant. Petunt quoq; vt plurimum, quę ignorans ego ad te cogor reiicere Rogo non modo id non fiat poſthac: ſed ne ſine cauſa vexer prohibeas. Reliqui tibi plenam Legationis poteſtatem. Nec ad capiendum conſilium deeſt ſenſus, aut vſus. Moleſtum mihi eſt valde vel de re incerta decernere, vel vacuos remittere, qui impendia itineris faciunt. Totiens offendor, quotiens tale aliquid lego, aut audio. Proſpice neceſſariis quantum potes, & moleſtias venientes auerte. Perueniſſe iam iſthuc puto rumoribus, quæ beneficio Ferdinandi Regis ſunt à nobis remiſſa. Pauca ea numero, ipſo pondere magna æſtimantur. Redditus eſt Ducatus Soranus, & condonatus Regni cenſus, tam qui debebatur, quam qui viuo illo poterat in futurum deberi. Pro iis & triremes duas ad cuſtodiam noſtri littoris continue exhibet, & Romanam Eccleſiam ſuis temporibus tueri ſpondet omnibus tam ſtipendiis, quam viribus, & exercitibus Regni. Fructuoſa admodum res, ſi dicto fides conſentiat. Addita illa cautio eſt aſſentiente eodem, ac recipiente, vt liberalitate omni noſtra cadat, ſi à promiſſis abierit. Deſpondebitur mox neptis Regia Præfecto vrbis, nepoti Pontificis. Idemq; ducatus dos erit. I nunc Tyburtine, & in retinenda Sora vende animam Paulo ſecundo. Vale. Romæ XIII. Martii MCCCCLXXII.

M. CARDINALI AQVILEGIENSI LEGATO *Apoſtolico.*

CCCCXL.

QVo die, Reuerendiſſime Pater, vrbem ego ingreſſus ſum, eodem tu neſcio qua mea infelicitate diuerſo itinere egreſſus in prouinciam es. Ad ſextum miliarium obuium habens Leonardum Peruſinum ſcholæ palatinæ magiſtrum, intelligenſque ab eo, quod factum erat, ingemui, & lachrymas tenere non potui. Affectus omnis, quo in complexum tuæ Dignationis paucarum horarum ante fruſtratus eſt. Impetus pene me coëgit per auia qua fors obtuliſſet, in viam Sutrinam decurrere, & te alicubi aſſequi: ſed meridies iam erat, & equi matutino itinere fatigati laturi eam accelerationem non videbantur. Quieui ergo mœſtus multum, & veſperi Romam intraui hoc vno tunc ingratam, quod te diem adhuc nõ tenuiſſet. Poſtridie Neapolitanum noſtrum complexus, nullis affectibus ambo pepercimus. De te & publicis omnibus ſermo continuus, atque iis ſuſpiriis, & deplorationibus plenus. Narratione vna tuam miſſionem, & præſentem ſtatum cognoui. Allatæ ſunt paulo poſt litteræ tuæ, in quibus, vt manum tuam inſpexi, commotus vehementer animo ſum, & Marci nomen ſum oſculatus. Suas mihi Neapolitanus, ego illi meas legendas porrexi. Rurſum tu inter nos tertius quem quaſi præſentē alloqueremur, ac videremus. Gaudeo quod lætus abeas, & abeſſe diu nũ reformides. Veri Sacerdotis opus hoc eſt, noſcentis quid hoc

hoc tempore Deo, & plebi ſuæ à noſtri ordinis hominibus debeatur. Hanc conſtantiam quo rariorem in cæteris video, boc in te laudo magis, & mihi ad triſtitiam deputo, qui tantam virtutem habiturus præſentem non ſim. Deus, in cuius militiam proficiſceris tam firmo pectori aſpiret, & greſſus ſui ſacerdotis in ſemitis ſuis ambulantes benedictione ſancta confirmet. Commendas mihi publicam cauſam. Pia & religioſa eſt cōmendatio. Sed in his moribus quid poſſim non video. Tranſierunt omnes in affectū. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum.* Nihil tu vidiſti præſens, quod magnis incrementis dies nō augeat. Magna miſericordia Dei eſt opus, vt & ſalui nos ſimus, & alios ſaluos faciamus. Inuocabo nomen eius, & erratis noſtris veniam deprecabor. Hoc tantum preſtare tuis monitis in tanta perturbatione omniū poſſum. Sed & de te non eſt neceſſe Papienſem admoneas. Quid tibi non cupio? aut quid tua cauſa non ſum paratus præſtare? emori poſſum pro Aquileienſi cum expedit. Nihil de rebus tuis ad collegium referetur, in quo ad tuendam ornandamque Legationem non primus proſiliam, & præſtem quod debeo. Nihil in priuatis amicorum, aut domeſticorum notū fiet, quod non ſumma fide capeſſam. Det ſucceſſum meis conatibus Deus: Voluntati quidem nil durum, aut multum vnquā videbitur. Germano Abbatis Plagiarii hoſpitis tui ſic ſatisfaciam, vt plane intelligat, quanti apud filium ſit patris auctoritas. Bene de illo in nōnullis ſum meritus. Mereri amplius nunc tua commendatio cogit, quod mox ad animum faciam. Cura pater valetudinem tuam, nobis te ipſum conſerua, & vide ſemper quibus animam credas. Plena hoſtium noſtrorum ſunt omnia, tibique cum diuerſis hominum generibus futurum negotium eſt. In meis omnibus ſacrificiis adiumentum præſtabo, quale peccator poteſt: in tuis quoque ſcio immemor tui non eris. Aſſit ſpes Domini ſemper, & diligentia viri ſenſati, & cauti. Quæ poſt tuum abitum accidere, perlata ad te aliorum literis puto. Summatim hæc ſunt: Liberatus eſt cenſu Regni Ferdinandus, & Ducatus Soræ illi reſtitutus, Præfectus Vrbi creatus nepos Pontificis, cui Regis filia nubit: Idemque ducatus conceditur. Quatum rerum cauſa iam Neapoli eſt. Triduo ex podagra Pontifex iacuit, ſic leuiter tamen, vt ſacris Paſchalibus non ſit defuturus. Dominus illum reſpiciat. Quid aliud nunciem neſcio. Mittet ad tuam Dignationē infelix, ac dignus miſericordia Epiſcopus Nitrienſis breue Pontificis mea procuratione impetratum. Spoliatus eccleſia ſua eſt, & cœnobiis duobus à ſuperbiſſimo omnium coepiſcopo, cui quod debet licet, & poteſtatem conceſſam ad alienam peſtem ſemper exercet: oro illi non deſis. Memento quod tibi derelictus eſt pauper, & quod hæc dicit Dominus exercituum: *Miſericordiam & miſerationes facite vnus quiſque cum proximo ſuo. Eripe hominem de manu peccatoris, & contra legem agentis, nec conſideres vultum potentis.* Hoc tuam pietatem per meam in te charitatē oro, & obſecro. Annos iam multos pulſans ad fores iudicii noſtri, qui ſubleuaret nō adinuenit. Sperat in te. Nitere quantum potes, vt ſpes ſua fruſtra non ſit. Dominus tibi à dextris ſemper ſit ne commouearis. Bene vale. Romæ XXVI. Martij M.CCCCLXXII.

VALENTINO CLERO PAPIENSIS PRO VICEcancellario.

CCCCXLI.

Dies tandem illuxit, venerabiles in Chriſto fratres, quam ſemper optatam, ſemper quæſitam antehac, tempora non permiſere. Venimus ad ſponſam noſtram Valentinam eccleſiam gloria ſacerdotii toto orbe illuſtrem. Recognoſcimus populum noſtræ cuſtodię creditū, religione, & fide nulli Chriſtianę vrbi cedentem. Contemplamur deniq; venerandum hunc, & vere dignum ſorte Domini conſeſſum veſtrum: quo vno plus longe quam cæteris lætamur, extollimur, ac gloriamur. Agimus igitur gratias omnipotēti Deo, tanti huius muneris largitori. Nomini ſancto eius benedicimus: illudque propheticum cum ſancto Sene cantemus: *Nunc dimittis ſeruum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum: quo tandem pax, & conſolatio cupienti animæ eſt data.* Agimus & Beatiſſimo Pontifici noſtro Xyſto, qui ad hæc regna occidua noſtrum miniſterium deligens, patriæ, & parentibus longo poſt tempore ipſos uos reddidit. olim autem cum præpoſiti huic tam venerandæ Sedi eſſemus, nunquam ne iuuenilibus quidē annis nos latuit, & quid noſtri mu-

neris eſſet, & quid publicum ciuitatis deſiderium ferret. Sciuimus quantum ad pie viuendum conferat Paſtoris præſentia, quanta gregi curante illo, proueniat ſalus. Non ignorauimus, Epiſcopi, hoc eſt, Superintendentis nomen propriam, non alienam pro ſe operam poſcere. Scripturam quoque præcipientem audiuimus: *Cognoſce diligenter vultum pecoris tui, & tuos greges conſidera.* Sed teſte Deo, cui omne cor patet, his omnibus voluntas nunquam impedimentū, ſemper neceſſitas nobis dolentibus attulit. Parendum fuit ſummo omnium patri, & à maiorum decretis nòn abeundum. Cardinalatus hęc dignitas maiori quodam vinculo Apoſtolicę nos Sedi aſtringit. Ad illius aſcripti conſilium niſi cum mittimur, abeſſe non poſſumus. Accedit Romanæ Cancellariæ ingens quidem, & operoſa adminiſtratio, cuius cum apud Pontificem ſecunda ſit cura ad totius Eccleſiæ commodum inſtituta, carere præſide ſuo ſine magno detrimento non poteſt. Illi quidem ante omnia obtemperandū eſt ſemper, cui & plus imperii conceſſit Deus, & plus à nobis deberi cognoſcimus. Quod ergo adeſſe hactenus conceſſum non eſt, Quod per alium munus noſtrū impleuimus, non propoſiti, ſed temporum fuit. Sic eccleſiarum multarum rectores, ſic Reges, & Principes grauioribus implicati Vicarios ſibi operum quærunt: Sic Romanus Pontifex vni ante alias conſecratus Eccleſiæ vicem nihilominus poteſtatis in cęteris collocat: Sic denique Chriſtus Ieſus in cælis agens, Vicarios dandæ ſalutis in grege ſuo conſtituit. Præſentes autem nunc vobiſcū beneficio ſuo cum ſimus, nonnulla ſunt, fratres, quæ ptimo conuentu hoc charitas ſilere non ſinit. Agimus imprimis vobis omnibus meritas gratias, quod aduentū hunc noſtrum votis continuis expectaſtis. Id enim & certiſſimum nobis eſt, & animi in nos veſtri argumentū perſpicuum facit. Deinde quod memores filialis officii reueriti ſedulo eſtis patrem abſentem, Præpoſitorum eius dicto audientes fuiſtis, coluiſtis Eccleſiam, & diuinū opus aliquod deſiderati in domo Dei paſſi non eſtis: poſtremo, quòd aduenientes nos tantis honoribus, tamque ſolennibus accepiſtis, vt in iis non modo præſulatus noſtri, & legationis decor, ſed imprimis ſumma voluntas, & voluntati coniuncta alacritas plane patuerit: ingens hoc ſtudium tantum ad noſtrum in nos addidit, quantū addi amori cumulato iam poterat. Retributor omnium Deus pietate ſua concedat, vt tribuere & nos piis officiis aliquādo poſſimus Hortamur autem vos omnes in vnum, dilectiſſimi noſtri, licet exhortationem omnem veſtra opera vincant, vt in incepto virtutis, & religionis perſiſtentes, dignius indies obſequium Deo creatori noſtro, & matri veſtrę, Valentinę Sedi præſtetis. Hoc enim, & profeſſionis ſacerdotalis, & præteritarū veſtrarum actionum eſt opus. De vobis enim eſt ſcriptum: *Genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, & populus acquiſitionis* Inuigilate aſſidue cultui Altiſſimi, ſcientes quòd domum ſuam decet Sanctitudo in longitudine dierum, & quòd per hoc paſcimur de altari, & collocati in honoribus ſumus. Id operemur ſemper, vt & miniſterium noſtrum in Eccleſia famuletur, & iuxta Apoſtolum Paulum *nullam occaſionem demus maledicti gratia: ſollicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes*: Vita porro veſtra, quod facitis, profeſſioni, quantum fieri poſſit, conſentiat. Eam ſemper modeſtiam ſeruet, quę nec animos, nec oculos aſpicientium turbet. Ad aliorum conſecrati exemplum, cum noſtri immemores ſumus, exemplo ipſo grauius longe peccamus, quam re. Ambulemus honeſte, & bonam famam cuſtodiamus, diſpenſationi noſtræ maxime neceſſariam. Inter cętera autem, dilectiſſimi, fraternitatem ſeruate inter vos, & cum conſenſu in domo Domini ambulate. *Mandatum*, inquit Saluator, *do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. In hoc cognoſcent omnes, quod mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Quanto ad gloriam Eccleſiæ, eiuſque incrementa hæc vnitas pertinet, tanto ad damnū, & dedecus eſt procliue diſcidium. *Vbi zelus, & contentio eſt*, inquit Apoſtolus Iacobus, *ibi inconſtantis, & omne opus prauum.* Omnis ergo offenſionis lapis, omnis petra ſcandali faceſſat à vobis. Sapite idem, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum. Quoniam vero libertas Eccleſiæ data à Domino, à noſtris Patribus magna cura retenta gloriam Sacerdotii in populis auxit, etiam precamur, vt ad eam colendam tutandamque non modo vnanimes ſitis, id quod imprimis non eſt neceſſarium, ſed nullam defatigationem, nullumq; diſcrimen declinandum putetis. Etenim ſi ad iactantiam modo ſęculi vana olim gentilitas pro ſua retinenda, in ferrum, in cędes, ad inter-

itum manifeſtum certatim rueba*t*, quanto id magis Sacerdotibus conuenit? quibus ipſe Deus eſt præmium, & vita mors. Qui ad cuſtodiam Eccleſiæ poſiti ſumus: quibus etiã dicitur: *Certate ad mortem pro iuſtitia: & Deus expugnabit pro vobis inimicos veſtros.* Amiſſa autem libertate hac, quid reliqui amplius eſt, in quo facere iacturam damnoſiorem poſſimus? An non ſine honore, ſine poteſtate, omnis noſtra conditio redditur? Contemnimur haud dubie, & conculcamur, & opprobrium hominum ſumus, & abiectio plebis. In hac conſeruanda conuenite in vnum ſinguli. Omnes autem conſentite præpoſitis noſtris, qui cooperatores vobiſcum erunt, & pro nobis Duces certaminum fient. In pugna veſtra, cui vires adminiſtrat Deus, libertas eſt, in fuga miſera ſeruitus. Scriptum eſt enim *Manus fortium dominabitur: quæ autem remiſſa eſt, tributis ſeruiet.* Magna eſt veſtra nobilitas, maior omni nobilitate eccleſia. Suam libertatem totis viribus vtriſque præſtate Idq; nobiſcum agite, vt iuxta Saluatoris verbum, *quæ Cæſaris, Cæſari, quæ Dei ſunt Deo reddantur.* Sed hæc atq; huiuſmodi, & alias ſæpe, & vberius. Nunc in publicis pauca attendite. Mittimur, vt ſcitis, Fratres, pro redemptione fidelium, in quos hoſtilis gladius crudeliter ſæuit. Domita Aſia Turcus ac magna Europæ parte, bis iam eſt ingreſſus Italiam, incendiiſq; ac cædibus cuncta inuoluens. Caput Religionis noſtræ ſacrarium Sanctorum Apoſtolorum, Sanctorumq; Martyrum vrbem Romam petit, vt illo oppreſſo reliquum Chriſtiani nominis corpus ſimul intereat. Si quibus ſubuenire, ſi quibus præſto adeſſe cõuenit, forti quidem noſtræ imprimis conuenit. Gregum ductores ſumus. In ſpecula excubamus, vt illos præſtemus incolumes. De noſtro exemplo æquum eſt cæteri ſumant exempla. Hortamur charitatem veſtram in Domino, ac pie paterneq; rogamus, vt qua ope, quibuſve poteſtis conſiliis profectionem hanc noſtram neceſſariumque opus iuuetis. Scimus zelus veſter quantus in domo Dei ſit, quantaq; ad opera eius voluntas. Cauſa quidem nulla eſt, in qua exerceri dignius nec meritis maioribus ſacerdotale patrocinium poſſit. Verum nunc pauca hæc protuliſſe in commune ſit ſatis. Cætera, in quibus collaborare, & adhiberi curam veſtram expediat, cum arctum manu prehenderimus, plenius noſceris ex nobis. Nunc, fratres dilectiſſimi, quos in unum ſors Præſulatus huius coniunxit, beatiſſimi patris, & Pontificis noſtri Xyſti quarti nomine vobis omnibus ex toto corde noſtro, ex tota anima noſtra, & ex totis viſceribus noſtris in Chriſto Ieſu benedicimus, rogantes Deum patrem omnipotentem, vt & ſanctam hanc Valentinam Eccleſiam de excelſo ſancto ſuo ſemper reſpiciat, & vos eius alumnos ad miniſterium ſuum gratia cœleſti conſeruet. AMEN.

ANGELO EPISCOPO TYBVRTINO.

CCCCXLII.

ITerum te hortor, iterum oro, vt non modo Peruſinos, ſed prouinciales omnes contineas, ne ſuo concurſu augeant Tudertinas contentiones, quibus mox tota prouincia laboratura ſit. Exi ſi opus eſt, & ipſe tu obi loca, quæ propter vicinitatem procliuiora ſunt ad tumultum. Vereor ne in iis languidior ſit noſter Sutrinus. Tuæ curæ hoc eſſe, tuum opus oportet, qui omnibus præſides. Tanti ego hanc diligentiam facio, vt in ea commendationem, & dedecus præteritorum omnium poſitum putem. Quoaduſq; ad vos redeam, proſpice incommodis iis. Redibo breui. Ante diſceſſum horum legatorum abire hinc nequeo. Intra dies quindecim diſceſſuros exiſtimo. Vale. x. Aprilis. M.CCCCLXXII.

ANGELO EPISCOPO TYBVRTINO.

CCCCXLIII.

EX Stephano Auximate intelliges, quæ ad mandata tua illi reſponderim: Literis quid nunc addam non habeo. Tantum audio languere te frequenter ex ſtomacho, ac nuper incidiſſe in febrem. Doleo id plurimum. Incolumitate tua nil vtilius mihi aut charius. Vereor ne plus laboris ſuſcipias quam ferre per valetudinẽ poſſis. Hoc ſi eſt ita, parce tibi, & vitã cæteris præfer. Malo perire Legationem quã te. Tu perpetuo: illa breui eſt mecum futura. Sed mittam ex meis aliquem, qui te conſo-

leiur & de multis referat, quorum expedit rationem certam iudicio tuo conſtitutam. Ante diſceſſum horum Legatorum abire hinc nequeo. Quem ad diem ſint abituri neſcio. Extrudi non poſſunt. Sed extrudentur tandem, vt puto. Vale. Romæ. XIII. Aprilis. M.CCCCLXXII.

DOMINO GENTILI.

CCCCXLIV.

DE Sargia Cypria abunde ſatisfecit Præſul Torcellanus, cui ea de re ante tuum diſceſſum negocium dederam. Textura, & color dato iudici perquam ſimiles ſunt. Quod vltra quæras non eſt. Reſponde mercatori quod ſcribo. Illi, & tibi pro cura ſuſcepta gratias ago quam plurimas. Nec procurator nec Abbas vſque in hanc horam venere. Odioſe iam ceſſant. Eorum tantum cauſa hic ſum. Alio me vocat neceſſitas: cui quantum poſſum obſiſto, vt exitum videam. Excludi vel includi beneficio erit, dummodo cito id fiat. De reditu huc tuo vireſponderem certius, hac ianua ad temptandam mentem Pontificis hodie poſt miſſum Senatum ingreſſus ſum. Audio circumferri neſcio quod Epigramma in gemmas, & mittam, atq; illud Gentili Vrbinati aſcribi, magiſtro olim Laurentii Medicis. Si quid tale delatum eſt, falſum de hoc homine eſt. Nil eo non modo grauius, & modeſtius, & religioſius: ſed nec laude tua cupidius. Criminatorum plena ſunt omnia, aliena ſæpe gratia, & integritate dolentium. Ad hæc ille admiratus, ac tantum contrahens os atq; humeros, Nil, inquit, accepi huiuſmodi: Nugas has flocci non facio. Expers culpæ conſcientia non tangitur verſibus. Meo iudicio eſt vt reſpondit. Tam illis non tangitur, quàm illis nõ capitur. Bono animo eſto, & veni, ac deinceps cautius ſape. Nunc nega omnia, ac cõiecturali cõſtitutione potius quàm iuridiciali vtere ad cauſam. Campano noſtro cupienti negocium, repromittenti de ſe omnia, ceſſi ſponte Tudertinum præſidatum, menſurnoſq; aureos quinquaginta. Profectus eſt hodie. Vtinam & qui verſus bene, adminiſtret & bene. charitate hominis factum hoc eſt nõ modo omnium mihi amiciſſimi, ſed laborantis etiam rebus domeſticis. Incepta illi Deus ſecundet, vt ſpero, & cupio. Vale. Romæ XVII. Aprilis. M.CCCCLXXII.

DOMINO LEONARDO.

CCCCXLV.

DElectatus ſum verſibus tuis, delectatus epiſtola. Illi ingenii, hæc & amoris argumenta dedere. Te amo, tibi gratias ago. Totiens agam, quotiens tuum aliquid legam. Noſtræ veteris conſuetudinis probe ſum memor. Secretariatus oblitus non ſum, quem ſub Caliſto pariter geſſimus. Antiqua curricula, & communes literæ nos ſatis coniungunt. Id agamus, vt ſcribendo, & communicando creſcat omnis coniunctio. Mea, & me præſto ſcito eſſe tibi ac tuis. Vale. Romæ die XVI. Aprilis. M.CCCCLXXII.

CAMPANO.

CCCCXLVI.

HAnc tibi mecum eſſe legem perpetuam puta, vt nunquam ſim tuis literis reſponſurus, niſi cum eas tua manu ſcriptas inſpexero. Quid enim mihi à ſecretariis gratum? ſi vacuos aliquando remiſi Tabellarios Tudertinos, inde indignatio fuit. Summa eſt: ſi reſcribi vis, ſcribe. Ex te ante, ex Oratoribus nuper cognoui, quo in ſtatu prouinciolæ tuæ res ſint. In miſerrimo, quantum video, ſunt. Eo quidem miſeriore, quod leui medicina ſanabilis morbus ad ferrum nunc atq; ignem noſtra negligentia rediit. Ita fit, cum bonis præſidibus de ſalute prouincialium fides Romæ nõ eſt. Exilio paucorum pacari omnia poterant. Nunc cædibus multis vix tranquillitatis initium cernitur. Sed noſcetur breui, non tam noſtris conſiliis, quam pietate Dei, & tua virtute, cuius mihi ſumma eſt ſpes. Deploras præſentes anguſtias, & in voragines delectum te doles. Quid tu? Hoccine illud vulticuli ſupercilium eſt? quo & iſtis præpoſitis magna omnia repromittebas de te. An ignoras, prima hæc eſſe virium tuarum experimenta, ex quibus in iudicium venturum eſt, quicquid id eſt quod ſperari

de te.

de te in poſterũ liceat? Vates es ſummus. Item & orator ſummus. In magiſtratu nũc poſitus neceſſe eſt ſis vel laudi vel dedecori tuæ fortis hominibus: Veniat in mentẽ Barduli. Quos oro ille iocos in verſus, ſi male onus ſuſtineas? Mihi, qui ſum ex tuis, & pręſidatum hunc obtuli, abeundum eſt vrbe, ne imputationes eius cogar perferre. Itaq; intende vires, repugna, ac pugna. Victoriæ viam monſtrabit Deus, quam perturbatus inſolitis minus fortaſſe nunc vides. Dum hæc ſcriberentur, venere ad me oratores, & receptum Montechium, ac per Ioannis vxorem, & liberos veniſſe in deditiõnem tuam nunciauere. Iidem affirmarunt, eſſe te in caſtris, ac neſcio quod aliud oppidum obſidere. Plane, mi Campane, vir es. In manibus prope eſt, etſi calamitoſa, neceſſaria tamen victoria. Magna tui amantibus tacendi, Bardulo loquendi facultas eripitur. Perduc ad exitum cœpta, exſpirantiq; ciuitati ſpiritum redde. Non minor puſillo præſuli Tudertum pacatum, quàm magno olim conſuli oppreſſa coniuratio cõmendationi erit, & laudi. Vale. Romæ. XII. Maii. M CCCCLXXII.

CAMPANO.

CCCCXLVII.

QVantos etiam in re mœſta excitaſti iocos mihi atq; iis, quibus familiariter communicaui literas tuas? Exercuerunt oculos noſtros tabelliones tui euocatorum agreſtium Duces. Continere nemo potuit riſum. Vrſinus, Neapolitanus, Senenſis, atq; amicorum alii cachinnis non deſinunt quati. Laudatur in Campano non ingenium modo, ſed animus in re aſpera bonus, dexteritaſq; vt multum promiſſa à me, vix tamen à quoquam vel ſperata, vel credita. Hodie Tudertinus præſul mecum adequitans, *Vim, inquit, ſcribendi laudaris in Campano putabam: regendi non multum. nunc quantum accipio, quid laudem potius neſcio.* Crede Papienſi, decus meum, in ore es omnium, commendantur paſſim hæc cœpta. Bardulus tacet. Qui etiam beneficium meum ignominiam tuam videri tibi volebant, conantur factum probare, & male conciliatis oculis interiorem ſenſum abſcondere. Incumbe operi, ac reliquum Tudertini agri prædonibus purga: idq; ad mortem contende, vt tuo beneficio ciuitas nõ poſtrema Eccleſiæ ab interitu vendicetur. Nulla iam erit poſthac prouincia noſtra, quę nõ tuo præſidatu digna appareat. De mittendo equitatu egi cum Vrſino, cum Pontifice non fuit neceſſe. Breui copias omnes, quæ profecturę in Florentinum ſunt, in caſtris habebis. Propulſari biduo aut triduo mali reliquum poterit. Id ſi fiat, abſenti ſupplicationes, redeunti triumphum decerno. Brachiani quoq;, quos petis, in Tudertinum venient ad ſtatiua. Eius imperandæ rei curam tibi iniungit Vrſinus, qui iam tanti te facit, quantus quantus es eſſe percupiat. Vale.

CAMPANO.

CCCCXLVIII.

NVlla remiſſio amoris, nulla intermiſſio operæ fecit vt minus tibi per hos dies reſponderim. Sola fiducia beneuolentiæ noſtræ negligentiorem reddidit ad ſcribendum. Non deſtiti tamen agere apud Pontificem, quę deſiderii tui eſſe cognoui. Precatus ſum, commotus ſum, & liberius aliquando tardis auribus inclamaui. Quicquid id fuit ſuffragii, quod eſt ad te miſſum, partem ſenſit operæ meę. Ero idem in reliquis. Tu tibi ne deſis. Laudaris hic non verbis, ſed vocibus hominum. Quin & Bardulus idem ſecotir e cum reliquis cogitur. Iyræ & lituo idoneus diceris. Contriſtor tamẽ tot tuis ærumnis, quas oculis videor intueri. Vellem tibi quàm ſecundiſſima omnia. Sed heus tu: Quid in re quieta anguſto Præſidi commendationis fuiſſet? Pariter vt aliorum, ſiluiſſent opera tua. Nunc prædicantur, & virtus quanta ſit patet. Reliqua ex Sacerdote, & Oratore, qui ad te redeunt. Vale. Romæ XXVII. Maii. M. CCCCLXXII.

CARDINALI SANCTI MARCI.

CCCCXLIX.

MOx vt Romam redii, Reuerendiſſime Pater, dedi famulo Epiſcopi Nitrienſis perferendas literas ad te, quas puto iam redditas. Eo nunc pauciora quæ

ſignificaturus ſum, erunt, quo ſcio diligentiam Franciſci noſtri cumulatius impleturam, quæ forte erant officii mei. Heri magnis honoribus noſtris, ſummo dolore meo, emiſimus legatum claſſis, die quidem ſolenni Corporis Domini. Mane aſtante Pontifice, & Patribus in baſilica Petri operatus eſt ſacris: Vexilla inde triremium ex more benedicta in magna frequentia hominum de manu Pontificis ſumpſit, & pranſus eſt apud eum. Ad horam xx. nouo exemplo idem Pontifex comitante Senatu, & Curia Legatum duxit ad claſſem, quæ paulo infra Baſilicam Petri in medio Tiberi ſubſederat. Aſcendit prætoriam, & a puppi ex loco edito benedixit item triremibus, & Legato, & familiæ, & omni nauticę turbæ. Quibus ſiue in prælio, ſiue caſu alio vita migrantibus, plenam peccatorum remiſſionem indulſit. Complexus inde Legatum in triremi eum dimiſit, & ad Vaticanum occidente iam Sole reuerſus eſt. Putas in digreſſu tam intimi patris tenere potuiſſe me lachrymas? Non tam luxit vnquam pia mater vnicum filium, quàm fleui ego abeuntem Neapolitanum meum. Videor omni ex parte derelictus, mancus, meiq; ipſius impotens te atq; illo priuatus. Det pius Dominus vt bene geſtis rebus vtrunq; incolumem breui cernam præſentem. Noſtra vrbana eum ſeruant tenorem, quem hic dimiſiſti. Si dicerem ſpatiis ingentibus auctum, nihil tibi mentirer. Miſericors nos Deus reſpiciat. Hoc tantum populo ſuo reliquum eſt ad præſidium. Italica, quantum video, nutant. Conatus innouandi communis fœderis ad nihilum rediit. Iam eſt diſſolutus omnis noſter atque Oratorum tractatus. Volaterræ à Florentinis defecere. Miſſus illuc eſt cum exercitu raptim collecto Vrbinas, ad quem & noſtri equites quingenti mittuntur. Varius de his cœptis eſt hominum ſermo. Omnium autem vnus conſenſus, futurum in Italia bellum ſi fautores Volaterrani inuenerint, adhuc tamen nemo ſe detegit. Tantum Florentini exules neſcio quid pauxillum conantur. Nihil in tot diſcriminibus Fidei calamitoſius bello. Et hoc malum naſcens opprimat Deus. Mi Aquilegienſis conſerua te ipſum, Chriſtianam Rempubl. cura, & Papienſis tui memineris, qui eo crebrius abſentem ſuſpirat, quo & nunc Neapolitanum non habet. Vale in Domino, Pater, omni gloria digniſſime. Romæ die xxix. Maii. M. CCCCLXXII.

OL. CARDINALI NEAPOLITANO.

CCCCL.

Literæ Caieta allatæ triſtem adhuc animum diſceſſu tuo non mediocriter ſunt conſolatæ. Auxiſſet conſolationem omnem manus tua, ſi eam vel in ſola ſubſcriptione vidiſſem. Quæ enim à Secretario par reddi ſatisfactio tanto affectui poteſt? Niſi langues, niſi occupationibus vltimis impediris, caue, mi domine, epiſtolam poſthac reddas tuo Papienſi, quæ amiciſſimam manum non habeat. Vna tantum dictio, quam inſpectam oſculor, ſat ad leniendum deſiderium erit. Lætor incolumem te veniſſe Caietam. Inurbanitatem Epiſcopi non tam miror, quam doleo. Ineptus ad omne obſequium eſt, & literis ſuis minimum tribuit. Olim tranſeunti mihi Fulginio, cum Cardinalis eſſem, ipſe præſidatum loci teneret, nec exiuit obuiam, nec abeuntem eſt comitatus. Vel arrogantiæ culpa hæc eſt, vel, quod magis puto, negligentis ingenii. Cuius rei argumentum colligo, quod doctrinam non contemnendam ad multa vtilem, conſeneſcere Caietę ſine fructu ſit paſſus. Sed mitto hominē, vt ignauum, ſic indignum cui ſuccenſeas. Bene fecit tua dignatio iniuſſu Regis non progredi. Ad eius arbitrium accommodanda ſententia eſt, ea præſertim in re, quæ nō minus noſtri, quàm tui honoris eſſe videtur. Ita probauit hodie Pontifex: Ita & Patres, à quibus recitante Senenſi auditæ tuę ſunt literæ. Puto te iam Neapoli eſſe. Oro noſtri memoriam habeas: Commendes me Regi, commendes me patruo Comiti: Identidem probans quàm eis ſim deditus. In noſtris Vrbanis nil accidit noui præter id, quod perlatū iam Neapolim puto. Reſcripſit Mediolanenſis ad literas Regias, quibus diſſolutum eſt fœdus. Lectę in hoc hodierno Senatu ſunt. In quem ad cæteros Oratores introductus eſt etiam orator Gallorum Regis, Cenomanenſis Præſul. Verba vtrinq; ab iis nonnulla, plena tamen modeſtiæ. Ex Bonifacio, Corſicæ inſulę portu allatæ à Vicecancellario literæ ſunt, quibus ſignificat, eo ſe loci cum triremibus incolumem perueniſſe. Quod de Caſtiliono ſuſpicati inſimul ſumus, id reuera erat

cum

cum Pontifice,& patribus quatuor conuentum. Confeſſione eorum poſt tuum abitum didici cuncta. Vide nunc artes, quibus eſt nobis viuendum. Hoc ſpem conceptam fefellit, quòd ille nondum ad nauigandum inſtructus ſerius opinione ſoluit è portu. Vale ergo mi Pater, & has literas vel cela, vel lacera. Romæ VIII. Iunii. M.CCCCLXXII.

CARDINALI NEAPOLITANO.

CCCCLI.

INtelligo Dignationem tuam Neapolim peruenisſe, & magnis eam fuiſſe acceptam honoribus, non à Regè modo, & filiis, quorum in Apoſtolicam Sedem magnifica ſunt ſemper officia, ſed à populo etiam Neapolitano, Antiſtitis ſui ſtudioſo, ac cupido. Lætatus in his rebus admodum ſum, videns Neapolitanum meum, cum quo mihi communia ſunt bona & mala, commendationibus in dies magis augeri. Diſceſſus ex vrbe omnium, quos hactenus viderim, celeberrimus fuit. Acceptio in patriam conſenſum noſtrum æquauit. Cætera oro curſum hunc ſeruent, & protector noſter Deus in faciem Chriſti ſui ſemper reſpiciat, vt ſit illi ſacerdotii dignitas in æternum. Laudo accelerandę profectionis conſilium: ſic tamen vt neceſſarium aliquid non omittatur. Sedere diutius apud ſuos in ſuſpicionem delitiatum poſſet venire: Minus autem inſtructum proficiſci quàm ſuſcepto operi expediat, inconſulti hominis haberetur. Sic vtriq; rei eſt conſulendum, vt maturata omnia, non feſtinata dicantur. Pro ſapientia tua, quæ eadē ſemper in omnibus fuit, te videre hæc puto, ſed non minus curare. Ego quicquid hic pertinere ad tuam æſtimationem augendam cognouero, ita ſuſcipiam omnibus horis, vt tu tibi ſatisfactum exiſtimes, cæteri vero intelligant nil mihi charius Patre abſente. Poſt habitas ſecundas literas vocati in Senatum non ſumus. Puto quo die primum vocabimur, recitaturum ſuas Pontificem, ſi quas ad eum miſiſti. Ita enim de legatorum literis ſemper eſt ſolitus. Quo magis te hortor vt cum eas formas, id cures genus eſſe verborum, & rerum quod iudiciis noſtris reſpondeat. Laudatæ ſunt primæ: Laudatum iri cæteras, & puto, & cupio. Quod aliis meis tuam dignationem rogaui, etiam præſentibus rogo, vt commendes me Regi, commendes patruo Comiti. Tu vero imprimis memoriam dediti ſſimi Papienſis ſinu contineas. Vale felix, Pater & Domine omni veneratione digniſſime. Romæ XI. Iunii. M.CCCCLXXII.

CAMPANVS CARDINALI PAPIENSI.

CCCCLII.

RVimus, ruimus, mi Papienſis. Non Deo, non nobis curæ ſumus. Volumus conficere Turcarum bellum, & tamdiu Tudertinas clades in oculis ſuſtinemus? Vndecimum iam menſem vexatus ager, incenſæ villę, direpta atq; exuſta oppida, interfecti oppidani, factæ in agro, factæ intra vrbem cędes, nihil nos mouet. Aut dormitis iſthic omnes, aut omnem exuiſtis humanitatem, aut & Deum, & homines, & famam floccifacitis. Vbi maieſtas illa priſtina iſtius ampliſſimi collegii? Quod non modo exortas in Italia contentiones opprimere, ſed in vltimo terrarum orbe inter potentiſſimos Reges, & imperia, mota bella ſummouere, pacemq; vbiq; veluti manu quadā conciliatrici ſerere conſueuit? Si peccauerunt ciues, cur non ſtatim plectebantur? Si non peccauerunt, cur excruciantur tam diu? & ſi pauci fuere in culpa, cur dantur omnes in prędam? qui modus, quę ratio huius belli? Aut quæ latebræ conſiliorum veſtrorum? Si reducendi erant exules, & dignitas iſtius Sedis ita depoſcebat, nullius iniuriam aut calamitatem perferre, cur non ſtatim reduxiſtis? Si ex re non videbatur futurum reducere, quid tam diu illorum ſpem aluiſtis? quid aut non reddidiſtis illis ius, aut non compreſſiſtis iniuriam? quid expectatis? quem exitum tantis cladibus dari ſtatuiſtis? quæ mens & ſententia veſtra? Vultis reduci exules? reducantur. Arma atque arcem habetis in poteſtate. Vultis excludi? pellantur agro, liberam metu ciuitatem relinquite. Capita factionum Romæ cum habeatis, quid reſtat amplius, cur aut non concilientur, aut non opprimantur? Ardent hic bella ſubditorum ve-

ſtrorum,& auctores bellorum apud vos non modo ſine pœna aliqua ſed etiam cum ſpe præmii retinetis,& plus à vobis ſperant,qui fecerunt atrocius. Atq; eo impietatis apud vos iam ventum eſt, vt aut animos ad miſericordiam eorum qui hæc patiuntur,aures ad clamores eorum,qui hæc ſcribunt, occuluiſſe videamini. Tum quæ tanta eſt audita negligentia,vt neq; iacturam prouinciæ,neq; factionum grauiſſimarum per finitimas ciuitates motus periculoſiſſimos,neq; quid homines paſſim & ſentiant,& obloquantur,attendatis,obliti officii,dignitatis veſtræ, & loci, in quo poſiti eſtis. Mala eorum,qui veſtræ commiſſi ſunt curæ, per caliginem inſpicitis, per ſomnium cogitatis,aut ſi qua ſubit harum rerum cogitatio,plus vobiſcum valent priuatæ ſimultates,quàm conſilia publica. Nemini ratio habetur,quid imperio conueniat veſtro,quid ad maieſtatem iſtius Sedis pertineat. Omnes priuatis ſtudiis ad odium gratiamq; diſtrahimini,vt etiam de me ipſo reddenda ſit ratio, qui ea geſſi non quæ placerent omnibus,ſed quæ ad pacandam primum ciuitatem, deinde prouinciam ſedandam, poſtremo ad retinendam dignitatem tantæ Sedis factura videbantur. Quid enim aliud attulerunt initia aduentus mei,niſi pacata omnia,atq; tranquilla? Non inducias ſtatim indixi? Non de reuocandis exulibus primo quoq; tempore mentionem intuli? Non eorum numerũm redigere ad pauciſſimos volui? Mox ad nullum redacturus,ſi conditionem accepiſſet, quam non voluntas mea, ſed temporum neceſſitas daret. Non decretum Pontificis de reſtituendis oppidis exhibui? non priuſquam arma inferrem,cum decreto non paruiſſent, ſepties admonui, parendum eſſe Pontifici? Nihil mea ſententia geſſi indignum officio meo, cum iuſſis maiorum non paruiſſent, nec parituri viderentur,in eo quod exules erant complectendos humanitate,confouendos monitis, omni via leniendos exiſtimaui, nec calamitatem adiiciendam,quod intelligebam ſalutem eorum æque ac ciuium aliorum ad me pertinere,cum me,& mea patientia abuterentur, cum prædę in oculis agerentur, mœnia vrbis quotidie inuaderentur, contemnerentur mea iuſſa, monita irriderentur, collegi animum,cogitaui perſonam Principis gerere, & hunc prouinciæ ea demum conditione eſſe præfectum,vt parere omnes meo imperio cogerem. Itaq; inuitus cõuerſus ad arma,finitimarum ciuitatum auxilia non auſu temerario, aut licentia mea, ſed Pontificis& nomine,& decreto conuocaui. Peruſini, Meuaniates, Spoletini, Spelani,& Vmbri alii, Narnienſes, Amerini, Vrbeuetani, quibus cum nulla fuerat mihi conſuetudo,an mihi priuata auctoritate paruiſſent? præſertim pleriq; homines partium diuerſarum. Num Bracciani equites nullo à me accepto ſtipendio ita properaſſent? Si mea hæc fuit gratia,mirum eſt hominem externum tantum his in locis potuiſſe,quantum ne qui hic nati ſunt vnquam potuerunt. Si Pontificis auctoritas, cur ipſe tandem accuſor? Non accuſaris,inquis. Equidem nondum in iudicium vocor: ſed mihi improbari à factioſis quæ geſſi accuſatio eſt. Quod ſi liceat, percunctari calumniatores meos velim,cum fide non ſeruata, cum ruptis induciis, omnibus diebus,omnibus horis oppugnarer,cum literæ meę,& nuncii ludibrio haberẽtur, quid facere me voluiſſent? Cuſtodem vrbi datum,pręfectum prouinciæ, & quod pace ac venia eorum dictum velim,in his locis Pontificis perſonam ſuſtinentem? Itaq; Matthæum magno,& delecto peditatu mœnia vrbis oppugnantem,diripientem agrum, villas incendentem,oppida igni ferroq; vaſtantem, captiuos omni genere ſuppliciorum excruciantem,me,& literas,nunciosq; meos mirifice contemnentem, atq; eludentem,opera conſilioq; meo,auxilio finitimorum, quos dixi, Monticula exui, Soprano ſpoliaui, Roſario fugere coegi, Quadrellis eieci. Compeſcui hominis audáciã, incurſiones,prædationesq; cohibui. Hæc cur fecerim,quis non videt? modo factiones oculos illis non eripiant. Intelligebam & perſpiciebam deberi exulibus patriam, eiectis domũ,excluſis reditum. Verum neq; per ignem,neq; per ferrum, neq; per vllum genus iniuriæ deberi,& reconciliandos illos eſſe ciuitati ad quietem, non ciuitatem illis prodendam ac cædem. Pontificis fuit voluntas,cur me accuſant? Si non fuit, cur ſum deceptus illis breuibus? Intelligebam,niſi depoſitis armis reconciliatum locum eſſe omnino nullum: & niſi prius foris arma deponerentur,deponi arma intra vrbem non poſſe. Intelligebam exules niſi ſpe aliqua iniecta, non facile, vt arma deponerent,poſſe adduci. Hanc ſpem quantum in me fuit, quibus non pollicitationi-

bus

bus porrexi? An & hoc quoque non adiecerim? Si parerent Pontifici, curam illi fore neceſſariam, vt aut eos reduceret, aut aliquem, in quo agere poſſent, locum aſſignaret. Hęc opera, hæc conſilia mea: quę ſi ex mente Pontificis fuere, nullus eſt calumnię locus. Si illo inuito geſta ſunt, cur tot illius breuibus, tot collegarum tuorum litteris deceptus ſum? Verum de me ſatis eſt. Vos optimo Pontifice per factiones abutimini. Caput omne diſcordiarum ex vobis eſt. Vos ſeditiones & ſuſtinetis, & alitis. Vos in eos qui ciues ſuos vectigales veſtros depulerunt, non animaduertiſtis: eos qui bellum patriæ per ferrum, & ignem, & omne genus cædis intulerunt, non coercetis. Complectimini diuerſis ſtudiis vtramque factionem. Me qui mederi huic morbo pro dignitate mea, pro maieſtate Sedis veſtræ, pro quiete vrbis, pro beneficio prouincię cuperem, neque armis, neque conſiliis adiuuatis. Mulierculărum more de gallina, & ouo diſſidentium inter vos contenditis: mentimini quiſque quid libeat, nemo quid liceat cogitatis. Nec eſt mea hæc querela, clamant prouinciales, vociferantur, ſtupent finitimi, & officium veſtrum curamque requirunt. Iam audent in vitam moreſq; noſtros prorumpere. Nihil fit à nobis, quod in hac tanta negligentia non exprobretur. Vna eſt omnium vox tanquam exprobratio, *Valeat fiſcus: pereant prouinciales.* Et iam hoc bello, ne ignoretis, ita exuſcitata ſunt partium ſtudia, vt nullum nec minimum quidem oppidulum non ſit erectum in veterem factionem: cunctatione veſtra breuis plaga breui in profundiſſimum dilatabitur. Video cladem, quam vobis vaticinia minantur. Mihi ſatis eſt ad conſcientiam iudicii mei, teſtatum eſſe quod ruimus: aut ſi qua ſpes eſt, ita cenſeo pellenda eſſe ex agro Tudertino exulum capita, recipienda oppida, amouenda exulum, deponenda intra vrbem arma, magiſtratus reformandos, adhibendum præſidium, vt improbi comprimantur. His peractis, omni ſtudio incumbendum in reducendis exulibus. Hæc tecum liberius, vt ſoleo. Vale. Tuderti IV. Iulij M.CCCCLXXII.

CAMPANO.
CCCCLIII.

EO minus multa reſpondere poſſum ad litteras tuas, quod accinctus ad diſceſſum tabellarius ante cubiculi fores expectat. Breuitatem nunc æquo animo fer: ſpatii aliquid amplius nactus tuis lamentis pluribus reſpondebo. De interitu Tudertino, quid enim aliud dicam? De execrationibus quoq; intuentium noſtra dedecora non tanta tu refers, quanta iam dudum mente concipio. Obprobrium hominum ſumus, & abiectio plebis. Quid ergo non ſubuenitis, ais, vos qui ad Sedis conſilium conſedetis? Campane mi, nihil hac percunctatione facilius, nihil ſatisfactione moleſtius. Si parſum putas conſilio, erras: Si non impenſum obſecrationibus quod potuit, falleris: Si non denunciatum etiam quod accidit, caſurumque eſt, male meritus es de nobis. Præſtita hæc multo ante officiis noſtris ſunt. Nihil omiſſum, quod ſeruandę Fidei, ſeruandæ prouinciæ vtile videretur. Nos cum dico, eos dico, quibus eſt ſumma voluntas, nulla omnino poteſtas, quibus etiam eo minus eſt fidei, quo minus apud Principem loci. Paucorum ſunt noſtra decreta. obſidetur quicquid id eſt, vnde in omnē ditionem noſtram manant bona & mala. Obſeſſores qui ſunt, & quibus ſtudeant ipſe tu noſcis. Putabam nuper cum eſſem in prouincia, nec meo de rebus Tudertinis iudicio crederetur, vel inuidiæ, vel odii obſtaculum eſſe. Paris enim ſæpe dignitatis id eſſe incommodum conſueuit: propptereaque ego partem illam præſidatus depoſui. Sed te mox ſuccedente interius vidi quod obſuit. Nulla tua eſt culpa, nullum crimen. Conſilio præſtitiſti, quod in te fuit. Vim adhibuiſti iuſſus atq; inuitus. Altius deſcendunt mali radices, quam vt introſpicere intuentium paſſim oculi valeant. Laudauit te in Senatu Pontifex. Laudauit ſana pars Patrum. Si quos indigna factio vexat, nil te eorum turbent iudicia. Pauci boni inſtar ſint omnium. Xyſtus etiam conſoletur, qui tribuit multum operibus tuis, & imputat nihil. Sedis vtinam conſumptis prope rebus ſalutarem medicinam inueniat. Præfectum mittit: Si ad pellendos agro prædones, reducendoſque inde exules, opportunum conſilium. Si ad cogendam vi ciuitatem, extremus, vt puto, interitus. Non tacui hæc. Ad componenda, & pacanda omnia mitti illum affirmat. Ita ſit oro. Tu illum, ſi poteris, conſilio rege: idque obteſtare, malit

omnia, quàm arma ciuilia experiri. Quod ad priuata noſtra attinet, per nimiũ triſtor, mi Campane, his tuis anguſtiis. Non putaui ad tantum tempeſtatis te mitti. Credidi homini Epiſcopo extra inuidiam poſito, & noſtrarum contentionũ experti plus fautum hinc iri. Auctas procellas nunc video. Quid tibi dicam, mi frater? Confirma animum, & dura hæc primi præſidatus rudimenta ea modeſtia perfer, vt vita incolumi nihil non ad commendationem exercendamque virtutem tibi accidiſſe exiſtimes. Ego cum breui depoſiturus omnem prouinciam ſim, id quod taceri à te opto, conabor, ſi potero, præſidatum Fulginenſem tibi impetrate, vt & reſpirare in quietiſſima ciuitate poſſis, & ſine honore iam adminiſtrationis non ſis. Bene vale. Romæ quinta Iulij M.CCCCLXXII.

LEONARDO MONTAGNÆ.

CCCCLIV.

PEtiſti tuum diſtichon ita Pontifici reddi, ſi reddendum ego illud putarem. Metiens animum ſuum ex meo hodie reddidi miſſo iam ſenatu. Legit, delectatus eſt, multa huiuſmodi accepiſſe à te confirmauit. Proferenti inde mihi difficultates tuas domeſticas, affectum podagra corpus, filias nubiles, onus familiæ, tum poſtulanti vt ſummula illa petita inopiam leuaret, difficiles & ipſe res ſuas adduxit, neceſſitate, aiens, non voluntate negari quod quæritur. Negauit itaque. Excuſatio haud ſane paucorum verborum fuit: moleſta ob id vnum, quantum inſpexi, quod deeſt ad pietatem facultas. Eger, ac præterquam poteſtate abundat: Cætera multo eſt quam ante Pontificatum inopior. Doleo tibi non ſatisfactum. Id tu modice fer. Non deſeret Dominus quem ad virtutem creauit. Pro tuis Epigrammatibus iterum tibi gratias ago: & vale. Romæ VI. Iulij M. CCCCLXXII.

CARDINALI THEANENSI.

CCCCLV.

VIdi & legi litteras veſtras, mi Reuerendiſſime Theanenſis, non ſine multa conſolatione ſpiritus. Quotiens enim manum veſtram, aut Spoletani noſtri, aut Senenſis intueor, ſenſum capio præteriti temporis, & Pontificatu ſiuor Sanctiſſimi patris noſtri Pii: quę vna cogitatio ſolamen malorum eſt, quæ in diem magis vndique ingruunt. Itaque ſi ipſe ſemper ſcribo, id ea ratione facio, vt manus veſtras viciſſim eliciam. Poſtulata Portugallenſium puto plane reiicientur, ſi ſibi delecti Patres conſtabunt, & apud quem poteſtas eſt, fides erit ſanis conſiliis. Gallicana mutatio in priſtinum rurſus eſt immutata. Neſcio vtram mutationem magis dignatio veſtra ridebit. Poſt ea quæ ſcripſi illico affuerunt litteræ à noſtro Niceno: longiores aliquæ de rebus communibus: breuiores autem ſui chirographi: in quibus ſcribit, prope adductum fuiſſe in extremum diſcrimen æſtimationem legationis ſuæ: ſed benignitate Dei ſuperata artificia malignorum: conſenſiſſe Regem, vt ad ſe proficiſcatur, & libere allatam poteſtatem exerceat: tum autem ſperare, mox vt illum conuenerit, non dubie Celſitudinem ſuam cognituram odii, non rationis fuiſſe ſuſpiciones iniectas. Multa eſt fiducia eis in litteris, quas quidem legi ego, & ne errarem legendo relegi. Hodie recitatæ in collegio etiam ſunt litteræ recentes ex Græcia, quibus ſecundæ res de Vſoncaſſam Pontifici ſignificantur. Affirmant Trapeſſundam expugnatam eſſe: Cætera præter arcem non validam, in ditionem eius veniſſe: Exercitum eſſe ingentem plus quam ſexcentorum millium: peruagaturum mox reliquam Aſiam, ſi non obſiſtatur: Turcum non eo animo ſe expedire ad bellum, quo aliquando noſtros inuaſit: metuere multum, ægra anima eſſe, & corpore, ac plurimum pedibus laborare. A Venetis magna iis nuntiis fides habetur, præſertim quod conſtanti fama continuãt. Deus ad ſalutem fidelis populi hos motus conuertat. Lætor Dignationi veſtræ bene nunc eſſe. Mallem optimè. Quando ad perfectum nondum detumuit crus, receſſu amœno, quem memorat, dies ſuaues ducat. Abunde illi eſt, quo nos maxime egemus. Opprimimur æſtu, nec leuamur vncia frigidi. Vrbs tota plena eſt febribus, vixque ad miniſterium neceſſarium in ægri nobis ſuperſunt domeſtici. Præmitto iſthuc nepotem Chriſtophorũ. Si Guidantonius Viterbii non eſt, monui illum vt ad reditũ

eius apud vos ſit. Conſecuturum me non multo poſt puto: cuius vt omne conſilium noſcat, cogito in primo ſenatu legationem Peruſinam deponere; illa maxime ratione adductus, quod ad anni pene exitum veni, quòd ieiuna legatio eſt, quod diſcriminibus atque incommodis plena, quod denique ad grauiores caſus, qui rari eſſe non ſolent, nil hinc expectari facile poteſt, quod laboranti pręſidi ſit neceſſarium. In Tudertinis rebus id ſum ſatis expertus. Experiri idipſum etiam in cæteris timeo. Si ſtudium viſendæ Tolphæ me non auertet, Viterbio veneratum veniam D. veſtram, quam affectu vero complector. Romæ XVII. Iulij M.CCCCLXXII.

DOMINO EPISCOPO CAPACIENSI.

CCCCLVI.

AVdio te togatum licet, verſari in caſtris. Id facit, vt in papiro breui breuius etiam ſcribam. Nec enim legendi eſt otium cum ſtat ferri acies mucrone coruſco ſtricta, parata neci. Inter hos tumultus ſerua te ipſum, & ſacerdotii memoriam habe. Rogaui te olim, colligeres ſcripto, & mitteres ad me quæ in Britannis, & Gallis gererentur digna notitia. Ieiune factum eſt: aliquid plene tamen: nihil impletum. Si potes, ſatisfac non amico tantum, ſed neceſſario tuo. Apud nos plus operor quàm loquor tua cauſa cum expedit. Scribo Protonotario noſtro. Illi me offero, qui mihi ſis, monſtro, commendo etiam, licet legationis nomine ſis ſatis commẽdatus. Nicolao noſtro in annum venientem præfectura eſt prorogata, & quod fieri optas, etiam Cleopatra in arce. Bene vale. Romæ XXII. Iulii M.CCCCLXXII.

M. PATRIARCHÆ AQVILEIENSI.

CCCCLVII.

BIs, Reuerendiſſime Pater, manu mea ad te ſcripſi. Litteras ipſas iam redditas puto. Non ſupereſt nunc quod incognitum tuis ex me cognoſci oporteat. Hoc tantum ſignificandum putaui, non futuram Cardinalium ordinationem ante Decembrem. Hæc fides in intimo ſinu eius eſt, apud quem cætera ſunt omnia. Tu ad eam diem affuturus an abfuturus ſis, neſcio. Vellẽ adeſſes. Facilius enim excludi id poſſet: de quo Neapolitanus noſter tuo me nomine verecunde licet, admonuit. Inſtat horis omnibus, mirumque in modum ex Germanis iuuatur. Nec hic ſurdis auditur auribus, aut oculis inuitis videtur. Ad conciliandam voluntatem magna eiuſdem profeſſionis eſt vis. Ego omnia ſolus ſuſtinere non potero. Præſtabo tibi quod potero. Si tam longæ inter Hungarum & Polonum ſunt pactæ inducię, ſi Turco à nouo hoſte Caſſano grande exhibetur negotium: Si vacas, ſi denique per commodum Reipublicæ decedere prouincia potes, redi, mi Aquilegienſis, ad nos. Boni te omnes, inprimis Papienſis expectat. Vale. Romæ XXVIII. Iulij M.CCCCLXXII.

CAMPANO.

CCCCLVIII.

CEſſi prouincię inquietæ, ac plenę ſemper diſcriminum. Vt tamen præſidatus Fulginius deferretur ad te, impetrare non potui. Qua ex re maxime doleo. In neſcio quem ex cognatione ſua Pontifex ſpectat. Mœſtus hinc abeo: familia imprimis male mulctatus. Diem obiit coquus olim tibi tam charus: reliqui ſunt ita, aut temptati febribus, aut vexati, vt ad conſpectum triſtes, ad miniſterium pene ſint inutiles. Eadem eſt tota vrbe calamitas. Abiere Patres, Curiales rari apparent, xenodochia ęgros non capiunt. Deſertæ ciuitati ſunt cuncta ſimilia. Quo tu is, inquies Furcifer? Quo nam alio niſi Pientiam? niſi Senam ad expuendam vrbanam miſeriam? Loqueter planius: ſed Campano triſtibus merſo, quæ aliena lætitia non ſuam triſtitiam augeant? Miſerum me, qui benemerendi ſtudio tantis te malis obieci. Quando, aut quo beneficio meo ſciſſuram hanc ſarciam? Vale. Romæ vltima Iulii M.CCCCLXXII.

CARDINALI NICENO.

CCCCLIX.

REſpondi binis litteris tuis gratioribus ſemper melle ac ſaccaro. Quid nunc ſcribam non habeo: nactus tamẽ in via hunc neſcio quem ad te venientem, ſcribendum putaui. A meis primum incipiam. Fatigatus valetudine aduerſa prouinciam dimiſi, quam mihi dediſti. Eo id liberius feci, quod in exitu eſt annus. Tendo ad Aquas Lucenſes, morbis meis, vt admonent medici, maxime vtiles. Ineunte Octobri in vrbem redibo, ingratam mihi, quod nihil habet quo lętari bona mens poſſit. Tuæ res, vel noſtræ potius, per hos dies nos fatigarunt: me inprimis affecerunt dolore, quod apertè intelligo, artificiis peruerſorum in tua iniuria oppugnari publicam omnium cauſam. Neſcio quo in loco nunc ſint. Si bono, eſt quod Eccleſiæ gratuler. ſi malo, eſt quod tute tecum ad Chriſtum verſus cum Paulo dicas: *Mundæ ſunt manus meæ à ſanguine horum omnium. Non enim ſubterfugi quo minus annunciarem eis omne Euangelium tuum.* Dura conſolatio rebus tam præſertim afflictis: ſed tamen in tanta iniquitate Patri integerrimo neceſſaria: puto autem ſi perueniſti ad Regem, probatam eſſe innocentiã tuam: ſimul diſſipata impiorum conſilia. Id Deus optimus faxit, cuius cauſæ nunc ſeruis. Commendo tibi tuum Papienſem. Sathan Xanthonenſis non præſul, archidiaconatu, quem in male illi credita Eccleſia teneo, me ſuperbiſſime atq; indigniſſime trudit. Capitulares, qui à me illum conduxerant, vexati quotidianis malis remiſerunt contractum. Priuor nunc annuis trecentis, niſi auctoritas tua ſubueniat. Subueni ergo, ſi potes, & vale. Deus tibi ad cuſtodiam ſit, & conſilium. Sutrii ante cœnam, & raptim Calendis Auguſti M.CCCCLXXII.

DOMINICO LVCENSI.

CCCCLX.

O Vrbanam miſeriam, conficientem corda, & corpora! Vix veni Bachanũ, ſubito à renibus dolor, ab oſſibus febris, à ſupercilio cecidit nubes. Conficio reliquum viæ liber, & lætus. Vale. Sutrii Calendis Auguſti M.CCCCLXXII.

CAROLO CREMONENSI.

CCCCLXI.

VEnimus Aquampendentẽ incolumes: hoc ad cætera lęti, quod vrbe exceſſimus. Commendo tibi quæ curanda reliqui: Matrem ante omnia, inde domum, inde Vegianam cauſam, inde mandata ad Patrum nonnullos, ad Rothomagenſem, Vrſinum, Montisferrati, & ſancti Petri ad Vincula: poſtremo litteras obſignatas, & a ſecretariis traditas, vt quam primum mittantur, ad quos inſcribuntur. Penſionem vltimam legationis, ſi à Tyburtino accipies, depone apud Spanochias, & chirographum ſerua. Ducentorum, & ſeptuaginta aureorum erit. Si ea forſitan tardius mitteretur, ſcribe ad eum, vt ocyus mittat. Adi ſæpe Cardinalẽ Montisferrati, & quære nunquid habeat nunciandum: Sæpius autem Rothomagenſem, quo ſemper abſens patrono ſum vſus. Si Robertus & Arenes ſequi familiam volunt, veniendi fac poteſtatem. Inprimis ſit tibi ſemper papyrus in manibus, & calamus, vt etiam minuta intelligam tua ſignificatione. Vale. Aquæ pendenti II. Auguſti M.CCCCLXXII.

DOMINICO LVCENSI.

CCCCLXII.

ET Aquampendentem quoq; incolumis: Quid dico incolumis? Hercules viribus, Mancinus lætitia, & alter tu eſurie aſſidua. Cras attingam Eliſium, hoc eſt, meam Pientiam, ſupra quam dici poſſit placentem. Tibi aquæ tuæ Villanæ, nobis Pientini colles ſunt cordi. *Trahit ſua quemque voluptas.* Vtri tamen melius ament, dicat Albienſis iudex, qui dolium indigeni nectaris vno tantum noctis hoſpitio, dimidium corpore, dimidium duabus buttiliis aſportauit. Scripſi ex Bachano ad te, hinc quoque nunc ſcribo. Vel vnam modo ſyllabam extorquere à me mille tuis litteris non poteras: do vltro nunc meas Ita enim vltimo hoc contubernio tota me cæpit ſuauitas, vt ſine moleſtia te carere abſens non poſſim. Scribe quotidie & ineptiarum veſtrarum fac ignarus non ſim. Matrem viſe, & Sueuæ chariſſimæ dic ſalutem ex me. Vale. ex Aquapendenti II. Auguſti M.CCCCLXXII.

D. FAL.

D. FALCONI.
CCCCLIII.

NIl peccaui hoc anno grauius, quàm quod diſcedens te allocutus non ſum. Inter vias hoc recordatus, admiratus ſum factum meum, non tantum damnaui. Falconi ne dextram non dedi? Vale non dixi? Me, & meos, vt ſoleo, eius curæ non commendaui? Quis noſtri amoris conſcius tam neceſſarium officium vel obliuione, vel occupationibus neglectum exiſtimet? Sola tamen neglectum eſt obliuione: dum enim fugere propero, ne me dimiſſum Gallicana poſtulata retineant: dum ſuperare dolorem lateris conor febriculæ admixtum: dum denique ad diſceſſum congero magis omnia quam compono, tu mihi elapſus es. Quam nō mereor, veniam da, & homini obliuioſo cauſam obliuionis ignoſce. Ex itinere ſatisfacio, vt poſſum. Vale mi Falco. Pientiam pero, & Senam ad diem ſolitam rediturus. Habe abſentis memoriam, quàm à præſente non accepiſti. Tum mea, & meos tuere, vt ſoles: ſcribe etiam ſæpe cum potes. Vt tua præſentia, ſic tuis litteris nil mihi acceptius. Hæc ſatisfactio quanti ſit neſcio: par certe non eſt peccato tam graui. Sed ab ingrato debitorè id cape quod potes. Vale. Aquæpendenti III. Auguſti. MCCCCLXXII.

V. CARDINALI SPOLETANO.
CCCCLIV.

NE ignoret Spoletanus Pater vbinam agat filius Papienſis, nuncio, Pientiam me perueniſſe, Pii noſtri terram natalem: valere etiā eum omni familia: videri quoque mihi ex mortis caligine in vitæ lucem tranſiſſe: abieciſſe denique onus curarum ac tædiorum, quæ Romæ nimium grauant. Nunc meus ſum, cum ante nullius eſſem. Idem V. D. arbitror accidiſſe. Quod cum ita ſit, dies hos paucos quaſi feriarum noſtrarum iocunde ducamus, recreandæque menti ac valetudini totos nos demus, vt mox ad conſueta regreſſi minus incommode ferre moleſtias vrbis poſſimus. Non ſit D. veſtræ ad gloriç inanis, nec mihi ad aſſentationis crimen, quod his litteris addam. Scit Dominus, quod à conſcientia os non diſſentit. Proximo Februario cum iter Narnia agerem, contemplatus ſum opus cœnobii veſtra cura erectum, fratrum frequentia, & ſtructura ipſa inſigne. Benedixi nomini veſtro. Rurſum nunc per vicum Montis Roſuli tranſiens magno meo, & aliorū exemplo, vidi ſacellum, coniunctumque Xenodochium, quod impenſa veſtra à fundamentis erigitur, opus opportunum, & pium, tum profeſſioni noſtrę conueniens. Deſcendi, ingreſſus ſum, luſtraui omnia: inde vero egrediens tacitus dixi: *Beatus vir, qui intelligit ſuper egenum & pauperem. In die mala liberabit eum Dominus.* Porro autem felicem eccleſiam ſuſpiraui, ſi illi multi Spoletani contingerent. Qua in re venere in mentem Patres nonnulli ordinis noſtri, qui in Domino dormierunt: Sanctæ crucis, Cæſarinus, Firmanus, De Cuſa, ac nuper ſancti Angeli Hiſpanus, per quorum ſanctas actiones commendatum eſt miniſterium noſtrum. Comparans inde qui nunc ſimus, & quàm in paucis religio, quamque in paucioribus expectatio religionis, vicem Ro. Sedis indolui, voſque vel vnum, vel cum paucis putaui, pro cuius valetudine & vita miſericors rogandus ſit Dominus. Iterum dico: Ab animo, non mentiendi ſtudio hæ litterę ſunt. Ita precor bonitas veſtra accipiat. Si meus Tudertinus vobiſcum eſt, opto illi ſalutem meo nomine dici. Pientiæ VII. Auguſti M.CCCCLXXII.

N. EPISCOPO MVTINENSI.
CCCCLV.

SPem, quam de me tibi eſſe ſcribis, certiſſimam habe. Non tanta præſtiti hactenus, quanta in futurum, modo poſſim præſtare, eſt animus. Ita vetus conſuetudo noſtra poſtulat, vt omni tempore certemus officiis. Sed ſi de te ego confeſſione tua bene ſum meritus: ſi auctor tibi, vel extortor magis Mutinenſis Eccleſiæ, tu quomodo vicem retribuis? & acceptæ Sedis primitias offers? Andreæ meo totiens rogatus anno iam integro vel vnum modo ſacerdotiolum non confers: & multa tamen interim vacauerunt. Hæccine indicia animi memoris ſunt? Aut quomodo tuis epiſtolis

credere poſſum diuerſa in me opera intuens? Qui te rogauit, tuo teſtimonio audiri eſt dignus. Pro quo rogatus es, affirmatione mea meretur quod petiit. Quid ergo cauſæ in neglecto officio? Mutinenſis mi, ſi eſſem pręſens, vellerem aurem, moneremq; vt ſoleo, memoriam veteris amicitiæ non tam cito abiiceres. Sed venia præteritis ſit. Edico quamprimũ ſarcias ſciſſurã hanc charitatis, cureſq; à patre fratribuſq; Andreæ mihi gratias agi, non de re inopi atque abiecta, ſed quæ te, & interceſſore ſit digna. Hoc ni fiat, puta tibi a Papienſi inexpiabile bellum indictum. Quod te Epiſcopum geras, quod Eccleſię præter aliorum conſuetudinem ſeruias, quod Epiſcopium repares, & neglecta prædia colas: Quod denique ab omni ambitione Romanę ſeruitutis ſis procul, laudo, & gratulor. Sancti Præſulis hæc ſunt inſtituta: Tam quidem miranda in populis, quam in pleriſq; Paſtoribus rara. Sed heus tu, vide ne aratrum prehendens retro aſpicias, bonorumq; operum ſacietate optare iam incipias, quod bene nũc deſpicis. Non tantum commendationis hæc ſunt principia, quantum habituri detractionis eſſent non ſimiles exitus. Non hæc ſcribo, quod conſtantiæ tuę diffidam: ſed quod nonnullorum aliquando inconſtantiam riſi. Circumacto anno legationis Peruſinæ prouinciam in ſenatu depoſui, & me in Tuſciam ad recreandam valetudinem retuli. Hoc addidi, vt ſcires quo tibi dirigendæ ſint litterę. Bene vale præſul omni veneratione digniſſime. Pientiæ IX. Auguſti M.CCCCLXXII.

PETRO MARSO.
CCCCLVI.

ADmonui te de Chriſtophoro nepote pluribus verbis: Puto omnia & menti habeas, & ſedulo exequare. Id ſi fit, tuam atque illius rem vna opera curas. Repeto tamen ſummatim quæ imperaui, vt obliuionis nulla ſit excuſatio. Prima de moribus eius ſit diligentia, vt ingenue viuat, vt ætatis illecebris non capiatur, venatorum & luſorum contagia vitet, Religionis ſit memor. Beatæ Virginis horas ante didicerat: committendum non eſt, vt per neglectum illas dediſcat. Eſurio panem Domini, ad eius cultum iam nunc imbuendus eſt animus. Proxima cura de litteris erit, vt nullum tempus, niſi quod datur valetudini, vacet. Libri ſint ſuæ delitiæ, in iis ſe oblectet, & ad virtutem confirmet. Memoriam inprimis exerceat, ſine qua tenuis in magno conatu eſt fructus. Liberorum Gentilis phyſici exempla ſibi proponat: quorum in tam teneris annis tanta eſt ad orationem ſolutam verſumque elegantia. Pudeat eum ſuæ ætatis. Idque agat, vt natu maior, non ſit ſtudiis minor. Summa eſt: vrge in vtrumque teneram mentem, nec horam remitte.

Vdum & molle lutum eſt: nunc nunc properandus, & acri
Fingendus ſine fine rota.

Tibi doctrinæ: illi diſciplinæ erit à me merces, & gratia. Vale. Pientiæ X. Auguſti M.CCCCLXXII.

CARDINALI SENENSI.
CCCCLVII.

EX litteris tuis, ex longa prius communicatione fratris Andreæ rem Senogallienſem cognoui, & tuam ſimul in ſubueniendo celeritatem. Iacobum admirari non deſino, quod aut tantum ſit auſus, aut tam incerto ſit auſus conſilio. Improbitatis videri poterat, conatum impleſſe: Laudabatur tamen ingenium, animi firmitas, iuſtus dolor recuperandæ poſſeſſionis ereptæ. Nunc autem cum imprudenter adminiſtrata omnia videantur, ad improbitatem etiam leuitatis crimẽ accedit. Te vero ſatis digne laudare non poſſum, quod in vrbem accurrens initiis vltionum obſtiteris, tumorumque dete, & Duce temeritatẽ argueris. Non abſimile hoc eſt cæteris actionibus tuis. Impunitatem quoq; ipſi Iacobo ſpero, quando à te illam, qui pręſens es, ſperari intelligo. Habendę Deo ſunt gratiæ, quod benefactis tuis debentur omnia. Sed inprimis, quod is hoc tẽpore ſedet, cuius & mitiſſimi ſenſus ſunt, & ad ignoſcenda leuia, & grauia æquè facilitas. Sub cordatiore Pontifice plus longe operis atq; haud ſcio an inanis ad redimendam culpam adhibendum fuiſſet. Bene ergo vt in malis, habent ſe res: ſed magna meo iudicio curã eſt proſpiciendum futuris. Quid cenſeas neſcio. Ego tamen

ex

ex mea conſuetudine dicam aperte quod ſentio, & quod optari à tuis intelligo. Si credis hoc facto, non futurum poſthac de Vicariatu & Senogallia metum à Iacobo continuum: ſi etiam illum non eſſe odio, quem timemus: ſi te quoque, & Ducē liberos ſuſpicionibus eſſe: ſi denique non quæſitum iri qua ratione per æqua & iniqua finis ſit metui, erras vehementer. Hærebunt hęc ſedulo animis, nec auelli vllis purgationibus poterunt: tum intenta ſemper ad perniciem cura. Vide quo in loco poſitus ſit frater: in medio dominatu Eccleſiæ, inter pleroſq; populos non ſatis ſibi pacatos, & procul ab omni fratrum præſidio. Tum noſcis, quibus cuſtodibus Marcianum ſeque ipſum permittat. Dalmatis vt plurimum is locus incolitur, fidei multum dubiæ hominibus, inter quos verſari illum ſæpe ob multa neceſſe eſt. Tenes quoque, quanta his tempotibus ad corruptelas ſit opportunitas, vt paulo pleniore mercede propoſita vix etiam à nobis tuti eſſe poſſimus. Si maxime nunc armis non petitur Iacobus, ſat vereot ne occultis conſiliis periculo maiore petatur. Summa rationū mearum eſt: Timere me multum vel loco, vel vitæ, vel grauiore calamitate vtriq;, proinde conſulete precari, vt ſi recuperandi Vicariatus in Pontifice voluntas, in Rege nō melior quàm totiens fruſtrata tibi ſpes eſt: de fratris ſalute & fortunis diligentius cogites. Non eſt tamdiu tentanda fortuna, nec eius cum crimine expectanda cōuerſio. Abunde illi eſt domi, vnde cum dignitate viuere poſſit. Conſulat vitæ. Ad vitam, non ad interitum Martianum dedit Pontifex Pius. Pecunia venditione conflata & redimi periculum poteſt, & patrimonium inter ſuos cum æſtimatione augeri. Non vt cæterarum rerum, ſic & capitis conſilia ſubleuationem habēt, vbi in diuerſum ceciderūt. Mea ſententia hæc eſt: ſi tuę conſentiens, grata. Si ſecus, ob id etiā grata, quòd & tuis conſentit, & meæ conſcientiæ teſtimonium habet. Cardinali Rothomagenſi, quod ſuffragatum tibi in deprecanda culpa præter cæteros audio, gratias pręſentibus literis ago, vt intelligat beneficium ſuum pertinere ad plures. Id ſi ita eſt, literas ipſas per tuorum aut meorum aliquem reddi da operam. Quod autem ex Pientia ſcripſi, repeto ex Sena, vt te curis non crucies, eumq; in priuatis præſtes, quem cum ſumma laude videmus in publicis. Vale. Senæ xiv. Auguſti. M CCCCLXXII.

DOMINICO LVCENSI.
CCCCLVIII.

GRata ſunt quæ ſcribis, grata quæ conſulis, grata quæ nuncias. Quid attinet dici? Totus es gratia. proinde amico tam grato gratias ego plenis affectibus ago. Serua officium, & quotidie ſcribe. Literarum poſthac auarus retributor non ero. Si quæris vt valeo, Quantum acceſſit viæ, tantum & valetudinis bonæ. Sum Senę. Metire tu nunc magnitudinem illius. Sueuam iterum ſaluta ex me, & mihi matrem ad reditum ſetua. Vale. Senæ xiv. Auguſti. M. CCCCLXXII.

PETRO MARSO.
CCCCLIX.

PLacet reſumptam eſſe priorem inſtitutionem erudiendi Chtiſtophori. Imbuendæ, non obruendæ ſunt teneræ mentes: idq; agendum, vt capiant quantum poſſint, non quantum offertur. Itaq; in inſtituto perſiſte. Vidi eius ad me ſcriptam epiſtolam. Si ſua, vt puto, eſt, indicio eſt creſcentis diſciplinæ, & amantis animi literas, & quidem etiam non hebetis ſtudii. Pergat vt cœpit. Mihi ab eo nihil optabilius eſſe poteſt, nihil à me illi vtilius. Guidantonium noſtrum certe ſcio ea pietate ad regendum adoleſcentulum eſſe, quam memoras. Idem in meis reliquis fuit, & futurum poſthac quoque confido. Retribuam ſi potero. Si non potero, retribuet Deus. Obedite illi ambo, nec minus obſeruate vultum eius quàm meum. Libentius faciet quod facit, cum bene accipi, & fructum ferre ſuam diligentiam noſcet. Priuatis veſtris, ſi quo egetis, non patimini à quoquam præter me proſpici. Scribe tu omnia: actutum quæ neceſſaria erunt habebitis. Curandum eſt, vt quibus labori ſumus, etiam ne oneri ſimus. Vale. Senæ xv. Auguſti. M. CCCCLXXII.

CHRISTOPHORO NEPOTI.

CCCCLX.

GRatæ fuerunt literæ tuę,quas proxime accepi. Video mandati mei es memor. Studia non intermittis,& ſtilum iam non inerudite exerces.Placent hæc adoleſcentiæ initia Cura vt cætera non ſint his diſſimilia. Tam te diligere potero, quam tu literas diliges. Da etiam operā vt de moribus & religione tibi ſit ſtudiū. Indignus eſt labor,qui linguam ad dicendum,non etiam mentem ad bene operandum inſtituit. Summa omnia ad virtutem porrigit Deus: Præceptorem bonum, ætatem integram, non anguſtam rem domi. Admonitorem inprimis fidelem Guidantonium noſtrum: qui cum te cultu filii apud ſe habeat,nō patietur,ſi illum audiueris, à via bene viuendi errare. Illum ſedulo audi,& cole,& venerare vt patrem. Ita eſt non modo voluntas,ſed etiam imperium meum. Noſtra hic domeſtica bene ſe habent. Valet Bartholomæa:valet Conſtantina ſoror. ædes & prędia non negliguntur. Scribe ſæpe, & Vale tu etiam. Senę xv. Auguſti. M.CCCCLXXII.

CARDINALI SENENSI.

CCCCLXI.

NEſcio an epiſtola hæc, quam Pontifici ſcribo, partem aliquam habeat medicinę. Rurſum ſi habeat,vulneri ne medeatur an cicatrici. Etenim petita ſero, opportuno tardius forſan affertur. Vide eam ſi vacat, ac ſi quid ineſt frugis, arbitrio tuo vel redde vel retine. Si reddendam cenſueris,& tuo annulo claude. Baptiſta Francus mecum fuit,vt narro. Retexit cuncta vt ſunt. Nihil de filio patri reticuit. Propterea melius precibus quàm argumentis agendum putaui. Ignoſce ſi fortior non eſt. Plus conari imbecilla mens nequit. A Thetſite non eſt poſcenda Achillis lorica: Fidem ac quam potui diligentiam bono animo accipe. Bono enim vtraq; eſt ad cauſam adhibita. Puto iam deferbuiſſe apud Pontificem omnia,& in vado Iacobum eſſe. Si ita eſt, miſſa fac cætera,& reliquum hoc æſtatis te apud nos recrea. Sine te hic ego pene ſum odio. Vale. Senæ xx. Auguſti. M.CCCCLXXII.

XYSTO IV. PONTIFICI MAXIMO.

CCCCLXII.

MAgno dolore, Beatiſſime pater, me ab initio affecere quæ de Iacobo nepote Pii, & rebus apud Senogalliam geſtis nunciata rumoribus ſunt. Indigna eſſe putaui,& leuia,& ſuis omnibus,tuæ imprimis piæ menti multum moleſta. Admiratus ſum quoq; conſilium iuuenis: Cuius cum antehac humani ſenſus fuiſſent quieti & faciles,& ad gratiam hominum ſemper intenti,nunc ſibi ipſis tam eſſent inuenti diſſimiles. Verum poſt paulo literis quorundam prouincialium, cum quibus mihi magnus eſt vſus,certior de tota re factus recreatus ſum plurimū, videns nō tam ad crimen perfidiæ,quàm ad inconſultum bene agendi ſtudium factum ſuum referri. quam ſententiam protinus confirmauit viri doctiſſimi & integerrimi fides Baptiſtę Franchi nobilis Genuenſis,qui biduo Senæ apud me commoratus,rogatuſq; per beneuolentiam noſtram,vt ad verum,non gratiam rem geſtam narraret: aperte vt vir bonus eſt,dixit die ipſo tumultus Senogalliæ ſe fuiſſe: inſpexiſſe ante omnia,& de vita pene periclitatum: Cœptam autem cędem,& prædam ad interitum vſq; ciuitatis cōtinuatum fuiſſe: niſi accurrens ex vicino Monte marciano Iacobus auctoritate ſua repreſſiſſet impetum,& inter ſe ciues concilians quieta omnia reliquiſſet. Nihil autem in eo præter affectum reducendorum quorundam exulum,niſi ſanum,niſi fidele,niſi dignum Eccleſia cognouiſſe. ac quamuis non nullorum diuerſum ſit iudiciū: ita ſe tamen putare nec plus factioſis indigenis quam ſibi externo credendum. Tali igitur teſtimonio laudati hominis, & noti tuæ Beatitudini adductus reſumo animum,& deprecari audeo feruorem hunc iuuentutis. Puto autem eſſe aliquos,qui factum criminando augeant,& vlciſcendum ſuadeant: Atq; illic timore trepident, vbi timor non eſt. Ego Iacobum nō excuſo. Erraſſe dico: officii ſui fuiſſe nego alienæ ditioni ſe immiſcere: De reducendis exulibus cogitare,quorū, etſi amicitia ad ſe,beneficium

ficium tamen prouinciæ Præſidi contingebat. Sed quid eſt? Si peccata hominum nõ eſſent, quid attineret pietatem Domini implorare? cur Propheta dicens, *Miſericors miſerator, & iuſtus*: vno nos ad iuſtitiam, duobus ad miſericordiam nominibus hortaretur? mihi quidem, Beatiſſime Xyſte, multa eſſe videntur, quæ dignum venia Iacobum faciant. Nec fallor affectu: Nec plus apud me poteſt priuatum meritum Pii, quàm publica Eccleſiæ res. Sed inprimis eſt ætas recens multum, & necdum confirmata, cuius ratio ad pœnam erroris apud bonos iudices ſemper eſt habita. Quis enim neget aliter attendi ſolere quę iuuenes, aliter quę grãdes iam natu admittunt? In illis exitus tantum: in his etiam rerum cõſilia expendi? impellit iuuenes temeritas, & ſanguis ſuo ardore quieſcere neſcius: non ad peccatum nequitiam, ſed tantummodo impetum ferens. At virorum longa ſemper eſt meditatio. Cogitata diu ad facinus cura, quod auſuri ſunt vident, quod vident, licet iniquum noſcant, nocendi tamen ſtudio vt pergant moliuntur, raroq; eorum conatibus, quod rationem habẽt, deeſt ſucceſſus. Quo fit vt quanto hos acrius cognitio maleficii damnat, tãto illos lenius ſtultitia & inconſideratio puniat. Eam ob rem fidenter multum pro ſe deprecabatur Propheta: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, Domine*: quaſi iuſtæ veniæ eſſe contenderetur, quę non voluntatis, ſed ætatis fuiſſe cognoſcerentur. Sed huic excuſationi adduntur merita germani fratris, Cardinalis Senenſis, quæ per omnem vitam fuere eiuſmodi, vt condonari ſibi hæc vna iuuenis imprudentia non iniuria poſſit. Laudauit eum ſæpe ſanctitas tua verbis ampliſſimis: nouit modeſtiam eius, integritatem, & fidem. ſcit quanta conſtantia ſupra ſortem ætatis duas iam Legationes pro Eccleſia geſſerit, alteram in Piceno, quo tempore hoſti Sigiſmundo nõ mediocribus periculis reſtitit, & Saxoferratum opportunum oppidum tuæ Apoſtolicæ Sedi reſtituit. Alteram apud Germanos, in qua ſalutaria multa ſunt conſtituta, atq; illud inprimis magno ingenio procuratum, ne poteſtates nonnullæ ad perniciem noſtram apud Cæſarem congregatæ peſtiferis conſiliis locum inuenirent. Hæc profecto tam illuſtris in Cardinali virtus ſatis videri ad ignoſcendam ſtulti fratris temeritatem exiſtimo. Sed ſi non ſatis videtur, nunquid non ſatis videbitur recẽs felixq; Pii memoria? Recordaris quanta ille viuens ingenio tuo tribuerit, quanta de ſumma doctrina quotidie prædicarit, quàm diſerte publicas temporum illorum diſputationes literis commendarit, quàm deniq; te dilexerit, & præſidẽti tuis minoribus fauerit. Es inprimis memor, qua gloria Romanum ſacerdotium rexerit, quibus operibus inclinantem Apoſtolicam Sedem in ſuam dignitatem ſtatuerit: quibus etiam ærumnis, & vitę diſcriminibus oppugnatoribus noſtris obſtiterit, vt nulla illi contentio, nulla dimicatio fuerit, in qua manus Domini ad victoriam non ſit operata. Auxit Dominatum Eccleſiæ. Ciuitates multę, quæ tibi nunc parent, elapſæ olim manibus noſtris partim nos oppugnabant, partim rediturę nunquam ad matris gremium videbantur. Reductæ ſunt tamen. Neque in his reducendis aut angoribus vllis, aut periculis inualidus ſenex pepercit. Iam vero quæ pro fide Chriſti ſupra omnem hominum expectationem eſt ſæpe conatus vulgo ſunt nota, & tuis aliquando laudibus celebrata. Cogitauit certe digna Deo, ac caput ſuum pro auertendis iis malis obiecit: quæ ab illo præuiſa, ab aliis non credita, inprimis nunc Italię finibus vrgent. Hic ergo talis ac tantus Pontifex, anteceſſor tuus, Tibi amicus, Iacobum ſororis Germanæ filium mire amabat. Ad menſam, ad libera occupationibus tempora pro delitiis adhibebat: cuius etiam ad virtutem indolem mirabatur. Profecturus in Turcos cum fratres eius cæteros dimitteret in Italia: hunc quoq; ſalutis cauſa cogitaret dimittere, nunquã adoleſcens eſt paſſus. Me audiente lachrymans eſt deprecatus, vt à ſe quoq; perſolui Deo ſineret id naualis militiæ decus. Non paſſurum enim quantum poſſet ſancto Auunculo inter hoſtes verſante, ſe inter ſuos ignauum ocium agere. Quod animi ſpecimen intuitus Pius, præmiſit illum Piſas ad Triremes per fretum Siciliæ ad ſe ducendas, quę concedentibus Florentinis ibi erant ſua cura inſtructę: qua in nauigatione ſic perſtitit: ſic cupidus ad holocauſtũ Domini ferebatur, vt pietatis, & religionis magna in eo iam tum argumenta cognoſcerentur. Pro hoc igitur cum beatiſſimus Pius beatiſſimum Xyſtum complexus, per commune ſacerdotium, & antiquam beneuolentiam, & per opera tam fructuoſi Pontificatus arctiſ-

ſime deprecetur: quis neget tantis meritis mediocrem noxam Iuuenis condonandam? Principes aliquando ſæculi ob illuſtrem tantum docti alicuius viri memoriam inter media arma inimicis vrbibus pepercerunt. Pontifici omnibus ſæculis memorando à tam clemente Pontifice id non dabitur? Adduci non poſſum, vt vel hac hora ignotum iam Iacobo non putem: vel ſi ad correctionem longior adhuc indignatio retinetur, breui ignotum iri non credam. Id mihi grauitas tua & pietas, & bonum, quæ dixi, cogitatio facile perſuadent. Sed & huic ciuitati tuæ Senenſi aliquid procul dubio eſt indulgendum. Suum quidem illa te putat, & generis tui vetuſtatem refert ad ſe. Video quantum venerentur præſentem pontificatum hi ciues, quàm te colant, quanta de te ſperent. Veniunt ſępe ad me. Rogant quid de Iacobo credam. Sollicitis animis euentum tui decreti expectant. Omnes autem ſeruare ſuum ciuem orant, ac cupiunt. quibus eam ſpem præſto, quam de te mihi tua benignitas præſtat. Eſt inter eos, vt ſcis, multæ humanitatis ac modeſtiæ Pręſul Maſſanus, tuæ Beatitudinis nepos. Eum obſeruant maxime, habentq; in honore. Cerno haud dubie, quantum tu ad lenitatem in Iacobum addes, tantum illos ad ſua in illum officia ſedulo addituros, quæ cum meo teſtimonio magna ſint, etiam tuo beneficio ſunt futura perpetua. Sed nolo hæc omnia valere ad ſalutem iuuenis. Concedo inferiora eſſe eius peccato: ſolam ſeueritatem intuendam permitto. Quid Xyſte Beatiſſime? tuæ ne ſanctę conſuetudinis cauſa non facies? Quid alia rerum cauſa minus faciundum exiſtimas? Celebris ob multa es toto orbe terrarum. Laudatur in te religio, integritas, munificentia, bonorum operum ſtudium, doctrina ingens, qualis noſtra ætate maior non fuit. Sed venia tua dixerim, nil bonum tantum gratiæ à filiis hominum tibi conciliat, quantum in eorum fragilitate compaſſio, mixtaque ſemper emendationi facilitas. Nil in te vnquam crudele, nil ſæuum, nil inexorabile inuentum eſt: decreta tua ad clementiam, & benignitatem ſunt ſemper relata. Imitator Ieſu Chriſti magiſtri tui fuiſti, cuius miſereri proprium eſt ſemper, & parcere. Audiſti præceptum Euangelii ſui: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde*. Illud quoque apoſtoli Pauli noſtræ ſorti conuenire putaſti: *Vos qui ſpirituales eſtis, corrigite in ſpiritu lenitatis*. Memiſti deniq; noſtræ infirmitatis, & quod erramus omnes, & labimur, veniamq;, quam quærimus nobis impertiri, etiam filiis noſtris debemus. Diuina hæc inſtitutio paſſim in ore eſt omnium, cumq; de te ſermo habetur, prima ſemper ad commendationem tuam proponitur. Quam ergo in cęteris tanta gratia in hunc diem ſeruaſti, ne patiare nunc primum in Iacobo proiici. Audi teipſum, & tua dura conſilia reiice. Plus tua te manſuetudo, quàm aliorum iudicia hactenus adiuuere. Noli id dici iam, quod de Pontificibus nonnullis aliquando eſt cognitum, quorum mitia principia, aſperi exitus excepere. Sit ab initio in finem vna eademque ſemper continuata benignitas, vt eadem ſit ſemper populorum de te benedictio. Caſtigatus iuuenis, non morti traditus narret in æternum opera patris, nec plus Pio, quàm Xyſto ſe debere intelligat. Ego vero, beatiſſime Paſtor, cui Pius ipſe moriens hos ſororis filios commendauit, Cardinalem me creans de manu tradidit, ſemper autem, vt pater eſſem, edixit: procidens ante pedes tuos te oro atque obteſtor, vt fiant aures tuę intendentes in vocem deprecationis meæ: Indulgeas iuueni boni Cardinalis germano, bene meriti Pontificis ſanguini, conciui tuo Senenſi, conciuibus ſuis accepto: neve aliud ſtatuas, quàm quod tibi pia mens dictat. Ignouiſti alienis: ignoſce etiam tuis, nec minorem cogniti, quam ignoti facilitatem inueniant. Recordare quod ſi *pro magno peccato* (vt vetus verbum eſt) *paululum ſupplicii ſatis eſt patri*, pro mediocri nullum eſſe oportet. Corripe iuxta Prophetam in miſericordia vberi. Idque age, vt non intereat peccator, ſed conuertatur, & viuat. Probatior enim ſemper habita eſt medicina quæ ſanat, quàm quæ exſecat. Sanationem autem eius ſpondeo tibi, Pontifex Xiſte. Etenim ſenſus ſui mihi ſunt noti. Scio quàm facile redire in ſemitam poſſit. Vbi abundauit iniquitas, ſuperabundauit & gratia. Lapſus errore nũc eſt. Cogitatione non tamen præuidit, quantum oportuit. Plus autem, quàm oportuit circumſtantium conſiliis credidit. Sed recreabit ſe, magnoq; hoc veniæ deuinctus beneficio ſarciet perpetua fide, quicquid ſciſſurę nunc imprudenti auſu eſt factum. Cuius rei vadem me tibi dignitatemq; hanc Cardinalatus, & Sacerdotia, quibus ſuſtentor,

ſtentor, præſenti chirographo offero. Magnis quidem à te affectus ſum meritis: dediſti meis quę volui, ſummi honoris Legationi me præfeciſti, vacuus nũquam diſceſſi. Omnia hæc quanquã grandia, & imis ſenſibus ſemper hæſura: id tamen vnum eminet, ſi ſeruo tuo, filio meo, Iacobo Piccolomineo peccatum iuuenile ignoſcens dextera illa benedices, qua confugientes ad te ſaluare ſemper es ſolitus. Quod vt facias, per ſanctam charitatem, quæ tibi cum fratribus eſt, vnus ego ex fratribus deprecor. Tot Cardinales à Pio creati ſerui tui, & virtute non vltimi beneficium hoc tua gratia conſecuti, ſi minus tibi propter magnitudinem tuam: at tuis aliquando referre gratias poterunt. Mihi ſit venia, ſi aut in petendo minus, aut in ſcribendo fui moleſtus. Vera charitas, quæ vincit omnia, vt ita facerem imperauit Senæ. XIX. Auguſti. M.CCCCLXXII.

CHRISTOPHORO PICCOLOMINEO NEPOTI.

CCCCLXIII.

QVod de ſolis literis cogites, quod etiam nunc poeticam auſpiceris, quod ſæpe ad Auiam ſcribas, quod Guidantonium audias, boni adoleſcentis officium duco. Hoc quod bene nunc facis, cura vt diutius facias. Illud delectauit inprimis, quod actionem Ciceronis in Catilinam mandatam memoriæ dicas. Id ſi ita eſt, non modo laudo plurimum: ſed acceſſionem non leuem factam tuis ſtudiis puto. Recita eam quotidie, vt animo bene inſideat. Nulla re ſtilum erudire melius potes. Aſſuetudine illa tanquam educatione quadam appetes ſemper ſimilia. Venient ſcribenti ad calamum non modo lecta verba, & graues ſententiæ, ſed inprimis tonus ille orationis perceptis conſentiens, qui nil languidum eſſe ſinet, aut curtum, aut nimium. Hac ratione in aliorum imitationem ſe tradidere, quorum nunc miramur facundiam. Idem tu ſerua. Cicero ſit ante alios nutritor ingenii. Melius nemo vel dixit vnquam, vel ſcripſit. Huius vel orationes totas, vel locos illuſtres ita ediſce, vt poſitum in eo ſolo credas, quicquid id eſt, quod ſcribendo & loquendo aſſequi cupis. Verſus quidem eruditionem adiuuat. Internoſcuntur multa lege numerorum, quæ apud imperitos ſunt dubia. Et ego partem operæ in ea cognitione ponendam aſſentio: Sed nolo commendationem omnem diſciplinæ tuæ ad verſum tãtum referri. In vita ciuili, cui es dedicandus, frequentior eſt orationis, quam carminis vſus. Immo huius nullus: Illius domi, ac foris aſſiduus. Summa eſt, vt poeticæ cognitionis tantum cauſa des operam: oratoriæ autem fructus, & gloriæ. Pręcepta hæc ſunt formandæ ad bonas literas menti. Vbi prima rudimenta euaſeris, non deerunt monita ad vitam. Cura nunc tantum, vt inter has Gentilium literas religionis Chriſtianæ ſis memor, & Deo adiutore conanda tibi omnia putes, tuamq; interim adoleſcentiam incorruptam conſerues. Hæc faciens placebis ei, ex cuius nutu tua omnis pendet fortuna. Vale. Senæ VII. Septembris. M.CCCCLXXII.

PETRO MARSO.

CCCCLXIV.

PLacet continuari à Chriſtophoro Æneidos volumen tertium: Placet & numeris metricis operam dari: Saluſtianam etiam, & Ciceronianam lectionem non intermitti. Sed illud inprimis attendi, ne imbecilla adhuc mens intenta tam multis ad vnumquodq; fiat infirmior. Tu qui eius vim noſcis, hoc diligenter conſidera. Cura ante omnia, vt exercendæ memoriæ nulla ſit quies. Mane & veſperi perſonet viciſſim os eius ſolutam orationẽ ac verſum: nec tam aliquando adiiciat noua, quàm iam parta confirmet. Meo iudicio id tantum ediſcitur quod menti mandatur. Veniens ego plane vt quæq; fuerint recognoſcam. Guidantonius noſter diligentiam tuam laudat, & fidem. teſtimonio eius cum omnia credam, ego quoq; te laudo, ac gratias ago. Spem meam, & Pomponii de te commendationem non fallis: quod tibi futurum aliquando eſt vſui. Valere vos omnes, & Guidantonium obſeruari permultum ad animum eſt. Vale. Senæ VI. Septembris. M.CCCCLXXII.

FALCONI SINOBALDO.

CCCCLXV.

DE Capitaneatu Senenſi expectandus triumuiratus eſt,quo auctore impetrare illum facilius Albergato noſtro poſſimus.Nam ne nunc à magiſtratu ciuitatis id poſſit,prohibent poſtulationes nonnullæ Pontificis.vehementes illæ, ſed parum in hunc diem auditę.Quo enim ore dent ſeruo,quod tam diu Domino negant?Triumuiri legendis prætoribus de more facti, quibus ſcriptũ nil erit, liberius nobis aſſentient.Eo tempore ſi hic ero,operam vnius ſatis eſſe putato.Si minus: contendam nihilominus ab vrbe literis meis. Interim quoq; obligabo ex amicis quoſdam: in quos eã ſortem caſuram exiſtimo.Debeo Albergatis multa: Tibi omnia, ſumma quæq; Senenſi meo,qui mihi hanc petitionem commendat. De Niceno, Rothomagenſi, Auinionenſi,nouis præſidibus,graui autumno, & mortibus reples epiſtolam: quod mihi eſt gratum.Sed te oro:Vbinam exciderunt domeſtica? De neptis coniugio nõne ſcribi aliquid decuit?An tu minori curæ illam eſſe credis,quam tibi? Scribe quid actum ſit,& in quem locum vel adduxerit Vianeſius rem,vel adduci poſſe confidat. De pecunia item Albinenſi,an ſit perſoluta,ſignifica. Ab ingrato, & perfido ſemper erit nobis timendum.Tua vero Philoſophia multum ſum gratulatus, cui omni affectu vacare te decuit.Si voluntaria eſt,iterum gratulor.Si coacta,non diuturnam confido.Incende thura:impleri iam omnia odoribus ſenties. Da Falconi meo Pontificem,qui virtutem eius recte expendat:Abiicientur illico cum doctrina doctores, & philoſophia,& libri.Ad negocia,non ocia,mi Ruffe,es natus. Quodq; ſum ſemper hortatus,hortor & nunc,vt in Eccleſia,cui te dedicaſti,naturam ducem ſequare.Sed illud quomodo non es veritus ſcribere: præſertim de publicis ſcribens? Nihil eſt intus,aut in cute quod doleat.Mihi tu hoc perſuadcs? An fieri poteſt,vt in tanta poteſtate,in qua etiam viris præſentem intentant omnia mortem, & in tam perſpicua omnium rerum iactura,tu ſolus ex conuectorum tanto numero non moueare? Aut tibi aſſiduitate malorum obduruit cor:aut quod à moribus tuis eſt alienum,nũc primum es mihi mentitus.Ego tam indignari præſentibus, & dolere Falconem exiſtimo,quàm qui omnium maxime indignantur & dolet. Id recta ingenia, quale tuum eſt,neceſſario ſolent. Vale. Senæ. Vbi ad diem conſilii tui ero IIII. Septembris. M.CCCCLXXII.

FLORENTINIS.

CCCCLXVI.

SI vno eodemq; arbitrii iudicio finis futurus eſt contentioni, non & de finibus, & priuatorum poſſeſſione:nil interim induciæ,quas ſuadebam,his, aut illis dediſſe, vel ademiſſe iuris videtur.Si non iudicatur genus id verborum adhiberi in pacificãdis induciis poteſt,quo neutri obſit,aut proſit poſſeſſio. Hac ratione paſſim quotidie præiudiciis,quę timentur,occurritur.Litigati porro agri,arati & ſati ſunt,vt accepimus.Si per inducias habendi hi in ſuſpenſo ſunt,vt veſtræ literæ poſtulant:Inducię autem poſt meſſem etiam ſint continuaturæ, eo quod iudicari ante nequierit: quid interim erit de frugibus?Ex induciarum pacto nequicquam colligi eas licebit. Ita cum aratorum damno,aut eſca auibus fient,aut recidiuum ſemen in pabula. Satius noſtra eſſet ſententia, & Chriſtianis conuenientius rationem iniri, qua & condi cæ poſſent,& legitimis dominis iudicata re conſeruari. De hiſce rebus ideo breues erimus,quod inuiti admodum loquimur,ne aut de ignotis diſſerere, aut de alienis plus iuſto videamur requirere. Summa eſt,vt ſi minus conueniri inter litigantes de induciis poteſt,à vobis tamen,& Senenſibus adhibeatur cura,ne quid interim incommodi accidat,quo iudicandi omnis conditio difficilior fiat. Valete.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI PApienſi.

CCCCLXVII.

QVos in turbines,quas in voragines,quæ in præcipitia me conieciſti? O ſi emergam:ſed difficile ei qui nouus ſit,facile ei qui iudicio tuo poeta ſit. Ex Domino Gilio

Gilio noſtro quo in ſtatu, quàm dubia in ſpe ſim, intelliges. Tam exiguum eſt quod ſpero, quam quod deſpero: modo Roma in ſententia perſtet. Factę ſunt induciæ dierum xv. ex vrbe obſeſſa prope emporium fecimus. Vale feliciter. Tuderti XXIII. Aprilis M.CCCCLXXII.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI PAPIENSI.

CCCCLXVIII.

O Vtinam: ſed quid homini optandum de homine? Vt vt es, mi Papienſis, ſalue: incertus mihi ſum Pontificem te malim an Papienſem. Hic multum deliriarum: illic laborum longe, & curarum plurimum. Si tu ſaltabis, memineris quantum iurauetis p. leato. ſin ſubſiſtes, euoca, eripe me his inuicte malis. Hic nihil eſt, quod ad te ſcribam. Tu ſi me amas, quod feciſti, ſemper quoquo ſors ceciderit, Campanum infer. Vale. Sum in rebus multis longe occupatiſſimus: adeo ex Antiſtite factus ſum ſcriba.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI PAPIENSI.

CCCCLXIX.

NVmini meo latriam. Non dubito futurum quod ſcribis, vt labes vna totam prouinciam conuoluat, malo id quidem meo. Quid enim paratius? fuiſſes tamē aliquanto diuinior, ſi addidiſſes & tuo. Iam nunc menſtrunm ſupplementum mihi à te conſtituo aureos Pientinos, ſeu mauis Piiſcos quinque menſe ſingulo Romæ agenti: nam extra vrbem nihil debetur mortuis. Viuo hæc dabuntur, præter cœnas, & prandia, & quibus epigrammata donabuntur: quorum libertati nec ego volo, nec tu potes legem vllam præſcribere. Iam intelligis calamitas hęc cuius agrum ſit decuſſura: nam vbi amotus prouincia fuero, quo cenſes fugiturum alio, quam ad te? Fecit te mihi vectigalem Imperii diuturnitas, nec poteſt arbitrio ſuo non ſeruire, qui cœpit: quanquā ſi curæ vobis, vt ſpes eſt, fuero, ne attentabor quidem: aut ſi attentabor, mouebor: non eiiciar, & locum mutabo, non deponam dignitatem. Mihi vero idem eſt animus, qui fuit ſemper: facile mihi erit fortunam, in qua creui, & perferre. iniuria omnis veſtra eſt: qui tantum numen tot patroni ſuſtinere clientem vnum nequeatis in cauſa iuſtiſſima.

Ergo tuum numen facili pacabile cera,
Ad vota incipiet ſurdius eſſe mea?
An quicunque pedes labentur: vt omnia deſint,
Qui me ſuſcipiat non Papienſis erit?

Quare ne putes in deſperationem me venturum, non modo ſine culpa mea aliqua: ſed omni etiam culpę ſuſpicione eiectum prouincia, abdicatum magiſtratu. De Barduli ſupercilio ſcribam alias. Scio quàm manifeſta ſuperbia, quàm occulte ſublabimur, & lucerna tunc prope eſt, vt extinguatur cum ardet inſolentius. Sed hæc, vt dixi, alias. Nunc Perinum meum audies: nihil nouum à te peto: eſto qui ſoles. Feliciter vale. Fulginii x Aprilis M.CCCCLXXIII.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI PAPIENSI.

CCCCLXX.

RΕcepit Nicenus, facturum ſe hodie verbum cum Domino noſtro. Enarraui conſultationem noſtram ordine omnem, & aſſenſum tuum in communicando conſilio: laudaui & amorem tuum in me, & in ſe fidem. Altera vox fuit: nunc verum eſſe intelligo, quod ſæpe audieram, eſſe te Domino Papienſi chariſſimum. Magnum eſt teſtimonium beneuolentiæ, ſpoliare ſe: te induere. Ego nō hoc modo confeſſus ſum, verum perpetuam beneficentiam in me tuam commemoraui, atque ita admiratio in iudicium ceſſit. Expectabo quid actum ſignificet: nam ita conuenimus.

FALCONI SINOBALDO.

CCCCLXV.

DE Capitaneatu Senenſi expectandus triumuiratus eſt, quo auctore impetrare illum facilius Albergato noſtro poſſimus. Nam ne nunc à magiſtratu ciuitatis id poſſit, prohibent poſtulationes nonnullæ Pontificis. vehementes illæ, ſed parum in hunc diem audiuę. Quo enim ore dent ſeruo, quod tam diu Domino negant? Triumuiri legendis prætoribus de more facti, quibus ſcriptū nil erit, liberius nobis aſſentient. Eo tempore ſi hic ero, operam vnius ſatis eſſe putato. Si minus: contendam nihilominus ab vrbe literis meis. Interim quoq; obligabo ex amicis quoſdam: in quos eā ſortem caſuram exiſtimo. Debeo Albergatis multa: Tibi omnia, ſumma quæq; Senenſi meo, qui mihi hanc petitionem commendat. De Niceno, Rothomagenſi, Auinionenſi, nouis præſidibus, graui autumno, & mortibus reples epiſtolam: quod mihi eſt gratum. Sed te oro: Vbinam exciderunt domeſtica? De neptis coniugio nō ne ſcribi aliquid decuit? An tu minori curæ illam eſſe credis, quam tibi? Scribe quid actum ſit, & in quem locum vel adduxerit Vianeſius rem, vel adduci poſſe confidat. De pecunia item Albinenſi, an ſit perſoluta, ſignifica. Ab ingrato, & perfido ſemper erit nobis timendum. Tua vero Philoſophia multum ſum gratulatus, cui omni affectu vacare te decuit. Si voluntaria eſt, iterum gratulor. Si coacta, non diuturnam confido. Incende thura: impleri iam omnia odoribus ſenties. Da Falconi meo Pontificem, qui virtutem eius recte expendat: Abiicientur illico cum doctrina doctores, & philoſophia, & libri. Ad negocia, non ocia, mi Ruffe, es natus. Quodq; ſum ſemper hortatus, hortor & nunc, vt in Eccleſia, cui te dedicaſti, naturam ducem ſequare. Sed illud quomodo non es veritus ſcribere: præſertim de publicis ſcribens? Nihil eſt intus, aut in cute quod doleat. Mihi tu hoc perſuades? An fieri poteſt, vt in tanta poteſtate, in qua etiam viris præſentem minentur omnia mortem, & in tam perſpicua omnium rerum iactura, tu ſolus ex conuectorum tanto numero non moueare? Aut tibi aſſiduitate malorum obduruit cor: aut quod à moribus tuis eſt alienum, nūc primum es mihi mentitus. Ego iam indignari præſentibus, & dolere Falconem exiſtimo, quàm qui omnium maxime indign. tur & dolet. Id recta ingenia, quale tuum eſt, neceſſario ſolent. Vale. Senæ. Vbi ad diem conſilii tui ero iiir. Septembris. M.CCCCLXXII.

FLORENTINIS.

CCCCLXVI.

SI vno eodemq; arbitrii iudicio finis futurus eſt contentioni, non & de finibus, & priuatorum poſſeſſione: nil interim induciæ, quas ſuadebam, his, aut illis dediſſe, vel ademiſſe iuris videtur. Si non iudicatur genus id verborum adhiberi in paciſcēdis induciis poteſt, quo neutri obſit, aut proſit poſſeſſio. Hac ratione paſſim quotidie præiudiciis, quę timentur, occurritur. Litigati porro agri, arati & ſati ſunt, vt accepimus. Si per inducias habendi hi in ſuſpenſo ſunt, vt veſtræ literæ poſtulant: Induciæ autem poſt meſſem etiam ſint continuaturæ, eo quod iudicari ante nequierit: quid interim erit de frugibus? Ex induciarum pacto nequicquam colligi eas licebit. Ita cum aratorum damno, aut eſca auibus fient, aut recidiuum ſemen in pabula. Satius noſtra eſſet ſententia, & Chriſtianis conuenientius rationem iniri, qua & condiæ poſſent, & legitimis dominis iudicata re conſeruari. De hiſce rebus ideo breues erimus, quod inuiti admodum loquimur, ne aut de ignotis diſſerere, aut de alienis plus iuſto videamur requirere. Sūmma eſt, vt ſi minus conueniri inter litigantes de induciis poteſt, à vobis tamen, & Senenſibus adhibeatur cura, ne quid interim incommodi accidat, quo iudicandi omnis conditio difficilior fiat. Valete.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI PApienſi.

CCCCLXVII.

QVos in turbines, quas in voragines, quæ in præcipitia me conieciſti? O ſi emergam: ſed difficile ei qui nouus ſit, facile ei qui iudicio tuo poeta ſit. Ex Domino Gilio

Gilio noſtro quo in ſtatu, quàm dubia in ſpe ſim, intelliges. Tam exiguum eſt quod ſpero, quam quod deſpero: modo Roma in ſententia perſtet. Factę ſunt induciæ dierum xv. ex vrbe obſeſſa prope emporium fecimus. Vale feliciter. Tuderti xxiii. Aprilis M.CCCCLXXII.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI PAPIENSI.

CCCCLXVIII.

O Vtinam: ſed quid homini optandum de homine? Vt vt es, mi Papienſis, ſalue: incertus mihi ſum Pontificem te malim an Papienſem. Hic multum delitiarum: illic laborum longe, & curarum plurimum. Si tu ſaltabis, memineris quantum iurauerις p leato. ſin ſubſiſtes, euoca, eripe me his inuicte malis. Hic nihil eſt, quod ad te ſcribam. Tu ſi me amas, quod feciſti, ſemper quoquo ſors ceciderit, Campanum infer. Vale. Sum in rebus multis longe occupatiſſimus: adeo ex Antiſtite factus ſum ſcriba.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI PAPIENSI.

CCCCLXIX.

NVmini meo latriam. Non dubito futurum quod ſcribis, vt labes vna totam prouinciam conuoluat, malo id quidem meo. Quid enim paratius? fuiſſes tamē aliquanto diuinior, ſi addidiſſes & tuo. Iam nunc menſtruum ſupplementum mihi à te conſtituo aureos Pientinos, ſeu mauis Piiſcos quinque menſe ſiogulo Romæ agenti: nam extra vrbem nihil debetur mortuis. Viuo hæc dabuntur, præter cœnas, & prandia, & quibus epigrammata donabuntur: quorum libertati nec ego volo, nec tu potes legem vllam præſcribere. Iam intelligis calamitas hęc cuius agrum ſit decuſſura: nam vbi amotus prouincia fuero, quo cenſes fugiturum alio, quam ad te? Fecit te mihi vectigalem Imperii diuturnitas, nec poteſt arbitrio ſuo non ſeruire, qui cœpit: quanquā ſi curæ vobis, vt ſpes eſt, fuero, ne attentabòr quidem: aut ſi attentabor, mouebor: non eiiciar, & locum mutabo, non deponam dignitatem. Mihi vero idem eſt animus, qui fuit ſemper: facile mihi erit fortunam, in qua creui, & perferre. iniuria omnis veſtra eſt: qui tantum numen tot patroni ſuſtinere clientem vnum nequeatis in cauſa iuſtiſſima.

Ergo tuum numen facili pacabile cera,
Ad vota incipiet ſurdius eſſe mea?
An quicunque pedes labentur: vt omnia deſint,
Qui me ſuſcipiat non Papienſis erit?

Quare ne putes in deſperationem me venturum, non modo ſine culpa mea aliqua: ſed omni etiam culpę ſuſpicione eiectum prouincia, abdicatum magiſtratu. De Barduli ſupercilio ſcribam alias. Scio quàm manifeſta ſuperbia, quàm occulte ſublabimur, & lucerna tunc prope eſt, vt extinguatur cum ardet inſolentius. Sed hæc, vt dixi, alias. Nunc Perinum meum audies: nihil nouum à te peto: eſto qui ſoles. Feliciter vale. Fulginii x Aprilis M.CCCCLXXII.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI PAPIENSI.

CCCCLXX.

REcepit Nicenus, facturum ſe hodie verbum cum Domino noſtro. Enarraui conſultationem uoſtram ordine omnem, & aſſenſum tuum in communicando conſilio: laudaui & amorem tuum in me, & in ſe fidem. Altera vox fuit: nunc verum eſſe intelligo, quod ſæpe audieram, eſſe te Domino Papienſi chariſſimum. Magnum eſt teſtimonium beneuolentiæ, ſpoliare ſe: te induere. Ego nō hoc modo confeſſus ſum, verum perpetuam beneficentiam in me tuam commemoraui, atque ita admiratio in iudicium ceſſit. Expectabo quid actum ſignificet: nam ita conuenimus.

Vuu

CAMPANVS IACOBO CARDINALI PAPIENSI.
CCCCLXXI.

REdii tandem in Pręcutinos noſtros, & cõfatigatis curialibus moleſtiis redii, non manſurus modo cum meis, ſed etiam immoraturus. Dabitur ad te ſcribendi ſæpe & occaſio, & otium. interdum & congrediendi, quod officium ſors tulit, vt tu poſſis pręoccupare ſi velis: velle autem non dubito, ſi modo non impediare: quanquam, vt eſt in prouerbio, volentum impedimenta non tarda. Celebraturus ſum nouã miſſam, aut primum potius rem diuinã facturus ſolenni more die ſanctiſſimæ Trinitatis. Aderunt etiam prælati alii: ſed mihi ſi tu deſis, deeſſe & illi etiam cum aderunt videbuntur. Tu vnus ornamenta omnium concumulabis. Inuito ego te ad Campani tui nuptias, non vt amicus amicum verum, verum vt patrem filius, vt ſi amici amico defuerint, filius patri deeſſe non poſſit. Quare accinge te ſi fas eſt. Sed cur non fas? cum traditum ſit, vel ſummos reges, vt vectigalium ſuorum feſta honeſtarent, itinera ſuſcepiſſe longiſſima. Ego etſi tibi vectigalis non fui, quod proximum eſt, paratus ſum eſſe.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI PAPIENSI.
CCCCLXXII.

VIde quàm ſtatim qui mei ſunt tui efficiantur. Æquaſti me beneuolentia erga Antonium meum, beneficiis lõge ſuperaſti, qui cum nihil acceperis ab eo commodi, humanitatis tantum exhibueris, quantum ipſe qui ei omnia debeo, non potuiſſem. Iam quibus verbis commendem meos tibi, non video: cum parua ſignificatione beneuolentię in hunc meę omnia præſtiteris. Hoc vnũ velim exiſtimes: videri me nunc tuis manibus ſalutem accepiſſe, quod qui mihi adiutores fuere in ea ſeruanda, tam ſtudioſe complecteris. Addis quotidie aliquid cumulo tuorum in me meritorum: nam amoris addere quicquam non potes: adeo omnia iam ſuperaſti. Vale.

BARTHOLOMÆO SCALÆ.
CCCCLXXIII.

MArtiolos Lucardenſes accepi, numero & ſuauitate munus inſigne: Dignũ quidem, quod ab vxore viro: à viro autem homini amico mittatur. Tam fuit acceptum, quàm hic eſt: vbi ſum, rarum. Pro iis, & officio expediendę poſſeſſionis cœnobii Colleuſis ago tibi meritas gratias. Continuatione beneficiorũ in diem magis me obligas, quorum non ero immemor: ſi quando ad tua commoda incidet caſus. Amemus nos inter nos, hunceque animum feramus vſque ad exitum. Vera charitate nil in vita prius, aut potius. Bene vale. Senæ x. Septembris M.CCCCLXXII.

CHRISTOPHORO PICCOLOMINEO NEPOTI.
CCCCLXXIV.

MItto tibi calamos decem, Venetiis nuper allatos. Puto Cretenſes eſſe. color & magnitudo internodiorũ, & temptata temperatorio duritas ita indicant mihi. Qui muneri miſit, aduectos inde affirmat. Quanto ergo calamorum plus habes, tanto plus litteratum ſcribi æquum eſt. Quod vt facias non tam præſtandi officii, quàm excerẽdi ingenii cauſa hortor, & moneo. Placuit epiſtola tua vltimo habita. Si vera ſunt, quæ ſcribuntur, boni animi, & ſurgentis diſciplinæ fidem accipio. Hoc age ſemper, ne ſemita inſtituta excedas. Vale. Senæ XXIV. Septembris M.CCCCLXXII.

CARDINALI SENENSI.
CCCCLXXV.

REdire Nicenum ex Gallia propter me lętor: propter publica doleo. Interrupta vel reiecta magis eius Legatio non poteſt non ad offenſionem æſtimationis Apoſtolicæ eſſe. Addi video in dies exhauſtis iam rebus nouas iacturas: quibus ſola ſubuenire manus Domini poteſt. Nec vt ſubueniat noſtra opera ſinunt. Recordare ſi audiſti: ſi non audiſti, audi nunc primum verbum ſanctiſſimi Patris Cardinalis ſancti Angeli: nullis ſe vnquam de pace Legationibus, quæ ambitæ eſſent, ſucceſſum vidiſſe.

Multas

Multas annorum quadraginta memoriter recenſebat. Nonnullas ego vigintitrium remerior. Vtinam & quę in Hiſpaniam decreta eſt, non eundem exitum habeat. Niceni quidem eo amplius vicem indoleo, quod eius ſumma virtus hâud dubie ventura eſt, non in maleuolorum tantum ſermones: ſed eorum etiam, qui ab ſolo exitu conſilia metiuntur. Sic humana ſe habent. Plus fellis, quàm mellis vita hæc habet. Bene vale. Senę pridie Calendas Octobris M. CCCCLXXII.

CAROLO SALANDO.

CCCCLXXVI.

Binas tuas rurſum accepi, quarum quę recentiores videbantur, ad diem ſecundam Octobris ſunt datæ. Reſpondeo neceſſariis tantum. Rothomagenſis noſtri vnæ ſolum litteræ ad me peruenere: In quibus commendationem meam quandam curæ ſibi futuram reſpondet. Præter has nullæ de quibus ſcribis, ſunt redditæ. Non redditas doleo: præſertim ſi quid continebant, cui eſſet opus reſcribi. Si videtur, ſatisfac illi de non reddito officio. Neque enim, vt ſcis, ad reſcribendum ſum ſegnis. Angor animo plurimum, quęri rurſum profectionem ſuam in Galliam, ſed impenſius, quod iturum illum plane proſpicio. Angoris mei ſunt cauſæ, quod amo hunc Patrem, quod eo Cardinali priuatum iri collegium video, cuius ad ſuſtinendas ruinas magna eſt vis ſemper, magnumque momentum. deniq; etiam quod ætas ſua, & vita cum commendatione hactenus habita, in diſcrimen honoris adducitur. Sic cogito. Aut fungendæ vicis Apoſtolicę gratia in Galliam petitur, aut principum pacandorũ. Si illius rei cauſa: video eam poteſtatem non diuturnam futuram. Si huius, neſcio quàm ſuccedere conſilium poſſit. Aut enim voluntate tantum Regis proficiſcetur, aut Regis, & Burgundorum Ducis. Si Regis tantum, cuncta ad arbitrium eius erunt regenda. Id ſi fiet, ſumma erit aliorũ iniuria. Si non fiet, idem paratus erit exitus, qui & Niceno. Rurſum ſi in legationem ſuam Burgundus conſentiet, pacificatoremq; eum accipiet, orietur illico Regi ſuſpicio, conſpirare ambos occulte. Diffidere incipiet, præteritorumque omnium redibit in mentẽ. Ad ſuſpiciones enim ita eſt pręceps, vt hoc vno pene malo ſibi ſemper nocuerit. Quocunque vertetur meus Rothomagenſis, aſpera & anguſta cuncta inueniet. Credat fideli iudicio. Suadeo, non capiatur legationis honoribus: non trahatur deſiderio patriæ: in alium hoc onus reiiciat: cogitet quocum Rege futurum ſibi ſit negotium. Non erit cum Carolo Religioſo, & iuſto. Erit cum Ludouico, apud quem omnis gratia ita cadit aut ſtat, vt maxime affectibus ſuis inſeruit. Si ibit, oro Deum hęc omnia vertantur in melius. Sed quantum puto, pœnitebit eum conſilii. Recordabitur Papienſis. Suſpirabit ſępe pulcherrimas ædes ſuas, amœnitatem Caſtelli Iubilei, conſuetudinem Curiæ; maletq; vbiuis gentium eſſe quàm vbi tunc erit. Ad mentem quoq; venient ſæpe Auinionenſis, & Nicenus, ad quorum exempla tertium ſuum accedet. Sed dicet, arbitrii mei non ſum: à Pontifice cogor, & Rege. Periclitandum erit ni pareo. Reſpondeo, eſſe illum eo ingenio Pontificem, facilitate vt redigere in eam conditionem totam rem poſſit, ex qua gratia non recuſatę, immo & appetitæ Legationis apud ſe ſit, apud nos onus nõ datæ. Summa eſt, Carole: Si volet, ibit. ſi nolet, non ibit. Ego vt non eat, & propter me, & publica, & ſe ipſum opto ac precor. Illud quidem ad differendam rem opportunum exiſtimo, vt ad reditum ingreſſi iam iter Legati integra de nouo ſubrogando conſultatio relinquatur. Tum quidem multa intelligi poterũt, ex quibus adiuuari omnis diſſuaſio poterit. Hæc ad Gallicam Legationem. In rebus domeſticis, placet puteum ea ratione inſtitui, quam litteris monſtras. Sed cura inprimis ne quid coniunctis parietibus noceatur, & vt ad aquandos equos ſpatium ſine incommodo libere pateat. Quod autem egeretur ſoli, ne viam obſtruat da operam. A Senenſi noſtro ſuadeo deinceps nil noui requiri. Sponte ſi dicet, grate accipe, & ſtatim ſignifica. Rothomagenſis quantum video ex litteris tuis ad omnia eſt ſatis. Diligentia tua multum & ſæpe ſcribendi indies eſt gratior. Auge obſequium, & Vale. Senæ VII Octobris M. CCCCLXXII.

FALCONI SINIBALDO.

CCCCLXXVII.

REdeunti Auinionenſi patri noſtro binæ meæ litterę obuię ad mare fuere: alteræ ad Liburni, vt puto: alteræ ad Herculis portum. Ambæ non gratulatę modo ſunt reditum, ſed ob ſubitum gaudiū pene deſipuere. Nunc quoq; quod eſſe illum Romæ exiſtimo, gratulor rurſum atq; deſipio, Deo gratias agens quod hunc animum dedit: Quadriremibus benedicēs, quod incolumem reduxere: ventis omnia debens, quod curſum non retardarunt. Tu nunc reliqua confice, atque ita ambi patrem & circumſta obſequiis, vt non moleſte ferat Galliæ pręlatam Italiam. Mei quoque inter hęc memoriam habe. Papienſis mentionem aliquando inducito. Eſſe illum doceto, qui ſemper coluit, qui abſentis eſt nunquam oblitus, apud quem ſolum in cōſiſtoriis noſtris fides beneuolentiæ manſit. Deniq; ita glutino diligentię tuæ animum ſuum mihi conſtringito, vt charitati antiquę nihil per abſentiam deceſſiſſe, per reditum acceſſiſſe multum appareat. Ego cuncta boni filii etiam extrema obſequia ad finem vſq; præſtabo. De Niceno ac cæteris quę ſignificas, grata fuere: moleſta, quæ de neptis diſcrimine. Dominus illi opem ferat, & medicam manum ad ſalutem adhibeat. Tua quoq; domus, vt video, autumni huius expers non eſt. Id vt cætera modice tolera, & Vale. Senæ IX. Octobris M.CCCCLXXII.

CARDINALI THEANENSI.

CCCCLXXVIII.

QVantum intelligo ex litteris tuis, magnis itineribus ad interitū tendimus. Omittimus nihil, quod facere ridiculum Eccleſiæ miniſterium poſſit. Etiam ne oro in tantum amentiæ labimur, vt iuuenibus duobus nunc primum ex tenebris in lucem eductis, nullum pene vſum habentibus, quorum alterius vita, alterius facultas eſt nota, gubernacula tantæ adminiſtrationis dedamus? Miſerū me, quid audio ex te? Quid temptari Romæ intelligo? Apud eam præſertim Sedem, quæ ad ſancta exempla eſt conſtituta? Si non attendimus, quid lamentaturi ſunt homines? quid improbaturæ nationes? Nunquid non attendi eſt æquum, quantum ea ſocordia obfutura ſit animę, & Deo futura ingrata? Huccine euaſere religioſi hominis, & celebris Theologi commendationes? Si ſuſtineri tantum oneris nequit, cur oneri ſuſcepto nō cedit? Aut ſi id ſęculi pudor non ſinit, cur iis non permittit, quorum ab ętate, & vſu, & vita minus pudēdæ ſunt vices? cur in domeſticas ſemper notas relabitur? fideles videlicet, & ſanctis, & viles ſui. Nos indigni, qui ad innocens miniſterium deputemur. Vſq; adeo quies, & valetudo illi ſunt cordi, vt horum cauſa gregem creditum prodat? Paſtoriſque tantum retento nomine reliqua quo eant præcipiti videnda non putet? An non Saluatoris eſt memor: *Paſtor. cuius non ſunt oues, videt lupum venientem: & fugit.* Comminationem quoque Prophetæ nō timet? *Paſtori derelinquenti gregem gladius ſuper brachium eius, & ſuper oculum dextrum eius Brachium eius ariditate ſiccabitur, & oculus dexter eius tenebreſcens obſcurabitur.* Non illi vos ad ocia Pontificatum dediſtis: non ipſe ad mollitiem, & delitias ſumpſiſſe cathedram Petri debuit cogitare. Vulneraſti cor meum hoc nuncio, nec cogitatione tanti mali poſſum quieſcere. Auertat turpem ignominiam Deus à facie ſacerdotum ſuorum, nec domui ſuæ tantum deſolationis per vnius fragilitatem permittat inferri: Confortet iuxta verbum Iſaiæ diſſolutas manus, & genua debilia roboret. Hoc ſolum me conſolatur, quod quemadmodum ſapienter ſcribis, facilius hæc dicuntur quàm fiant. Sed tamen quod dicantur tantum, referanturq; ad Patres: rurſumq; quod inter nos gratiæ omnia cedant; facit vt quę fieri etiam nequeunt, ne fiant tamen extimeam. Maior de iis rebus dolor pene me immemorem Niceni effecit. Sed & huius quoq; ludibrio habitam legationem pernimium defleo. Deflebo triſtius, ſi ad alienum arbitrium, non noſtrum adimere legatos, & dare hoc exemplo cogemur. Quantum ab vrbe intelligo, ibit Rothomagenſis. Sed quantum auguror ego, eundem mox cum Niceno exitum feret. Ita geminata repulſa contemptum de vobis omnem augebit. Charitati tuæ gratias ago, quod dolorum noſtrorum neque ignarum, neque expertem me voluit. Ita quæſo deinceps in reliquis facito. Erunt apud me ſemper quę ſcribentur arcana. Senis X. Octobris MCCCCLXXII.

DOMI-

DOMINICO BERTHINO LVCENSI.
CCCCLXXIX.

HOc poſtulato periclitor nunc quantum me ames. Per communem patriam quęſo, & dulce contubernium noſtrum, per quicquid etiam eſſe de Papienſi iucundum apud te poteſt, ne mihi id neges, neue excuſationes præferas, quas accepturus non ſum. Florentini, & Senenſes diſceptatorem me de finibus elegerunt: meæ fidei permittentes, quod nulli vtrinque oratores conciliare hactenus potuerunt, & morribus pugniſque pene quotidianis eſt decertatum. Opto te in his adiutorē, nihil deſperans vbi tu aſſis. Dies viginti mihi concedito, & veni quamprimum. Eadem tibi erit menſa quę mihi. Idem tectum, & lectus. Eadem quoq; diffinitæ litis commendatio. Si ad diuiſos orbe Britannos te vocarem, veniendum nihilominus eſſet. Nunc cum in natalem Tuſciam vocem, in amœna loca, & proxima, quid excuſare poſſis præter vrbani lucelli cupiditatem non video: cuius tamē compenſandi erit, Deo volente, apud me non ingrata facultas. Scribo etiam vxori manu mea, idipſum ab ea contendens. Scio quo eſt in Papienſem affectu. Non permittet modo, ſed vltro protrudet. Accingete & veni. Omnino te expecto. Vale. Senæ XII. Octobris M.CCCCLXXII.

CARDINALI SENENSI.
CCCCLXXX.

TAndem Florentini, Reuerendiſſime Pater, coēgerūt Foyanenſes, vt arbitriū contentionū ſuarum liberum decernerent, diſceptatoremq; me inter ſe, & Lucinianenſes qua auctoritate decuit, conſtituerunt. Subeundū eſt onus, ſi aſſentiat Pontifex, vt modica de re, ita ad conueniendū difficili: quid ſperem neſcio, quid timeam video: Adiumenta quædam ſum commentatus, quæ etſi quàm profutura ſint incertum habeam, nocitura tamen non puto. Dedi negotium Carolo Cremonenſi, vt de iis tecum agat. Rogo vt qua diligentia meis cæteris ſubueniſti, huic quoque difficultati ſubuenias. Curanda ſunt duo, vt breues, & diplomata impetrentur: deinde, vt abſens ego volente Pontifice, Pilei emolumentis non frauder. Vtrunq; fidei tuæ commendo. Reliqua ex Bernardo Ilcinenſi planius. Senis XVI. Octobris M.CCCCLXXII.

FRANCISCO THOLETANO THEOLOGO.
CCCCLXXXI.

SCribis magnis contentionibus diſceptatum apud vos eſſe, ſoluine ſacramenti legibus poſſint, qui matrimonium præſens inter ſe coniunxere: tandem vero ob ambitas nonnullorum ſententias gratiæ, non conſcientiæ inſeruitum. Nil refers à noſtri ſæculi moribus alienum, qui vſque eo abiere per deuia, vt mala rerum exempla à ſolis pene Clericis oriantur. Dum enim cupiditati, dum ambitioni licentius obſequuntur, & creſcere quærunt, non tam virtutis, quàm poteſtatis ſuffragio immemores ſui, in alienos affectus concedunt, quos aliquando impudentius etiam monſtrant quàm adiuuent. Solutio hæc, vt putant, boni, ſine peccato non eſt. Addo ego: & ſine Sedis Romanę incommodo. Qualis Mediolanenſis, & Neapolitanus in Eccleſiam fuerint, tibi obſcurum non eſt. Mala ab iis illata toti Italiæ patuere. Ob hoc ipſum coniugium vehementer diffidebant nunc inter ſe, nec vlla erat belli ſuſpicio. Nos ab vtroque iam cœperamus ambiri: alterque alterius metu Pontificem obſeruabat. Piaculum eſt, non diffiteor, alienam diſſenſionem optare. Sed eam non tollere, cum ſine Dei offenſione non poſſit, non eſt animæ onus. Sublato coniugio nouum nunc ab iis fœdus initur. Redeunt ambo non in priſtinam modo gratiam ſuam, ſed in antiquum odium noſtri. Venetis autem, quod dolentius refero, illato metu ne per hanc conciliationem noua in ſe conſilia meditentur, remiſſius iam parandarum claſſium ſtudium fiet. Ita errati noſtri merces hæc erit, vt & offenderimus Deum, & priuatis rebus ac publicis maiora opinione intulerimus detrimenta. Hęc tamen gratum feciſti ſignificare, nec minus ſcribere quæ apud Turcos nuper ſunt geſta. Franciſce mi, quod ab initio cum eſſem Fulginii, vaticinatus ſum tibi, quatuor decretas Legationes in caſſum itu-

ſas:de duabus iam vides,de reliquis etiam mox,vt puto,intelliges. Ad rem,non pompam,decerni illas nportet. Vale.Senis xxII. Octobris M.CCCCLXXII.

CARDINALI SENENSI.

CCCCLXXXII.

Bene habet Senenſis.Salua Reſp.eſt. Redimus in antiquam religionem. Impleuimus Galliam, Germaniam,ambas Hiſpanias, & quicquid in Oriente Chriſtianũ eſt, facultaribus ambitioſis. Neceſſariam in Italia ad continendos in pace populos noſter hic negat.Liquamus videlicet culicem,& camelum glutimus. Vt cętera multa:ſic & hoc preſſis humeris feram. Tibi gratias ago, quod in meis omnibus nec voluntare dees,nec ſtudio. Vale.Senis xxx. Octobris M.CCCCLXXII.

CAMPANO EPISCOPO APRVTINO.

CCCCLXXXIII.

Fulginenſi præſidatu admodum lætor.Eo fuit acceptior,quo inſperatior. Obſtinatius vnquam nihil Xyſtus negauit.Suum neſcio quem deſtinatum iſthuc affirmabat,cuius inopiæ vellet ſubuentum. Deus tibi hanc ſecundam occupationem fortunet,prima longe faciliorem. Habes quod bene regas, quod bene habites, quod bene etiam domeſticis conſulas. Inter hæc bona tibi quoque vt bene ſit da operam. Commendo Fulginenſes meos amantes mei,ac ſtudioſos. Fratrem etiam Aſiſinaris arcis cuſtodem.ſentiant ii nomen præſidis,non animum immutatum. Sutrinum, quem commendas,geſto in ſinu. Summa fide vir eſt, non audita ab aliis, ſed experimentis perſpecta.vt ſumme de illo merear,deeſt poteſtas. Voluntati quidem addi nil poteſt. Rogo te,non ſinas tantis interuallis ſitire Papienſem litteras tuas.Senis xxx. Octobris M.CCCCLXXII.

FALCONI SINOBALDO.

CCCCLXXXIV.

Erunt cum his tuis litterę ad patrem noſtrum. Redde eas eum quieſcet à cæteris. Inter adeuntium ambitioſas moleſtias non bene familiare quicquam affertur.Feſtino ego ad vos,& rebus vim affero,vt non canas arma,& virum. Scis quàm non diu pendeant de manibus meis negotia.Hoc vero ita breui excutiam Auinionenſis vnius cauſa,vt vix in manibus fuiſſe appareat. Ad reditum autem Niceni, & profectionem Rothomagenſis patere nil reſponderi. Guttula atramenti, qua ſcribendum id erat, hoc loco de calamo cecidit, neſcio quid habeas amari: nolo niſi dulcia hæ ad te litteræ ſapiant. Suadeo imprimis nõ negligi offerentem ſe vltro Pontificis animum. Tam multa,vt vides,poteſt præſtare, quam vel quiuis cupidiſſimus petere. Adde quod ad caſus multos vnus plus magnorum momentorum ſæpe eſt cauſa.Me tenes. Vrge occaſiones vndecunque ſe offerentes, & hanc ne labatur mordicus prehende. Arandum,ſerendum,occandumq; eſt vt meſſem poſſis colligere. Tibi hæc inclamo, Ruffe,Anſeri aliis,tibi ſurdiſſimæ ſilici. Vale Pientię Calendis Nouembris M.CCCCLXXII.

A. CARDINALI AVINIONENSI.

CCCCLXXXV.

Vt properem in oſcula, & complexum patris, præcipitabo, non accelerabo cauſam hanc finium delatam ad me inuitum,nõ ad moram reditus cogitatam. Grauis controuerſia,litigata diu mortibus hominum,non aduocatis: eo iam eſt acerbitatis adducta,vt exitura in bellum appareat, ſi paulo longius proferatur. Miſſi vtrinque ſæpius à Florentinis & Senenſibus oratores, qui deciderent rem, conuenire nunquã partium ſtudio potuere. Ab eorum diſceſſu facta eſt acrior. Ad me conuerſi, qui amicus vtriq; Reip.putor,miſerunt Peruſiam,vbi tunc eram, vt arbitrium inter eos ſuſciperem. Recuſaui, quod negotio Eccleſiæ tunc occuparer. Priuatũ nunc ſunt rurſum adorti:periculum imminens oſtendentes,niſi his cedo. Victus duabus rebus poſtulato aſſenſi: Conſcientia primum, quod de manibus meis requiſitum iri eorum ſanguinem iudicarem,quos cum ſaluare poſſem,in periculo mallẽ relinquere: deinde,harũ ciuita-

ciultarum gratia, quibus perpetuo me odio futurum videbam, ſi eorum de fide mea iudicium contempſiſſem. Quicquid inde detrimenti fuiſſet acceptum, vni mihi erat haud dubie adſcribendum. Hoc, dixiſſent, non accidiſſet, ſi pium opus dedignatus Papienſis non eſſet. Sum ciuis Senenſis, magnis meritis à Pio affectus. Genus omne meum in hanc Remp. tranſtuli. Ego quoque æſtiuum hunc mihi ſeceſſum delegi. Negligendum non fuit, quo animo hi ciues in me, & meos eſſent futuri. Propterea onus incommodum ſubii, & tardius motari quàm velim ego, & quàm imperet pater. Ibo ergo ad controuerſias has diſceptandas. Conabor implere quod potero. Si diligentiæ meę erit ſucceſſus, aliquid me aſſecutum putabo, non propter Lucinianenſes, & Foyanenſes, quorum eſt leue momentum: ſed propter Florentinos, & Senenſes, quibus ne tumultuentur inprimis conſulitur. Hanc rationem de procraſtinatione reddendam meo iudici putaui, ne quod in literis ſuis ſuſpicari videtur, obtendi inanem excuſationem putet ad ſerius redeundum. Vrbe quidem, & diu concupito Auinionenſi nihil mihi optatius: nil maius quoq; ac melius. Pientiæ Calendis Nouembris. M.CCCCLXXII.

DONATO ACCIAIOLO.

CCCCLXXXVI.

VEni hodie Senam longam, quem ad diem venturum promiſeram. Cogito cras fines litigatos inſpicere. Ibi cum inuenire te cupiam, da illico operam, vt Foyanenſes tui ex ſuorum numero aliquot deligant, quos tecum adducas, & à quibus ſcire ego, quid ſui iuris cenſeant, poſſim. Idem die altera à Lucinianenſibus exigam. Conueniendi hora erit XVII. Pauci ſint numero, inermes omnes. Dignitatis meæ non puto, exire illos populariter, & inter agreſtium arma me circundari. Vale. Senæ longæ XXIV. Nouembris. M.CCCCLXXII.

XYSTO IV. PONTIFICI MAXIMO.

CCCCLXXXVII.

NVdius ſextus ad hos populos veni digladiantes inter ſe iam dudum de finibus. Reddidi vtriſq; breuia Beatitudinis Tuæ. Ea magna humilitate accepta, quod inde obſequium ſint habitura ignoro. Magnæ vtrinq; obſtinationes ſunt. Magnæ vltionum rabies, vt non tam res ipſa in iudicium veniat quàm ſanguis datus, ac fuſus. Video magni meriti opus futurum, magnæ etiam commendationis tuæ, ſi laboranti ad pacem ſeruo ſubuenire Deus dignab tur. Oppida, quæ certant, ignobilia quidem non ſunt: Sed magis vt cerno, Florentinorum, & Senenſium negotium agitur, quorum ab his concertationibus non ſane pacati ſunt animi. Orator Mediolanenſium Ducis, horum quæ dico conſcius: Senam ad me veniens periculum perturbandarũ rerum monſtrauit, pluribuſq; eſt adhortatus, vt quo poſſem ſtudio imminentibus malis mederer. Oro miſericordem Deum, vt ſuffragio mihi ſit. In eo enim ſolo deſperatis cæteris, reliqua eſt ſpes. Si diffiniri hanc litem contingat, ne termini collocandi alicuius improbitate, vt factum aliquando eſt, confundantur, peropportunum puto metum Apoſtolicæ cenſuræ adiungi. Si ita tua Benignitas annuat, offeretur facultatis huius perbreuis formula, hinc à me miſſa. Oro vt neceſſarium poſtulatum non negligas. Ex Sena longa XXIX. Nouembris. M.CCCCLXXII.

CAMPANO.

CCCCLXXXVIII.

VOco te, Campane frater, ad lamenta & lachrymas. Mortuus Nicenus noſter eſt, vir ſine controuerſia magnus: cuius doctrina ingens erat, ingenium ſingulare, admirabilis eloquentia: Studium autem ad publica non modo continuum, ſed ſupra ætatis ac valetudinis ſortem etiam pertinax. Nil habuit Romana Sedes quo gloriari amplius poſſet: nihil quod ad ſuum miniſterium efficacius inueniret. Videbat prudenter, explicare monſtrabat, ſine intermiſſione operabatur, alienæ etiam ſegnitiei reprehenſor ſemper erat, ac caſtigator. Ad hunc referebantur noſtra conſilia, ad hunc Legationes vndecunq; nos adeuntes. Sine Niceno nec

operum initia erant, nec exitus. Tota operum moles huius vnius humeris inſiſtebat. Omitto amorem in nos, qui maior eſſe non poterat: officia in cæteros, quæ plura prope ab vno illo proficiſcebantur quàm à reliquis Patribus. Religionem quoq;, pietatem, munificentiam, animi magnitudinem: qui nil humile, nil quod non dignitati coniunctum eſſet, poterat cogitare. Flendus tantæ iacturæ obitus eſt: flendæ vices Eccleſiæ, flenda etiam bonorum omnium orbitas. Mihi quidem nil accidere dolentius potuit. Negocioſum conturbat ſemper calamitatis tam grandis imago. Ocioſum vero ſic vexat, vt cum in ſecretum refero, temperare ab effuſis gemitibus nequeam. Miſerum me Campane: miſerum & te. Hic quoq; amborum cauſa vbertim lachrymæ fluunt. Miſeros inquam nos, qui tam amantem, tam noſtri ſtudioſum Patrem amiſimus. Ad quem poſthac referentur curæ noſtræ? ad quem ſubleuatorem in duris refugiemus? quo etiam iudice gloriabimur ſtudiorum noſtrorũ? Duram, duram Galliam, & impatientem ſani conſilii, auctricem quoq; tanti doloris, & obitus. Quo vnquam merito tuo, aut quo ſacrificio tanti peccati culpam poteris expiare? Sanctus ſenex ob falſam de fide ſua ſuſpicionem videns incaſſum iſſe labores ſuſceptos, relictam in armis Prouinciam, perditam ſpem magnorum pro religione ſubſidiorum, ſupra vrgentem valetudinem etiam animo conſternatus, Rauennæ, quo à Taurino deuectus Pado erat, ſpiritum Domino reddidit: tanta quod exploratum mihi eſt, conſtantia, vt ſanctiſſimæ vitę ſanctiſſimus quoque inuentus ſit exitus. Quibus ergo aut laudibus proſequemur tam magni meriti Patrem? aut monumentis ornabimus pro Rep. mortem ſuſceptam? aut doloribus requiremus noſtri ordinis lumen extinctum? Conatus quidem noſtri, & decreta, & literæ quoq; minora ſunt meritis. Vt virtute anteiuit quicquid in eccleſia præclarum fuit: ſic ad referendas defuncto gratias impar eſt omne quod quęritur. Benedicamus tantum nomini ſuo. Commemorationibus quotidianis recenſeamus ſanctas actiones eius, & in opera Senis tanquam in exemplum ſacerdotale inſpiciamus. Lugeamus autem ad ſingula, & damna ingentia deploremus. Seculis quidem multis alterum Nicenum habituri nõ ſumus. Tum autem noſter ordo relictus in tenebris eſt. Luce ſua illuſtrabantur obſcura, & multorum inſcitiam vnius ſapientia tolerabat. Dolore ingenti raptus hæc ſcripſi, miſeriarum mearum oblitus, quibus in diſceptandis horum populorum finibus vndiq; premor. Impellente charitate opus deſumpſi, eo quidem moleſtius ac deſperatius, quo cum agreſtibus negocium eſt, non rationis modo, ſed omnis prorſus humanitatis expertibus. Bene vale. Senæ longæ.

L. ARCHIEPISCOPO SPALATENSI PRÆSIDI Peruſino.

CCCCLXXXIX.

PAndolphum Peruſinum, quo ad leuamen animi ſæpiſſime vtor, in meis habeo. Vir eſt non feſtiuitantum ingenii, ſed etiam recta in eos, quos colit, fide. Amo hunc plurimum, cupioque illi non modo quæ ab amicis, ſed quæ ab alienis etiam poſſunt præſtari. Si in Prouincia perſeueraſſem, Fancellum eum feciſſem: inopia primum ductus ſua, inde beneuolentia noſtra. Hanc facultatem cum deceſſus meus mihi abſtulerit, neceſſe eſt pro Papienſi idem tu facias. Quæſo igitur Dignationem tuam per beneuolentiam noſtram, vt ſi ſalua fide, ſalua præſidatus æſtimatione id potes, Fancellum illum primis ſortitionibus edas. Benefacies digno, eiq; qui de te prædicat, teq; admodum colit. Me etiã beneficio nõ mediocri deuincies. Quid hic agam inter dumeta, vt etiam valeam, ex eodem plene cognoſces. Bene vale, mi Spalatenſis, omni veneratione digniſſime. Ex Sena longa die VII. Decembris. M.CCCCLXXII.

F. CARDINALI SENENSI.

CCCCXC.

SI quæris, Senenſis chariſſime, quæ pacificationis ſpes de his populis ſit: ſane peranguſta. Nullam verius potui dicere. Quod erat agreſtium prius, nunc oratorũm eſt factum, vt pertinacius pugnent quam illi. Vult Florentinus, vult Senenſis, ſuperiore quiſq; conditione ad ſuos redire. Debeo ambobus, apud alterum educa-

tus, ab

tus,ab altero ad Cardinalatum adiutus. vterq; à me priuati meriti fidem de publicis exigit. Vide in quas anguſtias cogor. Sellularii duo ſi miſſi ad litem fuiſſent,potui ęſtimatione maiore, minore inprimis negocio controuerſiam tollere. Nunc priuata coniunctio publicis officit. Inter has contentiones ſi iudico, plane reiicietur iudicium. Si rem iniudicatam relinquo,vide quanta,de re nulla,confuſio. Inter Niceni, & meam Legationem nullum diſcrimen: magnum tamē inter meum atq; illius animum erit. Dolore ille ignominioſi reditus obiit. Ego aduerſum exitum ſerena fronte excipiam:nec hora, vt aiunt, ſomnum diminuam. Venere huc quinquies equeſtris ordinis viri inſignes, quorum circumſcripto Cardinalatu nihilo eſt virtus inferior. Quod illis accidit,vt redirent ſemper rebus infectis,vni mihi ſemel accidiſſe modicè feram. Bello,vt video,diffiniri litem oportet: calamitoſo vtriq;, periculoſo Italiæ. Me breui expecta,& vale. Ex Sena longa VII. Decembris. M.CCCCLXXII.

DONATO ACCIAIOLO.

CCCCXCI.

NOctu à Cimabello domum reuerſus literas inueni Senis allatas, quibus patruelis tui Angeli Acciaioli mors nunciatur. Neſcio vera ne ſignificentur, an ex languore eius & ſenio ſit rumor hic collectus. Si vita eſt functus, caſu vno malis multis eſt liberatus: Cætera felix, præterquam Patria,& liberis. Tibi nunc, & fratri eſt cogitandum,qua ſpecie ſit accipiendus hic obitus. Præſentis ſtatus animum noſti. Vides etiam,quid ad declinandas linguas expediat. Caput familiæ fuit, multis perfunctus honoribus, caro veſtra, & ſanguis. Meo iudicio inter vtrunq; eſt moderandum,vt nec dolori,nec neglectui mors exulis fuiſſe appareat. Nigram veſtem nō damno:ſed non tam demiſſam nec diuturnam, quàm cuius iactura ingens oſtenditur. Sapitis ambo,noſcentes per vos quid ad rem,& opinionem conueniat. Patris quidem fuit indicaſſe filiis,quid illi charitas monſtret. Donate mi,metire præterita. Cogita quàm proxime fuit cum integra ætate Angelum vidimus. Abiit iam: mox nos eodem cogemur.

Optima quæq; dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit,ſubeunt morbi,triſtiſq; ſenectus.
Et labor,& duræ rapit inclementia mortis.

Id agamus,vt ſi breui hic viuimus,æternum alibi non moriamur. Vale ex Sena longa VII. Nouembris. M.CCCCLXXII.

BERNARDO ILCINENSI CAPITANEO POPVLI.

CCCCXCII.

IN quantis de re nulla verſet anguſtiis,& cogitare tu potes, cui ſunt nota præterita, & miror ego,qui duriora opinione cuncta inueni. Apud eos mihi negocium eſt, quorum nec aures orationi,nec corda ſuaſionibus aditum habent. Petenti non datur. Pulſanti non aperitur. Quærenti etiam nil ſe obuium offert. Plane agreſtibus cedo. Minora mea ſunt omnia illorum obſtinationibus,fateor. Qui alia ratione, quàm ferro,& fuſte domare ruſticos quærunt,inanem operam ſumunt,nihilo plus agentes, quàm ſi incuſſione capitis firmum parietem remptent deiicere. Quid agam iam neſcio. Diutius hic eſſe decorum non eſt:miſerum quoq; abire,miſerrimum in vitæ diſcrimine hos infelices relinquere. Si pronuncio,contemnetur iudicium. Si taceo,cōtemnar ego ab his,qui horum ignari animi inopiam à meo abitu arguent. Nil minus autem quàm concordia meo iudicio,eſt expectanda. Lamentor hæc tecum: non tā vt ſubſidium operi,quam menti ſolamen inueniam: communicatum amico malum plerunq; fit leuius. Eligam vero in iis aduerſis,quod ad charitatem eſt propius. Perſiſtam & durabo,expectaboq; à die medicinam,quam à ratione non cerno. Id erit tandem ad conſolationem negocii infecti,quod mecum extremæ diligentiæ,& patientiæ conſcientiam referam. Vale. Ex Sena longa XVI. Decembris. M CCCCLXXII.

FALCONI SINOBALDO.

CCCCXCIII.

NOn futura erat tanti operis Niceno nuper defuncto pacificatio Burgundi, & Galli, quanta mihi fuit atq; eſt agreſtium horum conuentio. Credis ad eos molliendos valere potuiſſe ingenium, dexteritatem, auctoritatem, preces, aut minas? Horum nihil plus potuit, quàm ad inſtruendos Latine aſinos conatus hominum valeant. Orphei, & Amphionis citharæ, quæ mouiſſe ſaxa, & ſiluas ſunt dictæ, ſurdum inter paludes has cecinisſent. Exulat hinc omnis humanitas, & reuerentia, & maiorum etiam metus. Ambobus quod in finibus ſunt, tanta licentia à Florentinis Senenſibusq; permittitur, quanta ipſis ad libidinem venit. Eos cum nuper tam obſtinatæ mentis increpitarem, quidam ioco excipiens, *An neſcis*, inquit, *Cardinalis, in hanc vallem, nec Moyſem vnquam nec Iuſtinianum veniſſe? Leges quidem noſtras ad arbitrium nobis ipſis imponimus, & quidem ad arbitrium ferimus. Tu hic credis Latinis, aut Tuſcis moribus viui. Serui eſſe ciuitatũ noſtrarum cum imperio volumus, cuius eſt merces belli tempore pro iis intrepide mori.* Inter hos ergo tales, cum meo ſtudio cõuenire nil poſſet, ex arbitrio delato id pronunciaui, quod pariter eſt vtriſq; ingratum, ac vtriſq; pariter dolet. Rogatus poſt hæc à Florentinis, & Senenſibus, vt mota adhuc paucorũ dierum coner extremam manũ imponere, id eis aſſenſi: magis quidem explicandi obſequii cauſa, quàm perficiundi operis ſpe. Quam ad rem illi quoq; publicam poteſtatem cogitant adhibere. Breui igitur factis aut infectis rebus, cauſa certe iuſtiſſime iudicata, reuertar ad vos. Hanc meam neceſſitatem patri noſtro Auinionenſi inprimis excuſa, cuius videndi, & reuerendi tam me tenet cupiditas, quàm ab his infernis furiis abeundi. Lucinianẽſes hi hoſpites ſui non iidem ſunt, qui olim erant illo præſente. Mortes multę illatæ. Plus autem acceptæ, ſic animos efferarunt, vt ex hominum facie verſi in beſtias videantur. Barbis promiſſis plenum eſt oppidum. Non tam ad occiſorum dolorem, quàm ad obſtinationem vindictæ. Tibi, mi Falco, gratias ago pro tot tuis in matrem officiis. Ea ſuis literis ita mihi illa commemorat, vt quantum deberi velit, plane oſtendat. Remetiar hanc pietatem tibi ac tuis, ſi quando erit poteſtas. De pecunia Albinenſi, quando tu de illa nil ſcribis, male iam auguror. Nec fides mercatorum, vt video, nec lex tui tribunalis nobis ſubuenier. Ad cætera damna æquo animo hoc quoq; accedat. Confeſſores tuos ſaluta ex me, & Vale. Ex Aſina longa XIV. Ianuarii. M.CCCCLXXIII.

CAROLO SALANDO CREMONENSI.

CCCCXCIV.

REm auditu paruam, fructu magnam, tractatu difficilem, ſuſceptam à multis, à nullis perfectam, ab officio etiam ſacerdotis non alienam, quinquaginta trium dierum pertinaci opera tandem confeci. Patientiã meã victa eſt ruſtica duritas. Pronunciaui, vt ſcis, inter Lucinianenſes & Foyanenſes. Id quidem iudicium, quod non doctorum hominum modo, ſed prudentium quoq; laudabatur ſententia: neutris tamen placebat, iudicatum. Parabãt ſe ambo ad implendas querelis Reſpublicas ſuas, & oratores ad eas iam miſerant. In cauſa æquiſſima non defui mihi. Contraxi vndiq; quicquid ad trahendos animos, vel arte, vel ingenio potui. Vide mutationem dexteræ Excelſi. Quod voluntate ſuſcepturi antea non videbantur, poſt paulo vel neceſſitate iudicii, vel ſedulitate iudicis honorificis ſuſceperunt decretis. Agro igitur diu litigato ad cognoſcendos fines ſtatuti ſunt termini, & æternum pax imperata: cuius etiam ſtabiliendæ cauſa quadrageni à quoq; oppido publicè miſſi complexi ſe inuicem ſunt, ac oſculati. Regio hæc omnis tam inſperato euentu non modo exultat: ſed mihi gratulatum occurrit, ac gratias agit. Florentinis quoq; ac Senenſibus periucundum hoc nuncium accidit: non obſcure videntibus magnæ inter eos contentionis occaſionem eſſe ſublatam. Non fuit tamen diligentiæ noſtræ, non operis 1ã ſalutaris conuentio. Egit omnia virtute ſua Altiſſimus, qui in faciẽ Chriſti ſui reſpiciens, ſigno etiam cęleſti oſtendit, quem vellet finẽ piis laboribus. fiebat meo inſtituto, quaq; die in vicina eccleſia ſolenne ſpiritus ſancti. Horis etiã omnibus ad quamq; actionẽ inuocabatur ille a me. Mira res, & à fidelibus non irridenda: Conuentu vno inter cęteros qui

tos qui in agris apud deſertam quandam beati Sabini eccleſiam à cõtendentibus me præſente eſt habitus: cum altercationibus multis eo vſq; proceſſum eſſet diſcidii, vt ad deſperationem vltimam res iam inclinaret, mœſtis omnibus, & ad diſceſſum paratis, lux Domini ſubito affulſit, ſpem amiſſam reddentis. Clariſſima die, nullis ventis, aut nubibus, columba candoris immenſi à ſeptentrionibus lapſa, deuolanſq; ſupra ipſum conuentum, antequam terram attingeret, in flammam eſt reſoluta, neq; poſt amplius viſa, admirationi omnibus fuit. Oſtenti huius teſtis eſt locuples Dominicus Lucenſis, vir grauis, & verax: cuius ad primum initium concitatior vox quaſi indicãtis rem aliis eſt intellecta. Redii domum lætus, affuturumq; operi eum ſpiritum ratus, qui in columbæ ſpeciẽ conuentui ſe obtuliſſet, incubui acrius, nec multos poſt dies illo duce, & auſpice perfeci quæ dico. Gloria igitur Patri, & Filio, & Spiritui Sãcto. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen. Hanc epiſtolam ne ab incredulis rideamur, Senenſi tantum noſtro, & quidem Falconi meo cõmunica. Vale. Ex Aſina longa. xx. Ianuarii. M.CCCCLXXIII.

XYSTO PONTIFICI.
CCCCXCV.

BEnedictio tua, clementiſſime Pater, quę me venientem in Tuſciam eſt proſecuta, etiam inter hos populos non dereliquit. Poſt diſceptationes aſſiduas, quæ de noſcendis finibus habitæ ſunt: poſt tędia innumera, quibus in perſuadendis, & moliendis agreſtium animis quinquaginta diebus elangui: poſt rem etiam ſæpius deſperatã, heri tandem, Domino aſpirante, manus extrema eſt operi impoſita. Conuenerunt ad me cum publicis ſuorum decretis Lucinianenſes, ac Foyanẽſes, atq; iis potiſſimum in locis, quæ tot iam mortibus ſunt decertata: latæ ſententię aſſenſerunt, & pacem non expectatã etiam ſuſcepere. Ante hunc vero aſſenſum cum præfatus eſſem, quanta fuiſſet pietas tua, qu Cardinalẽ Romanæ Eccleſię ad ſaluandas res eorum, atq; animas permiſiſſes venire: multa inſuper de malis præteritis deploraſſem: recentia identidẽ ſuorum funera ante oculos poſuiſſem: dixiſſem deniq; quid Saluator noſter Ieſus Chriſtus in tanta odiorum acerbitate, ſi modo Chriſtiani eſſent, & memoriam baptiſmatis ſuſcepti tenerent, ab eis die illa, atq; hora requireret, tanta cordium eſt conſecuta mutatio, ac tam prona ad pacificationem voluntas, vt cum temperare nemo à lachrymis poſſet, me etiam flentem inſpicerent: illico in mutua oſcula, & complexus ſponte proceſſerint. Gratiæ Deo omnipotenti, qui per miniſterium ſacerdotis ſui locum illum pia diei illius lætitia expiauit, qui erat ante tot funeribus contaminatus. Hodie quoq; precibus multis adductus, ad illorum me contuli oppida, ante non adita. Non minori animorum ſignificatione acceptus ſum, quàm heri auditus. Nullis quod inter ruſticos ſoleat, eſt parſum affectibus. Omnis generis multitudo obuiam cum ramis oleaginis gratulatum effuſa: magnis acclamationibus Xyſto reſtitutori pacis ſedulo benedicebant. Paruum quidem eſt nomen facti, beatiſſime Pater, ſed laboris fructus non paruus. Quòd enim oppida hæc chara ſuis rebuſpublicis ſunt, quodq; ab eorum offenſionibus animi Florentinorum, & Senenſium exacerbabantur quotidie, & in apertam contentionem vergebant, iudicare tua ſancta dignatio poteſt, non illorum tantum, ſed horum quoq; vna opera paci eſſe conſultum. Superſunt pauca Florentiæ confirmanda, & Senis, quibus breui abſolutis redibo ad pedes Beatitudinis veſtræ, à quibus tam diu abeſſe non modo moleſtum mihi eſt, ſed meis quoque multum incommodum. Poterat diebus paucis horum populorum duritas vinci, ſi vnius tantum dominatus fuiſſent: ſed quòd duabus ciuitatibus patent, quæ inter ſe æmulæ ſunt, & ad ſuos promerendos certatim affectę: quodq; etiam diiudicata ſine pace lis nullum vſum præſtabat, conſulendum tempori, non meo animo fuit. Id ignoſcat clementia tua: cui Deus ſit protector, & cuſtos. Ex Luciniano die xx. Ianuarii. M.CCCCLXXII.

CAMPANO.

CCCCXCVI.

ABeo ex valle hac Clama,vt ſim dies aliquot Senis, atq; inde repetam Romam. Vbicunq; eſt Papienſis,ibi & Campanum eſſe exiſtima. Hoc quanquam æſtimari ſcio à te:animi tamen cauſa recenſendum literis duxi. Vici poſt longam pugnã id,quod ſine armis vinci eſt difficillimum,ruſticam duritatem,ac pertinaciã. Quinquaginta dies illorum rabies me cõtinenter exercuit,nec in opus vnquam durius incidi. Crede nil iam non ſuperari à tuo Papienſi poſſe, quando eius ſedulitati ceſſere Lucinianenſes,ac Foyanenſes,quorũ eſt præter cæteros huius regionis trux natura, & inſolens,ad omne impietatis genus cædibus quotidianis exercita. Collem non magni ſpatii vno in longum,vix medio in latus miliari patentem, annis prope ducẽtis pugnis aſſiduis contenderunt;ſic in ſe ſemper accenſi, ſic odiis acribus inſtigati, vt ſuper alia crudelitatis exempla apud alteros pugna quadam capita occiſorum relata ad ſuos,venum in foro,quod poſita ſint, emptoreſq; ad paſcendam feritatem inuenerint. Apud alteros cum fundamenta portæ,quæ in inimicum oppidum reſpicit,caſu aperirentur,in eorum imo ſolo ad memoriam ſceleris pro cementis ſint collocata. De colle ſententiã tuli ſacerdotio dignam,pacemq; imperaui,& terminos fixi,quodque tot iam miſſi ad litem oratores ante nequierant, potuit laborioſulus Papienſis. Me poſt hæc accedentem ad eos incredibili lætitia ſuſcepere. Quanta maxima animorum ſignificatio præſtari publicorum bonorum auctoribus ſolet, tanta adeunti, atq; abeunti eſt perſoluta. Campanis,bombardis, acclamationibus, Clerooleaginis ramis,cateruis mulierum,puerorum,ſenum, ac iuuenum à primis finibus in oppida vſq; per vias diſpoſitis,ac lacbrymantibus gaudia deſperatæ pacis ſunt proſecuti. Gratulor illis. Tu mihi quoque ob ſecundum exitum gratulare, mecumque Deo gratias age,cuius,(vt verum fatear)non meum opus,hoc totum fuit. Vale. Ex Sena longa XXI. Ianuarii. M.CCCCLXXIII.

CARDINALI RAVENNATI.

CCCCXCVII.

DOminici tui,diceremnoſtri,ſi poſſeſſione,non vſu illum tenerem. Sed quoniam aliquando à cæteris adhiberi ſe ſinit, à te ſemper vno vult poſſideri: tui neceſſe eſt dicam. Ergo tui Dominici tertium iam menſem ſum opera vſus. Sic plena dexteritatis,ingenii,ac diligentiæ,vt illa non adiutrice deſperanda mihi diſſidentium concordia fuerit. Molliuit,flexit,infregit, nec vim eius ſuſtinere vlla ruſtica duritas potuit. Gratias ago,quod quantum ex tuis ad eum literis vidi, te volente venit ad me. Veniam poſco,quod longius æquo reditus eius forſan eſt expectatus. Prius quidem perfici opus difficillimum nequiit. Cum feris verius, quàm cum hominibus nobis negocium fuit, quos arte, non impetu cogi ad pacis etia ſenſim oportuit. Nunc expleuimus omnia,& de parui nominis re fructus ingentes retulimus. Non enim Foyanenſium,ac Lucinianenſium res compoſitæ ſunt:ſed Florentinorum inprimis, atq; Senenſium,quorum animi ab his detrimentoſis diſcidiis in apertam contentionem ſpectabant. Præmitto in vrbem Dominicum: conſecuturus ego poſt paulo, vt illic ambo famulando,tuæ dignationi longioris moræ damna aſſiduo ſtudio compenſemus. Reditu autem noſtro Senas recreandi animi cauſa ad cœnobium montis Oliueti diuertimus,vbi à ſancto viro Germano tuo, eius ordinis patre tanta benignitatis ſignificatione accepti ſumus,quantam nec tu maiorem poteras expectare. Fouit nos ſinu,& ſpiritu eſt conſolatus. Abeuntes quoq; ad ſeptimum milliare eſt proſecutus. Egi illi quas potui gratias,ago & tibi,cuius honore, quod me tuæ dignationis filium ſentit,bona pars lætę hoſpitalitatis eſt perſoluta. Bene vale. Senis XXVI. Ianuarii. M.CCCCLXXIII.

Ad amicum in itinere.

A Groſſetano totis ſex paſſibus abſta,
Cum loquitur, rixa iungit amicitias.

Blanditiæ

Blanditiæ primum, mox iurgia, verbera poſt hæc,
Collum inde inuadit, ſtringit, & vngue ſecat.
Vtiliter longos vngues ad plurima nutrit:
Ad rabiem, ad ſcabiem, non minus ad loculos.

CHRISTOPHORO NEPOTI.

CCCCXCVIII.

INtellexi quę de Gaſpare lamentaris, quę ille contra queratur de te. Vtrius querela verior ſit, incertum habeo. Adduci non poſſum, vt quod obiicitur credam. Educatio tua, & parum egens adoleſcentia ſanius ingenium repromittunt. Vtcumque ſit, impero tibi, vt vltra moderatam purgationem non progrediare dicto, aut facto. Gaſparis ſenium, quanquam delirans, ætati tuę ſit venerabile. Docuit diu, integre vixit, multorum doctorum hominum fuit magiſter. Placandus homo eſt, non irritandus. Ita à præceptore tuo, & te fieri præcipio. Orationes Ciceronis, & Ouidii opera apud librarium ſunt, miniata & ligata mittentur ad te. Vale xxiv. Martii M.CCCCLXXIII.

CAMPANO.

CCCCXCIX.

IRaſcentem tibi, quod diu nil ſcriberes, placauerũt litteræ à Pallante primum nunc redditę. Superbia præſidatus contemni me arbitrabar. Nec pati æquanimiter poteram, Tuderto, & Fulginio tam cito te inſoleſcere. Sed æquus tibi iam ſum, nec de Papienſi minus habes, quàm habueris cum omnia poſſediſti. Lætaris rebus inter Lucinianenſes, ac Foyanenſes compoſitis. Iuſta eſt lætitia tua, non amico tantum, ſed bono viro apte conueniens. Non enim duobus ſolum miſerrimis oppidis proſpectum eſt quotidianis cædibus prope conſumptis, ſed tranquillitati Italię, quam Florentini, & Senenſes tracturi mox in bellum ab iis contentionibus videbantur. Sed lætor ego tibi tuam vicifſim placere prouinciam. Digna eſt ſane quæ placeat. Vicina vrbi, & in amœniſſima parte Italiæ poſita. Quam tu vallem inuenies ſpecie agrorũ, & collium, & populorum huic pręferendam? Fulginio etiam, quid non modo vrbanius, ſed etiã pulchrius? Negotioſa (non diffiteor) adminiſtratio eſt, genſque ad lites paulo procliuior: ſed tamen non ſanguinaria, non tumultuoſa, non imperiorum deſpiciens. affit modo integritas, & ſine languore humanitas, ſuo ſe ingenio facile regit. Nam quod de factionibus quereris, etiam nullæ ſunt, ſi vel toto anno ſupercilium leues. Sed nec leuari illud eſt opus, ſi Papienſis tui ſemitam teneas, à nonnullis ante pręſidibus vel minus probatam, vel parum proſpectam. Ex iis quidam locorum primates extulerũt in plebem, quidam plebibus ſubdiderunt. Importunum vtrunque. Inueniens ego Terdonenſis inſcitia ſepultos optimates vbique: Proteruia delirare populares, rem propterea ad ſeditionem ſpectare, ita vtriſque me præbui, vt nec hoc deſpici, nec illos ſuam dignitatem tenere ſim paſſus. Idem tu ſi facies, non erit negotii in officio quenquam retinere. Serua dignitatem, Campane, & communem te omnibus præbe. Duabus his rebus nulli non, & parendi, & amandi occaſionem præſtabis. Quibus ego prope ſolis prouincialium charitatem, quam memoras, peperi mihi, & deſiderium Papienſis decedens reliqui. Reuerſus Romam ſecunda de te inueni omnia. Laudaris vulgo, probaris à Patribus, apud Pontificem in precio es. Vnus tantum Bardulus vel paululum tibi ſuccenſet: quem tamen Senenſis noſter humanius placat. Ego liberius increpo. Ex Pallante tuo, quid in hac re cenſeamus, plenius noſces. Vale. Romæ xxv. Martii M.CCCCLXXIII.

BERNARDO ILCINENSI MEDICO.

D.

DElitiæ Senenſes, inter quas ſedulo agis, oblitum te latinitatis fecerunt. Non potes alia lingua loqui, & ſcribere, quàm qua audis, & loqueris. Memineris Latine te

ſcite, me Romæ eſſe, vbi lingua vna eſt cęterarum interpres. Iocis tuis ſum delectatus. Quid enim feſtiuius? Sed angor animi, de iis ipſis agi coram non poſſe. Reſpondere metuo, ne aut litteræ intercidant, aut quibus non oportet legantur. Sed te felicem, Bernarde, cui Auicenna ad ea dat aditum, quæ nec poteſtati parent, nec opibus. Inuideo medicinæ, cuius tamen inuidiæ ſolamen id eſt, quod non ſemper te atque alios eadem opera ſanas. Plærumque etiam ex aliena curatione incidis in languorem, ex quo recreari non potes. Iuniperi prius, & Braſſica exercebant os tuum. Nunc etiam fumo lachrymare oculi incipiunt. I nunc & tua arte ab his tribus te exime. Tace myſterium, vni tamen tibi mihique noſcendum. Scis quid amborum dignitati conueniat. Rancida mala hinc miſſa numero quinquaginta fuere. Imperaui meis vt reliqua deferant ad ſororem. Ex iis tu quot videbitur cape, & tuæ Braſicæ da. Addere ſi potes: A Papienſi hęc ſunt, dicam te cum non inuidum, tum vero multum officioſum. Vale. Romæ xxv. Martii M. CCCCLXXIII.

GREGORIO LOLLIO.

DI.

VIde, Gregori, ne tu is ſis, qui de me tibimetipſi retuleris, & damna domeſtica prętimens furem latres, quem venientem non vides. Ego tale aliquid commentus non ſum: neque in iis commentandis vnquam verſatus. Conſilia mea de publicis veſtris qualia fuerint, nota ſunt pluribus, & tibi nunquam ignota. In conſcientia recta magno animo contemno maledicas linguas. Sic cum de deferendo à Florentinis arbitrio anno ante audiſſes, ſcripſiſti ad me iactatum inter vos ex condicto Laurentii Medicis, & Donati Acciaioli cum ad me Peruſiam diuertiſſent, initam rationem illam concordiæ, & pactum futurum iudicium. Admonuiſti proinde, viderem prius quo animo ad litem accederem. Nunc etiam quaſi conſcio, & molitori conſilii, velut abſternens olituram fumum banc culinam denuncias. Quæ ſit iſta culina, aut quibus paretur miniſtris, ignoro: Suſpicor eam eſſe, quam tu Senis domi meæ indicaſti, cum ſtructorem eius Franciſcum Lucium viſus es opinari. Deſinite oro male de eo mereri, qui de vobis vſque in hunc diem eſt meritus bene. Tacete, & ſine cauſa quietum ne fatigate. Ego gratiam vllius, ne illius quidem, cui ſubſum, alieno damno vnquam quæſiui. Otium ſemper appetii, negotia fugi, calamis, & libris contentus contempſi, te teſte, quæ cæteri ſibi gloriæ ducunt. Opto ſiue tu ſuſpicionem hanc colligas, ſiue ab aliis habeas, de hiſce rebus nec reſcribi mihi quicquam nec ſcribi. Veritas ſuis ſe manibus nudet, & viſendam omnibus præbeat. Tam facili animo ad contemnendas nugas veſtras ſum, quàm vos lingua ad lacerandos, quos minime expedit. Vale. Romæ. die XXVI. Martii MCCCCLXXIII.

BERNARDO ILCINENSI.

DII.

IVre excanduit Braſſica, quod Iuniperis eſt tuis poſthabita. Excandeo & ego. Quid enim iudicio illo rhythmico iniquius? Confer proceritatem, candorem, oculos, venuſtatem, nobilitatem animi, inceſſum quoque. Quid cece in illa non melius? De Blaſio noſtro ſentio tecum, niſi ad reditum meum verbum fieri non placet. Miraculo ianuenſi nil mirabilius. Eo tangatur, qui decreto tetigit Chaterinam. Rancida XL. mitto ad ſororem, XX. imperaui diſtribui tibi. Ex iis tu decem Braſſicæ da: vxori ſex, Hortenſiæ quatuor. Tibi & Iuniperis habe, quæ ſuperant. Breuitatem epiſtolæ ne mirere. In Cardinalibus creandis occupatiſſimi ſumus: Iocoſque mihi omnes hæc feria excutiunt. Vale. Romæ .II Aprilis M.CCCCLXXIII.

P. EPI-

P. EPISCOPO SAGVNTINO.

DIII.

BOno animo ſit tua paternitas: ſi Cardinalatus dilatus eſt ad ſolennitatem Spiritus ſancti, non eſt propterea ademptus. Cauſæ non mediocres Pontificem, & nos ad id temporis compulere. Tua nobilitas notiſſima hic eſt: Virtus perſpecta, & fides in Apoſtolicam Sedem experimẽtis iam cognita. Tantis meritis deberi dignitatem noſtram fatemur, & perſoluturi ad præſcriptum terminum ſumus. Ego imprimis, qui à famulatu Firmani, & ſancti Angeli Cardinalium meam in te beneuolentiam duxi, Saguntino per id tempus non deero, ſicut in hunc diem non defui. Hęc ſcripſi, vt breuem expectationem æquo animo toleres, & neceſſitatis, non voluntatis eam fuiſſe intelligas. Doctiſſimus vir, magiſter Franciſcus Tholetanus tibi toto animo deditus pręſtare non deſinit cuncta charitatis & amicitiæ officia. Qua etiam cauſa fidelibus ſuis laboribus cupidius ſuffragor. Romæ VIII. Aprilis M.CCCCLXXIII.

CAMPANO.

DIV.

COnſeſſorem tuum remittimus ad te, nec à Bardulo malè acceptum, nec à nobis parum adiutum, nec graui etiam ſatisfactione mulctatum. Diſce huius exemplo, quàm imperioſa res ſit Cardinalis: Quam aliquando ſuæ ſortis oblita. Cum tu inter nos eris, in cæteros non eris diſſimili imperio. Hunc animum ſuo ingenio tanta dignitas affert. Sed finem vnius mali gradus alterius excipit. Heri frequenti Senatu Cardinalis ſancti Xyſti creatus eſt Peruſiæ tuæ Legatus. Si credis Tudertum, & Fulginium, & Tyfernum: Spoletum quoque legationem eius euaſurum tuo damno id credis. Anguſto limite grandis animus contineri non poteſt. Inter dicendas de legatione ſententias primus Papienſis Campanum Pontifici commendauit, vt retinere ſuam prouinciolam liceret. Id ſi fieri minus poſſet, ad aliam transferret. Oratio multa, deprecationis ſumma hæc fuit. Conſecuti commendationem hanc ſunt Sanctæ Mariæ in Porticu, Senenſis, & Sanctę Luciæ. Neſcio quem exitum tuæ res ferent: vtinam, qui ſtudio in te noſtro, & labori quoque reſpondeat. Cenſeo litteris tuis te commendes Pontifici: duobus etiam iis Cardinalibus gratias agas, qui tibi ſunt ſuffragati. Senenſi & mihi ideo nullæ debentur, quod propter ingentia merita tua omnia ab ambobus debentur. Vale. Romæ VIII. Aprilis M.CCCCLXXIII.

CAMPANO.

DV.

GRatia tua, & Senenſis noſtri, mea etiam permittitur tibi præſidatus Fulginenſis in reliquum anni. Ita Cardinalis Sancti Xyſti futurum recepit. Ita permiſſi ſui ad te litteras dabit. Legit tuas, quas ego manibus meis reddidi. De integritate, ingenio, & ſcriptis Campani multa honorifice locutus eſt. Animum quoque ad te indies liberalius prometendum ſatis viſus eſt declarare. Egimus hic nos quas potuimus gratias, à te iſthinc ampliores agendas cenſemus. Fac intelligat quod quotidie intelligo ego, ſeruire te illius non amicitię ſolum, ſed etiam laudi. A Muſis fortaſſe auxilium veniet, quod à Fortuna iam diu non accipis. Plus vnum aũt alterum epigramma, cum tua ſuauitate cœperit capi, tibi impetrabit, quàm noſtræ totiuſque Senatus commendationes. Crede mihi, ingenio eſt liberali. Delectatur litteris, neque in amando eſt ſegnis. Tum apud eum ita eſt ſumma omnium rerum, vt promerenda ſua magis, quàm eius cui ſubeſt, ſit expectanda, & procuranda voluntas. Monſtro, quę adiuuent. Tu pro tua prudentia reliqua exequere. Ne vero puta, Campane, terreri me menſurnis quinq;, quos amiſſo præſidatu mihi denuncias. Eſt beneficio Dei vnde id poſſim: vnde quoque id velim. Tu ita à diuinis meritis effeciſti, vt quod aliquando do putem me ſemper accipere. Niſi tuam æſtimationem ante omnia attendiſſem, curaſſem quidem ſucceſſorem mitti tibi quamprimum, quo & Romę apud me eſſes, & menſurnos hos quinque acciperes. Sed tu mihi longe pluris es quàm deſiderium meum. Cætera ex Perino. Romæ XVIII. Aprilis M.CCCCLXXIII.

BAPTISTÆ GVARINO.

DVI.

APud patrem tuum prima litterarum ſtipendia iuuenis merui. Dilexit me plurimum,& doctrina, libriſque adiuuit. Faſſus ſum ſemper ex fundamento illo creuiſſe mihi operis reliquum. Eadem in meis nunc ſequor auſpicia. Eſt mihi vnicus nepos ſeptemdecim annos natus, primis iam rudimentis ſatis inſtructus, neque ingenio malo, neque illiberalibus moribus. Hunc ideo non libenter domi inſtituo, quod familia grandis ob diuerſum cõmercium nihil ad litteras confert. Propter me etiam nimis eſt in bonore. Animo ſubacto velut agro ad excipiendos pręceptorum ſatus, eſt opus. Ambitioni,& litteris vna opera nõ bene ſeruimus. Amputandę adoleſcentibus occaſiones ſunt, quibus excedere inſtituta ſemita poſſint. Cogito hũc propterea mittere ad te, ſi tu eum domi vel vis, vel potes accipere. Poſſe te puto: Velle te plurimum cupio. Reſcribe quid velis aut poſſis: Vt quid inde conſilii capiendum ſit ſciam. Admonebar de neſcio quo Flotẽtino,& altero Vincentio,& Carbone neſcio quo, Sed tu propter patrem ante alios places. Ne vero nepotem Cardinalis oneri futurum tibi exiſtimes, audi quid velim: Vt ſit in domeſticis eodem cultu quo cæteri. Vt non plus loci habeat, quàm ętati conueniat. Vt famuletur, cum expedit. Vt nemo eum tota Ferrarienſi ſchola meum eſſe cognoſcat. vt denique ciuis filium, non plus ad te aliud veniſſe intelligas. Si quid autem propter me his amplius voles, id opto de doctrina tantum,& moribus velis. Fuit etiam ei annis iam duobus ad Grammaticem, & valetudinem pędagogus integræ vitæ,& litteraturę non pœnitendæ. Opto ſi per tuum commodum liceat, hunc quoq; ſocium adoleſcenti adiungere, vt pariter tibi det operam, & illi in neceſſariis quotidianus ſit adminiſter. Pro ambobus mercedem accipies, & eam quam à cæteris ſoles, & quam tibi ego Romanæ Eccleſiæ Cardinalis hoc obſequio ſum debiturus. Si annuis poſtulato, ſignifica quem ad diem miſſurus bos ſim. Ad primam vocationem exibunt, quam tam admaturati aueo, quam apud te illos bene inſtitui. Vale. Die XIV. Aprilis M.CCCCLXXIII.

CHRISTOPHORO PRATELLÆ.

DVII.

INcommoda domeſtica reuocant domum Carolum Cremonenſem: eis compoſitis Papiam meo imperio veniet, vt tecum ſit,& rationaria tuæ adminiſtrationis, quę miſiſti, tecum recognoſcat. Omni obſequio eum proſequere, eumque audi, atque illi perinde vt mihi ſine exceptione obtempera. Mandatum fert omnium, quæ curari vel Papiæ volo, vel Mediolani. Valetudinem ſerua. Creditum miniſterium imple,& in alimentum familiæ pecuniam mitte. Ante omnia cultui diuino inſerui. Romæ XXIX. Aprilis M.CCCCLXXIII.

CARDINALI NOVARIENSI.

DVIII.

GRatulor tibi non modo quòd Cardinalis ſis factus, ſed quod ſecundis Patrum ſententiis factus. Nemo diſſenſit. Nemo hæſitauit. Nemo non dignum te honore hoc prædicauit. In ſalutem Eccleſiæ, & tuam hęc tanta dignitas ſit. Ita anteacta vita tua, & litteræ, & ſtudia, & zelus domus Dei omnibus repromittunt. Amaui te antea. Nunc etiam frui liberius potero. Itaque veni,& tuorum deſideriis ne teneare. Amplecti te cupio, & ſitim vetiti vſus ad ſatietatem explere. Vale in Domino x. Maii M.CCCCLXXIII.

NARCISO THEOLOGO.

DIX.

QVod ad rem tuam eo animo ſis, quo indicant literæ ad Maglerium noſtrum, non tam tempori quàm rationi eſt conſentaneum. Laudo conſtans propoſitum. Fortunam huius Sedis indoleo, quæ raro, ad ſuum frequenter, ad alienum affectum componitur. Ne ſpera mutari inſtitutum hoc poſſe. Actionibus noſtris terremur, quæ vltionis

vltionis metu ſeruire nos cogunt. Papienſis tamen tui in ſe amotis nunquam immemor erit. Nos hic poſt creatos ægre Cardinales, in eandem rurſus diſceptationem adducimur. Finis angoris vnius, eſt gradus alterius. Veniam illi det Deus, qui materiam noſtræ anxietati adminiſtrat quotidie. Ad ſepulchrum Pii nos filii ſæpe accedimus. Inclamamus ſancto cineri: *O pater, quàm exigua illis de nobis eſt cura, in quibus ſuſtinendis ne caderent, vna tecum animas noſtras ſubdidimus. Hæccine tua eſt ſpes? Vt ſubleuentur ignoti, noti opprimimur. Vt aliis ſit letitia, nobis tãto ſtudio mæror paratur. Quid aliud quã triſtari poſſumus? identidemque precari, vt te cito ſequamur?* Narciſe, nõ ſcribo hæc ſine gemitu. Cogita vtris gratitudo maior debeatur, nobis, an huic, vni, an pluribus, minimum, an maxime meritis. Vt cum patre, & teſte conſcientiæ meæ hæc ſcribo. Cura ne mihi ſcandalo ſint. Vale. Romæ IV. Iunij MCCCCLXXIII.

NARCISO THEOLOGO.

DX.

INter hos impetus animorum, quibus horis omnibus confligere cogimur, binę litteræ eodem prope tempore redditæ, quietis aliquid attulere, alterę Regis, in quibus Meltienſis Eccleſię Paſtorem te petit: alteræ tuæ, in quibus meis reſpondes. Regem quidem gratitudinis laudo, quòd tantæ virtutis, & fidei habendam rationem exiſtimet. Tibi gratias ago, quod me es conſolatus, tanquã in opacum refrigerii, ſic in tuis fidelibus monitis conquieui. Sed & in te ornando, cum me præſtabo ſemper, quem beneuolentia noſtra, & tanti Principis meritum poſtulat. Cuius etiam manus ſuæ ad te litteras legens, hoc de præſtanti ingenio iudicaui, ſolam latinitatem ad referendum noſtri temporis Cæſarem illi deeſſe. Nil breuius, nihil cultius, aut grauius cogitari aliquid potuit. Recte eſt felix, cuius fortunæ ſit quoque virtus adiuncta. Sed vtinam quo te iſthic affectu habet, nos hic quoque reſpiceret. Narciſe mi, dico iterum: Angimur, & laceramur quotidie, gladioq; æterni doloris propter eum configimur. Ex ſuo fonte mœrores noſtri omnes redundant. Quid illi homo ſine mente & litteris afferre plus poteſt quàm nos? aut quid plus attulit vnus quàm multi? Nos omnia ſine illo, ſine nobis ille quid præſtitit? Condonatio debiti cenſus, debendi remiſſio; cui tantum quoque, & oppidorum reſignatio, ſui ne decreti fuerunt, an noſtri? Tanti non eſſe ſola eius decreti portatio debet, vt detrimento noſtro creſcere poſtuletur, & de noſtris angoribus triumphare? Indigna eſt cura, nec noſtræ fidei debita. Ad cõmendationem hominum plus multo eſt illum non adiuuari, quàm nos tam miſere deſeri. Audi & reliqua. Heri primum poſt reditum ſuum venit ad me Anellus Orator, & Regis nomine de Cardinalatu appellauit. Vt vaſtus corpore eſt, ita ad agendum animo præcipiti. Minatus eſt mihi, minatus Eccleſiæ, ſi actutum Cardinalem non crearemus. Mihi quidem amicitiæ Regię remiſſionem: Eccleſiæ vero obliterationem omnium in ſe meritorum. Si reddi amiſſum Regnum peteret, pro innata modeſtia ea non diceret, quę in petendo tantum Cardinali hæc inſulſa pecus denunciat. Tu ne oro tantum inures notę Principi tuo, vt memoriam tantarum rerum propter dilatum modo ſalutis noſtrę cauſa, Cardinalem mendaci affirmatione perituram contendas? Quis mediocriter ſanus non intellexiſſet, vna inſcitia & noceri immerenti Regi, & noſtras aures indigne offendi. Corripui hominem grauiter, & ſacerdotalis officii memor reſpondi ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, vt ſibi ſapiens non videretur. Etiam nudius quintus collega neſcio quis ſuus Theanenſem noſtrum de adimendis ſacerdotiis, quæ in Regno poſſidet, terrere conatus eſt: cuius vt ſcis non anima modo, ſed corpus quoque multorum annorum diſcriminibus fortunis Regiis militauit. Vide quo amici veteres conſortes malorum præteritorum propter nouum amiculum adigamur. Condole nobiſcum, Narciſe, & ſi potes, etiam adiuua. Præferre te illi omnes longo interuallo optamus. Lineola modo vna ad Collegium de te ſcripta ſi hic eſſet, breui negotio fieres quod ſumus. Vale. Romæ XI. Iunii M.CCCCLXXIII.

NOMINE COLLEGII AD FERDINANDVM Regem Scribit.

DXI.

IN proxima creatione S. R. E. Cardinalium Beatiſſimus D. N. certa ratione adductus, accedente noſtro etiam conſilio, cum Germanicæ nationi, & Gallicæ, Regno etiam tuo nullum creaſſet: vt tamen honor ſuus cuique haberetur, Cæſari, & Francorum Regi, ac maieſtati tuæ in vno creando meritis, & virtute inſigni, quem quiſq; ſua poſtulatione depoſceret, locum in id tempus ſeruauit, quod ad deliberandum certius, & ad nouam creationem honorificum videretur. Factum eſt poſtea, vt cum de hac re te requirente ad collegium referretur, circumſpectis rationibus Apoſtolicæ Sedis nobis vna omnium deprecatione poſcentibus, Sanctitas ſua ipſam creationem ad proximum natalem Domini Saluatoris deferendã putauerit: quo tempore, & mens trium veſtrum certius habeatur, & nos maiori Eccleſię æſtimatione poſtulatis aſſentire poſſimus. Quia ergo tuam maieſtatem magni fecimus ſemper, & deſideria tua negligenda nunquam putauimus, has placuit ſcribere, & quanto poſſumus affectu exorare, vt hanc dilationem æquo animo accipias, certaq; ratione factam exiſtimans, gratia noſtra illi acquieſcas. Etenim quod in cauſa eadem eſt Romanorũ Imperator, & Francorum Rex, nihil Maieſtatem tuam tantorum Principum ſocietas offendit. Quod etiam vno tempore vobis ſatisfaciendum ſit tribus, magnorum hæc reſeruata coniunctio eximium aliquid à cæteris videtur afferre. Pontifici autem, & nobis hęc frequens creatio Cardinalium non poteſt non oneri eſſe. Dignitas noſtra, vt ſcis, prima à Pontificatu eſt in Eccleſia. Augeri raro per Pontifices ſolet. Numero etiam ſemper ſit vilior. Si poſt recentem aliorum creationem creati nunc tua poſtulatione alii eſſent, neceſſarium mox erat eodem exemplo requirente Francorum Rege rurſum creare. Poſt paulo etiam ad Cæſaris litteras idem efficere. Ita continuatione quotidiana creandorum Cardinaliũ dignitas vileſcebat. Nec plus erat iam ad hominum æſtimationem Cardinalem creari, quàm quemuis ex plebe Epiſcopũ. Hoc cum Maieſtas tua plane nobiſcum agnoſcat, certum habemus excuſaturam eſſe neceſſitatem hanc noſtram, eamq; moderationem habituram, quam in cęteris ſemper ſumma ſua laude adhibere eſt ſolita. Nos tui ſumus, & tuis honoribus cum tulit caſus nunquã defuimus. Salutem etiam temporibus neceſſariis ſumus cum cæteris operati. Deniq; nil prætermiſimus, quod in hunc diem ad te augendum ornandumq; decretis noſtris fieri debuerit. Hoc animo cum futuri in reliquis ſumus, clementiæ tuę, & noſtrę amicitiæ conueniens arbitramur, vt in hac re ad æſtimationẽ noſtram reſpiciat, nec plus tribuas vni quam multis, nec creſcere quemquam noſtrum omnium detrimento expoſtulet, præſertim cum per coniunctionẽ, quæ tibi cum Eccleſia eſt, ad nullum prius quam ad retueri honorem Apoſtolici Senatus pertineat. Locus, quem Pontifex Maieſtati tuæ reſeruat, non adimitur interim. Differtur tantum ad tempus. In quo vna cum Cæſare & Francorum Rege de viro digno impleatur. Ita Serenitatem tuam, vt Domino noſtro, nobiſque acquieſcas, per charitatem qua illi afficimur, & honorem, qui huic ſanctæ Sedi debetur, oramus atque obteſtamur. Multa à nobis olim tu poſtulaſti, & quotidie poſtulas. Nos te in commune rariſſime fatigamus. In hac autem vna re, in qua de ſummo honore noſtri ordinis agitur, & quæ noſtris cordibus maxime inſidet, publicam poſtulationem porrigimus. Digneris pro tua manſuetudine in hoc vno oſtendere, quanti apud te noſtra dignitas ſit, & qualem in nobis promerendis animum habeas. Maiori argumento colligere amorem in nos tuum non poſſumus. Romæ XIX. Iunii M.CCCCLXXIII.

XISTVS IV. ARAGONVM REGI.

DXII.

HOrtatur nos vera charitas, chariſſime fili, vt poſt nonnulla breuia aliena manu ad te ſcripta, hanc quoque cedulam noſtra ſcribamus: quo & plane veritas pateat, & tuam Serenitatem ad capiendũ rectum conſilium falſæ ſuaſiones non tardent. Adhibe, vt decet, plus fidei nobis, quam vana ſcribentibus. In veritate etenim loquimur,

nec te

nec te fallimus, nec animam noſtram. Si Eccleſiæ Cęſar-Auguſtanæ pręficere nepotem tuum potuiſſemus in puerili nimium ætate agentem, id fuiſſet à nobis cupidius adimpletum quam à te eſt poſtulatum. Gratificari enim Maieſtati tuæ optamus, animumq; in eam propenſum cunctis in rebus oſtendere: ſed id ipſum ſine graui offenſione Dei, & animæ tuę, & noſtræ non licuit. Et cur non licuerit aliis literis abunde oſtendimus. Fratres quoq; noſtri, Romanæ Eccleſię Cardinales, qui in partem ſollicitudinis nobis ſunt dati, & quorum libenter audimus conſilia, nec ſuaſerunt hactenus, nec vt videmus hortante honeſtate ſuaſuri in poſterum ſunt. Differri res facilius poteſt quam mutari, & contriſtari potius mens noſtra, quam ad lędendum miniſterium Sedis induci. Pro te, Rex Sereniſſime, pati omnia poſſumus: ſed iacturã animæ facere nec debemus, nec poſſumus: nec vt eam faciamus, tuam piam intentionem credimus velle. Pro nepote ſi qua forſan aliunde oblata eſt ſpes, illam ſucceſſuram non cernimus. Ad negandam quoq; poſtulatam prouiſionem legitima neceſſitate impellimur. Velis igitur quod proximum eſt, more catholici & ſapientis Principis conſilium capere, conſentaneum honeſtati noſtræ, & tuæ, pluſq; nos audire quàm alios Expectatio quęcunq; interponetur, ſuperuacua erit, vexatura nimirum te, & nos, imprimiſq; Eccleſiæ nocitura. Si vtilitatem ex illa quęris nepoti præſtare, hanc facile poſſumus, & quantam cupis, & ratione quoq; qua cupis. Teq; ad illam ſuſcipiendam magnopere hortamur. Cardinalem enim Sanctæ Sabinę, qui tibi fidus eſt, & nobiſcum præſentibus moleſtiis angitur, non dubitamus libenter ſubiturum, quodcunq; illi onus imponendum duxerimus. Habeat nunc nepos commodum dignitatis eccleſiaſticæ. Anni vero, cum nondum ad Cathedralem, & Metropolitanam idonei ſint: Illo poſtmodum proficiſcente ætate, & meritis, neq; de hac Cæſar-Auguſtana deſperandum erit, neq; tituli dignitatum præſtante Domino ſunt defuturi. Crede cõſilio noſtro: & cape libens quod tibi offerimus. Moderata Altiſſimo placent, & quod pie depoſcitur cæleſti benedictione adauget. Idem quoq; nõ probat, quod immature, & cum detrimento animæ quęritur. Pro noſtra in tuam Serenitatem vera dilectione, & ne à diuerſa ſcribentibus forſan fallaris, hæc tecum in ſecreto conſcientię communicanda, & declaranda, & roganda manu noſtra putauimus. Affectum fideliter conſulentis, & te diligentis ne neglige.

VICECANCELLARIO.

DXIII.

DVodecimum iam menſem abes, Reuerendiſſime Pater. Vt viceſimum abeſſes, ſuaderem, ſi aut tempora tuæ diligentię non obſtarent, aut alibi quàm Romæ eſſe vtilior poſſes. Nunquam tuorum quenquam video, vt non horter ad te de reditu admonendum. Idem his facio. Officii huius multæ ſunt cauſæ. Illæ inprimis, quod vidiſti patriam ad tuum, & tuorum ſolamen, quod tranſgreſſus in Hiſpaniam vlteriorem tuliſti honores cæteris legationibus ampliores, quod temptaſti quæ ad tuum officium pertinebant, & quæ tuarum virium vtrobiq; fuerunt, fideliter adimpleſti. Nihil eſt à te prætermiſſum, in quo aut prudentiam, aut ſtudium, aut integritatem tuam deſideremus. Refers ad nos accurati, & circumſpecti patris commendationem. Mora longior quid addere non video, quæ demere nonnihil formido. Inuidorum, & detractorum ſcis plena hic eſſe omnia. Eos quoq; qui laudare aliquando ſunt ſoliti, per occaſionem non inuitos carpere. Tum noſti in rebus iam deſperatis quanto plus adhibetur diuturnitatis, tanto firmius de imbecillitate noſtra iudicium fieri. Si inter vlteriores, & citeriores, rurſum inter vlteriores ipſos humana ope conueniri non poteſt, quid neceſſe eſt immorari in iis conuellendis, quæ moueri non poſſunt. Cumulate ille publicis ſatisfecit, qui quod potuit adimpleuit. Non ſemper Saluator noſter in bonam terram ſemen iecit ſuę prædicationis, aliquando inter petroſa & plena ſentibus cecidit. Hoc ſi Redemptori omnium contigit, quid admiremur nobis tanto inferioribus plerunq; accidere? Supra Deum eſſe non poſſumus, & contra eius occulta iudicia incaſſum eſt noſter conatus. Proinde ad nos iam animum dignatio tua conuertat, & de Vrbanis cogitare incipiat. Omnibus deſiderio es, & ab omnibus hic neceſſarius crederis. Ego inprimis, cui nota ſunt noſtra,

iudicio huic non erranti conſentio. In manibus multa ſunt, eruntq; indies: quorum te permaximum refert participem fieri. Epiſcopus iam es, & inter primos noſtri ordinis, non ad conſilium modo, ſed & cuſtodiam Sedis. Conuenit vt quanto te altius collocauimus, tanto tu pro omnibus diligentius vigiles. Accedunt tua priuata: Domus, Cœnobium, Cancellaria, clientium omniũ ſtudia: quæ ſi abſentia fieri meliora exiſtimas, in errore es non mediocri. Præſentiam hęc tuam omnia poſtulant. Breue etiam tempus tam magna plerunq; affert momenta, & ſummis rebus noſtris ſolet afferre, vt dilati reditus ſubeunda non ſit pœnitentia. Redi igitur, Pater, & vbi magnus ſemper es, malis eſſe, quam vbi ad diem maior poſt paulo ſocietate ipſa pene par cum cæteris fias. Non ab ambitione hæc ſunt, aut ſtudio gratiæ colligendæ, ſed ab rerum tuarum amantiſſima cura, quã tu in bonam partem rogo accipias. Hærent enim animo Caliſti tui de me iacta fundamenta. Hęrent & commendationes primo, mox gratiæ apud Pium noſtrum de Cardinalatu meo à te habitæ. Fecerunt hæc vt coluerim te ſemper cum voluiſti, cum etiam neglexiſti, ſemper amauerim. Quem animum, quod inconſtans in diligendo non ſum, in finem vſq; ſeruabo. Tu bene vale, Reuerendiſſime Pater, & Papienſis tui ne deſpice iudicium, nec charitatem contemne. Romæ. XXVII. Aprilis. M CCCCLXXIII.

VICECANCELLARIO.

DXIV.

AVdiſti, credo, Reuerendiſſime Pater, quæ per hos dies acta apud nos ſunt. ſi ea probas, habe his gratias, quibus tu olim intima conſilia credidiſti. Si improbas, eoſdem accuſa. Duces patratoreſque omnium ſe præbuere. Ego conſolationem hanc fero, quod primo literis, inde etiam verbo prænuntiaui tibi, quę in publicis, & priuatis per occaſionem peregrinationis euentura tibi timebam. Paro vaticinium aliud, vt ſi minus eodem exemplo credendum putaueris, poſt paulo euentum videns, amicitiæ noſtrę ſatisfeciſſe Papienſem intelligas. Si non redieris, ſi Hiſpania pluris apud te erit quàm Roma, ſi minus de Vrbanis rebus mihi credes quàm tibi, ante Nouembrem grauiora cognoſces. Temptamus ſine pudore, ſine metu exequimur. Fiducia conſenſorum ad omnia nos pręcipites agit. Suadeo vt redeas, atq; ad primam occaſionem nauiges Romam. Non ſunt tanti Hiſpanica: in quibus ſudans multum parum proficies, vt non hæc noſtra magis mouere te debeant. Auctoritas tua multa hic eſt. Gratia quoq; apud omnes non mediocris. Potes non modo perſuadendo, rogando, & reſiſtendo præſtare Sedi miniſterium vtile: ſed inprimis nonnullorum infirmitates ſuſtinendo, quibus iter ſemper ad noſtra incommoda aperitur. Maio præterito Cardinales octo creauimus. Hoc Iunio eramus pene totidem creaturi: niſi benignitas Dei magis quàm noſtra diligentia ſubueniſſet. Dilata tantum, non ſublata eſt res. Quo autem ex genere hominum noſtrum dedecus pararetur, ex aliorum literis plene intelliges. Vnum deſignabo æque cognitum tibi ac mihi. Noſti quem totiens ſpurium dixiſti, quem caueri admonuiſti ſemper: de quo etiam ego in archanis commentariis Caliſti noſtri exempla diplomatum reperi ſua manu deſcripta, quibus vitium ortus ad ſacerdotium, & dignitates eccleſiæ tollebatur. Hunc ipſum nunc includere noſtro ordini conabatur qui poteſt. Ac tanto quidem impetu, vt quonam modo iacturam hanc euaſerimus ipſe demirer. Nil tot annorum conſtans fama, nil Patrum nonnullorum diſſuaſio, nil etiam teſtificatio mea valere apud præcipitem animum poterat: Michaelis Ferrarii fides adducebatur in medium, petebaturq; ad teſtimonium dicendum, vel euocari huc, vel illius accipiendi curam tibi committi. Neutri eſt aſſenſum. Neſcio an occulte de hoc ipſo admonituri ſint Michaelem, & procuraturi literas officioſi mendacii. Tota autem in hunc modum res pendet: quæ ſi eſt tuæ D. ingrata (vt fuiſſe ſemper cognoui) vide an præuenire hominem poſſis, & verum teſtimonium noſcere. Aut ſi ille amicitiæ magis quàm conſcientiæ ſeruiendum exiſtimet, aliunde vitii huius documenta accipere, quæ ad nos deferens naſcenti malo nobiſcum occurras. Promitto, ſi talibus ſemel pateat hęc ianua, finem non ante futurum, quàm magna pars noſtrum ex ſpuriis Principũ conſtet: cui exemplo de Cęſarauguſtano tuo mox gradus proximus erit. Quo enim ore

ore Regio negemus filio,quod ſubdito conceſſum eſſe docebitur?Doleo in hoc,quē noto,præſule,conditionem hanc ortus,vel ferri,vel eſſe. Etenim quod ſcis, ſumma eſt in eo virtus,& integritas,& ſumma vitæ coniuncta doctrina: Vt nihil vtilius conueniri ad opus noſtri miniſterii poſſit. Sed conſulendum exemplo eſt, præſenſq; vna vtilitas poſthabenda detrimentis multis futuris. Niſi vel de excelſo Dominus,vel diligentia tua iſthinc,vel noſtra hinc cura,quod parum expecto,nobis ſubueniat, ante Nouembrem,vt dixi,ebibendus erit hic calix. Inter nos,quod non ſine gemitu refero: Inter nos,mi Vicecancellarie,ſunt qui vitium tueantur, & currentem ſua ſponte Pontificem inſtigationibus aſſiduis præcipitem agant,ſuæ dignitatis,& caſti loci noſtri immemores,quam ob cauſam,quod obſtare his potes,reditum tuum diebus pene cunctis ſuſpiro. De Vlyſſonenſi creando eram tuæ commendationi aſſenſurus,ſi creari aliquem contingebat. Portabam in ſinu literas tuas, quas in omnem occaſionem proferrem. Ante omnia cum Vrſino, qui illi fauet, de ea re fide data conueneram: ſed dilata in aliud tempus diſceptatione mos tibi geri in præſentiarum non potuit. Aut ergo tu rediens illi valentius aderis, aut ſi deprecationes noſtras negligendas putauerit, nos vicem tuam vtcunque erit facultas,ſubibimus. Præteritus autem primis creandis fuit, quod de Rege ſuo atque eo multa documenta neglecti honoris Apoſtolici ſunt introducta. De vita etiam præſulis non bene ſentitum. Sed hæc omnia,(vt dixi) aut nobiſcum tu, aut nos ſine te ſuperare conabimur. Nunc vale, & cura, vt te ante quam tuas literas habeamus. Romæ xix. Iunii. M.CCCCLXXIII.

CARDINALI RAVENNATI.

DXV.

HÆc Reuerendiſſime Pater,ſumma omnium eſt, quæ per hos dies acta apud nos ſunt. Proxima Cardinalium creatione,cum Cæſari,Francorum Regi, & Ferdinando noſtro locus vni creando reſeruatus eſſet,quem quiſq; ſibi depoſceret, à Cæſare Brixienſis Epiſcopus peteretur,à Francorum Rege nondum reſponſum eſſet allatum: Ferdinandus autem quotidianis literis & nunciis Tifernatē, Salernitanumq; requireret,quos dolebat nuper eſſe præteritos,contrariis ſtudiis res eſt impedita. Salernitanū apertiſſime oppugnabat Neapolitanus,Senenſis Tifernatem, Sanctæ Marię,& Luciæ Brixienſem. Grauior nulla contentio,quàm Neapolitani,& Senenſis. Ille,vt excluderetur Salernitanus,Tifernatem recipiebat: hic eſt contra Salernitanum, vt præteriretur Tifernas. Sanior Senatus pars Senenſi fauebat, Neapolitano Pōtifex, qui propter domeſticum famulatū in Tifernatem inclinans numero Cardinaliū nouorum ſe adiuuabat. Minę vtrinq; multæ,& tumētes animi,& verba ad ſeditionē ſpectātia. Adiumento tandē Cardinalis Sancti Xyſti,qui & ipſe Tifernati minus fauebat. Dilata creatio eſt ad proximum natalem Domini Saluatoris,quo tempore cum in eādem diſceptationem redeundum plane perſpiciam, Deum precor, paci noſtræ ſubueniat. A nobis,quantum intelligo,nil ſani eſt expectandum. Felicem ſæpe te ſuſpiraui,qui legationis occaſione procul ab his concertationibus eſſes,neq; huius,quàm illius ſtudioſior haberere. Promitto enim,nemo non quaſi in quęq; eſſet animo declarauit. Suadeo ſi potes,ad diem illum non dimittas prouinciam. Ego pro mea in te charitate hęc ſignificanda putaui: quæ cum minus noſtræ æſtimationis ſint,quęſo præter te nemo ea intelligat. Dominicus tuus mecum aſſiduo eſt, nec vnquam ſermo noſter te vacat. Bene vale. Romæ.xx.Iunii.M.CCCCLXXIII.

L. EPISCOPO FERRARIENSI PRO Pontifice.

DXVI.

SVmma celeritate ſignificata ſunt nobis, quæ in ſequenti notula continentur. Turcus obnixè quærit pacem facere cum Hungarorum Rege. Interceſſore vtitur Nicolao Varueda de Vilach,nuper Rege Boſnæ appellato: cui multa pollicitus eſt Turcus,ſi rem ex ſententia faciat. Huius Nicolai ſuaſu Rex miſit ad Turcum duos oratores,quendam fratrem Antonium de Catbato ordinis minorum, ſed nunc Ab-

batem monaſterii vnius non longe à Buda, & Ioannem Humſchi originis Boſnenſem, ambos vafros homines, & ingeniis Turcorum aptos. Hi oratores viſi ſunt non longe a Belgrado Danubium tranſire die xvi. Aprilis, & Conſtantinopolim petere cum his mandatis: Regem Hungariæ pacem cum Turco, & fœdera facturum, ſi Turcus Regi Boſnam, & Seruiam det, aut ſaltem alteram harum prouinciarum. Quod ſi fecerit, & pecuniis etiam iuuerit, miſſurum ſe quoq; auxilia contra Vſſoncaſſanum. Nos ea vera ne ſint, an falſa, rurſum aſſimulentur ne ad procurandam pecuniam, an ad verum agantur, planè ignoramus. Quod tamen ab dignis indicibus nunciatur, negligenda non ducimus. Quod magni etiam momenti ad Chriſtianã rem videantur, timenda & præcauenda putamus. Scribimus eam ob cauſam Regi, & Prælatis Regni Hungariæ. Scribimus & tibi. Literarum exempla cum præſentibus erunt, vt quatenus reddendæ ſint, vel retinendæ, tu qui ex propinquo ſingula certius noſces iudicare facilius poſſis. Conare autem his acceptis, & nulla interpoſita mora omnibus indiciis rem veſtigare atq; hanc ſuſpicionem interius perſcrutari. Si vana eſſe, quæ ſignificantur, inuenies, retinere ipſas literas potes, ne ſine cauſa piam Regis mentem fatiges. Sin vera eſſe deprehendes, etiam redde ſi videbitur, quæ ſunt pleniores. Tuq; illis adiunge quæ in tanto periculo neceſſaria putes. Si inter vtrunq; anceps dubia indiciorum fide: tacendum tamen non iudicabis. Attende quid cogitemus. Iam dudum à nobis pecuniam poſtulat Rex: eiuſq; rei cauſa Orator huc miſſus pericula Regni ſimul & inopiam ſuam quotidie deflet. Nos duorum iam annorum exhauſti claſſibus præſtare illam non poſſumus. Si ergo nil tale Rex cogitaſſet: videret autem te referente id à nobis maxime metui, veremur ne aſſimularet verum eſſe, quod verum non eſſet, neceſſarioq; à ſe id ficti lamentaretur, quod pecunia eum non iuuaremus. Ideoq; illa non conceſſa eo indignantius recuſationem omnem eſſet laturus, quo iudicato etiam periculo ſegnes nihilominus ad contribuendum eſſemus inuenti. Ita ergo in dubiis rebus moderare diligentiæ tuæ, atq; ita ſenſus Regios tempta, vt ſi poſſumus, in difficultatem hanc non incidamus: quam eo ferremus ægrius, quod ad præſentem pecuniam nulla eſt nobis facultas. Prudens es: neq; in his diſſimilem te à cæteris operibus tuis præſtabis. Neſcimus autem quibus in locis nunc ſis, & quam facile mandata hæc exequi poſſis. Rurſum per te an legatum noſtrum Cardinalem Aquilegienſem ſubueniri commodius poſſit. Ideo autem optamus per tuam F. ea impleri, quòd Regi familiarior es, & longo vſu ſua omnia plenius tenes. Quare conare quoad vales, vt tu ipſe hæc facias in adiutorem conſilii, & operis Venerabilem fratrem Epiſcopum Tranſiluanum. Si vtile iudicas, illico voces, communicatiſq; mandatis partem curæ illi attribuas. Quod ſi nihilominus adhibendum legatum putas, vel quod propinquior ſit, vel quòd plus ponderis Cardinalis nomen ſit habiturum: mitte ad eum quæ ad te, & Regem, & cæteros ſcribimus, addens literis tuis, quicquid præterea à circumſpectione ſua obſeruandum exiſtimes. Quæ vero ad Prælatos ſunt breuia, conſulto ſolam credentiam habent, ne ſcriptis noſtris offendi aliqua ratione Rex poſſit. Fidei tuę, Venerabilis frater, totam hanc curam permittimus. Non defuiſti in hunc diem Eccleſiæ: non deeris nunc Chriſtianorum communibus rebus. Speramus, cum minora multa ſumma dexteritate effeceris, grande hoc ingenioſius facies, quo maioris neceſſitatis eſſe & diſcriminis vides.

REGI HVNGARIÆ MATTHIÆ PRO Pontifice.

DXVII.

PRo conſuetudine noſtra plane tecum loquimur, nil reticentes, quod ad filium patri conueniat. Vt non pigebit nos quæ nunciãtur perſcribere: ita nec te grauet audire quæ dicimus. Ad ſalutem omnia ſunt, & tuam, & noſtram, Chriſtianæ quoque Reipublicæ. Quicquid autem eſt tale, delectare fidelem mentem debet, non angere. Significatum eſt nobis, miſiſſe te nuper Oratores ad Chriſti hoſtem Turcum, eoſque ad ſextam decimam Aprilis viſos ſub Nandoralba tranſire Danubium. Eſſe autem quendã Antoniũ Catharenſem ordinis minorum, Abbatẽ certi monaſterii non longe à Buda, & Ioannem Humſchi Boſnenſis originis. Mandatorum

torum quoque, quæ à te acceperunt, ſummam hanc dici: Pacem te Turco fœduſque offerre, ſi ille Boſnam Seruiamque, aut harum alteram tibi permittat. Item & in Vſſoneaſſanum ex regno auxilia, ſi pecuniam tuæ Serenitati ſuppeditet. Referimus ſingula, vt ſine cauſa a nobis ſcribi non putes. Nos tamen ad ea credenda animum accommodare non poſſumus: aliena cognoſcimus à conſuetudine tua, contraria ſcimus fidelibus operibus tuis, indigna quoq; tanti nominis Rege. Quomodo enim credi fas ſit, eum qui cõſtanter in neceſſitate ſe habuit, in rebus iam mitioribus mentem demittere? & qui armis nõ potuit, turpibus nunc conditionibus allici? Incredibilia ſunt, & piis mentibus aliena, noſque, vt diximus, indignæ famę habere fidem non poſſumus. Sed tamen, chariſſime fili, quod velocibus nunciis ſignificata ſunt nobis, & à magnis auctoribus prodeunt, mouent nos aliquantulum: nec tamen tam perſuadent, quàm vt non negligamus inducunt. Pro noſtra in gregem creditum charitate circumſpicere ſingula quæq;, & tuta etiã timere compellimur: plus noſtri officii eſſe putantes, multis vanis rumoribus decipi, quàm certo vno affligi. Es tu, chariſſime fili, homo, vt cæteri. Errare potes, & labi, & cadere, & humanis deſideriis trahi: lucis etiã ſpecie tenebris peccatorum inuolui. Agemus tecum non tanquam cum eo, qui cum infideli ſit paratus ſentire: ſed tanquam cum eo, qui ſi aliquando paratus eſſet, noſtrum de ea re iudicium habeat. Mathia Rex glorioſe, attende primum quæ fides eſſe tibi de fallaci homine poteſt. Tu Chriſtum ſequeris: Ille Mahometi inſaniam. Tu pro Euangelio contra eum in hunc diem pugnaſti: Illius arma contra te ad tuendam Dęmonum ſectam intenta ſemper fuere. Memento pugnarum à patre Vaiuoda, & te totiens commiſſarum. Cædium quoq; quæ de Turcis multæ ſunt factæ. Scit ille tua inprimis virtute per hos annos obſtatum, quo minus tantum imperio potuerit progredi, quantum optauit. Vnum te odio habet, atque vnum te perditum cupit: quo ſublato nihil non de Chriſtianis ſperandum ſibi cognoſcit. Si quid blandietur interim, aut ſi quid tibi permittet, non alia ratione id faciet, quàm vt & conſulat ſibi, & in omnem occaſionem te opprimat. Exempla infidelitatis ſuæ, non ſunt longe petenda, te tuumque regnum circundant. Recogita quæ noſtra memoria in Seruia, & Boſna ab eo ſunt geſta, quibuſque fallaciis miſeri Chriſtiani nimiæ pœnas fiduciæ vltimas dederint. Videbis, ſi deſint cætera, hæc ſatis eſſe ad cęterorum documentum, & tuum. Credendum illi non eſt. Merces amicitiæ ab eo nulla quærenda. De religione contenditur. Ille tuetur ſuã, tu tuam. diuerſitas hęc cauſæ cõciliare animos veſtros nullis pactionib. poteſt. Aut tibi dimittẽdus eſt Chriſtus: aut Turcus ſuſpectus ſemper habendus. Adde quod negligendum non eſt, quo animo Principes Hungari, quo etiam populi pacificationem hanc ſunt accepturi. Fidelis Deo ſemper tua gens fuit. Militauit nomini Altiſſimi, cupidiuſq; ad pugnam, quàm ad nuptias cæteri, eſt ſemper profecta. Quid iudicaturos de te illos exiſtimas? Intuentes nulla vrgente neceſſitate, ſola cupiditate, aut Seruię, aut Boſnæ non modo cum execrando hoſte ſentire: ſed ad oppugnandos oppugnatores ſuos copias iungere? Non omnium intra Hungariam fortaſſe pacati tibi ſunt animi. Eſt facile, vt multos tua virtus offendat. Multos etiam gloria vrat. Danda non videtur occaſio, vt qui de te ſentiunt bene, ſentire iam male incipiant, & qui criminari opera optant, etiam exagitandi facultatem aperte accipiant. Religione & conſtantia, & in periculis fide, quibus regnum paraſti, in poſterum tibi eſt retinendum. Proximam quoq; Boemiam tot iam annos à te oppugnatam nonne dicturam agnoſcis, nõ pro iudicio Romanæ Sedis tollendiſq; erroribus, ſed ad ſolam ampliandæ poteſtatis curam tam diu bellatum eſſe? Tantamq; rerum, atque hominum editam ſtragem? Quando pro Seruia, & Boſna, non cum hęreticis, ſed, quod fœdius eſt, pacem procuratam cum infidelibus inſpicient. Retinendum vbiq; etiam inter tuos eſt nomen bonum, fili chariſſime. Idq; non modo anteponendum cæteris rebus: ſed morte etiam, ſi expediat, redimendum: qua in re animaduerti quoq; oportet, quantum Cæſar, & circunſtantes Germanię Principes probaturi factum hoc ſint, quantumq; miraturi mutationem hanc ſubitam tantæq; iacturę, creſcet haud dubie illis ſuſpicio, in te amor non creſcet. Nouorum forte etiam conſiliorum cauſam præſtabis. Quę

qualia futura ſint, arbitrari tu melius potes, cui ſunt nota propinqua. Nos de te ſolliciti ſine metu eſſe non poſſumus, & libenter quæ ſentimus eloquimur. Quin & nos quoq;, à quibus ſummè diligetis, cum te hoſti noſtro conciliatum videbimus, Chriſtianiſq; viribus illi adeſſe, haud ſane ii eſſe ad res tuas poterimus, qui eperemus. Reſpectus tam abominandæ ſocietatis neceſſario mentem noſtram a multis auerteret. Sequi erit neceſſe conſenſum Eccleſiæ, nec blandiri illi, quem illa non probet. Etenim aſſiſtens Turco Dominicum gregem oppugnas. In Vſſoncaſſanum mittens arma, venientem defenſorem debilitas, ſentit ille nobiſcum, ſentit cum Venetis. Id quærens, vt malignus hoſtis, nec fidelibus nocere, nec infidelibus poſſit. Quam ob cauſam nos, atq; illi non modo certos in exhortationem ſuſcepti operis noſtris nominibus miſimus: Sed claſſem quoq; vna cum ſapientiſſimo Rege Ferdinando emiſimus. Qua diſtractus Turcus minus ad reſiſtendum efficax fuit. Et tu nouo conſilio ad impediendam conſentientem Italiam turbandamq; vltionem Dei, quę de inimicis noſtris cum inimicis pacem patatur facere, & præſidium mittere, & præſentem Chriſtianorum ſpem interuertere cogitas? Ne neglige quæſumus famam tuam, Matthia Rex. Crudelis eſt, qui illius curam non habet. Nulla re tam clarere magni Principes ſolent, quàm opinione conſtantis virtutis. In quo illam homines intuentur, dignum ſummis honoribus ducunt. Eam quidem commendationem facta ingentia tibi hactenus pepetere, præterita repete etiam, qua animi magnitudine regnum paraſti, qua conſeruaſti, quibus etiam præliis Turcorum impetus retrudiſti. Quanta demum laude Bohemicam hæreſim iudicio Romanæ Sedis damnatam armis victricibus attriuiſti. In ore hæc omnium ſunt. Atq; omnium vocibus & literis feruntur in cælum. Quid aliud nunc eſt moliri quæ de te nuntiantur quàm de tanto gradu gloriæ cadere? Laborum præteritorum fructum amittere? Athletæ Chriſti nomen eiicere, & conſenſoris infidelium ſumere? Miſeram commutationē, ô fili, atq; omnium iudicio noſtro miſerrimam. Pro gloria ignominiam, pro ſalute infelicitatem, pro gratia indignationem, pro ſpe retributionum meum vltionis mutare. Etenim ſi hunc cum hoſte conſenſum, & ferendum auxilium ingratum Deo non putas, erras vehementer. Odibile illi erit, atq; infeſtum. Nec talem putabit pro tantis in te meritis retribui gratiam debuiſſe. Quo in loco etiam attendi eſt opus, quid inde conſequi, & formidari merito poſſit. Scis poteſtatem humanam omnem à Deo eſſe. Per illum dari, & adimi. Maiorem eſſe qui in cælis regnat, quàm qui in terra. *Dominus*, inquit Propheta, *pauperem facit, & ditat, humiliat, & exaltat.* Quæ manus miſericorditer aſtitit tibi laboranti pro fide ac cadere nunquam permiſit, eadem indignata, ſi remittetur, quo te in duris rebus præſidio munies? aut quem alium ſubleuatorem parabis? Cantat Eccleſia: *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam*, in manu ſua ſunt omnes fines terræ, & ſine eius ope inanes ſunt noſtri conatus. Noli tantum fidere viribus tuis, tantumq; in armis ſpei reponere, vt valere contra indignantem Dominum aliquid credas. Sicut fluit terra a facie ignis: ſic pereunt peccatores à facie Dei. Defenſorem tibi illum conſerua, quo etiam propugnatore, & duce diſſipaſti ſemper impiorum conſilia. Idq; age vt in omnibus viis tuis illum cogites, & illi ſeruias ſoli. Seruire autem ſoli non potes, ſi te cum hoſte ſuo coniungas. Sacri enim eloquii eſt verbum: *Nemo poteſt dominis duobus ſeruire.* Si non duobus dominis, vtiq; duobus hoſtibus minus. Increpat Apoſtolus Paulus: *Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Aut quæ conuentio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? Aut qui conſenſus templo Dei cum idolis?* Summa eſt omnium, fili chariſſime, ad quam hæc ſcripta referimus. Si cogitaſti quod fertur, frange funeſtum conſilium, & coniunge Deo. Nulla te inpræſentiarum neceſſitas ad pactiones has vrget. Si non cogitaſti, etiam lætare tantam de te, & rebus tuis apud nos curam eſſe. Colloquimur tecum in charitate Chriſti, ſicq; agimus libere, vt cum eo eſt Rege agēdum, quem ſemper laudauit, & dilexit Eccleſia, quiq; vocem Patris patienter poſſit audire. Nil quod nunciatum eſt credimus. Ad ſolliciti Paſtoris officium omnia ſcripſimus. Dominus ſit in corde tuo, & greſſus tuos dirigat in ſemitam rectam. Creſcere te faciat omnibus diebus vitæ, & Dominum inimicorum tuorum ad gloriam ſuam conſtituat.

CAM-

C M P A N O.

DXIIX.

RErcarunt me litteræ tuę, imp nis charitas, qua conſolaris, ſpondes, & conſulis, meorumq; ſaluti intrepide s. Quam pulchrum eſt beneficium ſerere, vt poſſis gratiã metere! Heu quid mih ampanus olim Peruſia accitus, Pio commendatus, Præſul factus, Præſes adiutus, i mni vita chariſſimus habitus? Illo nihil nunc opportunius ad præſentem triſtitian ta quæſo in redimendo fratre aduigila. Adiuua conſilio, & ope, motumque om m querelarum, ſi quę excitantur, auctoritate & gratia comprime. Te admonente iis ad Pontificem retuli, turpitudinem facti in familiã referens. De veneno id d ns, quod re vera eſt factum. Addidi philtra, incantationes, & horum iudicem lib um, qui cum venenis eſt ad me miſſus. Horrere viſus eſt ſcelus, non cædem. Vſqu deo in cæſum commotus, vt iuſſerit libellum mitti ad ſe, quem manibus ſuis cren et. Nonnihil hoc duco, ſed me terret facilitas, atque obliuio. Plus longè præſid n legato repono, qui cum mox venturus ſit in prouinciam, de omnibus à me ad v m edoctus operam ſuam eſt plene pollicitus, vt etiam egredienti arcem fratri fur um ſe comitem dixerit. Hinc ego: at tu iſthinc reliqua confice, id potiſſimum cur s, vt intercipiantur ſurgentes querelę, quibus ſubiici faces fraternæ inuidiæ poſſi Præfecturæ prorogationem ne impetrare poſſim, plurima obſtant: inprimis con uis iurata lex, prohibens ſupra bienniũ arcem vllam continuari. Spes euadendi in b chio multa eſt, in legato magna. Si verum quęris, in te vno maxima. Proinde tuum oc onus opuſque exiſtima. Si putas ante præfecturæ finem non educendam famil m, permitto quod vis. Quo tamen conſilio duceret, à Brunoro intellige. Ab eod cætera audi, quę ne te longitudine morer, in litteras ſuas conieci. De malis domeſt is hactenus. Legatus, quem dico, mihi & Senenſi amiciſſimus factus, bis per ho ies nos conuiuio ludiſque accepit. Inter cænandum varia oblata ſunt Epigramma, tam quidem multa, quam mala. Rogatus quid de iis ſentirem, *quid* inquam *aliud q m mala?* Et ad eum verſus: Pauca ſunt, Pater, quæ immortalem poſſunt te redder i verum dicimus, nulla præter Campanica: *Hoc*, inquit ille, *indignor, quòd epiſtolas ... ſcribit, non carmina.* Pluris vnum modo carmen facio, quã epiſtolas decem. Spop di obrutũ iri poſthac verſibus tuis. Itaq; ne vel mendacii, vel exiguę apud te grati arguar, quotidianis epigrammatibus tuum illum fac, atque oblecta, in iis ſi Papienſ ſſe vnus ſemper pes poteſt barbatos duos eodem hamo ſemper piſcabere. Quod Vrbe nunciem, hoc tantum eſt. Pontifex ſecedit Tybur, Senas aufugit Senenſis. Edem illum mox conſequar. Cæteri Patrum ſpectant loca, quo trahit ſua quemque vluptas. In audiendis ad faſtidium prouincialibus tu iſtic aures exerce. Vale. Romæ I. Iulii M.CCCCLXXIII.

C A M P A N O.

DXIX.

EN tibi a Spoletinos litteras chirographi mei, ſic feruidas, vt manu apprehendi, ſic vehementes, vt ſuſtineri, ſic ingenioſas, vt ſine ſumma inhumanitate reiici nequeant. Ego tamen quantum profuturæ ſint neſcio. Superba ciuitas eſt, factionibus quotidianis ſic ad impietatem exercita, vt neque Pontificum imperia, nec ſupereminens s ad ferociam deponendam quandoque valuerint. In commendatione amici mei puta quantum erit auctoritatis, vel gratiæ. Si Iordano profuero, erit quod vterque congratuler. Si minus, quod læter, non infumatum iri numen tuum, quod inodoraſti olim tam charis odoribus. Vale. Romæ ad ſextam Iulii M.CCCCLXXIII.

EPSCOPO CAPACIENSI.

DXX.

PRotonotario Cluniacenſi nulla eſt cauſa, cur amicos Cardinales accuſet, ab hiſque, vt ſcribis, partim deceptum, partim malè adiutum ſe lamentetur. Officia illo-

rum ſuę dignitati non defuere. Commēdarunt, precari ſunt, ſententiis adiuuere. Maior ratio meo iudicio, vt prçteriretur, effecit, quę fortaſſe nobis quam vobis. Meminiſti ſedente Paulo Cardinales quatuor ſecreto creatos fuiſſe. Illo defuncto aperte reiectos. Inter eos repulſus fuit Sabellus, & Venetus. De Sabello quidem quę mens ſit quibuſdam ex Patribus, ipſe tu ſcis. Veneto etiam-ium Venetorum Cardinaliū numerus plurimum obſtat. Horum, quantum ego pto, ſocietas Cluniacenſem noſtrū excluſit. Per eius ingreſſum putatum eſt illis quoquo poſſe aliquando aditum aperiri. Sententiæ huius auctores numero plures fuere, & multitudine nos peruicerunt. Vt enim in cæteris, ſic in noſtro quoque ſenatu ex maiore numero ſemper decernitur. Pontifici quoque ſua cura non defuit, memori in ſeclrendo illos ipſos non affuiſſe. Litteræ Ducis Matiſconenſem commendantes, maiorque pars Patrum abolendę occultæ creationi intenta facile Pontificem in hunc quantillum inclinarunt. Omnia planius inſigni Equiti Iacobo aperui, qui nuper ad nos pro Cluniacenſi eſt miſſus. Illū tu audiens rationes conſiliorum noſtrorū plene intelliges. Nam qui vel ipſi Matiſconenſi vel Oratori ad Ferdinandum profecto facti culpam aſcribunt, in errore ſunt nō mediocri. Optare forſan Cardinalatū hunc potuere: ſed certe non ſunt operati. Petoſa, vt dixi, ſocietas hoc fecit, quod factum audiſti. De protonotario tamen non ſum ſine ſpe. Confido Pontificem Patreſq; omnes augendis honoribus ſuis non defuturos: quam ad rem fauet fauturuſq; eſt ipſe Matiſconenſis, qui de dignatione ſua ſentit bene, & honorifice loquitur. Pater eſt, mi Capacienſis, vt ante nobis incognitus, ſic nūc cognitus propter humanitatem ſuam, ingenium, & litteras ordini noſtro carus. De illo omnia expectamus, quę conuenire in Cardinalem egregiè poſſent. Nudius tertius certe Ducis cauſæ, cum de ea relatum eſſet ad Patres, conſtantiſſime affuit, ita vt memoria eius & fide, & ſermone non inerudito ſint plurimum delectati. Quantū ad annos vitę, tantum meo iudicio ad meritum addet. Feciſti recte ſecum per litteras gratulari. Beneuolentiā eius cenſeo in dies magis augeas tibi ac ſeries, cum ego illum amem atque illi ſim debitus, non potes tu nec debes, qui mihi es neceſſarius, non candem charitatem ſuſcipere. Duci oro me commēdes, cuius animum & glorioſa opera ex tuis litteris cupidè legi. Te etiam hortor vt de reditu in Italiam cogites. Ad obliuionem enim etiam tuorum omnium ſatis iam ſuperque abfuiſti. Vale Romæ VII. Iulii M.CCCCLXXIII.

EPISCOPO MELITENSI.

DXXI.

Recitatę hodie in Senatu ſunt litterę Regis ad Pontificem & nos, quibus de tua ad Melitenſem Eccleſiam ordinatione gratias agit. Laudatus eſt omni voce, Deoq; habita, quod tantæ virtutis rationem habendam putauerit. Quod tales Principes faciunt, vt pro acceptis Epiſcopis gratias agant, hoc ita in eo eſt commendatum, vt cupidiores iam ad omnia concedenda quàm accipienda facti merito videmur. Laudi huic cumulum addidit, quod ego in Patrum frequentia de pecunia proe impendenda abeo impetratum adieci. Viſus eſt non verbo tantum, quod cæteri, ſed re quoque, quod nulli, virtuti ſuorum & beneuolentiæ ſubuenire. Illi reſpondeo. Quam recte egerit monſtro, & de te addo, quæ charitas imperauit. Cura litteras in tempore reddi. Ego hinc ad præſentis vndecimam abeo. Semper ad medium Octobren. Si aut ſcribendum Papienſi eſt, aut illi aliquid tua vel Regis cauſa iniungēdum: ſci vbi inuenturæ me tuæ litteræ ſint. Vale mi pater. Romæ VIII. Iulij M.CCCCLXXIII.

CARDINALI MATISCONENSI.

DXXII.

Cras in Tuſciam abeo. Si venturus illuc es, expecto te obuiis manibus. Si minus, Papienſis tui memoriam habe. In hoc abitu te veneratum non veni, ne ambos in his æſtibus fatigarem. Sum tamen animo tecum. Commendo tuæ dignationi familiam domi relictam, domumque, & me. ſpe tui patrocinii libentius abero. Cum Oratore Ducis tui ſum multa locutus, hortatus quoque ad ea ſcribenda, quæ de tota re longo ſermone explicui: docens non tuo, non alterius cuiuſquam artificio, ſed ſolis factioni-

factionibus noſtris Cluniacenſem præteritum. Aſſenſit omnibus. A Pontifice quoq; ſe ea accepiſſe ait. Perſuaſus videtur redire, & aquam non ſtipulam ad Ducem referre. Pro tua in me charitate volui ne hęc ignorares. Si quando ad te ſcripſero, rogo ne manum calamus grauet. Vale. Romæ Die XI. Iulij M. CCCCLXXIII.

EPISCOPO EVGVBINO L. GRIFO.

DXXIII.

ACcinctus iam ſum ad Tuſcum ſeceſſum. Relinquo tibi animũ meum. Relinquo gratias, quas pro tot tuis in me meritis debeo. Cura vt valeas, vitamq; vitæ commodis præferas. Meorum negotia in fidem tuam ſuſcipito, & quæ Pontifex dedit pugna ne adimat. Serendi beneficii in hac poteſtate Palatina tibi eſt tempus. Dies totos ita fere, vt vberem gratiæ meſſem tuis temporibus colligas. Dominicum Lucenſem contubernalem meum tibi commendo. Vir eſt ingenii neſcio maioris, an fidei. Mihi certe ita charus, vt dimidium animę meę ſecum habeat ſemper. Quod illi fit, Papienſi tuo fit. Aget tecum de iis, quæ Patres nonnulli à Pontifice petiere. Hoc præſta, vt inchoatum à nobis beneficium, ab illo promiſſum, perfectum tua opera videamus. Diſpercam ſi in quenquã impertiri te rectius poteſt. Vale. Romę XI. Iulii MCCCCLXXIII.

CARDINALI NEAPOLITANO.

DXXIV.

NOcte hac Senam diſcedo vtinam ea alacritate, qua eram ſolitus cum non animi ſolum noſtri conueniebant, ſed ſententiæ quoque diuerſæ cauſę noua nos infelicitate diſtulerunt. Sed confido, in idem breui redibimus. Moueri aliquando loco ſolent amicitiæ, non ſemper diiici. Vbicunque ſum, præteritorum quam præſentium libentius reminiſcor. Com[illegible] tuæ Dignationi meos, qui Romæ erunt. Venient ad te ſæpe, cum fideli[illegible]. Suſcipe eos, & protege, & Vale. Romæ XI. Julij M. CCCCLXXIII.

[illegible]e Senas.

Vrbe recedenti magna eſt diſcor[illegible],
Læta quidem mens eſt, triſte [illegible].
Id tamen vt veni [illegible]hanum, [illegible], post
Sermo, iocus, [illegible]odque via eſt, bibitur.

De Caupona Sutrina.

Hic Mariottu[illegible] iurgis, ſed nunc
Pauperiem im[illegible]micus. Eo hinc.

Ex itinere.

Gaudia quæ quondam [illegible]na petenti,
Non eadem nunc ſunt [illegible]ſenio.

Ex itinere.

Mox poſt Recurſi cauponas [illegible]cula dextra eſt,
Inde Pientinum ſume viator iter.

De Gregorio Caupone [illegible]æ pendentis.

Diuerte huc hoſpes, melius diuertere non eſt:
Hic bene dormitur, paſcitur, & bibitur.

De Caupona ad Paleam fluuium.

Ad Paleam caupona tibi dabit acida vina,
Panem atrum, fœda & lintea cimicibus.

Ex itinere de Caupona Recurſi.

Turpis, inops fetida, & ſpurca eſt Caupona Recurſi,
Æſtate vt fornax, hyemibus vt glacies.
Tecta labant, paries tabulata inſiſtier vnauam
Non potis eſt, ſtulte, ſoluitur vt timea.

CARDINALI SENENSI.

DXXV.

[illegible]Mperioſe nimium ad litteras noſtras Ferdinandus reſcripſit. Collegii decreto aſ[illegible]ntiri non vult. Conculcari videlicet hunc ordinem quęrit, ſe eleuari. Anellus ora[illegible]reſponſi huius, non minus autem abitus tui fiducia, circuit iterũ Patres, & furit, & [illegible]ibus poteſt, minatur. Tiſernatẽ quoq; aperte depoſcit. Nos parati ſumus non deeſſe [illegible]munibus noſtris. Pontificem tamen timemus, & numerum ſuum noſtro maiorẽ, [illegible]nõ meliorem. Rothomagenſis atq; Vrſinus lamentantur miſere ad me, quod tam [illegible] abiſſes. Expectari oportuiſſe dixerunt, donec intellectum eſſet, quo animo Rex [illegible] piſſet dilationem decretam. Ego quoq; eadem monuiſſem, ſi ante diſceſſum me [illegible]llaſſes. Sed fugis ſemper, nõ [illegible]bis. Idq; vt apparet tam in grauibus quàm in leuibus [illegible] Quietos nos excitaſti in ſuffragiũ tuum, & nondũ contentione ſedata in diſcri[illegible] deſeris. Plane tibi ſuccenſeo: ac quanquam Cardinali vellerem tamen aures, ſi ad te vſq; manus meæ pertingerent. Hodie Rothomagenſis atq; ego ea ipſa de re Car[illegible]em Sancti Xyſti adiuimus. Is, etſi nobis multa pollicitus ſit, tamẽ ſine cura veni[illegible] Senatus nõ ſumus. Præſidio nobis ſit Deus, cauſamq; Vicarię Sedis non deſerat. Ego quicquid hic ſtudii, & gratię habeo, pro te ſine defatigatione impendam. Sed vtinam ſim in tanta re ſatis. Scribenda hæc duxi, vt tu partim nobiſcum animo pendeas, partim vt clam habita lamentari non poſſis. Diebus ſingulis ad omnem nuntii opportunitatem ſcies quod fiat. Vale Calendis Iulii M. CCCCLXXIII.

REGI FERDINANDO PRO COLLEGIO.

DXXVI.

VTinam de creando vel differendo Cardin[illegible]n petis, celſitudo tua, & nos conueniremus iudiciis. Eandem in hac re [illegible]is experireris beneuolentiam, quam ſedẽte Pio, Paulo, & Xyſto in grauioribu[illegible]er expertus. Sed diuerſa ſententia diuerſum quoq; exitum quærit. Tu onu[illegible] non putas creari nunc Cardinalem. Offenſionis autem tuę exiſtimas diu[illegible] differri. Nos contra in expectatione modici temporis detrimentum tuum [illegible]ognoſcimus. In anticipatione vero iacturam & dedecus Beatiſſimi D. N. [illegible]n. Rationes inſuper collegii infirmæ tibi ad probandum videntur. Nobis tuæ [illegible]dum perfaciles. In hac diuerſitate iudiciorum nõ diſputamus, vtrum vtri[illegible]cedere, vtrum viri facilius aſſentiri. Vtri etiam ad tenendam ſententiam m[illegible]ſſitas immineat. Cum filio etenim Romanæ Sedis eſt ſermo, cum quo pro[illegible]t, nolumus niſi pacatum pium, & reuerens agi. Malumuſq; tacendo, & patiendo [illegible]cerdotalẽ modeſtiam quàm altercando de noſtro in te affectu minus prob[illegible]it. Hoc tantum conſenſu omnium ſcribimus: Dolere nos plurimum ſine [illegible]oſtolicę Sedis, ſine inſigni leuitatis & inconſtantiæ nota, non poſſe à nob[illegible] & Domino noſtro aliud conſuli, quàm quod nuper conſultum, & impetrat[illegible]cognouiſti. Præſertim quòd ea res plurimum his temporibus eſt neceſſa[illegible]am Cæſari, & Francorum Regi vulgo quoq; ab omnibus cognita. Non [illegible]rimis Chriſtianorum Principibus mendaci ſignificatione illudi, etiam [illegible] quidam ſalutis cauſa iam abiere, & ad abitum parati ſunt plures. Inſoli[illegible]atrum frequentia Cardinalem creari. Rogamus proinde ſi iteratis pr[illegible]eſt locus, vt neceſſitati noſtræ æqua ſit tua Serenitas neque amiciſſimu[illegible]bene de te meritum, ad bene promerendum [illegible]is[illegible], cum per nos ipſos incitati ſatis ad omnem oc[illegible]cemus in ealce ſecundarum litterarum, quod certa ra[illegible]imus. Idque quanti ſit, tua ſapientia expendat. Solita eſt hæc Sedes commendationibus Principum non ſemper, aliquando tamen certos aliquos ad Cardinalatum aſſumere: Sed eorum aſſumendorum iudicium libere ad illos remittere vt nouo, ſic ſummi & alieni magiſq; noſtri honoris exemplo nunc primum factum meminimus. In ea conditione cum Serenitatem tuam vna cum Cæſare, & Francorum Rege eadem Sedes incluſerit, non eſt cur in noſtram gratiam, & extimationem breuis temporis moram patienti animo non debeas ferre. Vale. v. Iulij M. CCCCLXXIII.

EPISCO-

EPISCOPO LVCENSI.

DXXVII.

Mitto ad te Chriſtophorum Nepotem, tantum adiiciens ad beneuolentiam noſtram, quantum ad laborem tuum addi intelligo. Cur prius non miſerim, ex litteris Fortiguerræ accipies. Ex illo cognoſces, quo cultu illum haberi deſiderem, & ad diſciplinam ſuam quid vtile iudicem. Summa eſt, vt modeſte veſtiat, vt famuletur cęteris, vt nec apud tuam Dignationem, nec apud ciues Cardinalis nepotem ſe ſentiat. Animo demiſſo ad litteras, & bonos mores eſt opus, indulgentia nil ad vtrunq; deterius. Ea contumacem adoleſcentiam facit, viamque aperit ad procliue libidinum. Supercilio melius quàm riſu ingenia nonnulla reguntur. Quale cum eſſe huius exiſtimem, in ſeueritatem potius quàm in blanditias inclinandum & cenſeo & ſuadeo. Sed tu, qui ad deprehendēdos ſenſus es perſpicax, excuſſo adoleſcente ſtatim cognoſces, qua ſit à te manu regēdus. Ego quid tuę charitati oneris dem, haud ſane ignoro. Quid etiam pro tanto officio debeam, plane perſpicio. Sed quod huius diſciplinā & vitam ante omnia cupio, coactus ſum tibi vni, quem maxime amo, cuiuſque integritatem, & religionem admiror, pignus cariſſimum credere. Pro manſuetudine tua ita id feres, vt nullum me reddendæ gratię tempus prætermiſſurum vnquam confidas. Senis XXIII. Iulij M.CCCCLXXIII.

CARDINALI SANCTI XYSTI LEGATO.

DXXVIII.

Vrbe diſcedens egi tuæ dignationi gratias de Semeſtri addito ad Aſſiſinæ arcis cuſtodiam, litteraſque ipſas dedi Sacramoro noſtro tibi reddendas. Nunc gratulor tibi, quod Florentinam eccleſiam ſis aſſecutus. Siue enim eam retenturus ſis, ſiue alterius gratia dimiſſurus, acceſſionem tamen attuliſſe puto æſtimationi, & commodis tuis. Hunc fortunæ curſum perpetuet Dominus. Tuæ certe virtuti, & magnanimitati, & in omnes, qui te colunt, beneficentiæ ſumma omnia iure debentur. Audio porro incolumem te in prouinciam perueniſſe, & ſumma populorum gratia magnis vbique honoribus accipi. Hoc etſi pro officio, & dignitate, & nomine plane eut nimrum antea crederem, cumulate tamen eueniſſe plurimum lætor. Spero Legationem hanc te præſente Prouincialibus non tam expectatę quam concupitę, quam neceſſariæ ſaluti futuram. Quod enim nemo antehac aſſequi valuit, vt tranquilla præſtaret omnia, hoc auctoritate, & imperio tuo ita adimplebitur, vt non ad auaritiam, & ambitionem, ſed ad ſolam Prouincię ſanitatē veniſſe merito iudiceris. Ei rei vt te totum dedas, pro mea fide quoad poſſum exhortor. Nulli (quod ſim memor) tantum poteſtatis ad præſidatum ætate noſtra attulere, quantum tu, & ab pietate in te Pontificis, & ab ingenio tuo, & magnitudine animi crederis attuliſſe. Quæ tibi adiumenta cum ſint, omnino prima hæc adminiſtrandi cura à virtutis eſt commendatione ducenda, vt nihil iam referr, quod in his iuuenilibus annis non dignum tuis meritis videatur. Sed hæc tu ipſe ex te melius. Ego ad me venio. Es memor, Reuerendiſſime Pater, quanto affectu Romæ commendaui tibi neceſſarium meum, Arcis, quam dixi, præfectum. Non minori cura cogor nunc commendare. Afflictæ res eius maiorem mihi indies miſericordiam excitant. Tua pietas omnia ad ſalutem ſuam, & ſuorum ſpopondit. Mittit nunc ad te, de quo ſpem certam illi promiſi. Audi obſecro neceſſitates eius, eaque beneficentia ſubueni, qua tuis omnibus ſoles. Tui etenim nos omnes ſumus. Vna benignitatis opera libera illum, & me ſollicitudinibus, quibus nunc angimur. Hoc ita à te peto, & precor vt magis certe non poſſim. Non alienis atque externis tuum beneficium confers: ſed his, qui tecum victuri referre tibi aliquando gratiā cū fœnore poterunt. De Senenſibus delitiis ideo minus tecum nūc iocor, quod haud ſane læto animo ſim. Triſtitiam noſtram ſi verbo vno depuleris, habebis quotidie quod iucunde legas, quod abunde rideas, quod mihi quoque perſæpe inuideas. Bene Vale: Senis, penultima Iulij MCCCCLXXIII.

Digitized by Google

CARDINALI SANCTI XYSTI.

DXXIX.

TVus in arcem Aſſiſinatem aſcenſus triſtem me fraterno caſu in hilaritatem adduxit. Scripſit ille ad me, quanta lenitate eum acceperis, quanta pietate ſis conſolatus, vt illico pœnam vlti doloris iuſſeris tolli, & ſpem continuandæ cuſtodiæ dederis. Acclamantibuſque, qui te circumſtabant, ſalutare nomen tuum, volueris quoque indicandi in me animi cauſa meum itidem acclamari. Magna hæc ſunt, magni ſemper à me æſtimanda. Non poſſum gratias dignas referre: habeo tamen quas poſſum. Referet pro me, cuius in manu eſt omnis gratiæ plenitudo. Ego vt in tuam clientelam me dedi, ita in ea perſeuerabo. Nec temporum mutatio tui Papienſis fidem mutabit. Ita tibi de me perſuade. Ita chirographum hoc meæ ſponſionis conde, & ſerua: Vt ſi quãdo immemorem beneficii videris, conuincere ingratitudinẽ ſcripto teſtimonio poſſis. Sed de his hactenus. Audio te Mediolanum iturum, inde diuerſurum Patauium voti ſoluendi cauſa. Ito feliciter, Pater Ampliſſime. Eunti & redeunti comes ſit Dominus. Viſitaſſem tuam D. Florentiæ, niſi & celerem tuum inde diſceſſum, & meum importunum officium veritus eſſem. Id tu vel ignoſce, vel proba. Vnum te precor, non tam meo, quàm noſtræ Reip. nomine, vt celeriter redeas. Abſente te non poſſunt non iacturam publica facere. Tu vnus homo nobis conſulendo, & prouidendo reſtituis rem. Hoc quæſo habeas cordi ſemper, & peregrinans ſedulo cogites, quæ occurrere ad animum ſapientibus ſolent. Breuis hora magna ſępe affert incommoda: eo autem plerunque maiora, quo longius à circumſpiciendis noſtris rationibus ſumus. Vt imprudenter tecum loquar, amanter certe loqui me ſentio. Charitati fidelis amici veniam dabis. Eſt quod te etiam extrema epiſtola rogem: Veniet cum iis litteris Raphaël Fulginas, Niceni defuncti cubicularius, qui propter veterem conſuetudinem noſtram mecum nunc eſt. Eget patrocinio tuo ad redimendam de aduerſariorum manibus diuturni ſeruitii non magnam mercedem: audi eum precor honore meo, & pro tua etiam pia conſuetudine adiuua. Si vlla in te viui Niceni fuit iniuria, expertes iniuriæ ſerui pro domino pœnam non luant. Mortui beneficium recordare potius, quàm contumelias. Si enim verum expendere volumus, & Papienſi tuo aliquid credis: illius etiam abſentis vmbra Cardinalem fecit Pontificem noſtrum, à quo quidem Cardinalatu & Xyſtus eſt, & tu Sancti Xyſti. Affui in eo cõſiſtorio, & cuncta inſpexi, & quid ad quemq; tunc creatum Cardinalem Paulum induxerit plane ſum contemplatus. Iterum crede, Niceni auctoritatem ad balnea Viterbienſia licet agentis, initiũ fortunæ tuę, & omnium, qui ab Xyſto ſunt illo die dediſſe. Quo magis has inopes eius reliquias fidei, & bonitati tuæ etiam atque etiam commendo his litteris, vt ſi minus noua adipiſci ſinuntur, vetera tamen ab illo Patre propter ſeruitium fidele accepta non cogantur dimittere. Bene vale. Senis xxv. Auguſti M.CCCCLXXIII.

CAMPANO.

DXXX.

LEgati noſtri in Nicolaum benignitas tàm fuit grata, quàm neceſſaria. Miſi Florentiam, qui meo nomine gratias ageret. Litteris addidi quod ſuæ beneficentiæ conueniens videbatur. Itidem tibi pro tantis officiis debitas ago. Puto commendatione tua non minus quàm mea indulta eſſe quę memoras. Is ſemper es in me, & meos, vt Campani nunquam ſit pœnitendum. Quod vero ſileri cum Præfecto arcis non vis, attende in rem eius ne ſit. Noſco ingenium hominis vſu exploratum, nõ argumentis. Blanditiis nunquam ſit melior. Agunt eum præcipitem patrocinia certa. Aſſiduo metu nihil ad ſanitatem eſt præſentius. In ſacerdotem Ceſum nefarius fuit: In genus ſuum turpis: in ſe ipſum quoque temerarius. Vna flagitii diſſimulatione mederi malis his poterat, & cũ ei eſſet & in ſinu dedecus, aperta vltione ſuperimpoſuit capiti. Proinde ſi mihi de meis aliquid credis, permitte vt ab illorũ ingeniis, & loquar & ſileam. Habendę Deo ſunt gratię, quòd in Pontificem mitem incidimus, in amicum Legatum, in Præſidem te, cuius in me amor maior eſſe non poteſt. Sedente Paulo ſi hęc accidiſſent, vix Iouis quadrigis effugere ſupplicium poterat. Quod vero ipſum Legatũ

ita

ita tuum feceris, vt etiam à te conueniendi Leges accipiat, plurimum lætor. Id es aſſecutus quod Xyſto in hunc diem non licuit. Vide quid Muſæ, quid tua dexteritas poſſit. Omni diligentia tibi Patrem hunc retine. Colit ingenia, quod ad te antea ſcripſi. Et tam multa poteſt, quàm multa videri vult poſſe. dies eius vna centum annis noſtris erit tibi vtilior. Hortor tamen, vt quanto ille plus permittit licentiæ, tanto tu tibi minus deſumas. Magnorum voluntates ſunt plenæ diſcriminum: nec cuiuſuis obſequii & ingenii eſt, illas ſine offenſione tractare. Attendendæ ſunt mentes eorum ac ſtudia, iiſq; accommodandæ artes placendi. Hæc ideo libentius ſcribo, quod tuę ingenuæ libertatis non inſcius, quæ ego aliquando non æquo tantum, ſed grato quoq; animo accepi, vereor ne hic noſter non eodem ſit accepturus, cum magnum diſcrimen inter meam atq; illius conſuetudinem ſit. Tuæ erit moderationis videre, vt quod adultæ beneuolentiæ obeſſe non potuit, naſcenti ne noceat, & quę humilem Papienſem delectant, potentē ne exaſperent. Adiuuare facibus Solem hæc admonens. Sed quid non ſibi arrogat charitas? Quod me gratia Prouincialium vincas, id facile audio. Vt ingenio & literis, ſic virtute me ſuperatum ſemper confiteor. Perge, Campane, tuiq; te ſimilem ſtetua: id agens ſedulo, vt plus nominis quàm nummorum prouincia decedens reportes ad nos. Si ad breue te adiuuabunt, hoc per omnem vitam ad digniora viam aperiet. Etiam quod eadem imperat charitas, inter curas tuas Muſas ne neglige. Subduc dierum particulam, lege, ac ſcribe. Inter ſcribendum quicquid id ſit quod ſpectent calami, Papienſis tui memoriam habe. Vale. Vltima Auguſti. M.CCCCLXXIII.

FRANCISCO PHILELPHO.

DXXXI.

NOnum Sfortiados tuæ librum, quem iam diu miſiſſe te ais, ſcito in hunc diem itinere deuio tardatum non perueniſſe ad me. Ad quos peruenerit, tecum recogita. Arriuabenum culpare non audeo. Is cum in cęteros ſemper officioſiſſimus fuerit, noſtri etiam obſeruantiſſimus, tarditatis huius putandus eſt expers. Sed quandocunque aduenerit vel dimiſſus, vel viarum peritior factus, auidis oculis legetur, primiſq; octo libris adiunctus non poſtremum in bibliotheca locum tenebit. Tibi gratias ago, non modo quòd communicanda ſcripta tua putaueris, ſed quod de eo ſcribendum cenſueris, cuius gloria illuſtrauit Italiam, auctoritas Tranſalpina continuit. Beneficentia in multos, in me vnum prope ſingularis charitas fuit. De rebus meis quod in extrema epiſtola petis, ſic breuiter accipe. Valetudine bona ſum, caſu quo ante, animo ad publica cupido, ad conſulendum forti, ad perferenda quæ accidant magno. Lego & ſcribo cum vacat. Si quæris quę? Ea tantum quæ conſolari, & reddere meliorem me poſſint. Breuius & plenius exprimere totum Papienſem tibi non potui. Senis XIV. Septembris. M.CCCCLXXIII.

FRANCISCVS PHILELPHVS IACOBO CARDINALI Papienſi.

DXXXII.

TVas optatiſſimas literas, quas tandem vnas ad XVIII. Calendas Octobres ad me dederas, tanta cum voluptate perlegi, vt nihil mihi hoc tempore potuiſſet aut lætius, aut magis ex ſententia mea contingere: nam cum ſæpe antea ad te ſcripſiſſem, Pater clementiſſime, neque ea, qua perhumaniter, atque perbenigne conſueueras, officii viciſſitudine vtereris, iure ſubuerebar ne quid etiam apud te monſtri temporum malignitas peperiſſet, quod nobis quoq; incommodaret. Sed cum video eadem te vel facilitate, vel bonitate exiſtere, cui nullus fortunæ liuor inſolentiaq; obfuerit, iure tibi gratulor magnitudinem animi tui, abſolutamq; virtutem quæ humanam omnem elationem infra ſe ducit, nihilq; cenſet habendum in bonis, quod Deo careat. Opto equidē tibi & diuturnam, & tranquillam vitā, quo poſſis omnem fortunæ ludum & ſpectare, & ridere. Sed hæc hactenus. Didiceram proximis diebus ex illius noſtri Ioannis Petri literis, nonum illum Sfortiados noſtrę librum idcirco ad te non eſſe perlatum, quoniam Pientiam ipſe conceſſetas, quo ille tempore Romam

perueniſſet: breui tamen fore vt ad te diuerteret. cum intellexero vbi conſtiteris ex tua iſta peregrinatione, ibit item ad te aliquid ex lucubrationibus noſtris, quo non minus, vt exiſtimo, delectaberis. Vale, Pater & domine colendiſſime. Mediolani quatto Idus Octobres. M. CCCCLXXIII.

CARDINALI SENENSI.

DXXXIII.

VIcecancellarius in hoc reditu ſuo diuertit ad me, & pernoctauit mecum. Multa eius de rebus vrbanis ſciſcitatio fuit: quædam mea de iis cõmemoratio, quæ nihilominus in vrbe ab aliis diſcet. A Salernitano eſt alienus. In Caſtellanum non ſatis inclinat. Excludendum putat vtrunq;. Ea in re communicare tecum conſilia, atq; operam velle videtur. Me rogauit, vt ad id ipſum dignationem tuam hortarer. De te prædicat multa, & in Hiſpania præconem ſe laudum tuarum fuiſſe teſtatur. Præſentẽ audies, & pro tua prudentia ita offerentem accipies, vt ſi quid eſt ad cõmunem rem vtile, nec negligi, nec parum credi appareat. Monitore non eges, tum per te plurimũ ſapis. Ad officium neceſſitudinis noſtræ ſat eſt hæc literis indicaſſe. Vale. Senis XX. Octobris. M. CCCCLXXIII.

FRANCISCO DECANO TOLETANO.

DXXXIV.

VIden' Franciſce, vt exitus non boni ſint ambitioſis legationibus? Vt etiam Deus noſtræ vanitatis nos ſæpe admoneat? Negamus non fieri miracula, vt prius. Attendamus operum vltima non rariora eſſe his, quàm illis diebus videbimus. Quid in Niceni, & Vicecancellarii legatione iudicio Dei expreſſius? Ille vt in Galliam proficiſceretur ad legationem quæſtus & nominis plenam, cum antea magnus ſemper fuiſſet, nullus ex eo tempore fuit. Vendidit libertatem ſententiæ, ſeruire alienæ cupiditati coactus eſt, Pontifici non aſſenſit modo in quibus voluit, ſed adiutor etiam fuit, vt iuramenta violarentur, & vota die electioois ſuæ Deo oblata. Vt crearentur quoque indigni Cardinales magna bonorum mœſtitia, & graui omnium de nobis querela. Profectus eſt tandem. Poteſtatem omnem Romanæ Sedis detulit ſecum. Conceptuum plenus in prouinciam venit, multa de Rege, non pauciora de ſe promittens. Quid inter hæc Deus vltionum Dominus? Quam inſignitè oſtendit, vanas eſſe hominum cogitationes? Mox vt regnum ingreſſus eſt, ipſi Regi cœpit eſſe ſuſpectus. Progredi ad eum eſt vetitus. Menſes duos ludibrio habitus, tertio tandem admittitur. Vno atque eodem ingrato colloquio finitur legatio. Rediit mœſtus. Ad explicandas facultates, nec locus fuit, nec tempus. Dolore inde confectus Rauennæ deceſſit. Domus eius tam chara, ac tanta cura extructa in inuiſiſſimi hominis poteſtatem deuenit. Hortator ei abſens fueram proſequendæ legationis, laudator quoque acceptæ. Sed Romam reuerſus initia eius cognoſcens ne proficiſceretur ſuaſi, nil ſani ex malis rationibus ſperans. Depoſuit eam in Senatu, in Senatu illam reſumpſit. Exitus fuit, quem narro. Vicecancellarius autem Pontificem nactus artibus & corruptelis ſuis creatum, concupitam diu in patriam profectionem facile impetrauit, vt honoratus iret, vt populis ſe viſendum præberet, vt ex tribus regnis omnifariam meſſem commeteret. nullo ipſorum regnorum vſu, nulla neceſſitate Apoſtolicæ Sedis legatum pari poteſtate deſignari ſe procurauit, Valentiam nauigauit. Aditum legationi pecunia redimens, in vlteriorem Hiſpaniam tranſiit: vtrobique multa vanitatis, & luxus, & ambitionis, & auaritiæ documenta relinquens, nullo eorum perfecto, quod ſibi ad nomen legationis prætenderat. odio Principum, & populorum renauigat Romam. Ante oſtium Auſerici fluminis Octobris die X. ingenti orta tempeſtate, conflictatis diu quatriremibus duabus, in quibus ipſe, & familia, cum omni præda Hiſpanica vehebatur: altera lachrymabili damno ante oculos ſuos depreſſa eſt: altera quæ ſua erat, diſfracta iam puppe, cum haud procul exitio eſſet, remiſſis paululum ventis ægre in portum Lyburnum lacera ac vexata protruditur. Præter cęteram turbam quinq; & ſeptuaginta ex familia periere. In his Epiſcopi tres, Pharenſis, Aſſilienſis, & Ortanus. Iureconſulti amplius duodecim,

decim: equeſtris ordinis ſex. Iactura autem rerum amplius triginta milium aureorum eſt æſtimata. Inania nunc appetamus. Concedamus omnia gratiæ, negemuſque de erratis noſtris curam Deo nõ eſſe. Franciſce mi, alienis exemplis erudiamur ad vitam, quorumq; perhorremus exitus, facta non imitemur. Cernis quo tandem peccata nos adigant. Vale. Senis xx. Octobris. M.CCCCLXXIII.

CAMPANO.

DXXXV.

Minus officioſæ aliquando amicitiæ ſunt certæ, quam nondum confirmatæ. Illas negligentia vnius, vel alterius rei non credimus poſſe diminui: has quod labi ſemper manibus formidamus aſſidua diligentia colimus. Accidit hoc nobis proximis menſibus quatuor nimia inueterati amoris fiducia, nec tu mihi, nec tibi ego aliquid ſcripſi. Sarciamus indignum ſilentium. Voco te primus. Vt vales Campane? Vt tibi præſidatus ſuccedit? Vt pleni ſunt loculi? Vt abaci iam lucent argento? Vt de futuris bona eſt ſpes? Sum Romæ. Numquid hic rua cauſa conati me vis? Senenſis noſter ex magno morbi naufragio paulatim emergit. Romæ pridie Calendas Decembris. M.CCCCLXXIII.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI PApienſi.

DXXXVI.

NVmen meum longo interuallo & temporis, & loci te adoto. Cum magno in diſcrimine poſitus de me cogitarem, dolebam non minus me tibi perire, quàm mihi, & puto gratia tua factum, ne perierim. Prope tibi ereptus ſum, mi Papienſis, morbo graui, & nomine ipſo non minus, quàm re formidando. Ter extra me fui. Ter ad me redii. Qui morbus, inquies? Verus merus comitialis: ſed natus à ſtomacho, & quem Cæſar aliquando perpeſſus eſt. Sed, mi Papienſis, *Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Videbis Campanum tuum prælatum, quem olim poetam perſpexiſti. Ac plane te adhortor ad aliter viuendum. Tu me, & ego te intus, & in cute nouimus. Ventus & ſomnium ſumus, & ſpuma æſtuans vanitate atq; libidine. Iam vero ad literas tuas hac hora per Laurentium Iuſtinum ad me delatas, eſt ita vt tu ſcribis. Negligentiam ſecuritas facit, & ſemper ſtudioſius attendimus quæ non habemus: ſed reſarciamus diligentia, quod diſſutum negligentia eſt. Senenſem meum veniſſe ad portum, eſt quod illi, tibi, mihi, curiæ congratuler. didicit ſuo periculo, & noſtro, quam ſtultum ſit ſine ſtultitia inſanire. Offers operam, & polliceris: accipio fiducia qua ſoleo. Potes & me inter cõpetitores nominare: non vt ſperem quicquam adhuc: verum vt intelligant omnes eſſe me tuum, & Papienſem non fortunas hominum amplecti, ſed fouere merita, & ingenia tueri. Iniunxi his oratoribus Aſſiſinatibus de eorum Cancellario ad triennium prorogando. Dabis operam & mea, & Domini Fabiani noſtri, cuius alumnus eſt, gratia. Bene vale. Fulginii ix. Decembris. M.CCCCLXXIII.

CAMPANO.

DXXXVII.

AVdieram Senis adhuc agens te mortuum eſſe: quo nuncio fuderam lachrymas noſtræ beneuolentiæ debitas. Et expedire iam calamos cœperam ornandæ vitę obitus cauſa: ſed alio mox nuncio intellexi te viuere, & leui tantum grauedine laboraſſe, ex qua eſſes illico recreatus. Qua etiam ſignificatione lætus opinione mali exigui perſeueraui in hunc diem. Noſco nunc primum ex literis tuis comitiali morbo te correptum fuiſſe, & prope mihi ademptum. Quid audio Campane? Tãtum ne iacturæ me abſente, & inſcio permittere fors inuida poterat? Ita quoq; erat nobis Deus infeſtus, vt amicitiæ meæ vnicũ ſolamen, cõmunium literarũ illuſtre ſubſidium, ætatis noſtrę certiſſimum decus eripi tam ſubito pateretur? O me ipſum ſola cogitatione infelicem! Diuinæ pietati ſint gratiæ, quę te ſeruauit, volucriſq; fati tardauit alas. Si animæ meę pars vna pręceſſiſſet, quomodo morari diutius altera po-

teram? Spondes admonitum te caſu tanto prælatum futurum poſthac, non poetam. Hac ſponſione quid eſſe Deo gratius, & tuo Papienſi iucundius poteſt? qui te millies ad tractanda ea eſt adhortatus, quæ digna ſunt ſacerdotio. Ita facito, frater: nec quod vulgo ſolet, defunctus periculo liberatoris ſis immemor. Vaſa iræ ſemper ſunt plena, & qui eaſtigauit ſemel, & morti non tradidit, caſtigare iterum, & morti tradere per ingratitudinem poteſt. Poeſim non damno. Cecinere verſibus Sibyllæ, & Prophetæ, & viri in Eccleſia celebres. Sed leuia multa, & laſciuia, quæ poeſim ipſam ſequuntur, non probo: in quibus tu, qua es ingenii feſtiuitate, cum aliquando ſis crebrior, quam ſorti noſtræ conueniat, optimum nunc ſpectas pœnitentiæ portum, mutatione conſilii. Es magnæ doctrinæ, maioris ingenii. Manus ad ſcribendum noſtro ſæculo primæ. Sume iam calamos grauiores, & militet poſthac Deo, quod antehac militauit gratiæ hominum. Os noſtrum, quod conſecratum Euangelio eſt, aperiri nugis non debet. Si reddituri de omni verbo otioſo rationem ſumus, quid de omni ſcripto futurum exiſtimas, quod & diutius nocet, & plus ſemper temporis occupat? *Seruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens vapulabit plagis multis.* Bene ergo tu, frater, qui prælatum poſthac probare te cogitas, tene propoſitum, nec manum ad aratrum tenens reſpexeris retro. Ea iam ætate ſumus ambo, vt non minus decoris quàm damni omnis vitæ inconſtantia afferat. Monita tua condam intimo pectori. Tu viciſſim mea ne deſpice. De Aſſiſinatibus curabo quæ admones: de te præſtabo quod debeo. non patiar in Senatu taceri Campanum, etiam ſi ſciam cenſuram Barduli ſub eundam. Si Tifernas, ſi Agnellus, ſi alii eius generis plures in ſtadio ſunt, cur tanto viro in eodem curriculo locus non pateat? Relatum nihil ad Patres his ieiuniis eſt. Referendum ne extra ieiunia ſit, plane ignoro; hoc ſcio, hoc certiſſimum habe, nullum me tempus tui augendi, atque ornandi prætermiſſurum eſſe. Senenſi noſtro in dies melius fit. Cura tu quoq; ne rurſum tibi ſtomachus negotium exhibeat. Comitiali morbo nihil ſuſpectius, ad vitæ etiam periculum propius. Vale Romæ xx. Decembris. M.CCCCLXXIII.

CARDINALI THEANENSI.

DXXXVIII.

PRopinquant tempora nouorum certaminum. Febris tua iam deſiit. Noſtra nunc inchoat. Vt ægrotus recurrentem tremorem: ita nos vocem de Cardinalibus referentem timidi expectamus, dies quæque Senatus anxia redit. Vocari ſemper ad hoc ipſum veremur. Felix eſt languor tuus, & Senenſis noſtri: qui non modo interfuturi his pugnis non eſtis, ſed nec audituri quæ ſummo dolore cogemur ſentire. Noſce diſſidentem Senatum, & ſtudia in malis contraria. Rediit Mantuanus, nullis creandis aſſenſurum ſe profitens, niſi Agnellus creatur. Ad hoc veniſſe ſe ait. Huicque vni petitioni, quos poteſt, conciliat. In hunc eundem inclinat Pontifex, inclinaturuſq; eſt ſancti Xyſti, ſi in quempiam inclinabit. Quidam ex Patribus conatum nō minus timent, quam damnant. Vicecancellarius aperte Salernitanum oppugnat, aſſenſuruſq; Tifernati eſt, ſi præteriri illum intelligat. Habet conſenſores, quos tu præſens vidiſti. Metu tamen Regiæ commendationis, quæ vrget, anniti videtur ne quid de quoquam fiat. Rothomagenſis, Vrſinus, Auinionenſis, Bononienſis, id ipſum ſunt obſtinatè aggreſſi, æquius ſe paſſuros aientes, ex vrbe pelli, quàm de ſententia. Sancti Xyſti eadem dicitur eſſe mens, idem certe eſt ſermo. Rothomagenſem terret iam turba creatorum. Vrſinum Protonotarius columna, Auinionenſem Mellinus, Bononienſem ipſum creationis nomen. Quid de vobis, inquies, reliquis? Quo futuri animo eſtis? Theanenſis mi, ſentimus idem cum iis, atque idem optamus. Sed ab his ipſis deſeri nos formidamus. Vidiſti quàm ſæpe illorum adhortatione ſumus in certamen adducti. In media pugna ſoli ſumus relicti. Mea eſt ſententia, aut futuros nouos nunc Cardinales, aut magnis contentionibus, & incommodis non futuros. die Natali Domini ſcis quid Pontifici obtulimus? Quid Ferdinando Regi reſpondimus? Contra fidem datam dura erit omnis defenſio: etſi publicis bonis aduerſam enſem capulo nos mucrone tenebimus. Accedet conſueta facilitas, ne dicam perfidia. Licet enim ad reſiſtendum nos obfirmemus, licet fidem ſententiæ muluam

tuam demus,cum tamen vel præteritutum Pontificem ſentiemus,quod odio eſt,vel daturum quod eſt nobis in voto,cedemus illico,inq; eius ſententiam cupide ibimus. Non eſt cur nunc melius de noſtra conſtantia ſperem quàm mõſtrent pręterita. Hæc ſumma eſt omnium,quæ nunc Romę in cogitatione Patrum,& metu,& ſermonibus ſunt: Ideo tuę dignationi à me ſcripta, vt laxamenti aliquid animo dem,& patri Theanenſi filii officium reddam. Ego quod ad me attinet,nec publicis rebus, nec conſciẽtiæ ſum defuturus. Vel ſolus perſtabo in pugna,& lacertorum more,amputato capite nihilominus cauda enitar quoad potero. Dignationem tuam languiſſe omnes dolemus:non reſtitutum adhuc damnis noſtris aſcribimus:abeſſe autem tam diu,horis omnibus gemimus. Præſtans eſt fides tua,auctoritas magna: ſententia autem ſemper grauis & plurimi habita. Fortem pugnatorem non ſatis firma acies noſtri ordinis perdit. Vale. Romæ III. Decembris. M.CCCCLXXIII.

CARDINALI THEANENSI.

DXXXIX.

HEri imperato in hodiernum Senatu,cum referri de Cardinalibus crederemus, comparatiq; animi ad ce: tamen eſſent,ſubito ante lucem inhibitus eſt. Quam ob cauſam neſcimus adhuc. Miramur longum Pontificis feruorem tam breui ſpacio tepuiſſe. Aut ſanius per noctem cogitauit, aut fabrica improuiſa ad nos deiiciendos paratur. Quicquid id erit,ſcies illico. Ne pendeas animo,pauca hæc ſcribo. Vale. Romæ. XV. Decembris. M.CCCCLXXIII.

CARDINALI THEANENSI.

DXL.

INdulſit Pontifex,vt quæ acta hodierno Senatu ſunt, Cardinalibus, qui per valetudinem domi manſerant,ita renunciaremus,ſi eadem pœna qua nobis indictum ſilentium eſt,illis quoque indiceremus. Eſt autem pœna ſummum anathema, cuius abſolutio ſuæ ſit poteſtatis. Illius ergo denunciatione quæ fecimus tibi ſignifico. Magna contentione acta res eſt,annitente Pontifice vt Ferdinando tantum ſatisfaceret,reluctante Collegio vt omnino nil fieret. Perſeueratum in altercatione eſt horis fere tribus. Cupiebat ille vt arbitrio ſuo permitteretur creare quem vellet,cum tempora viderentur creationi idonea. Nec ab iis qui Salernitanum , nec ab iis qui Tifernatem impugnant, permiſſa poteſtas eſt, verentibus vtriſq; ne in aduerſum inclinet. Delecti quatuor ex Patribus ſunt: Spoletanus, Rauennas, Papienſis,& Mediolanenſis,qui videant,qua ratione de promiſſis ſatisfacere Regi poſſimus. Dura admodum res, non tam propter Regem ipſum, qui facile in tertium quendam inclinat,quàm propter pontificem, qui deiici de Tifernate non patitur. Neſcio quo tandem certamen ſit euaſurum. Dubito ne Senenſi , & nobis ebibendus calix hic ſit. Plures numero ſunt,qui Salernitano, quam qui Tifernati aduerſantur. Cum illis quoq; eſt Pontifex,cuius quale momentum ſit, ſatis intelligis. Nondum conuenimus ad ineundam ſatisfactionis viam:ſed perdifficilem eam intueor. Adiumento nobis ſit Deus. Tu tibi gratulare quod abſis,& nos miſeros puta, qui celebraturi tam anxie natales hos ſumus. Cura ne hæ literæ in quenquam incidant, noſque ab negligentia pœnis grauibus obligemur. Non ſcripſiſſem eas niſi affinem tuum nactus eſſem ad te redeuntem,qui fideliter illas perferret. Vale. Romæ XVI. Decembris. M.CCCCLXXIII.

B. CARDINALI SPOLETANO DE OBITV CARDInalis Theanenſis.

DXLI.

DE vlciſcendis erroribus noſtris, quantum video, cogitat Deus. Comminuere nos vult vt puluerem ante faciem venti, & vt lutum platearum delere. Ad imum confuſionis iudicio diuino detrudimur. Eripit conſilia, vt in tenebris ambulemus. Tollit auctoritatem, vt contemptui hominibus ſimus. Labenti iam ordini noſtro abſtulit paucis annis firma præſidia, Ioannẽ Cardinalem ſancti Angeli, Beſſario-

nem, Cardinalem Nicenum, nunc quoq; Nicolaum Cardinalem ſanctę Ceciliæ: quorum virtute quanta ſuſtinerentur, tu ipſe videbas quotidie. Vno amplius, aut altero adempto quid reliqui eſt ad ſalutem? impleri propheticum illud Iſaiæ conſpicimus: *Auferet Deus ab Hieruſalem, & ab Iuda Principes ſupra quinquaginta annos, & honorabilem vultu, & conſiliarium ſapientem, & prudentem eloquii myſtici, & dabit pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.* Miſerandam profecto ſortem, cui quod eſt firmum adimitur, quod infirmum relinquitur. Theanenſi autem noſtro quid in domo Dei vtilius? Cuius vita omnis labor fuit, & veritas, & ſalutare ſemper conſilium. Meminiſti quæ ſedente Eugenio, & Nicolao iuuenis adhuc diuerſis in locis Eccleſię præſtitit. Vidiſti quæ adminiſtrante Pio magnis ſuis diſcriminibus egit. Ærumnarum plenus is Pontificatus fuit. Quę autem eius pars fideles curas ſuas non ſenſit? Neapolim cum miſſus eſſet ad coronam Regni Ferdinando reddendam, ſcis id quod tuis conſiliis de recipiendis vrbibus duabus Beneuento, & Terracina Sedes decreuerat, illius aſſidua diligentia perfectum fuiſſe. Relata etiam documenta rerum noſtrarum, quibus vinculum Regiæ in nos fidei, noſtræq; poteſtatis, ac beneficii ius probabatur. Ortis deinde bellis, quibus in Flaminia, in Sabinis ad fines Campaniæ vexati grauiter ſumus. Tenes vt ſua diligentia ſecunda omnia nobis acciderint. Grauis hoſtis ad flumen Lyrim, ne in Romanum agrum tranſiret, exiguis copiis prohibitus eſt. Loca munita obſeſſa, & capta. Oppidis pene omnibus Iacobus Sabellus exutus, qui cum Andegauenſibus ſentiens, omnia per Latium ad portum vſq; vrbis latrociniis infeſta habebat. Sigiſmundus Malateſta atritus concluſuſq; Arimini ad abiurandam hæreſim compulſus eſt veniamq; petendam. Claſſis quoq; ex portu Piſano ſanctæ expeditionis cauſa per fretum Siciliæ Anchonam perducta. Iterum ſedente Paulo Euerſani fratres in Eccleſiam ſemper impii diebus duodecim altero eorum capto, altero expulſo, armis ſublati, totidemq; munitiſſima oppida noſtræ ditioni adiuncta. Quæ omnia licet militares Duces habuerint, ſumus tamen experti, quantum fides huius, ac labor ad exitus ſecundos contulerint. Erat in caſtris ſumma ſolertia, vigilabat aſſiduè, impertiebat ſe ſingulis. Nullorum diſcriminum operam ſuam patiebatur immunem. Æque fortem animum in acie, & in obſidione præſtabat. Ad populos vero in fidem Eccleſiæ traducendos præcipua erat cum dexteritas, tum efficacia: vt non minus adminiſtrationem omnem belli Legatus ipſe adiuuerit, quam à belli Ducibus adiuta fuerit eius Legatio. Inter hæc autem cum cogente vi rerum aliquando acer eſſet, ac vehemens: nunquam tamen eſt ſuæ ſortis oblitus. Nulla in eo duritas, nulla crudelitas cognita eſt. Satis habuit ſemper erratorum ſuorum admoneri hoſtes, perdi eos nunquã eſt paſſus, in eo certam victoriam reponens, ſi beneficium poſt arma experti, fideles ex infidelibus, boni ex improbis redderentur. Quibus rebus factum vidimus, vt populi ipſi deuicti ſumma illum beneuolentia, ſummiſque honoribus proſequerentur, vt quem habuerant in bello caſtigatorem perfidiæ, ſic in pace ſeruatorem fortunarum, parentemq; colerent. quorum operum ſunt teſtes complures epiſtolæ Pii ad eum ſuo chirographo ſcriptæ, in quibus illi gratias agit, & vſq; eo conſentire conſilia eius conſiliis ſuis oſtendit, vt quodam earum loco ſcribat *SS. Tua fides, & in rebus omnibus diligentia liberat nos ſcribendi onere: quia vbi tu es, nos ſumus. Ea facis quæ ipſi nos faceremus, nec hortationibus eges SS.* Et rurſum victoriæ ſuæ congratulans *SS. Digna ſunt*, inquit, *omni laude opera tua. A te perfidus hoſtis Eccleſiæ domitus eſt, & amputatis alis in ſpeluncam concluſus SS.* Iterum quoque *SS. Nobiſcum patere fili: quia & nobiſcum es regnaturus.* Mitto qua inopia difficultates has militares aliquando pertulerit, vt ipſo priuatim egente, Pio magnis ſtipendiis exhauſto, cum necunde ad victum neceſſaria adminiſtrarentur, miſertus ego laborum, priuata illum pecunia nõnunquam adiuuerim. Sed nec laudi externæ ceſſit domeſtica. Magna æſtimatione ſemper apud Pontifices fuit. Rara erant de ſummis rebus conſilia, ad quæ non vocaretur, rari delectus Patrum, inter quos primus non eſſet. Cauſæ autem grauiores pene iam omnes vel illi, vel tibi, vel vtriq; ſimul, tanquam fidelibus iuſtitiæ miniſtris, vno ordine iudicandę permittebantur. In quibus qua innocentia fuerit, conſtantia, & fide continuata virtutis opinio certo eſt documento. Erat porro in Senatu ad conſulendum liber, ad diſſerendum rectus, ad bene viuendum omnia perſpicax. Con-

ſcientiæ,

ſcientiæ, non gratię ſeruiebant eius iudicia. Fortis vero animus publica ſemper ſpectans nil humile ſapiebat. Erant de iis tantum ſermones eius,& curę quæ aliquando cum minus ſecunda æſtimatione noſtra haberentur,dolebat pernimium,ac velut ſibi vni pertinerent,querelis aſſiduis requirebat. Taceo vitam eius priuatam,modeſtię ſacerdotalis,ac continentię certiſſimum ſpecimen. Non quęſierat ſibi ſacerdotiorum aceruos,quos in pleriſque dolemus:non theſauros,qui nulli inuenti ſunt. Cenſu erat ſuſtinendæ dignitati vix ſuppetenti. Malebat non abundare, quàm adminiſtrationũ multitudine animam deprimi. Habitauit modicis ædibus, vt ſcis, iiſque conductitiis. familia perſeuerauit, vt mediocri ſemper,ita & frugi, & diligentia ſua bene inſtituta domus tota nil precioſi vnquam apparatus propoſuit. Eam nos ſæpe inſpeximus. Aulea chari peregrinique operis,abacique argentei in gradus extructi, caſtigata ſupellectili exulabant. Domini virtute,non externis artibus,ædes honeſtabantur. Ipſe vero culturę corporis ſui, atque omnis Lenocinii negligens, quam in alios requirebat de ſe primus vitæ ſeueritatem præſtabat. Menſa nihil exquiſitum habuit vnquam, aut nimium. Cubiculum quoque nil delitioſum,ac molle. Veſtis erat,quam videbamus quotidie,communis & modica. Denique diſciplinam omnem domus,& ſuam eo vir iuſtus redegerat, vt ſatisfacere caſtis animis, non delectare ambitioſos oculos poſſit. Innumera ſunt, quæ recenſenda de ſuis meritis eſſent,tam quidē magna, quàm multa. Sed conſulto ea prętereo, quòd magnitudine ſua librum requirerent: & propoſitũ mihi eſt epiſtolam ſcribere leuatricem doloris, non vitæ anteactæ commentarium texere. Hæc ideo raptim collegi, quod in recenti obitu ſuo deeſſe vocem fratris non volui,& nuper in funere minus veris laudibus honeſtatum illum cognoui. Nos, Spoletane mi,quos ſupereſſe annis eius voluit Deus, laboreſque vitę paulùlum adhuc vltra producere grati beneuolentiæ acceptę memoriam hominis contineamus in animis noſtris,viuereque inter nos quàm diutiſſime illum ſinamus. Vita enim mortuorum,in memoria viuorum eſt poſita. Imprimis autem oremus pro eo Deum, fideliq; animæ pacem eius precemur, quam licet pia fide collocatam iam in ſinu Abrææ credam:tamen quia incertum eſt homini,vtrum acceptione ſit dignus, vel odio: & iuxta verbum Scripturæ: *opera iuſtorum, ac ſapientum in manu ſunt Dei*: non deſint illi fraterna ſuffragia. Si cum Chriſto regnat in cælis, gratę mentis inſpector,vt & nos corregnemus orabit. Sin purgandis adhuc labibus ſupereſt aliquid, impleamus nihilominus Sacerdotum officia. Sancta enim & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à pœnis ſoluantur. Etiam vt ita agamus, priuata noſtra iuſte efflagitant. Dilexit ille nos plurimum,vt ſcis. Eodem patre in eccleſia genitus eſt. Menſam ſancti Senis participauit nobiſcum. Vna fuit ſemper noſtra,& illius conſiliorum, & arcanorum communicatio. Veram ſocietatem diremit nunquam vel noſtra offenſio, vel aliena iniquitas. Perſeuerauit in finem conciliatus in charitate amor. Vidiſti in duris noſtris quo affectu erat in nos, quàm præſto aderat conſolans,vel opem quã poterat afferens. Amantiſſimę fraternitatis nullum officiũ prætermitti eſt paſſus, deſideriis omnibus noſtris vltro ſemper occurrens,vt non tam grati animi ſit hæc recordari,quàm inhumani nõ meminiſſe. Poſtremo,mi Pater,quando in veſperum inclinat iam Sol, id eſt, ætas noſtra in exitum vergit,ad iter vniuerſę carnis animas pręparemus. Omnibus enim dies illa eſt obeunda. Nec parcitur magno aut paruo, locupleti vel inopi. Mortuus Eugenius eſt, & Nicolaus, & Pius, & Paulus: quorum omnium gloriæ & funeris pariter ſpectatores fuimus. Defuncti illuſtres tot Cardinales,quorum aſſumptiones vidimus & ſepulchra. Ambulemus dum lucem habemus, ne tenebræ nos apprehendant. Si promerendi ſunt noſtri,& carnis habenda ratio,id agamus, dum integris ſenſibus ſimus. Libra iuſtiore expendemus quid cuique debeatur, & diſcriminibus teſtamentorum liberabimus eorum inopiam. Si procuranda futuris ſuffragiis animæ eſt ſalus, hanc quoq; ipſi nos incolumes ſtatuamus. Male ab hæredibus inſtituta noſtra ſoluũtur. Quod ſui commodi eſt, non alienæ pietatis,inſpiciunt, raraque habetur in mortuos gratitudo. Nil minus autem quàm horam illam ſupremam ad hæc componenda vtilem iudicemus. Plena enim terrorum eſt,& anxietatum,& tenebrarum, dumque inter ſpem vitæ metumque pendetur,integer ad nulla eſt animus: interruptis vocibus ac morientibus, diminutę ſiunt omnia ac perturbatè, & plerumq; ad alienum magis

quam noſtrum arbitrium. Quin & illud ſæpe accidit, vt præter ſpem oppreſſis ſubito ſenſibus, torpefacta etiam lingua, inteſtati decedentes, famę, & noſtris male, deterius animæ conſulamus. Pertinebit autem illuc omnis hæc diligentia, vt domeſticis ante compoſitis, liberatique terrenorum cura de ſolis cęleſtibus cogitemus, tranquillius que in Domino quieſcamus. Hanc autem ipſam horam egreſſus in omni loco, in omni tempore vigiles expectemus, quia in quo illa nos expectet, incertum habemus. *Quod ſuperueniet*, inquit Scriptura, *in beneplacito Altiſſimi, ſiue decem, ſiue centum anni.* Saluator quoque noſter: *Vigilate*, inquit, *Neſcitis qua hora Dominus veniat, ſero, an media nocte: an Galli cantu, an mane, ne cum venerit, inueniat vos dormientes: quia beatus ſeruus, quem cum veniet, inuenerit ſic facientem. Amen dico vobis: Super omnia bona ſua conſtituet eum.* Vale. Romæ II. Ianuarii M. CCCCLXXIV.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI PAPIENSI.

DXLII.

AD cætera tu quidem ſanctiſſime: ad petitionem Theanenſem nihil reſpondiſti. Hoc quantis optauerim votis, cui quàm tibi eſt exploratius? Ad Regem ſpectat, inquis. An me tam cenſes obſcurum, vt Regi ſim incognitus? Tam infidelem aut inofficioſum, vt ingratus? Petiuit pro nepotibus Cardinales. Miſera mea conditio: tanto tempore ſecutam Cardinales, tamen ſine Cardinalium præſidio eſſe. Non eſt è re communi tantam contentionem ſuſcipere. Scio non eſſe è re: ſed expedire vtrique noſtrum eſſe te inter Patres gratia maxima, odio minimo. Sed interea ætas fuga labitur, & ſubuolat tacita, ſurripiuntque anni vires, & ingenium obgrauant. Quid me obtundis, inquis: Theanum haberi non poteſt: at poteſt Tricaricum. Regis conſenſum nunquid deſperas? Non adeo inuitis viuimus Superis: ſed fac illum difficillimū. Quis enim conſenſum & petat, & facilius aſſequatur quàm Papienſis pro Campano ſuo præſertim abſente. Quam ob rem aſſume hanc curam, mi Papienſis, aut alicui ex tuis demanda. Oratorem Regium alloquere. Ad Regem vna conſcribite. Si Theanenſis haberi poſſit, felicem me feciſti: ſin alteri eſt promiſſa, vt Franciſcus meus ſcribit, pro Tricaricenſi poteris & cum Rege, & apud Pontificem inſtare. Gratior & optatior Theanenſis. Verum inopiæ quicquid impenditur magnum eſt, etiam ſi ſit exiguum Cum Regio Oratore quicquid voles conficies. Debes velle mi Papienſis, non tibi ſum cliens indecorus, non infidelis ſeruus, non ſi ita pateris, inglorius familiaris. Neruis tuis omnibus mihi opus eſt. Bene vale, & alterum confice. Dominus Silueſter cupit ad D. V. R. venire. Verum quia diutius ſubſtitit, veretur ne parum acceptus veniat: poteris quid illi agendum ſit, ad me ſcribere. Vale. Fulginii II. Ianuarii M. CCCCLXXIV.

CAMPANO.

DXLIII.

FRanciſco redeunti ad te mandata dedi ad binas litteras chirographi tui. Vnum adoleſcenti credendum non duxi, quod à me breuiter habe. Ex contentione aſſidua de Tiſernate pro Senenſi noſtro alienior à me factus eſt Rex: Pontifex quoque. Neuter habet Papienſem in ſuis, non etiam audit. Hoc tu cogita, quanti ſit ad præſtanda quæ de Theanenſi Eccleſia exigis. Non deſinam propterea conari quod potero. Gratia tua tibi apud vtrumque eſt neceſſaria. Silentio meo nihil vtilius. Vale. XII. Ianuarij M. CCCCLXXIV.

CAMPANO.

DXLIV.

PLentinis tuis ne oro ſuccenſe: Clam illis facta ſunt omnia. Ante data diplomata tuo ſucceſſori cognouimus, quam de ſucceſſore cogitari ſuſpicaremur. Adii ea de re Pontificem: Cardinali Sancti Petri commultitium feci: Bardulo ſum plane iratus. Quiſque ſe purgat Maiore tamen voluntate, quam ratione. Præſtare nos quæ Cardinalis ſunt poſſumus, cogere ſummam poteſtatē non poſſumus. Mei iudicii eſt, primo fetas patienter immutationem hanc præſidatus. Inde præſidatum ipſum abiicias.

Rurſum

Ruſum ſi abiiciendum nõ putas, breui illum retineas. Conditionem oppreſſæ ciuitatis tute prudenter intelligis. Aut ſeruiendum turpiter erit, aut cum diſcrimine ius tuum tenendum: Satis iam ad experimentum virtutis Tuderti, & Fulginii adfuiſti. Mora longior addere extimationi nil poteſt, plurimum demete. Nullibi eſſe meliore ſpe, certiore quiete, minus mala valetudine potes, quàm Romæ. Senenſi, vt poſtulabas, legendas litteras tuas ilico miſi. Ipſe quoque preſſis humeris ingemuit fortunam communem. Propter Cardinalares contentiones proxime habitas, magis te conſolando quàm impetrando poſſumus adiuuare. Intemptati tamen nihil relinquimus. Vale xx. Februarii M. CCCCLXXIV.

CAMPANVS IA. CARDINALI PAPIENSI.

DXLV.

QVod Aſſiſiatibus meis affueris, habeo gratias. Digni ſunt, & tuo & collegarum tuorum patrocinio, & quos Pontifex Maximus omni humanitate proſequatur, & elementia. Diſcors olim ciuitas, & aliquando ſeditioſa calamitates pertulit multas. Nulla ciuium culpa bis direpta eſt: ſed malum omne à duobus arcium præfectis venit, qui ad omnem motum nouitatis ſecuti ſunt ſtudia diuerſa. Fidem contempſere: Arces aut dedidere ſtudio partium aut hoſtibus precio vendidere. Sic ciuitas ſuis incommodis edocta leges tandem amplexa eſt & officioſa omnibus nullis iniuria auctoritate atque opibus creuit. Mirum eſt qua obſeruantia collegium, qua fide Pontificem colunt, quàm boni & æqui pertinaces. Religione ſunt quanta non modo in Vmbria, ſed nec in cætera quidem Italia nulli homines alunt. Religioni addictos circiter quadringentos. Templũ habent orbe terrarum magnitudine & ſtructura celeberrimũ. Tum alia templa & in montibus, & in planitie non contemnenda. Largitas quoque in omnes eximia eſt, vt dici poſſit, liberalitatem, ſi in Vmbris ſit, in Aſſiſinatibus eſſe, & amicos fruſtra in Vmbria quæri, niſi Aſſiſii quęrantur. Eſt etiam ſoli par gratia, clemens cœlum, mons collectus, & editus, expeditus vndiq; ac pulcherrimus. Colles item aprici, & paſſim irrigui. Planitiei quoque tanta feracitas rerum omnium, quanta vel in Campania vix poſſit optari. Pomorum diuerſa genera & maiora, & ſapidiora finitimis, magna quoque vis olearum, & quæ fructus non ſolum plurimos, verum & optimos proferũt. Nihil me æque in Vmbria tota delectat. Viris diſpar manſuetudo quam cæteris. Facies ipſa ciuitatis pacatior & tranquillior, ager cultu aſpectuq; pulcherrimus. Fuit hoc diuerſorium meum toto fere pręſidatu. Me amant, Te Patronum vocant, ad nomen quoque tuum memores beneficii reuerenter aſſurgunt. non diſſimulant ſi quid debent, & magnam partem referunt beneficii, qui fatentur. Quamobrem gratum eſt mihi talibus te viris dediſſe operam, & ciuitati optime de nobis meritæ non defuiſſe. Nec eſt Aſſiſium contemnendum. Vmbriæ totius quędam arx eſt, Peruſinis imminet, Tuſcos, & Picenos attingit, finitimos populos cohibet, perſtitit ſemper in Eccleſiæ fide, nec vnquam niſi ab Arcibus oppreſſa defecit. Quare & tuum, & collegarum tuorum officinm eſt, non modo conſeruare hanc vrbem, ſed etiam omni largitione adaugere, nec pati, vt quod paulo ante eſt factum, ludibrio habeatur. Iniuria enim eos maxime exacerbat, qui minime ſunt iniuria digni. Vale. Ex Aſſiſio I. Martii, M. CCCCLXXIV.

M. CARDINALI SANCTI MARCI.

DXLVI.

NOn habens quicquam quod tua dignatio non plenius ex Secretario ad te redeunte, quàm ex litteris meis poſſit cognoſcere, id ſolum ſcribam, quod mihi à charitate imponitur. Satis iam diu abſuiſti, Pater, ſatis conatus es quę ad commune Reip. commodum pertinebant. Boni ac fidelis legati munera, vbicunque te eſſe contigit, impleuiſti. Ita res docent. Ita conſtans omnium noſtrũm opinio fert. Nec longa peregrinatio, nec longinquitas nationum, nec magnitudo etiam rerum te fatigauit. Maior tua fuit ad perſeuerandum voluntas, quam noſtra ad reuocandum humanitas. A modo canendum receptui eſt, & de Italia cogitandum. Non eris hic minus, quàm in Germania neceſſarius, vbi iam legationes noſtræ magis ad probandam Ro. Sedis

poteſtatem, quàm ad præſtandam ſalutem celebres ſunt. Ita vbique chatitas refriguit, & in nos reuerentia. Sunt tibi apud nos ſacerdotia, in Senatu ſententia. Multa decernuntur quotidie, in quibus tam opus eſt conſtantia tua, quàm magna eſt multorum facilitas. Expetunt hæc omnia ſuo iure reditum peregrinantis iam biennio patris. Expetimus & nos tui amantes, tecumque peculiari beneuolentia in Domino iuncti. Itaque redi, vnoq; conſilio publicis proſpice, & priuatis. Secunda æſtimatione redibis, Principi, & Patribus charus. Nec erit ex quatuor vna die decretis legationibus quæ tuæ anteferri vel integritate, vel diligentia, vel commendatione noſtri operis poſſit. Iterum redi, & in complexum tui Neapolitani Papienſiſque celera. Breue tempus mille annis nobis eſt longius. Romæ XIV. Martii MCCCCLXXIV.

FRANCISCO GONZAGÆ CARDINALI Mantuano.

DXLVII.

O Mantuane, alienæ inſanię ad ſalutem nos inſtruant. Gratuita eſt diſciplina, quã damna noſtra non parant. Non quæramus in altum ferri: Grauior inde ſemper eſt caſus. Tuta nobis ſint cordi, ſciamuſq; in mediocribus tranquillã eſſe mentis quietem. Magna quæ placent, falſis quidem nominibus placent. Plena enim ſunt inſidiarum, & periculorum. Comitantur illa odium, detractio, animæ incommodum. Rara ſublimitas eſt, quæ magnitudine careat peccatorum. Virtus, & ſumma poteſtas non coëunt. Nocentis autem vitæ ille eſt exitus, vt impleri videat propheticum illud: *Inimici Domini mox vt honorificati fuerint, & exaltati, deficientes tanquam fumus deficient.* Hic vero defectus vel morte accidit immatura, dum poteſtate licentius abutuntur, vel Principatus mutatione. Quem enim potuiſſe omnia apud pręteritum Pontificem, hunc eundem apud præſentem deſpectum inſpicimus. Id agendum ſemper, vt omni tempore honeſtis honoribus vita noſtra non careat, atq; omni tempore æqualitas vna ſit gratiæ. Etiam congeries hęc ſacerdotiorum ad quem vſum in domibus ſunt ſacerdotum? Si ad neceſſitatem paraotur, audiamus admonentem Apoſtolum: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.* Si ad cupiditatem explendam, etiam eiuſdem increpantis vocem intelligamus: *Mortificate auaritiam, quæ eſt idolorum ſeruitus:* quia *non poteſtis*, inquit Saluator, *Deo ſeruire, & Mammonæ.* Sin vero ad luxum vitæ ac pompam, idem quod Cananeæ reſponſum nobis ſciamus: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & canibus mittere.* Quoquo te vertas, indignam miniſterio ſacerdotali curam inuenias, labefactantem animas, atque ad ſolam gehennam ędificantem. Recenſe vero mecum coaceruatarum adminiſtrationum quanta ſint mala, quantiſque nos inuoluãt criminibus. Defraudamus primo loco Deum gloria iuſti obſequii ſui: quod enim illi perſolui pluribus adminiſtrantibus oporteret, per vnum cogimus fieri. quã vero tite, quam diligenter pieque fiat, ipſi nos conſcii ſumus. *In multitudine populi*, inquit ſcriptura, *dignitas Regis: & in paucitate plebis ignominia Regis.* Per Prophetã ideo Dominus comminatur: *Væ qui coniungitis domum ad domum.* Rurſus debilitamus corpus Eccleſiæ. Quatuor, quinque, pluriumve præſulum ſedes occupat vnus. Cœnobiorum multorum patres idem vnus excludit, minorumque munerum miniſtros idem vnus in domo Dei eſſe non ſinit. Tam multos eiicimus quã multa ſuperfluo poſſidemus. Iterum quoq; de ouibus creditis meremur indigne, à quibus, iuxta verbũ Apoſtoli, metentes carnalia non ſeminamus eis ſpiritualia. Qua enim ratione intendere mens vna tam pluribus poteſt? & cuſtodis vnius oculi tã diſiuncta regionibus cõtueri? Vicariæ vero diligentiæ nullę ad ſatisfactionem ſunt ſatis. Mercedẽ ſecuntur illę, non fructum, & quod de ouibus ad eas non pertinet, lupis venientibus fugiunt. Noſtrum cuique ſigillatim præcipitur: *Cognoſce diligenter vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera:* in quibus quod debitores Deo omniũ ſumus, quicquid perit, animabus noſtris haud dubie perit, redditurisante tribunal iuſti iudicis pie crediti, ſed male adminſtrati operis ſeueriſſimam ıationem, quam neſciæ reddere in tenebras exteriores eiicientur, vbi fletus erit, & dentium ſtridor. Adde publicum odium merito ex tanta inſania in nos comparatum. Lamentari Eccleſias vides, quod his cumulis egenorum panem eripimus, dolere populos, quod veneranda Paſtoribus loca plena nunc mercenariis

videnti

vident: indignari Principes, quod nullis acceſſionibus noſtra ingluuies ſaturatur. Clamant, non eſſe nos memores paupertatis antiquæ, propter quam creuit Eccleſia: non videri diſcipulos Chriſti, qui de craſtino vetuit eſſe ſollicitudinem, & duas veſtes habentem dari alteram non habenti præcepit: omnia ad priuatam pompam luxumque referri, quodque multorum eſſe oporteret, iniuſta diſpenſatione ad vnum aliquem redigi: Animæ autem tam eſſe curam exiguam, quàm magna eſt corporis. His indignationibus pernicioſa de nobis aliquando ineuntur conſilia, inque Apoſtolicam Sedem rationes tumultuantur. Id autem vt plurimum accidit, vt poſſeſſum nobis ire prohibitis, aut indignis precibus cogamur quod datum eſt aſſequi, aut turpi ceſſione triumphare de nobis Principes doceamus.

Sine fine eſt & parum emendatæ.

CARDINALI MANTVANO.

DXLVIII.

QVantis quotidie exemplis erudimur ad vitam, mi Mantuane? Quanta nobis ſe offert ab alieno exitu diſciplina? Perraro eſſet errori locus, ſi vt illa intuemur, ita ſenſibus imis mandaremus, reguſtaremuſque quotidie. Vel vno hoc exemplo Cardinalis ſancti Xyſti quodnam eſſe poteſt conſpectius? aut documentis noſtris inſignius? Remetiamur præterita, intueamur præſentia. Quanti diſcriminis fortunam videbimus? quamque admonebimur infirmitatis humanæ? Vidiſti hunc quinto à Xyſti Pontificatu menſe, cum ex minorum eſſet ordine, iuuenis adhuc, nulla illuſtri re antea cognitus, graui Pontificis contentione creatum Cardinalem eſſe: Ex illa die potuiſſe, quod voluit. Quantum autem nec credi facile eſt, nec auditum noſtra eſt, aut patrum maiorumque memoria: Euntem illum in curiam, atq; redeuntem ſcis quanta omnis ordinis ac dignitatis multitudo comitaretur. Multitudini antecedenti ac ſequẽti iam viæ ſatis nõ erant. Manentem quoq; domi plures multo adiiſſe negotii cauſa quàm ipſum prope Pontificẽ. Præſulibus, & legatis, omnifariamq; hominibus quaque diei hora ædes latiſſimas inundaſſe. Etiam memor es conuiuii illius inauditi, quo Gallorum Oratores anno ante accepit. Solennius aliquid vetuſtas tota, nec gentilitas quidem audiuit vnquam. Molimẽ dierum plurimorum fuit. Tota Etruſcorum induſtria conquiſita eſt, atque adhibita. Vacuefacta raris precioſiſque omnia. Idque actum vt euincendo conatui nulli in poſterum ſupereſſet facultas. Apparatuum magnitudo & varietas, miniſtrorum ordines, epularum numerus, rerum precia appoſitis ſpeculatoribus adnotata ſunt litteris, deſcripta verſibus, nec per vrbem modo vulgata paſſim, ſed per Italiam quoque & trans Alpes ſingulari ſtudio miſſa. Non multos ab eo conuiuio dies cum virgo regia ad ſponſum Ferrarienſem duceretur, audiſti quanta admiratio ſolennis hoſpitii fuerit. ad eum enim diuertit. Exceſſit honor non modo credendi fidem, ſed facultatem narrandi. Viſebantur ſtupore ingenti ædes non lapideæ iam oculis, ſed quoquo te verteres, magnis opibus locupletiſſime conueſtitæ, ad parietes, & pauimenta, ſerico, argento, & auro inſignes. Culcitræ cubiculorum nullæ non ſericeæ fuere. Lectorum puluini, chonopea, & pallia nulla non auro intertexta. Hoſtiorum vela omnia exquiſitis operibus picta. Sellæ argenteis pedibus fultæ. Plures textili auro contectæ; quę etiam ad interius commodum naturæ habentur, ex ſolido argento factæ, culcitrulis mollibus ex ſerico ſuperimpoſitis. Abaci aularum ad admirationem viſentium lati, editi, & pleni. Longiſſimam porticum continentis ædis ad conuiuii amplitudinem deiecto tecto conſtrauit, vt prandentes cœnanteſque inde cernerentur, pateretque omnis interior apparatus. Ingentem familiam taceo veſtitu Regio inſignem, menſarũ ſplendorem, in quo vt Gallicanum nuper excederet, peritorum conuiuatorum conatus eſt totus conſumptus. Munera demum abeunti ſponſę ſuperadiecta: non tam illa quidẽ ad conditionẽ puellę, quam ad iudicium profuſioris animi comparata. Memoria quoq; non excidit, quã ſæpe ludos populo exhibuit, quàm frequenter per dies plures certamẽ haſtile præmiis propoſitis edidit, quantas Senas extruxit, vt etiam illarum ornandarũ cauſa Florentia vſq; artifices, hiſtriones, mimoſq; acciuerit. Iam vero veſtium ſuarum vſus proprii quis neſcit incredibilem fuiſſe numerum? eundemque precii ingentis? Vnam mihi Gebellinæ pellis cœnanti ſecum explicuit, paratã, vt aiebat, aureis mille, qualẽ eius generis nullã in-

ſpexi: Et ante oculos eſt, quanta acceſſio magnificis alioquin ædibus parabatur quotidie, quantiſque ſtructoribus res ageretur, quotidie centum milibus, vt appareat: expleri inceptum iuuenile non poterat: tanta erat laxitas, altitudo, circumductuſque operis. Creatum inde per Vmbriam totam legatum vidimus, præſidatus ſex ſibi ſubiectos. Inde cum voti neſcio cuius ſoluendi cauſa Aſſiſium, Patauiumque ſtatuiſſet contendere, ad Italos etiam cęteros legationem accepiſſe: ſumpſiſſe etiam poteſtatem, qualem legatis nullis datam meminimus. Diuertentem ex itinere ad Florentinos, Bononienſes, Ducem Ferrarię, Ducem Mediolani, Marchionem Mantuę, & Venetos tuliſſe poteſtatis opinione inauditos honores, quantos excogitare diligens alliciendi iuuenis ambitio potuit. Poſtremo & admirati pernimium ſumus congeriem ſacerdotiorum ad hæc explenda creſcentem quotidie, nec vlli ſorti, aut nationi parcentem. Nam præter illuſtria cœnobia magna, & multa vbiq; gentium comparata, pręter inferiora imæque dignitatis non ſpreta, etiam ex ſupremę ſedes in vnum ipſum etiam aggeſtę: Patriarchalis, Conſtantinopolitana, Metropolis Hiſpalenſis, Metropolis Florentina, & Mimatēſis, Gallicana. Congerendę haud dubie plures, niſi vitę & cupiditati vna Dei diſpenſatione eſſet modus impoſitus. Biennio toto hic tantus fortunę ſucceſſus fuit, tam vt apparet feſtinatus, quàm breui erat caſurus. Quid ergo ex tanta gloria reliquum nunc illo mortuo inſpicimus? Quid ex tanto rerum faſtigio conſpicuum extat? *Vidimus illum*, iuxta verbum Scripturæ, *exaltatum ſupra Cedros Libani: Tranſiuimus nunc, & ecce non eſt: Quæſiuimus eum, & non inuenitur locus eius.* deſiit iam Cardinalatus tam properatus. Euanuere comitatus ingentes. Conuiuiorum gloria periit. Apparatuum diuitiæ ceſſauere. Ludi in lachrymas verſi ſunt. Veſtium nullus illi eſt vſus. Legationis amplæ ſtrepitus non exauditur. Domus infinitę pendent opera interrupta, minęque murorum ingentes, æquataque machina cœlo. Quem capere paulo ante orbis totus non poterat, premit nunc breue ſepulchrum, & cui de menſis cura erat tam ſollers, ex ſe eſcam vermibus præbet. Cui denique etiam ad luxum vitæq; delitias conueſtita domus erat argento, auro, & ſerico: hunc nunc veſtiunt cementa, & calx. Quis tanto exitu non admoneatur ſuę infirmitatis? Quis tanto exemplo manendum non cenſeat in lege ſacerdotii? Nil nimis conandum: naturę vim non afferendā? Mediocria ſemper quærenda. Percurramus breui quę animos noſtros in hac dignitate fatigant. Videamus quanta in nimiis damna, in moderatis ſint commoda. Abundamus nunc otio, & digna ſunt quæ inter Sacerdotes: magis autem inter Eccleſiæ Principes ſermonibus ſcriptiſque agantur. Malis boniſque ſub intuitum vnum adductis leue erit inſpicere, vtra ad vitæ commendationem quietemque ſit eligenda. Conari ex noſtris quidam ſolent, vt plus cæteris apud Pontifices poſſint, & grandi ſacerdotiorum numero locupletentur. Demus quempiam vtraque hæc aſſecutum. Quæ illi primo loco eſt tantis ſtudii merces? Nempe acris

Inuidia, qua *Siculi non inuenere tyranni*
Maius tormentum.

Hæc cogit interiora exterioraque eius omnia non ſolum curioſe quæri, ſed ſermonibus agitari. Detegi etiam vitia, ſi qua latebant, ſi qua erat virtutis ſpecies, maledictis inualeſcentibus obſcurari. Inuidiæ mox ſuccedat odium, dum neceſſe eſt multos in magna poteſtate offendi, quoſdam beneficio præteriri, nemini ad priuatam cupiditatem, quod ſatis exiſtimet fieri. Quæritur eius deiectio, obitus concupitur. Opetum quæ non probentur in principe velut auctor, & fabricator eſt omnium. Publicis iudiciis omnium reus tenetur. In iis auerſis homini non imprudenti quæ poteſt eſſe.

SINE FINE EST & inemendata.

CELSVS VERONENSIS CANONICVS REGVL. AVGVSTInenſ. Cardinali Papienſ. S.

DXLIX.

EX litteris Benedicti Maffei nepotis mei cognoui id quod etiam ſine litteris intelligebam, & ſtudium erga me tuum, & iudiciū de me ſingulare. Doleo profecto neq; me parem pro tuis in me meritis gratiā referre poſſe, neq; ea in me eſſe, quæ opinioni tuæ iudicioq; reſpondeāt. Te enim ſemper laudis dignitatiſq; meæ cupidū noui. Itidē ago-

ago ego vbiq; locorum & gentium de tua excellenti virtute,& gloria,cuius rei habeo locupletiſſimos teſtes. Sed de his alias. Quid autem, mi Reuerendiſſime domine, in hac tam miſera,& fallaci vita admodum cupere debeamus, non ſatis intelligo. Quid vero timendum ſit, plane cognoſco. Quotidie noua oboriuntur exempla, quibus inſtruimur, nihil eſſe hac vita miſerius. Nam cum nuper de obitu Cardinalis ſancti Xyſti,& multorum literis & nunciis accepiſſem, cœpi mecum agitare variam rerum humanarum ſortem, mirabilemq; ſimul, ac miſerabilem hominis cōditionem fuiſſe cognoui. Nam qui paulo ante in vita feliciſſimum omnium eſſe putabatur, in morte omnium miſerrimus apparuit, quando ea, quæ viuenti gloriam & ſplendorem attulerant, morienti pœnam ac cruciatum inferrent,& ea quæ ante dum poſſiderentur iucunda,& dulcia eſſe videbãtur: eadē dum relinquerētur triſtia, & amara eſſe putabãtur. Quid enim hoc biennio huic quod optaret aut viuēti defuit, aut moriēti profuit? Hei miſeram nimis hominis cōditionem, dum ea quæ in vita tãto labore parantur ad voluptatem, in morte tanto dolore relinquuntur ad pœnam. Et quæ prius lōgis erant quæſita vigiliis, vt eſſent oblectamento, breui tempore magno ſunt amiſſa tormēto. Nihil huic homini adiumenti dignitas, nihil ſplendor, nihil aurum, nihil argentum, nihil vaſa precioſa, nihil opes, nil nitor gemmarum, nil fauor auræ popularis, nil turba clientum, nil deniq; principatus tanto pręſidio ſtudioq; vallatus prorſus attulit ad ſalutem: ſed è contrario cum corpus ſæuis dolorib. cruciatum torqueretur: hæc omnia quoniam relinquenda erant, animum quoq; diris ac cruentis morſibus lacerabant. Vt mihi profecto fortunatiſſimi eſſe videantur, qui vel nullam cum rebus tam cito perituris ſortem acceperunt, vel acceptam virtute ipſa contemptam penitus abiecerũt. Sic enim fit vt animus noſter,& adhuc in corpore poſitus, nullis rerum præſentium delinitus illecebris rerum æternarum cogitatione paſcatur,& dum migrat à corpore nullis vinculis irretitus, aut ſordibus inquinatus, liber ac mundus euolet in ſuperna,& nullo dolore relinquat quod miro ardore contempſit. At me quidem iam pridem totum in hanc cogitationem erectum cum varii rerum humanarum multiplicesq; caſus, tum viri, de quo dico, tã repentini, tãq; inſperati euentus, ſubitæq; procellæ confirmarunt. Quid enim? Floruit hic paucis diebus, pluſq; meã ſententia aſſecutus eſt, quàm vel vlli ſperare, aut ei fas eſſet optare, quandoquidem ex loco tã humili, tamq; abiecto, ad tam excellentis gloriæ culmen altitudinēq; potentiæ euectus eſt. & ecce mi Pater ac domine dum huic ad vota ſuccedunt omnia parum dico: imo dum vota ſucceſſu rerum ſuperantur, dum nihil optat, quod nō ſperet: dum nihil ſperat, quod non quærat: nihil quęrit, quod nō aſſequatur: dum ei cuncta arridēt, in ipſo primordio iuuentæ, in medio florentis glorię curſu, ſubita, atq; inſperata morte corripitur. ô fluxam rerum humanarum labilemq; naturã! ô fallacē vitæ ſpem! ô miſeram cōditionem! Quid eſt quod animos noſtros excitet, aut alliciat ad hanc rerum tranſeuntium,& tã cito labentis vitę gloriam appetendam? cum vel res nobis, vel nos reb. tã inopinato euentu, tamq; ſubito caſu ſubtrahimur? Igitur humaniſſime Princeps, ab his rebus quæ tã cito pereunt meus auocandus eſt animus, atq; illic ſpes mea cogitatioq; locãda eſt, vbi vita perpetua, vbi pax æterna, vbi immortalis beatitudo, vbi ſempiterna felicitas: vbi Deus noſter eſt præmium, ac vita, & merces noſtra magna nimis. Hæc tuę reuerendiſſimæ D. ſcripſi, non quod aut ad contemptum vitæ præſentis, aut ad ſpē futuræ eam accēdendam inflammandamq; putarem, cum vita tua perfecta quædam norma integritatis ſanctitatiſq; extitat: ſed vt magis hæc epiſtola eſſet monumentum mei in te præcipui amoris, ac ſingularis obſeruantiæ, intelligereſque tuam reuerendiſſimam D. mecum in ſtudiis, mecum in cogitationibus, mecum & domi, & publice cum ſuauiſſima memoria verſari: cui me vnice trado, atq; commendo. Ex Bononia XII. Calendas Februarias. M.CCCCLXXIV.

CAMPANVS CARDINALI PAPIENSI.

D L.

CAmpanus Papienſi ſuo ficus digitales quadratas centum. Inſania nulla maior, quàm cum quo ſępe feceris periculum, cum eo aſſidua iactura tua velle cōtendere. Quod vnquã in me cōiecisti telũ, vt ſtatim in te illud nō retorſerim? ex leui plaga, q̃ infers, altiſſimũ tibi ſubeundũ eſt vulnus, ſi cũ Cãpano decertes. Iã ingeniũ decalles

meum: leniendus ſum precibus, non minis exaſperandus. Sed ſtultus ego, qui tot victoriis elatus miles cum mirmilone contendam? Ad pacem redeo: daturus conditiones, non accepturus. Ita mecum agis? ita me ſalutas? an non ſatis tibi fuerat meum à me Senenſem auertiſſe? tu mihi tantum ornamentum rebus meis: tu tã præclaram, & immortalem gloriam eripuiſti? & tamen vngues medios ficuſq; inculcas? non contentus vna iniuria, eaq; detrimentoſa, & maxima iam, & taliter incuties fronti, niſi me defendam. Coturnicem imitaris: quo ſæpius victus hoc grandius ſonas: & cũ ſemper fugias, ſemper redis ad pugnam. Quare pacem do: ſi modo es, qui conditionem poſſis accipere. Primum caue ne me laceſſas amplius: deinde niſi in conuiuio, Campanũ ne nomines. poſtremo Senam, niſi me comite, adeas nunquam. Pientiam facile conceſſerim. Hos terminos ſi trãſgrediare, pax nulla, bellum integrum eſto: ſed noui animum tuum Confecta pax eſt: amici iam ſociiq; ſumus. vexilla repono: & cedo victor caſtris, victoſq; ſaluto. Salue, mi Papienſis, & me amplectere. Vt vales, vt res ſe habent tuæ? quantum Senæ ſanguinis fuſum hoc anno? Romam quàm pridem rediiſti? inuēta ne ſalua omnia? qua frõte collegæ tui, quo vultu te exceperunt? quibus te oculis ſummus Pontifex? quibus plauſis vicinia? vt omnia fuerint ſecundiſſima, tamē vix iucunda, ſi Campanum non video, qui tibi non dentes modò, ſed & ilia quatiat videre vt poſſis. Aliis tibi oculis vigilandum eſt, quàm olim vigilaſti. Alia voce inſtandum eſt. cum nauigante Vlyſſe res eſt nobis: ſed cera vbi molliri non poteſt, igni opus eſt, id eſt, impetu, ardoreq; verborum. Ego quid hic agam, ex Mancino intelliges. Poſt diſceſſum meum nunc primam manum admoui literis: adeo ocium nullum, occupationes multæ ſunt porro. Libelli mei Romæ ſunt omnes. Ego hic corpore, & animo iſthic viuo, & tecum ſæpe aut loquor, aut in hortu deambulo, aut auri proximus obequito. Vale.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI Papienſi.

DLI.

INſtat monachus apud me plurimum. Exiſtimat cauſam totam tua in manu poſitam vna mea epiſtola poſſe finiri. Tanti & te iſthic eſſe, & me tecum poſſe arbitratur. nec iam cardinalium ſuppetias agit: ipſe ſua fronte, ſuo ore molitur audaciam, & quo perrupit ſemel quotidie penetrat, vrget, ſtimulat, enecat. Quiſquis & monachus, idem & Diabolus eſt. Omnia temptat, vbiq; pungit, vbiq; inſidiatur: deniq; vbi mederi nequit, incacat: & cum malus deſierit eſſe, fit peſſimus. Ait rem ſibi nuperrime adiudicatam, non ſatis habet viciſſe iudicio, niſi me teq; vna exerceat. Tibi hoc leuius, quod non æque obtunderis. Ego quoties euntem ad me hominem video, vtramq; aurem ad tædium faſtidiumq; comparo. Frontoſo poſtulatore nihil impudentius. quod ſi ſit monachus, contaminatius nihil. Pro veſte picem induit, non cucullum. ille met ſeſe implicat, conglutinat, inſertatur, nec vnquam abit, nunquam dimittit niſi cum littura. Iam ſi me liberare hac moleſtia cupis, aut offam illi in buccam conitce, aut quantus eſt totum omnem læuum dextrumq; præcipita. Satius tamen arbitror futurum, ſi offa confeceris: nã etiam præceps datus Diabolus circumuolat, & ſtridet. aut igitur reſcribe, nauaturum operam, aut deſperationem etiam, & metum incute. Mihi etſi gratius fuerit, ſi quid narraueris, tamen vtcunq; res erit, caue redeat ad me amplius, abige vel cruce Diabolum, ſi nequeas opera.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI Papienſi.

DLII.

FIxus iam clauus eſt. Peruenit claſſis ad portum. In tuto res eſt Senenſis, in pacato Etruria eſt. Cum homo tantus fixiſti anchoram, ad temonemq; deſediſti: ô Rẽp. Sed taceo. Scio enim quid dicas: fretum me præceptis meis inſtitutum ad deſignandos magiſtratus acceſſiſſe: habere domi libellum præceptorem: et rare me duce nõ poſſe: neminem alium potuiſſe id efficere præclarius, quam qui non ſuo iudicio, ſed auctorum teſtimonio, & veluti lege quadam adductus ſit ad Reinp. capeſſendam. Accipio excuſa-

excuſationem tuam. ſed eo pacto,ſi tam bene geſſeris magiſtratum, quàm deſignaſti. Præcipere aliis quid factuti ſint per leue eſt,efficere ipſum quemadmodum alii præceperis perdifficile. De pluuiis nihil que tor: vrbe latericia, viis accliuibus, & ſtratis cœnum non hæret. Reſarei errorem: præteritam tarditatem magna redimi celeritate oportet,ne tardiſſimus videare. De B.nihil: de te multa ſcipſiſti. An ignoras nil mihi eſſe iucundum,quod non lætum,aut nihil lætum, quod non amicum,nec amicũ niſi quod elegans: nec elegans niſi quod ſupremum. Reſarci & iſtũ quoq; errorẽ. Vale.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI PAPIENSI.

DLIII.

COmmendaueram tibi ſuperioribus diebus Saluiatum meum. Cupio intelligat Campanum aliquid ſibi apud Papienſem profuiſſe, & dignus eſt quem complectaris,cum quoniam mihi eſt deditiſſimus,tum quod officio,diligentia,induſtria, cedit nemini. Vtor illius opera in negotiis meis omnibus,& quod eſt hoc tempore in amicitia ſummum,vtor & rebus. Debeo illi quantum poſt te in curia nemini. Iuuit me pecuniis ſæpe. Abſentis cauſſam ſponte ſuſcepit, nec labores mea cauſa quamuis grauiſſimos defugit vnquam. Iam quid à te expectem vides. Non poſſum ipſe illius erga me officiis, & plurimis, & maximis ſatisfacere. Hæ tuæ ſunt partes,cuius maxime intereſt,quam multi mihi afficiantur. Gratum eſt,cum quid agis in rem meam, multo gratius cum amicos meos tanquam ad te pertineant tueris,quorum vnus præcipuus eſt Saluiatus: nec eſt in quem magis rationem haberi velim beneuolentiæ noſtræ. Quicquid illi hodie per te acceſſerit,mihi acceſſerit. Vale.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI
Papienſi.

DLIV.

AQuam mellitam tuam,quam priſco nomine loratam puto, non guſtaui modo, ſed hauſi. Sapit mirificè: ſed quid non ſapiat,& condita melle,& mihi à te miſſa? quibus nihil poteſt eſſe dulcius: nam mel dulcedinem omnem: tu mel ipſum ſuperas. Velim modum pondusque mellis ad me ſcribas. Quatqualius poterit ad me mitti edoctus in lora, quem & interpretem ſi adhibeas nodo, fortaſſe diſſoluet. Vale.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI
Papienſi.

DLV.

ÆGrotaui hos x.dies totos. Tribianum tuum valde me recreauit, & hercule non minus moleſtum viſum eſt non adiiſſe te,& perdidiſſe tua prandia,quàm ægrotaſſe. Trebianum fecit vt tecum eſſe in menſa,proximeq; accumbere viderer. Adiacturam accedit etiam dies hodiernus: continent me domi frigora. Verum pro prandio tam debito,tam legitimo,tam præſcripto operam poſco: nec poſco mihi, quanquam mihi poſco quicquid ſuppeto amicis. Thomas Germanus S. Suſanæ ex te totus,ex me non nihilum pendet. Dantur ei verba,carpitur,roditur,cõſumitur. Perit ſi redeundum ſibi fuerit ſine præfectura. Diuinæ in te virtutes mille ſunt: verum nulla præclarior, & ſanctior, quàm quod mortuos amicos pari proſequeris ſtudio, quàm ſoles viuentes: Nec vnquam apud te qui ſemel tui fuerunt moriuntur: nam tua facit benignitas,vt totiens ad te recurratur,quotiens eis opus præſidio fuerit: cũ tam multa ſoleas præſtare,quàm poſſis,& operam tuam non ex tuis laboribus, ſed ex amicorum commodis metiare, proinde velim inſtes apud Rothomagenſem Vicentinumq;,& inſtes vultu quo ſoles cum vis impetrare. Ne diſcede ab ingenio tuo,ne deſere paruis in rebus,quos in maximis confouiſti. Vna opera, & vetera officia, & dignitatem illius familiæ,& memoriam amici iam mortui confirmabis. Scio quanti eſt Papienſi bucca cum ſtringitur. Vno flatu vel ſaxa conuellit. Vale.

Digitized by Google

BERNARDO ILCINENSI.

DLVI.

DEliberata ſorore gratias tibi plurimas habeo. Diligentiam in reddenda illi ſalute mater cœnobii, & conſorores teſtantur. Maior eſſe non potuit: æquauit vt video artem celeritas, & amorem in me tuum curatio. debeo tibi permultum, officia officiis quotidie addenti. Sorore hac nil apud me charius. ſola ex tanta patris ſobole ſupereſt: eo mihi miſeranda magis, quod meę olim inopiæ particeps, fortunæ ſuperuenientis propter ſortem religionis fieri coacta eſt expers. Fidei tuæ illam commendo. Nos hic Dacarum Regem honoribus ſummis accepimus. Turba omnis curialis egreſſa eſt obuiam. Patres ad portam congreſſi medium illum per vrbem ad baſilicam Petri: inde ad Pontificem perduxere, iuri dicundo tunc publice præſidentem. Religio ſumma in ſummo Rege enituit. Procubuit in genua ante illius pedes, nec ante ſe eleuari eſt paſſus, quam ſermonibus ſuis eſſet reſponſum. Redeunti in cubiculum Xyſto, exeuntique ad diuina horum dierum, gremia eius ſemper portauit. Lauanti manus peluim ſuſtinuit. Inter duos primos Cardinales ſeſſum receptus non prius ſedere, non prius tegi voluit, quàm vtrunque ab vtroq; factum eſſet. Me hodie alterum ex duobus illi aſſidentem rogari per interpretem fecit, vt pateremur poſt omnes cardinales ad oſculum Crucis cũ aſcendere. Eſt enim hęc dies Paraſceue. Cum rogarem, cur ita depoſceret? *Vt habeatur*, inquit, *iuſtus honos ſummo Senatui.* Plura huiuſmodi hoc ſolo triduo ſunt ab eo præſtita Apoſtolicæ Sedi: in quibus trium magnorum regnorum Rex à Septentrionibus veniens, nobis Italis quo animo eſſe in ſummum Sacerdotium debeamus exemplo ſuo edocuit. Reuerſus à matutino, & tenebris hæc tibi dictaui. Bene vale, mi Ilcinenſis chariſſime. Romæ IV. Aprilis. M.CCCCLXXIV.

REGI PORTVGALENSI.

DLVII.

SI in creatione Cardinalium obtemperatum veſtræ maieſtati non eſt de Reuerendo patre Vlisbonenſe, non voluntas noſtra fuit in cauſa, ſed metus ne erraremus. Si etiam dilata diutius res, quam eadem cuperet, temporum neceſſitas obſtitit. Vtrunq; ego teſtor maieſtati veſtræ deuotus, & Portugaleoſi generi deditus. Orator veſter omnia non vidit modo, ſed manu tetigit, qui in edendis explendiſque mandatis aſſidua vſus eſt diligentia, & fide. Redit in patriam nunc, etſi cardinalatu vacuus, tamen Cardinalatus ſpe plenus. Sine cauſa non ſcribo. Voluntas Pontificis optima eſt. Patrum mentes in gloriam veſtri Regni inclinatæ. non longi temporis expectatio æquo animo eſt toleranda. Sine grauibus incommodis Romanæ Sedis anticipari non poteſt: ego ex iis vnus ſum, qui, vt ante inclinante maieſtate veſtra in Colimbrienſem Epiſcopum, inclinabar in eum, ſic nunc in Vlisbonenſem commendatione veſtra inclinor, atque illi totis ſtudiis faueo. Non deero amplitudini ſuæ. Vrgebo omnem opportunitatem oblatam, & quod ſcribo literis, conatib. meis implebo. A maieſtate veſtra ego homo Italus, nil præter beneuolentiam quęro. Vt amo ita amari cupio. Mores maieſtatis veſtræ, & literæ, & fortia inprimis pro Chriſti nomine facta me illi toto animo deuinxerunt. Opto ab illa cognoſci, & in ſuis haberi. Non erit Papienſi alia mercede, quàm charitatis amicus. Dominus Deus iuxta verbum Prophetæ à dextris illi ſemper ſit, ne vnquam commoueatur. Romæ XXVIII. Maii. M.CCCCLXXIV.

IACOBO VOLATERRANO SECRETARIO MEO.

DLVIII.

ACcepto nuncio, vt ſcis, deſperatæ ſalutis maternæ, quantum viæ ab Aquis piſanis in vrbem fuit, plenum me ſollicitudinis ſuſpenſioniſque habuit. Sollicitudinem afferebat caſus, qui mœſtior eſſe non poterat: ſuſpenſionem meorum negligentia, qui ab initio certum mittentes, inde non niſi tabellariis mercatorum crediderant literas, quæ in itinere præteruectę poſt multos dies remiſſæ ſunt Romam.

Veni

Veni igitur anxius, nullis intercurrendum votis, nullis orationibus, nullis piis operibus parcens. Commendaui Deo animam matris. Rogaui vt annum adhuc hunc imminentis remiſſionis mihi eam permitteret, poſt quem ſiccis oculis vocationem vltimam eſſem laturus. Fateor Imbecillitatem animi mei ad cætera fortis, ad hanc vnam rem minus infirmi. Lachrymæ in omnem eius recordationem fluebant. Parcere gemitibus non poteram, vel ex inuito erumpentibus. Nummis erant ſemper plenæ manus, quos diuiderem obuiis Chriſti pauperibus. Cupiebam ad quantulacunque interualla illos obuios fieri, & dolebam cum non apparebant, quaſi qui miſericordiam Dei non apparentes eriperent. Petebam ex viatoribus, ſi quos forte noſſem, nunquid de matre accepiſſent: Nullos qui certi aliquid nunciarent offendi. Vnum modo quinto à Viterbio milliari obuium habui, qui ſe de domeſticis meis referret audiſſe, non nihil illi melius factum. Ea ſpe cum die illo, & ſequenti iter continuaſſem, non longe ab vrbe, ad ſextum ferme lapidem in publicum Tabellarium Senenſium incidi, qui mihi eadem requirenti deiecto vultu reſpondit: *Adhuc mater viuit. Retinet quoad poteſt ſpiritum, vt viuam inuenias. Puto etiam die hac ſpirantem videbis, ſed celera.* qua ſignificatione perculſus, cum ad deſiderium celerare non poſſem, quippe fatigatus æſtu: deſtitutus mula, & incommodo equo iactatus, iubeo præcurrere Iulium, qui morienti adeſſe me nuntiet, rogetque filium præſtoletur, cui ante obitum benedicat, inque eius complexu exſpiret. Cogita quo animo id reliquum viæ accidit. Mortuo quam viuo eram ſimilior. Conſequor Iulium feſtinatione qua poſſum. Vrbem vero ingreſſus ad nonam Turrim vt veni, redit ille, vt erat ante præmonitus, & fronte quidem non triſti. *Quid*, inquam, *Iuli? quo loco res matris? Non eo*, inquit, *diſcrimine, quo mendax Tabellarius retulit. Lætata eſt nuncio mater, agnoſcit & loquitur, cibatur & retinet: Vt propemodum plus ſpei, quam deſperationis concipiendum exiſtimem.* Recreatus dicto præteritis ædibus noſtris recta domum eius contendo. Quæ me inſpecto: *O fili*, inquit, *magna eſt pietas tua. Vocet qua hora velit Altiſsimus: non grauabit me mors. Erit enim qui derelictam ſoletur, & defunctam quoque ſepeliat.* Hæc dicta matris quam ægre ſuſtinuerim ne fletibus effuſis exciperem, ſileo. Conatum certe omnem adhibui, vt mœſtam animam tegerent oculi, & vultus ex bona ſpe lætitiam indicaret. Ea quæ ſecuta eſt nox multo illi quàm anteriores quietior fuit. Medici, qui primum aduenienti de maternis rebus actum nunciarant, ad patiendumq; erant hortati, mane reuerſi temptata ſtatim vena, *Non*, inquiunt, *noſtra ope tanta noctis huius eſt facta conuerſio. Tua Cardinalis eſt medicina, tuo reditu viuet mater, ſi viuet. Conſtantior multo quam ante vena eſt, atque æqualior.* Ex illa die ægre ſemper aſſedi, & alimenta meis manibus miniſtraui. Sed interea variante aliquando morbo coacti ſumus in metum ſæpe adduci. Creuit nonnunquam febris, nonnunquam eſt diminuta. Eo tandem in hanc horam, qua ſcribo, deducta res eſt, vt deſperandum non videatur. Timebamus coniunctionem Lunæ, & Saturni ſenibus inimicam, quæ ad diem decimum tertium fuit. Timebamus & Lunæ anguſtias, quæ in ſequentem acciderant. Dies infeſtos duos ſuſtineri poſſe ab affecta ætate, ac valetudine non facile iudicabant. Tranſierunt illi beneficio Dei, nec noui incommodi aliquid intulere. Acceſſiunculæ nonnihil potius eſt factum interea. Sed vt in vado ſalutis dicere ſtatutam non poſſum: ſic nec in profundo aquæ periclitari illam contendo. Ætas, vt dixi, & menſis Iulius etiam valentibus grauis. Debilitatę quoq; morbo vires timendum oſtendunt. Sermo viuax, corporis motus, excreationes multæ, ac validæ, & inprimis alimentorum retentio deſperandum non ſuadent. In manu Domini vita eius, & mors. Ingreſſus noſtri, & exitus ipſe eſt arbiter. Sui iudicii ſit dare matrem, atq; adimere. A me illi æternę habendæ ſunt gratię, quòd audiuit vocem fletus mei, deditque quod à ſalute eſt proximum, vt viuentem aſpicerem, & viuentem alloquerer, & pia quoque matris concupitam benedictionem acciperem. Si abibit, hæc illi ſuprema à bono filio ſint perſoluta officia. Sin permanebit, etiam ſanctæ matri cedat hęc merces, quod quam dedit, à grato filio vitam accepit. Vos iſthinc ne abite. Curate diligenter domeſtica, tuq; inprimis Iacobe, cuius fidei credo, rege prudentia tua domino abſente familiã. Breui, quocunque res cadant, reuertar ad vos. Has literas Soanenſi noſtro communica & Guidãro-

Google

nio,& Ilcinenſi,& Blaxio. Suas quoq; ſorori chariſſimæ, neptiq; illico redde. Seorſum vnicuiq; ſcribere Secretariorum inopia prohibet. Et ante non ſcripſi, quod quid ſcribendum eſſet certum mihi non erat. Ameridie in noctem ſine febre eſt mater. Surrexit è lecto,& quanquam adiuta, in anteriorem aulam venit. Dies craſtina ſi hodiernæ conſentiat, contra ego victuram illam etiam medicis inuitis pronuncio. Nullum harum literarum apud me manſit exemplum. Serua eas in reditum meum, vt in commentarium referantur mearum ineptiarum. Vale. Romæ die XVI. Iulii. M.CCCCLXXIV.

A. EPISCOPO SOANENSI.

DLIX.

VBiq; me pium filium prædica. Salus matris prælata eſt incommodis omnibus. Non me oblectamenta balnei, non valetudinis ratio, non longitudo viæ, non anni tempus perterruit, quo minus illi ſuprema officia perſoluerem. *Vicit iter durum pietas*,& animo tolerante labor corporis ſine ſenſu prætcritus eſt. Reſtituta illa iam eſt, ac pene ex ſepulchro extracta. Exaudiuit Dominus deprecationem meam. Dominus orationem ſuſcepit. Sit nomen eius benedictum in ſecula. Ego hinc perendie abibo,& reuertar ad vos, non tam triſtis aduentu, quàm reditu lætus. Si Cardinalis meus ſanctæ Mariæ Senis eſt, venerare illum nomine meo,& ſuum eſſe vſu & poſſeſſione confirma. De cæteris, quæ ad me ſcribis, coram erit commodius quàm nunc per literas agere. Vale. Romæ XIX. Iulii. M.CCCCLXXIV.

C A M P A N O.

D L X.

PRæpoſitum Camplenſem, cui de rebus tuis mandata ad me dediſti, audiui quotiens, quantumq; voluit. Sed quantum optauit, adiuuare non potui. Quod proximum fuit, eundem inſtruxi conſiliis,& nunc redeuntem admonui omnium, quæ in minus ſecundis his cœptis tenenda tibi exiſtimem. Si non placent iudicia, placeat fides, qua circumſpecta ſunt omnia, & id prehenſum quod in malis eſſe minus noxium duxit. Non ſcribo planius, quod hodierno Senatu, & poſt ſenatum auditione aſſidua fatigatus, ægre ſecunda noctis hora hæc ſcribo,& diligente Præpoſiti fide, hominis tum attenti, & tui amantis, tum vero minime elinguis. Alias plura otioſus. Nunc vale.

ANTONIO LAVRO VENETO.

D L X I.

GRatiſſimum officium perſoluiſti exempla literarum mittere, quæ ex claſſe acceperas in præſidium Scutari miſſa. Hoc quæſo ſedulo facias,& conquiſita omnia, quę vndecunq; nunciantur, cures illico ad Papienſem tuum deferri. Etſi enim anguſtiæ Chriſtianorum vulnera cordis mei ſunt, nec ſine gemitibus poſſim tale aliquid legere: non eſt tamen inutile illa a me noſci. prudenter ſcribis Antoni. Dum Conſtantinopolim ſinimus expugnati, dum Boſnam,& Setniam opprimi, dum Calcidem in poteſtatem ſæui hoſtis venire, dum non credimus longinquas clades ad nos peruenturas eſſe, iam ad primam Germaniam,& Italiam populationes, incendia, & terror, Scutarum circumſeſſum nunc, atq; oppugnatum: ſi in eandem itur fortunam, nil iam impedimenti hoſti ſupereſt, quin libere terra & mari vagetur. Sentiet mox communem Italię negligentiam ora tota maritima Neapolitani regni, & Agri Piceni, & vrbes Lombardiæ populoſæ, ac diuites. Arcę plenæ,& clauſæ in culpa malorum futurum ſunt. Dicam verius: Zelotypiæ non neceſſariæ ab omni nos bono opere detinent. Dum ab aliquo ſemper eſt metus, dum remetimur præterita, dum formidamus ventura, cogimur in negligendis publicis ſalutem priuatorum reponere. Nemo prius ſuum periculum noſcet, quàm Annibal erit ad portas. Ergo quid ſperem neſcio: quid cupiam ſcio. Quod precer Deum hoc, mi Antoni, eſt, vt illuminet ſenſus,& corda noſtra, ne tam propinquo hoſte, & in tam certo exitio tam diu iaceamus in tenebris. Vale. Romæ XX. Iulii. M CCCCLXXIIII.

STEPHA-

STEPHANO EPISCOPO LVCENSI.

DLX.

Materna pietas è balneis Romam me rapuit. Agentem in diſcrimine videre ante exceſſum optaui, vt ſi qua ex præſente filio ſalus reliqua erat, ea miſeræ non deeſſet. Veni igitur continuato diem nocte mq; itinere, ſolis ſex famulis comitatus. Reperi iam derelictam: ſed mox agnito filio viſa eſt reſpirare, atque ita ſexto iam reditus mei die, etſi incertis vitæ indiciis, mortis tamen non certis decumbit, ætate & anni tempore multum grauata. Neſcio quem exitum ſtatuerit Deus. Quemcunque dederit, ferri æquo animo oportebit. Optat Chriſtophorum videre: idque per domeſticos indicat, non ignara me illi propter impuram vitam iratum. Vt ergo vel defuturæ, vel ſuperfuturę hoc quoque ſolamen non deſit, oro dignationem tuam, vt paratis illi equis duobus comite vno tantum, qui cum tuis vel alienis equis redeat Lucam, iubeas ad viam celerare. Hic tibi erit de inſano & perdito adoleſcente vltimus labor: pro quo ac cęteris perpeſſis ſum tuæ beneuolentię perpetuo debiturus. Vale. Romæ XXIV. Iulij M.CCCCLXXIV.

IACOBO VOLATERANO SECRETARIO MEO.

DLXI.

Quatriduo iam ſine febre eſt mater. Medici ſalutem promittunt. nos illam oculis intuemur. Dei hoc beneficium eſt, qui ſuaſit filio reditum. Redeundi mora, celeritas illi erat ad mortem. Bene igitur poſitum eſt viæ æſtuſque incommodum. Diſcrimine diſcrimen eſt ſuperatum, & pia mater pio filio reddita. Vrget nunc illa vt ad vos celerem, mihi meiſque in his æſtibus timens. Monitis obſequar nulli noſtrum ingratis. Tu mihi ob ſeruatam matrem cœnam aduentitiam para, & Vale. Romę.

FORTEGVERRÆ.

DLXII.

Tuus languor rationem omnem perturbat meę pfectionis. Sine te proficiſci nõ ſtatuo. Neque enim mihi & meis eſſet aliquid dulce. Itaque vale primum: Inde de reliquis ſtatuemus. Si eundum erit, ad neminem præterquam ad patrem meum diuertere propoſitum eſt. Ea domus & publica eſt, & amantiſſima mei. Et accepit olim inſtitutorem meum Firmanum, cuius veſtigia ibi impreſſa cũpio contemplari. Accedit & nepos, cui eſſem dedecori apud ciues Lucenſes, niſi idem tectum me caperet. Itaque bono animo eſto: Epiſcopo ipſo nil apud me charius: nil æſtimabilius tanta virtute. Vtinam factis id pręſtare poſſem, quod verbis hic calamus præſtat. Iterum Vale.

FALCONI SYNOBALDO.

DLXIII.

Quid ad te ſcribam non habeo: ſcribere tamen aliquid cupio. Has igitur accipe magis vt reſponſum quærãt, quàm vt noui aliquid afferant. Quieui biduo Senis. Cras propero ad aquas Piſanas. Ero ibi integrum menſem. Pro conſuetudine tua operam da, vt nihil vrbanum me lateat. Vicecancellario imprimis Papienſem commenda. Commenda & Mantuano, cuius in eum humanitas ſupra merita eſt. Balnea quæ peto, prope Lucam ſunt. Inde euocabo nepotem, vt in famulatum Dignationis ſuæ primo tempore veniat. Dico iterum: Imple folium reſpondens, & ieiunis iam multos dies auribus cibum miniſtra. Ex Vicecancellario & Mantuano ſugere potes quæ ad me ſcripturus es noua. Senis XXVI. Iulij M.CCCCLXXIV.

Digitized by Google

IO. PE: ARRIVABENVS CARDINALI PAPIENSI.

DLXIV.

NOn licuit hactenus ob Chriſtophori tui ægrotatiunculam obſequium vllum, aut aliquod officii genus præſtare. Statim enim vt primum in vrbem applicuit, typo tertiano correptus, conſilio medicorum, & Falconis noſtri continuit ſe domi, vbi diligenter curatus iam tamen plene conualuit, ſicuti te domeſticorum litteris admonitum non ambigo. Illic partes ſuas geſſit Falco noſter, qui cum ſit in omnes iubente ita hominis ingenio, officioſiſſimus: tum imprimis Papienſem, & Papienſis omnia ardenti atq; indefeſſo ſtudio curat, & nedum quo modo mandata impleat, ſed qua via melius efficiat cogitat. Ego qui ſub eius genio deficio ſemper, & tãquã minor lucerna ſub maiori lumine pereo, non auſus ſum ponere falcem in meſſem alienam. Nondũ enim erat in noſtrũ re ipſa aſcitus. Proxima hebdomade introducetur, & qui Papienſis gratia meus ſemper fuit, noſter cõmuni ſeruitio fiet. Memor ſum, quid mandaueris. Legi quæ litteris tuis in memoriã reduxiſti, neq; omnino ignoro, quid ætatẽ illam, quid adoleſcentis indolem, quid eius ſtatum deceat. nec oblitus ſum, quæ illum in famulatu experiri velis. Puta Arriuabenum tuum, cuius obſeruantiam & amorem tibi ſatis perſuaſum eſſe certus ſum: nihil magis cogitaturum, quam vt ad probitatem, ac rerum vſum creſcat nepos tuus. Totus ſit in oculis, & mente Domini, & vt omnia vno verbo concludã, vt iuxta verbum tuum dirigatur. Eum hodie inuiſi domi. Placuit indoles, ſermo, geſtus. Viſus eſt præ ſe ferre mite ingenium, & ingenuos mores. De eo quid ageret, & an plene cõualuiſſet, ſæpius percunctatus eſt Mantuanus tuus: videtur cum beneuolenti animo excepturus. Nam, mihi crede, ſincerus & conſtans eſt animus eius in te. Hæc de nepote. Puto te nunc publica ex me expectare: ſed puteus altus eſt, neque cum quo hauriam habeo. Myſtica enim nunc ſunt cœli conſilia, vt non facile quo tendant dignoſci poſſit. Videntur ſupra omnẽ expectationem fortiora, ad expugnationem Typherni omnino procliuia. Et licet pro concordia multa propoſita ſint: non videntur tamen conditiones recipere. *Mulierem fortem quis inueniet?* Ecce iam habemus eccleſiã maſculo robore: bonis inquam auibus. Comes Vrbini in vexilliferum declaratus nudius tertius erat Neapoli abiturus. Si interim Tyfernates non conciderint, ibit ad eorum oppugnationẽ. Iturus erat Dominus Zanetinus: ſed nunc audio mutato conſilio non diſceſſurum. Qualia ſint Florentinorum, & Ducis conſilia tu in finitimis poſitus plene noſti, nec minus quo in ſtatu aut diſcrimine ſit obſidio. Dux ipſe exacto Auguſto de profectione ad vrbem videtur cogitare, & iam deſcribendis quos ſecum ducturus ſit vacat. Simulet ne an ex animo dicat incertum eſt. Curia qualem liquiſti eſt, & quotidie tanquam in magis trito facilius incedimus. Bene valet Mantuanus tuus. Vale & tu Domine, & mihi impera, ſi quid eſt quod tibi ad animum confici à me poteſt. Romæ vi. Auguſti M. CCCCLXXIV.

IO. PETRO ARRIVABENO.

DLXV.

VAleo. Aliud quod ſcribam non habeo. Ager ieiunus ieiunum quoque me facit. Valetudinem vero ereat liber curis animus, viciſſimq; lectio, & ſcriptio. Ligones quoque nonnunquam, quibus ita incumbo vt ſudem multũ, culturæ nil addam. Rident vicini glebas & ſaxa mouentem. Qui Romæ etiam dimidiato pane turgebam, hic tribus vix impleor. Vtinam mecum eſſes. Laborum & ſtudiorum communicatio lætiorem multo te redderent quam moræ Palatinę, æſtus, & puluceres, & addictæ vitæ tędia quotidiana. Vale. Ex Syndulano XI. Auguſti M. CCCCLXXIV.

FALCONI SYNOBALDO.

DLXVI.

BInis tuis ſub vnum fere tempus acceptis, his vnis meis, atque iiſdem breuibus reſpondebo. Grata ſunt quæ de noſtris, & nepotis valetudine nuncias. Melius audire nil poſſum. Ipſum iam nepotem datum Mantuano exiſtimo, & commendatum

quo

quo affectu tibi deditiſſimos ſoles. Hoc ages aſſidue: præſertim ſi bene agentem & te audientem cognoueris. Vnde ſit neſcio, ſed tacito augurio repromittere mihi videor adoleſcentis prope perditi ſanitatem, de Mantuana domo id ſperans quod de mea, quod de Guidantonii, & Epiſcopi Lucenſis non ſum aſſecutus. Id ipſum confirmet Altiſſimus. Vicecancellario noſtro gratias refer innumeras. Suſpenſione non mediocri me liberauit. Pendebam animo rememorans ea, quę de ſua Dignatione Romę audiui. In aurem vtranque quiete nunc dormio. Ipſum vero, & Rothomagenſem, & Vrſinum ſatis digne laudare non poſſum, quod in re Sabellica viros ſe præſtitere. Idem, mi Falco, ſi præſtarent in cęteris, meliori longe loco res eſſent Romanæ Eccleſię. Ex primis noſtri ordinis bona ſemper, & mala in cæteros manant. Scutarenſem lætitiam id ex tuis litteris perturbauit, quòd publice nondum nunciatam ſecundam noſtrorum pugnam oſtendunt. Si quid certius afferetur, cura vt ſciam. Magni ad res Chriſtianas refert, repulſos Turcos, & tantę expectationis diſſolutam obſidionem. Protonotarium Ariminenſem argui præſens, quod nimia anxietate valetudinem labefactaret: Verberarem nunc abſens, ſi poſſem, quod quantum ex te intelligo, ſui immemor ex alieno rurſum pendet arbitrio, rurſumque ægre reſurgentes vires quærit opprimere. Hęc omnia, quibus immergimur, propter vitam quærimus. vitam propter hæc perdere quę dementia eſt? Velle ſæpe homini aures, & incenſæ voluntatis calcaria hebeta freno increpationum tuarum. Quod quotidie & viſas, & videri matrem totis obſequiis imperes, pietati huic tuę æternum debebo. Vale. Perraptim Senis XIII. Auguſti M.CCCCLXXIV.

DOMINICO LVCENSI.

DLXVII.

ABſit, Dominice pater, vt pro iis quæ ad me Chriſtophoro ſcribis, ſuccenſeam tibi: ſcio fidelis animi hunc eſſe affectũ. Meus in te amor, & tua in me beneuolentia nil debent niſi beneuolum ſuadere. Ego ad correctionem mente ſum facili. Emendantibus nõ modo ſum ęquus, ſed gratias ago, refero quoq; cum poſſum, Prophetici verbi identidem memor: *Corripiat me iuſtus in miſericordia vberi. Oleum autem peccatoris nõ impinguet caput meum.* Sed paucis rationem noui propoſiti audi: referam ea, quæ cęteri neſcientes, ſuperfluo damnant conſilium. Litteras (vt ſæpe tecum ſum queſtus) odit Chriſtophorus. Libros cum pręceptoribus iamdudum abiecit. Monitores nõ patitur. Abiit flagitioſa adoleſcentia in præceps: nil præter male fortunatam in patre militiam ſpectans. Imperiis meis cohiberi erumpentia vitia non potuere. Miſi eum ad Guidantonium Picolomineum, neceſſarium meum, vt modeſtia, & grauitate hominis tepeſceret feruor. Ita auctoritatem eius contempſit, vt deſperari à ſe ſanitatem dementis adoleſcentis ſæpe ad me ſcripſerit. Litteras quia Romę ſunt, mittere ad te legendas nõ poſſum: ſed ad reditum meum habebis, & leges. Miſi ad Lucenſem Epiſcopum, putãs ſancti Præſulis veriturum præſentiam, & manſurum in officio diſciplinæ domeſticæ, quæ vt ſcis caſtior eſſe non poteſt. Quo ludibrio Patrem magnæ venerationis habuerit, inſpice tu ex exemplis litterarũ, quas ad Forteguerram quã ad me liberius ſcripſit. Æſtum contumacis animi ita efferri ſignificat, vt maiuſculis litteris quaſi non erranti iudicio vltimum eius conſilium notet. Non erat conſcientiæ meę, non inſtituti ſacerdotalis ad latrocinale ſtipendium mittere. Prætuli curiam caſtris, & domum Cardinalis Mantuani tentoriis Ducum. Tu cum Romę eram, ſuadebas, vt ſinerem illum abire, quo inſania raperet: Ego quod ad ſalutẽ vitamq; ciuilem fuit propinquius, hoc facto delegi: Eſſe videlicet illum volui, vbi eſſe diutius poſſet, & vnde diſcedere propter vitam ab ingenio diuerſam nõ cogeretur. Capitur equis, ſine cuſtodibus vult euagari. Abſque ludis & ſodalibus, & libertate eſſe non poteſt. Cum Rothomagenſi propter Gallicam familiam non diu fuiſſet: cum Vicecancellario propter Hiſpanam: Cum Reatino, Spoletano, & noſtro Rauennate, atque his ſimilibus propter diſciplinam conceptibus ſuis contrariam. Feci quod ſapientes Medici in deſperata valetudine ſolent: Conſumptis remediis permittunt naturæ quod ſupereſt, & cibos offerunt, qui ad animum veniant: nil minus putantes ſuæ artis eo tempore eſſe, quam ex arte morituro mederi. Ita ego præſtitis carni quę potui, permitto Deo nunc reliqua, &

Digitized by Google

non quę mei iudicii ſunt,ſed quæ neceſſitatis illi indulgeo. Sinamus igitur eũ eſſe vbi effuſo iuuentutis impetu, & datis ætati quę præſentis inſaniæ ſunt, aliquando poſſit ita ad ſanitatem redire,vt in maleſactis perſiſtere. Grandes morbi niſi periculoſis curationibus ſanari non ſolent. Familia Mantuana etſi feſtiuius viuat quam velles: tota tamen ex nobilibus eſt,nutrita apud parentes ingenue,apud Dominum Clementem liberaliter habita. Præſto ad officium conuenit, nec voluptatibus ab obſequio trahitur. A religione quoque non eſt aliena,ea inquam religione,non quam cœnobitę ſeruant,ſed quam in communi vita laudamus. Ipſe vero Dominus, quod negare nõ poſſumus,generoſi eſt cordis: Ingenii veri, pietatis in ſuos pręcipuæ, vt nihil illis patiatur deeſſe,& aberrare longius iuuentutem non ſinat,quàm vnde mox ad virtutem ſit reditus. Non ſtatuo illum ad litteras edocendas magiſtrum, non ad litigandum quotidie,ſi quando verbo vno aut cupiditate vna erratur, ſed certe inſanire domeſticorum quemquam non patitur: vt in leuibus ſemper indulgens,ita in grauibus nunquã exorabilis vindex. Quare de nouo tyrocinio male nõ ſentiamus, nec Papienſem damnemus,neceſſitati,non ſibi parentem. Credamus,vt dixi,Deo,quę ipſi ſanare non poſſumus. Pater tantæ auctoritatis Marchio natus, in Eccleſia Cardinalis factus, magnorũ Regum,& Principum Romę patronus,conſanguinitate quicquid vbique illuſtre habetur contingens, vel ſolis nominibus, his præſtare ad reuerendum adoleſcenti poterit, quod nec humilior ego potui,nec Guidantonius, nec Epiſcopus Lucenſis potuit. Nam quod in admiratione & ſermonibus Patrum factum eſſe hoc refers,rideri quoque,& in alienum rapi ſenſum affirmas,habes,ſi velis,vnde excuſare id poſſis. Sed ego conſcientia mea contentus loquentibus & ridentibus illis ſilebo, ac reuerebor, nec minus vtar iudicio. Papatũ nullis artibus ambio,quòd tu mihi es teſtis. Vocem cuiuſquam nec petii vnquam,nec appetii, quod ipſi quoque poſſunt teſtari. Minus etiam deinceps petam,atque appetam. Erecto de ſtercore ſatis eſt benignitate Dei ad dignitatem & commodum vitę. Sed quod pignus coniurationis eſſe adoleſcentem dicant, hoc vno, Dominice, ſortem meam lamentor: vitæ videlicet & præteritarum actionũ ſui Papienſis immemores,tantũ ſceleris in eo excogitant, & quod in iuniore nunquã viderunt,in ſene nunc volunt. Gratias illis vtcunq; de me in hoc meritis habe,& age. Sed illuminet Deus eorum corda,& ſenſus. Vt autem mea ſola, non ſua etiam charitas hos ſtimulos afferat,ſcio quid cogitem,quid cogitari etiam ab illis poſſit. Noti mores noſtri,ſatis me admonent. Vale,& conſortem meam Sueuam ex me ſaluta. Senis XIII. Auguſti M.CCCCLXXIV.

IO. PETRVS ARRIVABENVS IAC. CARDINALI Papienſi.

DLXVIII.

HOdie Comiti tuo Vrbinati magni honores impenſi ſunt. Egredientis Pontificis caudam ſuſtinuit. Ad eius tribunalis pedes conſedit in capella maiore. In miſſa ante euangelium titulo ducatus ac veſte aurea talari pileoq; quali & Dux Borſius, ac torque aureo decoratus donatuſq; eſt,ac mox ſupra nouiſſimũ Cardinalem repoſitus fuit. Poſt miſſam Vexilla ſacris initiata,quorum alterum Eccleſiæ,alterum Pontificis gerebat inſigne, reuerſo Pontifice in cubiculũ ſuum, mox omnes Cardinales egreſſi ſunt cũ Duce Vrbinati. Erat ad ſcalas equus ſerico rubeo paſſim tectus, donatus à Põtifice: ſolemni pompa pręcedentibus vexillis: comitante Collegio, vt mos eſt, domum quæ ei ad ſanctos Apoſtolos parata erat, deductus eſt. Omnia lætitiæ,& iucunditatis plena, niſi ea præſagium quoddam perturbaſſet. Nam ad pontem Sancti Angeli ſiue impetu ventorum, ſiue ſatali quodam influxu, fractis haſtis vtriſque vexilla corruerunt. Opus fuit vt ex arce ex temporales quædam ſurrogarentur. Hæc poſt heſternas litteras meas. De Scutarenſi ciuitate male auditur. Nam fama eſt,aut iam à Turcis captam, aut paulo poſt capiendam eſſe. aiunt omnes iam ſub diuo pernoctare, quod nihil tectorum amplius ſuperſit. Conuulſa enim ſunt, vt lignis ad ſtruendos aggeres vterentur. Audio Regem ſuadere Vitellio, vt ſe bonitati Pontificis permittat, bonas ab eo conditiones accepturus. Id ſi ſe facturum receperit,legatum obſidionem ſoluturum. Ego eum id conſilii ſuſcepturum arbitror, non quod voluntas cuperet,ſed

ret, ſed quod neceſſitas coëgerit. neſcio quantum ſpei habeat in Florentinis, & Duce. Legatus omni ſtudio contendit, ne ab impugnatione deſiſtatur: nil enim ait ſe vereri, quin breui vrbem expugnet. Beue valeat Dignatio tua. Romæ XXI. Auguſti MCCCCLXXIV.

CARDINALI MANTVANO.

DLXIX.

DE Nepote nil amplius ſcribo. Eſt ille iam Mantuani mei, non meus. ita illi à me datus, vt vel perpetuo futurus ſit ſuus, vel me nunquam patruum habiturus. Amborum iacturam neceſſe eſt faciat quærens vnius facere. Ego primum gratias Deo ago, quod tecum eſt: Inde tibi, quod tantæ nobilitatis Pater ſeruulum humilem non ſis aſpernatus. Si minus ille prudenti, & fideli famulatu referet gratias, referam ego ſeruitute continua, vſque eo nunc per nouum beneficium tuus, vt nullius alterius eſſe iam poſſim. De honoribus Vrbinatis, & Tiſernatibus rebus, & colluctatione rerum veſtrarum periucundum fuit ex litteris tuis cognoſcere. Hoc habuerũt ſemper nunciata tuæ Dignationis, vt mentita ſint nunquam. Neque ego eodem iudicio aliorum, & Mantuani litteras ſermoneſque expendere ſoleo. Certius tu ſemper hauris ac nuncias. Quid autem de Ducatu, & vexillis attributis ſentiam, his litteris taceo. Seruo omnia ad reditum meum. De obſidione item Tiſerni quid cupiã, plane nunc loquar. Diſſolui eam videlicet opto: non conditionibus, quæ nullæ Tyranno incolumi eſſe honeſtæ Pontifici poſſunt. Sed domita ciuitate, in cuius exitu cæterę vrbes noſtrę vel parendi, vel imperandi nobis ſunt ſumpturæ exemplum. Non in Vitellium, ſed amor in Sedem hoc mihi deſiderium excitat. In contentionibus vero, ſi quę de Cardinalibus, vel diſtrabendo patrimonio Eccleſiæ futuræ in Senatu ſunt, gaudeo quod Sacerdotes vos memineritis: vnanimes quantum intelligo ad tuendam dignitatem ordinis noſtri, & ſeruandam hæreditatem Patrum noſtrorum. Augeat Dominus quod in vobis iam eſt operatus, tam quidem lætandum ac ſalutare, quam hactenus in patribus rarum. Ais, conditionem meam hoc tibi meliorem videri, quod abſens alieno ſudorę vineam, vel ſine nota ſuccumbam. Mecum, mi Pater, non ſentis: Immo ego deteriorẽ contendo, quod in ſpecioſo certamine vel expers veſtræ glorię dicar, vel quod non affuerim pugnans, in victa cauſa particeps ignominiæ reddar. Adeſſe protinus cuperem & operam ſanctæ Sedi nauare, qualem olim magnis meis detrimentis impenſam vidiſti. Sed iam certatum eſſe apud vos debet, vel ad incertam contentionem leui cõſilio me moueri non conuenit. Quod bene valeas, & in ſuburbanis hortis agas adhuc laudo, & lætor. Quod vero operoſum tibi ſit tuo chirographo reſpondere, id mihi etiam te tacente certiſſimum erat. Ad præbenda litterarum ſigilla melius, quam ad ſumendos calamos magnorum manus à teneris ſunt inſtitutæ. Non ſit tuę Dominationi ea res curæ. Noſtra enim an aliena manu perſerantur quæ volumus, ad beneuolentiæ officium quam minimum intereſt. Mihi quidem, quanquam ſeni, ex veteri diſciplina tam leue eſt ſcribere, quam tibi iuueni tuo Secretario ſcribenda iniungere. Vale, & me commendatum habe. Senis XXVI. Auguſti M.CCCCLXXIV.

FALCONI SYNÓBALDO.

DLXX.

COnditiones inter Pontificem, & Tifernates accepi, & legi, & diligenter notaui. neſcio ad eas accipiendas quinã animus erit Legato. Mihi vero plus verborum, quã rerum continere videntur, minuſq; honorificos noſtris tantis conatibus afferre. Aut inchoanda non erat de ſubditis noſtris obſidio, aut inchoata extremis etiã diſcriminibus non deſerenda. Hic vnus exitus in vtranque partem cæteris ciuitatibus eſt, legem daturus parendi nobis, vel imperandi. Hoc quanti ad res noſtras ſit, tu ipſe intelligis. Perſuaderi poterunt Pontifici multa: multi metus portendi. Hoc quod dico Sibyllæ eſt folium. Protonotario Ariminenſi non ſolum gratias habe, quod earum exemplum tibi dedit mittendum ad me: ſed verbis lætiſſimis gratulare, quod vltro dedente Pontifice cœnobium inſigne in patria accepit. Ad ſalutem animæ, & commodum vitæ vertat id Dominus: Mihi quidem, qui toto animo illum complector:

quantum ad ſortunam eius accedit, tantum adiungi ad res meas videtur. Dignus gratia eſt, & ſummis quibuſque honoribus, magnumque imprimis lucrum fecit Eccleſia ex ſacerdotali veſte illi attributa. Vita viuat, & noſter ſit ſemper. De Chriſtophoro gratum quod nuncias eſt. Idem ſentit noſter Arriuabenus. Iudic a veſtra vtinam poſt paulo non ſint his primis diuerſa. Igniculi ætatis, vt cito ſe offerunt, ita cito in fumos ſoluuntur. Ego tamen, vt ſcripſi, male non ſpero: Putans mutationem Domini, & domus ad mutandos ſenſus valere etiam poſſe. Pie, & ex mea imprimis ſententia feciſti, Brixienſi Epiſcopo in languore hoc ſuo charitatis, & beneuolentiæ noſtræ officium ſoluere. Plane diuinus es, & quod placiturum Papienſi eſt, ſtudio amantiſſimo ſemper anticipas. Gratius quicquam pręſtare mihi non poteras. Quotiens Dignationem tu ſuam viſurus es (videre autem quam ſæpiſſime opto) quod nunc feciſti, totiens precor vt facias. Magnæ virtutis Prælatus eſt, & decus in Eccleſia ſingulare, votis omnium vt nobiſcum ſit à Domino depoſcendum. Vale. Senis XXVI. Auguſti M.CCCCLXXIV.

IOANNI PETRO ARRIVABENO.

DLXXI.

MAgis officio tuo ſignificandi quæ acta ſunt Romæ, quam rebus ipſis ſum delectatus. Cur ita acciderit, à me pręſens intelliges, nec à me qua es animi bonitate diſſenties. Nunc epiſtolæ ne in alienum incidat, hic paucis ſit modus. De Scutarenſi fama pernimium triſtor. Biduo ante de ſoluta obſidione nunciatum hic erat Senatus Veneti litteris: nunc rurſum per te in mœſtitiam primam redimus. Reſpiciat fidelem populum Deus, & oppidum ſeruet, in cuius ſalute non tanta pateat in hanc prouinciã Ianua. Eo etiam refracto clauſtro, quid amplius non apertum ad lugendam ruinam? O miſeram Italiam, olim dominam orbis! cui tam impura, tam impia, & tanto, tamq; præſenti tumultu ſtrepens barbaries nec aures excitat, nec oculos aperit. Rapimur numine manifeſto ad extremum interitum, nobiſque haud dubie iratus eſt Deus, qui iis potiſſimum conſilium eripit, à quibus eſt propter peccata auerſus, vt videlicet videntes nõ videant, & audientes non audiant. Sed facilius lamentari, quam perſuadere hæc poſſumus. Quod vero ad Vitellium attinet, male illi ſit in hunc ſequentem que annum, ſi non Ferdinando Regi auſcultat. Suaſione illa ſalutari nil ad ſe ſeruandum, noſque moleſtia liberandos, vel breuius eſſe, vel certius poteſt. Sed hunc quoque vereor ne ad luendas præteritorum pœnas excæcauerit Deus. Vtraque pietati tuæ, quando conſiliis noſtris nequeunt, regenda linquamus. De adoleſcente Chriſtophoro, quod bene ſentire iam videaris, ſummæ mihi eſt voluptati: Vt ſequentibus initia hæc ſint conſentanea. Ego quoque neſcio quid in melius augurari incipio. Plęrunq; enim mutatio loci ad ſalutem fuit, non corporum tantum, ſed etiam mentium. Hoc ſi ex tuo, & meo deſiderio accidet, erit quod gratulemur illi, & lętemur noſtris conſiliis. Si minus, id in malis erit ſolamen, quod nullum ei charitatis, & neceſſitudinis officiũ non præſtitum ab ambobus videbimus. Quæ vero ad minuendum feruorem, & tenendam in diſciplina adoleſcentiam præſens monſtraui, abſens, & probo. Vale. Senis XXVI Auguſti M.CCCCLXXIV.

IO. PE. ARRIVABENVS CARDINALI PAPIENSI.

DLXXII.

ABiit hinc Vrbinas tuus decimo Calendas Septembris recta ad exercitum ſuum, quo, vt aiunt, hodie perueniet. Studioſus eſt concordiæ inter Pontificem & Vitellium: ſed niſi ſe miniſtro, auctore rege. nam quantũ video, Ducis gloriæ, & exiſtimationi infenſior factus eſt. Si è ſententia componi nõ poterit armis dirimetur. Pontifex in hanc ſententiam, quam ad continuandam expugnationem procliuior eſt ſua ſponte. Sed hunc affectũ tollit legati ſpiritus vehementior, quã par ſit. Nullas conditiones, niſi vt ciuitas, & omnia ſuo arbitrio permittantur, videtur admiſſurus. Sed in tanta noſtrorum pertinacia, niſi externis armis adiutus fuerit, Vitellius concidat neceſſe eſt. Aiunt tamen, Florentinos quotidie nouos milites ſcribere, & copias augere, iamq; ad duo milia equitũ coegiſſe, vt Vitellio laboranti ſubueniãt. an vt ad ſuſpicio-

nem,

nem,& metum rerum ſuarum præſidia ſibi comparent,id faciant,incertum eſt. Ioannes Pontificis ex fratre nepos,comitatus eſt ſocerum in caſtra. Illic celebrabuntur ſponſalia. Cardinalis ad paucos dies relicta prouincia Vexillifero in vrbem redibit, regiorum deſideriorum fautor,& protector tum curabit,vt Senogallicum negotium è ſententia abſoluatur. Iam huc miſſus eſt Secretarius Amalphitanenſis Ducis, huic rei cõſenſurus. Nam vt hoc faceret quædam Caſtella ſuo comitatui finitima accepit à Rege. Video Patrum voluntatem auerſam:ſed,quod pace tua dixerim, ſolitæ incõſtantię memor non ſatis cõfido. Parua ſpe aut metu mutari facile poterunt. Iam callẽt hi,quo pugnandi aſtu ſuperentur. Suſurrari audio neſcio quid de nouis Cardinalibus:ſerio ne,an vt hoc monſtro fratres tui ad cõſentiendum alienationi inducantur, tu cogitato. Poſtremo Senatu ingreſſus curiam Pontifex inde exorſus eſt: *Ocioſi ſumus. quando ergo alia negotia nos non premunt bonum eſt, vt aliquid de creandis Cardinalib. nugemur inter nos.* ſubiecit Vrſinus: *Contenta ſit Sanctitas veſtra. ſatis enim apud efflagitantes purgare ſe poterit, quod verbum fecit.* Tum vt audio ſilentium de ea re fuit. Poſt nouiſſimas meas, quas cuidam familiari noſtro ad te dedi, literis Venetorum nunciatum eſt, ſolutã eſſe obſidionem Scutarenſem: Turcos omnes deſperatione victoriæ prouincia ceſſiſſe, quod vniuerſo Chriſtiano nomini gratiſſimum eſſe debet. Falſum fuit quod ſcripſerã de loco Ducis Vrbinatis. Erraui autem ſub alieno iudicio. Poſt tradita inſignia acceperunt eum medium duo Diaconi, deduxeruntq; ad ſuggeſtum Diaconorum: vbi cũ paulum ſtetiſſent, illi mox ad cathedram Pontificis rediere. Ipſe vero ad ſuggeſtum presbyterorum deductus poſtremus in eo conſedit, manſeruntq; Diaconorum ſubſellia vacua. Hæc ſunt minoris oraculi dicta. Tu ſi maiora vis, cõſule Delphos,& Ammonenſem. Chriſtophorus tuus valet. commendo me dignationi tuæ. Romæ XXVII. Auguſti. M.CCCCLXXIV.

IACOBVS MINVTOLVS IACOBO CARDINALI Papienſi.

DLXXIII.

ARmorum ſtrepitus, clangor, tumultus abeuntis nunc exercitus non ſinunt ſcribere multa. Et nunc temporis anguſtia prohibet, quod antehac vetuit honeſtas, & inſtitutum Papienſe, vt ſecretarii ſuo vtentes nomine taceant, quod feci hactenus. Veniente tamen hoc nuntio, vt ex eo cognoui, Papienſi numini dicato, non potui vlterius ſilere. Res Caſtellana ita eſt cœpta,& abſoluta. Pridie quã agrum Caſtellanũ attingeret exercitus, miſſus ſum ad tentandum Caſtellanorum animos, ſi per deditionẽ, aut honeſtam pacem fieri poſſet, vt hanc ruinam euitaret hic miſer populus. Conditiones pacis proponebantur plurimæ,& nõ ſpernendę. Surda tamẽ aure pertranſierunt omnia. Venit exercitus: obſedimus vrbem: fruges deſectæ. Oppidani vt verbis prædixerant, ita ſtrenue propugnabant. Multis incurſionibus factis illiſq; fortiſſime defendentibus ad Bombardas ventum eſt. Prima à Peruſinis aducta primo ictu in fruſta diſiecta eſt. Duæ Romanę partim Tyberi, partim terra aductæ metum inauditum incuſſerunt obſeſſis. Altera tandem poſt cœptum opus ad dies octo malignitate puluetis, tum humiditate defecit in cauda. Attulerunt duas alias ex Ceſena. Altera tandem eodem modo fracta eſt. Inter hęc actum tacite de conditionibus pacis, & res apud Regem, Ducem, ac Florentinos tractabatur. Superuenit Comes Vrbini Dux nouus,& iiſdem conditionibus rem compoſuit: quæ à nobis fuerant inuentæ. Sub eius fide Nicolaus Vitellius in caſtra perductus eſt cum maiore filio. Inde nos in vrbem excepti ſumus. Hodie pompa Legatorum introduximus duodecim Exititios ex primoribus, quos tamen eodem die reduximus. Nicolaus Vitellius cum nonnullis ciuibus Romam venit. Conditiones hæ fuerunt ſcriptæ: Ciuitatem liberæ diſpoſitioni Pontificis relinqui pleniori dominio, quam vnquam fuerit tempore alicuius Pontificis. Nicolaus Vitellius,& eius bona omniumq; ciuium,& perſonæ, ſecurus ſit. Ager omnis reſtitutus. Hæc hac die facta, qua Legatus abiit ſoluta obſidione cum Duce Vrbini ad fractam, loco prius deſignato ad arcem in vrbe erigendam. Romam redimus recta, relicto tamen domino Chriſtophoro de Forliuio viro ſtrenuo, & omnium diligentiam excedente, ea febre correpto, vt non putem viſurum eum quartam diem menſis. Quod ſine gemitu,& lachrymis referre nequeo. Ita mihi erat con-

iunctus, vt nemo in me maius iure amicitiæ imperium haberet. Ætas,& remedia plurimum poſſunt. Dubitant medici. Ego quoq; in re etiã ſecuriſſima timeo. Multa erãt ſcribenda, quæ & dolor,& milites expectantes non ſinunt: vt ex ſtylo & literarum forma cognoſcet tua excellentia, cui deditiſſimum Nucerinum commendo. ex caſtrorum loco apud Tyfernum Calendis Septembris inclinante Sole. M.CCCCLXXIV.

IOANNES PETRVS ARRIVABENVS IACOBO Cardinali Papienſi.

DLXXIV.

Vtinam multos Papienſes haberet Reſpublica Chriſtiana! Vtinam tecum alii ſentirent,& facerent! Auctoritas Sedis, Religionis veritas, dominandi potentia nobis conſtarent: Sentiret Turcus diſſipari conſilia ſua,& vires ſuas. Ad eius ferociam contundendam ſalutari exemplo Italiæ Principes excitarentur. Iuuaret omnes in officio manere,& veſtigia ſancta ſubſequi. Sed, vt inquis, lamentari hæc potius, quàm perſuadere poſſumus. Deditio Tyfernas magno gaudio à nobis excepta. Nam vbi ad veſperam nunciata eſt, ad molem Hadriani clangores tubarum exaudiri: ac omnia lætitię ſigna conſpici. Victo Spartaco aut Sertorio tales fuere populi acclamationes, talis vrbis facies. Rediit in ſententiam,& deſiderium tuum Vitellius,& meliorem mentem induit, quàm ſperabatur. Sibi & Eccleſiæ quieti cõſuluit. Ego tamen non crediderim, hanc eſſe victoriam dedititiam, quam puto conditiones priſtinas præceſſiſſe, vademq; interceſſiſſe Ducem Vrbinatem. Non torpet ingenium vafrum. Ignem & aquam ſcit ſine alterius iniuria commiſcere. Hi tamen deditionem nuncupant. Et quoniam Legatum,& Ducem cum Vitellio redituros aiunt, videor intueri Iudaicum triumphum, qui patri ac filio communis fuit. Exercitum Eccleſiæ aiunt in Spoletanum agrum peruenturum, vt quibus relegatio indicta erat, ſi parere noluerint, armis cogantur. Non enim in relegationis terminos, ſed quo cuiq; libitum erat ſeceſſerant. Reliqua exiſtimo quietura. Hęc de nobis. In Germania furor ille bellicus, qui Coloniam Agrippinam inuaſerat, ſurgit in dies. Pulſo Antiſtite ex vrbe ad alteram ripam Rheni Burgundus inſultat. Oppidum quoddam munitiſſimum obſidet. in altera eſt Lantgrauius Haſſiæ Canonicis fauens, ſuis & totius fere nationis præſidiis potens. Creuit inter illos indignatio, neq; legatus, qui eo acceſſerat, concordiæ ſpem vllam habet. Ita poſt Moguntiacam cladem huius deſolatio ſubſequetur. Scutarenſe negorium, vt accepiſti, iam bene proceſſit. Venit cum Hungaro orator Vſſoncaſſam, qui ingentem exercitum pollicetur, modo Hungaro ad ſuſcipienda quoq; arma pecuniæ hinc dentur. Nil ſe velle præter dominium, quod vxori debetur. Quam vera ſint ſemper quæ ex tam remotis locis naſcuntur, neſcio. Vale. Romę III. Septembris. M.CCCCLXXIV.

IOANNI PETRO ARRIVABENO.

DLXXV.

Exitus Tyfernatum rerum non indecorus Eccleſiæ eſt, ſi modo, vt ſcribis, exterior ſpecies turpe aliquid non velat interius. Aut cum Pontifice Vrbinas, aut cum Vrbinate Vitellius id pepigit forſan, quod timeo. Aut vero id eſt, quod non miror minus, quàm lætor, reſpexiſſe Deum in faciem Eccleſiæ ſuæ, oblitumq; erratorum noſtrorum correxiſſe conſilia, quæ non minus ad peſtem, quàm ad ſalutem videbantur procliuia. Reteget dies, quod forte nunc latet. Bellis Germanicis plurimũ triſtor. Quid enim aliud debeo? Ardebit mox natio tota. Sedes Colonienſis diſcerpta olim a vicinis latronibus, nunc etiam ab externis extremo interitu cadet. Tum vires bellicoſæ gentis vicinæ iam Turcis ad magna queq; idonei ſic inter ſe collidentur, vt cum maxime neceſſarium fuerit, quietem potius habeant, quàm Chriſti opus depoſcere. Hi ſunt fructus, quos ex ſtultis Paſtoribus colligit apoſtolica Sedes. Tres iam illuſtres Eccleſiæ ſub talibus cecidere: Maguntina, Leodienſis, & hæc infelix, de qua nobis eſt ſermo. Aliæ non mutato miniſterio noſtro in eaſdem calamitates labẽtur. Deplorare omnibus liceat, quod nemo ſanat qui poteſt. Nam quod ad Legatum Caſſani attinet, tam puto ſpem longam quam affert, quàm is à longe eſt, per quem iſta ia-

iſta iactantur. A Tranſtauranis expectabo noſtram ſalutem Maumethum ſequentibus, quam Chriſtiani non parant, cum vicini hoſtibus, tum ſui multum, & Dei noſtri maxime negligentes? Sed querelis ſit finis. Vale. Idem ego apud Senenſes hos conor. Senis. VII. Septembris. M.CCCCLXXIV.

CARDINALI MANTVANO.
DLXXVI.

SI tibi abſenti non præſtiti ſcribendi munus, quod nunc à præſente accipio, id velim mihi indulgeas. Tempora Pauli querelis quotidianis, & ſuſpicionibus plena in cauſa fuere. Scis nunciatum quodq; etiam leue, quanta acerbitate ſolitum eſt ab illo caſtigari. Rari erant Senatus, in quibus hunc, vel illum nunciatarum rerum, quaſi proditæ Eccleſię non deſignaret. Hoc eo magis à me, quam à cæteris erat cauendum, quòd propter illatas immerenti iniurias alieno à ſe animo eſſe me iudicabat. Sed nunc in vita liberiore ſi te abeſſe contingeret, alium ſenties Papienſem. Nullum accidet factum aut dictum, etiam in plebe obſcurum, quod ab illo primum non audias. Præteritis tantum velut à bono patre ſit venia. Ad rem Tifernatem abhinc quod lamenter, & reſpondeam habeo. Heri ad me venit Bacius Vgolinus paulo ante Tiferno profectus. Retulit in deditione ciuitatis ſe affuiſſe. Nihil illa turpius potuiſſe fieri affirmat. Acceptas leges a noſtris, non datas commemorat. Non admiſſum Legatum niſi quibus cuſtodibus Vitellio placuit. Pedites tantum ducentos intus receptos, atque eoſdem ita per ciues diſpoſitos, vt non præſidere ipſi, ſed in alieno eſſe præſidio videantur. Venientem Vitellium in conſpectum Legati contumacis adhuc animi, & victoris potius quàm victi, ſignum dediſſe. Non cecidiſſe in genua, non ſupplici vſum oratione. Non facinoris pœnitentiam oſtendiſſe Leui tantum detectione capitis, & colli inclinatione ad ſpeciem, nõ honorem indicaſſe ibi eſſe Romanæ Eccleſię Cardinalem. Venire nunc Romam ſcriptis & obſignatis ante conditionibus. Tuliſſe à Ferdinando Rege documenta Vrbinatem ad obligaudam eius pro Vitellio fidem obligatam eſſe ſolenniter, quod non reducentur exules, niſi quos ipſe voluerit, quod nec rebus eius, neç vitæ nocebitur, quod remittetur incolumis domus, & huiuſmodi quædam ad confirmandam, non tollendam de ciuitate Tyrannidem pertinẽtia. Hęc ſi vera ſunt, mi Mantuane, vide quam mercedem hic noſter pro ducatu & vexillo retulerit. Pluris amicum veterem, quam nouum beneficium fecit, vnaq; opera æſtimationem Romanæ Sedis, & legati ad ſuam & Regis gratiam eſt nundinatus. Miſeram fortunam Eccleſiæ, apud quam nemo iam creſcere niſi per ſua detrimenta & incommoda poteſt. Sed tu iſthinc quæ ad verum ſunt facta, ſcies melius, & certius nunciabis. Baccii tantum narrata hæc ſunt: cætera quæ in tuis literis continentur, vt ſapienter ſcripta ſunt, & amanter ſignificata, ita à me mille gratiis intellecta. Bene vale, & donec abſum inchoatam charitatem continua. Senis IX. Septembris. M.CCCCLXXIV.

SACRAMORO PROTONOTARIO ARIMINENSI.
DLXXVII.

TAm gratæ fuerunt literę tuæ, quam raræ. Id vero in illis gratiſſimum, quod non beneuolentiam modo, ſed eruditi quoq; ſermonis elegantiam præferunt. Alterum in dubium nunquam venit, alterius me aliquando decepit opinio. Erraſſe admodum lætor, nec tam hactenus expendiſſe quid mores, quam quid ſagulũ militare meo Sacramoro potuiſſent afferre. Sed inſtitutio vetus nouæ nũc veſti, & noua veſtis veteri inſtitutioni apte cõueniunt. Optabilem hanc ſocietatẽ ille tibi fortunet, cuius ſorti ſapiẽti conſilio te addidiſti. De Tyfernatibus rebus, quando ex dignitate Sedis nunciantur cõpoſitæ, nil attinet ſcribi. Vtinam ſint ita compoſitæ, vt nullam turpitudinẽ celent, & mox nouos motus non excitent. Principi tuo neſcio quantũ illę cõtulerint. Gratiam, quã tanto ingenio, & tantis angoribus ante pauauerat, vereor ne vel ſubſtulerit totã, vel certe languidiorem reddiderit. Scribe quo loco nunc eſtis: nam Neapolitanos regnare eſt tumor, & ſolos in precio eſſe. De Senogallica etiã præda aliquid nuncia. Abductam eam iam puto. Ita infirmi animi Patrum, & amor Pontificis in ſuos, & præſentis Vrbinatis melliti aſtus mihi promittunt. Bis ille de Senogallia, & Mondauio paucis annis victoriam retulit: armis primo, nunc artibus. Eadem

felicitate, mihi crede, poſt paulo Fanum, & Mondauium, & vicina quoq; noui generi nomine adimet. O Paule ſecunde, vbi tua nunc eſt in parandis & retinendis rebus Eccleſiæ laudata attentio? Sed de his aliàs. Laurentius Medices improuiſò Senæ me viſitauit, ſermo de rebus his multus. Acris caſtigatio mea, vel quòd non fuerint Pōtificem arbitrio vti, vel quòd non ipſi de Vitellio reducendo gratiam præripuerint Vrbinati. Reliqua à præſente cognoſces. Nunc vale.

IOANNES PETRVS ARRIVABENVS IACOBO Cardinali Papienſi.

DLXXVIII.

CVm mihi nunciatum eſſet, hunc curſorem Florentinum repente abiturum, ſtatui has tumultuarias ei ad te dare. Hoc mane rediere Legatus, & Dux Vrbinas ad ædes Beatę Mariæ de Populo: ex mandato Pontificis omnes Cardinales occurrere: ſed non potuerunt præuenire aſſuetumque malo ligurem. Deſcenderat ipſe iam in eccleſiam ante ortum Solis veniens ex caſtro nouo. Deductus eſt in palatium ſolenni pompa. Præibat Dux medius inter Præfectum, & Comitem Hieronymum. Hos antecedebat Vitellius inter quoſdam nobiles. Aſcenderunt Cardinales in cameram conſiſtorialem, ad quos poſt paulum euocatus Vitellius ſigillatim, & quaſi nomenclatoris vicem gerente Duce omnibus deoſculatus eſt dexteram. Hoc peracto, relictis illic legato, Duce, & Vitellio abiere Cardinales non viſo Pontifice, quem aiunt febre continua ægrotare, ob quam neque veſperis, neq; miſſæ Virginis interfuit. Quicquid ſit, magno ſtudio celant, quod & ſuſpicionem auget, & multorum iudicia ad hoc tempus præſcripta neſcio quid accumulant. Deſpondit Ferdinandus Rex filiam Regi Hungariæ. Magna etiam in ſpe habent affinitatem Ducis Burgundiæ, cuius vnicam filiam ſit accepturus Fredericus Ferdinandi filius à Duce adoptandus. Aiunt mox expectari Neapoli Baſtardum Burgundiæ cum quatuor triremibus, vt Fredericum ſecum abducat. Commendo me D. tuæ. Romæ IX. Septembris. M.CCCCLXXIV.

F. CARDINALI MANTVANO.

DLXXIX.

IN Senogallico negotio dabitis manus, quantum intelligo, vel forte iam cum hæc ſcribebantur dediſtis. Pontificum tormenta multo ſunt grauiora, quam vt Patrum infirmi parietes valeant ſuſtinere. Sic Flaminia redempta nuper tot noſtris laboribus, à Piceno per coniugium nouum diuiſa direptioni veterum & præſentium tyrānorum linquetur. Miſeram Romanam Eccleſiam: cui tantum obeſt, & obfutura ſemper eſt caro. Nam quod ad peregrinationem Ducalem attinet, quid aliud dicam quàm ſero aliquando homines ſapere, & plerunque ad damna dedecus addere? Mediolani ſeruandus erat Pontificis animus: non Romæ amiſſus quęrendus erat. illud prudentię ſuæ, hoc alieni cum ſermonis, tum admirationis erit totum futurum. Venturum autem illum nō puto. Via eſt longa, & autumnales imbres propinquant. Tum Florentia vrbs ad medium iter obiicitur. Cum libertate ſcribo quod ſentio. Cura pro ſapientia tua ne libertas hęc obſit. Quod me hic tanquam Hannibalem Capuæ timeas eneruari, depone timorem hunc Mantuane. Primum enim non in Aſia fuiſſe, vt inquit Cicero, reprehenſibile eſt: ſed in Aſia incontinenter vixiſſe. Deinde attendendæ mihi ſunt rationes meę domeſticæ. Annotum XIII. Cardinalis adhuc cenſu infra mediocrem detineor. Nulla annua à Pontifice penduntur ſuffragia, nulla abſens legatio ſubuenit. Ex ſacerdotiis meis nondū ex veteri procella quietis non ſatis ad ſuſtinendum annum porrigitur. Quatuor hi menſes æſtiui ſeceſſus, quibus ex priuatis prędiolis alor, magno ſunt ad miſetiam declinandam ſuffragio, quos oto mecū benigno animo patiare. Aſſim ego vel abſim, neq; cōſiliis veſtris accedit quicquam, neq; rebus decedit. Poſteritati forſan hoc paululum otii afferre aliquid, niſi decipior, poterit. Laurentius Medices his proximis diebus mihi non expectanti ſubito aſfuit, & mecum diem integrum fuit. Aduentus eius ſpecies, viſitatio amici Papienſis eſt viſa. An vero aliud re ipſa ſpectauerit, plane me latet. Acceptus autem à

tem à tota ciuitate,& ſummo magiſtratu honorifice eſt. Tum munere ſupra priuati conditionem donatus. Luſtrauit vrbem,& quæ hic ſpectatu digna putantur, cupide inuiſit: charus omnibus,& charitatis in hos ſuæ documenta relinquens. Bene vale,& me commendatum habe. Senis XXIV. Septembris. M.CCCCLXXIV.

FALCONI SYNOBALDO.
DLXXX.

NEceſſatio Protonotatii Ariminenſis prorogo ad arbitrium tempus præturę. Adeunti locum,& bene adminiſtranti ſucceſſor non dabitur. Agentem ſecus Protonotarius ipſe domum remittet. Mea omnia ſua cum ſint, iuſtę curæ eſſe ei illa oportet æque ac mihi. Tiſernates res ſi non decipit ſpecies, malum exitum non habuere. Plus beneuolentiæ pręſtitit Eccleſiæ noſter Vrbinas quàm credidi. Sed vtinam his delinimentis parata ad extorquendam Senogalliam via, poſt beneficium acceptum non retegat faciem veri. Quod tu de facilitate Patrum vereri videris, plane timeo ego. Fortes non erunt. Seruient damnoſæ gratię omnes. Atq; ita teſtituta tot diſcriminibus,tot ſtipendiis à Pio Flaminia, vno languentis Senatus decreto in tyrannidē antiquam redibit. Quid enim interſciſſa quaſi vallo quondam à continente Piceno prouincia noſtri ſit magis quàm alieni arbitrii? De veſtiendo in hyemem Chriſtophoro miror quod ſcribis. Quæſo te per amicitiam noſtram, ſignifices mihi vtrum tuo,an alieno iudicio eius me rei admoneas. Verum à me omnino expedit ſciri. Vale. Senis XXIV. Septembris. M.CCCCLXXIV.

IO. PETRO ARRIVABENO.
DLXXXI.

VT Mantuani ad me literæ tuas faciunt breuiores: ita ad illum meæ præſentis breuitatis ſunt cauſa. Sentio tecum. Extendit paulatim ambitioſa Neapolis in omnem Italiam brachia, non ſua tantum cogitans retinere, ſed aliena in eundem faſcem colligere. Arbitrio autem omnium ad eam mox delato, quid erit nobis aliud quam ſeruiendum? Et quam ſubdito noſtro ſubiicienda Eccleſia? Cæcos, qui hæc non intuentur: Solutos qui negligunt, ſibi infenſos qui cum poſſunt, non prohibent. Accepto damno de claudenda ianua cogitabunt, ſeri ſuis & cæteris irridendi. Vale. Senis XXIV. Septembris. M.CCCCLXXIV.

LAVRENTIO MEDICI.
DLXXXII.

NOn mentior tibi, Laurenti, quem amo tanquam oculos meos: Aduentus tuus in hanc ciuitatem, & familiaris illa diei vnius apud me mora, & eorum libens inſpectio, quæ Senenſes primā apud ſe putant: ſermo quoque de publicis habitus grauis,& verax,& pacati animi index, tantum tibi gratiæ apud ciues hos peperit, vt in hanc diem vel ſola ea res loquendi & gratulandi occaſionem vulgo præſtiterit. Prędicāt te amicum huic Reip. Aui imitatorem, qui ſurgentes diſſenſiones ſemper oppreſſit,& libertati Senenſium fauit. Admirantur quoque prudentiam, quæ ſupra conditionem ætatis æque in dictis factiſq; eluceat. Addunt te hominem bonum, oſorem malorum, quieta conſilia tuopte ingenio ſemper ſpectantem. Documenta afferunt, quòd Foianenſis,& Lucinianenſis concordiæ auctor fueris biennio ante,& nunc vix dum reuerſus Florentiam, decerni ciuem ad litem Montepolitianenſem curaueris. Quorſum hæc Papienſis? Vt non fruſtra veniſſe læteris: vt non facile naſcentem beneuolentiam negligas: vtq; etiam oblatam occaſionem continuandæ gratię colas. Inops & tenuis Reſpublica ſi non publicis veſtris, at priuatis tuis amicitiæ opinione non poteſt inutilis eſſe. Audi rem leuem, ſed ad gratiæ argumentum notatam. Decerni munera publica niſi in concilio ciuitatis lege non poſſunt. Quæ à magiſtratu aliter decernuntur, niſi probentur in populo, priuato oneri cedunt. Raro priuatim decreta publice ſolent probari. Munus tuum ex iis fuit, quod propter diei anguſtias à populo decerni non potuit. Ad probationis autem rogationem cum ventum eſt, tanta poſt abitum tuum eſt omnium voluntate accepta, vt in trecentis

atque eo amplius ſuffragiis, vix duo ſint inuenta aduerſa. Perpetuas has populares voluntates non ſolere eſſe confiteor, ſicut nec nauigantibus ſunt ſemper venti ſecundi. Verum vt in tempeſtate periti nautæ fluctuum contumelias arte magis quàm vi conantur euadere: iidem tranquillo mari remis veliſque occaſionem ſecundæ nauigationis adurgent: Ita tu mi Laurenti, qui in ciuili vita es Princeps, & multa quotidie cum populis contrahis, etiam commotiorem aliquando hunc populum ingenio perfer, & redeuntem amplectere, atq; omni popularitatis genere propter te tibi deuinci. Hactenus hæc, & ex fide non falſi amici. Si quid de Vrbinatis ſtipendio aut Venetorum fœdere apud vos noui cõſilii eſt, opto quoad per commodum publicum liceat, id ex te noſcere. Ego ex vrbe accepi hodie literas à Patre ordinis noſtri, quarum ad te mitto exemplum. Inſpice ſi quid in his continetur aliunde tibi non ſignificatum, & Vale. Senis. vltima Septembris. M.CCCCLXXIV.

IO. PETRO ARRIVABENO.
DLXXXIII.

ERgo ſi Senogallia, & Mondauium Duci Amalphitano iure debentur, iure in nouum dominum feudum transferetur? Vbi communis illa vtilitas, ſine qua recte nec plene diffinitur iuſtitia? An non tollitur tota fano Fortunæ inter Vrbinatis generos duos, quàm inter bina caſtra obſeſſo? Ceſena quoq; & Bretenoro, & tot munitis opportuniſq; oppidis intercluſo Picentum præſidio hoſtium cupiditati relictis? Quid affert honeſti ſpecies honeſto ſublato? Vtrum ad verum, an ad veri vmbram erunt Sacerdotum conſilia? Iuſte Amalphitano loca illa debentur. Iniuſte haud dubie in alterum transferentur damnis communibus ita perſpicuis? Quid ita? quia non poſſidet Amalphitanus: quia ſi poſſideret, nil eſt ei cum Vrbinate commune. Pingite ſi vultis, velate, & quoduis nomen facto imponite. Erit tandem quod dico: Iuſtitiæ vis afferetur. Mantuanum laudo, quod ſupra annos, & ſupra ſubſellium diaconale tanta virtute rebus noſtris ſubueniat. Egregia ſemper ab Patre illo expectaui. Decuſſis præſertim iuuentutis iam præteritę floribus. Vir amodo eſt, & cum ætate ſurgit ſenſus & zelus, & mens conſentanea generi. A dextris illi ſit Dominus, ne in æternum commoueatur. Bene vale, & cura ne ſcandalo mihi hæ literę ſint. Tecum vt mecum libere omnia loquor. Senis. Vltima Septembris. M.CCCCLXXIV.

FRANCISCO CARDINALI MANTVANO.
DLXXXIV.

MEliore aliquanto loco quàm iudicabam, res noſtræ videntur eſſe, damnis præſertim communibus dilationem ſumentibus. Qui addit ad diem, ad ſalutis ſpem addit. Sanantur multa tempore, quibus ratio mederi non poteſt. Forſan difficultatibus tam multis in re Senogallica obiectis exitum ſortiemur, quem nunc minime noſtri oculi vident. Petrus Apoſtolus præſes Eccleſiæ, cuius patrimonium in diſcrimine eſt, cauſæ ſacerdotum ſuorum ſubueniat. Te autem, Reuerendiſſime Pater, ſatis digne laudare non poſſum, quod, quantum ex vrbe accipio, dignitati Senatus non dees. Libere de publicis ſentis, & fortiter ſententiam dicis. In præſenti quoque conſilio ita explicuiſti rationem omnem conſcientiæ tuæ, vt nec defuiſſe tibi mentem, nec verbum, nec zelum in domo Dei, nec magnitudinem etiam animi prędicent. Recte pietas diuina te ex manifeſtis periculis eripuit, vt eſſet, qui acceptæ gratiæ memor perſolueret Vicariæ Sedi, quod in tanta libertatis inopia in pleriſq; noſtrum ſæpe requirimus. Ita facito, Mantuane, & in hanc Domini ſemitam pleno gradu incede. Quantum ad dies, tantum ad animi robur accedat. Præterita omnia indulgeri annis merito poſſunt. Hæc initia confirmatę ætatis, ſicut inſtituiſti, dicanda ſunt Deo, & quotidie magis ſtabilienda præclaris operibus. Summa omnia ad ſummam in Eccleſia gloriam habes: genus, ingenium, linguam, auctoritatem, & gratiam hominum conatibus tuis fauentem. Tam chara Chriſti talenta defodienda non ſunt: ſed ad lucrum communis operis conferenda, vt vocem eius merearis audire: *Serue bone & fidelis, quia mihi fuiſti fidelis, intra in gaudium domini tui.* Via etiam hæc, ſi mercedem in ſæculo quęris, ad ſecundam inter Patres opinionem, & conciliandã beneuolentiam,

lentiam, & ſtudia comparanda, & id denique conſequendum, quod à raris noſtrum non cupitur, multo eſt breuior, quàm quę ad dedecus & interitum ducit. A ſumma mea in te charitate, pauca hæc, quæ verbo tecum ſæpe egi, litteris nunc repetuntur, & ſimul gratiæ habentur pro iis quæ in Caſſani & Hungari poſtulatis acta in Senatu cōmemoras. Bene vale Pater & Domine. Senis die primo Octobris M.CCCCLXXIV.

CARDINALI SENENSI.

DLXXXV.

PAtre tuo Nanne felicior quiſquam Senis per hos annos non fuit. Vidit gloriam Pii, Coniugem ſuam ſororem Pontificis ſenſit, ſobolem præclariſſimam tulit, Te Romanæ Eccleſiæ Cardinalem cognouit, Antonium magni generum Regis, Iacobum & Andream ordine equeſtri, opibus & virtute inſignes. Ad ſummam ſenectutē valetudine integra vixit. Patriæ eſt functus honoribus. Idem in complexu ſuorum defunctus, inutilis iam per annos ſibi, & domui. Tam ſecundis rebus addere fortuna nil poterat. Multa vel caſu vno miſcere: Felicem obitum angoribus longis excipere molliciem arguit, non rationem. Pertuliſti hoc anno dura complura: caſum hunc quoque ea animi comitate perfer, quam tibi dignitas tua & virtus imponit. Patientiæ exempla conueniunt cęteris: Sacerdotibus autem nobis ſunt debita. A zelotypia mea magis quàm ab inopia conſilii tui hæc pauca ſunt, quæ bono animo accipe. In iuſtis autem mortuo perſoluendis, & funere honeſtando, matri, & fratri non deero. Sic Pio, & tibi, & patri tot illuſtrium filiorum debetur. Vale. Senis. Calendis Octobris M.CCCCLXXIV.

LAVRENTIO MEDICI.

DLXXXVI.

FIducia inchoatæ inter vos beneuolentiæ ſcribunt ad te Senenſes, & in te referunt ſpem omnem dirimendæ litis de finibus inter Montepolicianenſes, & Claneianenſes. Audi eos, te precor, & Papienſi crede. Res non magna fructus paritura eſt magnos. Ego nil aliud conor, niſi vt tua ſit ciuitas hæc, & illa vti fidenter tuis temporibus poſſis. Conatum hunc meum adiuua beneficentia tua. Maiorem meo iudicio occaſionem obligandæ tibi publicæ voluntatis, & confirmandi amoris offerre fortuna nō poteſt. Tam opportunum ad lucrum tempus non eſt ſinendum inutiliter labi, quod per hos forte annos rediturum non eſt. Meæ huic libertati veniam da, quando ab amore eſt tota. Vale. Senis v. Octobris M. CCCCLXXIV.

GVILLELMO DE LA CRVCE EREMITÆ.

DLXXXVII.

QVamuis nunquam te ſim allocutus, dilexi tamen vt hominem bonum, & Chriſtum in nuditate ſequentem. Romæ etiam cum de cruce & prædicatione tua ageretur apud Pontificem, pro viribus iuui. Audio Senenſem agrum, & bonā Senenſium mentem tibi non diſplicere. Id ſi ita eſt, iudicium laudo. Habet vtrunque, quod huc venientibus merito placeat. Nam & aër atq; ager ad ſanitatem mentium & corporum pertinet, & hi ciues ſuapte natura ad cultum religionis ſunt inclinati. Imprimis te amant, tuæ integritati omnia tribuunt, & innocentē vitam venerantur ac prędicant. Si quis tibi locus ad tuam, & aliorum ſalutem eſt deligendus, meo iudicio hic nulli eſt poſtbabendus. Vbi Deo ſeruias, ad arbitrium tuum tibi parabunt: vbi vero verbo exemploque proficias, hæc deuota natio eſt, ante alias peropportuna. Non iacietur ſemen inter petroſa, & ſentes, ſed in terram bonam multiplicatum fructum Domino afferentem. Ego quoque ſi quid mea in te charitas poteſt, vt ita facias rogo. Nec pietate vlla, nec patrocinio tibi inter nos Senenſes agenti vllo tempore deero. Vocat te pia gens, & Deo amabilis, eam ne neglige. Voco & ego Sacerdos, Epiſcopus, & Cardinalis indignus. Me quoque ne deſpice, & vale ſemper in Domino Ieſu, frater dilecte. Senis XXIII. Octobris MCCCCLXXIV.

Digitized by Google

LAVRENTIO MEDICI.

DLXXXVIII.

PErendie abire hinc cogito, vt Romæ in ſolemni Sanctorum omnium ſim. Si tuus hic habeor, ita illic non alienus inueniar. Quanto plus operæ à Papienſi repoſces, tanto illi ad diligendi neceſſitatem adiicies. Audiſti quæ acta nuper ſunt in Senogallicare, & Piſana. Patienti animo, ſi non æquo, eſt ferendum vtrunque: rogandus etiam Deus vt moderata Principibus placeant. Magna quidem illis eſt ad affectus quoſque explendos facultas. Dura res, ſed vt vetus, ita temporibus noſtris accipienda tranquillè. Dei iudicia hæc ſunt, & in manu ſua perditio & ſanitas. Senis XXIII. Octobris M.CCCCLXXIV.

NICOLAO MICHELOTIO, CANCELLARIO
Laurentii de Medicis.

DLXXXIX.

ORaui te præſentem primo vt me amares: inde vt Marianum Saminiatenſem meum Senis Apitium in petitione ſua iuuares. Vt me ames, nō moneo: ſcio, magis amare non potes: Vt vero Marianum iuues, id quidem moneo, & magnis precibus poſco. Occupatæ ſunt horæ omnes Laurentio noſtro. Tu quoque curarum ſuarum bonam fers partem. Quamuis ametis, & officioſi ſitis, & memoria valeatis: apud vos tamen ſicut & cæteros minora ſemper poſthabentur maioribus. Quo mihi ſis æquior, ſi occupationibus veſtris diffidens te, vt poſtulati ſis memor, admoneo, & admoneri Laurentium peto. Peccatum Mariani publicum patriæ ſuæ, non priuatum ſuum eſt, & adoleſcentiæ, non confirmati iudicii, pœnitentia quoque longi temporis iam expiatum. Reddi ſibi ſeni patriam cupit: non vt eam incolat, ſed reuiſat, morienſque notam exulis ad ſepulchrum non ferat. Quanti apud me Apitiana ſint, ex his litteris vide: meo chirographo, & multo affectu ſunt ſcriptæ. Bene vale. Senis XXIII. Octobris M.CCCCLXXIV.

CARDINALI SANCTI THEODORI.

DXC.

PLurimi pendens præſtare tuæ dignationi, quod à me tam multis precibus exegiſti, ſignificare incipio quæ apud nos Romæ agantur. Federico Ferdinandi Regis Neapolitani filio nuper in Burgundiam proficiſcente, cum Romam appropinquaret, roga.i Patres de eo accipiendo ſententiam ſunt: erant qui vel amicitia, vel affinitate Ferdinando coniuncti exire in eius gratiam iuueni obuiam cuperent, proptereaque honoribus amplioribus proſequendum conſulerent. Sana pars retinendæ antiquæ d gnitati intenta vnum tantum ex noſtro numero mittendum cenſebat: ſeruatum idem affirmans cum ſexennio ante, ſedente Paulo, Romam primo veniſſet: Primogenitis tantum Regum exiri à Senatu ſolitum eſſe: Secundogenito id modo præſtandum, quod & ſuæ ſortis eſſet, & exemplo in poſterum non noceret. Hæſit huic ſententiæ Pontifex, cæteriſque exire obuiam vetitis ſoli Cardinali Sancti Petri ad Vincula, nepoti ſuo imperauit, vt ad portam Appiam illum exciperet, atque ad Vaticanum perduceret, Prælatis & patrum familiis ex conſuetudine proſequentibus. Ita ad diem tertium Nouembris ingreſſus vrbem eſt. Sequenti in ſenatum ſecretum admiſſus: vbi ramdiu procumbere genibus ad ſolium Pontificis permiſſus eſt, donec vltro citroque ſermo eſſet peractus. Inde ſurrexit, & ad Patres conuerſus ſigillatim vnumquenque in ſubſellio ſuo complexibus, & oſculo ſalutauit, vltimuſque omnium eſt in conſeſſum receptus. altera die ipſos Patres domi inuiſit, idemque officium ab omnibus in Pontificia tulit, ad quam honoris cauſa diuertere illum Pontifex iuſſerat. Solus Cardinalis Sanctæ Sabinæ, magnæ integritatis & auctoritatis Pater, officio illo abſtinuit, dignitatis noſtræ non ſtatuens, ſecundogenito ſubditi Eccleſiæ Regis tantum præſtari. Vale.

F. EPISCO-

F. EPISCOPVS CAPVTAQVENSIS Cardinali Papienſi.

DXCI.

VT habeat Reuerendiſſima D. V. quod ſuis temporibus demandet, collegi accurate quicquid in hoc bello Germanico geſſit Burgundus. Erit deſcribenda obſidio Nuſiæ longiſſima & duriſſima. Scietis interclusam Rheni partem, & amnem Lareph ex antiquiſſimo alueo cum apud muros defluerent, maxima celeritate deductum. Dicam quorundam caſtellorum munitiones & cruentas oppugnationes. Notaui cunicules aggerum, & foſſarum rationes, conſtructum paucis diebus ſupra Rhenum eum amphoris pontem. quo artificio Burgundi inſulam vrbi adiacentem occuparint, eruptiones quaſdam Oppidanorum, multorum interitum, aduecta nauigia, diuerſas ædificatas machinas, maximam Burgundorum in obſidendo virtutem, nec minorem Oppidanorum induſtriam, ac tolerantiam in defendendo. Ab initio ſecutus Ducem nunquam diſceſſi ex caſtris. Si Cæſar cum Germanorum manu vt iudicatum primo, poſtea vulgatum eſt, prœlium cum Duce commiſerit, quod equidem futurum non exiſtimo, his noſtris commentariolis adnotabitur lingua, vt dudum præcepiſtis, patria. Hic Princeps conſtituit ab hac obſidione niſi victor recedere, nec etiam hoc oppido potitus militem ad hyberna lege militari remittet. Hyematurus vt dicit, in caſtris, non frigore, non glacie, non periculis, deterretur. nunc audito Imperatoris aduentu euocauit vndique auxilia. Sola Flandria X. milia mittit. Erunt hæc ſupplementa plus quam XL. milia. In annum ſequentem bellum Gallicum parat ſociis Britannis. Sola huius Principis bella explebunt annales veſtræ Reuerendiſſimæ dominationis: cui me humiliter commendo. Ex caſtris Burgundis ad Nuſſiam XXVIII. Octobris M. CCCCLXXIV.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI PAPIENSI.

DXCII.

ROmam veneris ad faſtidia nec ne, adhuc compertum non habeo, niſi quoniam rediiſſe te puto, mihi viſum eſt ad Regem proficiſci. Acceptus ſum fronte perliberali non ab Rege ſolum, verum à filiis quoque regis perquã familiariter, & quemadmodum par fuit Campanum totiam annos extorrem Campania excipi. Audies & intelliges a Franciſco noſtro cętera. Mitto eum ad te, cuius præſidio mecũ vixit, & patrocinio viuit. Quantum illi debeam, quantumq; afficiar cogita. Ea ætate in Germaniam euntem ſecutus eſt. Proxime quanquam ſtudiis legum deſtinatus, & iam non alienus: vbi ad eum ſcripſi ſtatim accurrit. Viſus eſt mihi digniſſimus beneficio, quod vel per te pręſtari, vel per me conferri poſſit. eum iam præſidatus mihi non aſſint, & ſpes mihi etiam ſit erepta, modum aliquem ſuppeditandi victus neceſſaria non habeam, cogitaui Archipresbyteratum Sancti Euſtachii eius in fauorem reſignare: modo Reuerendiſſimus dominus meus aſſentiat. Hoc tu vt elabores, vt enitaris, quantis poſſum precibus oro. Scribo ad D. Falconem noſtrum diffuſius. Natura mea, virtus iuuenis, & alia quædam adhortantur, ſed ipſum audies. Eo res tendit, vt commendatiſſimus tibi ſit, quantum eſſe debeat Campani tui non dicam alumnum, ſed charitate & meritis filium. Ex domino Falcone totum deſiderium noſtrum deprehendes. Nihil ſcribo de mea fortuna, quę noua transfretatione in maria noua iactatur. Vtinam auſpiciis, quę & tu optas, & ego non omnino deſpero. Eſt hic Regius adoleſcens Dominus Ioannes de Aragonia ſtudioſiſſimus eorum, qui litteras norunt. Te obſeruat, & veneratur. Digniſſimus eſt, quem non Iunonis, vt Octauianum Auguſtum, ſed Mineruæ puerum appellemus. Sed ſcribam poſthac vberius. Felix vale. Neapoli VIII. Nouembris M. CCCCLXXIV.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI PAPIENSI.

DXCIII.

DIuerſa ratio, diuerſa natura, quo minus à Senenſi noſtro exaudiremur, effecerũt. Trahimur quiſque ſtudio ſuo. Quod ſi charitate mei factum eſt, queri ego non poſſum: Franciſcus non debet. ſi conſilio meliore, permittamus hoc, & meliora & ho-

neſtiota prouide. Fuit tuum, vt ais, concardinalem precari. Vis illi non fuit afferenda. Ego quoque non ſum adeo demens, vt tuam cum illo gratiam, quod Franciſco non ſit ſatisfactum, non exiſtimen longo interuallo potiorem. Crede mihi, mi Papienſis, nihil ex illius iuuenis expectatione decipiamur: longe plus habet virtutum in ſeceſſu, quàm oſtendat in fronte. Sed occaſio grandis & rara, & felicitas quędã ex eo munere parata, & alia quædam ad Falconem noſtrum conſcripta, vt ita facerem, nec eum deſeretem, ſuadebãt inopiam: ſi gemit, leuabitur: ſtudia interrumpere, ſi ipſe ſibi aderit, non cogetur. Quis laborauit inopia maiore quam ego? Quantulum à domo, quantulum à parentibus fuit collatum præſidii? Vixi tamen adiutus à multis: præcipue vero adiutus à te. Magnis laboribus, magnis difficultatibus nihil aliud potui obiicere quã virtutem: quę etſi vento non ſemper ſecundo nauigauit, ſemper tamen auſpiciis ipſa ſuis peruenit ad portum. Quod iuuenem fueris conſolatus, feciſti pie, & ſi Romæ adhuc eſt, vt iterum facias idem, obteſtor meo nomine. Habet viam & occaſionem paratam ad ſtudium. Habet me non ita ſtatim, vt multorum eſt ſpes, moriturum: aut ſi ſim, nec ipſe parum comparatus & inſtructus ad ſortem communem, nec ego parum gratus in poſteros inueniemur. Quod Neapolim venerim, hoc tantum gaudeo, quod factus ſum illis vicinior, qui me afflixerunt. Cętera ex te ipſo coniecta. Regis animum necdum habeo, nec quando ſim habiturus intelligo. Mihi ipſe plane rex eſt. Attuli mecum non illa tam multa, quę expetuntur: pectus & conſilium viuax, induſtriam rebus getendis fortunatam, audaciã in periculis adeundis, in ſuſtinendis laboribus patientiam: Non memoriam veterum beneficiorum, non præſentium bonorum fortunam, non opes, non præſentiæ dignitatẽ, non animum ad patranda quæ accepta ſint Regibus, ſacerdotibus indigna videantur. Quamobrem quantum ſperem, quantumque promittam mihi, tuum iudicium eſto. Sed tamen promitto aliquid in tanta copia rerum, in tanta competitorum gratia diffido. In tam eximia Regis moderatione non omnia deſpero. Cum Illuſtriſſimo Ioanne Aragonenſe iam factum eſt initium beneuolentię. Altiſſima virtus adoleſcentis firmiſſimum pignus eſt ad te complectendum. Iuuenis fronte lętiſſimus, ore pergratus, eruditus varia diſciplina, gratia ſermonis perfacundus, in ſumma licentia modeſtiſſimus, manu liberalis, longe plus præſtat virtutum, quàm promittit. Et ſi quid addi his poſſit ornamentis, nullum ſibi videtur facturus modum, quam diu ſit quod poſſit addiſcere. In ſumma licentia, & poteſtate non impari vitam agit cuiuis ordinis noſtri nõ indignam. Trahuntur exemplo ad præclara facinora etiã Principes. Laudant quos audiunt laudari. Tum quos laudari audiunt, etiam imitantur. Multa illi de tui animi, multa de ingenii magnitudine cum prædicauerim, diuinamque oſtenderim, cupit fieri tuæ Dignationi coniunctiſſimus. Nunc vero cum per Regis abſentiam liceat diſpatiari, ſeceſſit Alipham. Cum redierit, fungar officio non negligenti. Interea fortaſſe, & ego quoque in preeutinos meos ad dies aliquot remigrabo. Velim de Tyfetnatibus meis aliquid ſcribas. de Fulginatibus quoque argumentum à materia eſt: ſcio in curia nec eſſe, nec futurũ videri, quod recicare me poſſit, niſi cum tu præſidebis. De noſtratibus quid ſcribam non habeo. Nam gratiam vrbis orbe tertarum amœniſſimæ, clementiam cœli, feracitatem omnium rerum afferre, nec tibi expedit, nec mihi citra ſuſpicionem patrii amoris liceret. Franciſco, ſi eſt iſthic, conſignari iubeas littetas has: ſin diſceſſit, ne obſecro pigeat Peruſiam dirigere. Bene vale, & quo pœnam euites decimarum ad ſcribendum accingere. Neapoli IX. Nouembris M. CCCCLXXIV.

REGI FERDINANDO.

DXCIV.

QVòd tua Serenitas ad bellum in Turcos gerendũ ſe paret, boni, ac fidelis principis officium laudo: quod maturius ſolito pleniorem claſſem educere cogitet, rebus opportunè gerendis neceſſarium duco. Facis quod in magnis es ſolitus: Vt conſilia anticipes, & præſtes publicis, quæ tuę laudi conueniant. Aſſit Dominus piis conatibus, tecumq; iuxta verbum Prophetę apprehendens arma, & ſcutũ, exurgat in adiutoriũ tibi. Verum quod de Eccleſiarũ decimis in hunc etiam annum à Pontifice quęris, & me adiutorem paras, audiendum tibi patienter eſt meum iudicium, & mecum videndum, quantum in iis concedendis incommodi videam. Clerus regni tui, Præ-

ſtantiſ-

ſtantiſſime Rex(quod tuam Serenitatem non latet)diues non eſt. Inopem ſi dicerem vero eſſet propior vox: Contributione autem anni præteriti fatigatus, minus certe eſt ad præſentē idoneus. Neq; enim egenris,& diuitis eadem eſt ad eandem ſatisfactionē conditio. Diuiti, cum decimam prouentus ſui contribuit, abunde ſupereſt vnde ſibi ſubueniat. Pauperi quicquid ex cenſu tenui demitur, ex ſua ſumma neceſſitate eripitur. Tantum ad calamitatem addenti, quantum ad crebritatem oneris additur. Afflictus autem malo in mœſtitia eſt,& vna iactura ſibi cogitur,& creditis animabus deeſſe. Non ſunt ab Eccleſia,& te, compellendi ad miſeriam Sacerdotes, nec cum aliunde ſuppetant facultates, vexanda primo loco Domini ſacra. Vt leuemus ea, non vt opprimamus, has in infideles expeditiones ſuſcipimus. Quod igitur non placere Deo cognoſco, hoc probare ipſe nō poſſum, minuſq; Pontifici ſuadere. Forſan anno præterito cum recens ad ſolutionē eſſet Clerus: æquiore animo decimam vnam potuit Sedes concedere, ſed alteram nunc ſuperinducere, cū vix exacta ſit prima, neſcio qua æquitate id liceat, quam rebus etiā feliciter gerendis tibi expediat. Meminiſti quę in Peloponeſſo pridem, quę nuper apud Eubœam tuis in bello ſociis acciderunt. Non alienū eſt credere propter vexatas decimis eccleſias diuino iudicio id accidiſſe, parci cū neceſſitas nō eſt, templo ſuo vult Deus, nec plena domi arca de altaris oblationibus cogitari. Adde quod exemplo tuo ſi datur quod petis, rem pernicioſam cogis induci, plus nocentem toti Eccleſię, quam te vnum leuantem. nulli etenim Principes, nulli potentatus poſthac non eadem ſunt petituri: vt videlicet continuatione paucorū annorum in onus perpetuum decimæ tranſeant. Iamq; aſſunt, qui id ipſum à nobis quotidie exigant: non tam attendētes, quid cum his decimis agas, quā quid per te ſine decimis poſſis. Cogita mecum hæc damna, nec cum eccleſiam adiuuandam ſuſceperis, velis poſtulatione non magni commodi magnum incommodū adducere. Quam ſit oneroſum negari vni, quod alteri indulgeas, tua Serenitas nouit. Quam operoſius indulta ſemel non iterum, nō ſemper concedere, vtiq; pro tua ſapientia vides. Patere in obſequium Dei eodem tuo exemplo quo cōcedendo cæteris noceret Eccleſia, vt negando etiam cęteris poſſit prodeſſe. Erit tibi modeſtię huius digna à Domino merces, intendente ſemper ſuper egenum,& pauperem. Claſſis pars, quæ à te eſt inſtruenda, etſi contemnenda non eſt, attamen tanto regi nimis non eſt, ſi cogitaris etiam quanta ſit,& ex quo genere hominum conſtet, quid etiam adiumenti, lege Regni tui ad eam ſubditi conferant. facile intelliges, inopi ſacerdotum ſuffragio æquo animo carere te poſſe. Maiores ſæpe in armandis exercitibus pro ſæculi gloria ſine clero ſumptus ſubiiſti: Minores hos pro nomine Dei,& ſine Clero non indignum eſt ſubeas. Quam ad rem piam mentem tuam recordatio ſubeat catholici promiſſi Pontifici,& Romanæ Eccleſiæ facti: cum ſolennibus documentis fidem dediſti, ſanctum Chriſti nomē pro viribus te defenſurum. Vide nunc tuis ne tantum viribus, an etiam noſtris facturus id ſis, ſi decimis, quæ primæ Sedis ſunt,& in noſtram neceſſitatem ſeruatæ, hanc partem claſſis cogitas adiuuare. Dei beneficio, præclariſſime Rex, tua etiam opera quieſcit Italia. Tranquillum vndique eſt Regnum. Prouentus ampliſſimos poſſides. Quid te ſumptibus diſtrahat, nec unde apparet. Ad cauſam Fidei integre es totus, ſi vis. Rogo propterea,& per charitatem, qua tuæ maieſtati aſtringor, etiam peto, vt cum aliunde abundes, parci interim mendicæ Eccleſiæ patiare, quę, cum eguiſti, ſibi ipſi pro te non pepercit: nec velis tanto detrimento hoc onus nobis imponi, vt quod tibi cōceditur, aliis quoque exemplo tuo cogamur concedere. Repete memoria beneficia Domini: quam pie te per eccleſiam ne caderes ſuſtentarit, quot de hoſtibus victorias dederit, quantum in dies ad æſtimationem gloriamque addiderit: denique quam clara filiorum ſobole gaudium omne tuę felicitatis expleuerit. Horum omnium memor, ſacerdotes ſuos egentes,& miſeros ab incommodis non neceſſariis libera,& ſerua Eccleſiæ. Pro te orabunt interim,& ſacrificia offerent, vt habites in adiutorio Altiſſimi,& in protectione Dei cœli commoreris. Hæc eadem, quę tibi nunc officio priuato reſpondeo, Conſenatores mei ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ad quos de tua petitione retulit Pontifex, pari charitate hortantur. Benignum te vtriſque pro tua conſuetudine præbe,& Vale. Romæ xv. Nouembris M.CCCCLXXIV.

CARDINALI SANCTI THEODORI.

DXCV.

HOdie Cardinalis Sancti Marci, Marcus nomine, qui ttiginta menſibus Legatus Apoſtolicæ Sedis abfuetat, in Senatu de rebus in prouincia geſtis ex conſuetudine retulit. Longa fuit diuturnæ peregrinarionis otatio, horis ferme duabus ſine intermiſſione continuata. Dixit enim qua die ab oſculo & benedictione Pontificis Venetias perueniſſet, qua mox Cæſarem conueniſſet, qui cum illo habiti eſſent ſermones, quique ſermonum exitus: Tranſiſſe inde ad Regem Hungariæ, & Poloniæ, quodque fuiſſet legationis caput, conatum eſſe vtrunque ad pacem, vel inducias diuturnas inducere: Habitos eade re conuentus nonnullos, Tractatus ductos varios: Nunc ſperatum eſſe, nunc deſperatum: ſummis tandem laboribus pacem ſecutam. Conſilia interim ſua, & aliena minutatim explicuit. Addidit qua mente fuiſſent ad pacificarionem Reges, qui adiutores turbatoreſque retum, denique qui animi in Sedem, quæue in regnis religio: Ab iis porro deſcendiſſe ad conuentum, qui Auguſtę in Germanis erat habendus: Agitata in eo multa, nulla pene decreta: Dacarum tantum Regem, qui paulo ante Romæ fuiſſet, egregia de nobis aduerſus detractores noſtros teſtatum, qui palam ambitionem, rapinas, & corruptelas Romanæ curiæ in frequenti multitudine lamentabantur. Adiecit, dediſſe operam quam potuit, vt Cæſarem Palatino conciliaret, contentionem Præſulis Colonienſis cum Capitularibus conditione, vel ſententia tolletet, Ducem Burgundorum ad deponenda arma induceret, qui Præſuli adiutor venerat, Nuſſiamque oppidum Colonienſis Eccleſiæ obſidebat: Horum nullum cum ſucceſſiſſet, rediiſſe in Italiam ad pattem, qui eum miſiſſet. Commemorauit quibus vbique honoribus eſſet acceptus. Adiutores ſuos recenſuit, eoſq; Pontifici commendauit. Poſtremo procumbens in genua, veniā popoſcit, quod nec publicis neceſſitatibus, nec imperio Pontificis, nec Patrum expectarioni ſciret à ſe ſatisfactum. Nihil tamen omiſſum affirmauit, quod vel poteſtatis, vel diligentię, vel conſilii ſui fuiſſet. Laudatus à Pontifice eſt, ſimulq; ab eu, & Patribus gratiæ verbis honotificis habitæ. Vale. xv. Nouembris M.CCCCLXXIV.

CARDINALI MANTVANO.

DXCVI.

DA veniam Papienſi, ſi zelotypia conſeruandę beneuolentiæ cogitut in dubia ſuſpicione partē amplecti, quæ tutior eſt. Velim, Mantuane, per immortalē Deum, & præſides noſtræ ſortis Petrum ac Paulum, vt ſi quis perſuadere tibi conatur alio me in tuam dignationem animo eſſe, quam quem vultu verboque profiteor, maliguū artificiū iudices. Dolet alicui forſan noſtra coniunctio non tam merito vllo meo, quam aliena ambitione, quę rectas etiā mentes ſępe deprauat. Putat ille amorem ſibi petire, quem mihi impartis, & ſolus eſſe in ſinu vult tuo, quaſi amare alterū ſine iactura alterius nequeas. Ad nocendum innumeræ præſto ſunt viæ: ſic inſtructæ aſtutia, ſic ad veri ſpeciem ſæpe compoſitę, vt in perſpicue falſis nil mendacio certius eſſe appareat. Ad benedicendum videlicet hebetes ſumus: ad comminiſcenda crimina pleni ingenio. Hęc ideo tecum lamentot, quod nudius quartus quidam noſtri ordinis Pater his artificiis dolens: Et tu, inquit, Papienſis Mantuano, & mihi es accuſatus, quod ſimulata in vtrumq; ſis charitate, & vtrique clanculū noceas. Ingemui corde, & ad conuincendam nequitiam accuſatorem ſcire cum cuperem, id minime potui, nec ex Chriſtiano officio iudicare egò aliquem volui. Illum tu ſcis, ſi amicus eſt vt decepit me, ſic te decipi potuiſſe exiſtima. In omnes enim malus eſt, qui in fratrem impius inuenitur. Si inimicus, vide quanta inimici dicto ſit fides habenda. Etiam ſi nec amicus eſt, nec inimicus, puta quam veriſimile ſit, hominem minime ſtultum periculoſam rem incertæ fidei crediđiſſe. Ego, Mantuane, te amo. Vere te colo, tuis laudibus ſeruio. Nullibi diſſentit à lingua mens. Merita in me tua medullis intimis adhęſere, nec auelli inde facile poſſunt. Pontificatus auiditas, ne dicā inſania, malignitatum harū eſt altrix. Ad illum per fidem an perfidiam contendatur, apud pleroſq; cura non eſt. Dum paretur modo, impia quæq; plena pietatis vidētur. Obteſtor te iterū per immortalem

Deum,

Deum,& ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum, vt ambulanti ad veritatem dilectionis plus habeas fidei,quàm illi,cuius perfidiam in decipiendo fratre iam cognouiſti. Ego te propter te,non propter Pontificatum quæro,& ambio. Iam inde à iuuentute mea tuis parentibus,& Gonzaghæ domui,tibiq; affectus,quem idem pater,atq; eadẽ dies ad Cardinalatum in Eccleſia genuit.Si odero, odium ex fronte cognoſces. Liberum ingenium affectus non continet. Quamdiu autem hanc frontis inſcriptionẽ non cernes,puta Papienſem diligere verum eſſe,&beneficiorum memoriam colere. Forſan & qui mihi falſum detulit,fratrem in deferendo ipſe eſt falſus,fruſtraq; angor. Sed auctoritas patris magna eſt,integritas nota. Malui credulitatis ridendę,quàm neglectæ æſtimationis apud te culpam ſubire. Tu quæ dicta, & non dicta ſint,conſcientia tenes. Dolori meo eſt ignoſcendum. Vale. XXIX. Nouembris. M.CCCCLXXIV.

CAMPANO.

DXCVII.

CHaritas Senenſis noſtri minus te nunc audiendum putauit. Id illi ignoſce. Spoliari videlicet Campanum paſſus non eſt,vt donatis indumentis alius veſtiretur. Mihi quoq; ſit venia,ſi conatus quæ potui,quæ voluiſti adimplere non valui. Concardinalem licuit deprecari,eundem nõ licuit ad obſequium cogere. Franciſco tuo aliunde aſpirabit fortuna,præſertim ſi comitem adiunget virtutem. Spes vna nos fallens alterius tollere expectationem non debet. Iuuenis eſt, nunc primum eccleſiæ per ætatem idoneus. Suſpirari fructum longioris itineris aditu primo viæ non conuenit. Gemit inopiam,& multi inopes à tenui re gloriæ occaſionem ſumpſere. Interrumpi timet ſtudia inchoata. Et nos,Campane,pertinacius à paupertate, quàm lætis rebus cauſam ſtudiorum tenuimus. Remetire præterita tua,vt mea ſępe remetior: Videbis virtutem ſegetis noſtræ non aliunde,quàm à rebus duris fuiſſe. Mollities abſit, & immaturus habendi amor: Reliqua ſuis temporib. expedit Deus. His ego cõſolatus ſum iuuenem,his te illi patrem bono eſſe animo iubeo. Tranſitum vero tuum ad Regẽ contrariis affectibus cogor accipere. Ingratus eſt,quod tui carendum quàm diutiſſime video: gratus quod melius noſtra ætate ex Principum, quàm Sedis cultura emergitur. Quæ fuerant olim noſtri,nunc illorum facta ſunt beneficii. Ad obſequendum tantum magnis honoribus pręſidemus. Quam mercedem ingenii & literarum tã multos annos non tuliſti,à nobis iſthinc facile eſt vt breue aſſequare. Itaq; occaſionem hanc cole,vel potius vrge,& regium tibi animum ſerua. Idq; inprimis da operã, ne continuatione fortunæ veteris minus boni conſilii fuiſſe videatur nouam temptaſſe. De Ioanne Aragonenſi medius fidius gratulor,quod ſcribis. Fauere illũ ingeniis,ingenii eſt documentum: colere doctos doctrinæ ſtudium arguit. Adgenus, & poteſtatem addere ornamenta literarum prudenti conſilio voluit,vt videlicet ſe miraremur,non ſua,& inſtrueretur iuuenis,quibus grandis natu eſſet vtendum. *Ornamentum aureum*,inquit Eccleſiaſtes,*prudenti doctrina, & quaſi brachiale in brachio dextro.* Hortare illum nomine meo ad cõtinuationem laudis huius,eo quidem maioris, quo in principibus rarior,& ſimul hiſce bonis amiciſſime gratulare, quibus vita ſequens, ſiue ſeculum ſpectet,ſiue eccleſiam,illuſtrior fiet. Inprimis autem gratias habe, quòd Papienſem auditum tantum,non viſum,beneuolentia proſequatur. gloriæ hoc mihi aſcribo: quando

Principibus placuiſſe viris non vltima laus eſt.

Meum viciſſim animum tu illi teſtare, ſic amantẽ ſui, ſic complectentem commendationem hanc chariſſimæ indolis, vt nec tu quidem affectu me vincas, nec vinci poſthac à quoquam temere patiar. Quod addam his ſcriptis non habeo. Pœnam tantum tibi grauem edico,niſi decima quaq; die literas chirographi tui accepero. Ingratis ſilentiis ſæpe amicitiæ tepuere. Vale. Romæ. XXIX. Nouembris. M.CCCCLXXIV.

EPISCOPO SOANENSI.

DXCVIII.

DIra ſcabies occupet digitos ſcribentes mendacia, quæ me modo tam anxium habuerunt. Soluto faſciculo literarum Senas allato, primæ tuæ ad manum venere. Legi. placuerunt cætera: illud pupugit,quod Citernam,& Monſindolanã do-

mum rimas agere nunciabas. Credidi veram rem eſſe, parum recordatus cõſuetudinis tuæ, quodq; hiſce dolis aliquando me crucias. Studio noſcendi mali ſolui illico meorum literas, in quibus aiebas ſignificari plenius vtriuſq; operis vitium: neutrius cum fieri mentionem viderem, primo iratus ſum eis: inde cogitaui auertendæ moleſtię cauſa, tacitum damnum. Poſt reuerſus ad me, & nequitiarum tuarum in mentem rediens fallaciam noui. Deceptum me fateor, atq; in rete me intimum cecidiſſe. Dolui non mediocriter, laboriſq; & impenſæ vna cogitatione pœnituit. Exulta, Soanẽſis, aſtutia tua de libetiore Papienſis animo egregie triumphauit. Sed non feres culpam impune. Cumulate merces reddetur, tuiſq; artibus neſciẽs capiere. Morellinum ſi inſcendas, vix curſu poteris vltionem effugere. Sed hęc ioco: illa ſerio, quòd Leonardo noſtro non defuiſti, quod præmuniſti viam ad eludendos hoſtes, ſi venerint, quodq; imminentem inde metum omnibus ſuſtuliſti. Perſuadere ſi poſſumus, morbum ad valetudinem facere, & præſenti diſcrimine operis affines eximere, vidẽdum poſthac erit, quibus nam æſtimationem, & ſalutẽ noſtram credamus. Egregia hæc tam longis doloribus non bene emuntur. Vale. Romæ XXIX. Nouembris. M.CCCCLXXIV.

GREGORIO LOLLIO.

DXCIX.

SÆpe in familiares tuas ſuſpiciones recidis, Lolli. ſæpe ſanguinem elicis, dum nimium mungis. Scribis ſcire te quem manu baliſta mea ſcopulum petat: quaſi enim innuas tuum. Erras hic multum. aliorum quoq; petit cum tuo. Dixi putaſſe me maiorem teneri veteris amicitiæ memoriam in collegio veſtro, quam indicarent literarum exempla, quæ miſi. Recenſe ſigillatim collegas, & vide, num cum te ſolo, an cum aliis quoq; vetus ſit amicitia. occurrent quidam, quos longi temporis vſus mihi cõiunxit, & in quos, eorumq; neceſſarios, ac filios mea pleraq; interceſſerunt officia. Peregtinus nimium, atq; homo nouus Senis haberer, ſi tibi tantum dicerer vetus amicus: Sed valere probationem hanc nolo. Do maternæ diligentiæ aliquid, qua ita te Tuſce edoctum contendis, vt etiam obſcure dicta, & facta, ſcriptaq; ſidas exoluere. Vicino tuo Loyſio Petri volo fidem adhibeas, viro graui, & rei huius locupletiſſimo teſti. Require ab eo (eſt enim tibi amicus) literas chirograpbi mei eadem die, eadem lucubratione, iiſdem quoq; de rebus ſcriptas ad ſe. Plane lamentationibus meis intelliges, non vnius admiratum me eſſe amicitiam veterem, nec vnius tantum ſcopulum manu baliſta mea petitum. Te quoq; cognoſces maternæ diſciplinæ non tantum hauſiſſe, vt errare aliquando iudicio nequeas. Narras quod nemo expoſtulat, exilia cœnobitarum duorum, Vincentii ac Bartholomæi, quos eiectos à patre cœnobii nouemuirali monitu ais. A nouem viris illi eiectos ſe prędicant. Magiſtratum gerenti eſt durum non credere: ſed cœnobitæ id negant teſtes denunciati edicti: etiam codices publici negant, in quos illorum ſunt annotata exilia. Neq; ego factum veſtrum lamentor: Id viderit de ſuis ſacerdotibus Deus: meum dedecus, facti veſtri cauſam vulgatam hoc lamentor, & doleo, cum Bartholomæum pręterquam ſemel ex occurſu viderim nunquam, Vincentium vero arctiſſima commendatione Cardinalis Theanẽſis ab impugnatione cœnobitarum ſuorum prius defenſum: inde eo defuncto, & ſuperante inuidia à me domi receptum, mox Peruſiam ad patrem ordinis euocatum, poſt Senas venientem, vt Piſtorium ad reuiſendas neceſſitudines iret, & bonũ virum putauerim, & indigna paſſum cum mea, & domeſtici famulatus nota contendam. Vulgatæ infamię facta, & dicta affirmatione omnium, cum ego proxime Senis eſſem, in veſtrum relata ſunt ordinẽ, & ſi verum quæris, in te vnum pręcipue, cuius ante alios ad erogandam explendamq; pœnam feruidius notatum eſt ſtudium. Circumueniri poſſum, Lolli, vt homo, & prauis accuſationibus decipi, ſed difficile eſt tã multorum vocibus non commoueri: eorum inprimis, quos olim per te cõmendatos, & mihi in amicitiam traditos aſſertores babeo horũ, quę dico. Si veri ſunt teſtes, doleo nimium primæ & chariſſimę omnium amicitiæ nullo peccato meo factam iacturam. Sin falſi: etiã triſtor plures tibi eſſe occultos hoſtes, quàm amicos apertos. quorũ tamen amicorum copiam, ſi ex publicis in te collatis honoribus arguis, prętetitorum redi in mentẽ, & Gracchorum oblitus ne ſis, cæterorumq; qui à populari multitudine in

dine in altum leuati, prementibus paucis in imum permiſſi ſunt ruere. Certe credas hoc velim, in quo non te fallit epiſtola, nullum tuum de rebus meis conſilium publicum, nullumque minus familiare priuatum colloquium non mihi ſtatim, aut iſthic renunciatum fuiſſe, aut Romam perſcriptum. Tanquam publicæ omnium, & priuatæ ſingulorum fortunæ in hoc vno vertantur: ita ad obſeruandas excipiendasque tuas criminationes aduigilari intelligo. Quo magis, Lolli, eſſet operæ tuę, meæ poſt tuam, qui ad tractandum longe ſum mollior, videre potius quo nam peccato tolli ſermones hi poſſent, & ſarciri vetus beneuolentia noſtra vinculo ſanctiſſimi Pii, & multis inter nos meritis iuncta, quam in diem magis pati vexatam, & laceram nō modo ad nihilum malignis plaudentibus redigi, ſed in hanc quoq; acerbitatem conuerti. Homo ſacerdos vnum non prætcribo, ne aut inani ſuſpicione te terres, aut errorem tuum taeendo ego confirmem. Videris a ſtilo exempli literarum auctorem ipſum literarum retinere. Præteriti noſtri ſermones, & multorum habita communicatio facit, vt quem notes, ipſe quoq; agnoſcam. Erras hic etiam ſemita tota. Non eſt quem putas. In inſontem gratus accenderis, mendaciq; iudicio in proximum peccas, & in animam tuam. Secundioris æſtimationis eſt ciuis tibi probatus, atq; ita opinione tua tibi adiunctus, vt mirer permultum à tam perito linguæ Tuſcę homine nondum hominis Tuſci intellectos ſermones. Nec tibi illum, nec Collegio indico ne pro charitate odium reddam, & diſſenſiones alam, quas diuina lege iubeor tollere. Etiam ex eorum eſt genere, in quos non æque facile, vt in Cœnobitas ſoletis decernere. Vale. Romæ XVII. Decembris. M.CCCCLXXIV.

CAMPANO.

DC.

Rediit Peruſiam Franciſcus tuus, minus familiari vultu à me in diſceſſu acceptus. Parum enim memor moniiorum meorum, quibus ad tolerandam inopiam fueram ſæpe adhortatus, etiam tunc cum mollius deploraret incommoda quam adoleſcenti conueniat, bilem commouit, qualem patri non damnamus in filios. Agnouit illico culpam: ac quanquam increpitum ſe miraretur à me; præſertim qui blanditi illi ſemper ſum ſolitus: reuerenter tamen caſtigationem accepit, ac ita diſceſſit, vt laturus poſthac, non damnaturus ſit difficultates ſuas. Ad eum miſſæ ſunt literę, quæ erāt cum meis. Fortunam aulæ Regię dubiam videri tibi plurimum triſtor. Certiore ſpe putaui Neapolim te profectum eſſe, magiſq; ad metendas, quam ad ferendas fruges nouitatem conſilii pertinere. Nunc quoniam de integro colendus eſt ager, ad raſtros te compara, & tibi ne deſis. Terret me ſolum, quod nec in Rege, nec in iis qui Regem circunſtant, eæ literę ſunt, vt tuæ eſſe in precio poſſint. Magis apud eos ſentitur, vt bene clangat tuba, quam vt bene cadat ad numerum verſus, & de equis maior quam de libris eſt cura. Raro iis ſtudiis fauent Principes quibus ipſi non capiuntur. Diuinæ pietatis, & tuæ diligentiæ ſit inchoatis laboribus ſecundiores exitus, quàm præteritis inuenire. Tudertum primo, inde Tyfernum ita exercuere te hactenus, vt extremæ deſperationis iam ſit ad languores quicquam adiungi. Fama eſt, Regem venturum Romam Iubilei cauſa: Idq; heſterno Senatu Pontifex affirmauit. Vide num aduentus hic impetrare tibi aliquid poſſit. Implebuntur manus eius libellis petentium: inter eos quid oberit tuum concludi? Spargenti ad multa vncos ſæpe eſt aliquid trahere. De Tyferno quæris, & Fulginio. Verbo vno de vtroq; intellige: ad exſtirpandam Tyrannidem Tyfernates inclinant, etiam qui primi Tyranno fauebant: ſed noſtram veriti facilitatem non plane ſe detegunt. Arcem clam poſcunt, & Vitellium perditum cupiunt. Vt nos in illo diſtinendo erimus diligentes, ita illi ad retinendam libertatem acres inuenietur. Aretii exulat ipſe Vitellius. Fulginium vero ſerio triumphat, tranquillis rebus inter ſe, atq; extra. Saluiato, quod pene exciderat, cum grandi Eccleſia grandes curæ acceſſere. Tam ſunt ab ea tradenda Florentini auerſi, quàm ipſe ad accipiendam conuerſus. Habes ad omnia: nunc Vale. Romæ XX. Decembris. M.CCCCLXXIV.

Digitized by Google

NICOLAO MICHELOTIO, ET ANGELO Politiano.

DCI.

ÆQuo animo feretis ambo, ſi vacui temporis raro aliquid habens ſero, atque vna tantom epiſtola vtriq; reſpondeo. Legi traductionem tuam, Angele, diligenter ſatis pro otii copia. Quærenti quid ſentiam, promptius eſt quod reſpondeam, quàm quod bene reſponderi poſſe ab indocto confidam. Vos me eſſe aliquid creditis: ego infra opinionem veſtram ſum multo. Si quid olim huc attuli lucis, infuſcatum id eſt tenebris curiæ. Paupertas dudum, nunc dignitas diuerſa à primis inſtitutis coegerunt tractare. Intiba ſucceſſit ambroſiæ, & guſtui ingluuies. Tam male nunc poſſum de oratotiis & poeticis iudicare, quam inepte de muſicis capti auribus iudicant. Ne deſim tamen expectationi veſtræ, accipite quod beneuolentiæ potius, quam retentæ diſciplinæ ſit ſignum. Oratio tua, quantum remetior, præterita, Latina eſt, & illuſtris, vt huic commendationi addi nil poſſit. Pleni etiam verſus, & ſuis numeris magnifice auribus ſeruientes. In tam recenti ætate laudis, & admirationis hæc ſunt, neque ego ſuſceptum laborem inutilem puto. Ad ediſcendum Homerum pertinet, ad alendum grandibus ſpiritum, ad ea tandem ſuſcipienda, in quibus noſtro gradu, non alienis veſtigiis incedere habeamus. Homerum tamen ſi quis roget, num Latinum ſe velit fieri, verſumque verſui reddi, vereor ne videns trãſmarina multa grauitatis Latinæ non eſſe, mirabiliora multa inter Græcos, quàm noſtros ſentiri: linguæ porro cuiuſq; ſuam excellentiam eſſe, quam vix in aliena eſt aſſequi: Deniq; barbam meti, nec Latinum plane arguere, nec Græcum referre: vereor inquam ne reſpondeat, malle ſe Colophonium quam Florentinum haberi, & pallium quam rogam Græcis membris aptius conuenire. Tum eorum iudicium laudet, qui magno ingenio præditi, cum diffiderent eundem reddi poſſe noſtris, qui eſt apud ſuos, maluerunt imitari quam vertere. Cenſeo tamen, vt dixi, operam inchoatam non deferendam, hocq; exercendi ſtili ſtudium colendum aſſiduo, à veteribus quidem laudatum, & ad complendum pectus maxime neceſſarium. Si non aſſequeris quod vis, rei non finit, magis quam noſtræ facundiæ inopia. Coæqualis tui Phaetontis laudem inuenies, vt idem de ſuſcepto à te cæleſt. Homero, quod ab illo de cæleſti curru d catur.

Hunc ſi non tenuit, magnis tamen excidit auſis.

Meum hoc eſt vt imprudens, fidele tamen de labore tuo iudicium. Traductionem ipſam remitto, vt petis, & tibi gratias ago: te vero in meum ſuſcipio, tam alte amorem condens, quam alte deſcendit admiratio virtutis inſolitæ. Eſt iam tuus Papienſis, tibiq; in ſtudio literatum currenti vocibus ſecundis acclamat vt pergas, vt non fatigetis, vt calcem ipſam contentis oculis ſpectes, & huic palmæ nil anteferendum exiſtimes, viuenti ac mortuo profuturæ. Ad te vertor, Micheloci: Attende quid agas, In bona tua videris iniurius. Ais cœpiſſe te ipſum amare, mux vt a me amari es cœptus. Si nullum eſt iudicium meum: te autem amas ex meo iudicio, non ſentis ſine cauſa tuum de te ipſo eſſe amorem. Atqui magnæ ſunt cauſæ, qu bus te ipſum æſtimatione propria debes diligere: Ingenium, literæ, humanitas, ad obſequium dexter modus, inprimis Laurentii noſtri fides ac gratia, quando principibus placuiſſe viris non vltima laus eſt. Quare caue poſthac ex meo magis quam tuo iudicio ipſum te ames. Papienſi etiam hactenus tribue, vt eius beneuolentiam ex dignitate, non meritis, ornamento tibi eſſe exiſtimes. De Balduccio gratias habeo. Quotidianis officiis tuum animum probas. Hunc ego, quod ſolus Florentiæ ex omnibus neceſſariis eſt, commendo libetius, & benignius accipi cupio. Tua diligentia reliqua abſolue, & me ama: Inq; amicorum rationarium, non inter poſtremos relatum te ſcito, fixum etiam cordi trabalibus clauis. Vale. Romæ Calendis Ianuarii. M.CCCCLXXV.

CAN-

CAMPANVS IACOBO CARDINALI Papienſi.

DCII.

ANimo cupienti facilia difficillima, difficillima facillima fiunt. Spem cum multa adiuuant, Papienſis vnius ad omnia reddit. De Theanenſi eccleſia loquor, aut ſi deſperanda hæc ſit, de Tricaricenſi, nunquid taceri me in hoc congreſſu patiere, quem præteriri In comitiis cardinalium negas te eſſe paſſurum? Contendere cum tanta potentia in curia tantis erga Regem meritis prædurum eſt. Dices, nullam ego in dimicationem te voco, nullam ptopono contentionem, quam tamen ſi tu ſubires, quis tibi non ignoſceret pro Campano Cardinali doctiſſimo? pro Epiſcopo non omnino indocto. Auulſiſti olim Epiſcopatum Tudertinum à reliqua tua prouincla. Fulginatem, quantum in te fuit, prædeſtinaſti. priota beneficia vt & infinita, & maxima taceo: ſed hæc prope dicam ſeruilia ſunt & momentanea, nataque ex nutu alienæ fortunæ. Solidum & ſtabile eſt quod quæro. Nondum tempus eſt, inquis: eſt vero tempus, ſi non Solis, & Lunæ, ſtellarum tamen & auroræ. Breuiſſima eſt occaſio quæ optima.

Alati pennis fugiunt velocibus anni,
Perniciq; volat tempus vt aura pede.

Cum oratore tentandum eſt Regio. Aſſume perſonam, quam debes: etiamſi non ad præſentem occaſionem, tamen ad ſpem futurorum ſuffectutus. Sed hæc cumulatius alteris literis, quas Antonio Meuaniati proxime dedi. D. Siluestrum Baldulum Fulginatem, amiciſſimum meum mira inceſſerat cupiditas tibi famulādi: Cōfirmaui ſemper conſilium eius. Eſt eodem propoſito nunc quoq;. Sententia Campani indignus eſt qui reiiciatur. Moribus, & præſentia grauis, facundus eloquiis, manſuetudine gratus, literatuta hac noſtra plus quàm mediocri, iuris habens plus reconditi quam aperti proferat. Vocationem expectat indies. Veniet non ingratus, & ſi deſint cætera, quia à me commendatus. Iterum vale. Fulginii III. Ianuarii. M.CCCCLXXV.

G. LOLLIO.

DCIII.

DE tua epiſtola æquiſſimo animo prętereo cætera. Expendens enim quę ſcripſi, & quæ reſcripſiſti, cerno non minus probari à me poſſe mea, quàm tua tibi placere. Vt non damnent nos calami, mentes quidem noſtræ, ſi aliud ſentimus, aliud ſcribimus, tacito nos damnāt iudicio. Illud ſilendum non puto, ſiue vim verbi non teneo ego, ſiue tu ſenſu alio loqueris. Ais cum de cœnobitis eiectis reſpondes, mirari te aliena crimina me tanti æſtimare. Plena ſucco nigræ loliginis eſt hęc admiratio, non tam quod mireris, quàm quod ſentias doces. Plane dixi, Lolli: planius repeto, & ea voce vt me tandem intelligas, aliena crimina non æſtimari à me, quorum affinis non ſum, ſed alienas de me criminationes, quibus iniq; vulgandis non veritas initium fecit; ſed id quod taceo adhuc, & memor ſortis meę ſanari potius quàm exulcerari deſidero. Vale. Romæ XI. Ianuarii. M.CCCCLXXV.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI Papienſi.

DCIV.

FVi Neapoli magna cum ſpe, cum fructu aliquanto minore. Vide & hic fortunam aduerſari conſiliis meis. Redii Teramum promiſſis magnis oneratus. Spes eſt aliqua in Regiis liberis: quorum natu maximus viſus eſt nonnihil teneri deſiderio mei. Nec minus tertius clariſſimus mea ſententia adoleſcens, & cui nihil deſit præter coactiorem fortunam. Tametſi cum præſente ſic pugnat, vt nulla ex parte ſuperari ſe patiatur. Scripſi de illo ad te alias vberius. Ego fortunam Neapoli, neq; ſpei vacuam, neque prę ſidii plenam reliqui. Cum ſeribere ad me pro humanitate, & pietate tua voles, literas aut Aquilam, aut tutius Aſculum diriges. Bene vale mi numen vnicum, & præſentaneum. Terami. Die XVI. Ianuarii. M.CCCCLXXV.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI Papienſi.

DCV.

MEorum quiſquis Romam venit,niſi ad te veniat,nequicquam venit: adeo fortunarum mearum omnium portus in te vno eſt. Ab hoc eodem licebit intelligere, quæ ſpes conſiliorum cogitationumq; mearum, quo ſim animo in negotiis, quo in caſibus perferēdis,quam nulli aduerſitati ſuccumbā:ſed(quod inquit ille) cōtra audentior ire non dubitem:ſaluo te in tuto nauigatur. De aliis quid ſperem,quidque deſperem non video. Sed grauis eſt,inquis, hęc fortunæ perpetua & continens lamentatio. Grauis & mihi quoq;:ſed aduerſa ingemiſcere quædam alleuatio eſt malorum. Hunc Præpoſitum Campleníem,familiariſſimum meum,virum nobilem, & domi clarum,quem & tu mecum vna aliàs in menſa excepiſti, vt oculis ſolitis aſpicias oro,& me commendatum habe. Terami XXII. Ianuarii. M.CCCCLXXV.

CARDINALI MANTVANO.

DCVI.

VT paſchalem agnum Domini non modo pura mente,ſed puris etiam linteis cōedas, ſeruiettas duodecim mitto ad te opere & textura tenui non contemnendas. Exignum munus eſt,ſed non exiguus amor. Hunc tu ſemper muneribus præſer, & mentem non manus attende. Illa ſedulo eſt plena:hæ ſemper inanes. Arguit illa fidem:hæ opes. Ne vereres tuæ ad ieiunia adhibitę piſcem ſapiant, nouas has accipe: recordatus ſemper in munuſculis ſuis totum Papienſem venire. Vale.

FEDERICO III. RO. IMPERATORI Auguſto pro Xyſto.

DCVII.

ACcepimus & legimus ternas literas manu tuæ Celſitudinis ſcriptas,quibus promotionem venerabilis fratris Epiſcopi Brixienſis & dilecti filii Georgii Hesler, Notarii noſtri,ad dignitatem Cardinalatus commendas: Audiuimus quoq; ea de re accuratiſſime intercedentem dilectum filium noſtrum, Franciſcum Sanctæ Mariæ nouæ Diaconum, Cardinalem Mantuanum,tibi ac nationi valde affectum. Id quoq; circumſpectioni ſuæ verbo reſpondimus,tuæ Imperiali Celſitudini his breuibus reſpondemus. Nos literas tuas benigne ſemper videmus. Poſtulata ſtudioſe cognoſcimus,& ad ſatisfaciendum deſideriis prompto animo inclinamus. Perſonæ ipſę, pro quibus ſcribis,notæ ſunt nobis,acceptæ nobis, & tuo ac noſtro beneficio dignæ. Nec ad eas honorandas magis tua interceſſio quàm noſtra voluntas inclinat, ſed creandis Cardinalibus tempora nunc opportuna non ſunt. Multæ ac graues neceſſitates coegerunt hactenus & inpræſentiarum cogunt rem totam differri. Scimus pro tua pietate nil cupis aut vis quod oneri ſit & damno Apoſtolicæ Sedi. Natura tua,& clemens conſuetudo ſemper id tulit. Proinde eandem Celſitudinem hortamur in Domino,vt dilationem neceſſariam moleſtam non habeat. Quia non contemnuntur preces tuæ,ſed tantum detrimenta Eccleſiæ declinantur. Cum opportunitatem obtulerit Deus,hę ipſæ petitiones honorifice proponentur. Illis fauebitur,ac quantum in nobis erit,accedentibus fratrum noſtrorum conſiliis, digna votorum tuorum ratio habebitur. Interim Brixienſis apud nos ſine honore non erit, & Georgium tuæ ſublimitati, Germaniſque Principibus gratum, nos quoque in corde noſtro geremus.

G. LOLLIO.

DCVIII.

DE Fontanili domo in matris obſequium commodata tibi gratias ago. Scripſit ad me Victorius,quàm beneuole,quàm ſine vlla cunctatione illam permiſeris. Liberalitatem accipio, ac (quanquam tibi,& familiæ incommodam me rem facere video) noſtra tamen beneuolentia fretus ſenile parentis deſiderium paucis tuorum menſibus

menſibus præferam. Nec vineto interim nocebitur, nec ædibus. Materna diligentia cuncta prꝫſtabit, alienis plus quam ſuis parcere ſolita. Dedi negotium Victorio reliqua expediat. Patere ab illo continuari, quæ interiori vſui ſunt. officiis quidem tuis addi etiam curas non conuenit. Ad xx. Iunii illam præmittam. Tu vale. Romæ III. Maii MCCCCLXXV.

G. LOLLIO.

DCIX.

GRatulor coniugio Victoriæ noſtræ: Eius etiam ſignificandi diligentia lætor. Patris alterum, Compatris alterum officium fuit. Quantum veſtratia nota mihi ſunt, bene vtrique proſpectum exiſtimo. Ex caſta, & honeſti ordinis domo in familiam migrat puella grata & honoribus non pœnitendam. Quod ergo in talibus dici vulgo ſolet, hoc à me tibi amico animo ſcribitur. Feliciter Lolli (Reliqua in aduentum) nunc Vale. Romę xv. Maii M. CCCCLXXV.

F. EPISCOPVS CAPVTAQVENSIS IACOBO CARdinali Papienſi.

DCX.

COgnoſcet Reuerendiſſima D. V. litteris, quę Sanctiſſimo Pontifici ſcribuntur, vt ſe habent res Germanicæ, quarum cauſa Reuerendum D. Forliuienſem legauiſtis: cuius prudentia, induſtria, & conſtantia effectum eſt, vt duo validiſſimi ac ferociſſimi exercitus vix mille paſſibus diſtantes, intra paucos dies fuerint reconciliati maxima Sedis Apoſtolicæ gloria. Veritus ſum aliquando ne ſecus eueniret: Tot ventis agitari noſtra nauigia vidi. Nouit Reuerendiſſima dominatio veſtra, quam aduerſa omnia ſucceſſerint Cardinali Niceno, & qui poſt illum venere, aut venturi erant. Agendę gratiæ Deo: & optandum, vt eadem felicitate ſedari poſſint reliquę Chriſtianorum diſcordiæ. In Gallia apertum bellum eſt, exactis induciis Galli fines Ducis infeſtare cœperunt, prius in Piccardia, vbi quędam oppidula occupauerunt, deinde in Burgundia. Tum cognito tranſitu Britannorum, ſe, vt nunciatum eſt, intra Normandiam recepere. Tranſmiſſa iam ex Regno Britanniæ bellatorum pars in continentem. Rex ipſe ad XXVI. Maii ad littus, vnde breuior eſt tranſmiſſio, copias recenſebat, vt paulo poſt Caleſiam traiiceret, quo hic etiam Princeps contendit, vt cum eo Rege loquatur, & bellum ſimul aggrediatur non iiſdem caſtris, nec vno tantum latere, ſed Britanni ad eam Galliæ partem, quę ſpectat ad inſulam: Dux vero per Campaniam. Quod conſilium vel rei frumentariæ, & pabuli cauſa, vel ad euitandos tumultus, qui facile in tanta hominum diuerſi generis multitudine concitari potuiſſent, vtrique probatur. Imperator ſecum habet in caſtris Marchionem Brandeburgenſem, Ducem Saxoniæ, Landgrauium illum fratrem huius, qui obſidionis tempore Nuſſiæ præfuit, æmulus Archiepiſcopi. Sunt etiam prælati Treuerenſis, Moneſtenenſis, & Aſtetenſis. Maguntinus ægrotat Coloniæ. Credo Germanorũ eſſe numerum XLV. aut L. milium. Equitum habent ad XVI. milia: peditum, & collecticię turbæ ſatis. Quo die ad propinquum oppidum venere, acceſſit ad eorum caſtra Dux, vt illos ad pugnam educeret, quam viſi ſunt detrectare. Cum inde proceſſiſſent, & caſtra vbi nunc ſunt locauiſſent, iterum inſtruxit acies Princeps, tormenta eduxit. cum Burgundi Germanorum caſtris appropinquarent, emiſere illi equitum II. milia aut III. milia, & magnum peditatum. Cum intra horam bis conflixiſſent, repulſi ab iis, quos Italici generis Dux præmiſerat, ſe intra munitiones receperunt, occiſis eorum, vt accepi, LXX. pluribus vulneratis. Burgundi VI. tantum amiſere. Nox prœlium diremit. Sunt qui dicant, eo tempore in caſtris Germanicis ſatis fuiſſe trepidatum, & à pluribus de fuga cogitatũ. Dei bonitate concordia facta, & Germanorum ad hæc caſtra, Burgundorum ad illos impune conueniunt, vt eadem videantur caſtra. In quo magna eſt Dei gloria, & laus Sanctiſſimi Pontificis. Me reuerendiſſimæ Dominationi veſtræ commendo. Ex caſtris Burgundis ad Nuſſiam VII. Iunii M. CCCCLXXV.

EPISCOPO SOANENSI.

DCXI.

TRiſtia tua triſtem quoque me faciunt. Quid enim amarum tibi eſſe poteſt quod mihi idem ſit dulce? Lamenta video ex litteris: ſed lamentationum cauſas nõ video. Tantum ingrati aliquid ex verborũ ambagibus ſuſpicor. Diſcriminis eſſe oportet, quod non audes epiſtolæ credere. Ad me præſertim, quem de tuis intimis nunquã celaſti. Sed te conſoletur Deus: præſens ego quoque idem præſtabo. Inprimis autem benefactorum conſcientia leuet mœſtitiam: Maliſque alios tibi, quam te aliis ingratum videri. Mercedes huiuſmodi communes ſunt multis, rariq; alienam gratitudinẽ laudant. Sed de iis coram, atque expreſſius. Quod Monſindolana mea tam bene tibi retulerint, iucundum fuit audire. Placent impendia laborum & ſpei fructus iam collegi. Laudanti ea tibi neceſſe eſt credi, quando ad me vexandum quærere nodum in ſcirpo ſoles, & recta omnia deprauare. Fingere etiam aliquando nec audita, nec viſa. Vel ſola hæc villula me ad vos trahet, alioquin veſtris omnibus æquo iam animo cariturum. Vale. Romæ IX. Iunii M.CCCCLXXV.

In Laudem Beati Petri, Apoſtolorum Principis.

Et cur grata domus tam fælix munere Petri
Non Petrum cantu perſonet aſſiduo?
Ille rudi quondam, ſegnique ad munia vitæ
Vim dedit, ac puras, & ſine labe manus.
Ille inopem, nudum, mendici panis egentem,
Impleuit, texit diuite veſte Dei.
Ille humilem, ignotum, vulgari ſanguine vilem
Extulit, vnde mihi nomen, & vnde genus.
Ille Patrum titulo aſcripſit, ſanctique Senatus:
Ille dedit linguam, pectus & ille dedit.
Quodque ſui cumuli eſt, mens his contenta quieſcit,
Non ſibi plura cupit, non ſibi plura rogat.
Ergo ſonent Petrum noſtræ citharæque, lyræque:
Tota domus Petrum conſonet, vnda, nemus.
Vtque magis placeant modulata in carmina nerui,
Voce alacri iunctim concinat ille puer.

F. CARDINALI MANTVANO.

DCXII.

HOdie Viterbium propinquanti Præſes Prouinciæ ad ſecundum miliare proceſſit obuiam. Ingreſſum vrbem, & hortos tuos viſentem, ex via coëgit apud ſe eſſe. Prandio magnifico accepit. Nec ſcio vultu an animo, an loco; an vero etiam apparatu ſplendidior fuerit. Quia beneficio tuo facta hæc ſunt, cuius me clientulum noſcit, putaui ſignificanda ea eſſe, & gratias tibi agendas. Studia tua etiam per tuos abſenti non deſunt. Bene vale, atque ita bene, vt additum ad valetudinem bonam in reditu videam. Patrocinii de me tui oblitus ne ſis. Quicquid Papienſi perit, perit & tibi. Viterbii VI. Iulij M. CCCCLXXV.

SACRAMORO.

DCXIII.

RVſticanis voluptatibus ad ſupercilium vſque immerſus hæc ſcribo, & quidem calamo male temperato. Litteræ tuę tam mihi gratę acciderunt, quam iucunda eſt Theutoni ſitienti patera mulſi. Eram dubius animi, quem exitum tuliſſent res Nuſſienſes. Varia pro affectibus referebantur. Nam in vnum aliquod iudicium conſiſtere opinio non poterat. Nunc illæ finem certum ante oculos poſuere, qui & ſine effuſione Chriſtiani ſanguinis fuit, & beneficium ſenſit Apoſtolicę Sedis. Benedictus in donis ſuis, & ſanctus Deus in omnibus operibus ſuis. Eandem fortunam ſi Gallicanæ res ſortientur, ad quas tollendas, vt ſcribis, legatio Cæſaris eſt profecta, erit quod noſtris ſæculis gloriemur, & vel ſperemus multa in publicis, vel magna timeamus in priuatis. Comenſi noſtro de commendato cœnobio gratulor, non modo quod id cõmodi

modi ſibi,ſed quod Monaſterio expiranti occaſio reſpirãdi acceſſit. Spes eſt,diligentia præſulis boni continuatam iam annos multos rerum iacturam finem, Domino concedente, habituram. Pietas diuina hanc acceſſionem ſibi fortunet. Amici noſtri glorias tecum corriſi. Tam multa ſolus,ſi poſſet, quam multa ſine alienis ſubſidiis nequit. Qui nunc vanitatem inanem ferre non poſſumus, vix ſine fuga efficacem ſtultiloquentiam ferre poſſemus. Sed de hoc coram, & ſæpius. Cœnas Hieronymianas, Vianeſianas, Falconianas non damno: ſed herele ſi tenues adhuc loculos non premunt. Nã de Forliuienſi metus mihi exiguus. Minor illi quã formicæ eſt ſtomachus, primis tribus amplior venter,& quidem etiam ambitioſior oculos. Voluiſſem quintum me tibi conuiuam affuiſſe: plus longe ſuaue id ſodalitium delectaſſet, quam hæc Senenſi a plena iam ſatietatis & faſtidii. Quæſo te, Ariminenſis, vt inchoatum ſignificandi officium ſerues, & abſenti amico ne deſis: Papienſi cum obſequeris, & te impertis,à quo ante alios,etiam ante Falconem tuum diligeris. Vale,& Mantuano meo, Comitiq; meo me diligenter commenda. Ex Suburbano XIV. Iulii M.CCCCLXXV.

FALCONI SYNOBALDO.

DCXIV.

VEnimus Senas,Falco,ita quidem incolumes,vt præter ſomnum,quem antelucanum iter ademit,addi ad incolumitatem nil poſſit. Nulli lætitiæ eſt parſum, quæ ſuſcipi à caſta familia ſoleat. Cantatum obiter,& lectum, & quæſiti de via fontes, nec neglecta vina tempori idonea. Synibaldulus tuus, vel meus iam potius, ante omnes hilaris venit: non equo, non æſtu, non (quod ferre tenera ætas non ſolet) vigilia nocturna offenſus, tanquam ad teſtaceos ludos, ſic ad hanc vrbem cupide acceſſit. Vitæ eius hæc ratio eſt inſtituta, vt diebus feſtis puerilibus ſuis indulgeat, quę ad menſam placuiſſe mihi es memor: aliis à præceptore, & libris non abeat, etiam ſub cœnæ tempus ad lyram verſus ediſcat. Stans cibum mecum ſumit, ne in familiari cœnaculo licentius impleatur. & ad cubiculum quoque cuſtos illi, & contubernalis eſt datus Coſmus Ferrinus, vir omnium optimus, vt ſcis, atque integerrimus. Filius ſi eſſet, chariori apud me cultu haberi non poſſet. Itaque & tu bono animo eſto, & eodem matrem eſſe iubero. Ipſe iam tam capitur loco, & cœlo, vt Romanarum conſuetudinum ſit pene oblitus,atq; ad ægritudinem vſque deſideraturus huc ſit in annos ſingulos reditum. Inter ſcribendum redditæ ſunt litterę tuæ, tam gratæ illę quidem, quam non tam cito expectatę. Ago pro iis, quę ſignificas gratias. Imprimis autem quod apud Mantuanum meum nõ immemorem mei futurum te ſpondes. Hunc Patrem ardentiſſime amo,& ſeruare mihi omnibus officiis cupio: non quidem, mi Falco, ſpe, quod nonnulli putant, Pontificatus, quem nec quæro, nec appeto, ſed magnis ſuis in me meritis: quæ qualia fuerint, continuoque ſint, nec tu ignoras, nec ego ingratis ponderibus expendere ſoleo. Vale XVI. Iulii M. CCCCLXXV.

CARDINALI MANTVANO.

DCXV.

OMitto ex litteris tuis, ampliſſime Pater: Plena enim ſunt officii, idem ſemper reſponſum habentia, vt videlicet tibi gratias agam, mihi beneuolentia tanti Patris congratuler. De Germanicis rebus quam varia afferri ſignificas, puto iam certa iſthic nunciata. Hic quidem omniũ exitus eſt indicatus ab homine, qui omnibus interfuit. Recenſuit diſceſſum à Nuſſia eſſe Burgundũ, in ſua reduxiſſe exercitũ: Cęſaris copias diſſolutas, Principes euocatos pene omnes domum rediſſe, cõuentibus nunc de Colonienſi controuerſia cognoſcendũ. Conditiones ſcriptas eſſe protulit, quarũ exemplum ab vrbe quoq; hodie accepi. His ergo, vt puto iam non ambiguis audies mox, ni fallor, tempeſtatem omnem in Gallos conuerſam. Britanno enim, & Burgundo adiunctis quid turbatum Regno? Quid curarum Ludouico Regi futurum exiſtimas? Veterem nimirum fortunam Ioannis abaui ſui, & nuper Caroli patris, non alienum eſt formidare: calamitoſa hæc ſunt. At plena luctus Caphenſis direptio. Calcydem ſexennio ante amiſimus: nũc vrbem opportunam tot annos, tot Chriſtianorũ ſuffragiis ex Turcis, Scythiſq; ſeruatã vna infœlicitate proiecimus. Circuitur vndiq; noſtra

religio. Infidelibus armis per gyrum appetimur: nõ ante credituri vera eſſe, quę nunciantur diſcrimina, quam Hannibalem eſſe ad Collinam ſenſerimus. Scripſit ad principes Pontifex: officium ſane patris, non peſtis remedium. Quid enim audiant ii vocem monentis, quorum aures armorum ſtrepitu, corda iratum æſtu tantopere teneantur? Sed & aliud quid poteſt pius Paſtor, egenus omnium, atq; exhauſtus, niſi confugere ad filios? Denunciare pericula, quodq; ipſe non poteſt, vt velint illi lachrymis obteſtari? Mihi hoc animo iamdudum inſedit, Mantuane chariſſime, nec auelli vllis ſuaſionibus poteſt, nullam in Chriſtianis ponendam vltra præſidii ſpem: ſolius Dei eſſe omnem redemptionem: Eam autem non ante futuram, quam ingentibus malis admoniti iniquitatum noſtrarum fuerimus. Tu in Agathenſi ſeceſſu ſcripſiſti, ego in Syndolano tibi reſpondeo: ſimul quæſo, vt Papienſis tui memoriam habeas. Vale XXVII. Iulii M.CCCCLXXV.

F. PORTVENS. EPISCOPO S.R.E. VICECANCELLARIO.

DCXVI.

GAudeo quod tanti nominis Pater humilis Cardinalis deſiderio tenearis, eiuſque litteras cupias. Aliquid me eſſe puto, cũ placeo tibi, qui in ſublimi es poſitus. Sed quæſo, paucis audi Papienſem loquendo liberum, & ſcribendo. Non illum à litteris auocant Senenſes delitiæ, vt ſcribis, quas mediocribus etiã officiis ſemper poſthabui, ſed tua (quod cum venia dictum ſit) negligentia. Oraui præſens, vt nõ immemor eſſes abſentis. Perliberaliter facturum id te recepiſti: quam feceris, nunc attende. Magna in Germanicis accidere poſt abitum meum: magna ex Hiſpania nunciata, magna ex Britannia ad Pontificem ſcripta: clades etiam ex ciuitate Caphenſi ingens accepta. Quid horum, oro, abs te mihi impertitum? Aut quid non ſilentio ingrato præteritum? Litteras ergo quæris, quas non præſtas, & officia exigis, quæ ipſe non pendis. Nimiæ curæ tibi ſunt grandia: colis Reges tantum, & Principes, humiles collegas præteriri facile pateris. A nonnullis Cardinalibus, cum quibus mihi vix eſt centeſima amoris pars, quę tecũ ſedulo fuit, amantiſſime hęc ſunt perſoluta. Sed non propterea tibi iraſcor. Scio quod in grauibus amantes tui non deſeris. Plerumq; pro iis etiam animam ponis. Teneo etiam, quod tuapte natura grauate calamum ſumis, grauate ſcribis. Sine moleſtia quoq; non iniungis ſcribenda. Plus vna cum Mantuano meo cõmunicatio: vna nocturna cum tuis domeſticis in lucem vſq; confabulatio animũ capit, quam decem à paruis clientulis expectata officia. Accipe autem de Papienſi tuo quæ petis. Valet, raro eſt Senis: In Suburbano frequenter. Delectãt illum libri, & litterę. Tam eſt ab omni auaritia, ambitione, & curis ſuperuacuis alienus, quam illi vita, & valetudo eſt chara. Proximo Septembri Balnea Lucenſia petet. Ad te deſinente Octobri redibit, tam tibi in omnem amplitudinem tuam deditus, quam olim non putaſti, & nunc certiſſimum habes. Vale ex Monſindolo XXVII. Iulii M.CCCCLXXV.

IACOBVS VOLATERRANVS CARDINALI Papienſi Domino meo.

DCXVII.

EVoluebam nuper epiſtolas omnes, quæ ad te ſunt ſcriptæ ex eo tempore, quo veni in familiam tuam, cum ſanctæ expeditionis cauſa Anconam pergeret Pius Pontifex, vt ſeligerem illas, & in tempora digererem, ne ſi quando tibi his opus eſſet, nimio tædio afficereris ad eas reperiendas: cum præſertim didicerim, tibi cuiuſcunque miniſtri tui diligentiam gratiſſimam fore. Inter euoluendum comperi plures verſus ſcriptos ad amplitudinem tuam. Dubitanti autem mihi, an illos in faſciculum congeſtos epiſtolis aggregarem, viſum eſt potius ſeligere, & in librũ referre, ne puluere, & tinea conſumpti penitus deperirent. Dignatio vero tua aliquando relaxandi animí gratia codicem intuens, opinor, meum hoc officium non damnabit, & magis amicorum fidei memor erit, qui etſi omnes non ſunt elegantes, & forte minus digni diſertiſſimis auribus tuis, tamen ob eorum fidem, & tui ampliſſimi nominis obſeruantiã, minime iudicio meo ſunt contemnẽdi. Campanus igitur quemadmodum dignitate & elegãtia cæteros antecellit: ita iure optimo ante alios collocabitur, allecturus elegantia ſua tuam Amplitudinem ad legendum cęteros, qui quanto ſunt ſe inferiores, tanto magis

ei erunt

ei erunt obnoxii, quod ſua gratia ſæpius à D. tua legantur. Deinceps autem cum eiuſmodi verſus accipies, moleſtum tibi non ſit dare operam, vt illico exſcribantur, ne aceruo ſcriptorum tuorum obruti pereant, & tui nominis ſtudioſi ſuo ſtudio & labore fraudentur apud eum, quem cultorem litterarum & doctrinæ inprimis venerantur & colunt. Vale. Romæ M.CCCCLXXV.

SACRAMORO.

DCXVIII.

OFficioſior nemo te eſt, mi Ariminēſis. Sic nuncias, quæ vbilibet fiūt, vt verſari vno tempore inter Hiſpanos, Britannos, Gallos, Germanoſq; videar, à tranſmarinis etiam non longe errare. Gratiſſimus omnium hic labor eſt, tanta voluptate animū tenens, vt Senis agens vobiſcū Romæ nihilominus verſer. Cardinalis ſum beneficio Dei. Ab hac dignitate alienum non eſt noſcere quid vbiq; gentium conſilii capiatur, quando & ſummi conſilii noſter ordo eſt, & in ſpecula poſitis turpe ſit ignorare, pacē an tumultum Chriſtianæ res agant. Tuæ igitur diligentię gratias ago: Nec minus iterum per noſtram beneuolentiam peto, vt quod feciſti hactenus, & facturus poſthac es, pro Mediolanenſi Duce vno factos tibi duos me abſente exiſtimes, quamq; principi locupleti ſedulitatem ſcribendi præſtas, hanc Cardinali amiciſſimo impertire. Ille tibi rem, ego animum abunde remetiar. Sed bone Deus, quanta nunc rerum facies in Gallia, atque in Hiſpania ſurgit? Putabam nugas, quæ de Britanni tranſitu ferebantur: Ecce paratis copiis in Ludouicum tranſmittit. Burgundo illi adiuncto, quis ſuſtinere amborum iracundiam poterit? Eſt Duci exercitus à rebus Nuſſienſibus, non alacer modo, ſed quod plurimi ad victoriam refert, diuturno malo duratus: Ludouico autem ab otio anni vnius ſane non ſimilis. Videre videor, niſi Deus ſubueniat, vel Ioannis abaui ſui fortunam, vel nuper Caroli patris. Bene igitur Pontifex, qui ad ſurgentē peſtem, vel continuantē magis Mutinenſem legat. Præſul eſt virtutis, atq; ingenii, ſed vtinam ad rem tantam idonea dignitas. Quanquam & inferiorum opera aliquando plus profuit, quam maiorū inanis ambitio. Quod olim Nicolaus quintus, quod tot Oratores inter Franciſcū Sfortiam, & Venetos non potuere, potuit occulta diligentia heremita barbatus: & quod nuper ad Nuſſiā inter Germanos Burgundoſq; ſummæ legationis nomen cum ſumma virtute non valuit, ex ſecunda Epiſcoporum claſſe Forliuienſis Epiſcopus fecit. Deus ipſi Mutinenſi opem ferat, & conſilii omne ſuum confirmet. Motibus quoq; Hiſpanicis, quid ad miſerabilem calamitatē propinquius? Armati Reges duo, Portugalenſium videlicet, atq; Siculorum: idem Caſtellæ Regnū, alter ab ſorore, alter ab filia defuncti Henrici ſuum volentes infeſtis ſignis ſe petunt. Vtrobiq; in Hiſpania & Gallia confligetur, vt in procliui ſunt omnia. Quid in tanta multitudine, tam pugnaci, & contemptrice mortis, ſtragis, & ſanguinis futurum exiſtimas? Nos miſeros, Sacramore, qui hęc audientes nequimus auertere. Fortunam etiam præſentium temporum dolendā, quod inter ſe Chriſtiani pugnant: Lugendā, quod Regna cadunt ad ſumma quæq; idonea: æternis doloribus proſequendā, quod craſſantibus in nos quotidie hoſtibus Dei: Calcyde nuper expugnata, Scuttaro proxime appetita: Nunc Caphenſi ciuitate noſtris adempta, maioribus mox affuturis. Hi qui redimere pereuntem populum poſſunt, præſtare Deo hoc obſequium debent: arma quę totiens vocati, & moniti induere in Barbaros noluerunt, ſponte nunc in eiuſdem religionis, ſortis, & baptiſmi fratres tanta impietate exercent. Sed finis ſit querelarum. Dei omnipotentis in tanta cæcitate eſt omnis redemptio. Exempla illa litterarum, quę miſiſti, præter me nemo intelliget. Fidē ſecretorum integerrimā à Papienſi ſemper intelliges, accipieſq;. Ad Philippum noſtrum tamen ea ante peruenere, quam me. Mandatorum obliti tabellarii præteruecti ſunt Senas. Sed in hoc nulla iactura. Picturæ tuę domeſticę fabulam etiam inter has moleſtias riſi. Aquila illa ſuperinducta nihil feſtiuius. Medicina fuit naſcenti morbo conueniens. Videor ſpectare toruos ad primum initium Falconis oculos, non bene habentis inuerſam ſibi eſſe imaginem ex Sfortiano argumento conceptę iam ſpei. Sed heus, Sacramore, Falconē noſcis, vt ego. Proteus eſt, ſi vel paululum incaluerit ei ſanguis, & ex conſuetudine ſua ſcalpſerit genas, vel gripes, ſtatim aquilę ſuperſtabit, vel ipſam aquilam in paſſerem rediget. Vltiones ſuas legare teſtamento non ſolet. Ipſe eas viuens ſemper adimplet. Primi tamen

ſpectaculi voluptatem, vtcumque res cadat, nec tibi videnti adimet,nec mihi legenti. Ei ſalutem meo nomine dices. Addes quoque,ſi eadem ſibi eſſet calamî, quę linguę facilitas,plures me, & pleniores ab eo litteras habiturum fuiſſe. Commenda me Reuerendiſſimo Mantuano meo, & Comiti quoque meo. Vale. Senis XXVII. Iulii M.CCCCLXXV.

F. ARCHIEPISCOPO PISANO.

DCXIX.

QVo in loco res tuæ ſint, ex litteris Franciſci Caſati puto te accepiſſe. Quantum ille ad me ſcripſit, meliore multo eſſe,meo iudicio, poſſent. Perſeuerat eadem duritas,eadem repetitio promiſſorum. Quid vltra dicam nō habeo. Quid operer non ſane ſuccurrit. Expendenti ſingula diligenter alterum ex duobus conſiliis ſupereſt, quæ tibi Romæ monſtraui. In vtrum magis inclines, tu vide: cui notiores ſunt domeſticæ rationes. Mihi inter vtrumque pendere, nil inutilius eſſe videtur. Conſumptis iam cæteris,aut liberalitate vincendum eſt, aut poteſtate. Bene vale. Senis XXVII. Iulii MCCCCLXXV.

IOANNI PETRO ARRIVABENO.

DCXX.

QVod valeas bene eſt: quod ex tua cōſuetudine nunties,quę hic ſæpe ignoro, gratias ago,& vt pergas efflagito. Plura non poſſum. Idque ignoſce. Fatigatus ęſtu,& multa diei ſcriptione,malo tibi, quàm ambitioſis amicis breuitatem neceſſariam excuſare. Mei memor, vt ſoles. Vale. Ex Suburbano meo XXIX. Iulii M.CCCCLXXV.

CAMPANVS CARDINALI PAPIENSI.

DCXXI.

ANtonio Senenſi, quem nunc & amor patriæ, & ſtudiorum ſuorum ad ſe rapit, mandata quędam ad te dedi. Eum vt audias, atq; porro vt exaudias oro. Magna petet. Verum in tanta ſpe, atq; adeo in tanta diuerſitate fortunæ quicquid menſurari poteſt,etiam ſi maximum ſit,exiguum eſt. Pii memoria præterita beneficia tua, & officiorum continuatio, pollicitationeſq; non minores officiis omnia mihi de Papienſi meo promittunt. Bene vale. Terami XXX. Iulii MCCCCLXXV.

SACRAMORO.

DCXXII.

PAmpinos huc vſque,mi Pater,amodo vuis eſt opus. Eas cum proximis litteris proferre velles,metu ſuadente celaſti, verbum SS. viuimus ter repetitum, quid ſibi vult, Sacramore? Hoc quæro, hoc doceri cupio. Placatum eſſe Pontificem, benedixiſſe interfectoribus piratarum, addidiſſe Iubileum,& dona: Corſicam quoque ad officium vetus coactam: communia ſunt quotidianis noſtris moribus conſentanea, & cuiq; etiam æſtimanda,facile ſic euentura. Illud in voto erat,occultum myſterium noſcere,plenum ſucci,& ponderis quantum puto ego, & quantum ſcripta tua oſtendunt Ais enim,ſenties tandem quid ſibi verbum id velit. Non ſenſi adhuc:ſentire expeto. Sed peream,ni tu eodem metu retrahente adhuc es celaturus, & noua figmenta ad paſcendum animum inuenturus. Sed vide quid agas: Cum Papienſi tibi negotium eſt,homine acri,& naribus ad cognoſcendū ſagacibus. Non tam eris in comminiſcēdo dexter, quam ego adiutrice veritate in iudicando acutus. Fides tua, & amici expectatio non bene in vna diſſimulatione falletur. Vide quam acerbe exigam debita. Ingenio ſum muliebri: niſi re intellecta non conquieſco. A promiſſis, quæ implere non cogitas,eſt tibi poſthac abſtinendum. Malo continuari pampinos, quam vuas ſemel indicatas non promi. Hæc hactenus. De Cardinalibus differendis placet ſuſceptum conſilium: Labare autem quoſdam ex nobis,& memores condicti eſſe,nō placet. Ad profligandum pauci plus poſſunt, Duce Pontifice, quam multi ad aciem ſuſtinendā. Vſu aſſiduo hoc ipſum ſępe deprehendimus. Sed paucos hos explica. Ni erret opinio, Vi ſunum puto eſſe,& Mantuanum,& tuum quoque Sancti Petri ad vincula. Nam de

gloriolo

glorioſo noſtro ſcis pendere illum à vultu imperantis. Mercatorum literis, qui negotiantur Neapoli, ſignificatum hic eſt, Ferdinandum Regem quaternas ſtipendii penſiones erogaſſe nuper copiis ſuis, & ad ſeptem millia equitum cogere ad Truentum. Vanam ſignificationem eſſe exiſtimo. Quæ ea ſit, tu iſthinc ſcribe, cui cuncta ſunt notiora. Hic in frequenti Senatu contentionem omnem de finibus, quæ eſt cum Pōtifice, ad Regium iudicium retulere, proptereaq; Oratorem mittunt ad vos. Eam ſi ſedat, publica omnis ciuitatis beneuolentia, etiam nouo hoc beneficio clauo trabali figetur. Bene vale, &, quod ſemper peto, commenda me Mantuano meo, & Comiti meo. Senis VIII. Auguſti. M.CCCCLXXV.

F. CARDINALI MANTVANO.

DCXXIII.

DVabus epiſtolis vno tempore redditis multa complecteris, omnia grata, omnia obſequium conſuetæ benignitatis habentia. Delectari te aſſeris literis meis. Excuſas quod non manu tua reſpondeas. Miſſionem Mutinenſis, & interiores miſſionis cauſas mecum non taces. Addis quæ geſta cum piratis ad Tyberim ſunt. In Germanicis quoque & Gallicis nondum certa omnia eſſe contendis. Illud certiſſimum, quod ad Cardinalatum repetitur Hesler. Ad Cardinalatum Vlysbonēſem, alter tertio iam ad Pontificem, & te, chirographo Cæſaris, alter nouis Purtugallenſium Regis de Hiſpalenſi querelis. Illud quoque non dubium, quod miſſione noui oratoris Colonienſis Antiſtes ad priuationem depoſcitur. Etiam nuncias quid in vtraq; re conſilii apud vos fuerit. Quod literæ meæ delectent, gratulor indicio tuo: ſed vtinam veritatis, non amoris ſit hoc teſtimonium. Qui enim mihi ipſi nō placeo, vnde aliis placeam ſane non video. Quod etiam te calami grauent, rem non incognitam refers. A calamis non venit ſors tua, nec creuit. Melius legendo oculos, quam ſcribendo manum exercere es ſolitus, & meditari vtilius, quam atramenta tractare. Dummodo te in tuo Secretario agnoſcam, libenter remittam operam, & mentem accipiam. Mutinenſem autem gratulor in Galliam proficiſci. Gratulationis hæ mihi ſunt cauſæ, quòd homini mecum à teneris educato, cum quo paupertatem, & pædagogium pertuli, honor æſtimatę Legationis defertur. Etiam quod is præſul legatur, qui ſi maximè aduerſante fortuna non implebit mandata, vtiq; nec vrgente cupiditate manus implebit. Non referet quoq; ad nos plenum dedecoris nomen. Et letor quòd nondum collatis à Gallo, & Burgundo caſtris, ſuſpenſis vtrinq; adhuc animis exitu tantarum rerum incerto, partito inter ambos (vt aiunt) metu, non alienum eſt credere diligentia ſenſati, & accurati Patris locum aliquem ad pacificationem futurum. Id annuat Dominus. De Piratis ad triremes ſuas male acceptis id mihi nūc ſuccurrit, quod Scipioni olim de Grachis occiſis. SS.

Sic pereant alii, qui talia quærere pergunt. SS.

Memor vexati per hyemem noſtri maris, obſeſſę vrbis, exercitæ in miſeros negotiatores diuturnæ calamitatis: ſolennis etiam anathematis, quo illi die Cœnæ Domini extra Chriſtianam communionem de tribunali eccleſiæ fiunt: in eoſq; eorūq; fortunas ius liberum comprehenſoribus datur, nec de decore noſtro, ſi quod eſt, nec illorum damno poſſum dolere. Id Deus indulgeat. Vtrunq; vero Senatus decretum, & de differendis ad reditum Patrum Cardinalibus, & ad retinendum penes Sedem de Colonienſi iudicium, plurimum laudo: plurimum quoq; in eo perſiſti deſidero. Præſulem quanquam malum, obiici ſuſpecto per gratiam potentum iudicio, & impium eſt, & non ſani exempli. Numerus etiam noſtri ordinis quantus ſit, vides. Tantus is eſt, vt Epiſcoporum loco iam habeamur. Ignominia hæc non ſolum Romæ oculis aſpicientium patet, ſed foris etiam in audientium conſtricta eſt animis. Vbique ea facilitate contemnimur, qua apud Sedem creamur. Quem decorem à Patribus noſtris accepimus, hunc, Mantuane, moleſtum eſt non retineri. Creari vnum ſine multis non licet. Multi addi ſine iniuria noſtræ æſtimationis non poſſunt. Quid ergo, inquies? Fidem non ſeruandam cenſebis? Vtique ſeruandam cenſeo. Sed ea non violatur, cum temporis tantum cauſa differtur. Eam quoq; minus aliquando licet ſeruari: præſertim cum in ea præſtanda plus nocemus nobis, quàm illi proſu-

mus cui eſt obligata. Expende vtilitatem Cęſaris & damna Eccleſiæ, videbis detrimenta noſtra longe plus premere quàm diu mendicatas, ægre tamen conceſſas Imperatoris commendationes. Georgium diligo, ſtudioſum ſemper mei atque amantem: ſed decore domus Dei, & noſtris ornamentis nil mihi antiquius. Oro te, Mantuane, quod ſedulo facis, vt commune incommodum quantum ſit, animo reputes, in cædendiſque vinetis tuis ne properes. Magnus es à paterno Marchionatu, à Cardinalatu tamen non minor. Succedent in illo fratres, hic tibi ad honorem & opes reliquus fiet. Quanto hic idem honoratior erit, quanto hominum opinione præſtantior, tanto tu in Eccleſia maior & clarior. Scribo hæc planius, quod quantum auguror abſens, quantum præſens ex te ipſe collegi, in ſuſpicionem adducor, ne tu qui magna ſemper ſpectas, & ad gratiã hominum es inſtitutus, ſtudio retinendæ Germanicę clientelæ, comparandi etiam Cæſaris, diligentius creationem hanc vrgeas, quam præſentia tempora poſtulent. Hanc ſuſpicionem augent cuiuſdam ad me ex Vrbe literæ, quibus labare Patrum nonnullorum animos ſcribit, firmos ante & conſentientes cum cæteris. Sed quicunque rerum futurus eſt exitus, quando ad noſtrum reditum diſceptatio eſt reſeruata, de his coram agemus, libenterque tecum aut eadem aut ſtabo. Nunc vale. Ex Suburbanulo meo xi. Auguſti. M.CCCCLXXV.

PRO XYSTO IV. PONTIFICE MAXIMO ad Regem Daciæ.

DCXXIV.

COgnouimus ex literis tuæ Serenitatis, in itinere te eſſe, vt ad ſancta Apoſtolorum limina venias, & ſucceſſorem Petri in terra hac viſites, Martyrum ſanguine conſecrata. Lætati eo nuncio plurimum ſumus, videntes peregrinationem tuam plenam eſſe propoſiti boni, ac fidelis, & de ſalute animæ non minus quam rebus terrenis te cogitare. Specioſa eſt fides tua; fili chariſſime: religioſa etiam ex tam longinquo profectio, tanto quidem in te Rege deuotior, quanto in magnis principibus rarior. *Quæris Dominum dum inueniri poteſt, & inuocas eum dum prope eſt.* Viatum incommoda prætuliſti quieti domeſticæ, & regnum ſæculi reliquiſti, vt cæleſte regnum parares, illud Saluatoris attendens, *nullam ſatis dignam commutationem dare hominem poſſe pro anima ſua.* Si ergo fuerint, iuxta verbum Iſaiæ, peccata tua vt coccinum, per hæc ſancta opera quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt. Omnipotens Deus, cui labor hic ſeruit, venientem te, atq; abeuntem incolumem ſeruet, Angeliſq; ſuis mandet de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Nos, qui tuam Serenitatem, Comitatumq; tuum omnem in tempore accipiant, & in vrbem vſq; proſequantur, ad fines ditionis Eccleſiæ eſſe iubebimus. Sine incommodo venies. Sine incommodo abibis. Diſcrimen nullum in domo patris tibi erit timendum. Vbiq; ſi non pro meritis: at pro ſtudio noſtro pręſto erit lætitia, & charitas. ingreſſus vero vrbem accipieris obuiis manibus, & paterno ſinu fouebere: nullaq; pietatis, & deuotionis officia, quæ pręſtari catholicis Regibus ſoleant, à nobis venerabilibuſq; fratribus noſtris ſanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinalibus, tibi bene merito deerunt. Veni ergo in benedictione patris, fili chariſſime, & pium propoſitum feliciter imple.

PAPIENSI VOLATERRANO.

DCXXV.

LEgi annotationes tuas diurnas anni ſuperioris: profectionem ſcilicet noſtram in Etruriam, & reditum ad vrbem. Sentis quandoq; mecum in multis, & nonnunquam deſiderii noſtri vates es, & interpres. Ego dum famulabar Cardinali Firmano, memor ſum ſcripſiſſe legationem eius omnem ad Genuenſes, quam ſi poſſem reperire in ſcriniis meis Romæ, libenter illam recognoſcerem, eſſetque ea tibi non inutilis ad imitationem. Nam minuta quæq; etiam leuia, quæ video te non omiſiſſe, legentem delectant, prout eſt obiurgatio illa noſtra, cum male leporarium emiſiſti in exeñatum ab Auguſtino leporem prope Aquam pendentem, & paulo poſt cum ſubripui-

ſubripuimus Trebelliani vini vaſcula quędam à mulione Florentino.eiuſmodi enim etiam leuium recordatio iucunditatem aliquam affert. Moneo ergo vt perſeueres, nec grauet te labor. Vrbana quoque,cum erimus Romæ,etiam annotare poteris : ſed publica tantum.Nos vero Senatoria nonnulla, quod aliquando fecimus, & Pii, & nunc Pauli Pontificatu,quæ huc nobiſcum detulimus: ſed vulganda illa non ſunt, ne videremur nimium curioſi.tu in ſeceſſu hoc noſtro ea omnia legere poteris, eaq; ſucceſſiuis temporibus male à Colonienſi notario noſtro excepta manu tua exſcribere.Rectius ille; Iudicum Rotæ ambages.Vale. Cras mittemus ad te Henricum cubicularium cum literis:ad illas reſcribito,ad primam tabellariorum occaſionem Romam mittendas.Iterum vale.Pientiæ.Venerunt etiam ad manus hodie poſt ſcriptam & obſignatam epiſtolam nonnulla annotata per Pium.opinor quòd illa eſſet relaturus in commentarios ſuos.mitto ea ad te etiam vt reſcribantur: ſed cuſtodi vt pupillam oculi.Romæ cum erimus rememora,& vale.

CARDINALI MATISCONENSI.

DCXXVI.

HOc ſolo breues has ſcribo, vt ſcias abſentem Papienſem non minus quàm præſentem Matiſconenſis ſui memorem eſſe:ipſumque valere: idemque de te, & tuis omnibus cupere. Quem exitum Germanica tulerint, in voto eſt intelligere. Tam varie hic eſt nunciatus,vt cui potiſſimum habenda ſit fides ignorem. Integram tibi,ſi ſcripſeris,ſummamq; habebo. Feliciter Vale. Ex Suburbanulo prope Senas XI. Auguſti.M CCCCLXV.

CAMPANO DECORI MEO.

DCXXVII

EX mediocribus loculis mittuntur ad te aurei XXV. quos poſtulaſti. Quod egeas doleo:quod egens à me poſtularis, gratias habeo. Acceptius nil mihi eſt, quàm ſubuenire Campano.Etiam commendabilius nihil,quàm tantæ virtutis præſuli dona Dei impertiri.Sic facito ſemper, cum dura te premunt. Erit ſemper vnde ſi non magna, grata tamen colligas mei in te animi ſigna. Secundam tuam ad Ferdinandũ profectionem meliore oculo reſpiciat Deus: primæ quidem ſucceſſus non fuit.Erit officii tui inde ſignificare,quęcunq; acciderint, vt lęta, & triſtia affectu eodem nos habeant. Rogaui Romę,vt epigrammata tua diligenti cura ſelecta, deciesq; Horatii præcepto diligenter ad vnguem caſtigata,iam tandem in librum colligeres,& ipſe tu ederes,ad quorum perpetuitatem plurimi referre puto,Campani,non alterius, ingenio emendata inueniri.Si es obſecutus,vel obſequi iam cœpiſti, lætor labore: ſi minus,ſcito,mi Chauellane,ea ambos ætate eſſe, vt canendum iam receptui ſit, & milites recenſendi.Ab vrbe Roma rus veni,& rure Senas, vt ſolennia Aſſumptionis cum meo Senenſi,& his ciuibus agerem.Redeo cras, vt liberiore loco liberior factus lectiunculis & ſcriptiunculis meis me ibi oblectem. Ciuitatis quidem iam tenet ſatietas.Vale XVI. Auguſti.M.CCCCLXV.

CARDINALI MANTVANO.

DCXXVIII.

IIſdem literis de morbo, & valetudine tua cognoui. Vtra res magis affectu me mouerit, incertum eſt mihi. Triſtatus æque ſum, & lætatus. Triſtitia plenum locum non reliquit lætitię, nec lætitia valere diu triſtitiam ſiuit. Deo gratias ago, quod languentem adiuuit : Tibi quod abſentem ignorare domeſtica tua paſſus non es. Temperantius poſthac reſpiciendus eſt ſtomachus. Vexatus olim ſæpe quietem deſiderat.ea tanto eſt procuranda attentius,quãtò eſt ad familiare malum via procliuior.Miſcere aſſa elixis,acida dulcibus,& mollia duris, quem non excitent inter tumultum?Iuueni mihi ab aſſiduitate ſtudiorum eadem fuerunt ſtomachi incommoda.Sic aliquando ſine viribus fuit, vt omnibus horis reiectaret infuſa. Temptata balnea nil profuere.Medicina tandem muliebris fuit ſaluti. Ea à remiſſioribus ſtudiis,& ligno aloes,& roris marini aqua prouenit. Lignum aloes do-

cuit cum pane edere:aquam vero, quæ duos treſve roris marini ſurcolos in phiala per noctem tenuerit, vino mixtam ebibere. Vix ſecundum continuata menſem ſic liberauit, vt tolerati ſine offenſione ſint multorum iam annorum extremi languores. Ridebis medicum, ſed ſalutaria multa ſæpe ridentur. Quod profuit monſtro. Et medicorum ars aliud non eſt, quàm experimenta in libros relata. Sed de his hactenus. Dedi hoc triduum ſolennibus Aſſumptionis. Fui Senis, oſtendi me populo, ante eum diem ciuitati inuiſus. Ludorum ſuorum nullum, præter equorum curſus ſpectaui, atq; hunc quidem non tam voluptatis, quam viſendæ Ambroſianæ domus ſtudio. Ea tantæ laxitatis, & molis, & magnificentiæ eſt, vt longe ſuperet tuam, & meā. Exterior ſpecies regiam profert. Interior ornatus, & amplitudo à Regia nil alienum. Is ſe tuæ dignationi commendat, & ad ſe diuerti cupit, ſi quando tibi erit hac iter. Proximis diebus germanus frater Synolphi ſcriptoris Apoſtolici, Guido nomine, qui Florentinorum faciebat ſtipendia, & propter contentiones, quæ illi cum Senenſibus ſunt, ſe & oppidulum ſuum Lotharium Pontifici commendarat, ad fines horum eſt interceptus: huc quoq; perductus carcere nunc, & cataſta, & ferreis pedicis aſſeruatur. Contendunt vt à Synolpho, & fratribus cedatur loco, & loci precium capiant. Hoc ſcripſi, non tam quod te digna res ſit, quàm ne ſi à me eam non intelligeres, male reſponderi in officio duceres. Rediit rus, & ruri hæc ſcribo valens, & mihi vni nunc viuens. Ex Suburbano meo. XVII. Auguſti. M.CCCCLXXV.

IO. PE. ARRIVABENVS IAC. CARDINALI Papienſi.

DCXXIX.

Tibine, an ligonibus iſtis tuis magis gratuler, neſcio. Illi te operatore glotiari poſſunt, & quicquid manu tua plantabis, & ſeres, vberius proueniet, ſi vera eſt ſententia Plinii: *gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore*: & illud, *Honeſtis manibus lætius omnia proueniunt, quoniam & curioſius fiunt.* Tibi vero quanta felicitatis acceſſio, quod liberum curis animum ex medio ſollicitudinum æſtu vendicas, ſimulque corporis valetudinem curas, felicior es, inquam, iſta animi quiete, quàm toto Cardinalatu. Nam quicquid iuuat, quicquid placet, id dumtaxat in hac vita beatum eſt. De affectibus loquor. Auatus non minus iucunditatis in ipſa rerum omnium indigentia ex ſola auri coaceruatione ſentit, quàm liberalis domeſtico ſplendore, atque omni ſua munificentia. Scio aliam eſſe rationem, vbi de vera felicitate diſſerendum eſt. Vtinam accedere poſſem ad quod me inuitas. Nil enim magis vnquam optaui, quàm liberum animum, liberam operam, in qua nil eſt difficile, nihil laborioſum. Nos vrbanis, & Palatinis non tam nutrimur, quàm fatigamur curis. In his omnino plus eſt amaritudinis. Sed ferre oportet quod neceſſitas tēporum, non vlla ambitio mea mihi præſcripſit. Fiet fortaſſe aliquando, vt re auſpice hoc pelagus euadamus. Franciſcus Malleta, vt iam audiſſe te puto, reuocatus à Duce hic fuit. Mediolanum rediens, Orator Venetus itidem abibit. Rex etiam ſuos reuocauit. Signa ſunt hæc hoſtilis animi. Sed tandem Gallicos æmulabimur impetus, qui plus habent minatum, quàm cædis. Vale numen meum terreſtre. Romæ XIX. Auguſti. M.CCCCLXXV.

FALCONI SYNOBALDO.

DCXXX.

Gratia tua, & Manelli mei, quem vnice diligo, & cui plurimum debeo, ad Laurentium ſcripſi, petitionem ita commendans, vt maiore ſtudio nec poſſim, nec ſoleam. Quid ſit reſponſurus, aut beneuolentiæ Papienſis daturus, in dubio eſt. Operoſa res petitur, non petita ante, nec quæſita, nec à Pontifice data, in qua plus difficultatis conſidero ab exemplo, quàm re. Ne nos tamen noſtri timet pœniteat, mouenda ſunt omnia. Præſtiti libenter literarum officium. Alia præſtanda ſi iudicabitis, non vos plura quæretis, quam ego impendam. Vrbana quæ nuncias ex conſuetudine grata fuerunt. Illud gratiſſimum, quod Maffeus noſter cōcanonicus tibi eſt factus. Quod olim ego abſente Mantuano impetrare illi non potui, hoc Man-

tuanus agente me ruri valentioribus lacertis extorſit. Gratulare ambobus nomine meo,& feliciter dicito. Propter ingenium Franciſci, & mores ingenuos, ſummamque ſuam in me charitatem lætor ſuis ſecundis,& acceſſionem honoribus cupio. De Cardinalibus quæ ſcripſi,magno metu ſcripſi,mi Falco. Veritus ſum ne animum tanti Patris offenderem:ſed fiducia amoris noſtri, & Sedis Apoſtolicæ charitas in id manum ſcribendo prouexit. Quod conſideratior alter, minus tamen amans communia, forſitan declinaſſet,quod in bonam partem acceperit omnia , ago gratias Deo,& dignationem ſuam ſummæ bonitatis cum ſumma benignitate commendo. Amicorum quidem libertas,præſertim quę vacat ſuperbia, nunquam non & patienter,& grate à bene inſtitutis accipienda eſt animis. Sacramoro meo hoc tantũ nuncia verbis meis,ſi propter petitas ab eo vuas carendum & pampinis eſt , pampinos ex conſuetudine mittat,vuas miſſas faciat. Aliquid quam nihil accepiſſe eſt ſatius. Si non paſcar pampinis ego,paſcentur forſan circunſtantes me beſtiæ, quæ iis facile nutriuntur. Mira res Ruffe:ex quanto inchoato ſcribendi ſtudio,ad quantam tepiditatem ille redierit. Viceſimum iam diem non ſilet mecum, ſed mutit. Vale. Ex Suburbano meo XXII. Auguſti. M.CCCCLXXV.

F. THOLETANO ELECTO CAVRIENSI.
DCXXXI.

A Domino Deo eſt omnis poteſtas. De manu ſua accipietur regnum Hiſpaniæ, quemcunq; contendentium volet regnare. Abyſſus multa ſunt eius iudicia. In illorum profundum deſpicere oculi noſtri non poſſunt, altitudini tantæ non pares. Si noua ſponſa,filia Hernici defuncti non eſt, magna Aragonenſi ex iuſta cauſa eſt ſpes. Legimus enim, *Exorietur in tenebris lumen rectis, & iuſti hæreditabunt terram, & habitabunt in ſæculum ſæculi ſuper eam.* Sin illam eandem è ſolio patris aliena deiecit ambitio, illud contra eiuſdem prophetæ Portugallenſi offertur: *Domino derelictus eſt pauper: Orphano, & pupillo erit adiutor.* Atque alibi: *Regnum à gente in gentem transferetur propter iniuſtitias, iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.* Sententiæ Dei hæ ſunt,nec fallentes,nec dubiæ. Dubiam vero nos iuſti patris fidem habentes, ad futura etiam cæci, illuminatorem expectemus tenebrarum noſtrarum. Veniet cito,& non tardabit,& in lumine ſuo omnes lumen videbimus. Hæc mea de Hiſpanicis rebus ſententia eſt, atque expectatio. Multos Aragonenſis cauſæ aſſertores audiui, te inprimis,& ſæpius. Multos quoque repudiatæ filiæ legitimum ortum probantes. Vtrinque argumenta,atque ingenia. vtrinque auctores non contemnendi. Magno ſe iudice quiſque tuetur. Iudex autem non errans ſcrutans hominum renes & corda,inter hos verius iudicabit. In vtrunq; vero opto, & precor inclinet miſericordia ſua. In eum præcipue,cui pia ſunt arma. Me quidem nil in his angit, præter diſciſſi regni mœſtitia, ſemper Apoſtolicæ Sedi fidelis, & ad magna idonei. Obitu autem Aſtenſis dolendum eſt plurimum. Vir erat cum doctus, tum bonus, tum vero etiam in Eccleſia vtilis. Abrahæ ſinus illi ſit requies. Legionenſem autem ſi idem caſus eripiet,opto tibi in ea Eccleſia ſucceſſionem, maxime ſi Caurienſi tua eſt tutior,lamentatiſq; impedimentis te liberat. Gattus noſter, quando gattus eſt, vereor ne murem excipere cogitans,in decipulam ipſe inciderit, & captiui muris auiditatem nimiam damnet. Præſertim ſi ea conditione translatus eſt,quam proxime ſignificaſti. Frigentem ſartaginem exilire plerunq; cupientes (vt in prouerbio eſt) in ſubiectas prunas decidimus. Sibi ipſi vel ſtabit,vel cadet. De pictura illa Maffea, & canonicatu nihilominus in Maffeum collato:Scriptoria etiam liberaliter à Pontifice vendita,libenter cognoui. In his non diſcrepant noſtra iudicia. Literæ, quas ſcribis, vt ſunt ſemper gratiſſimæ,ita te mihi gratiſſimum faciunt. Frequenter ergo ſcribe, & multum,& Vale. Ex Suburbanulo meo XXII. Auguſti. M.CCCCLXXV.

SACRAMORO.
DCXXXII.

Conuenisti cum Autumno vuas iam proferens. Antehac diſſentire à Iulio noluiſti, cuius eſt pampinos dare. Et poſtremæ literæ tuæ, & ingenuus adole-

ſcens Malateſta tuus, qui mecum fuit, vuis non caruerunt. Id gratum habui, & gratias habeo. Omnium, quæ prætimes, ſpondeo nullum futurum. Inter canes Paliliacos negotium eſt, larrare magis, quàm pugnare aſſuetos. Auaritia, & laſciuia magna catena eſt, ad tenendos animos molli otio deditos. Certius Prophetæ dicto hoc habe, & mihi potius crede, quàm iis, quæ per inane volitare nunc cernis. Si quid tamen aliter erit, non me morum immutatorum celabis. Marinus Thomacellus nouem diebus hic fuit, decima iuſſu Regis diſceſſit. Me per hoc tempus bis adiit. Sermo pene omnis de finibus inter Senenſes, & Xyſtum: Communia reliqua. De interioribus neuter prompſiſſet. Eſt enim interualli nimis à Ticino Neapolim: & tu me intus noſti, & in cure. Futuro Ceſennate plurimum lætor. Vt ſit futurus adiuua quoad potes. Vir idoneus eſt, & peramicus noſtrum vtriq;. Sarnenſi tam puto eſſe rem, quam nomen familiæ. Aragonenſe inſigne fronti iuſſit, & ſi quid ex præteritis erat ſtomachi ab ea familia Laurentio noſtro, nauſeam hoc præſens factum complebit. Idem de Nicolinis prænuncio, quos præſtaret Brotianos rectores eſſe, quàm præſules Neapolitanos. Ni me fallit iudicium, prope eſt, cum noua tritici purgatio Florentiæ fiet. Decennalis erat Coſmo. Non longiorem Nepoti Laurentio exiſtimo futuram. Harum vero eccleſiarum ſeges, quantum purgamenti ferat, & quàm tollendum, inprimis tu ſcis, cui Florentina ſunt nota, & Laurentius notus. Cotris tuis honore Nouarienſis, & tuo, dabitur quod per commodum cœnobii commendati licebit. Profectus Papiam eſt Carolus Cremonenſis, huius ipſius rei à me habens mandata. Quod annuente, & volente Petro Cœli aurei poteto, tantis commendationibus concedam. Ipſum tamen Petrum, quod moleſtum eſſe non conuenit, omnibus præferam. Iurata à me illi fides ita depoſcit. Vale. Ex Suburbano meo XXIV. Auguſti. M.CCCCLXXV.

IOANNI STEPHANO COTTÆ.

DCXXXIII.

LYricis tuis, & elegis tuis, hercle etiam ſoluta oratione tua ſum delectatus. Adruſticanas voluptates meas hæc Vrbana acceſſit: bene feciſti, & benefactorum non te quamdiu abſum pœniteat. Ab amicis nullum gratius abſenti obſequium. Hæc autem epiſtolæ eiuſdem diuerſitas calatum mihi Virgilianæ Naidis rettulit. Vt illa

Pallentes violas, & ſumma papauera carpens,
Narciſſum, & florem iunxit bene olentis aneti,
Tum caſia, atque aliis intexens ſuauibus herbis
Mollia luteola pinxit vaccinia calta:

Ita tu à lyricis orſus ſoluta oratione excipiens, ad elegos mox conuerſus, ad eandem orationem vltimo rediens, munus varietate gratum miſiſti, vnde, tanquam ex calato ſuaues miſcentur odores. Gratias itaq; habeo. Sed non propterea mercede hac Lardiragum accipies. Aſſenſore opus eſt præſide Cœli aurei Petro, qui nil incognitum, nil ve inutile iubet decetni. Ab Nouarienſi meo, & Ariminenſi meo, quibus tu commendatoribus vteris, rem plenius noſces. Vale. Ex Suburbano meo XXIII. Auguſti. M CCCCLXXV.

CARDINALI MANTVANO.

DCXXXIV.

IGnoſce ſi pluribus tecum non ago. Canes, & retia in coturnices parata me vocãt. Data hebdomade tota libellis, dandum nunc eſt aliquid agris. De venatore clerico dura eſt lex, de aucupe nulla. Inſanientem poſt ſtudia oro ne carpe. Adhortatio Flacci eſt:

Sume ſtultitiam conſiliis breuem.
Dulce eſt deſipere in loco.

Hunc ego diem duodecim Hesler: & duodecim Cæſaribus præfero. Iterum vocor. Vale. Ex Suburbano meo XXV. Auguſti. M.CCCCLXXV.

ANELLO

ANELLO NEAPOLITANO ORATORI REGIO.

DCXXXV.

VEnit Orator Senenſis Romam ad veterem litem de finibus,non tam iuribus ſuæ ciuitatis fretus,quàm Regię beneficentiæ opera. Pro Rege tu iſthic es,Senenſiũ amans,& mandatorum perquam ſtudioſus.Scio eos commendari tibi opus non eſſe: affuiſti enim ſemper tua ſponte eorum caſibus: & noſti ad rem Eccleſiæ, & Regiam quanti hęc contentio referat. Hic vnus exitus redditurus eſt Xyſto filios ſuos, & Ferdinando æternum ius in eos daturus.Si aliter accidat,quid propterea ſperent non habent. Conſumptis iam omnibus perpetuam ſibi diſſenſionem relinqui intelligunt. Gratia mea ſi quid apud te poteſt, Anelle, tantum diligentiæ tuæ adiiciat, quantum res perfecta additura eſt meo in te animo. Vale. Senis xxv. Auguſti M. CCCCLXXV.

OL. CARDINALI NEAPOLITANO.

DCXXXVI.

SCis quam frequenter commendarim tuæ dignationi Senenſem hanc ciuitatem, ſtudioſam Regis, & tui inprimis amantem. Scis etiam quæ aliquando rebus eius impenderis. Quod feciſti, Pater, nunc etiam facito. Mittunt rurſum Oratorem Romam ad contentionem antiquam de finibus: idque Regis conſilio. Audi eum benignitate qua ſoles, cauſamq; amiciſſimæ ciuitatis adiuua. Vno patrocinio multa præſtantur. Retinetur Eccleſiæ deuota ſemper Res publica. Augetur in Ferdinandum amor,& ſtudium,in te charitas, in me fides ſuaſionum mearum. Suaſi enim ſemper, vt ſpem Regiã plena fiducia ſequerentur. Adde quod locus nouis conſiliis non relinquetur. Multa aliunde ſunt ſæpe oblata: quæ etſi in plebe non malè audiantur, vincit tamen amor in Sedem & Regem. Non eſt periclitanda ſępius popularis voluntas. Victa malis deniq; cedit,tam procliuis ad odia, cum deeſſe ſpem videt, quam ad colendum feruens, cum iuſtæ curæ ſe eſſe intelligit. Hunc ſibi eſſe vltimum aſſequendæ pacis conatum exiſtimant. Itum eſt primo ad Pontificem, nunc ad Regem. Quem præterea implorent niſi mutata voluntate non habent. Quo magis te precor, vt Anellum excites. Tu ipſe incumbas, non ante finem diligentiæ faciens, quam publicis noſtris, atque horum expectationi ſatisfactum cognoueris. Bene vale mi Pater, & domine. Senis xxv. Auguſti M. CCCCLXXV.

CAMPANUS IACOBO CARDINALI Papienſi.

DCXXXVII.

CVm ſecundiores afflabunt venti, maioribus ex loculis recreabimur. Ego animum tuum magis quam meam neceſſitatem conſidero. Alter ad omnia ſuppetit: alterę nunquam offerri poteſt tantum, vt non pluſculum expetatur. Gratias tantæ beneficentiæ ne expectes à me, ſed vel à te ipſo, cui accreſcit hæc gloria apud poſteros nobiſcum victura, vel à Pii noſtri beneficiis, apud quem quantus fueris, quantumque me efficere conareris, ſit in rerum à te geſtarum ſilentio: duris me premi viuo te non cogito. De profectione ad Ferdinandum ipſe viderit: mihi ſatis erit pręſentia non defuiſſe. Ordine intelliges omnia, quæcunque acciderint. Epigrammatum, quando ita eſt iudicium tuum, habebimus delectum, quę ventura ad poſteritatem videbuntur, auctore te colligemus: quæ minus habebunt roboris, aut gratiæ, vel contemnentur, vel ſupprimentur. Decipimur plerumque ſtudio noſtri, ſed tamen in limam afferentur. Gratiores erunt verſus, quos ipſi emendabimus, quam quos cæteri ſomniabunt. Nulli deeſt interpretatio ſua, nec grauis erit is labor, etiam pro cauellis ætas admonet. Cani iam diu receptui cecinerunt. Sed tibi magis cauendum eſt Senis, nè dum milites recenſentur, aliquid interea effluat temporis, dum ſecurius dormitur iſthic.

Multa meæ quondam tuto potuere cautelæ,
Sollicitæ molles, quæ nequiere Senæ.

Vale. Terrami II. Septembris M.CCCCLXXV.

P. EPISCOPO TYRASONENSI.

DCXXXVIII.

AD litteras, quibus poſtulata mea impleta ſignificas, hæc pauca in multis occupationibus tuis ſint ſatis. Palatina negotia, mi Tyraſonenſis, quod ætate mea recorder, miniſtrum te meliorem non inuenere. Hominum deſideria patientiſſime audis, audita intelligis, intellecta exequeris Dubium, ſtudio maiore an voluntate. Tempora Pauli, & Xyſti eundem te habuere. Illius tarditas celeritate tua adiuta eſt. Huius nunc pia mens etiam augetur laboribus. Addo quod nec gratia iuſtitiæ nunquam obfuit, nec veritati cupiditas. Innocentem operam de te vſq; cognouimus, ſiue magno, ſiue paruo impendi illam oportuit. Mihi quidem omni tempore ſic affuiſti, vt quod te amarim Petrum, amem nunc Tyraſonenſem, non ſit pœnitendum. Nemo vnquam meorum retulit, non facile admiſſum ſe eſſe: non benigne auditum, non ſuſcepta etiam libenter quæ vel meo vel ſuo nomine impetranda ſunt data. Referre pro iis gratias cupio: ſed tua poteſtas referendi tulit occaſionem. Per te enim omnia apud Pontificem potes. Habeo igitur quam beneuolentiſſimas & quam maximas poſſum, teque oro, vt eundem in me, & meos animum ſerues, quando in te & tuos eundem ego ſim habiturus. Vt vero familiare aliquid de Papienſi intelligas, ſcito illum in agris eſſe, ſuburbanulum colere vicinum Senis, atque amœnum, oblectare mentem libris & calamis, interdum quoque voluere ſaxa, & glebas. Voluptatis huius ſi eſſe mecum particeps poſſes, puto gratæ vicis te non pœniteret. Vale. XIII. Septembris M.CCCCLXXV.

CARDINALI MANTVANO.

DCXXXIX.

AD diem donati Domini referuntur munuſcula mea. Obtulerunt illi hodie Magi aurum, thus, & myrrham, magnorum myſteriorũ prænuntia. Tu quod Deus non es, tam multorum non eges. Quod Rex ego non ſum, tam multa præſtare non poſſum. Seruo igitur diem. Dimitto myſteria. Muneror te argumento artis egregiæ, ad exemplum non amittendæ fortitudinis intexto. Non quo tibi ſit opus, ſed quo inſpectione aſſidua nunquam ſit opus. Cape id lætus, & oſtio vel parieti accommoda: non pretii, ſed amoris tui Papienſis gratum ſpectaculum. Vale. Romæ die Epiphaniæ M.CCCCLXXV.

Cardinali Vrſino.

Conſuere Vrſinus nuper birreta ſolebat,
Incipit (vt video) carmina nunc ſuere.
Illa manum, hæc mentem delectant ludicra: riſu
Vt ſua tangantur pectora, noſtra crepent.
Conſuat vtra tamen melius, ſi quæritur, æquè
Et birreta ſuit, carmina & ille ſuit.

Ad eundem.

Sunt tibi diuitiæ, ſunt mores, vita, poteſtas,
Relligio ingenium, gratia, nobilitas.
His meritis deerat, ni fallor, ſola poeſis,
Ecce venit: mirum, quàm bene culta venit.
Gloria iam noſtra eſt: laudat tua dicta Senatus,
Roma fidem, vates carmina læta, iocos.
Carmina cude Pater: producunt carmina vitam,
Carminibus feruent frigida corda ſenum.

Epigramma Campani ad Papienſem in fine epiſtolę, quæ incipit, *Numen meum longo &c.*

Mors ſtetit ante fores digitos preſſura minaces,
Calua comam, nigras, horrida falce, manus.

Dece-

Decedens triſti linquebam ſidera nocte,
Campani Stygias vmbra petebat aquas.
Phœbus adeſt, Muſæque ſimul, mortemque repellunt,
Et clamat: Nihil hic impia iuris habes.
Campanum tenuit Papienſis, nunc habet illum
Petrus, ſub Petri numine tutus agit.
Ceſſit, & audito petu quæ nomine, nobis
Parcere noluerat ſæua, pepercit hero.
Nil veteri Papienſis habes de iure: Poeta
Sub maiore tuus numine ſacra facit.

LAMENTATIO CARDINALIS PAPIENSIS.
DCXL.

O Mantuane Pater, quam difficile eſt etiam in benefactis detrahentium linguas effugere? quam durum in eas incidere? Quieti licet ſimus, nulli moleſtiam inferamus, oculos improborum longe vitemus, declinare tamen peſtiferum flagellum nõ poſſumus. Vbique nos inuenit, vbiq; nos quatit, in bene quã male meritos plerumq; crudelius ſæuit. Cum Dauid Propheta ait: *Beati immaculati in via, qui ambulãt in lege Domini.* quid aliud ſenſit, quam optandam potius, quam ſperandam vitandę detractionis fortunã? Alio loco dicit Scriptura: *Beatus qui tectus eſt à lingua nequam, & qui in iracundia illius non tranſiuit, & in vinclis eius non eſt colligatus.* Nonne etiam idem cum Propheta ſentire eſt viſum? Iacobus quoq; Apoſtolus, cum ait, *Omnis natura beſtiarum, & ſerpentũ, & volucrum domatur: Linguam nullus hominũ poteſt domare. Inquietum malum eſt, plenum veneno mortifero.* Nonne etiã vim mali totius planius expreſſit? Quid hæc peſtis non meditatur, conatur, & perficit? Vitæ innocenti eſt inimica. virtutis curſum infirmat, beneuolentiã ſoluit, patrem armat in filios, in fratres bella accendit, funeſtat domos, & ciuitates genteſq; ſubuertit. *Filii hominum ſunt gladii, dentes eorum arma & ſagittæ: Lingua eorum gladius acutus.* In abſentes autẽ, quam præſentes eſt ſæpe nocentior. Nacta (vt eſt ſemper animi abiecti) vacuum aduerſario locum bacchatur licentius, canit facta, atq; infecta, tam facile aſſenſores inueniens, quã eſt ad male, quam bene audiendum conſuetudo noſtra procliuior. Iniquitatis huius ſi exemplũ quæris, à Papiẽſi longe ne abi: recens eſt ſuum, atq; propinquũ. Scis quę abſenti immerentiq; nuper acciderint. Inſurrexit in eum teſtis iniquus, & mentita eſt iniquitas ſibi. Rem omnẽ licet teneas, libet tamen ad laxamentum mentis etiam his ſcriptis referre. Agebam ruri in ſuburbano meo Senis propinquo, oblectabant me ibi litteræ, & libri, viciſſim animi cauſa agri non male culti diligens cura. Totus in his eram duobus. Raro niſi cum neceſſitas auocabat, inde abibam. Seceſſu, quem per æſtatem indulſerat Pontifex, tranquille fruebar. ecce mihi iuxta Prophetæ verbum, *homo pacis meæ, in quo ſperabam, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationẽ.* Vel ſua voluntate, vel aliena gratia (id quod aliis magis quam mihi eſt cognitum) ea commentus, mentituſq; eſt, quę, ne tantũ impietatis ſub veſte Domini latere homines ſciant, libenter reticeo: Lenonibus, nedum Cardinale Romanæ Sedis indigna, & turpia, perdite aſſerens publica eſſe Senis, paſſim ſermonibus agitari; publico etiam ciuitatis iudicio vindicata. Hæc Romæ cum vulgata eſſent, admiranda nonnullis videri, pleriſq; incredibilia, plurimis, quod tam præſenti audacia referrentur, non cõtemnenda, à quibuſdam vero, quod male affectis in me animis eſſent, non ſolũ pro veris habita, ſed propagandę turpitudinis cauſa, ad neſcios circummiſſa. Amicorũ nonnulli, qui & ipſi primis nunciati mali diebus in communem dubitationem abierant, reuerſi ad ſe conſciiq; conſuetudinis meæ, qua non temere ſoletẽ me duris obiicere, miſerati quoq; fortunã abſentis ad mercatores pergunt, rogant, nunquid Senis de Papienſi noui? Negant quicquam præter idipſum, quod ſingulis tabellariis ſoleret afferri, valere illum, & ruri vt plurimũ agere. Redeunt noti quidam negotii cauſa dies ibi plurimos commorati: rogati eadem, renunciant eadem. Venit ad Xyſtum Senenſiũ Orator finium cauſa, ex eo quod notiora ſibi eſſe patriæ ſuæ publica putabãtur. de his malis diligentius quæritur. Admiratur quod audit. Nil tale accidiſſe Senis ſe pręſente confirmat. Vanam omnino rem docet. Redit ab-

Senenſi Eccleſia, vbi ęſtatem exegerat, optimus & grauiſſimus Pater Franciſcus Cardinalis Senenſis: Circumſtant eum noſtri ordinis plures, de criminibus ementitis veri fides exigitur. Ille quem inter ſuos, & in tanto ciuium ſuorum concurſu ſecretum nullum, nedum Romani Cardinalis vulgatum facinus potuiſſet latere, non modo id deteſtatur, ſed religioſo iureiurando negat, id ipſum vel admiſſum à me eſſe, vel auditum à ſe: impoſſibile docens ſcelus tam grande, de quo publice cognitum eſſet, non primum ad ſe perueniſſe. Quod erat prudens Pater, contendit eam inuidię flammam eſſe, non allatam Senis, ſed Roma ab iis excitatam, quorũ oculos lux ſecundę æſtimationis meę forſan perſtringeret. Conſequor ego ſeptimum, vt puto, poſt diem, ſeceſſu eodem reuertus. Domeſticum incommodum neſcio. Nulli meorum vulnus illatum aperiunt, partim quod extinctos iam rumores tantis his teſtibus noſcerent, partim quod lætitiã reditus triſti nuncio nollent corrumpi. Anniuerſariũ pro defunctis ſacrũ eo die apud Pontificẽ agebatur, quo & Patres omnes de morę conuenerant. cõſedere caſu me apud Rodericũ Vicecancellarium contigit. Is vt conſeſſorum eſt mos, ad ſermonem inuitans ſciſcitatur primum, vt me Senis æſtate illa habuiſſem: Reſpondenti, æque vt proximis annis, valetudine bona, & animo vrbanis moleſtiis vacuo: Quanta, inquit, de te interim hic ſunt nuntiata? quanta vitæ obiecta? Fuiſti menſes nonnullos omnium ſermo atque admiratio: Suadeo vt poſthac vbiuis gentium eſſe malis, quam Senis. Perculſus dicto atroci, & quænam eſſent obiecta exquirens, non difficile cuncta, vt vulgata erant intelligo, puncto illo temporis ſic animo affectus, ac tam non ad me pertinere illam exiſtimans, vt quaſi non audita ad verum, ſed accepta per ſomnium viderentur. Auctorem tamen facinoris, quem vnum præcipue eſſe monſtrabat, cum diutius premerem, haudquaquam intelligere valui. Ad neſcio quas mercatorum litteras caput maledictorum omnium retulit. Reuerſus domum, atque hæc mecum recogitans, Opportune, inquã, in hunc diem hic nuntius incidit, vt ſimul & defunctorum, & obiectorũ iiſdem oculis deflendi ſint caſus. Non quieſco animo: ad perquirendum iniquitatis architectum conuertor. Patres nonnullos appello, quos ab initio indigna collegę abſentis fortuna cõmouerat, & per commune ſacerdotiũ obteſtor, vt non ſinant tantum hoſtem me ignorare: monſtrent cuius ſceleratæ inſidię ſint poſthac præcauendę. Vno omnium teſtimonio, vt non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum, impietatis fabricatores, & impietatis ſeminatores ſunt indicati. Egi gratias Deo, quod merito nullo meo gratis in me eſſent accenſi, pro beneficiis etiam in hac mea mediocritate non contemnendis mercedem contumeliæ retuliſſent. Dixi cum Propheta: *Domine vim patior: reſponde pro me. Neque iniquitas mea, neque peccatum meum. Sine iniquitate direxi, & cucurri: Tu mihi teſtis es in cælo, & in terra Locuti ſunt pacem cum proximo ſuo, mala autẽ in cordibus ſuis gerebant. Da illis ſecundum opera illorũ, & ſecundũ nequitiam adinuentionũ ſuarum.* Fateor, Pater ampliſſime, hoc loco poteram (quę via ad vltionẽ proxima erat) fidẽ Pontificis implorare, noſtrarũ iniuriarum ſemper participis, rem ad Senatum referre, communẽ fortunam noſtri ordinis lamentari, auctorẽ criminum aperire, iudiciũ petere, pœnas eas repoſcere, quæ in talium patratores ſacris legibus decernuntur: ſed ego, quẽ natura ad ignoſcendũ facilem, ad deponendã memoriam veteris beneuolentiæ difficilẽ fecit: non ſuſtinui animo in tantum rerum ſuarũ diſcrimen illum adducere. Prętuli lenitatẽ dolori, & ſalutẽ amici olim hominis, vtcunq; de me meriti, legitimę vltioni. Malui illum à me monitũ verbis, quam iudicio correctum abire, & ſentire Papienſis lamentantis, quam condemnantis iudicis vocem. Vertor ergo ad te infandę nequitię Princeps, non in hominũ, ſed Dei iudiciũ vocans. Quid egiſti infelix? quę tanta pœna peccatorũ tuorum te fatigauit, vt de Sacerdote, de bene promerito, de Romanæ Eccleſię Cardinale confingeres, quæ honeſtis auribus intelligi nequeunt? & de Lenone erubeſceret Leno? Vſque adeo abiiſti pręceps amentia, vt omnino non ſenſeris, quem criminandum aſſumpſeris? quanto errore ſis criminatus? quod etiam animæ piaculum criminãdo admiſeris? Hæc mecum paululũ recognoſce, tantiſper dum loquor ſanitatem mentis recipiens. Si es ſpõte tua lapſus, quid te oro ingratius, & male reputatis ſacris tuis indignius? Refer dictum aut factum, quo à me laceſſitus iuſtæ iracundiæ cauſam inueneris. Referre vllum ſi potes, ſi cogitare, do, falſo etiã inuenta iure inuenta fuiſſe. Sed quid à me non

amice,

amice, non pie, non patris protecura ſuſceptum? Remetire cōſili: fidelis ſemper animi plena, patrucinia ad anxietatem vſq; temporibus tuis adhibita, communicatione amantiſſimam rerum omnium, atque verborum: Interiura multa, & quotidiana, quibus æque mecum indulgenter, & benigne ſemper es habitus. Si homo es, ſi tangeris gratia, ſi ſenſum humanitatis reliquum vllum feciſti, mirum ni hac recordatione pœnitentia ingrati facti animum ſubeat, & magno redemptum optes vel me nunquam cognitum fuiſſe tibi, vel te nunc tam improbum non eſſe inuentum. At ſi ineundæ potentiorum gratiæ, quos mihi minus amicos ſentires, tua ſeruiuit impietas: nonne intelligis miſer primam veneni partem à te ebibitam eſſe? probaſti illis ingratam perfidiam, quod es fallax in benemeritum cognitus. Declaraſti quali in eoſdem eſſe aliquando animo poſſes, cum in me ipſum tam peſtifero fueris. Leuitatē nunc illi tuam videntes, leuitati adiunctam beneficiorum obliuionē, obliuioni nequitiam ſociam, crede mihi, nec te amant, nec probant. Imaginem diſcriminum ſuorum intuentur in meo, & hominem putant, cuius conſuetudo contagium ferens temporis tantum cauſa, non fructu beneuolentiæ ſit adhibenda. Tua illis forſan, vel quod ſeſe nimium amant, vel quod me multum non diligunt, grata improbitas fuit: ſed tu certe non gratus, quem meo exemplo iam timere coguntur. Ita homo amens quæſtū dubrum amicorum facere damno vnius quærens, peccato ita poſcente, omnium iacturam feciſti. Age vero in confingendis criminibus quid te commētore inſanius? ſtupor ne hominis fuit, an pecudis, de tanta dignitate id affirmare, quod niſi caſuris mox mendaciis probare non poſſes? Voluntas, vt video, ad nocendum affuit, conſilium defuit. Quid, oro, minus eſt hominis, quam ea priuatim obiicere, quæ publico teſtimonio illico re-uinci poſſint. Excæcauit Deus impiam mentem, vt ſæuire diu in inſontē non poſſet, & venenum ante oppreſſit, quam ad interitum corpus totum apprehenderet. Si vno, aut altero teſte diluenda mihi obiecta fuiſſent: plures autem citari ad innocentiæ cauſam non licuiſſet, forſan apud male ſanos argumentorum fides veniſſet in dubium. Tam tibi credere homines, quam meis teſtibus potuiſſent, qui & inſtrui aliquando, & emi pecunia, & deliniri gratia ad mendacium ſolent. Nunc vero cum tota vna Republica teſte, in qua hominū millia continentur, & corruptelis locus non eſt, inuenta neceſſaria refellantur, quid dici aliud poteſt? niſi linguam tibi eſſe, nun mentē: ſcelus, non animum: fallendi curam, non artem. Præuideri demens hæc ante oportuit, ac ſi maxime ſcelus erat miſcendum, vtique non tanta cæcitate miſcendum. Patet nunc ſi aus tua. Commenta impia in apertum venere. Vulgata eſt paſſim ignorata iniquitas. Odium publicum es omnium, qui Romæ in numero aliquo ſunt. Nemo te videt, qui non deteſtetur. Nemo audit, qui non dignum ſupplicio iudicet. Conuerſus eſt dolor tuus in caput tuum, & in verticē tuum iniquitas tua deſcendit: ſed humanæ conditionis hęc eſt pœna, quam memoro. Vltionē diuinam miſer attende tremendā, ſi ſapis, & tibi mox affuturā, niſi pœnitendo ſubueneris. Quæro ex te rurſum (id eſt enim neceſſariū) quid egiſti infelix? An neſcis, quanta ſit animi labes detractio, & quam Deo ingrata? Qui occidit, & qui detrahit, eſt homicida. Ille corpus, hic animam ad interitum quærit. Tanto autem eſt detractor homicida nocentior, quanto maiora animæ, quam corporis ſunt detrimēta. Et huius breuiora, illius diuturniora ſunt vulnera: atq; huius ad paucos, illius ad multos damna perueniunt. *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet*, dicit Apoſtolus. Seminaſti nomini fratris tui funeſtū interitum, vtiq; & animæ tuę æternū exitium metes. Celebre & non fallens eſt illud Ioannis: *Omnis qui detrahit fratri ſuo homicida eſt: & homicida nō habet partē in regno Chriſti, & Dei.* Quod ergo iam talis es, & tanti peccati reus manifeſte conuinceris, magnitudinē futuræ vltionis tecum conſidera: ſed audi porro, & vide quanta dirum facinus graueut. Laceraſti Sacerdotem Dei, diuinæ ſorti aſcriptū, & verbo ſuo vetitum tangi. ſcriptum eſt enim: *diis non detrahes*. Magnæ plebis Epiſcopum maledictis es inſectatus: cuius quanto eſt vitę commēdatio ad ſalutē ſubditorū vtilior, tanto tu nequior, & diuino iudicio grauius iam cōdemnatus. Etiā Romani Senatus Cardinalē opprobriis affeciſti, in cuius dedecore Patrū & Pōtificis nota eſt, atq; offenſio. Impius in Deum, in populum mihi creditum noxius: in totū primæ Sedis miniſteriū turpis: at ſi hæc grauia ſunt, ſi æternis ſuppliciis vindicanda, cum tamen in veris ſæpe criminibus accidant, quid impudenter mentiri? falſa cō-

ſingere?iniquum teſtimoniũ circumferre, quid oro eſſe dicemus, aut quibus piaculis à Domino deprecandum?ô perdita cęcitas, & error omni tempore prædicandus. Nõ ſentis, inſane: non ſentis obſtructam tibi viam emerendæ diuinę pietatis? atque ita te in impedita damnationis demiſſum, vt quo inde eleuamento eximi poſſis plane non videam. Notum illud in lege Chriſtiana eſt, nec tibi abſconditum, ita in famam, vt in res noſtras furtum hominum exerceri: eo autem grauiora in hanc, quã in illas admitti. Quo iuxta verbũ Scripturę: *melius eſt nomen bonum, quã diuitia multa*. Porro autem, quod iuſti iudicii eſt, nõ prius peccatis his parci, quam de ademptis ſit ſatisfactum. Tu quomodo infelix falſò à te accuſato nũc ſatisfacies? Aut qua ratione ademptam ęſtimationẽ nomenq; reſtitues? Fama mali ab vno iam peruolauit ad plurimos. In auribus Patrũ, & vulgi tua ſunt maledicta. Habet vrbs tota quod infame os vomuit. Nullo iam conatu tam longe diſtractam poſſeſſionem nominis mei contrahere in vnum, & legitimo poſſeſſori reddere potes. Et ſi nõ reddis, peccati tanti reus ad interitũ ſempiternum teneris, ſed nec id vnquam puto conabere. Veniſti in profundũ malorum, reditum iam ad ſanitatem non habens. Pertinacia indomitæ mentis emendationi obſtabit. Aſſerere nihilominus quereris, quod eſt ſemel proterue ementita. Pudor etiam fatendæ improbitatis os obſtruet, breuem opinionem hominũ ſaluti perpetuæ præferens. Iudicium denique domeſticę turpitudinis mentem cõfundet, quod haud dubie ſubiturum te noſcis perfidiam tuam, meam innocentiam confitendo. Funibus funibus his tuis iuxta Prophetæ dictum, ô peccator, aſtringeris, atq; vndiq; miſerrimis vrgeris anguſtiis, quæ nec tenere te ſine æterno interitu, nec dimittere ſine diuturna turpitudine poſſint. Quid ergo in tam duris rebus cõſilii capies? aut qua mercede captam in exitium animam redimes? Nunquid illius Chriſtiano tibi eſt cura, quæ per baptiſmum renata Deo, te moriente ſuperſtes ad ſupplicium viuet. Perire eam tam miſere patiere, flammiſque vindicibus vri? Niſi reſaneſces demens, niſi admiſſum facinus lachrymis aſſiduis deprecabere, offenſo mihi inprimis facies ſatis: qui nomine non reſtituto nec veniã do, nec dare vlla lege aſtringor. Erunt onerola viuẽti, & mortuo luctus, & pœna. Sed quid ego indigni hominis ſcelus tam multis lamentor? Nõne & Patrum nonnullorum dolentius eſt mihi deploranda facilitas? qui nõ modo ſuſtinere auribus, ſed ferre animo tantũ iniquitatis de me potuere. Primo auditu ſi fuiſſet ille abiectus, ſi nefandi facti increpitus verbum nõ eſſet progreſſus. Eo in loco cœpiſſet finem impietas, vbi initium ſumpſerat. Nemo enim libenter inuitum auditorem alloquitur: nemo magnis ingrata inculcat. *Ventus aquilo*, vt eſt in Prouerbiis, *diſſipat pluuias: facies triſtis linguam detrahentem* Sed videlicet attenti oculi, cupidus intelligendi animus, crebra ſciſcitatio, clemenſq; auditio non ſolum fingendi audaciã præbuerũt, ſed paſſim quoq; aliis diuulgandi. Amamus nos ipſos nimium, & noſtræ ſpei nimium indulgemus. Soli eſſe volumus, quos publica vox laudet, & dignos honore iudicet, æſtimationem autem omnem fratris noſtram iacturam eſſe putamus, nec ſtare illam diu incolumem patimur. Peſtis huius, Mantuane, ſi requiritur cauſa, quænam eſt alia, aut quæ cogitari alia poteſt, quã dira aſſequẽdi Pontificatus cupido? nec beneuolẽtiæ interim, nec coniunctioni, nec vllis meritis parcens. In eo autẽ quærendo, quod vnus eſt, vnum tantũ capit, adipiſci plures non poſſunt. Fit ſemper tanta cõtentio, vt veteri ſententia difficillimum ſit ſeruare ſanctam ſocietatẽ. Etiam, ſi Deo placet, illud apud nos ex Phœniſſis increbuit, turpe quidem gentilibus, Chriſtianis infame, Dei vero ſacerdotibus ſceleratum: *Si ius violandum eſt, violandum regnandi cauſa.* Quam male hoc loco verum attendimus? Quam contrariam affectibus cæca cupiditate viam tenemus? Licet enim illecebrę vni alicui multæ ſint ad traducendos in ſuffragium animos cupidorum: ſolæ illæ tamen ad explendos conatus ſatis non ſunt. Maioribus delinimentis eſt opus, quibus ſæpe deficimur. Non omnes inter nos cupidi ſunt. Nõ omnes aberrant via. Præferunt multi bonum nomen diuitiis, integritatem gratiæ, & publicam ſalutẽ expectationi priuatæ. Patrum ſecunda opinio inprimis eſt neceſſaria, qua in factis dictiſque veri eſſe putemur, non fallaces, non vani, non varii, non circumuẽtores innocentium fratrum, non noſtri tantum amantes: Referentes plærunque ad alienam ſalutem ſtudia noſtra: Benigni, placabiles, in publicis Romanæ Sedis, & noſtræ religionis non hebetes. Hæc mentibus inſita cogitatio conciliat animos, ad ſuf-

fragium

fragium inclinat. Sine illa raro illecebrę ſucceſſum habent, ea ſiue illecebris ſępe ſibi ſecundum exitum reperit. Hoc ex genere aſſumptiones proximæ Pontificum trium fuere, Pii, Pauli, & Xyſti, quibus inprimis fratrum gratia, & charitas, & probata vitæ opinio adiumento ad Pontificatum fuere. Sed iam lamentatis criminationibus meis, deplorato Patrum nonnullorum ſecundiore in malis aſſenſu, quid mihi ad leniendum dolorem nunc ſupereſt? Aut quem Deum adiutorem appellem præter Deum noſtrum verum, & viuum, in cuius non modo diſciplina, ſed exemplo quoque ſumma eſt anxietatum quies, ac conſolatio. Ille ſcit ſine offenſione vlla mea gratis me odio habitum: beneficiis etiam iniquitatem repoſitam, vitam quoque à ſceleribus, quorum eſt inſimulata, tam abfuiſſe, quàm abeſt à ſanitate mentis ſcelerum fabricator: Vulnera porro hæc non iudicii eſſe: ſed liuoris, ſed ambitionis, ſed male diſſimulati amoris: Denique conſpiratione non ratione factum, quod abſentis, innocentiſque tam inique petitum ſit caput. Ad deponendam memoriam doloris magnopere hæc pertinent. Vacans enim culpa conſcientia grande ſolamen eſt, & iudex veri Deus ferendis hominum iniquis iudiciis certe adiumento eſt. Illud quoq; non mediocriter leuat, quòd in tam maledica ciuitate effugere nemo has inſidias poteſt. Apprehendunt omnes tanto quidem ad facinus ſeueriores, quanto illorum poteſtas, & vita maior, in quos exercentur. Aſſunt etiam gentilium exempla permulta, Chriſtianorum pene innumera, quę collata pręſentibus medicinam certiſſimam afferant. Quotus enim quiſq; martyrum Dei hæc flagella viuens non ſenſit? Quam ſæpe meritos bene ingrata iudicia circumuenere? Quam crebro præſtantes gloria lingua inuida perdidit? Quam frequenter inſontes, immaculatos, in via Domini ambulantes, falſi teſtes ad ſupplicia rapuere? Voluminis immenſi, nō lamentationis huius, illorum eſt numerus. Libri, hiſtoriæ legentibus paſſim iſta miniſtrant. Fuit ſemper inimica veritati iniquitas, virtuti inuidia, tenebræ luci, ſed vnū hoc Domini Saluatoris, ſi abeſſent cætera, nonne ſatis ſuperq; eſt, ad noſtra non modo patienti, ſed libenti etiam animo perferenda? Filius Dei via, & veritas, Agnus immaculatus, qui peccatum non fecit, & in ore eius non eſt dolus inuentus. Filius inquam Dei declinare hanc peſtem non valuit. Quanti ea eſſet exemplo ſuo ſatis edocuit, vini, conuiuiorum, voracitatis, blaſphemiæ, peccatoris conſortii, mendacii, Dæmoniorum, ſeditionis eſt inſimulatus nonnunquam, lapidibus aliquando appetitus, falſis demum teſtibus accuſatus, morti addictus, atq; (vt vtar Iſaiæ verbo) cū ſceleratis etiam reputatus. Mollis eſſem nimium animi, nimiumq; mihi indulgentis, ſi nollem id in me pati quod Chriſtus eſt paſſus, & in me admirari, quod ab ſe ille Dominus, & magiſter abiudicandum non cenſuit. *Per gloriam, & ignominiam,* inquit Apoſtolus, *per infamiam, & bonam famam, vt ſeductores, & veraces.* Atque alibi: *Aliis odor vitæ in vitam: aliis odor mortis in mortem.* Feram ergo falſum hunc teſtem, falſos hos fratres, quanto in hac infirmitate valentius potero, putaboque ad meam ſalutem inducta hæc verbera, vt non ſuperbiam, vt bonæ æſtimationis opinione non infler, vt denique gratum Deo me putem, qui quos diligit caſtigat, & arguit. Non ſolus quoq; ætate noſtra ex noſtro ordine hæc fero. Tormentis eiſdem pulſati ſunt plures. Scis nuper, vt de cæteris ſileam, Cardinales quinq; fide, vita & veritate inſignes proditæ maieſtatis Pontifici accuſatos. creditum aliquandiu crimen, ac perquiſitum, nec ante credendi & perquirendi finem factum, quàm reuelante abſcondita Domino lux orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia. Incidiſſent ſi illi in feruidū aliquem pręcipitemq; Pontificem, poterant primo illo falſæ accuſationis auditu, vel capitis, vel certe diuturnæ ignominiæ iniuſtum ſupplicium, inemeritumq; ſubire: ſed pia huius noſtri mens clemenſq; natura medicamento temporis vſa, innocentię filiorum expectando ſubuenit. Dura res, Mantuane, atq; omnium ad perferendum duriſſima, ſed tamen ferenda, quando aliter declinari non poteſt. Hortor autem hunc detractorem meum, ac iuxta præceptum Apoſtoli in ſpiritu lenitatis admoneo: primum, vt peccati pœnitens offenſo faciat ſatis, & lingua ſanet vulnus, qua intulit: Redimere alia ratione amiſſam ſalutem non poteſt. Deinde vt quieſcat, ſatis ſibi habens præſens facinus impune præteritum, nullamque vltionem à bono ſacerdote quæſitam. Non ſępe tamen hominis vnius periclitandam patientiam putet. Iraſci-

mur iuſte nonnunquam, & reſpondere ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam monemur. Porro autem vt videat quàm diſpar gratia ſuis meritis habeatur: Ille in me gratis accenſus eſt, ego prouocatus nec illi iraſcor. Ille amici vitam falſis criminibus perculit: ego ſuam ne veris quidem vna litera attigi. Ille meum nomen ad calumniam palam circumtulit: ego ſuum tegendi turpis facti cauſa reticui. Ille vt perderet voluit: Ego vt ſaluus fiat, opto & quæro. His beneficiis vinci ſi poterit, erit quod læter: ſi minus, iniquitatem pertinacem vindicandam illi relinquo, qui dixit, *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Nec viuenti, nec mortuo vlli vnquam ſua defuit operum merces. Redeo ad hos, quos ſæpe notaui collegas, & Patres obtrectationum mearum affines. Liberior iam interior acerbitas eſt retegenda, vt ſi quid ab initio lamentationis eſt à me diſſimulatum, non propterea ignoratum: ſi quid nunc quoq; omiſſum, non propterea remiſſum ſibi exiſtiment. Oro per communis dignitatis, & loci noſtri religionem primum, vt in amorem mihi reſpondeant, amentq; qui amant. Si minus id poſſunt, ne habeant odio. Id quoq; ſi nequeunt, maledictis ne lacerent. Auctores illa ſuos grauius ſæpe offendunt, quàm quos indigne fatigant. Omnibus eſt turpis detractio, noſtræ vero ſorti turpiſſima. In ſuam dignitatē ſęuit, qui in collegæ famam eſt impius. Non ſunt quæ dicam inania, magnis ea teſtibus poſſum referre. In cubiculis, in cœtibus amicorum, vbicunq; eos ſors offert, ad omnem mei nominis commemorationem in contumelias meas ſic accenduntur, vt ex iis ſolis ſtare totas eorum fortunas appareat. Non Cardinalium, non prǽſulum, non quod indignius eſt, infimæ ſortis hominum auribus parcunt. Implent eas confratris, & conſacerdotis opprobriis. Rogant identidem, vt, ne ex profeſſo exercere inimicitias videantur, non renuncient mihi, nō ſua nomina indicent. Pleroſq; etiam iuriſiurandi & confeſſionis religione nituntur aſtringere. Aiunt tamen ſeſe ſcire, quę criminentur vera eſſe, non dubitanda, diligenter quęſita, & certis auctoribus intellecta. Plenos dictorum fide dimittere ſe illos exiſtimant: abeunt illi inanes. Taciturnos ſperant futuros: ad me illico veniunt. Renunciant ſingula, & deteſtati nequitiam, dolent in tanta frontium noſtrarum coniunctione tantum animorum diſcidium inueniri. Pertuli eos, Mantuane, hucuſq;: diſſimulaui multa, morbis animorum multa indulſi, ambitioni, non impietati aſcripſi calumnias, etiam nouiſſimam hanc ſecurim. Cui grauius infligendæ manus iunxere, fero vt poſſum. Iraſci amicis non temere ſoleo, nec cum merentur quidem. tū ſacerdotem me ſcio, cui eſt dictum: *Inquire pacem, & proſequere eam:* &, *Noli vinci à malo: ſed vince in bono malum.* Vereor tamen ne indignationum cumulus tantopere in diem creſcens aliquando ſuo pondere ruat, & afflicta continuatione mali patientia, cedere infirmitati cogatur. Humani ſumus omnes. Tangimur gratia, tangimur odio. Ignominiæ, & laudi obnoxii ſunt noſtri affectus. Non eſt fatiganda mens hominis totiens, nec tam diu aliena abutendum modeſtia. Nimium onuſta nauis plerunq; deprimitur, & contempti nimium funes rumpuntur. Languoris iam, non patientiæ ſunt mea ſilentia: & quod diu contineo, non ad virtutis, ſed ad conſcientiæ ſignum refertur. Iterum dico: Vereor ne longo vexatus tempore ſpretus ſemper, maliloquio finem non videns, quod in aliis damno, inuitus cogar ipſe ſuſcipere. Id ſi fecero, Mantuane, mihi ipſi non deero. Ad loquendum, & ſcribendum abunde ſuppetet ſeges. Scio quam ferax ſit ager. Illorum dicta continebuntur mœnibus vrbis: mea qualiacunq; fuerint, ſi non Alpes tranſcendent, extra tamen Latium vagabuntur. Ad paucos ſua peruenient, ad plurimos mea. Illa breui interibunt, hæc, ni fallor, ad poſteros perferentur. Diſcent ingrati vexatores, quid fuerit lucri, amicum innocentem, quietum, & nulli moleſtum, primo à ſe deſertum fuiſſe, poſt proditum, poſtremo oppugnatum. etiam noſcent, quàm inutile ridendumq; ſit in alios dicere, qui de ſe facile poſſunt audire. Da veniam, Pater Ampliſſime, ſi feruidius loquor, & mitiſſimis ſenſibus tuis lamentando non ſeruio: aliena id inclementia cogit. Sine iracundia tamen cuncta lamentor: nihil ſine dolore. Tecum mihi eſt ſermo, qui non modo me amas, ſed ſcis, quàm indigna ſim paſſus. Aſpice propius Fortunam amici, & quantum potes, ab inſidiis inimicorū illum tuere. Mea omnia iuſtæ ſemper tibi curę ſunt habita. Affuiſti conſilio, ſpe non defuiſti. Etiam memoria diei illius atque horæ non excidit animo, in qua ambo ad miniſterium Romanæ Sedis ab vno

eodemq;

eodemq; Patre, vna eademq; dextra benedictionis ſignum iunctim accepimus. Ex illo tempore tuum me exiſtimaſti, & familiæ tuæ ęterna fide addictum. Non es paſſus proteri me, aut vllis inuidorum machinis pelli. Acceſſiones meas tuas putaſti, detrimenta mea vtiq; & tua. Nupet quoq; cum tam impie lacetarer, indolebas, angebaris, negabas credenda quæ dicebantur. Sine mœrore aures ferre non poterant crimina indigna, & tam turpiter ementita. Hunc quæſo ſemper in me animum retine, vt certe voluntate tua, & meis officiis retenturum te ſpero: incolumique amante Mantuano inimicorum meorum conatus, etſi aliquando dolituros, nunquam tamen mihi nocituros confido. Vale.

LAVDIVIVS VEZANENSIS LVNENSIS EQVES Hieroſolymitanus Cardinali Papienſi.

DCXLI.

QVæ nuper apud Scythas Europæ ab immaniſſimo Rege Turcorum in Ponto geſta ſunt, etſi omnia calamitatibus plena videantur, ea tibi paucis referre inſtitui, vt ſentiat tandem Romanus Pontifex, atque vniuerſus orbis Senatus, hanc maximam omnium cladem cum ſummo Chriſtianæ Reipublicæ detrimento acceptam, quum tantæ pręſertim victorię Barbaris acceſſio facta ſit, vt non modo rei huius noua perturbatio vniuerſi quidem Orientis animos inuaſerit: ſed omnia Turcorum poſſe viribus expugnari prædicent homines, & qui Euxinum mare atq; Ægeum tenent, fugam potius quàm arma meditentur, atq; ea vis animorum, quæ olim maioribus noſtris fuit in exercitu Chriſtiano fracta, nec vllam ſpem ſalutis poſitã in noſtris intelligo, niſi Occidens vniuerſus ad arma coniuret, atq; vno tempore terra mariq; Turcus oppugnetur. nam tot bellorum impenſis rem protrahere non video quid profuturum ſit: poſt enim captam Bizantium, quę in Propontide ſita eſt, quanta calamitates Chriſtiani acceperint, niſi teneres omnia, referrem. Itaq; Græcis primum ludibrio habitis, mox ad Barbaros ferro penetrauit, Miſſioſque & Treballos ſuperioribus annis variis afflixit cladibus. nuper vero in Tauticam Cherſoneſum ingenti claſſe comparata nauigauit, & quum legiones militum in terram expoſuiſſet, inſperato Scythas aggreſſus, atque vrbem Theodoxiam, quæ nunc à barbaris Cafa appellatur, Genuenſium coloniam magna vi cœpit oppugnare: Rex ipſe vero Scytharum tanta belli mole oppreſſus cum mille, & quingentis equitibus in vrbem ſeſe recepit: cæteri vero qui in aciem educti fuerant, militum proditione ad Turcum defeciuere. Itaq; nulla pugnandi intermiſſione oppidanis facta, diebus quatuor, & totidem continuis noctibus exercitu propius admoto pergit obſeſſos expugnare. pars vero ciuium, qui ſeſe intra vrbis vallum, ac mœnia tutabantur, quum vim hoſtium ingruentem ferre diutius non poſſent, ab obſidione liberari apud magiſtratus ſuos flagitabant. reclamantibus illis ſeditio orta eſt: itaque oppidani proditione facta ſeſe mox hoſti dediderunt. Turcus vero poſt vrbis captæ victoriam, quum ingentem prædam militibus ſuis diuiſiſſet, mox ad omnia ſuppliciorum genera in captiuos animum conuertit. Itaque impetu facto ex licentia ferri deſæuire barbari cœperunt: Quotquot enim obuiam excepti militum gladiis trucidabantur. Nullus fuit in captiuos miſericordiæ locus, nulla in Deum pietas, & religio, nullum etiam crudelitatis genus omiſſum. Alii quidē in excogitato ſuppliciorum genere torquebantur: alii inter varios cruciatus miſerabili fato exanimati ſunt: nonnullos vero ad necem vſq; verbęribus cædi Rex ipſe imperauit. Conſulem quoq; ipſum atque vrbis Prætorem capite truncauit. Patricios vero omnes, & vniuerſum quidem Senatum ferro aggreſſus eſt. Ciues enim ex ſenioribus trecentos ad vnum interemit, mox in reliquam plebis multitudinem furore debacchatus. audires teneros infantium vagitus, & triſtes parentum lachrymas, atq; vrbetota ſæuos paſſim matrum vlulatus. ô quàm triſte omnibus ſpectaculum fuit, in tãta vrbis atq; hominum ſtrage vbiq; morientium gemitus, & opē implorantium vota exaudire. Sed Turcus multo ferocior ad omnia ſtetit immobilis, nec vnquam oculos ad miſericordiam deflexit, ſed contempta Dei religione tam immane facinus aggreſſus, vt humana ſimul & diuina

permiſcuerit. Non aris ille Sanctorum pepercit, non templis maiorum, non pueris denique nec virginibus, quos ſatellitum manibus attractos in conſpectu parentum iuſſit occidi, matronas quoque nobiles & iam ſenio confectas nullo ſexus diſcrimine habito trucidari imperauit. Itaque nullus fuit crudelitati modus. poſtea vero præſidiis militum in vrbe capta diſpoſitis, ipſe omnem Pontici maris oram claſſe depopulatus, hinc ad Getas, qui trans Danubium incolunt, arma conuertit, vt arcem eorum munitiſſimam expugnaret, & iam caſtra admouit. Huic tamen ab oppidanis in dies acrius reſiſtitur, vt incertum ſit ad quos potius victoria declinet. Habes igitur infelicis belli exitum, quod nuper in Taurica Cherſoneſo geſtum. Quid enim grauiora expectamus? quotidie maiora quidem Turcus in Chriſtianos molitur, & incredibili exercitu comparato bellum renouauit, vt in Italiam claſſe traiiciat: atque de inſulis Ægei omnibus actum, ſi vera ſunt quæ nobis quotidie formidoloſa nunciantur. Quid facimus igitur Chriſtiani? quid in tanta belli mole dormitamus? tanquam nihil ad nos ſpectet. nemo eſt qui tantæ cladis meminerit, quanta xx. fere ſuperioribus annis accepimus. Vbi vis illa animorum eſt, quæ olim maioribus noſtris fuit? vbi nominis Latini maieſtas? vbi denique bellica Romanorum virtus, & Imperii gloria? atque vtinam falſus ſim: de Chriſtianis actum niſi maturius hoſti occurratur. Iam minori dominatur Aſiæ, & omnis Pontici maris ora nuper illi adiecta. Signa quoque ad Tanaim & Mæotidem vſque prouexit, & Græcia omnis in poteſtatem bello redacta. paucæ tamen adhuc maritimæ vrbes in fide retinentur, libertate Venetorum defenſæ. De incredibili vero Rhodiorum virtute, ac militum noſtrorum conſtantia bene ſperandum eſt: nam magnitudine quidem animi, & armorum exercitatione longe cæteris præſtare videntur, atque omnia ad neceſſarios belli vſus indies comparamus, & nobis rerum commeatus abunde ſuppetunt: vrbem vero ipſam mœnibus & ingenti vallo clauſimus, atque omnes machinas & tormentorum genera ad vim hoſtium arcendam murorum propugnaculis erexinus, vt ſi quando belli vſus euenerit, non tam conſtanter hoſtem excipere videamur, quàm fortiter propulſare. Vale felix, ac Laudiuii tui memor, quem ſcias tui profecto ſtudioſiſſimum eſſe, ac tuum nomen in hos vſque Orientis populos extollere, ac prædicare. Vale iterum. Rhodi Calendis Auguſti. M.CCCCLXXV.

DE inſularum Geographia, quam tuo nomine edidi, iudicium expecto: quamuis Romæ nunc pueri naſum rhinocerotis habent: & ipſe doctorum aures acutas nimium reformido: ſed te iudice forum non declinabo, etiam ſi omnes reclament: nam ſcio cæteris placitura, quæ tu non improbaueris. ſentiant maledici quid velint: nos quidem ea in communi ſcripſimus vtilitate, non dicendi gloriam quæſiuimus. Vale.

G. LOLLIO PICOLOMINEO.

DCXLII.

QVid hoc Ianuario Senenſi agro acciderit neſcio: aquis abſorptus eſt Romanus. Creuit ex niuibus Tybris tranſcendes muros hortorum meorum, atque intra atria ædium quatuor prope vlnas aſcendens. Cimba iri ad me exirique oportuit. In ſuperiora etiam domus ſe recepit familia. Sexta is die menſis alueí ſummam æquauit: ſeptima effluxit, octaua in eam quam dico altitudinem venit, qui & non multum imminutus nunc quoque continuat. Serpentum visingens delata in mare ex cauernis agriſque excita, ac rapta. Prata quæ ſub Vaticano ſunt, æque ac alueus plana, & plena. Porta Adriani fluctibus in eam delatis, inferri quicquam efferrique non potuit. Quæque hoc remiſſionis anno, peregre vndique venientes accepit, confluentes nunc vndique gurgites capit. Via ad Pontificem obſeſſa iri in ſenatum per Adriani molem oportuit. Cellaria pene omnia humiliori parte vrbis depreſſa iacturam ſenſere. Intra Apoſtoli Pauli ædem ad primum ſummi altaris gradum aqua conſcendit. Lignatorum damna non refero. magna ea fuerunt. Integras lignorum ſtrues auferri ipſe ex feneſtris totas conſpexi. In vinetis palorum nihil relictum eſt. Auulſæ arbores multæ. cauponulis quoque, & mapalibus ad Tyberim poſitis omnifariam ſupellex abacta. Niues altiores, diuturniores imbres diluuium Romæ maius annos ab hinc ſexaginta

meminit

meminit nemo. Timuimus tempora Noe, deleriq; iterum quæ ſunt ſuper terram credidimus. Vocatu mei Senenſis confugi ad eum, vbi & ſum. Domus ad ſacerdotalem frugalitatem, non minus ad dignitatem Cardinalatus conſtructa vtrunque commode capit. Quam ab eo benigne accipiar, tu Lolli conſidera, qui ſcis quam pio ille ingenio ſit, & quo affectu me amet. Ea certe eſt charitas, vt gratiæ referendæ adempta pene ſit omnis noſtra facultas. Sed quam à rebus non potero, ab animo gratitudinem ſumam. Aiunt ſcriptores, futurorum vatem eſſe hunc fluuium, grande aliquid inundationibus ſuis protendere. Hiſtoriæ Liuianæ hoc docent: hoc admonet Plinius, Lyricis ſuis idem Flaccus teſtatur. Sedente Pelagio ſecundo, & imperante Mauritio, cum vſq; adeo ſe extuliſſet, vt tranſcenderet muros Vrbis, draconem magnitudinis miræ, reptilium vim infinitam ſecum conuolueret, his poſtmodum ad litus eiectis, Soleq; corruptis, & Auſtris ad proxima tabem ferentibus, peſtilentiæ tantum ſucceſſit, vt ad paucitatem redactæ Romæ familiæ ſint, vacuæ factæ domus innumeræ: Ipſe autem inprimis abſumptus Pelagius. Quid nobis accidet neſcio. Subueniat Dominus, ac quicquid eſt, quod mali Tybris prænunciat, in caput blaſphemantium nomen ſuum vertatur. Hæc raptim ſcripſi, vt noſtra non ignorares, & re reſpondente veſtra ego cognoſcerem. Saluta meis verbis vxorem, & liberos, & vale. Romæ. Ianuarii. M.CCCCLXXVI.

Creuit ad hoc ſignum, tranſcendens limina Tybris:
Octaua Iani commemoranda dies.
Territa Roma: Noë redeunt nunc tempora, dixit,
Diluuio ac rurſum corruet omne genus.
Hunc annum verſu longum eſt deſcribere, verum
Subdita de numeris te nota plane docet.

Nulla tui, vt video, eſt Papienſis cura, Latine,
Obruitur Tybri, ſubuenis at nihilum.
Vina natant, deſit panis, conſumpta farina eſt,
Et tremit aſſiduis fluctibus icta domus.
Parua in me ſpes eſt: obſeſſus tendere palmas
Vicino impellor. da Pater auxilium.
Piſces ſunt, fateor: ſed non ſunt retia, non eſt
Sartago, atque oleum, non quoque mica ſalis.
Cuncta improuiſus ſecum tulit impetus, aut tu
Me tuua, vel crimen tu pereuntis habe.

Magna quidem Vrſino debetur gratia: noſtri eſt
Et memor, & quærit ne pereamus aquis.
Offert obſeſſis, quæ ſunt gratiſsima, quæq;
Oblata à magnis grande leuamen habent.
Vt genus inſigne eſt, ſic facta, & dicta, Latine,
Hæc ſunt. nam ſpecimen nominis, ac generis
Figetur clauo pietas monſtrata trabali,
Tu pater æternum, tu mihi rector eris.

Ad eundem.

Nil mihi reſcribis, nil ſcribis, mortua Muſa eſt
Tam feſtiua prius, tam bona, tam facilis.
Diſperam ni cauſa illa eſt, illa vnica, quod te
Quærentem vexat ſyllaba, longa, breuis.

CAMPANVS IACOBO CARDINALI PAPIENSI.

DCXLIII.

DEus Deus meus, qui nunquam me dereliquiſti, quin fuerim exauditus, quoties opem imploraui: nunc dormio in dexteram læuamq; ſecurus. Nihil a te poſtulo, niſi vt charitate erga me perſtes tua. Viuo te ſatis eſt mihi fortunatum, nullius rei egeo. Neapolim ad hunc diē proficiſci nō placuit. Regio puero inſeruire tā grand-

æuum: addo etiam tam imperioſum hominem, indecorum exiſtimaui. Quod ſi datum eſſet à Superis, vt in ſernitio conſeneſcerem, honeſtior Romæ vita ttanſigi inter ordinis mei antiſtires potuiſſet, & fortuna expectari, apud te præſertim, à quo tantum mihi ad hunc diem collatum extitit, quantum meæ neceſſitudines poſtularunt.

Stat vitæ ratio qualis ſolet eſſe beatis:
Et magnas is habet, qui prope ſpernit opes.

Poſſem tibi reddere rationem ingenii: ſed fiet cum erlmus vna. Antonium Senenſem audies, atq; exaudies. Vale. Terami VI. Februarii. M.CCCCLXXVI.

G. EPISCOPO AGRIENSI.

DCXLIV.

SI te hactenus voluntate dilexi, neceſſitate quidem nunc cogor diligere. Ea enim ſunt opera tua in publica Chriſtianorum, & priuata Sedis Apoſtolicæ cauſa, vt Agrienſis non me meminiſſe Ingrarum ſit: illum non amare nefarium. Amo te, Pater, amori totiens acceſſio fit, quotiens recitatis in Senatu literis tuis, etiam actionum documenta ſimul tenentur. Ne dubita. Tuus eſt Papienſis: non tam ſcribendi quàm præſtandi cupidus, nec tam ad iram quàm ad opera promptus. Idipſum planius noſces, cum de præmiis diſcriminum, & laborum tuorum ad nos referetur. Qood optaui priuato, & in tunica adhuc Franciſci agenti, id crede publice miniſtranti, & ad præſulatum aſſumpto non modo opto, ſed modis omnibus quæro. Obſtant adhuc tempora, aliena ambitione magis quàm noſtra voluntate tibi aduerſa. Sed non obſtabunt diu. Breui, vt puto, erit quod cupimus, & quod inprimis ad commune opus eſt vtile. Pietate ſua id Dominus tribuat. Rex Matthias in cœlo apud nos eſt. Gloria inuicti Principis maior eſſe Romæ non poteſt. Prędicantur omnium linguis facta ingentia, priuatimq;, & publice pro eius ſalute vota ſuſcipiuntur. Sed vtinam, quę noſtra eſt, aliorum quoq; mens eſſet. Duriſſimam hyemem pro fide nunc patienti, & caput vnum obiicienti pro omnibus, non deeſſent ſubſidia, quæ vel dilata diutius, vel parcius miniſtrata quam oporteret, vereor ne magnarum calamitatum ſint cauſa. Multi quæ ſua ſunt intuentur; non quæ Ieſu Chriſti, affectum adhibentes, non rationem ad capiendum conſilium. Hic tamen Pontifex noſter ſupra vites contendēs, omnia molitur, & temptat. Oratores Italos non dimittit à ſe, vt maiora decimali contributione præſtent, ſedulo adnititur. De decimis clericorum, & vigeſimis Iudæorū eſt impetratum. Sed quantula hæc ſunt ad tantum bellum ſuſtinendum præſidia? Quid enim centena millia inopi Regi contra Aſiæ, & bonæ partis Europę potentiſſimum dominum? Contributionem autem ſecularem nondum impetrauit. Ei impetrandę totum ſe exhibet. Nos patris fideliter laborantis ſequimur quoad poſſumus ſtudia. Emolliat Deus corda dura, menteſq; cæcas illuminet, ne ambulemus in tenebris, & in vmbra mortis, ac defenſore tanto deſerto, ſero lugeamus, non cognitam prius fuiſſe viam noſtræ ſalutis. In periculis his & rebus tam aſperis ſerua teipſum Pater, quodq; tuæ virtutis, & religionis ſemper fuit, Sacerdotem te recordate. Vale. Romæ. VII. Martii. M.CCCCLXXVII.

CARDINALI MANTVANO.

DCXLV.

MAntuane protector viue, & vale. Heri veſperi Senam ingreſſus ſum, dies complures ante in ſuburbanulo commoratus, quod dubiis his temporibus ingratos eſſe Senenſibus eos cognoueram, qui à vobis recens aduenіunt. Paro ad vicinas aquas procedere, quarum potatio ſaluti eſt renibus. Ab his in ciuitatem reuertar, & nunc hic, nunc ruri, ſi per peſtilentiam propinquantem licebit, æſtatis reliquum exigam Inuaſit enim & dure vexat vicina agri huius oppida duo, Paganicum, atq; Archidoxum, vnde neceſſario ſunt crebra cōmercia. Tu interim vale pater. Incolumitatis memoriam habe, & Papienſem ſerua. Tuus eſt enim: quicqud illi rerum & famæ accedit, atq; decedit, poſſeſſionis tuę eſt iactura, & lucrum. Quod apud vos, & Gallum, &

lum,& Burgundum, & Hungarum agitur, ex te vero ſemper auctore opto cognoſcere. Senæ XXIII. Iunii M.CCCCLXXVI.

IACOBO VOLATERRANO.

DCXLVI.

MArianus faber lignarius dolauit iam aſſeres, & pinxit regulas. Accinctus eſt ad lacunarium opus, ad quod ſtruendi ſunt pontes. In iis firmandis puto laterîtiū diſſoluetur, niſi vt tu ſcribis, ſit ſuprema pars operis. Quare vide, & prouide. Ipſe, vt puto, cras veniet. Finem dierum, quantū video, proponit ſeruare. Lignario operante poterit ex iiſdem pontibus pictor depingere. Hoc quoque mente ne excidat. Satisfactionem de Froſino accipio. Cura, vt terra de piſcina effoſſa æqua portione ad latera & frontes feratur. Vale.

F. CARDINALIS MANTVANVS IACOBO CARDINALI Papienſi,

DCXLVII.

NIhil ambigo iam ad aures Reuerendiſſimæ D. veſtræ delatū eſſe nuntium obitus bonę memorię Domini Cardinalis Bononienſis, quem non potui non maxime deplorare ob meam in eum præcipuam obſeruantiam, & ſeruitutem. fuitque mihi eo acerbior, quo breuiore tempore, tanquam ex plena incolumitate, pro illius Patris ætate, & valetudine, veluti ſubtractus viſus eſt. Scio idem vobis accidiſſe: & propterea mei officii eſt, primum ſimul condolere: deinde pro conſueto humanæ ſortis remedio communem hanc triſtitiam lenire, quod eo paucioribus verbis apud Reuerendiſſimam D. veſtram proſequar, quo illam ſcio in huiuſmodi patientiæ, ac fortitudinis documentis eſſe vberiorem. Heri cum allatæ eſſent recentiores ex Auinione litteræ, euocati fuimus ad conſiſtorium veſpertinum. Ex illis coniicitur, Patriarcham Antiochenum Cardinali ſancti Petri ſignificaſſe de eo hic circumferri, quod ceſſioni Renati Regis conſenſerit, quod Archiepiſcopo Lugdunenſi perpetuam Galliarum Legationem promiſerit. Reſpondet Patriarchæ Cardinalis, neutrum horum verum eſſe: imo ſe nedum conceſſiſſe, ſed neque ad ea facienda requiſitum eſſe. ſi factum eſſet, non commiſſurum fuiſſe ſe, vt ea ſilentio pertranſiret, ſed vt alia ſignificaſſet. Hæ ad Patriarcham litteræ publice lectæ, vt tollerent rumorem inter nos ſatis vulgatum, & conſtantem. Sunt tamen, qui propterea nihil minus credant, & in opinione illa adhuc perſeuerant. Eo conſiſtorio ſpolia Bononienſis diſtributa ſunt. Vicecancellarius ad Portuenſem translatus eſt. Neapolitanus Albenſis creatus. Titulus ſancti Laurentii, & domus dati ſunt Melphitenſi. Prior illius titulus ſanctæ Ceciliæ Mediolanenſi conceſſus. Monaſterium ſaxi viui in agro Fulginati Cardinali ſancti Marci commendatum. Ego Bononienſis eccleſiæ adminiſtrationem habui. Epiſcopus Albinganenſis monaſterium de la ſtrata nuncupatum in Bononienſi agro, Cardinali Rothomagenſi, quod in vltimis pro dignitate reſeruaui, monaſterium Cerete commendatum fuit. Officium pœnitentiariæ, vt puto, abſenti Cardinali nepoti deſignatum eſt. Hæc ſpoliorum diuiſio. Hoc totum eſt, quod per vniuerſam hebdomadam nuntiare poſſum. Vale. Narniæ XXVII. Iulii M. CCCCLXXVI.

F. CARDINALI MANTVANO.

DCXLVIII.

NVllum habendę gratię genus, etiam diligentius meditanti occurrit, quod vel par tuis officiis ſit, vel meo animo faciat ſatis. Vincunt quotidiana beneficia Papienſis conatum. Tuque quod ab inopi non expectas, pia voluntate ſuperimpendis. Habebo tamen quas potero, inſigni virtute tua fretus, quæ ad tribuendum ſemper intenta deberi ſibi mauult, quam cuiquam debere. Habeo igitur maximas, & quod ſupra menſuram hanc eſt, irremuneratum non ſinat Altiſſimus. Lectis litteris tuis ingens ſubito eſt orta, cum voluptas, tum admiratio, tum vero etiā ab dubiis rebus anxietas. Oblectauit quidem varietas. noua conſilia permouerunt. ancipites exitus diſcriminū

pleni moleſtiam attulere. Singulis breuiter reſpondebo, ne longioribus nemiſs tædia quæ non præſtas, accipias. De Cardinalatu noſtri Heſler, & veſtris decretis plus multo concipio, quam litteræ preferant. Indiei niſi magnis de rebus, nō ſolent ſilentia, & ego iis indicendis aſſuetus ſcio quid plerumq; contineant. Fortunet Deus, quod vel ſponſum Cæſari eſt, vel certe à vobis decretum. Accepturus æquo animo ſum, quod tibi cordi eſſe cognouero, cum ſine te triſtari, ſine te lætari pater nō debeam. Grande eſt filiam Ducis Burgundorum ipſius Cæſaris filio denupſiſſe, atq; illi ſuorū, huic Romanorum Regnum expoſci. Primi conſilii iudicio meo magna facilitas, ſecundi difficultas non parua. Ne amici quidem electores addo & neceſſarii, Federico requirenti aſſentient, quorum, vt ſcis, in ea re eſt tota poteſtas. Legatum peti te ad conuentum in Germanis habendum plurimum lætor: decerni vero plurimum triſtor. Gloriæ quidē eſt, expetitum à tanto Principe iuuenem eſſe, iacturæ ſine fructu abeſſe, & cum vitæ periculo circumagi. Exitus conſiliorum in ea natione ſunt nouorum ſemper conſiliorum initia, magniſque apud eas conatibus nihil vnquam perficitur. Vtilius multo eſt colere te Apoſtolicam Sedem, cui es charus, teque ipſum, & ſpem tuam ſequētes vna prouidentia conſeruare. Obteſtor igitur Dignationem tuam ne exeas, neue patiaris emitti, cum alterum non ſit neceſſarium, alterum turpe poſſit videri. Mihi quod ſine aſſentatione affirmo, nec ingratius quicquam nec mœſtius, nec damnoſius poſſet accidere. Scribis huic te poſtulationi ſedulo aduerſari: Laudo quod facis: hortorq; id ipſum ad rem perfectam ne deſinas facere. Omnis peregrinatio, inquit Cicero, obſcura, & ſordida eſt iis, quorum induſtria Romę poteſt eſſe illuſtris. Altera iam Burgundi plaga audita tantum hic erat, ſed in hanc diem non credita. Tuę litteræ dubitationem omnem protinus ſuſtulere: non ſemper ſecundæ res vni. Quem aduerſa ſæpe prætereunt, aliquando inueniunt, & cui in aperto ſubueniunt vires, inter anguſta plærumq; non aſſunt. Pugnaces ſemper Heluetii montanis incluſi: per omnē vitam victor Carolus Dux prœliis campeſtribus aſſuetus, ſed operoſum valde eſt, procliueq; ad perniciem alieno loco pugnare, non ſuo. Patrocinium Sabaudienſe à Duce noſtro ſuſceptū quid illi allaturum ſit neſcio. Plenum quidem videtur officio, vt illi ſunt pia initia, ita felices ſint exitus precor. Nuncium cladis illatę publica lętitia à Ludouico rege ſuſceptum, nec miror, nec dubito. Gallica res non Itala fuit ingenio tranſalpino multū cognata. Olim Pompei magni capite ad Cæſarē hoſtem relato illachrymauit ad eius interitum, vltuſq; eſt occiſores: ſi in manifeſti, & armati hoſtis occaſu militaris Imperator ſic egit, quid Regem agere in iactura tantum reconciliati oportuit? Sed illi ſuum, nos noſtrum captū ſeruemus, aliter inter cordatos excordeſq; nullum eſſet diſcrimē. Gallici honores, quos memoras, à qua die ſunt nunciati, ſuſpecti mihi fuere, non ſine mercede ingenti habitos æſtimanti: mercedē autem ipſam, & grauē eſſe, & Romanæ Sedi inprimis calamitoſam putant. Huic iudicio Pontificis vultus contra naturam, vt ſcribis, conſuetudinemq; non lætus, & diligentia celandi facile aſſentiunt: Cum tempeſtati, internę ad frontē nubes erumpere ſolent, eorumq; vt plurimum noſtros celemus, quorum nos auctores maxime pudet. Recipiendę Auinionis cupiditas, delendæ notæ cura, quod culpa Legati nepotis ea ciuitas diceretur amiſſa, facile potuit ad detrimētoſas pactiones illū inducere: ſed obſtructio hæc nec diuturna eſſe poterit, neq; ita obducta, vt acres mei Mātuani oculos poſſit effugere. Quicquid ergo id erit, quod in lucem aliquando eſt peruenturū, cura oro vt ſciam, ne gementibus vobis ego vnus lachrymarum veſtrarum ſim expers. Fuga Regii filii ſiue Cyprum ſpectet, ſiue infidelem Soldanum, vera item ſit an affectata, non poteſt ad auertendos à Turco Venetos pertinere. Male conciliatæ voluntates, & artes Hiſpanicæ, quid illis non trepidi afferant? Sed funeſtum conſilium intercipiat Dominus, impiarum cogitationum ſemper inſpector. De minore Deſpoto equidem cum adhuc Romæ eſſem, & lamentantem illum audirem, quod ad arbitrium non paſceretur, eius inertia plane ſum vaticinatus quod accidit: abiturū illum ad Turcos, quo iamdudū infidelis natura, & inexhauſta cupiditas rapiebat. Si fides eſſet tenui Cardinali, ſuaderē quoq; penſione adempta maiorem emitti, vt vbiuis locorum eſſet, quā Romę. Crede, qua inter ſe ambo erant coniunctione, ſine fratris cōſilio à Chriſtianis fratrē non defeciſſe, rurſum futurā poſthac inter eos per nuncios ignoratos cōmercia, plus innatę perfidiæ, quam commodorum noſtro-

noſtrorum habentia. Honore Cardinalibus pari, annuaq; pecunia noſtra, eaq; nō le-
ui, apud nos retinebitur qui pro Turco, quę agantur exploret, & in eandē ſpurcitiam
ſe tandem conferat. Amplior multo animi ſollicitudo de Turcorum in Moldauos de-
ſcenſu eſt ſuſpicienda. Tanta quingentorū milium multitudo, tamq; immanis, quem
iuſte nō terreat? Exercitata illa quidem ſic ad noſtra eſt bella, ac ſic flos eius ex noſtris
transfugis conſtat, vt merito non manus noſtrę modo, ſed noſtra quoq; in nos milita-
ris iam pugnet induſtria. quod moliti ſunt hactenus mari, in metu non fuit. Littora
tantum, & littoribus proxima claſſe vexantur. Summa rerum in diſcrimen nō venit.
Tunc timendū eſt extremum exitium, cum terreſtribus copiis petimur, viæq; certæ,
nō dubio mari barbaræ vires creduntur. Galli, Afri, Gothi, Oſtrogothi, Hunni, & Vā-
dali, atq; id omne genus externorū examinum terra, nō mari ad nos irrupere, & mi-
ſeram Italiam oppreſſere. Nunquam Mantuane Pater, moueri in Hungaros hęc arma
intelligo, vt non totus mente concutiar, ante oculoſq; verſetur futura ſors noſtra. Di-
uino munere datum id regnū Chriſtianis reliquis eſt, vt pro omnibus pugnet, peten-
teſque nos tempeſtates virtute ſua diſtineat. Si ſemel (quod Deus ſanctiq; prohibeāt)
cedat plagamque accipiat, qualem inferre victrix barbaries ſolet, quid impediti, quid
clauſi interim eſt, vt non illico increduli nos atq; ad præſidiū ſeri, vel iugulum gladio
præbeamus, vel iugo miſerrimæ ſeruitutis colla ſubdamus? Orandus eſt Deus, vt im-
pietatum noſtrarum oblitus, memor ſit miſericordiæ ſuæ, detque Chriſtiano nomini
quod opera Chriſtiana minus ſunt merita. Ego quidem & pendere animo, & angi, &
formidare ante non deſinam, quam intellexero conatus tantos, aut fractos prœlio eſ-
ſe, aut anni tempore diſſolutos. Quam ob cauſam, ſi quid amplius de his perfertur ad
vos, pro tua in me charitate cura vt ſciam. Quod ad nepotem Chriſtophorum attinet,
me hercle quid reſpondeam neſcio, quid ſperem ignoro, quid repromittam, non ha-
beo. Lubrica ætas licentiæ aſſuera figere certum aliquid mente non ſinit. Quod occa-
ſionum inopia in laſciuis nunc affectibus tegitur, vereor ne erumpat in copia, ac velu-
ti ex apertis aggeribus retentæ aquæ, impetu maiori in procliue voluatur. Te tamen
pio rectore nihil eſt deſperandum. Amas mea gratia iuuenem, patremque illi præſtas,
non dominum. Animum bonum, quo eſſe me iubes, tuo imperio induo. Spero quod
ſperas: ſed beneficium tibi mihique hoc Dominus præſtet, vt ſicut amantiſſime ſcri-
bis, vitulum aliquando euangelicum comedamus. Officia in illum, vel verius in Pa-
pienſem tua, quanta ſint noſco, quā me obligent video. Sic habe, Pater, ſi merces ali-
qua eſt pro beneficio accepto, boni, & grati Cardinalis perpetua ſeruitus mea ſic eſt
meritis tuis addicta, vt non prius quā vita, ſit deſitura. Cuius propoſiti fidem de rebus,
non verbis perſpici cupio. Erat epiſtolæ tuæ breuis incluſa ſignificatio de inclinante
ad nouam Cardinalium ordinationem Pontifice, & Regio filio inter illos futuro. V-
trumque, mi Pater, vt graue: ſic non neceſſarium, ſed multo poſtremum hoc grauius.
Cur ita ſic dicerē, ni tu (qua es ad futura pręuidenda diuinitate) plenius interiuſq; illa
cognoſceres. Sed heus, Mantuane, Pontificis huius creator, ſi Neapolitanus accipi-
tur, Mediolanenſis excluditur: quid Galeacius Maria de miſſione Germani fratris ad
vrbem, & centum milibus te ſponſore oblatis, & tuo non reditu, ſed volatu putabit?
An non tandem intelliget citiſſimis iumentis ſuis inuectum ſibi damnū, & dedecus?
Deique non conſiliorum ſuorum eſſe exitus bonos? Sed hæc ad litteras tuas. Ad mea
priuata item hæc pauca. Multos iam dies, quod pridem facturū me ſcripſeram, Bor-
ranam aquam ebibi, purgandis renibus ſalubrem. Reuerſus ſum Senas, vbi ſi biduo
maneo, quatriduo me ruri contineo. Ad ſaturitatem lego, ad laſſitudinem ſcribo, ad
plenam voluptatem voluendis ſaxis glebiſq; inter ruſticos operor. Nil me in dome-
ſticis anxium habet, præterquam mutandi loci neceſſitas. Peſtilentia hucuſque apud
vicinos fuit acri ſemper cuſtode excluſa. Nunc vero omnem cuſtodiam fallens in vr-
bem eſt lapſa. Nocte præterita ad medium Camiliæ viæ, loco frequenti, & celebri,
contacta eſt mulier, ad veſperum hodie, vt nunciatum eſt, mortua. Territa tota eſt ci-
uitas, defunctæ neceſſarii eiecti, & domus publice clauſa. Paucis diebus ab iis initiis
progreſſum interitum veniali cognoſcens conſulam, vt potero, mihi & meis. Clauſis
vndique itineribus, nullis non modo nouis rebus, ſed ne tabellariis quidem ad nos
venientibus. Hæc habeo in Senenſi inopia, quæ tibi ſignificem. Senenſis Cardinalis

valet. Montisferrati Illcini eſt. Nondum nos illc, nec illum nos vidimus. Vale. Senis die XXVIII. Iulij M.CCCCLXXVII.

HIs ſcriptis nunciatum hic eſt, D. Bononienſem vita migraſſe. Id ſi ita eſt, memoro primum presbyterorum me eſſe, & non abundare, & nil toto Pontificatu Xyſti in meum commodum accepiſſe. Sicut cætera, ita & hoc curæ, & pietati tuæ relinquo. Si tamen tibi cordi hic Epiſcopatus eſt, & mihi ex loco prærogatiuæ aliquid à conſuetudine ſit, eam tuo beneficio linquo & dedo, & vt creſcas exopto. Iterum vale.

F. CAVRIENSI EPISCOPO.

DCXLIX.

DVbitare videris, mi Caurienſis, ne Albana vel Portuenſis Eccleſia punctura ſit cor, quod primo presbytero Patrum conſuetudine debita, illo prætetito data ſit proximo. Dubitationem hanc tolle. Nec pupugit, nec punctura eſt cor. Aculeos illa non habet, & bene tectus ego ſum armis. Nocere quidem alii poſſunt, mihi ipſi nocendum non ſtatui. Vſus, litteræ, & ætas ſatis ad quotidiana me inſtruxere. Ea ſi vt noua, & viſa nunquam admirer, non hoſpes modo, & peregrinus apud Apoſtolicam Sedem, ſed pene ſim puer. Iterum dico: ne time. Tantum abeſt vt mœream facto: vt etiam quod ita ſit factum præter expectatum non venerit. Audi ſic recenſentem, non te fallam in vera ſententia. Erit idem mentis oriſque iudicium. Abſentium quod vidiſti, ſæpe rara eſt recordatio. Vulgato iam prouerbio, habentur illi pro mortuis. Oculorũ quidem acer eſt ſenſus, aurium hebes. Quod tot olim patribus, me teſte, & inſpectore, iam contigit egregia virtute præſtantibus, infra illorum merita poſito inſolitum eſſe non debet. Quodque illi forti animo pertulere, pudor eſt hoc ætatis ſacerdoti facto, molli ve accipere. Multum in omnibus exempla nos leuant, malumque commune ſocietate ipſa ſit leuius. Noſtrę conditionis exſortem me nolo, minuſq; recuſo cum ſumma virtute exemplis iis iungi ſenſato Cardinali cum vrbem egreditur, aut volens, aut miſſus. expectandus hic exitus eſt, atque hæc cogitanda, quæ dico. Hęc eadem cogitaui ego, atque expectaui præſentis anni, & præteritorum ſeceſſibus. Præuiſorum autem incommodorum ſemper eſt minor offenſio: ſed conſuetudinem tranſi, argumentum aliud vide. Nil mihi Pontifex debet, viribus ſuis, non meo ſuffragio ad Pontificatum aſſumptus. Innumera ego ſuæ beneficentiæ debeo pie gratiſque accepta. Eſt moleſtum ab iis non impendi, quibus ſit ante impenſum, datorumque obliuio illos potiſſimum torquet, qui dediſſe ſe ſentiunt. Nõ igitur in nullis meis obſequiis tam mihi conuenit expectare, tam de non acceptis dolere, quam de iam habitis gratias agere. Quæ dedit Xyſtus, ſunt grata: quę negauit, nõ grauia. Adde quod rerum & temporum ratio cogit aliquando Pontifices eſſe, quod nolunt. Neapolitanum confer, & me: Videbis ab illo omnia, à me nulla poſſe præſtari. Gratia ille apud vicinum regem plurimum valet. Neceſſitudine quoque iunctus iis eſt, à quibus Rex ipſe ſumit affectus. Mihi quid tale? qui nec ſuffragio Principum erectus, nec illorum patrocinio ſum gloriatus, nec niſi Romanam Sedem in hanc diem aſpexi, quod ſolæ vires Cardinalis exigui poterant, hoc ſperari licebat de me. quod Neapolitanus poteſt, & ſui poſſunt, & Rex poteſt, expectari de illo merito debuit. Prouide igitur, Pontifex: maiora minoribus in dando beneficio præferens, non improuide ego, indignandum non cenſens, quod vberiori eccleſiæ fructu is mihi collega ſit ſolo loco prælatus, qui anteferri meritis omni tempore debuit: ſed aliam patris noſtri neceſſitatem attende, nõ à me modo qui diligo, & debeo, ſed à minus amantibus, minuſque debentibus merito ignoſcendam. Dederat, vt audio, cardinalibus duobus primę vacaturæ domus diplomata, Neapolitano huic noſtro, & Malphetano vrbis Legato, quæ vno eodemque tempore ab vtroq; prolata anxium illum habebant. Repetebat ab iis defuncti Bononienſis domum Neapolitanus, ab iiſdẽ & Malphetanus. Priorem iuuabat poteſtas, quã dixi, & gratia. Poſteriorem adita poſſeſſio iam, & vita quotidiano in diſcrimine poſita, quod peſtilenti anno Legationem non deſerat. Satisfacere eadem res ambobus non poterat, & de eadem tamen pręſtanda ambobus erat ſcripta, & vulgata iam fides. Mihi nec Albana, nec Portuenſis promiſſa erat Eccleſia: nulla inde data diplomata. quid agere in his anguſtiis Patrem clementiſſimum decuit? aut cui iuſtius debuit? vel Neapolitano

tano compenſatione eius Eccleſiæ de domo fidem perſolui: vel Papienſi nil repoſcẽti vltro beneficium fieri? Maior certe, ni fallor, ſeruandæ fidei, quam augendi meriti fuit neceſſitas. Collegæ quoq; mei in eandẽ ſententiã ſi conceſſere: ipſa hęc illis, quod puto, & alia, quod non dubito, cogitatio affuit. Sperabat ſibi tunc quiſq; quod habuit, mutatione rei vnius mutari poſſe ſuam putabat. Ad conſiliũ ventũ ſic eſt, vt aſſequẽdi ſpes, & amittendi per morã timor procliuiorẽ ad decernendum conſenſum effecerit. Ita cum non mihi illorum, non Pontificis defuerit charitas, alterum tantum permouerit fides, alteros ſua res magis quam mea, quid lamẽter non culpa mea me, ſed aliorum iuſta neceſſitate præteritum? Verum deſcende mecum interius, atque abimis, vt aiunt, medullis rem totam ſcrutare. Vir es ætate noſtra doctiſſimus, quẽ nec vana ratio, nec tecta fallere poſſit ambitio. Quæ oro per epiſcopatum Albanenſem commodis meis, vel honoribus fiebat acceſſio? Titulum, vt ſcis, magis habet ille, quam rem, & ego Papienſis Epiſcopus fieri epiſcopior per Albanenſem non poteram. Nouus ordo, noua ſacra non dantur. Primo accepta plenum perfectumque Epiſcopatus ius afferunt: ſi nec magis Epiſcopum, vtiq; nec magis Cardinalem. Si neutrum magis pręſtabat, quid bonus homo, & prudens, inani titulo ſe poſthabitum doleat? Ita in Senatum admittar, vt ante. Ita etiã ad conſulendum locus, vt ante. Ita mea presbyteri, vt prioris Epiſcopi vox numerabitur. Conſimilis geſtabitur pileus, conſimilis veſtis. Eadem nec obolo minus, ex pileo emolumenta prouenient. Præſidere autem ſubſellio vno, aut altero, & dextro latere, non læuo incedere, apud Chriſtianos quidem ſi cupiatur, vani eſt hominis: ſi quæratur, elati, ſi contendatur, amentis. Notati in Euangelio ſunt Domini voce, qui dilatant philacteria ſua, & magnificant fimbrias, quique amant recubitus primos in cœnis, & cathedras primas in ſynagogis, & ſalutationes in foro. De primatu ipſo contendentes diſcipulos acriter ille increpuit. Ipſe vero expetitus quæſituſque ad regnum, fugit ſolus in montem, ne ad id raperetur. Humiles ſpiritu ſaluat, & oculos ſuperborum humiliat. *Honore*, inquit Apoſtolus, *inuicem præuenientes, & nihil per inanem gloriam: ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes*: cuius præcepti nos imitatores, qui Apoſtolorum typum tenemus, venienti ad ſuum ſubſellium Cardinali religioſa conſuetudine noſtrum ſemper innuimus. Quod totiens ego Neapolitano inferiori iam innui, & obtuli, à Pontifice datum non patienter accipiã? mentitumque illi me tanto tempore falſis nutibus doceam? Inſaniæ huius crimen compos mentis nunquam ſubibo. *Exaltatum non eſt cor meum: neque elati ſunt oculi mei, neque ambulo in magnis, & mirabilibus ſupra me.* Immeritus aliquis, qualem aliquando noſtra ſors habet, ſi mihi eſſet prælatus, plena forſan res ſtomachi potuiſſet videri: ſed cum prælatus collega ſit nobilitate inſignis, vita egregius, doctrina præſtans, cuius menſura omnis longe meam excedit, quid triſter redditam meritis eſſe ſuam mercedem? Pręſertim cum recuſauerit diu, locumque ineptæ cõſuetudini deditum diu à ſe deprecatus, amico Papienſi illum optarit. Coniuncta erunt ſubſellia noſtra, vt prius. De familiari colloquendi, & ſuſpicandi, & iocandi, & ridendi quoque conſuetudine nihil quoque mutabitur. Omnino nulla veteri voluptati decedent. Nouo lucro hoc inprimis accedet, quod in dicendis ſententiis vno plus monſtratore erudiar, & in lumine ſapientis Patris perſæpe lumen videbo. Grauia etenim, quod noſti, ſunt ſua conſilia, plena ſemper virtutis, atque doctrinæ. Si affuiſſem Senatui illi, nemo me anteiſſet ſuffragio, vt quinquennio ante Portuenſem Epiſcopum tunc Cardinalem Diaconũ, non ſum indignatus ab vltimis ſubſelliis ſentẽtia mea mihi pręferre: ſic nũc presbyterum amantiſſimum gratia diuturna coniunctum, dolenter paſſus non eſſem à proximo excitatum vltro præponere. Habeat quod datum eſt benedicente me, atque lętante, fortunetque Dominus honoris huius aſcenſum. Ego decreta Pontificum, & Senatus, vt reuerenter patienterque accepi ſemper, ſic & præſens libenter accipio. Sublimis poteſtas hæc eſt, à Domino ordinata. Sublimiori poteſtati ſubditos nos eſſe iubet Apoſtolus, quia qui illi reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit: & qui reſiſtit, damnationẽ ſibi acquirit. Obedio dicto, non blaſphemo, non litigo, quin & factum laudo, & probo. Ipſum vero Neapolitanum curarum mearum ſemper interpretem, dolorum aliquando conſolatorem: perpetuas vero conſortii noſtri delitias, meo nomine complectere gratulans. Inprimiſque ſolare, quod quantum ex litteris tuis, & ſermone tecum ha-

bito intelligo, angi ob eam cauſam videtur, quod apud me ignaroſque ſuæ recuſationis, & extortæ per Pontificem obedientiæ fidem, & modeſtiam eius veniſſe in iudicium timet. Timere deſinat: apud me quidem non venit. Multitudinis autem imperitæ nulla illi ſit cura: ab ea enim nemo ſapiens vnquam pependit. Ego illum veniens affectu toto complectar: venerabor Epiſcopum, fraternitatem ſeruabo, honorum ſuorum ero fidus adiutor, ſollicitus ſemper iuxta eiuſdem Apoſtoli verbum ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus ſpiritus, ſicut vocati ſumus in vna ſpe vocationis noſtræ. Scribant abſenti qui volunt, præſenti loquantur qui cupiunt: ab hac mente non excidam, illud Comicum identidem repetens: *Valeant qui inter nos diſcidium quærunt.* Quin & te oro, Pater, vt quando ad teſtandam tibi hanc animi lenitatem præſentem dictaui epiſtolam, & manu mea deſcripſi, tu quoque ad eandem aliis probandam, hanc ipſam mei amantibus, ac non amantibus, paruis, & magnis, Pontifici quoque, & Patribus, ſi ita videbitur, legas, tranquillitatemque quam dico intrepido iuramento confirmes. Promitto enim, nec tu periurus, nec mendax ego inueniar. Vale. Senis III. Auguſti M.CCCCLXXVI.

NOVARIENSI CARDINALI.

DCL.

TEſtimonio Parmenſis noſtri primum, inde tuo cognoui, quo in me animo fueris, cum de Albana, & Portuenſi Eccleſia in Senatu eſt actum. nec tua me fides, nec mea de te fefellit opinio. Debebam antea tibi: nunc vero etiam tanto beneficio ſeruitutem profiteor. Meminiſſe abſentis, intrepide dixiſſe ſententiam, non obſequutum eſſe præſentis affectui, magnæ, & multum confirmatæ beneuolentiæ eſt ſignum. Non habeo vnde nunc tibi retribuam. Futuram autem omnem retribuendi occaſionem ſic auide obſeruabo, & cupide excipiam, vt fixum apud me trabali clauo hoc patrocinium iudices. Omnis gratitudo eſt debita, ſed defenſi honoris inprimis neceſſaria. Doleo in diripiendis exuuiis defuncti Patris nil tibi obtigiſſe. Ceteris cœnobium, quid homini Gallo ad verticem pleno, quam Italo tibi multorum egeno conuenientius fuit? Reſpicimus magna, & vultus potentium inclinant ad ſe.

Ad mare ſic vaſtum flumina cuncta fluunt.

Tu inter hæc bono animo ſis: non ſi male nunc, & olim ſic erit. Aliquando virtuti eximiæ iuſta ſoluentur. De me ſi vis cognoſcere, qua mente decretum id tulerim, lege oro Epiſtolæ exemplum, quam ad Caurienſem Epiſcopum ſcribo, à Neapolitano accerſitum, ille ſe ſcribit rogatum, vt neceſſitatem mihi ſuam de Albana Eccleſia excuſet, precetur que in veteri beneuolentia maneam: Reſtitiſſe diu ſe, atque obluctatum ne illam acciperet: accepiſſe autem inuitum, & paratum, ſi velim, dimittere. Multaque id genus eo quidem ſpectantia, vt vim non voluntatem ſibi affuiſſe intelligam. Neceſſarium fuit reſcribere, ne tacendo retinere in ſinu iracundiam crederer. Eo autem pluribus rationibus tueri factum, & tranquillitatem mei animi confirmare oportuit, quo in ea re, vt vides, eſt difficilior fides. Sic putaui vt ſcripſi, & ſic ſcripſi, vt nolim vllo tempore facti, & ſcripti diuerſum exitum inueniri. In tenui re natus non tenuem ſpiritum gero. Maiori ego ad hæc contemnenda propoſito ſum, quã ad danda alii, vel accipienda voluntate. Hoc lucri hic mihi feciſſe videor, quod tuus in me amor verbo antea declaratus, nunc etiam facto eſt confirmatus. In eo ſeruando ſit mihi Deus adiutor. Vale. Senis V. Auguſti M.CCCCLXXVI.

IOANNI PETRO ARRIVABENO.

DCLI.

QVieſce animo, frater. Primæ tuæ, & ſecundæ, & nunc tertiæ litteræ redditæ fideliter ſunt, atque ea fidelitate apud me aſſeruatæ, quam petis. Putabã binis primis ænigmate vno ſatis reſponſum: quãdo idem ambæ docentes vnam à me ſecreti intellecti ſignificationem ferebant: ſed diligentior ero poſthac, nec committã, vt vel puncto temporis in rebus huiuſmodi pendeas. Probatas autem tibi meas eſſe de Albana Eccleſia non mediocriter lætor. Lucubrationis illius iam nec piget, nec pœnitet: quando Arriuabeno ita eſt viſum: cuius ego iudicium cæteris multo antefero. Puto

tamen,

tamen, quod tu etiam innuis, variam earum interpretationem fuiſſe, nec inuentos multos qui mihi congruerent: ſed tu vnam hanc tene, hanc proba, & mille iuramentis contende, ea æquanimitate me ad ſcribendum fuiſſe, quam prima epiſtolæ facies præfert: nil texi, nil diſſimulaui. Nulla fuit digitorum, & ſenſus diſcordia. Quam Caurienſi præſuli conatus ſum perſuadere animi tranquillitatem, hãc indui primus, & conſtanter probatã conſtanter quoq; in hanc diem retineo. Fallere ſi cęteros quęrerem: te ipſum, Arriuabene, nõ fallerem amantem mei, & fidũ ſemper ſecretorum interpretẽ. Quicquid eſſet vel ſtomachi, vel veneni quod male Papienſem haberet, euomi tutius nullo teſte liceret, quàm te inſpectore, qui vna fide mederi poſſes, & tegere. Sed putent alii quod libet, mea mihi in hoc ſatis ſuperq; eſt conſcientia. Gratum eſt illas ipſas literas pluribus eſſe communicatas, ea præſertim moderatione, quam ſcribis. Teſtor beneuolentiam noſtram, inuitum me id poſtulaſſe, cum mea mihi nõ placeant, & ſuperſtitioſorum iudicum plena ſint omnia. Sed vis rei ſic impulit, eo quidem, quod à longe videbam addicta, vt niſi manibus me meis nudarem, viſenduinq; omnibus paſſim oſtenderem, verſare interius magnos iracundiarum æſtus facile crederet. Habeo gratias, quod neceſſario amici deſiderio ſatis eſt factum. Cum Prothco autem colluctatum te mea cauſa intelligo, ſed qua de re ſis colluctatus te ſilente non teneo. Me tamen cogitante videor cernere. Artes antiquæ continuant, eodemq; ariete innocentia boni Cardinalis appetitur, tam illi ingrata, quàm illi diſſimilis. Vinculis Ariſteis Deo volente aliquando tenebitur, quæ vt optato diutius tardent, illud quidem interim male pacatæ menti non deerit, quod eſt in noſtrate prouerbio, alienæ quietis vexatores ipſos quoque minus quieſcere, & primam veneni ſui partem iniquitatem ſemper ebibere. Tibi omnia debeo, & in æternum debebo: quod conſtantiſſime amas, & amorem amici tenuis gratiæ potentium præfers. Quãti à me oro, præſens vultus tuus, præſenſque in tutando Papienſe oratio, quam cogitatione ipſa videor intueri, eſt æſtimanda? Diſſoluere tam grandis debiti nomen nullis officiis, vix etiam grata voluntate vllo tempore potero. Colluctationem autem ipſam, & quid ſit de te ille cum miniſtris ſuis commentus, vt ad reditum ſeruas, ita in reditu opto ego cognoſcere. De corona ad Hungarorum Reginam miſſa, & profectione Antioceni noſtri ad excipiendum Legati Auinionenſis deſcenſum libenter cognoui. Obitum Laurentii Sinybaldi dolens accepi. Adoleſcens erat, vt ſummæ virtutis, atq; ingenii, ſic ſummæ inter Romanos expectationis, & ſpei. Periit tibi, & mihi ex illa familia, quod eſſe aliquando ambobus voluptati, & vſui poterat. Ad patruum Falconem ſi ſcribis, adde ex me in calce literarum denuntiatiunculam hanc, breuem quidem, ſed mea conſuetudine imperioſæ charitatis plenam: Etiam atque etiam videat ne eodem affectu ſuos gemat, quo amat. Pietatis quidem a mulieribus, non etiam a viris laudati conſtantiæ poſſet. Vale. Ex Suburbanulo meo IX. Septembris. M.CCCCLXXVI.

F. EPISCOPO CAVRIENSI.

DCLII.

TAm in dies augentur tua in me merita, quàm frequentes ſe offerunt bene merendi occaſiones. Ad præbendam Traiectenſem tua opera impetratam adduntur nunc Xantonenſis priuilegii diplomata: Ideo ad me miſſa, vt Eccleſia illa, in qua Archidiaconus ſedeo, de manu mea beneficium capiens, mihi amplius debeat: ideo etiam gratis exempta, quod nomini Papienſis, quem in petitione præferri vidiſti, id honoris habendum putaſti. Gratum vtriuſq; rei officium: ſed gratior animus, quo iſta præſtantur, antiqui noſtri contubernii memor, & cum dignitate anniſque adauctus. Habeo gratias. Referendi facultatem ſi dederit Deus, videbis me ad reddendum quàm accipiendum ſegniorem non eſſe. Mandata Sanctæ Mariæ in porticu riſi. Ex pharetra vberi ſemper aliquid promit, Papienſem ſuum quod pungit. Reſpõde hoc tantum, pœnitere me iam quod Albanus, aut Portuenſis non ſim, ne fortunæ eius ſim exſors, quam tot Patres tot iam ſæculis pertulere. Homini in re tenui nato, ex ſtercore manu Dei erecto, & cũ Principibus ſui populi collocato, ſatis ſuperq; eſt Tranſtiberinus Chryſogonus. Dignationi ſuæ me, quantum potes, commenda.

Vnus hic eſt ex numero noſtro,quem propter egregium animum, & fidem in dilectione conſtantem,eximie colo & diligo. Heri veſperi Federicus Aragonenſis Senā venit,honorifice,& in frequenti populo acceptus,qui iam per rura morbi metu diſperſus eſt,Ego illum non vidi, quod & cum paucis ſum,& metu conſimili teneor. Vale.Ex Suburbano meo Septembris.M.CCCCLXXVI.

PAPIENSIS GENTILI VRBINATI.

DCLIII.

TEnebræ mihi vndique ſunt,Gentilis chariſſime. In nullam partem expedire adhuc aciem poſſum.Si dixero, vidiſſe me hominem, cum videro vmbram inanem,errem ego,& cui monſtrauero in errorem inducam. Fidem intueor Laurentii in me:eam fallere nec poſſum prudens, nec volo imprudens. Hanc puta cauſam, quod non reſponderim tibi. Donec plus lucis affulſerit tacebo, atq; amabo magnum lucrum paruumve ſit quod in hoc noſtro eſt factum.totum certe me vendicaſtis.Erā ante veſter.Putaretis ne veſtrum veniebat in dubium,nunc & putatis veſtrum, & ego id videns ad priſtina multum adiunxi.Suade Laurentio,in hac rerum ſuſpenſione ſuas omnes circumſpiciat rationes,primamq; à ſe ipſo fiduciam petat, ab amicis proximam.Amicorum autem ita delectum habeat, vt conuenire publicis, & priuatis intelligit.Supra ætatem ſapit,nec inconſulti hominis eget conſilio:ſed ſi aliquando gubernatores admoneri à vectoribus vtiliter in tempeſtatibus ſolent, videat num & in his verbis frugis aliquid inſit. Vale.

IACOBO VOLATERRANO.

DCLIV.

TE miror,Iacobe, qui tot iam annos non ignarus conſuetudinis meæ ad omnem querelam Papienſis tui tantopere commouearis. Aut ſuperbus nimium es,aut mollis.Ferre dominorum incommoda æquius eſt quàm indignari. Si queruntur iuſte,emendanda quæ diſplicent:ſi iniuſte,etiam non cōtendenda ex æquo. Patiendo non virtus tantum,ſed fides quoq; probatur.Non damno innocentiam excuſari:damno tanti te facere omnem accuſationem tuam,vt dicas malle te febrem,quàm turbationem meam:Et non probo,accepto iam damno de claudenda ianua me admoneri.De Diego ſi ea prędixiſſes,quæ nunc eſt ſuperfluum memorari, & tibi, vt ſoleo, egiſſem gratias,& detrimentis domeſticis proſpexiſſem. Sæpe ad præſtandam charitatem tuo domino es ſerus.Hoc poſthac emenda,& bono ſemper de me animo eſto. Non omnes querelas meas iuſtas exiſtimo.In eos vt plurimum,ſi quid aliunde amari conceptum eſt,euomo,quos maxime diligo,& mei amantiſſimos puto.Niſi tuæ diligentiæ crederē,& fidei,non eſſes ſecretorum interpres, ac domeſticorum meorum magiſter.In omnem qui poſthac accidat caſum hæc tibi ſint dicta,& ſcripta.Dixi ſæpius,& repeto,vt proluuio Forteguerræ non indulgeas,quæ illi ad animum veniunt. Expende quæ honori meo,& familiæ commodis neceſſaria ſunt atq; ea tantum illi indulge.Vociferationes eius,& lamenta ne plus habe,quàm me velle intelligas, nec illum plus time,quàm ſors ſua expoſcat.Paret tibi domus,paret obſonator. Cura ne tu,quod non inſtitui ego,voluntate tua pareas Forteguerræ. Tua inde eſſet culpa omnis,non ſua.Exquiſiui ſigillatim de Petro,& fratre Angelo,quæ mihi indicaſti, retulerunt omnia:Intelligo proluuium panis inde fuiſſe,quod in propatulo linquebatur.Cœpit Petrus iam claudere,nec niſi neceſſario promit. Idem de vino obſeruat. Coſmum cœnaculo,& culinæ pręfeci,admonens quæ identidem à te monitus ſum. Credo omnia poſthac magis ex tuo iudicio fient. Tu autem quod ſumma omnium eſt,ad numerum eorum qui mecum erunt neceſſaria mitte, quæ amplius poſtulantur obaudi,& officio tuo ſerui,non alienæ laxitati. Diſperdere quæ hic non erunt, non poterunt.Volo vt tu quoque aliquando recreandi animi cauſa cum Franciſco Mutinenſi mecum hic ſis.Cogita quem pro te,& illo dimittere iſthic commode poſſim.poſt confectas culcitras,& lodices venire incipies.Promitto, melius tibi hic erit, quàm iſthic. Vale.

IO. PETRO

IO. PETRO ARRIVABENO.

DCLV.

TRium epiſtolarum tibi ſum debitor: totidem Mantuano. Reddendi ſerius debiti renes cauſa fuere: qui dies totos tredecim partim debilitate, partim doloribus me afflixerunt. Nil minus interim quam vel ad ſcribendum manus, vel ad commentandum animus valuit. Reſpiraui tandem, & ſatisfacere incipio. De reditu Legati, & diſceſſu Pontificis, & conſilio repetendæ vrbis, & profectione Regiæ virginis in Hungariam libenter cognoui, ac tibi gratias ago. Etiam de redditis literis Vicecancellario noſtro, quibus Volaterranum noſtrum, & Lucenſem commendabam, gratum officium fuit. Scribis, D. ſuam inſpecto chirographo meo, mereri dixiſſe manum Papienſis, vt commendationi aſſentiretur à ſe. Pergrata ſignificatio fuit non tam meorum beneficio, quod iam impetratum exiſtimo, quam continuatione ſui in me animi, quem omnibus antepono. Manus quidem mea ſi ab illo cum voluptate inſpicitur, iuſte ita inſpicitur. Honoribus enim ſuis ſemper ſeruiuit, nec præſenti defuit, aut abſentem reliquit. Miratum quoq; ſe dicit, quod ante has literas omnino nil ſcripſerim. Amantis eſt admiratio, & quærentis quod optat. Sed quid miretur ampliſſimus Pater, ſi homo vacuus occupatiſſimo parcit? Paruus magnum non interpellat? & in rure anguſto, ad quod itineribus clauſis, nedum noua ſignificatu digna, ſed ne tabellarii quidem propinquãt, mauult modeſte ſilere quàm importune nil ſcribere? Placere ſibi addidit ingenium meum, facundiam, & prudentiam, & hæc magnifacere. Patris, non veri iudicis ſunt hæc teſtimonia. Laudat quod amat, & quod amat plurimi pendit. Sed qualiacunq; ea ſint, mi Arriuabene, auſim ſine mendacio dicere, merito illi placere. Vt fidelibus enim miniſtris in deſideriis ſuis omnibus ſemper illis eſt vſus, nec vnquam imperantis mnera recuſarunt. Amare ſe Papienſem adiungit, nec dubitare quin a Papienſi ametur. Cauſæ quidem veri interim q; amoris in nullis vnquam noſtri ordinis meo iudicio maiores quam in nobis fuerunt. Eas dignationi ſuę ſæpe recenſui. Vtq; eas tota diligentia coleremus, ſæpe ſum obteſtatus, docens quod paucorum mihi ſit opus, multorum illi: Non minus veram hanc animorum coniunctionem rebus ſuis fructuoſam, quàm meis futurã. Ego illum amo, colo, atq; obſeruo. Ita tibi non ſcriberem, ſi vt vereri videtur, alienaſſent me opera malignorum. Recenſeat vitam omnem præteritam non à primis modo Cardinalatus mei diebus, ſed ab illa etiam hora, qua venientem in curiam & Cardinalem factum ſum veneratus. Actiones quoq; omnes vndecunq; ſcrutetur, ſemper ſe adiutum, nunquam oppugnatum à Papienſi inueniet. Plane tamen confiteor nec defuiſſe olim qui confirmatam beneuolentiam noſtram conarentur diſcindere, nec deeſſe nunc quoq; qui multorum opinione diſciſſam conentur ſic in fruſta concidere, vt farciri nullo tempore poſſit. Sed ego quinquageſimum & ſecundum iam annum emenſus, inter bonos, & malos diu verſatus multa experimentis edoctus, ſciens, vt eſt apud Satyrum, quid diſtent æra lupinis: aures quibuſdã honoris cauſa attribuo, animum nullis. Si quid autem atrocius aliquando incidit, in quo nõ fuerunt etiam malorum teſtimonia negligenda, vt proxime fuit Protonotarii de Maneyo ſcelus, id quidẽ non tacui amicis cõmunibus primo, poſt dignationi ſuæ palam aperui. Purgauit ipſe innocentiam ſuam credulitatem meam neceſſariam, etiam habuit excuſatam. In cæteris quid vereatur, aut ſuſpicetur non video. Illi nil imputo: mihi quid imputem neſcio. Si meum ſilentium, vt videtur innuere, alienationẽ exiſtimat, audiſti iam ſilentii cauſas. Veræ illæ ſunt, nec repugnat os cordi. Sed te oro, frater, vtri noſtrum maior ſcribendi occaſio in præteritum fuit? Mihi ne in deuiis poſito, an ſibi apud Pontificem agenti & cognitione omnium pleno? Rurſum cui in præſentiarum verior lamentandi eſt ratio? Sibi ne, qui iam meas literas accepit, an mihi, qui literis, & poſtularis in hunc vſque diem reſponſum non habeo? Hæc eadem anno ante cum per Secretarium ſuum mecum expoſtulaſſet, familiari quodam literarum conuitio admonitus aperuiſſime eſt, ſi literas vellet, literas daret: cum reſpõdere facilius poſſim quam prouocare. Nulli patrũ quod ſcis, ne inferiorum quoq;, qui ad me ex curia ſcribunt, auarã calamorum & atramenti mei mercedem accipi-

unt. Pro ſex lineolis XII. reddo. Summa eſt, vt de animo Papienſis non dubitet, ſuum ita confirmet, vt eius ſtabilitate etiam ad conſiſtendum mens vires accipiat. Quod verbis fronteque oſtendimus, intelligant omnes operibus comprobari. Ita nec ſilentia diuturna, nec malorum artificia ſuſpicionem immutatæ mentis præſtabunt. Inprimis quantum potes, & ſcies, dignationi ſuæ me commendabis. Obitu Vallenſis Lælii plurimum doleo. Periit ſuæ patriæ optimus ciuis, Apoſtolicæ Sedi fidelis alumnus, mihi amicus non mediocris. In ſinu Abrææ illi ſit quies. Ego adhuc in Suburbanulo meo ſum: conſilium reditus ex veſtro reditu ſuſcepturus. Vale XIV. Octobris. M.CCCCLXXVI.

F. CARDINALI MANTVANO.

DCLVI.

SI non prius reſpondi ternis literis tuis reuerenter à me ſemper acceptis, & lectis, æquus mihi ſis rogo, non ignoſcens modo, ſed vltro etiam condolens. Tredecim dies totos (quod raro ante hunc diem) dolor me lateris ſic cruciauit, vt & tui olim iacentis deficientiſque quaſi quandam imaginem viderim, & ipſe ad cætera præterquam ad eiulandum inutilis fuerim. Officiis tuis ęternas gratias habeo: plena ſunt ſemper, & continua, & curarum mearum fida leuamina. Ex vltimis noſco, quo tandem reciderit annuus de Hungarica contributione tractatus. Parturierunt longo tempore montes: natus eſt mus Matthiæ Regi ridendus, qui nec abrodere ſua vincula poterit, nec expectationem noſtri tumoris implere. Italorum affectuum ii eſſe exitus ſolent. Cæſari ſi Hungarorum nuptiæ dolent, dic tu quid illi non doleat? cani hortulano ſemper aſſimili, qui allium ipſe horrens, non minus tamen legentem allatrat. In pacis conditionibus fuit, ne duceret Matthias vxorem. Id ſcio & memini. Sed quæ aliæ in pace illa non generis huius, aſperę, indignæ, ſtomachi plenæ, per neceſſitatem metumq; extortæ? Si neſcis, hæc ſola cauſa diſſenſionum eſt inter vtrunq;, eritq; dum venient. Quod præſtari Regno incolumi conditiones illę non poſſunt, præſtari eas nihilominus Cæſar depoſcit, nullam moderationem æquitatemq; admittens. Vos rectè, & ex publicis commodis, qui ne eorum ſoluantur induciæ, initis conſilia. Abitum veſtrum ex Fulginio fortunet Dominus. Tibi inprimis aſſiſtat, in cuius ſalute mea omnis includitur. Expecto cognoſcere, vbinam tandem peregrinationes veſtræ conſiſtent, vt & ipſe ſi videbitur in idem conueniam: dignitati tamen ſatisfacturus, non animo. Fuga enim à curia veſtra nil vitę meæ melius, nil menti quietius. Vale Pater, & Domine, Papienſis tui non immemor. Ex Suburbanulo meo ſolito XIV. Octobris. M CCCCLXXVI.

F. CARDINALI MANTVANO.

DCLVII.

PVto Dignationem tuam ex proximis literis meis cognouiſſe cauſam intermiſſæ conſuetudinis ſcribendi ad te: ab illa die vnas tantum tuas accepi, pondus non leue habentes. De Cardinalibus enim illarum erat ſententia. Video quid ſancti Petri conetur: quid noui conſilii Vicecancellarius capiat. vt neutrum inexpectatum fuit: ſic neutrum mirabile. Ais, parem me in proximum natalem Domini ad noua certamina. Certandi nulla eſt ratio, non voluntas quoque. In media pugna ſum ſæpe deſertus. Semel etiam luculentã plagam accepi. quod acies nunc prima non audet, ſecunda, promitto, non ſuſtinebit. Pontificis amor, vt pleriſq; ad rem optabilis eſt, ſic mihi ad pacem perchatus. Contendi hactenus ſatis, verum intrepide dixi, potentis vultum non horrui, quod animus temeritati, firmitas pertinaciæ, & libertas inſaniæ eſt ſemper aſcripta. non eſt præſentis conſilii ſine ſpe redire in aciem, aut ſine fructu dimicare iam ſenem. vel priorũ Patrum ſequar ſententiam: vel certe meam ad pręſidentem reiiciam. Hoc tantum inſtitui, ſi quid tu, cui ſum æterne addictus, aut vitate voles, aut aſſequi, in idipſum meo conatu incumbere. Optas ſcire in extrema epiſtola quando viſurus me ſis. Mantuane, horis omnibus videre te cupio: ſed tamen (ſi per ęſtimationem Cardinalatus liceret) dicam aperte, abeſſem libenter reliquum vitę. Idq; ipſum horis omnibus meditor: ſed viam non video. Recens ergo

reditus

reditus veſter in vrbem,atq; vrbs ipſa non munda in decembrē proximum veniam facile dabunt.Eandem tu quoq; oro Papienſi ne nega. Ad incantantem non inuitius trahitur ſerpens,quàm ego ad inanes defatigationes noſtras accedo. Vale fœliciter. Ex Suburbanulo meo.xv.Octobris.M.CCCCLXXVI.

IOANNI PETRO ARRIVABENO.

DCLVIII.

IN aurem hæc audi.Soli tibi epiſtola loquitur.Quid non etiam incommodi in parturitione,quam ſuades? Affui ſæpius. Nulla die, nullis horis non ſuſpirata abſentia. A principe inchoa: quid non illi moleſti? Accerſiris ad ſe. Sententia tua in ſuam expoſcitur. ſi negas, odio es: ſi tribuis, publica lædis. omnis ſuſpenſio eſt illi aperta negatio. Deſcende ad patres. * In certameo te quiſque hortatur. Omnes in prælio deſerunt. Temptat alter vt fallat: iuuat alter vt noceat. Nullius non inſidioſus conatus, & ſermo. Criminationes interim multæ, & delationes, & zelotypiæ,& curę,atque vt plus noſcas,inexpiabiles aliquando offenſiones. Generatim hæc memoro:ſed bone Deus quàm longum ab his malorum agmen conſequitur? Tranſi ad candidatos. Hic vero mel,& delitię. Quotidie domus eſt plena moleſtiis: non menſa,non quies,non cubiculum ſtomacho vacat. Proterve nimium petitur. Impudenter ambitur. Importune recurritur. Iracunde quoque excipitur, quicquid id eſt quod modeſtius paulo reſponderis. Si non ſpondeo, illico is ſum qui obſiſto. Si ſpondeo,non præſto quod dico. Inimicitię Principum,ipſorumq; actutum paratæ. Opus iniquius toto Cardinalatu non tracto, minorque mihi eſt de Pontifice quàm de Cardinale creando anxietas. His ſollicitudinibus quanto dierum plus adimo,tanto animi tranquillitati adiungo. Sed hęc quoque audi, & iace. Non fit randē, vt ſcis,niſi quod cupit,qui poteſt. Inanis eſt aduerſa contentio. Multa eſt eius poteſtas,ingens noſtra cupiditas. Vbi huius vel illius famelici Cerberi *horrere videt iam colla colubris*: ſtatim

Melle ſoporatam,& medicatis frugibus offam
Obiicit,ille fame rabida ſua guttura pandens
Corripit obiectam,atque immania terga reſoluit
Fuſus humi,totoque ingens extenditur antro.

Ita mi frater:

Occupat Æneas aditum cuſtode ſepulto,
Euaditq; viam celer irremeabilis vnda.

Præſens ego declinare,quæ damno,nō poſſum. Cordi his eſſe intelligo, quibus ſum pugnando inferior. Offæ quoq; aperire guttur nec olim iuuenis,nec nunc ſenex inſtitui Id boni aſſequar longiorem parturitionem deuitans,quod parturiētis eiulatus tam diu non audiam,minuſq; tanto offendam,quanto diu minus parturienti nō obſequar. Propter publica tantum ignominioſa comitia dolent,propter priuata ſunt riſui. Vacuus enim omni Pōtificatus cupiditate amici an inimici creentur,cum nocere aliter nequeant,magna animi communitate accipio. Vale ergo, nec propter literas tuas de ſententia Decēbris deceſſiſſe me puta. Senis vii. Nouembris. M CCCCLXXVI.

CARDINALI MANTVANO.

DCLIX.

EXpetere videris reditum meum ad capiendum de nobis comitiis conſilium. Fallit te amor Mantuane. Expers ego conſilii ſum: & tu errare per inſcitiam nequis. Patre ſapientiſſimo natus, egregiam naturam ſortitus: vſu xv. prope annorum edoctus,in magnis ſemper verſatus,vides iam vir quæ ſenes ſępe non vident. Quo acies tua non peruenit, mea minus aſpirat. In dubiis noſtris ſcis te rectore & moderatore meuti,nec chirographi illius immemor es,quo ſuperioribus annis amātiſſime monuiſti,diſcerem cautius negotiari. Monitorem ergo meum admoneam? Atq; illi ſim ductor: qui pręlucere mihi in tenebris ſolet? Portare in ſiluam ligna id eſſet,& ſolem facibus adiuuare. Præſentes candidatos tu præſens cognoſcis. Illorum nemo te fallit. Tēpora quoq; quid poſtulēt,quid tui ordinis ratio quęrat: quis noſtrū

quiſq; viuet,ac velit,quid te etiam deceat ſummæ ſpei nobilitatiſq; Patrem non latet: nora hæc tibi tam ſunt quàm manus,quàm digiti.Errare niſi volens non potes, abſis; præſensve ſit Papienſis,nil accedit,aut decedit Mantuani iudicio.Te ipſum ergo;hoc eſt,mentem à Domino datam attende,& quod ſine me times,periclitari non potes. Vnum tantum cogente beneuolentia hinc vſq; non tam monebo, quàm repetam. Scis quæ in arcanis condiĉta de te inter nos ſunt,ac conſtituta. Ea ſemper ſpectent oculi tui,ac contemplentur.Idq; omni conatu attende, vt quod facis, & facturum te ſcribis, etiam bonis conſilia tua probentur. Ad opus quod quærimus, iudicio meo mali ſatis non ſunt. Proborum quoq; neceſſe eſt accedant ſuffragia. Verbum erat ſapientis Firmani,ſemen nullum fallacius,quàm Cardinalium inueniri. Pro frugibus ſæpe meti tribulos,& lappas,& lolium,neq; eandem in creatis, quæ in creandis benignitatē cognoſci. Prudens dictum integerrimi Patris ingratæ mentes ſæpius comprobarunt. Quem laudatæ virtutis eſſe cognoueris,hunc & grate futurum confidito,cæteris mea ſententia multum ne crede: vt deceperunt decipient. Veniam quæſo da libere tecum agenti. Non Papienſis,ſed amor ſuus hæc loquitur.Ego ineunte Decembri ero tecum,vt puto. De iis rebus alter alterum audiet. Ad ieiuniorum tēpora ſi res protrahetur,dierum ad bene conſtituendum ſat erit. Interim nulli fidem ſententiæ obligaſſe. Suſpenſo fuiſſe iud.cio multum, vt puto,ad libertatem deliberandi integritatemq; pertinet. Bene ac feliciter Vale. Senis.VII. Nouembris. M.CCCCLXXVI.

VICECANCELLARIO.

DCLX.

BReue erit,quod ſcribam,ſed neceſſarium inter te,ac me pondus habebit. Lege precor, & tace. Ad æſtimationem vtriuſq; ſic expedit. Tribuat pietate ſua Dominus, vt præteritorum omnium vere obliti nouum hominem induamus, & præſtemus ambo,quod ſcribimus. Bonorum non modo Cardinalium, ſed Chriſtianorum quoq; opus id erit. Ita vero ſi obſeruabimus, promitto, nec charitatis parui hominis te pœnitebit,nec ego non gloriari tanti Patris beneuolentia potero.ſequentur vtilia multa cogitanda ſæpius ab vtroq;, & horis omnibus prouidenda: ſed illa inprimis non venient quotidie in hominum ſermonem res tuæ, ac meæ. Nos non ridebunt quibus noſtra mala ſunt voluptati. Non lætabuntur, quibus ambo, vel inuidiæ ſumus,vel odio. Spes ſuas tam effuſe non paſcent, quibus alienæ contentionis opinio creſcendi nunc animum facit. Quieſcent interim mentes noſtræ,non ad impugnandum,non ad repugnandum intentæ. Interim quoq; officiis quotidianis noſtra domeſtica iuuabuntur,& qui nobis domi famulantur, vel foris nos colunt, in lætitia erunt, videntes Patres duos momenti non leuis, quibus eorum labor inſeruit olim Caliſti,poſt Pii vinculis iunctos in antiqua charitate ad ſuum aliorumq; beneficium degere. Poſtremo, Pater ampliſſime,quod natura magis quàm ratio monſtrat, in longa,& continuata,& mutuis obſequiis probata beneuolentia nil erit,vel tam difficile, vel tam alteri placens,quod non alter ab altero ſperare, & expectare, & impetrare facile poſſit. Fructus ii meo iudicio mirifici ſunt quærendi, ſi ſapimus, ac conſeruandi. Iterum dico: tribuat pietate ſua Dominus, vt præteritorum omnium vere obliti nouum hominē induamus,& præſtemus ambo,quod ſcribimus. Præſtare id ipſum ego fideli corde inſtituo,idq; his literis ſpondeo. Facturum te idem pro tua ſapientia, & bonitate confido,quod antiqua merita noſtra, & quaſi quædam natura in ambobus conciliat: non ſinamus,oro,communi amborum damno,& nota diſſolui. Iungamus in Domino viſcera,& ad mutuum ſolamen animos copulemus. Tibi cæteris abundanti ad ſeruanda quæ habes, fratrum gratia eſt neceſſaria. Mihi multorum egenti ad paranda quæ deſunt patrocinio tuo inprimis eſt opus. Hanc epiſtolam veris affectibus ſcriptam quæſo ſecretariis tuis ſeruandam ne des: ſed in cubiculo condas, eo quidem loco, vnde ſemel in hunc annum eam reſumere, & ſi vacat, ac placet relegere poſſis. multa aliquando melius noſtræ, quàm alienæ cuſtodiæ permittuntur, & noſtra, quàm ſecretariorum manus plus fidei ſemper, & beneuolentiæ affert. In amicorum ego literis non tam ornatum, quàm animum quæro. Vale. Senis. XV. Nouembris. M.CCCCLXXVI.

IOAN-

IOANNES PETRVS ARRIVABENVS IACOBO Cardinali Papienſi.

DCLXI.

IN negotio Vicecancellarii probatur omni ex parte conſilium tuum, placent litteræ. Grauia & prudentię plena ſunt capita earum, nihil inexaminatū reliquiſti. Quacunque mente acceipiat, nihil eſt quod de te ridere poſſit, & quod magni intereſt, qualem Papienſem habeat, iucundam illi non dubito futuram epiſtolam tuam. Ego reddenda ne eſſet, conſulendū putaui neminem. trito & aperto calle ambulantibus minime opus eſt ductare. Si quid affuiſſet, quod vel lædere æſtimationem tuam, vel eiūs mentem commouere poſſet, alterius iudicii monitu tuo conſilium tentaſſem: ſed iſthic nil tale occurrebat. Tum illud deuitandum duxi, ne vnquam aliunde prælibatas audire poſſit. Deperiſſet omnis illarum fructus, & ad fucum omnia, non ad veritatem propoſiti tui enunciandam ſcripta eſſet ſuſpicatus. Scis quam facile interdum verba hominibus excidant. Tum ille ad eliciendū callidus eſt artifex, & in conſueta piſcatione ſcit optime, vbi retia tendat. Laudo concordiam veſtram, communi animorum quieti vtilem, ac rebus vtriuſque perneceſſariam. Si Zephyri perſtabunt, leui ac ſecunda aura portum attingere iucundiſſimum fuerit. Quod ſi forte medio mari vis tempeſtatis ingruerit, paratus in omnem fortunæ euentum Gubernator, nec cœlo nimium confiſus ſereno vti opus fuerit ad euadendum periculum remos anchoraſq; expediet: quod interim ſecurę nauigationis ſortitus fuerit, in lucro deputabit, procellæ impetum non reformidans firmo nauigio, ac naiuculariis omnibus præmunitus. abeſt nunc Vicecancellarius Portuenſi ſeceſſu. Horum dierum qui vſque in quartam feriam ſequentis hebdomadæ ſenatoriis muneribus vacant, occaſionem nactus aceſſiſſe puto etiam grauius quoddam conſilium. Diſplicuiſſe videt multis ex Patribus ſtudium, quod hactenus tam aperte amplificationi Patriarchæ impendit. Deducta autem nunc re ad faſtigium rotæ beneficio ſuo ſecedere paululū voluit, vt abſens inuidiam fugiat, rediens videat, quo loco res ſint, & ex tempore vel receptui canat, vel prœlium continuet. Patriarchæ promotioni, quod nunquam veriti ſumus, Vrſinus, & Spoletanus annuunt, variis titillationibus expugnati. Rothomagenſis in furias ignemque ruit tentatus reſpondit ſuffragio ſe aduerſaturum. Aduerſatur & ipſe, ne aliquis fiat, nouas creationes minime neceſſarias inquiens, immo de quibus agitur, vel detrimentoſas, vel minus vtiles. Veneti tres quibus poſſunt, & ſuis, & amicorum viribus in Patriarcham armantur, & ipſi ſibi magna repromittunt. Hic vero certiſſimā ſpem fouet auxiliis, quibus innititur Pontificis potiſſimum: qui nō eum vt Venetum, ſed vt ſuum habere in animum induxit. De nouis his Senatoribus nullus adhuc conſiſtorialiter habitus eſt ſermo. Seruatur, vt arbitror, in commodius tempus, vt exploratis prius vniuſcuiuſque affectibus certiore victoria in campum deſcendi poſſit. Scio à Pontifice ſeptem eſſe nominatos, quos ſe ptomoturum affirmauit. Lugdunenſem Epiſcopum, de Fuſo Vlyſbonenſem, & protonotariū Heſſer. In his quatuor fugiendas quotidianas eſſe Principum moleſtias. Tum Tiraſonenſem Vrbinatem, & Patriarcham vt ſuos. Si rex pro filio, Dux pro fratre petierint, ſe huius rei curam ad Cardinales remittere. De nepote Racannatenſi nulla prorſus adhuc mētio. Orator Regius nondum rediit. Expectatur quid aduentu ſuo ſit allaturus. Si ille vrſerit, Patmenſi iniunctum eſt, vt pro fratre ambiat. Quantum Veneti patres profecturi ſint in deſideriis ſuis incertum eſt. fieri poſſet, vt eorum impugnatio, vel illum excluderet, vel eo perturbationis rem traheret, vt nouus aliquis fungus naſceretur. Ego non ad interiora penetro, neque harum rerum peritus ſum. Tibi fideliter ſcribo quę ſcio, quæ ſuſpicor. Tu me nullius auctorem nomines. Expediret vt hic eſſes pro Falcone noſtro nuper reuerſo, vt tu, & Mœcenas iunctis conſiliis rem aggrederemini. Infirma res eſt ſine te. Niſi nos verbis fallit Vrſinus, fieri poſſet, vt vna eum Vrbinate admitteretur. Si ei locus eſſet, deponerem ſtomachum. Plus eſſet, quod placeret, quam quod offenderet. Ad Vicecancellarium redeo: obſignatas ſigno, quod miſiſti alienis manibus reddi faciam litteras tuas, ſecutus mandatum tuum. Eius ad te ſcriptas, & ſignum ſeruabo in reditum tuum. Illud non omittam, debere me tibi ob multa, neque quicquā

tantæ obligationis pænitere: ſed hoc præcipuum eſt, quod de me vel ſentis, vel loqueris ſupra limites ingenii mei. Totum hoc bonitati tuæ aſcribo. Fides mea nihil eſt inferior iudicio tuo, neque frigida, neque fallax apud te inuenietur vnquam, ſed vide nedum fidem expendis, reliqua quę requiris minus attendas, & in eorum trutinatione fallaris. Si enim illa non ſucceſſerint, tu in culpa fueris: qui non aduertiſti,

Vt percuſſa maligne
Reſpondet viridi non coćta fidelia limo.

Hæc ad tuas nouiſſimas hodierno mane mihi redditas. Heri alteras ad veſperam habui ſeptima menſis obſignatas, ſerius quidem, & lentius ad nos perlatas. Illis explicas te non deceſſiſſe è ſententia Decembris Recenſes quã omnino ſit, & commodius, & quietius etiam in parturitione non adeſſe: & veræ in quã ſunt rationes tuæ: ſed parce quęſo reſpondenti. In vocatione qua vocatus es, ambulare oportet, & ſeruire Deo: & ſi vel Deo placere vis, vel hominibus abſentia infructuoſa eſt. Miniſteriũ tuum nemini præſtas, ita nemini in eo gratus efficeris. Si Dei, ſi Eccleſiæ zelus comedit te, deſcende in duellum Munus erit tibi paratũ à Domino, etiam ſi ſuccubueris. Si præſentia & terrena conſideras, & illa te monent, cum illis conſenti. Contumaciæ interdum abſentis non minor eſt offenſio, quam pręſentis contradictionis. Militem, ſi militiam in pugna dimittat, deſertorẽ appellant. Si conſtiterit, ſemper eſt euadendi ſpes aliqua. Si rem bene geſſerit, laudis & gloriæ plurimum. Si occubuerit, & glorioſus eſt obitus pulchrumq; mori ſuccurrit in armis. In militia veſtra quid nõ omni ex parte fructuoſum? Deum præ oculis habes. Conſcientiã times. Illo remuneratore nihil certius. Hac quieta nihil voluptuoſius. Homines vereris, abiiciendi metus vię multę. Obſequio illi, quale ab amico volunt, continentur in amore. Ita in hac re ambo dexteri eſſe non poſſumus. *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* Melius eſt in altera lucrari, quam in vtraque perire. Nunquam mihi probatus eſt locus ille medius, vbi bonorum, & malorum ſenſus abeſt. Hæc mihi ſuccurrebant priuſquã litteras tuas legiſſem, & niſi me moueret auctoritas tua, ego alioſum meis rationibus traducerer: ſed tanti Patris, ac ſenſatiſſimi Domini oraculo facile acquieſco. Ad Rothomagenſem redeo. Conſulit is ſolum Lugdunenſem creari, poſtquam res Gallicæ, promiſſa Legati ita expoſcunt. Nihil neceſſitatis in Fuxo inquit. Vlysbonenſ. dari regi nunc inopi, & mendico, vnde Hiſpani potentis, & victoris animus irritetur ſtultum eſſe. In Heſler non defuturas legitimas ad innectendam moram excuſationes. In tribus aliis, neque paucitatem Patrum nouam ſuffectionem expetere, neque alienam gratificationem accedere. Immo diſcrimen apertæ offenſionis Reipublicæ Venetæ Tuſcarum poſtulantis adiri, commodiora tempora expectari poſſe. Hæc ex me: ex aliis forte interiora & maiora audies. Matiſconenſis rediit. Neapolitanus nondum. Ab externis nihil omnino noui. Valemus omnes in familia noſtra. ego me Reuerendiſſimæ D.V. commendo. Romæ XXII. Nouembris M. CCCCLXXVI.

IOANNI PETRO ARRIVABENO.

DCLXII.

AD Mœcenatis noſtri verbum, veni quęſo, ſedentem commouit. Approbo igitur, gratias diligentiæ tuæ habiturus verbo, quas capere calamis breuis hæc papirus non poteſt. Vale. Senis die XXIII. Nouembris M.CCCCLXXVI.

IOANNI ARAGONENSI CARDINALI PRO XYSTO *Pontifice Papienſis.*

DCLXIII.

IN diem magis de indole tua ſpem bonam concipimus. Audiuimus de te hactenus multa, perſuaſimus nobis multa. Regiam quoque inſtitutionem cognouimus ad mores tuos, & religionem re iuniore intentam: ſed litteræ nunc tuæ ad nos datæ cumulum grandem huic ſpei fecerunt. Videmus circumſpectionem tuam non modo gratias pro accepto Cardinalatu meritas agere, ſed pleno affectu oſtendere, quantum noſtris laboribus debeas, & quantum ſis paratus perſoluere. Eſt prudentis animi indicium oblati honoris cognitio, & virtus ingẽs in alienis beneficiis gratitudo. Ad te aſſumen-

ſumendum paterna merita plurimum valuerũt: ſed nec in te tua bonitas vndiq; teſtificata minimum iuuit. Libenter te in hunc gradũ extulimus, multo ante te extuliſſemus, niſi tempori fuiſſet magis quã noſtro iudicio obſequendũ. Dilatum eſt, non repulſum deſiderium tuum. Tunc tandem impletum, cum nulli rei obeſſe, prodeſſe omnibus eſt indicatum. Gratulamur igitur tibi, qui dicatus Deo iam es. Gratulamur & nobis, qui talem nacti filiũ ſumus. Eſſe te eo in eccleſiam animo non dubitamus, quẽ nobis ſignificas, & facturum te omnia credimus, quæ tuæ litteræ continent, vt ita præſtes etiam, atq; etiam in Domino exhortamur. Præclara opera propria ſunt Regii generis, ac ſanguinis, nec à te Deus in Eccleſia ſua idem quod à mediocribus exigit. Illis ſunt ſatis æra tria in Gazophylacium poſita. Tuæ ſorti maiora conueniunt. Ideo ſic mentẽ, ſic actiones cõpara, fili, vt quanto genere præſtas, tanto & operibus antecellas, ac quanto es maior per patrẽ & domum, tanto per te ipſum benignior, & humilior videaris. Sic cõmendabitur in te aſſumpto miniſteriũ noſtrum, ſic tu aſſumptus in publica omnium eris benedictione. Aduentũ hunc tuum credimus deſiderari à te. Eum ipſum deſideramus & nos. Quando ergo per Regiã voluntatẽ, & commodũ tuæ circumſpectionis licebit, ad veniendũ te comparabis. Veniens vero tanta noſtra, & fratrum noſtrorũ accipieris lætitia, quanta tuis meritis, & ſpei de te conceptæ debetur.

FLORENTINIS PRO XYSTO PAPIENSIS.

DCLXIV.

CVpitis, ſicut ſignificatum eſt nobis, eos præſules dari ciuitatibus veſtris, quorum non modo doctrina, & vita apud Apoſtolicam Sedem, ſed apud vos quoque fides probetur, putantes ad conſeruationẽ ſtatus veſtri eam rem plurimum pertinere. Propterea que optatis, vt ante prouiſiones noſtras, quod ſit veſtri iudicii expectare dies aliquot nõ dedignemur nos, qui præter animarum ſalutem & cõmoda populorũ aliud nobis in dandis epiſcopis nõ proponimus: Remp. autem veſtrã ſemper amauimus, & ſaluam voluimus, huic deſiderio paternè annuẽtes ſignificamus, daturos nos deinceps operã, quantum cum Deo poterimus, vt cum vacare cathedrales Eccleſias Dominii Florẽtini contigerit, veſtris petitionibus liberaliter ſatisfiat. Erit tamen gratum duas, aut tres perſonas meritis, & virtute idoneas, ſemper proponi, vt in ſatisfactione publica etiam nos, quod melius ſit offerre Deo ex noſtro officio valeamus.

FLORENTINIS.

DCLXV.

NOn tulerunt tempora, vt antehac ornate veſtrã Remp. Cardinali Rom. Eccleſiæ potuerimus, ſicut certè non modo optauimus, ſed aliquando etiam ſumus conati, neceſſitatis, non animi fuit omnis dilatio. Scimus amori in nos veſtro, deuotioni in Apoſtolicam Sedem, & nobilitati ampliſſimæ Reip. eam dignitatem deberi. vt ergo bono animo ſitis, & de gratia Sedis Apoſtolicæ non diffidatis, ſcitote nos in prima Cardinalium creatione cum aliis, quibus data ſpes eſt ſatisfiet, habituros, quantum cum Deo licuerit, rationem Reip. veſtræ, præſertim ſi in eam perſonam inclinabit commendatio ciuitatis, quæ nobis, & Sedi ſanctæ prędictæ merito poſſit probari. Experti aliquando ad tuenda publica veſtra animum noſtrum, & iam ad eadem ornanda, Deo volente, experiemini gratiam.

XYSTO IV. PONTIFICI MAXIMO.

DCLXVI.

MAgna eſt pietas B. veſtræ in humilem ſeruum ſuum Papienſ. non rogantem, nõ expectantem, nec cupientem etiam aſſumpſit ad Tuſculanam Eccleſiam. Eundem abſentem, & propter charitatem patriæ ſupplicantem ſumma benignitate præfecit Lucenſi: In vtraq; aperte declarans, quam me amet, & in ſuis chariſſimis habeat. Cum cogito de agendis gratiis, nullũ genus verborum inuenio, quod voluntati faciat ſatis. Puer ſum, & loqui neſcio. Magnitudo meritorũ ſuperat omnem conatũ ſcribendi. Quas tamen humilis infirmitas poteſt ago, & habeo. Procumbenſq; in genua Dominum omnipotentẽ oro, vt pro me ipſe retribuat, detq; pietati veſtræ vitam felicẽ, & diuturnam, & plenam gloria in conſpectu populi ſui. Ego vero cum nil aliud poſſim,

auctis beneficiis veſtris augebo fidem,& ſeruitutẽ,& prædicationem nominis beatiſſimi Xyſti,neq; in mandatis ſuis ſegnis vnquã inueniar,mortem precans,qua hora de ingratitudine cogitabo. Ipſi vero Lucenſi Eccleſiæ ſic præero,& ſic muneris mei ero memor,vt nullo tempore Beatitudini veſtræ dati Paſtoris,aut plebi illi accepti, & petiti ſit pœnitendum. Commendo fidelem ſeruum eidem Beatitudini veſtræ,cui Dominus ſit ſemper à dextris,ne in æternum non commoueatur.

STEPHANO CARDINALI MEDIOLANENSI.

DCLXVII.

AGo ſempiternas gratias pietati D. V. in me, quæ non paſſa eſt ſeruitorem ſuum confundi,quæ illum fideli opera adiuuit,& vbicunque opus cognouit,re & verbo clementiſſimè affuit. Video in diem magis nõ modo continuari, ſed augeri quoq; confirmatam beneuolentiam noſtram, quam ſic inter nos ſimilia multa conciliant, vt impium ſit officiis omnibus illam nõ colere. Nunciauerunt multi ex meis feruens ſtudium D. V. in petitione Lucenſi adhibitum:ſed inprimis teſtimonio ampliſſimo præſul Agathenſis ſuis litteris confirmauit. In quibus dixiſſe illam ſignificat, de ſua, non mea cauſa agi putaſſe, & ita rem adiuuandam ſumpſiſſe, vt nõ Papienſi,ſed Chriſtophoro ſuo videretur adeſſe.Magnum onus beneficii hoc eſt mandandum memoriæ, & intimis ſenſibus recondendum. Deo ſint gratię, qui me dignum non amore ſolum,ſed ſuffragio etiam tanti Patris, & Domini fecit,præſtetq; pietate ſua, vt illum perpetuo mihi conſeruem:quo duce ambulare fidenter,& ſemita charitatis errare nõ poſſim.Mi pater Mediolanenſis vicine in præſulatu,multorum laborum comes, grauium dolorum ſocie, à Deo ſemper dilecte, & exaltate mecum ad dignitatem veſtris præteritis ærumnis debitam, amemus nos inter nos. Tradamus inuicem operas mutuas: & ita in Domino colligemus viſcera noſtra, vt nulla calamitas poſſit vnquam diſſoluere. Ecce Papienſis veſter in hoc totus eſt.

IOANNI CARDINALI ARAGONENSI.

DCLXVIII.

PRo mea in amplitudinem tuam charitate duo his litteris contendo à te: Alterũ vt in bonam partem,quę loquor accipias: Alterum vt præſentem epiſtolã nemo præter te legat. Amici fides damno illi eſſe non debet. Incertum quoq; eſt mihi an omnibus ſit placiturum conſilium. creatus iam dudum es Cardinalis, & tribus prope iam menſibus ſolemni more apud nos publicatus. Pileus etiam contra veterem Patrum conſuetudinem miſſus. Accumulata denique omnia, quæ pertinere ad ſignificationem noſtri in te animi poſſunt. Expectabaris poſthæc Romę quamprimum, vt Pontifici benedictionis ſuæ opus oſtenderes,& præſentia Regię prolis curia lætaretur. Diſtuliſti in hunc diem, ac differs, nec quando ſis venturus vllis litteris nuntii ſve accipitur. Credo id ſine cauſa non eſſe, patremque ſapientiſſimum bene omnia de filio cogitare. Etiam illud attendo,nõ ſatis conſiderati hominis eſſe in tanta iſthic præuidentia rerum aliter ſuadere. Quia tamen multa aliquando nota ſunt Romę, quæ Neapoli latent,multa ſciuntur Neapoli,quę Romæ ignorantur:videor excuſandus,ſi vt te ego eum cauſa puto differre,ita tu me cum ratione credas ad maturandũ hortari. Audi ergo & tace.conferam breui, quæ in vtramq; partem commodo eſſe, vel incommodo poſſint. Scis quæ nuper Fauentiæ acciderint. Scis quæ inde ſint conſecuta. Nil horum non iam palam eſt omnibus. Hæc nunc tam longa mora in tanta loci propinquitate, & in tam diu expetito Cardinalatu nõ minus facile referri ad temporũ conditionem, quam ad tuas res domeſticas poteſt. Vt videlicet cõſortio illius digni non iudicemur, cuius domus ſe à nobis offenſam exiſtimet. Hoc primum me mouet, medicamenta non exulcerationes probantem. Liberæ, vt ſcis, ſunt cuique cogitationes ſuæ,ac ſuſpiciones,magiſq; in malum ſemper, quam bonum inclinant iudicia. Adde quod cum tantus ſis, quantũ Deus eſſe te voluit, accepiſſe iam Cardinalatũ, & tamen ad locum exercendi Cardinalatus non venire:ſignificare forſan malignis animis poteſt,te videlicet dignitatem ipſam in pretio habere, munera dignitatis deſpicere, & ornamenta eius probare,de ornamentorum conſortibus non bene ſentire. Libere tecum loquor, nil a tua manſuetudine præter commendationem præſentis officii expectans. Vide

nunc

nunc contra quid lucri ex præſentia colligam. Duo primum hæc mala, quæ monſtro vno aduentu defugies. Proxime autem æſtimare beneficentiam acceptam videbere, nec tam Regiis, quam noſtris titulis inſignem te credere, quod ad opinionē religioſæ humilitatis plurimum pertinet. Patri deinde ſanctiſſimo, qui te eleuauit, & vnice diligit, ſummæ eris lætitiæ, intuenti apud ſe eſſe, qui & conſolari ſenilem animum poſſit, & Romanam rem firmis præſidiis ſuſtentare. Tu quoque cui à Deo gratia, & dexteritas eſt, per te ipſum multa, & per amicos perficere apud eum in publicis poteris, cum natura clementi, ac facili ſit, incedentique ſecum fideliter nil non ab eo ſit expectandum. Porro autem gaudio ingenti eos afficies, qui tuam præſtantiam venerantur, teq; in ſuis priuatis adiutorem proponunt. Quos cum in aſſequendo Cardinalatu ſuffragatores habueris, æquum eſt, vt conſuetudinis quoque tuæ nunc velis eſſe particeps. ii vero tam diu tua cauſa nil ſe egiſſe putabunt, quam diu tu à fructu adeptę rei abſtinebis. Confirmabis quoq; in diem magis hos quos dico, & quos nunc habes amicos. Quos vero non habes, etiam ſuauitate morum, aſſiduaque gratificandi diligentia tibi aſciſces, vt huic fructui nil anteferendum exiſtimem. Hoc autem, etſi nihilominus venturo anno, aut altero te facturū confidas, referre tamen in vtramq; partem ad plurima poteſt mature ne, an ſero id feceris. Addam & aliud: Sunt apud nos noſtra inſtituta: ſunt mores, ſunt ritus, ſunt cerimoniæ, à patribus ante tradita, & in hunc diem cura ingenti ſeruata. Hæc ignorare, imperitiæ cuiuſdam eſſe videtur: Ineleganter tractare, naturæ hebetis atque ineptæ. Quanto ergo maturius venies, tanto ocyus diſces perfecti Cardinalis opus implere. Etſi enim ingenio fecundo, ac facili ſis, tuæque religioni addi quicquam vix poſſit: eſt tamen aliquid in noſtris officiis, quod Romæ melius, quam alibi diſcitur. Tuam quoque Dignationem non moueat, quod tempora æſtiua propinquent, non ſatis Romam primum venientibus tuta. Nam & Februatius nondum actus eſt, & ad Calendas vſque Iulias, nil diſcriminis habet hic aër, menſeſq; intercedunt quatuor, conſuetudine quoq; annua noſtrum pleriq; eo tempore abeūt, tibiq; in tam propinquo Patris regno, ſi tunc quoq; abeundum putabis, ad leuitatem aſcribi nil poterit. Non teneat quoq; te, quod ad veniendum ita forſan inſtructus nō ſis, vt Regio filio conuenit. Nam ſatis Regio filio conuenit, quod bono Cardinali eſt laudi. Familię grandes, veſtitus illuſtrior, abaci argento atq; auro in excelſum extructi: aulæa quoq; peregrini carique operis, huiuſmodique omnis pompa quæſita ſęculi magis quam noſtrę ſortis eſſe videtur. Componēda ita meo iudicio domeſtica ſunt, vt non vulgi imperiti rumoribus, ſed bonorum grauiumq; iudiciis ſeruiant. Sciunt omnes poſſe te omnia: ſed facere omnia alienæ fortunę beneficiū putant. Nolle omnia tuę tantum virtuti eſſe proprium ducent. Non ęque autem potentem atq; imponentem commendat modeſtia. Hunc perſępe in officio neceſſitas continet: illum ſemper voluntas. Loquitur ſapientia: *Erit illi gloria æterna, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus: facere mala, & non fecit.* Hæc cum ita ſe habeāt, niſi maius aliud grauiuſq; impediat, quod Papienſis ignoret: Veni, oro, ad nos, Reuerendiſſime Pater, & quamprimū veni. Promitto enim expectatus aduenies. Sūma te lætitia Pontifex, ſumma Patres, ſumma omnis curia excipiet, neq; ex aduentu noui alicuius Cardinalis tantū gaudii, vel ſuſceptum eſſe hactenus, vel ſuſceptū iri in futurū intelliges. Multa publicū hoc deſiderium ſuſcitant: ſed nō in poſtremis anni antehac ſeptimi memoria, cū profitendæ paternæ obedientiæ cauſa Romam veniſti. Præſentia tunc tua, & ſupra annos grauitas, oratio quoq; illa illuſtris, tam præſenti animo, & tam iucunda voce in publico Senatu pro Patre ad Pontificem habita, ſic omniū cordi adhæſit, vt & iure nunc creatū Cardinalē te pręedicent, & gratia incredibili Reuerendiſſimi Ioann. Aragonenſis nomen circumferatur. appetunt etiam dies ſancti, & dies parandæ ſaluti ex toto anno idonei: Quibus diebus cum animæ cauſa ab vltimis terrarum adeſſe homines ſoleant, tibi in ianuis prope ædium tuarum hanc vrbem habenti animæ ſimul, & perſoluendæ gratitudinis officio: non religioſum modo eſt conuenire, ſed pene etiam neceſſatiū. Quare ſi ad veniendum inclinas, ad veniendum te firma: ſi ad veniendum te firmas, ad veniendū te præpara, ſi ad veniendū te pręparas, regio apparatu dimiſſo, illum aſſume, & cum eo accelera, qui non tam diuitem, quam moderatum, & religioſum Cardinalem oſtendat. Feliciter vale, Reuerendiſſime Pater, atque hanc epiſtolam lectam ſic apud

te contine, vt ne quem fidelis amici exhortatio pungat. Quod libenter & libere facio, opto per tuum ſilentium, vt facere ſæpius poſſim.

IACOBVS MINVTOLVS EPISCOPVS AGATENSIS.
DCLXIX.

DEerat hoc vnum ad tuorum beneficiorum cumulum, vt poſtquã me & præſens, & abſens tua Dignatio ornauerat, familiam etiam meam honeſtaret, quod nunc fecit officio Vicecomitis. Habebo perpetuas gratias nomini, numinique Papienſi, qui non ſpreuit preces meas. Fide & obſeruantia germanum meum ſuperabit nemo. Reliqua ſupplebit auctoritas tua. Mediolanenſis deſiderium impletum eſt per litteras, quas nuper à Reuerendiſſima Dominatione veſtra accepit. Seruat illas, vt pupillam oculi. Reſpondet ac præ lætitia vix mecum continuit lachrymas. Tanti facit hoc nouum amicitię veſtræ teſtimonium, vt ſupra illud nihil videatur deſideraſſe, vſque adeo vt ego quoque qui litteras reddidi, magnam mihi videar feciſſe acceſſionem. Scio quanti ſit futurum momenti hęc duplicatio exercitus, ſi res aut tempus exegerit. Certa victoria, quæ promitti videtur, facit, vt nos etiam bellum cupiamus, qui alias pacem, aut inducias ſummis optauimus votis. Quid agamus nemo ſcire poteſt: quod enim nihil eſt non cadit in ſcientiam, nihil otioſius. Doleo ſublatam mihi eſſe hanc excuſationem, cum non ſcribo, quod impedimento fuerint negotia. Omnia hic vnius digito temperantur, in demortui Lucenſis locum Spoletanus ſuffectus eſt in picentes haud noſtris ſuffragiis, qui nihil ex illis prętèr ſtipem referemus. Hoc quoque magnum eſt, neque abſuit à diſcrimine. Tanti eſt eſſe Cæſaris nepotem. Sed volenti & ſcienti non fit iniuria, neq; dolus. Ex Gallis nihil habemus noui. Reliqua & hęc ſciunt veſtri, qui Romæ ſunt. Quis eas ignoret? Felix ſit Dignationi tuæ iter, & Eccleſia, & patria. Impleat Deus omnipotens cogitationes tuę Reuerendiſſimę D. cui me deuotiſſime commendo. Romæ. Octobris x. M.CCCCLXVII.

CAROLVS BERARDVS CESENNAS.
DCLXX.

GRatulor tibi, Reuerendiſſime D. maiorem in modum, quod breui tempore duplici auctus es dignitate, duabuſque clariſſimis eccleſiis, & locis præpoſitus es: etſi enim virtus, probitas, ac doctrina, quæ in te ſumma ſunt, tuaque ampliſſima in rempub. Chriſtianam merita, vel hęc, vel longe maiora ſibi iure ſuo expoſcebant: Lętandum tamen fuit in tanta temporum peruerſitate omniumq; rerum cõfuſione tantum cum in Pontifice Maximo tum in Reuerendiſſimis Patribus in te ornando ſtudium, ac conſenſum extitiſſe, vt ſe beneficium accipere exiſtimarent, ſueq; amplitudini conſulere viderentur, cum te ſummis honoribus dignitatibuſq; cumularent: tibi quidem, vt debeo, gratulor: ſed multo magis ipſis locis, quibus præfectus es, gratulandum exiſtimo: vt enim omittam quod tuus ſplendor, & amplitudo plus illis dignitatis attulit, quam ab eis acceperis: quid congruentius accidere potuit, quam vt tu Ciceronis Tuſculano præficereris? qui cũ ſumma doctrina, eloquentia, ſuauitate, ac lepore præditus ſit, Ciceronis alumnus & heres merito haberi & eſſe debuiſti. Quid porro Lucenſi Eccleſię, ac ciuitati gratius aut glorioſius euenire potuit, quã vt ciuem ſuum tot virtutibus dignitatibuſq; decoratum, quem vniuerſæ Italiæ ciuitates, & hæc ipſa Roma ſibi aliquando præſidere exoptent, gubernacula Reipublicę tenere populuque ſui Paſtorem eſſe intueretur. Gaude igitur tu hoc tanto tuo bono, lętentur illæ tanto pręſule glorioſæ. Tibi, precor, clemens ac benignus Deus dignitates iſtas fortunet. Illas vero tam diu dignetur conſeruare, donec ad id dignitatis faſtigium euaſeris, vt iam te non ſibi duntaxat, ſed vniuerſæ reipublicę Chriſtianæ præſidentẽ totiuſq; gregis Dominici Paſtorem intuentes gaudere nobiſcum, ac lætari merito valeant. Bene valeat tua Dominatio Reuerendiſſima, cui me deditiſſimum ſeruulũ humillime commendo, ac deuoueo. Memineritq; obſecro eorum, quæ ſunt apud Ciceronem ſcripta ſapienter, Vrbem colendam eſſe, & in hac luce viuendum omnemq; peregrinationem obſcuram, & ſordidam eſſe iis, quorũ induſtria Romę poteſt eſſe illuſtris. Iterum felix vale præſidium, & dulce decus meum. Romæ. Idibus Octobris M.CCCCLXVII.

XYSTO

XYSTO IV. PONTIFICI MAXIMO.

DCLXXI.

SVm debitor Beatitudini veſtræ omnia nunciandi, quæ aliquo modo pertinere ad rem Eccleſiæ iudico. Hæc quæ ſcribam, ex eodem genere ſunt, & ex eodem obedientiæ genere prodeunt. Supplico humiliter, vt ſecreta omnia ſint, nec ego quomodo liber nominer, non debet bono filio charitas in patrem ſuum obeſſe. Iterum hoc ſecretum totis viſceribus deprecor. Neſcio quàm putet Sanctitas veſtra nouum, & priuatum fœdus Senenſium meorum cum Rege referre ad ſtatũ Apoſtolicę Sedis. Si vtile putat, idem putãdum mihi exiſtimo, & Deo gratias ago, quod in lanuis huiuſcemodi conſilia ſint: ſin damnoſum cenſet, veſtræ curę particeps fio, & triſtante Domino non agit lætitiam filius. Referam quæ per hos dies tractata apud hos ciues ſunt. Eorum Orator qui Neapoli agit, priuatis quibuſdam huc ſcripſit, audiſſe ſe ex interioribus quibuſdam aulicis Regiis, optari vehementer à Serenitate ſua hoc fœdus, quod dico: ſed ideo non aperte peti, quod timeat, ne ciuitas iudicet per ſubſidia data contra Comitem Carolum id ipſum quæſitum, & non tam adiutos Senenſes, quàm hanc coniunctionem ſibi propoſitam. Hæc obliqua inuitatio diuerſis animis accepta hic eſt, atque eo magis mentes ſuſpendit, quo iam bis eſt repetita. Sunt qui vltro offerendam Regi putauerint, nullo prius à Beatitudine veſtra conſilio habito, nec cauſa nouæ miſſionis ad Regem oratorum in tranſitu indicata. Tantummodo gratiis habitis de præbito illis præſidio, & gratulatione facta de montano recepto. Hæc pars ciuium nec exigua eſt, nec gratia parum hic valens. Alii quibus cordi ſemper fuit antiqua in Eccleſiam Romanam deuotio, & ſanius meditantur diuerſum longe cenſebant, aientes miſſionem illam ad Regem, non indicata prius cauſa Beatitudini veſtræ, non ſumpto prius ab ea conſilio, nõ illa deprecata: vt hoc ipſum fœdus ſuſcipiat opus ingratum eſſe deceptionem pręſcferre, ad cõmouendam iuſtam dignationem V. B. pertinere, quæ collato ex dimidia parte ſubſidio fructum honoris, & gratiæ totum deferri ad vnum videret. Magnis vtrinq; cõtentionibus res eſt agitata. Illis ſolum Regem, his vero primum Beatitudinem veſtram inde Regẽ ſpectantibus Nec ſine Beatitudine veſtra, aut ſuo expreſſo conſilio fœdus vllum probãtibus. Vicit hæc ſanior, & prudentior pars, nec infrequenti conſilio populi decerni contra hanc ſententiam quicquam permiſit. Cum tamen ab hora xx. vſq; ad quintã noctis extracta eſſet contentio: Secundo vero concilio, quod heri eſt habitum, cum partem alteram puderet neglectæ eccleſiæ, Boni animum firmius ſumerent paſſim, cognoſceretur iactura publica ex neglectu huiúſmodi, itum in hanc ſententiam fere ab omnibus eſt, vt duo oratores primum ad Beatitudinem veſtram veniant, illi gratias agant, de montono gratulentur, Regis obliquam poſtulationem proponant. Sciſcitentur num fœdus hoc probet, & num ſuſcipere id velit, atque ita omnia moderentur, vt Beatitudini veſtræ placere intelligent. Oratores delecti hi ſunt, frater germanus Cardinalis Senenſis Iacobus nomine, & Laurentius Boninſegnia equeſtris ordinis Princeps ſemper & ardens tam in Senatu, quam in concilio populi ad tuendam æſtimationem Eccleſiæ, & pręſtandam ſemper gratitudinem Beatitudini veſtræ, quę beneficio ſuo iure debetur. Hic vir magnæ integritatis eſt, magnæ cognationis, & affinitatum multarum. Proſequendus & accipiendus humane à Beatitudine veſtra propter omnem caſum Eccleſiæ. Repeto, quod ab initio dixi. Aut vtilem aut inutilem iudicat Sanctitas veſtra hanc nouam, & priuatam cum Rege coniunctionem. Si vtilem credit ex arbitrio Sanctitatis veſtræ illam ſuſcipient, nec cunctabuntur. Si ideo inutilem putat, quod aliena incrementa ſæpe nos premant, & per illam vetus deuotio populi huius ad alium ſit tranſitura, & ſuſpicionem multis Italiæ populis allatura in manu ſua eſt hunc exitum declinare. Reſponſum breue, molle, commune, non feruens, ſemiretentum inter labia, & dentes hoc ipſum pręſtabit quod dico. Lucæ etiam, vt inde quotidie certior fio, idem, ſed aperte tẽptat rex. Et neſcio in quam partem conſilii ciuitas inclinabit. Deus dirigat greſſus eorum, & corda. Ago gratias infinitas pietati veſtræ de Pallio dato de plenaria remiſſione conceſſa, & emolumentis capelli totum Nouembrem permiſſis. Quicquid die illa

ſolemni ex altari colligetur, non ex dimidio, vt admonet Sanctitas veſtra, ſed ex integro ad eam fideliter perferam. Eram paratus cras iter Lucam arripere, ſed veritus ne acceſſus meus eodem tempore in acceſſum Duciſſæ Ferrarienſis incurrat, quæ & ipſa Lucam diuertit, biduo adhuc, aut triduo remorabor. Inde ibo, & breui rebus nouæ ſponſæ compoſitis ad piiſſimum Patrem, & dominum meum Xyſtum reuertar, cui Deus omnipotens ſit ſemper à dextris, ne commoueatur. Senis xx. Octobris. M. CCCCLXXVII.

HIE. BALBANVS.

DCLXXII.

Multum diuque dubitaui vtrum poſt aſſecutam Lucenſem eccleſiam vt eius D. quo veſtræ Reuerendiſſimæ obſeruantiſſimus, & per literas meas cum debita reuerentia gratularer: an id penitus omitterem tanquam temerarium, & impudens, nec ætati, ingenio, aut conditioni meæ ſatis conueniens. Hinc boni ciuis officium, meaq; in D. V. Reuerendiſſimam ſeruitus hortabatur. Illinc amplitudo nominis, eius dignitas, auctoritas plurimum deterrebat. Vicit tandem patriæ amor, ac ſtudium meum, quo talem ſcribendi audaciam, & ſi minus neceſſariam non tamen reprehendendam iudicaui. Itaq; vt veteri præfatione vtar, quod D. veſtræ Reuerendiſſimæ, omnibuſq; Lucenſibus bene vertat, non ſolum ipſius felicitati, ac fortunæ noſtræ congratulor, ſed immortali Deo gratias ago, quòd ad gubernandam regendamq; Lucenſem eccleſiam V. Reuerendiſſima D. potiſſimum delecta eſt, cuius maieſtas ſummis paria virtutibus tantum ſplendoris, & gloriæ allatura eſt Reip. noſtræ, quantum verbis exprimere aut cogitare nemo poſſet. Beatos equidem duco, quibus Dei munere datum eſt, cum antiſtitem habere, qui ſumma probitate, integritate, iuſtitia, atque prudentia præditus ſit: ſed multo beatiores, ſi tantis virtutibus doctrina ſcientiaque acceſſerit. Nam quemadmodum è Platonis ſententia felices ſunt illæ ciuitates, quibus ſapiens, aut ſapientiæ ſtudioſus imperat: ſic felix eſt habenda illa Eccleſia, quæ talem nacta rectorem ſumma cum iuſtitia, & æquitate adminiſtratur. Quod quia dubitare non poſſumus, quin eccleſiæ noſtræ bene conſultum, ac recte prouiſum fuerit. Neq; enim nunc verendum eſt, quod multis in locis euenire perſpicimus, vt Principis ignorantia Eccleſia male regatur, aut nullum ſit diſcrimen futurũ inter bonos & malos, doctos & indoctos, æquos & iniquos. Nota eſt omnibus ſingularis in omni re iuſticia ac prudentia veſtræ Reuerendiſſimæ D. quæ non patietur hoc Lucenſi Eccleſiæ accidere, ſed pro meritis cuiuſq; honores ac ſacerdotia decernet, ipſamq; Eccleſiam ſummo cultu ac religione excolendam curabit, vt quam ſui anteceſſoris diligentia ſatis ornatam, & inſtructam accepit, eam quàm ornatiſſimam ampliſſimamq; reddat. Quocirca omnibus profecto Lucenſibus eſt gloriandum de tanto ac tam optimo Præſule, qui maximo honori & vtilitati Reip. noſtræ ſemper eſt futurus. Ego vero pro virili mea tantum gaudeo, & gratulor quantum præter alios ciues plus debeo Reuerendiſſimæ D. V. pro mea ac fratris mei Timothei præcipua in illam obſeruantia. Itaq; ſi ſui in ſcribendo audacior, quam æquum fuerat, id feci teſtificandi ac declarandi officii mei cauſa, fretus ſingulari humanitate D. V. Reuerendiſſimæ, quam ad extremum oro, & obſecro, me in numero eorum habendum exiſtimet, quos ſui optimos cultores, & obſeruatores eſſe nouit. Quanuis enim re ipſa par illis eſſe non potero, voluntate tamen ac ſtudio eos ſi non vicero, ſaltim æquare conabor. Bene ac diutiſſime valeat D. V. Reuerendiſſima, cui me vnice commendo. Ex vrbe XXIII. Octobris. M. CCCCLXXVII.

F. CARDINALI MANTVANO.

DCLXXIII.

Quod etiam Lucenſis ſim factus, non ſine grandi patrocinio tuo eſt factum. Vſque eo toto ſtudio incubuiſti ad cauſam, vt competitores venientes ad te minus amice acceperis, & iurgiis vexatos dimiſeris. Id habeo gratiam, qualem & quantam Papienſis poteſt. Ad referendum nec immemor ero, nec ſegnis. Interim debitor, & perſolutor ſit Deus. Literæ Regiæ importunæ ſunt nimis. Ipſe etiam imperioſus nimis.

mis.Facilitas noſtra horum eſt cauſa. Plus æquo vicinum, & ſubditum expertumque quid in vtranq; partem poſſit Eccleſia veremur,atq; ſuſpicimus. De Sabello non ſatis ænigma intelligo. Scribis enim SS.ſi res noſtræ firmæ eſſent, affirmarem excluſionem Sabelli firmam eſſe SS. Aut infirmitas,quam vereris,in nobis eſt,aut Pontifice. Si non in Pontifice,ſatis multi ſumus ad eius animum confirmandum. Si nos vacillamus,& Pontifex vrgeat,de caſu eſt nobis timendum. Ad reditum abſentium ſi res protrahetur,aliquam ſalutis viam forte Deus inueniet. Tu interim ex condicto noſtro ſta in acie,& pugna,& pedem ne refer. Mandatum mitto ad Carolum Cremonenſem,vt mones. Da operam vt ſine condictione aſſequendæ poſſeſſionis omnia fiant,& mihi ex conſuetudine noſtra non negetur regreſſus. Reliqua ex ipſo Carolo. Quod de valetudine mea Romano non potuit, & Roncilio non eſt aſſecutus id plene pręſtitit Monſindolus meus. Sic valeo vt melius nunquam. Tu etiam vale,ſpes & cõſolatio mea. Ad 11. Octobris. M.CCCCLXXVII.

G. LOLLIO.

DCLXXIV.

OBitum matris æquo non ſolum,ſed forti animo pertuli: obeunda illi aliquando erat dies,quæ vitari non poteſt. Eo autem tempore eſt obita,quo matura omnia erant. Nihilq; acerbi deflendum reſtabat. Ad ſolamen autem mentis id plurimum pertinet,quod piæ Matri nil non à bono filio,& viuenti eſt,& mortuæ præſtitum. Ipſaq; in Domino moriens in Abræ nunc ſinu quieſcit. Tibi gratias habeo, Pater Lolli,quod amantiſſimis literis conſolatus es me & vicem illius indoluiſti. Suburbana noſtra ſi minus lætitiam ex ſuo acceſſu poſthac ſentient,lenire ſaltem ex noſtra conſuetudine ſuum deſiderium poterunt,faciundum nunc curo eius ſepulchrum breueq; epitaphium iam cogitaui: Quod mitto ad te,vt illo inſpecto Ariſtarchus ſis mihi. Matrem alloquor filius,non tam conſuetudinem quàm affectum ſecutus. Tu id tace,& corrige,& vale,& reſcribe.

Viua Deo,defuncta mihi, Conſtantia mater.

PETRO ACCIAIOLO.

DCLXXV.

QVanto dolore me affecerit,dulciſſime Petre, immatura mors cariſſimæ atque optimæ ſororis tuæ,teſtis mihi eſt Deus, ſenſuum meorum iuſtus interpres: teſtes etiam oculi, qui [illegible]d primum nuncium huius calamitatis tam multas lachrymas effuderunt,vt haud ſciam an funeri materno totidem ſint præbituri. Tetigit primo mentem bonitas integerrimæ adoleſcentis meuſq; in ſe amor ſingularis, quẽ merito virtutum ſuarum non ſecus ei ſemper impendi,ac ſi eadem patria iiſdemque pa[illegible]ntibus eſſet creata. Tum tuu[illegible]atris optimi mœror, quo ſciebam neceſſe eſſe, [illegible]pprimi ob ſummam pi[illegible]am ei viuenti continuo præſtitiſtis. Huc etiam [illegible]ceſſit com[illegible]s omniu[illegible]lium,ac miſera cõditio, apud quos in tanta ſæ[illegible]abe ſi q[illegible]d pium eſt,ſi caſtum,& à cõmuni ſcelerum cõtagione intactum, id nobis [illegible]na obſtinata quadam ſententia antea omnino adimit, quàm dederit, & quos in p[illegible]mo lucis veſtigio ſublatos oportuit, eorum vitæ pręcipue fauet. Sed [illegible]id ampli[illegible]eri homunculi poſſumus? Num me ſi Deus conſortio bonorum [illegible]dignos nos iudicat, ob eam tame[illegible]m afflictari tantopere conuenit? & lamentis continuo quæſere,quod eſſe iam aliter & immutari non poteſt? Lugendam non diffiteor vicem tam egregiæ ſororis,& iuſtas lacrymas naturæ reddendas: nam & ego qui te ipſum cupio conſolari,parcere oculis non potui, & in huiuſmodi iacturis in motum ſe omnino præſtare,vix hominis eſſe exiſtimo,qui & bonitatis, & rationis ſit particeps. At tam diu in ſqualore iacere, noctesq; ac dies miſere angi reuocando ſedulo mentem ad deſideriũ mortuę,quid hoc medius fidius eſt aliud,quàm & tibi qui gemis,& illi,quam gemis,iniuriam facere? Tum cogere amiciſſimos tuos,quibus tua ſalus eſt curæ,nõ minus tuo quàm ſororis luctu ſollicitos eſſe? Neq; enim cuiuſquam lachrymas flagitat Bartholomæa, quippe quas vſui nullo ſibi eſſe intelligit: quin ſi quis defunctis eſt ſenſus qui certe eſt maximus, dolet potius pii fratris mœſtitia,

cuius nondum ſatis firmatæ valetudini nulla re magis videtur poſſe noceri quàm aſſiduis angoribus. Volo igitur, mi Petre, ſi per dolorem tuum liceat, tantiſper mihi aures patienter accommodes, dum quæ mente agitaui, non multis expono. quæ ipſa ſi ita ieiuna fuerint & inualida, vt ad leuandas lacrymas tuas non multum attuliſſe videantur: at ſpero motum te voluntate & fide optima Iacobi tui conceſſurum id eſſe amori, quod epiſtolę dare nequiueris. Etenim cum mente mecum requiro, quænam ſint illę cauſæ, cur exitu eorum qui nobis cari fuerunt, tam diu lugeamus. Has demum reperio vel potiſſimas eſſe, quod aut eos commodis ſuis, aut nos noſtris, aut vtriſq; inſimul & nos & illos videmus orbatos Quod tibi cum amiſſione ſororis forte eueniat, ac non tam tua cauſa, quam etiam ſua affli&ter, nitar in hac exiguitate ingenii oſtendere, nec tua cauſa nec ſua amodo lugēdum, vt ſcias hoc loco vt in ceteris multis opinione magis quàm re nos laborare. Quid enim dicemus incommodi hanc noſtram mortem perpeſſam, quę tam ſancte atq; integre cum domeſtica diſciplina tum bonitate naturæ cōtinuò vixerit. Vt ſingulis non dicam diebus, ſed horis, & odio labefactæ ſeniſi, & ſpe futuræ beatitudinis ſupremum ei tempus appetendum videretur? Quid enim vita hæc noſtra, quam mortem verius diceremus, in ſe habet boni? quid commodi? quæ moleſtiarum continuatione nos ſemper habet ſollicitos, ſemper terrore aliquo verſat, ac nunquam vacuos eſſe ſinit inſurgentibus calamitatibus. Hinc morbi & obitus filiorum aſſiduo vrgent, hinc exilia & noſtra & amicorum patriæq; etiam calamitates ſedulo premunt, finiſq; mali vnius gradus eſt ſemper alterius, vt qui mortem rerum omnium optimam iudicarint, ii ſoli vere ſtatuiſſe appareāt, nō eo ſolum, quod ſit ærumnarum omnium quies, ſed quod totiens in doloribus nos emori nō ſinit. Sed ego hæc prętermitto, quæ grandiorē paginā quęrunt. Redeo ad Bartholomæam. Hæc igitur, quoad vita ſuperfuit, omnib. iis rebus eſt functa, quæ à pudicis mulieribus expeti poſſunt, aut nō expetita, cara, ſi acciderint, eſſe conſueuerunt. Parentibus orta eſt & genere & extimatione ſuę ciuitatis primariis. Educata ea cum pudicitia, vt bene agendi conſuetudine nil æque iam ſibi eſſet cognatum ac religio & ſanctimonia morum. Venuſtate inſuper & forma egregia, quam magis pudore atq; modeſtia quàm vlla impenſa cura excoluit. Maritum porro maturis iam annis expetta eſt, quo cum ſic vnice vixit, vt ne minima vnquam inter eos querela diſſidii vllius cauſam præbuerit. Ex eo liberos tulit, & plures, & omnes indolis ſpectatæ, quos ſi adultos nō vidit, ne vtiq; vidit ea, quibus interdum dolore adducti parentes natorū funera coguntur optare. Habuit poſtremo teq;, & Donatum Germanos ea virtute ac gratia (ne ſit in veritate crimen aſſentationis) eo in ſe amore atque pietate, vt etiam ſi cetera defuiſſent, his tamen ſolis beatam ſe merito poſſet appellare. Tum aſpexit, quod vnum ſemper optauit, ex grauiſſima & diuturna corporis vexatione ita te liberatum, vt priſtina incolumitas eſſet potius ſperanda, quàm aliud grauius pertimeſcēdum. Poſtremo incidens in ſupremum diē ita [illegible]ominum colluuione deceſſit, vt mors eius anteactæ vitę teſtimonium facere[illegible]orum omittens, quæ ad futuram beatitudinem ſpectare videntur, quin vt percepi ex iis, qui affuerunt delato ad ſe Domini corpore, cum & membra iam pene eſſent conſumpta, & anima ægre retineretur, orauit ſanctiſſima puella è cubili ad terram nudis genibus: ſtatui indignum omnino rata tantum à ſe Sacramentum aliter ſuſcipi, quo loco lachrymis multis deflens ſua errata, ſi qua in vita commiſerat, haud multo poſt in conſpectu dilectiſſimi coniugis, in cōplexu amantiſſimi fratris, Deo, quo acceperat, animam reddidit. Hic tu, mi chariſſime Petre, quid pertuliſſe mali hanc tuam contendes, cuius vitam tot iam dierum luctu requitis? quid non potius boni adeptam? quæ perpetuam requiem cum aſſiduis moleſtiis morte mutauit, atq; ita vixit dum vixit, vt acceſſio paucorum annorum non tam aliquid addere ſuperiori fortunæ ſuę iam poſſet, quàm demere. Num quęſo ſi (quod Deus auertat) cōtinuos filiorū obitus coacta eſſet ſentire, chari item cōiugis perferre ruinas, quæ multę ſemper impendent, non facultatibus ſolum, ſed etiam vitæ: Veſtrum vtiq; mortem aſpicere, quos habuit vita chariores, num vnquam miſerendum magis afflictę fuiſſet, quàm nūc cum rebus his omnibus integris contenta exceſſit? Quā miſere, bone Deus, mentem piæ adoleſcentis dolor verſaſſet? quo tumultu animum diſtuliſſet? ſi quid aut in aliquo veſtrum, aut in vtroq; grauius accidiſ-

accidiſſet. Tumet noſti ſenſus germane, atq; adeo expertus es in tuo hoc diuturno languore, quem illa ſic tulit dolenter & anxie, vt donec inter ſpem metumq; pependiſti, diligenter ſit aſſeruatum, ne quid quod te periculoſius vrgeret, ad eam nunciaretur. Num deniq;, quod iam fieri non poterat, ſed tamen, quia mortales ſumus, ſi factum fuiſſet, vt ea mores mutaſſet, num oro longe tunc magis non ſuam modo, ſed tuam inſimul ſortem deflendam cenſeres: ac iam vita eius odio eſſe inciperet, cuius nunc mors tanti doloris eſt cauſa? Neſcimus, mi amantiſſime frater, quid votis precemur, ducimurq; vt plurimum cõmuni omnium errore, atq;, vt ille inquit, ea ſæpe miſeri expetimus, quę omnino non impetraſſe melius foret. Has ergo calamitates & dolorum cauſas cum illa deceſſu ſuo vitarit, quis vel paululum modò ſanæ mentis non ſecum melius actum fatebitur, quàm nobiſcum, qui in hoc procelloſo mari ſingulis momentis expoſiti ſumus fortunę ludibrio? At inquies fortaſſe: Si non ſua, veſtra tamen interfuiſſe illam diutius viuere. Amantis ſeipſum id eſt, non veri fratris officium præſtantis. Sed eſſe per me liceat: id ipſum quale ſit, oro conſideremus. Magno ſolatio & conſolatione non parua priuatum te eius interitu fateor, qua cum & partiri curas tuas, & cogitationes tuto poteras credere, quam ſæpe videre, ſæpe affari, cuiuſq; in beneuolentia iucunditatis plurimum accipere. Hocq; ſolum eſt illud, cur ego dolendum tibi aliquantiſper aſſentiar, & primis lachrymis ignoſcendum. Quod ipſum tamen cum anguſtiis cõpenſatũ, quas deinceps ea viuens poterat ſubire, magna ex parte leuatur. At cõmoda rerum veſtrarum ſi requirantur, & perdita morte ſua lugentur, quæ, oro, poterant hæc ipſa commoda eſſe? Ceſſerat primum domo paterna, ceſſerat cognatorum familia, maritoq; ſic iure coniugii erat addicta, vt præter ortum eorundem parentum iam nihil amplius cum ea vobis eſſet commune, totaq; cũ ſarcinulis ſuis in aliam gentem cõmigraſſe videretur, ac iam cura filiorum, quos in dies gignebat, auerti eam oporteret a cuſtodia fratrum. Huc adde, quod ei viro fuerat nupta, qui etſi genere ſat clarus, bonitate autem melior eſſe non poſſet: vitio tamen cõmunium temporum non iis erat in ſua republica opibus, vt vos & præſtare ab offenſionibus tutos, & ſubleuare ad honores dignitateſq; poſſet: Cuius tamen in vtrunq; veſtrum ſummam beneuolentiam æſtimandum non eſt vxoris amiſſione eſſe deletam. Nam & defunctæ memoria, qua ſæpe, ob eximiam eius in ſe fidem tangi animum ſuum conueniet, & charitas filiorum, qui ſuperſtites matri reſtarunt, vinculo erunt vel maximo ad continuandam affinitatis coniunctionem, vt iis viuentibus dubium non ſit talem in vos, & opera qua poteſt, & animo ſimul futurum, qualis antea omnino extiterat. Quod ſi ita eſt, mi chariſſime Petre, quid tibi reſtare intelligis, quo te angi vlterius cenſeas oportere? Vides vt reor, nec in tuis, nec in ſuis rebus, & iacturam vllam ſic grauem eius exitu factam, vt tantis ſit lachrymis proſequi digna: hoc ſolo minus commode tecum fortunam egiſſe, quod abſentis deſiderium eſt tibi relictum: illam vero quamdiu nobiſcum fuit, perſancte vixiſſe, omnibus prope bonis eſſe perfunctam: vita autem ita ceſſiſſe, vt ei nec tardior mors, nec alia mors quam quę obtigit, fuerit optanda. Sed illuc video te ſæpe humanitas reuocat, luctuoſum ſororem amittere, luctuoſum tanta ſuauitate priuari. Non omnino repugno: ſed nonne luctuoſius multo eſt parentes, fratres, filios adimi? quorum vita charior eſſe ſolet. Cogita paulum, ſi hæc dura ſors in fratrem potius quàm ſororem cecidiſſet, quonam modo tuis rebus eſſet conſultum, & quid tibi in tanta orbitate agendum putares, atq; ita maioris æſtimatione leuius detrimentum pati condiſce. Tum ante oculos pone innumera aliorum exempla, quos fortuna non in hac re modo, ſed in omni genere calamitatis aſperius verſauit: quæ ſi minus dolori tuo ſuccurrunt, verte cogitationem ad patruelem tuum, Equitem ornatiſſimum, cuius vt omittam parentum obitus, ſed adhuc pene infanti iacturas mox facultatum, in publicis vectigalibus ciuiles fluctu, in quibus ſæpe eſt volutatus, ſororis interitum, quæ viro ſuæ ciuitatis primario erat coniuncta, quod nam id & vulnus fuiſſe putandum eſt? cum vno tempore eiectus patria, in terra aliena exul paucis horis tres iam adultos filios tulit ad rogum? Quid huic infligi grauius poterat? quid magis acerbum? Attamen ea cuncta ſic tulit grauiſſimus vir, vt & ſua maiorumq; virtute ſe dignum præſtaret. Huius tu, mi frater, in tuo hoc luctu animum imitare, eo etiã magis, quòd & damnum

tuum eſt lenius,& minus vrgeris aliis calamitatibus. Hæc cum cætera par ſis fratri chariſſimo, hac ſola re videaris inferior, qui, vt audio, ſic adfuit infracto animo languori ſororis, ſic exitum eius ingenue eſt paſſus, vt & glorioſæ mentis,& ſummæ cõſtantiæ documenta nobis permaxima dederit. Denique hoc tecũ fac ſæpe memineris, tranſgreſſores mandatorum Dei nos eſſe, punirique à ſe errata hominum flagellis eiuſmodi, quæ cum eueniant, corrigendos eſſe potius errores noſtros, quàm ſupplicia lugenda: cum præſertim ea ſint clariſſima indicia diuinæ erga nos miſericordiæ neque enim, vt noſti, caſtigat Deus, niſi quos diligit, & in ſuos elegit: vnde per Ezechielem prophetam ad Hieruſalem loquitur: *Iam tibi non amplius iraſcar Hieruſalem: zelus enim meus receſſit à te.* & Hieronymus noſter. *Magna*, inquit, *eſt ira, quando peccantibus non iraſcitur Deus.* Poſtremo, id quoque nonnunquam ſuccurrat, è graui morbo cœpiſſe te reſpirare: non omnino vires eſſe receptas, facileque aſſiduis curis in eandem calamitatem recidi poſſe. Tum tuos omnes, auiam, cognatos, fratrem, amicos, meq; inprimis anxios pendere periculo tuo, nec ante quieturos, quàm abieciſſe te ex animo mœrorem omnem audiuerint. Da ergo amori in te noſtro, da precibus quod tantopere cupimus, ac per te liceat aliquando hac nos leuari ſollicitudine. nam ſi mœrore, & luctu hæc noſtra in vitam poſſet reſtitui, non modo lugendum plenis oculis nobis cenſerem, ſed alios item precio conducendos, qui ſuas lachrymas noſtris adiicerent. At cum hoc totum munus inane ſit ac vacuum, nec mortuis quicquam proſit, viuis vero plurimum obſit: ignoſcamus nobiſmetipſis; & diſcamus modice ferre, quod iam aliter nequit. Reſtat tibi altera ſoror, nec virtute, nec ſobole filiorum, nec coniugis fortuna inferior. Reſtat amantiſſimus frater, qui vel ſolus dum tibi ſupererit, non modo vnius ſororis, ſed ne multarum quidem mortem cenſeas à te magnopere lugendam. Quanquam mors ea non eſt appellanda, quæ ſempiternæ vitæ eſt cauſa. Nec enim ſi ex hac vita migrauit, & Deo tamen æſtimandum non eſt illam non viuere. Viuit, mi dulciſſime Petre, Bartholomæa noſtra, & quidem ita viuit, vt vita hæc eius vſui maiori nobis quàm priſtina eſſe poſſit. Neq; enim dubito, cum à primis annis in caſtiſſima domo pudice ſit aſſeruata, cum maritali iuri religioſe inſeruierit, cum natos ex ſe ſuſceptos tanta pietate aluerit, cum denique ſuprema hora euocationem Domini patientiſſime tulerit, quin ſanctiſſima anima ex hoc caliginoſo carcere ad Patrem æternum beatorumq; ſedes protinus euolarit, ibique fruatur ſempiterno ſanctorum conſortio. Ea igitur è cœleſti ſede ad nos ſæpe deſpiciens, quos amauit tantopere, à quibuſque tam pie dilecta eſt, miſerebitur laborum noſtrorum, Deoque aſſiſtens continuis precibus amantiſſimos fratres non ſinit periclitari. Quod ergo ad nos attinet, colamus perpetuo tam ſanctæ feminæ memoriam non lachrymis, ſi fieri poteſt, ſed gaudio & exultatione. Tum optemus, neque in vita, neq; in morte nobiſcum deterius agi. Habes epiſtolam, mi Petre, maiorem multo, quam ab initio ſtatueram, quæ ſi tuo dolori aliqua ex parte profuerit, non eſt cur operam fruſtra deſumpſerim. Si minus, credo non rem, ſed animum ſcribentis expendes, ac tibi hoc tempore ab amiciſſimo tuo, quoad potuit, ſatisfactum putabis. cum vero mente paululum quieueris reſpondebo amantiſſimis literis, quàs a te proxime accepi, ſimul tecum vna commentabor, quo pacto ſtudia tua abſq; offenſione corporis ſint proſequenda. Nam à prima epiſtola ad vltimam ſic ſtilus tuus vſque ſucceſſit, vt omnia ſint de te non multo labore expectanda. Vale. Florentiæ quarto Idus Auguſti. M.CCCCLXXVIII.

IACOBVS CARDINALIS PAPIENSIS IACOBO Volaterrano Secretario ſuo.

DCLXXVI.

NOn erit forte labor inutilis, Iacobe, reſcribere orationem hanc meam, quam meo chirographo ſcriptam ad te mitto, habitã initio lectionis meæ in Gymnaſio Florentino in adoleſcentia mea. Memor ſum commendatam eam tunc fuiſſe à præſtantibus viris illis quidem veteranis, & eruditis, qui honoris cauſa dignati ſunt me tyronem audire tunc primum in aciem deſcendentem. Tu vel reſcribe, ſi placet, vel ſerua. In euoluendis ſcriniolis noſtris veteribus, & pene vetuſtate conſumptis multa eiuſmodi

eiuſmodi reuenerunt ad manus meas. Romę cum erimus,credo inueniemus etiam legationem Cardinalis Firmani ad Genuenſes pto pace inter eos firmanda, quã memini tunc ſcripſiſſe inſtar itinerarii cuiuſdam, prout pluries monui te vt faceres, & cœpiſti anno præterito eum ab vrbe huc venimus, vbi & nonnulla noſtra manu mutauimus,& addidimus,non tam vt emendaremus, quam vt tibi animũ ad proſequendum adderemus. Vale. Molzæ dicito,mandati noſtri ſit memor,& tu Froſinum vrge ad opus iniunctum. Vale. Ex Sindolano noſtro.

Oratio vero,de qua ſupra,hæc eſt quæ ſequitur,videlicet.

MInor natu cum ſim ex his omnibus, quos mea tempeſtate hunc locum docendi cauſa aſcendiſſe meminerim, vereor ne quis veſtrum exiſtimet, hoc me onus, quod ſuſtuli,magis adeo temeritate quadam,& iuuenili errore deceptum, quam vlla ſatis certa aut excogitata ratione ſumpſiſſe,quod ego cum ſæpe mecum tacite volutarem, & quam longe poteram, memoria mea repeterem, qui dudum viri, qua ætate, quo vſu,quibus ingenii, & naturæ muneribus inſtructi, in eodem hoc ipſo curriculo ſumma laude, & commendatione fuerint verſati, cum inſuper meæ iuuentutis conſcius forem, imperitię haud eſſem ignarus,ſuſceptumque munus cum viribus noſtris ſæpe conferrem, in eam potius ſententiam animus inclinabat, vt longe tutius eſſe arbitrarer, eam prouinciam omnino relinquere, in qua retinenda maior ignominiæ metus, quam laudis ſpes vlla videretur ineſſe. Videbam primum quam duræ meę partes eſſent futuræ, qui iis viris hoc loco ſuccederem, quibus cum ſcirem me nulla in parte poſſe accedere, haud tamen neſcius etam, quam turpe eſſet videri omnino diſſimilem. Illud etiam ſuccurrebat, multo mihi honeſtius licere his potiſſimum annis,in quibus diſcere,quam docere commodius poſſem,aliorum dedere me diſciplinis,quam meę deditos retinere,ac veluti militiæ expers tyrunculus, de bellicis rebus ſententiam ferre intelligebam. Deniq; quam graue eſſet hoc onus,quam diſpar ceruicibus noſtris, quæ mihi ad id ſuſtinendum deficerent, quam magno eſſet impedimento deſuetudo facundiæ, nouitas fidei, auctoritati ætas, commoditati ingenium. Rurſus cum animaduerterem, quam pauci reperirentur, qui ſibi hunc laborem depoſcerent, aut vltro delatum reciperent, viroſque doctiſſimos, qui id facere egregie poſſent, aut maioribus rebus intendere, aut eiuſmodi defunctos officio, & quaſi decurſo iam ſpatio quieti ſe,& otio tradere, futurum neminem arbitrabar, cui ſi non omnino vires:at noſtrum hoc ſaltem officium non probaretur, qui quod alii nullo negotio ſumma cum laude agere poſſent,id ego ipſo magno labore,minimæ ſpe gloriæ, maximo dedecoris metu ſuſcepetim. Fructum inſuper ſtudiorum cum mihi perſuaſiſſem,viridem adhuc,& dulcem oportere non ſemper in vmbram,& tecto delireſcendum:prodeundum aliquando in lucem, temptandamque viam, vt inquit ſummus poëta,qua nos humo attollere,& victores per ora virum volitare poſſemus. Sperabam hoc quoque iuuenile inceptum poſſe non venia modo,ſed commendatione etiam dignum videri. Cum porro legiſſem hac ipſa ætate, aut etiam inferiori multa ab adoleſcentibus auſa eſſe ſumma cum laude, annoſque non modo dignitati eorum non obſtitiſſe ac gloriæ, verum etiam magno inprimis adiumento fuiſſe: Demoſthenem admodum puerum actiones populares ſæpe habuiſſe, Caluum, Cæſarẽ, Pollionem, L. Craſſum, compluresque alios iuuenilibus annis grauiſſima iudicia ſuſcepiſſe, Auguſtum denique Cæſarem annos XII. natum Auiam ſuam pro roſtris laudaſſe, nullo modo verebar, ne quod illis id ætatis adoleſcentulis ſummis in rebus in conſpectu populi,in ciuium,& patriæ diſcrimine laudi dabatur, id mihi in hac tantula re in cœtu paucorum, in hoc breui, & anguſto Gymnaſio vitio verteretur. Quibus ego rationibus exemplíſque adductus hoc pondus, etſi aliis leue, mihi vero grauiſſimum,ſubii,quę ſi à vobis improbãtur, ſit in culpa noſtra temeritas, cõmuniſq; hic error cum clariſſimis adoleſcentibus eſſe putetur: ſin vero,quod potius reor,& ratio ſuſcepti muneris iudicio veſtro probatur, & officium placet, magna equidem ſpe reliquum noſtri laboris aggredior:ac primum,quoniam ita mos tulit,vt ab his, qui hanc prouinciam ſuſtinerent,oratorię lectioni coniungeretur poëma,idque à meis præceptoribus memini factitatum,nos quoque eandem viam ingreſſi, quantum infirmitas

noſtri ingenii patietur, haud ſane immerito extollemus. Res enim præclara eſt, & omniũ prorſus commendatione digniſſima, atq; vt poëtarũ conatus omnis huc fertur, vt aut proſint, aut oblectent, aut etiã vtrumq; ſimul efficiant, nos itidẽ vtrumq; ſecuti vtilitatem primo, iucunditatẽ poſtremo laudabimus. Quæ duo dum aſſequi conor, quęſo me, vt cœpiſtis, attente audiatis. Veſtra etenim benignitas & orationi demet timorẽ, & iuuentuti meæ fiduciam faciet. Vt igitur ab incunabulis noſtrę eruditionis exordiar, qui melius, quam poëtæ aditum ad doctrinam patefacere poſſunt? qui facilius animos pueriles ad ſtudia allicere? qui iucundius retinere? qui commodius eorũ mores, & inſtituta vitæ formare? qui deniq; copia & ornatu vberius, ac lautius rude ingeniũ alere? Hi enim qui modus, quæ ſtructura orationis exiſtat, vel cęteris elegantius edocent. Horũ cura, & ſtudio quæ verborũ ſit vis, quãta interpretationis varietas, plane eluceſcit, ab his ſermo incorruptus, pura oratio, & pronunciãdi rectiſſimus ſonus percipere. Vt enim de cæteris ſileam, quid Virgilio? quid item Terentio primis ſtudiorũ elementis accommodatius? quid æque aptum vel ad normã verborum, vel ad vſum eloquii poteſt inueniri? Quamplurima ſiquidẽ aliarum facultatũ volumina, etſi accurate cõpoſita ſplẽdore, & copia orationis ſint illuſtrata, habeantq; in ſuo quęque genere dignitatẽ, non tamen id habent, vt teneras mentes tam poſſint latenter, & iucunde arrepere quã ſcripta poetarum, ad ſermonis quippe elegantiã, quę ſumma in ipſis eſt, tum addunt earum rerum, quas fingunt, ſuauitatẽ, qua decepti animi pueriles amore quodã incredibili litterarũ capiuntur, atq; ea figmenta cum cupide ſectantur, eruditionis & diſciplinæ iaciunt fundamenta. Multi etenim noſtra, nonnulli etiam priſcorum memoria ſunt inuenti, quorum ingenia cum à ſtudiis eſſent auerſa, mẽtes nulla ratione flecti ad litteras poſſent: omnia perpeti, quã diſcere mallent: oblatis demum fabellis, vatũ dulcedine guſtata, tam maxime ſtudia adamarunt, quã vehementer antea oderant. Quid quod ad mores colẽdos, ad excitandam animi magnitudinẽ, ad comprimendam formidinem, ad propulſandũ dedecus adeo in teneris annis eiuſmodi valent poëtarum commenta, vt nulla valere plus poſſint. Ea etenim ætas, quæ rum primum virtutẽ ſuſcipere, & fortia facta incipit admirari, cum in re ficta tam eſſe in pretio probitatem tuetur, cum labori, & ærumnis, quæ propria pro ſuis plurima ſubeuntur, tanta laudũ præmia expoſita videt, ducitur & ipſa laudis cupiditate, optat re vera imitari, quæ ſcit longe à veritate abeſſe, alienis exemplis, quid ſit turpe, quid glorioſum, quid fugiendum, quid rurſus obeundum, agnoſcit. Creſcunt in animo his adminiculis ea virtutum ſemina, quæ in mentibus noſtris natura diſperſit. Innaſcitur vna cum annis odium ignominiæ, & ſcelerum, amor bonitatis, & gloriæ exoritur. Inſurgit præterea ſpiritus magnitudo quædam, quæ nil ſordidũ, nil humile non ſinit appetere. Mitto Comicos, à quibus in omni vita, & ætate præcepta viuendi poſſunt aliunde peti, quoſq; noſter Cicero idcirco ea excogitaſſe arbitratur, vt efficтos noſtros mores in alienis perſonis, expreſſamq; imaginem noſtrã vitæ quotidianæ videremus. Prætereo item quos Satyros appellant, quibus nulli ſunt acriores flagitiorum, & nequitię hoſtes, nulli magis ſcelcratos oppugnant, nulli deniq; ab improbitate nos terrent vehementius. De tragicis ſileo, quos certe non minus quam eruditioni prodeſſe moribus conſtat. Ad heroicos venio: quid poëſis Homeri? quid item aliorũ in eo genere afferunt ſcripta? Nempe laudẽ virtutis, prædicationem fortitudinis, timiditatis dedecus, improbitatis obprobrium. Quid ad ſummam virtutẽ defuit Virgiliano Æneæ? quid diuinum illud Maronis ingenium prætermiſit, quod in eo ornando deſiderari vlterius poſſit? quam multę in vno homine accumulatæ virtutes? quam pulcherrimum vitę exemplar excogitatum, ad cuius imaginẽ ſe quiſq; effingere cupiat? Vnde facilius poteſt quã ab hoc ipſo exemplum fortitudinis ſumi? qui nil vnquã mediocre appetierit, qui magna ſemper, & excelſa affectarit, cuius animus nõ laborum magnitudine, quos plurimos pertulit, non periculorum formidine, quę innumera ſępiſſime adiit, aut ab inſtituto curſu deflexit, aut à ſpe, & à mente concepta animum reuocauit, cui id ſedulo conſilium fuit, vt mortem dedecori, & ignominiæ præferendam putaret, glorioſe mori, quam turpiter vincere ſatius duceret, pro patria, & parente, nato, & ſociis nullum vitæ diſcrimen recuſaret. Quid enim poterat glorioſius appetere, quam id regnũ quod orbi vniuerſo præfuturũ acceperat? quid minus ſordidum cupere, quã

id

id imperium ſtatuere, cuius vires omnibus gentibus terrori futuras ſperabat? quas porro grauiores ærumnas ſubſtinere, quam immeritum exilium, errores terræ ac maris, peſtem in Thracia, vexationem apud Strophadum inſulas, tempeſtates ventorum, ſubmerſas ante oculos naues, iter per vrbes hoſtiles cyclopum, metum, amiſſionem parentis: diſiecta claſſe, diſperſis ſociis, immani irati barbarorum ſe credere, ab eiſdem rerum afflictarum implorare auxilium: In terra ignota, in regno alieno grauiſſimum bellum perferre, contra ſe vnum cunctam pene Italiam videre excitã, totiens vitam ſuam morti offerre, dum diis penatibus, dum ſibi, & ſociis ſedes expoſcit. Humana hæc ſunt, & ſæpe in vita hominum viſa. Quid itam deorum tolerare? quid conatum furibundę Iunonis patientia ſua ſedare: & quam caput laborum, hoſtem quietis, & otii, infeſtam nomini Troiano agnouerat, eam potiſſimũ venerari, eius ſacra & numen præcipue colere: hęc oro etſi magna ex parte conficta eſſe ſciamus, quem tamen non mouent? quę caſus aduerſos tolerare non docent? cui nõ item oſtendunt, ſine labore nil egregiũ fieri? neminẽ poſſe & voluptati, & laudi ſimul inſeruire? viam quæ ad gloriã ducit, confragoſam eſſe? & ſudoris continui plenã? Age vero ne in hac ſola virtute immoremur, qui melius iuſtitię animus à philoſophis explicari, quam in hoc vno ab eminentiſſimo poëta exprimi potuerit? quibus alii ſcribendo præceptis, quàm hic agendo exemplis ad recte facta nos poſſunt facilius hortari? Quis ad patriæ charitatem ſuo ardentius impellere, quàm qui in eius obſidione nullum vitæ diſcrimen.

SINE FINE EST.

XYSTO IV. PONTIFICI MAXIMO.
DCLXXVII.

Videns ex breui B. V. non ingrata fuiſſe, quæ nuper de rebus publicis ſcripſi, audeo rurſum de eiſdem aliquid ſcribere: ſed vt prima illa benigne à fideli ſeruo accepit: ita ſecunda precor patienter accipiat. Premit me omnis caſus Eccleſiæ, cogorque dies ac noctes in tanta ſuſpicione retũ ſuſpenſo animo eſſe, & de exitu cogitare. Certior factus ſum à bono viro, & Deum timente, & non ignoto etiã Beatitudini veſtræ, venire ad nos à Rege Francorum oratorem multæ æſtimationis in Galliis, & ſuperba admodum mandata afferre, niſi reuocentur in Florentinos cenſurę, niſi luant pœnas qui Iuliani cædem patrarunt, vel patratoribus aſſenſerunt, niſi etiam actutum à bello inchoato ceſſetur, magno animo præſtitam obedientiam tollat, & ad concilium vocet, prælatoſque, & inferiores quoſque ad ſacerdotia reuocet, ad hanc denuntiationem conuenturos eſſe Oratorem Venetum, & Mediolanenſem, cõſenſutoſq; idem, ac petituros, & niſi impetrent iuſſos eſſe domũ redire. Si vera hæc ſunt, nota puto fuiſſe Beatitudini veſtræ antequam mihi: credo etiã pro ſua ſapientia prçuidiſſe, quid ſit reſpondendum: cum metu tamen dicam quid in his cenſeam, non ignarus, immatura ſolere eſſe conſilia, quæ non poſtulantur, & ridendæ operæ iudicari in ſiluam ligna portare. Malo tamen ſtultitiæ argui, quam charitatis patri non præſtitæ. Anguſtiarum meo iudicio eſt plena reſponſio: ſi enim poſtulata repellimus, ſine mora illi minas implebunt, in tumultumq; ſpiritualiũ adducent Eccleſiam. Quatuor tam grãdes potentatus Rex maximus trans Alpes, in Italia inſignes tres Status perfidia vna conſtricti, grande in ſe habent momentum, & periculum eſt ne in idem exemplum complutes inducant: partim qui Apoſtolicæ Sedi ſatis pacati non ſunt, partim qui de operibus noſtris bene non ſentiunt, partim quoque qui cupiditatibus eorum ſatisfactum non eſſe ſæpius doluerunt. Hos ſuperuacaneum eſt memorare, ſanctitas veſtra vno oculorum circuitu recenſere omnes facile poteſt. Vbi vero ruina hæc cœperit, male ſuſtineri noſtris humeris poterit. Lapis lapidẽ trahet, atq; vna improbitate de bonis quoq; Eccleſiarum, & quod dolentius refero, de integritate Catholicæ fidei impie decernetur. Rurſum vero ſi illis conſentimus, ſi nondũ ſiccato atramento tanta & tam nota, ac late vulgata decreta propter metum delemus, quid ignominioſius, & morti acerbæ ſimilius? Plagam maiorem infligere rebus Romanis Sanctitas veſtra non poſſet. quod vnum flagellum ad nos ſeruandos conceſſit Deus, id caderet de manibus noſtris, nec Apoſtolica virga ad cõſtringenda inutilia vaſa ſuã vim poſthac ob-

rineret. Ad ſæcularem poteſtatem hoc exemplo eſſet contra cenſuras refugium, & quod langui de permiſiſſemus ſemel, reſtituere fortiter nunquã poſſemus. Occurrebat in hoc ancipiti conſilium medium, non tam malũ imminens ſanans, quam forte dilationem aliquam præbens ad parandam aliunde noſtrã ſalutem, vt videlicet Oratore audito dolere ſe diceret Sanctitas veſtra, potuiſſe tantum apud ſapientẽ, & fidelem Regem falſa crimina impiorum, vt tam longinquam Legationem ſuſceperit, tanta ſine cauſa doluerit, contra conſuetudinem etiam maiorum ſuorũ, Deo ingrata, & detrimentoſa Apoſtolicę Sedi petierit, non quidem ſimilia cæteris operibus ſuis, nec digna meritis, quę in eum Sanctitas V. aſſidua & magna hactenus contulit. Deſcendendum inde paulatim eſſet in iuſtificationem vulgatę ſententię, monſtrandumque quanta fuiſſet Florentinorum in ſacerdotes Dei crudelitas, quanta ſine cauſa, & ſine diſcrimine cædes, quantus in retinendo Cardinali contemptus facinoris illius experte atq; ignaro, quanta denique Apoſtolicę Sedis ad hęc vlciſcenda neceſſitas, paratã nihilominus futuram fuiſſe Beatitudinem V. ad paternam remiſſionem, ſi vel mediocre ſignum pœnitentiæ in peccatoribus cognouiſſet, ſed deſcendiſſe illos in profundum malorum, & in ſenſum reprobum datos: Vt videntes non videant, & audientes non intelligant: Scire Beatitudinem V. Venetos, Mediolanenſes, compluresq; alios Reip. illius amicos ad petendam veniam eſſe illos hortatos, recognoſcendumq; Vicarium Chriſti, ſed non modo non aſſenſiſſe: verum quod ita ſuaderent, moleſtè tuliſſe, vt iam in apertæ hæreſis crimen incidere appareant: Cum talibus autem, etſi Regii officii eſſet communicationem nullam accipere, nec ad patrociniũ tam grandis peccati accedere: tamen non negligere Beatitudinẽ veſtram ſuæ Celſitudinis poſtulata, ſicut & in hunc diem nunquam neglexit: videre tamen grauia illa eſſe, magnum in vtranque partem momentum afferre, aliudque pendendum magis, & diligentius cõſulendum toto Pontificatu veſtro non accidiſſe: Neceſſarium propterea eſſe ad deliberationem ſumendã frequens collegium, ſine quo mediocria, nedum maxima decerni non ſolent: Conuocari autem inpræſentiarum Cardinales non poſſe, partim quod longe abſunt, partim quod anno peſtilenti ſine diſcrimine vitæ conuocari non poſſunt, partim quoque quod locus, in quem ſeceſſit Sanctitas veſtra, vix priuatæ familiæ eſt capax: Proinde æquo animo ferat non longi temporis expectationẽ: Legatos veſtros ad Regem ſuum non ſolitos eſſe admitti ſtatim, & reſponſum accipere nõnunquam fuiſſe repulſos, quandoq; etiam poſt annum auditos: In vicinum ac ſalubre aliquod oppidum conferant ſe, præbiturum iuſſu veſtro quæ illis ſint neceſſaria: Futurum autem Deo adiutore, vt citius opinione rediri in vrbem poſſit, quo tempore & Cardinales aderunt, & ſi ita opportunum videbitur, conuocari ad ſynodum ex curia, & circumſtanti prouincia pręlati idonei in idem conſilium poterũt. Si huic reſponſo, quod probabile tempora indicãt, acquieſcet Gallus, habet interim ſpatium Sanctitas veſtra ad multa cogitanda, & prouidenda, quæ ad declinanda vel reiiciẽda tela inimici pertincant. Deus quoq; ab excelſo multa ſępe inexpectata demittit, tum miſericordiã faciens, cũ eſſe procul à miſericordia apparet. Sin moræ impatiens nõ acquieſcet, nil ei iam negatum eſſe videbitur. Sui criminis fiet quicquid per impatientiam fiet. Hoc autem lucro Sanctitati veſtræ accedet, quod iuſte lamentari iniurias Regias poterit, non modo quod arroganter petierit, ſed quod breuem iuſtamq; moram veſtrã arrogantius ſpreuerit, arrogantiſſime autem Sedem Romanam de ſe benemeritam alieno fructu magis quam ſuo offenderit. Inde Deo totam ſe credat Sanctitas veſtra, & fortem animum præſtet. Maior eſt enim qui in cœlis regnat, quã qui in terra, & qui in grauioribus contentionibus ſuis ſacerdotibus affuit, in leuiore non deerit. Pugnãt pro peccato illi, nos contra peccatum. Atque illi perdi nos volunt, nos illos ſaluos fieri, & viuere. in tam diſſimili cauſa de iuſta, & Deo placente nimirum habenda eſt ſpes. Hęc cogitatio ſerui inutilis ſi fructum aliquem habet, placet, & lætor. Sin ex imbecillitate mentis vel ignoratione rerum eſt ridenda, & vana opera quidem rideatur: fides vero boni Cardinalis in precio ſit. Commendo me humiliter pedibus Sanctitatis veſtræ, quam Deus incolumem pręſtare dignetur. Ex Sancto Laurentio ad Griptas XVI. Iulii M.CCCCLXXVIII.

F. CAR-

F. CARDINALI MANTVANO.
DCLXXVIII.

PReeor, Mantuane chariſſime, vt ſi de his, quæ ad pręſens bellum pertinent, non ſcribo ad te, mihi ſis æquus. Facile eſt perturbatis temporibus non bene litteras reddi, & quę fideli ſtudio ſignificantur, his aut illis eſſe ingrata. Obſeruor immeritus, neq; is ſum, quem me dimiſiſti. accipe ergo, quę in cōcione recitari ſine periculo poſſunt. Exordiar à meis. Redii ex Vulſinięſibus incolumis, & ſum Romæ incolumis, litteris tantum, & domeſticis vacans: publicis autem quantum per dignitatem imponitur. Emi intra vrbem vineolam, quæ & ducendo tempori, & curandæ valetudini eſt opportuna. Ad eam ſerena quaq; die me confero, vna opera interpellatores vitans, & curas. In beneuolentia Vicecancellarii noſtri perſeuero conſtanter. Ille pari ſtudio in mea. De tua Dig. ſunt inter nos crebri ſermones: deſiderium vero præſentię pene continuū. tempori ambo ſuccenſentes, cuius cauſa es nobis ſubtractus. Sed illud abibit aliquando, & tu nobis redderis. In alienis hæc etiam habe: Mortuus eſt Barchinonenſis noſter præcipua ſuorum, & totius curiæ mœſtitia. Eius ſacerdotia, eccleſiam, & quæ exercebat apud auunculum munia ipſi auunculo permiſit Pontifex, vt ad quos velit ſingula deferātur. Affuimus omnes ſolamini ſuo. Cenſeo idē tu per litteras agas. De cœnobio Laurentiano perſeuerat cōtentio, & ſuo loco quiſq; ſe continet. Quantum intelligo in Neapolitanum Palatinus inclinat. Nouarienſis, vt mihi affirmauit æquius, de Cardinalatu quā de ſemel adita poſſeſſione patietur depelli. Doleo inter nos iſta incidere opinionemq; ſacerdotalis modeſtiæ apud ſæculares perire. Numera tu quot talia breui tempore, & cuius culpa accidere. Exequias Reatini, & Tyraſonenſis hodie abſoluimus, vt religioſas quidē, ſic & frugales. Mellinas vero peſtilēti æſtate nō plene impletas inſtaurati Pontifex iubet, nec id ſine fratris nepotumque mœrore. De Cardinalibus creandis rumuſculi quidā in plebe, apud nos ne veſtigium quidē. Peſtilentia per hanc hyemem tectum magis ſemen habet, quam profetat. Sed profert nonnunquam, ſparſim tamen & raro. Vereor ne appetente vere exire rurſum, & peregrinari nos cogat. Quærēti quid nunciare amplius poſſim, nil ſane ſe offert. Vt ieiuna eſt curia, ſic ſua ſunt omnia. Ego ſi forſan eſſes oblitus, ille tuus ſum Papienſis, tibi tota mēte addictus, vt iam in noſtra ſorte ſit nemo, quē ardentius amem, cui plus debeam pluſque optem perſoluere. Bene vale Pater ampliſſime. Romę xxix. Novembris M.CCCCLXXVIII. Poſt ſcriptas has litteras Gundiſaluus Regis Aragonum orator poſtulante ita Vicecancellario, ad Barchinonenſem Eccleſiam aſſumptus eſt.

F. CARDINALI MANTVANO.
DCLXXIX.

POſt vltimas meas, quas Iacobo Aretino mittendas dedi ad te, hæc habeo, quę D. tuæ ſignificem. Venit ad nos Ducis Burgundorum orator patria Veronenſis, duo à Pontifice petens: Alterum, vt Tornacenſem epiſcopum vel pronunciet Cardinalē ex beneficio Pauli, vel ſuo nouum inſtituat. Alterum quoque, vt ad pacem in Italia reducendam mentem conuertat, aſſerens, vereri ſe ne continuante bello damnis noſtris multa immineant. Hanc autem partem ita tractauit, vt conſilii eſſe magis quam poſtulati oſtenderet. De Tornacenſi præbita eſt ſpes: tempora autem pluribus excuſata tanquam nouæ ordinationi minus idonea. De pace reſponſum non eſſe ſe ab ea alienum, modo iis conditionibus fiat, quæ Deo ingrata non ſit, & Sedi Apoſtolicæ turpis. Audi & aliud proximo Senatu decretum ſpecie quam re magis inſigne: Introducti ſunt duo ex familia Reginæ Boſnenſium defunctæ nuper, vt ſcis, quibus ab illa viuente hoc negotii erat iniunctum. Obtulerunt Pontifici teſtamentum, quo illa regnum ſuum Eccleſiæ. Ro. legabat, addita conditione, ſi filius ex Turcis rediret, defectionis anteactæ pœniteret, & Chriſtianam fidem reſumeret, in auita reſtitueretur à nobis. In ſignum autem legati Regni enſem dederunt, & calcaria, quæ Pontifex benigne accepta prehendi ſigillatim à quoque Cardinalium voluit, ipſumq; teſtamentum, & noſtrum recepti regni decretum, in Archiuis Apoſtolicis condi imperauit. Miſſionem oratorum noſtrorum ad Cæſarem audiſſe te vel vidiſſe potius puto, quā-

do iam iter ingreſſi venturi Bononiam ſunt. Quæ autem mandata in Germaniam ferant, ex ipſis melius quam ex Papienſi cognoſces. Cardinalis Aragonenſis ante natalem Domini futurus Romæ eſt. Ita affirmant ſui, & parata iam domus ſupellexque aducta ſignificat. Quid ad hæc addam non habeo. Me ama & Vale. Romæ ad Decembris. M. CCCCLXXVIII.

CARDINALI PAPIENSI IACOBVS ANTIquarius S D.

DCLXXX.

QVouſque dormis, Papienſis: quouſque tandem dormis? Potes ne in tanto rerum ſtrepitu non expergiſci? Ex Acheronte Buccinator cecinit. Miſcentur, confunduntur, ruunt omnia. Cœpit dirum claſſicum ab immortalium altaribus. Pacciana coniuratione actum pene fuerat de humani generis deliciis, confoſſo Iuliano Medice, niſi Laurentius frater accepto tamen circa iugulum vulnere ſuperfuiſſet. Inter ſacrificandum de peragenda cæde conuenerat. Erat dies ſolemnis. Celebriorem fecerat ex priſtina beneuolentia paratum ſceleratis percuſſoribus conuiuium. Non ædes ſacra, non fides hoſpitii apud illos valuit: verum libertatis ſuæ vindex populus tumultuatim correptis armis aliquanto grauius deſæuit in aliquot miſerorum capita peregrinotum. Gratiani tres fratres Peruſini nobili genere, ad quos ea res nihil pertinebat, ſimul cęſi ſunt: ſtatim tractus magnis clamoribus Saluiatus iuxta Iacobum Paccium equeſtris ordinis cordatũ virum laqueo pependit. Hinc Xyſtus vlciſcendæ maieſtatis prætextu bellum Florentinis intulit aſcito in ſocietatem Ferdinando Rege: In ſuppetias vero amiciſſimæ Reip. quod ita fœdere tenebantur, à Principibus Mediolanenſibus itum eſt. Flagrat itaq; tua Etruria indigna tantis malis. Incenduntur paſſim diripiunturq; oppida, nihil ferro aut flammis intactum relinquitur. Genuenſes quoq; abiecto Mediolanenſi iugo in libertatis ſpeciem iiſdem armis adiuti ſeſe erexerunt. Videbantur quippe maiores illinc vires noſtræ, quam quę Ferdinando placerent. Ad hæc tamen oculos aureſq; clauſiſſe videris. Quo abiit illa animi tui ſemper laudata libertas? Certe ſenator pedaneus factus es, niſi quod rectius ominamur, opportunitatẽ aliquam vt boni conſulas aucuparis: tamẽ ſi pluſculum adhuc taceas, periculoſe peccatur. Sollicitati per nuntios Pontificis Eluetii cum in noſtros fines irrupiſſent, intra pecuaria ſua alpina refugere coacti ſunt. Interim legationes de pace Romam ex toto orbe miſſæ infecto negotio domum redierunt. Occluſit aures Sanctiſſimus Dominus ad vindictam, quam ad quietem procliuior. In poſtulatis illa eſt præcipua contentio, vt Laurentius Medices dedatur. Sed pudet repetentem ſanguinaria huius belli principia. Perditiſſimum Saluiati caput vindicatur. Erat ille quidem Archiepiſcopus Piſanorũ: ſed quid ſibi tutum eſſe voluit, qui aras ſummo ſcelere cruentare eſt auſus? Noſcis ergo quæ tuæ ſint partes. Optima & æquiſſima velle conſueſti. Da operam circa ſummi Pontificis aures, qualem boni omnes cupiunt. Sat pugnatum eſt, nec fortaſſe niſi temere vtrobiq;. Sed ea ſit ſanctiſſimi domini gloria, nolle etiam ſi poſſit dolorem vltra vlciſci. Quietem honeſtis conditionibus conſtituere poteſt: quæ Apoſtolicæ Sedi accepta referatur. Sit vnus paſtor, & vnum fiat ouile, ne inuadant illud lupi rapaces. Cernis quo in periculo verſemur. Immaniſſimi hoſtes Turci pro foribus ſunt, quibus Reſpu. Chriſtiana inteſtinis diſcordiis proditur. O quantum vereor ne ſera ſint poſt tergum conſilia: ſi appetente vere fortuna ad extremum collatis vndiq; viribus tentabitur. Vale. Calendis Ianuariis. MCCCCLXXVIIII.

F. CARDINALI MANTVANO.

DCLXXXI.

HOdie cum nil tale expectarem, tale nil crederem, rem à tuis rationibus alienam putarem, legatus in Germaniam es deſignatus in pluuiali & mitra. Si hunc laborem quęſiſti benedicente Domino, ſit factum quod placuit: Si aſſenſiſti, obedientiæ tuæ diuina bonitas aſſit: Si te inſcio demandata legatio eſt, dolent amici: ſed ſecundos tibi exitus optant. I ergo, ſi eundum videbitur, ac Papienſi auſcultans matura quæ demandantur, & cito in Italiam redi. Magno Cardinali longa in externis peregrinatio affer-

tio affer-

tio afferre facile pœnitentiam poteſt. Oratoribus Italici fœderis pacem petentibus data ſunt Pontificis poſtulata. Ea illi ad ſuos ſtatim miſere. Ex ea die ſilentium continuum fuit. Expectamus poſt non multos dies cognoſcere, quo animo accepta ſint, & quem finem ſuſpenſioni noſtræ daturus ſit Deus. Labor multus, voluntas multa, diuerſum inprimis iudicium. Deberi cuncta nobis ab illis putamus. Illi nos ſuos acceptorum damnorum debitores exiſtimant. Tam diſſentiens de ſumma rerum opinio quid afferre ad conueniendum poſſit, tu ipſe expende. Si qua conueniendi eſt ſpes, vt plane fatear, in Deo eſt tota. Vale Reuerendiſſime atq; ampliſſime pater, & tui Papienſis oblitus ne ſis. Romæ x. Martii. M CCCCLXXIX.

*PHILIBERTO CARDINALI MA-
tiſconenſi.*

DCLXXXII.

QVa die nuncius veſtræ Reuerendiſſimæ Dominationi ad me venit, recreandæ valetudinis cauſa ad inſulam Biſuntinam eram profectus, quam ob cauſam reſpondere literis ſuis non potui. Reſpondeo nunc, & tantis officiis quas poſſum, non quas debeo gratias ago. Conduntur hæc intimis ſenſibus meis, magiſque ad illam venerandam, obſeruandam, perpetuoque colendam inducunt: ſic quæſo, & precor, cum ſine incommodo poteſt, ſeruum fidelem huiuſmodi ſignificatibus conſoletur. Quæ D. Laurentius detulit, ſi vera ſunt, magnopere mihi ad pacem prænia eſſe videntur. Sed quid credam, in dubio apud me eſt. Hinc viri referentis auctoritas mouet, illinc ratio rerum, & temporis, & ſecretorum quorundam affectuum plurimum diſſuadet. Si vana ſunt nunciata, puto ego intra quintum decimum diem vere dicturum eſſe Reuerendiſſimæ Dominationi veſtræ, pacem ne habituri ſumus, an arma. In eum articulum deducta res eſt, vt vnico reſponſo in alterutram partem ſit ſtatuendum. Pro aqua roſacea ex ruſſis albiſque roſis, tam officioſe ad me miſſa digne Deus retribuat. Vtor ea frequenter ad leuamen valetudinis non bene reſumptę. Viuat Matiſconenſis meus, atq; illum Deus diu mihi conſeruet. Ex Criptis Vulſinienſibus. VIII. Auguſti. M. CCCCLXXIX.

TESTAMENTVM IACOBI CARDINALIS PAPIENIS.

FRAGILIS *eſt vita noſtra, eamq; caſus circumſtant innumeri. Quod vitemus prauidere ſatis non poſſumus. Illum diuturna ægritudo, hunc breuis languor, alium improuiſa mors rapit. Omnibus autem incerta vocationis eſt hora. Quo in loco, quo in tempore ea nos expectet, neſcimus. Expectare illam nos omni tempore, omni loco debemus, memores verbi Apoſtoli, quia illa non tardat: & quod quæ de terra ſunt, in terram vertuntur. Inſcitiæ eſt ſecuritate vitæ, de exitu non cogitare: diſpenſationem quoq; domeſticam in id tempus differre, in quo mens grauata plurimis, ad vnum aliquid non eſt ſæpe idonea. Angit timor mortis, torquet infirmitas, circumſtantium eſt moleſta cupiditas, qui ſua, non noſtra quærentes, ab animæ cura ad terrena nos reuocant, cogentes ſæpe perturbationibus ſuis eum mori, qui vel moriturus non erat, vel certe tam cito non moriturus. Vt ergo concedente Deo iſta deuitem, & ad meum, non alienum arbitrium quæ meditor fiant: putans quæ ab Iſaia Propheta Ezechiæ Regi ſunt dicta, mihi eccleſiæ Ro. Cardinali imperata:* Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. *illud etiam Saluatoris formidans:* Vigilate, quia neſcitis diem neque horam, qua Dominus veſter venturus ſit, ſero an mane, an galli cantu: *ſtatui teſtamentum hoc condere meo chirographo ſcriptum: cui ita eſſe vim volo, ſi id ipſum, vel eius partem ante mortem non reuocem. Eſt vero huiuſmodi. Inprimis conuerſus in Deum auctorem, & redemptorem meum, cum anxius ſim futuri de me iudicii, & neſcius vtrum odio an acceptione ſim dignus: ſciens autem in manu eius vitam eſſe atque interitum: per viſcera miſericordiæ ſuæ, in quibus ex alto nos viſitauit, humi ſtratus oro vt fiant aures ſuæ intendentes in vocem deprecationis meæ, non intret in iudicio cum ſeruo ſuo, aduerſus folium quod vento rapitur, non exerceat potentiam ſuam, nec ſiccam ſtipulam proſequatur, pœnitentis Sacerdotis animã non dedignetur: ignoſcat illi delicta præterita, & ignorantias ſuas: Suſcipiat creaturam Creator, & factor figmentum ſuum. meminerit quod homo immundus de immundo conceptus ſum ſe-*

mine, & quòd in peccatis concepit me mater mea. Veniat ante oculos pietatis ſuæ vita humana infirmitas: in qua per omnem ſucceſſum nouis ſemper deſideriorum facibus incitati extinguere ſine illius ope ignea inimici tela non poſſumus. Stulta eſt pueritia, inanis adoleſcentia, iuuentus lubrica. Virile ſtudium ad ambitionem inclinat. Friget ſenectus, & deficit. Si non ſuſtinet Dominus, cui eſt ſperandi fiducia? aut quem ſarcina tanta ſine alleuamento eius non premat? Recordetur Pauli ſerui ſui ad Romanos hæc lamentantis: Non, *inquit*, quod volo bonum, hoc ago, ſed quod odio malum, id facio. *Eſt miſerator, & miſericors Dominus, longanimis & multum miſericors, ſuntque miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Secũdum ergo peccata mea non faciat mihi, neque ſecundum iniquitates meas retribuat mihi: quia non iuſtificabitur in conſpectu ſuo omnis viuens: ſed per ſanctam natiuitatem ſuam, paſsionem, & mortem, & reſurrectionem, & aſcenſionem in cælum, & aduentum Spiritus Sancti paracleti ſaluet humiliatam animam, cum beatis ſpiritibus in vitam æternam. Proxime autem ſi quid contra Paſtorem principem meum, Ro. Pontificem viuens peccaui (peccaſſe autem multa me puto) ſi quid dicto, aut facto contumacius egi, ſi non ſum digne reueritus, ſi non parui, ſi contriſtaui, ſi carpſi pro ſuis in me meritis, ſi non digne retribui, ſupremam eius pietatem gemens imploro, vt mihi ignoſcat, & oblitus omnium defuncti animæ benedicat. Hæc clemens, & ab animo profecta charitas petenti erit leuamini, & danti merces à Domino. Cum Patribus quoque, & Collegis meis, quoniam frequentior vſus fuit, frequentiorem vtique eſſe oportuit offendendi occaſionem.* In multis *enim* peccamus omnes, *zelotypia, contentio, obtrectatio, ira, inuidia ſollicitare noſtros animos ſolet. quicquid in hos admiſi, quicquid amari à me acceptum referunt, oro obteſtorque per commune conſortium, & ſpem miſericordiæ, quam à Domino iudicandi expectant, vt id omne deponant, iniurias condonent, & placentur defuncto, eã requiem fratri optantes, quam de ſe impetrari à Domino cupiunt. Executori, quem in calce teſtamenti deſigno, hoc officium pietatis relinquo, vt ſi ita indulgeat Pontifex, primo poſt obitum conſiſtorio hanc veniam & remiſsionem non inanis gloriæ, ſed ſalutis cauſa meo nomine ſuppliciter petat: identidem poſtulans, vt quæ diſpono, quæ teſtor, pius Paſtor paterna indulgentia probet, & nõ mutet, familiamque meam de me fideliter meritam pie conſoletur, & iuuet. Vt vero ad gloriam Dei, & integritatem communionis fidelius perſeuerantis, licet peccatoris ſerui pateat fides: alta voce profiteor, tenuiſſe me à lauacro ſancti Baptiſmatis vſque in diem præſentem ſanctam orthodoxam Fidem catholicam, Symbolum ab Apoſtolis conditum, expoſitionem fidei magni Nicæni Concilii: Anathematizaſſe etiam me, & anathematizare omnem hæreſim extollentem ſe aduerſum ſanctam, & immaculatam fidem: in qua, vt dictum eſt, viuere & mori intendo: hoc ſequens confeſsionis meæ chirographũ omnipotenti Deo in extremo iudicio repræſentans. Credo &c. Corpus meum contaminatum flagitiis licet indignum ſit, cui habeatur honor, ſepulchriq; facilis ſit ſemper iactura, rationem tamen habens dignitatis, quam dedit Eccleſia: Pontificalis quoque officii, per quod plebi honoratiſsimæ præfui: ſacræ etiam vnctionis, qua per inuiſibilem ſpeciem inuiſibilis eſt impreſſus character, trado ore eccleſiaſticæ ſepulturæ, atque iis inſignibus adornatum, quæ conſuetudo noſtri ordinis tulit. Sapiant tamen omnia modeſtiam funeralem, non ſeculi pompam. Si Romæ, vt opto, morior, condi cupio in Baſilica Apoſtolorum Principis Petri, poſt altare beati Gregorii, ad dextram ſepulchri Pontificis Pii: vt qui me extulit viuens, mortuus iuxta ſe habeat. Condi illud ipſum humi volo marmore tantum non claro contectum: quod parieti Eccleſiæ coniunctum habeat caput. In ipſo autem pariete honore defuncti Pontificis ad memoriam meam nil fabricetur. Marmorea tabula vlnis tribus à terra extans parieti inferatur: quæ ſupra ſepulchrum parieti inſita epitaphium ſequens inciſum bonis literis habeat:*

Luca ortu, Sena lege fuit mihi patria: nomen
Dum vixi, Iacobus: mens bona pro genere.
Papa Pius ſedem Papienſem detulit: idem
Cardineo ornauit munere, gente, domo.
Quem colui viuens, non linquo mortuus, hic ſum,
Et prope ſancta patris filius oſſa cubo.
Viuite qui legitis, cæleſtia quærite, noſtra hæc
In cineres tandem gloria tota redit.

Sin alibi in Italia obitum meum eſſe contingat, Romam nihilominus ad hunc ipſum locum volo corpus meum referri, dicta iam ratione humandum. Trans Alpes vero aut mare in cathedrali Eccleſia, in cuius vel ciuitate, vel diœceſi mea vocatio fuerit. Tunc vero executoris curæ ſepulchrũ relinquens, quintũ tantum, & ſextum verſum demi ex epitaphio volo. Vbicunque autẽ exceſſero, teſtamenti inſtitutionem, quæ ſequitur, volo.

Impendia

Impendia funeris, quæ adhiberi ad ſolamen ſuperſtitum magis quàm defunctorum ſeu inen ſolent, ſummam mille ducatorum aureorum veto excedere: in qua includatur etiam veſtitus familiæ. Quanto hæc exhibebuntur parcius, tanto erit plenius vnde & illi benefiat, & meæ animæ conſulatur. Superuacua nec placent Deo, nec laudes inter homines habent. Tranſit breui memoria funeris, diu permanent damna. Tempora in hoc patrum noſtrorum magis ſunt attendenda, quàm noſtra, qui gloria benefactorum, non luminum multitudine illuſtrari volebant ſepulchra. *Quicquid amplius ſumetur, quicquid plus erogabitur, piaculum executoris ſit, non peccatū ſobria ſtatuentis. Caſtrum doloris cubito anguſtius in circuitu ſit, quàm noſtratia ſoleant. Ipſe etiā lectus ad proportionem anguſtior. Stratum vero lecti, quod pallium dicitur, ad vetus exemplum, ex ſimplici damaſceno violaceo ſit, ſine vllo omnino auro, aut argento, fimbrias laterum habens ex ſimplici itē damaſceno cæleſtini coloris, in quibus latera ſingula, ſingula tantū inſignia familiæ habeāt. Veto in circuitu eccleſiæ appendi tot inſignium depicta lintea, ludis meo iudicio aptiora, quàm funeri. Pendeant tantum ſuper altari, in quo Miſſa maior cantabitur, & in circuitu caſtri, & in edito laterum Eccleſiæ, quantum caſtrum ipſum porrigitur. Eandem volo eſſe collocationem funalium, quam & inſignium. Ardere ea tot in locis ſine ſacrorum neceſſitate, quem habeant vſum non video. Legem in his libenter executori dorne honoris ſui cauſa, ad aliena exempla magis quàm ad ſe ipſum cogatur reſpicere. Sermonem enim de his omnem teſtantis futurum, non exequatur fidentius. Cereorum quotidiana, & promiſcua diſperſio magis quàm diſpenſatio multum auget impenſam, nec fructum, qui proponitur habet. Auaritiæ in his ſtuderi videtur, non orationi. Ad eos rapiendos concurritur vndiq; ex tota eccleſia, pugnatur, clamatur, ſacra omnia perturbantur, quodque indignius eccleſia eſt, ad hos compeſcendos tumultus publici plerunque vindices adhibētur, haſtis, gladiiſq; in domo Domini perſtrepentes. Ea ne accidant preceſque, non rixæ, meum celebrent funus, nolo niſi conſidentibus ad orationem, & diuina canentibus illos diſtribui. Per pietatem, quæ debetur mortuis, id non negligat executor funeris. Quaq; die in ſalutem animæ meæ legantur per deuotos Chriſti ſacerdotes xxx. miſſa tantum. Cū iis vna cantetur. qui cantauerit, & Prælatus futurus eſt, ferat in eleemoſyna Carlinos quatuor in ſingulis miſſis, vnum qui legerit. Et his ſoluendis fidelis adhibeatur miniſter, qui ſeipſum, & pauperes, & animam meam non fraudet. Solent mortuis Cardinalibus familiares non veri ad accipiendas familiarium verorum veſtes accurrere, inſtare vt dentur; ſi non dantur, indignari, ac lamentari. Vt error non ſit, eos veſtiri volo, qui in notula manu mea ſubſcripta, vel annulo meo ſignata, præſentiq; teſtamento incluſa inuenientur appoſiti, & Capellanis quatuor cannæ, Scutiferis, inter quos Paraſrenarios, & primum Coquum, & Cellarium, & diſpenſatorem nomino, primæ ſortis tres, reliquis dimidiam cannam minus: ſed ſecundæ ſortis iubeo dari. Ita tamen vt diebus funeris ad orationem omnes conueniant, & pro me deprecentur. Hæc ad rationem funeris.*

FINIS.

Digitized by Google

INDEX IN HÆC PII PONTIFICIS, ET IACOBI CARDINALIS PAPIENSIS COMMENTARIA LVCVLENTVS, RERVM ac verborum fœcundus.

Numerus prior vnamquamq; paginam ſignificat, lineam alter.

A

ABacus quid 345. 39

Abbatiæ oppidi ſitus 216. 19. *etymon ibid.* 30

Acciaioli Florentini captiuitas 316.15

Accipitrum & Cornorum in agro Leodienſi pugna ominoſa 150.12

Achaia hodie Morea dicta Pelopõneſi prouincia 192. 4. 6. *per Apoſtolũ Andreã cõuerſa ib.* 10

Actorũ familiæ in vrbe Tuderti imperiũ 270.40

Adoard⁹ Marſiæ dux familiæ Columnẽſis 308. 41

Aduardi in coniugio cum Cobella impotentia 275. 37

Adolfum inter & Dyetherum Francfordiæ cõcordiæ tractatus 345.48

Adria nunc mari & paludib. immerſa 76.3

Adrienſes à Venetis victi 78. 13

Adulphi à Naſſau in Archiepiſcopum Moguntinum electio 146. 40 *bellum cum Dyethero depoſito* 147.15 *fœdus pacis* 147.19

Ægei maris inſulæ à Venetis occupatæ 79.26

Ægyptiorum Reges quondam Pharaones vel Ptolomæos vocatos 64.1

Ædificii pulchritudo & dignitas ſumptus moleſtiam adimit 231. 41

Æneas Siluii filius 2. 21. *qui & Aeneas Siluius Bartholomæus fuit appellatus & quare ibid.* 22.23. *Aeneæ natiuitas* 2.24. *lapſus* 2. 26. *vulnus* 2.27 *ſanatio ibid.* 29 *rudimenta & progreſſus in ſtudiis ibid.* 34. 35 *modeſtia* 25. 51:31.8. *patientia* 9.5. *legationes variæ* 9.21. 50:11.21:13.4: 14. 36. 52: 15. 10 *in ſenatu cardinalium & contentionib. auctoritas* 29. 5.13 *Æneas à boue in altum iactus diuinitus cõſeruatus* 2.30 *à Nicodemo Scaligero Epiſcopo Friſigenſi, & poſtea à Bartholomæo Vicecomite Epiſcopo Nouarienſi dictandi atq; ſignandi epiſtolas officio præpoſitus* 3.21 *& ſeqq. à Dominico in Secretarium cooptatus* 2.42: 11.5. *nec non à Felice V. Papa* 8. 32 *laurea poetica coronatus* 8. 42 *protonotari⁹ in aula Cæſarea effectus* 8. 51. *Eccleſiæ vallis Sarantanæ præfectus* 9. 30 *Aeneæ ad Cardinalatum promotio* 28. 1 *Florentiæ apud Cardinalem ſanctæ crucis ſecretarii officio functus* 3 41 *cumq; eo pacem inter Carolum Francorum & Henric. Anglorum reges pacẽ compoſituro in Franciam profectus ibi.* 45 *& ſeqq. Varmienſi Eccleſiæ præfectus* 28. 25 *Germanorum defenſor* 28.13 *à Cardinale S. Crucis in Scotiam miſſus* 4. 9 *Aeneæ ad Eugenium põtificem oratio & cum eo reconciliatio* 10. 7. 26 *legatio ad Alphõſum Regem Aragonum* 16. 53 *ad Alphonſum item Siciliæ Regem pro impetranda pace* 26. 46 *ad Caliſtum III. Papã pro Germanorũ obedientia præſtanda* 25. 30 *apud primores Vngariæ nomine Cæſaris Friderici III. oratio* 21. 50. *vt & in Comitiis Ratisbonenſ* 23. 1 *orationes duæ Romæ pro eodem habitæ* 21. 15 *de expeditione contra Turcas in conuentu Frãcofurtenſi* 23. 51 *prudẽtia in diſſoluẽdo Frãcofurtenſi conuentu & dirimenda neutralitate* 12 32 *peroratio coram Eugenio Papa* 13. 15 *cõſeruatio diuina & per Angliã periculoſ⁹ trãſitus* 5.19 *geſta in cõcilio Baſilienſi* 6.15 *ad præpoſiturã Mediolanenſem ſublimatio* 6.40 *infirmitas grauis* 7.11 *cura mirabilis* 8. 2 *Aeneæ oratione, quam in ſchola Papiẽſi habuit, rectoratus dignitas Mediolanenſi erepta Nouarienſi tradebatur* 3. 32. *Aeneas Epiſcopus Tergeſtinus pronunciatus* 14. 13: 17. 30.39 *Aeneæ ſublimatio ad pontificatum à Cæſare Friderico III. prædicta* 20.22 *Aeneas Pontifex Rom. ſalutatus* 30. 51 *Pius II. nominatus* 31.20 *Aeneæ Siluii patrimoniũ* 2.10 *mors* 2. 11. *vxor & proles ib.* 12 Vide plura in Pius.

Aeris fabricæ inuentores 204.12

Aetatem

ercitus 254.39
Vrbs vetus 110. 53 eius anathema, nobiliſſimũ templum & cætera memorabilia 111. 8. 15. & ſeqq.
Vrbeuetanorum & Vulſinenſium de finibus contentio periculoſa 110.55
Vrbeuetanorum cum Balneoregienſibus de limitibus contentio 112.36
Vrcia fluuius 216.17
Vrſaria, agri Troiani oppidum 247. 8 à Ferdinando Rege obſeſſum eod. 10 Vrſariæ à Piciniano ſuppetiæ latæ eod. 14 expugnandæ difficultas 248.45
Vrſati Iuſtiniani fortitudo 333.49
Vrſi Vrſini Tarentini Principis præfecti ad Ferdinandum Siciliæ regem defectio 174.28
Vrſi Anguillariæ captiuitas 316.16
Vulgi inconſtantia & in principes odium internecinum 25.23: 136.8: 159.30
Vulgus rebellione concitatum non verborum lenocinio, ſed vi armorum edomandum 227.41
Vulgi conſilia ex vtilitate pendent 136.9
Vulturni fluuii decurſus 132.5
Vulſinenſis lacus & inſularum in eo natarum deſcriptio 112.45: 211.44: 212.14 vide in lacus
Vulſenenſium & Vrbeuetanorum de limitibus contentio periculoſa 110.55

W

Weſtphaliæ ſitus 67.2

X

Xanctus Pelaſgorum Rex 245.8
Xenia à Regienſibus Pio Papæ oblata 112.42
Xenodochium in Saxia ab Euerſo captum 375.3

Z

Zinazani conditor 169.9

INDICIS FINIS.